Digitized by Google

IONALE
CENTRALE V. E. II
2
5
G
7
OMA
Digitized by Google

COMMENTARIORVM
IN
PORPHYRIVM
ET IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM,

VNA CVM QVAESTIONIBVS, QVAE à grauiſſimis viris agitari ſolent;

Tomi Duo.

AVCTORE

R.P. FR. DIDACO MASIO, VALENTINO, ORD. PRÆdicatorum, Ingenuarum Artium, & S. Theologiæ Doctore, eiuſdemque in florentiſſima Valentinorum Academia publico Profeſſore.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ,
Sumptibus Conradi Butgenij ſub ſigno Arboris.
M. DC. XVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM REVEREN-DO, VIRTVTE, DOCTRINAQVE

PRÆSTANTISSIMO VIRO, AC DOMINO HENRICO Coffræo Ercklenſi, Artium liberalium, & SS. Theologiæ Doctori, Eximio Magiſtro noſtro, Illuſtris Eccleſiæ ad D. Gereonem Preſbytero, Canonico optime merito, Almæ Vniuerſitatis Colonienſis Rectori perquam Magnifico, &c. Domino & Patrono ſuo colendiſſimo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EA eſt Logicæ dignitas, ea præſtantia, admodum Reuerende & Magnifice Domine, vt non tantum inter cæteras Philoſophiæ partes, & ſcientias ſuum ſibi vendicet locum, ſed earum etiam clauis iure meritiſſimo nuncupetur. Nam veluti materialis clauis eſt proprium, occluſas reſerare domos & ianuas, ita profecto Logicæ congruit alias ſcientias, quas ex protoparentis noſtri peccato contracta nobis occluſit ignorantia, recludere, & ad perfectam cognitionem earum nobis patefacere aditum. Ita quidem, vt, ea duce vel comite deſtitutus, fruſtra reconditas aliarum ſcientiarum (ſiue naturalis duntaxat rationis acumen, ſiue diuinum quoddam illæ requirant lumen) veritates ſcrutari & indagare videatur. Licet enim vel ipſum Promethea mentis ſolertia & interiore cura (quam per aquilam cor eius exedentem perpetuo, ſapienter denotarunt Poetæ) licet vel ipſum Herculem aut Siſyphum continuis laboribus deuotos, indefeſſo ſuo, quod certæ ſcientiæ conſecrarit, ſtudio, multis ſuperet paſſibus, nihilominus tamen face Logices deſtitutus in denſas errorum tenebras ruet præceps. Veteres illud teſtantur Philoſophi, quos ob huius diſciplinæ ignorantiam turpiſſime ſæpius hallucinatos eſſe, docet Ariſtoteles; Et Epicurei quidem hac orbi regula in tantum ab humanæ naturæ præſtantia degenerarunt, vt brutorum inſtar ſummam hominis felicitatem in voluptate collocarint; Quo quid

tized by Google

turpius? quid indignius Philoſopho? Medicinam etiam & Iuriſprudentiam Logicæ deſtitutas conſortio hærere penitus trita vetuſtate probant adagia, quæ illius quidem Phyſicam, huius vero Ethicam principium & fundamentum conſtituunt. Quis autem eſt tam tenui cogitatione præditus, aut ita rudis & hebes, vt à ſola Phyſices, Ethicæve cognitione Logicam ſeparari poſſe iudicet? Quod ad Theologiam, reliquis vt dignitate, ſic etiam difficultate ſuperiorem, attinet, illam Logices indigere pręſidio negarit nemo, qui diuinam hanc ſapiētiam vel à limine tantum ſalutarit. Subtiles enim Theologorum diſputationes non fidei tantum, ſed Logicæ quoque nituntur fundamentis, ita, vt huius artis imperitus, rudis etiā euadat Theologus, ſed in ea quiſquis bene fuerit verſatus, ſummam etiā in Theologia mereatur gloriam. Quare non iniuria Clemens Alexandrinus Logicam propugnaculum & vallum Theologorum, contra doloſas aduerſus veritatem inſidias iuuans veræ & antiquę religionis cultores, ne circumueniantur ab hæreſibus, ne ſpinoſis hæreticorum ſophiſmatis circumſcribantur, eiſdem, quæ dixi, verbis appellat. Quæ cum ita ſint, manifeſte profecto ſequitur, illi, qui ad perfectam aliarum ſcientiarum anhelat cognitionem, accuratam Logices notitiam eſſe perneceſſariam, ideoq; nos illis debere plurimum, qui eam nobis quam clariſſime, breuiſſimeq; conſcriptam reliquerunt. Inter hos autem non infimū ſibi vendicat locum R. P. Didacus Maſius Peripateticæ, Thomiſticæq; veritatis non vulgaris interpres, qui omnes hac tempeſtate agitari ſolitas quæſtiones tanta cum facilitate & claritate ad Doctoris Angelici mentem reſoluit, vt non tantum nouitios & tyrones inſtituat, ſed etiam promoueat adultos. Vberrimos enim philoſophiæ totius flores ſuo hoc Logices incluſit opere, quod ſterili obſcuritate verborum reſecta, præclariſſimis eximiarum veritatum, facillimo, quo fieri potuit, modo explicatarum, ſententiis ditiſſime fœcundauit. Quapropter illud Ariadnes filo, cuius ductu Labyrinthæos Logices anfractus ingredi, & parta de Minotauro victoria, magnis cum ſpoliis egredi detur, non iniuria compararim. Verum quoniam meæ laudis non eget præconio, ſed ſua iam ante pluribus in locis cognita virtus & vtilitas, multorum mentes ſui deſiderio inflammauit, hic abrumpo filum, & opus illud, quod, vt iuſtiſſimis aliorum votis reſponderem, ex Germania hac noſtra diutius exulare nolui, ſub ſplendido admodum

Reue-

Reuerendæ & Eximiæ Magnificentiæ tuæ nomine in publicum emitto. Primum quidem, quoniam rationi cumprimis eſt conſentaneum, vt ei, qui diuinis humaniſq; ſcientijs quam ornatiſſimus eſt, & ſupremum in florentiſſima Vbiorũ Vniuerſitate ſibi ob ſingularem virtutem & induſtriam delatum, & ſæpius ſæpiuſque prorogatum, ſumma cum laude, totiuſque Reipublicæ literariæ ornamento & emolumento adminiſtrat magiſtratum, illud offeratur opus, quod ad omnes diuinas, humanaſque ſcientias comparandas eſt pernecceſſarium: Deinde vero vt ſingularem meam, qua in Reuerendam Magnificentiam tuam feror, obſeruantiam incredibilis virtutis & ſapiẽtiæ ſuæ meritis in me, omnibuſq; alijs excitatã, hoc exiguo munuſculo demonſtrem. Quare eandem Reuer. Magnif. tuam, qua par eſt animi ſubmiſſione, rogo, vt hanc Maſij Logicam meæ in ſuam Magnif. obſeruantiæ teſtimonium læto vultu, & affectu ſuſcipiat beneuolo, eamque ſuæ auctoritatis præſidio tueatur, & nominis ſui ſplendore illuſtret, meque etiam patrocinio ſuo non dedignetur. Quod ſupereſt, Reuer. Magnif. T. Deus immortalis quam diutiſſime ſoſpitet. Coloniæ Agrippinæ Anno MDC. XVII. 13. Calend. Martii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Admodum Reuer. & Magn. Dom. T.

Obſeruantiſſimus

Conradus Butgenius Bibliopol. Colon.

FRATRIS DIDACI MASII, IN SVA IN DIALE-ctícam Commentaria.

CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ VALENTINÆ, Parenti Optimæ, & bonorum ingeniorum altrici dicata.

PRÆFATIO.

OPERÆ pretium me facturum exiſtimaui ô veneranda mater, & literarorũ fœcundiſsima parens, ſi hæc mea in Dialecticam Ariſtot. commentaria in publicum emiſſurus, tibi, tuiſque alumnis, inſtituti mei rationem, & genus interpretandi, quo in Ariſt. explicando ſum vſus, in ipſius operis quaſi veſtibulo aperirem. Quod enim ad inſtitutum ſpectat, illud nullum aliud intelligas eſſe velim, quam tibi aliquo officii genere gratam animi ſignificationem exhibere, tuiſque alumnis pro ingenii tenuitate his meis commentariis aliquo modo prodeſſe. Cum enim à primis literarum rudimentis me ipſum genueris, genitumque Philoſophiæ, & ſacræ Theologiæ ſtudiis tuo lacte, & ſyncera doctrina alueris, deindeque in choro doctorum, & Philoſophiæ profeſſorum primum, nunc vero ſacræ Theologiæ interpretum cooptaueris, ingratus profecto iudicarer, tot tuis, tantiſque cumulatus beneficiis, niſi hæc commentaria tibi, tanquam parenti optimæ, in perpetuum obſeruantiæ monumentum conſecratem. Inter varias autem maximeque diuerſas interpretandi rationes à ſuperioribus Philoſophis acuratiſſime obſernatas, illam ſcito mihi maxime placuiſſe, quæ neque ſolius literæ Ariſtot. interpretatione, neque ſolis quæſtionibus contenta, vtramque rationem, tanquam illuſtriorem, captuique & vtilitati Philoſophorum magis accommodatam complectitur: hanc enim in florentiſſimis Academiis ab omnibus fere Ariſtot. interpretibus nunc religioſiſſime conſpicimus obſeruatam: Etenim prætermiſſo Ariſtot. in ſolis quæſtionibus explicãdis omne ſtudium conuertere, omnemque induſtriam in hac vnica re collocare non vitium, ſed ſcelus prope maximum eſſe dixerim in Philoſophia, qui enim ſine Ariſtot. philoſophantur, nihil aliud, quam ſupremam Philoſophiæ perniciem, & interitum mihi moliri videntur. Nam quid rogo ſine hoc Philoſophiæ ſplendidiſſimo ſidere, in

L. Simpl in præf. categ. & Pat. 11 & 12. lib. diſcuſ. peripat.

Aduerſus eos qui neglig. textum Ariſt.

ipſa,

ipſa, niſi atra quædam menti circumfuſa caligo, poterit ſupereſſe? A ſuperioribus illis corporibus ſolem amoue, an non illico denſiſſimas tenebras totam hanc noſtram regionem occupent eſt neceſſe? A Philoſophia etiam Ariſtot. è medio tolle, quid putas niſi altiſſimas ignorantiæ tenebras, & ſupremam inſcitiam remanſuras? Merito igitur, & acerbe ſunt illi reprehendendi, qui ſolis diſputationibus incumbentes, Ariſtot. ita negligunt, vt inanes prorſus eſſe omnes labores, qui in illo intelligendo conſumuntur eſſe putent, quorum quam ſit ſiniſtrum iudicium, & deprauata ſententia, non eſt cur hoc loco à nobis demonſtretur, cum ſint potius hi homines contemnendi, quam vi, & pondere argumentorum confirmandi, eſſent tamen illi à choro, & Philoſophorum conſortio, communibus ſuffragiis merito expellendi, & ab his qui in Academiis ſupremam tenent regendi auctoritatem, ſeueriſſime puniendi. Enimvero ferendum non eſt, vt ingenui adoleſcentes illorum curæ commiſſi qui in ſinu ſemper geſtare deberent Ariſtot. illumque nocturna, & diurna manu aſſidue euoluere, ob præceptorum vitium, non tantum Ariſtot. reſpuant, & faſtidiant, verum num ipſe aliquid ſcriptis mandauerit, prorſus ignorare videantur. Sola etiam, & nuda literæ Ariſtot. narratione, abſque vllis quæſtionibus inſiſtere, neque quippiam Ariſtot. addere, ad plenam, & abſolutam philoſophandi rationem ſufficere nequaquam puto, multa enim à poſterioribus Philoſophis fuerunt excogitata, multæ quæſtiones, & difficultates, multæ obſeruationes ſuperadditæ, quarum acceſſione ita creuit Philoſophia, vt faſtigium ipſum attigiſſe viſa fuerit, & ita feliciter poſt Ariſtot. multi philoſophati fuerunt, vt ſi ipſe ab inferis vocaretur, ſe a quamplurimis, ſi non victum, ſaltim æquatum ingenue fateretur. Magnum virum fuiſſe Ariſtot. in Philoſophia, & quem tota poſteritas, & Philoſophorum ſchola tanquam Anteſignanum, propter ingenii ſubtilitatem, eruditionem eximiam, & varia ornamenta naturæ ſuſcipiat, ſequatur, veneretur, non diffiteor, non tamen puto in eum naturam ita omnes ſuas opes effudiſſe, vt quid in alios ſuis quoque temporibus effunderet, ſibi non retinuerit. Valeant igitur qui poſteriorum laborib. inuidentes, omnia Ariſt. inueniſſe, omnia docuiſſe, & poſteritati tradidiſſe, nihilque abſque piaculo addi poſſe, pleno ore clamant, & vociferantur, qui certe omnem viam inueniendæ veritatis intercludere moliuntur, liberumque hominis ingenium, & ad infinita propemodum inueſtiganda natum, ſeruum reddere conantur, imo nihil aliud mihi, quam naturam ipſam (poſt editum Ariſt.) tanquam effœtam, & ſterilem accuſaſſe videntur, quaſi non potuerit ipſa, alterum Ariſtot. aut eo maiorem ſuſcitare. Imitemur igitur Ariſtot. quaſi hominem tamen, cuius ingenium potuit eſſe fallax, & quem multa latere potuerunt, ac proinde qui multa reliquerit poſterioribus, quæ ipſi inuenire, docere & tradere cum maxima Philoſophiæ laude, & Philoſophorum vtilitate potuerint. Vtramque igitur interpretandi rationem amplectens (ne ſi alterum tantum ſequeremur merito reprehendi poſſemus) in primis literam Ariſt. aperto ſermone (vt à quouis quantumuis rudi intelligi poſſit) interpretabimur, propoſito prius cap. argumento, & in partes potiſſimas diſtributione, mox ſcholia ſubiungemus, in quibus

Aduerſus ... ium quaſt.

eas obſeruationes, quas ad Ariſtot. intelligendum neceſſarias eſſe ducimus proponemus, quas extra contextum libuit ſeorſum, & ſigillatim proponere, vt norint ingenui adoleſcentes, quænam ſit litera Ariſt. quæue eius mens, & doctrina: ſæpe enim tot à quamplurimis, intra literam digreſſiones, annotationes obiectiones, & diſputationes inſeruntur, vt poſt longam illius capitis, & attentam lectionem, quid Ariſt. & quid ex ipſis ſit hauriendum, vix, ac ne vix quidem valeas iudicare: ne igitur candidis lectoribus caliginem circumfunderemus, hæc omnia ita diuiſimus, vt ſeorſum poſt Ariſt. explicatum, noſtra Scholia diſputationes, & quæſtiones adderemus. In commentariis præterea, & Scholiis literarum elementa propoſuimus, eo conſilio, vt qui Scholia legerit, cui parti textus correſpondeant poſſit intelligere, nam Scholium cui in margine ſimilis litera textui eſt appoſita, ad illum locum intelligendũ appoſitum fuiſſe putare debemus, verum quia circa eundem locum ſeſe variæ nonnunquam offerunt obſeruationes, illas, additis numeris, deſignauimus, ita vt primus numerus, primam obſeruationem, ſecundus ſecundam (ſicque in aliis) deſignet. His igitur ita prius explicatis, ſubnectimus deinde quæſtiones, & diſputationes à grauiſſimis viris agitatas, quibus illuſtriora multo ea, quæ ab Ariſt. traduntur reddi poſſint. Ad quarum explicationem, nouit Dominus, quam laborioſa, & aſſidua Dialecticorum, & Metaphyſicorum lectione vſi fuerimus, omnium fere ſectas Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Auerroiſtarum percurrimus, per omnia illorum placita ſumus peruagati, neque Theologos Scholaſticos in rebus Philoſophicis apprime verſatos prætermiſimus, nimirum D. Thom. illorum, & noſtrum ducem, & Anteſignanũ, B. Albertum Sueuum, illius præceptorem, in omnibus vere magnum, & admirabilem, Durandum profundiſſimum, Scotum acrem, & ſubtilem diſputatorem, eiuſque alumnos doctiſſimos, Herueum acutum, Ægidium eruditum, Capreolum in omnibus vbertate fluentem, Argentinam ſolertem, Gregorium laborioſum, & Caietanum Cardinalem, in quem vnum, hæc quæ in alios diſperſit, transfundere eſt viſa natura: hic enim vnus eſt, in quo eruditio & ingenii ſubtilitas, ita inter ſe contendere videntur, vt quid alteri præferas, num eruditionem ſubtiliſſimam, vel ſubtilitatem eruditiſſimam, prorſus ignores. In his multa Dialecticorum, Phyſicorum, & Metaphyſicorum placita legimus conſignata, illi enim veterum Patrum, Cypriani, Tertulliani, Arnobii, Hilarii veſtigiis inſiſtentes (qui vt ad Magnum vrbis oratorem conſcriptum reliquit Hieronym. Philoſophorum placitis omnia ſua opera conſperſerunt) ex Philoſophorum, maxime vero Ariſt. lectione ditati, ſapientiæque vaſa aurea, & argentea inde tranſportantes, Theologiam ſacram, his ſpoliis locupletiſſimam reddiderunt; Ex illorum igitur fontibus hunc noſtrum hortum rigauimus, & ex illorum floribus, pro maiori parte hunc fauum mellis compoſuimus.

Quos auth. ſequamur in interp. Ariſt. ... Verſio. Perio ...

In interpretatione autem Ariſtot. grauiſſimos viros Græcos, Latinos, & Arabes conſuluimus, quorum vel in aliquam partem, vel in totam Dialecticam extant præclariſſima commentaria, ex Græcis Alexandrũ, Themiſtium, Simplicium, Ammonium, Philoponum, Porphyrium, & Dexippum, ex La-

tinis D. Thom. B. Albert. M. Seuerinum Boetium, Caietanum Cardinalem, Ferrarienſem, Ægidium, Sotum, Venetum, Louanienſes, & innumeros recentiores, quos certe omnes velle numerare, faſtidioſum eſſet, & minime neceſſarium, ex Arabibus tandem Auerroem, & Auicennam. Varia etiam manuſcripta commentaria clariſſimorum virorum, in quibus hæc ars maxime fulget, auidiſsime legimus, ex quorum omnium monumentis quantum profecerimus, qui hæc noſtra legerit, facile poterit iudicare. In omnibus autem ſecuti ſumus D. Thom. Quintum Eccleſiæ Doctorem, Peripateticorum omnium abſque vlla controuerſia principem, & totius Philoſophiæ, & Theologiæ ſingulare decus, & ornamẽtum, qui certe, bona venia aliorum dictum ſit, in interpretando Ariſtot. & eius vero ſenſu eruendo, omnes Græcos, Latinos, & Arabes longo poſt ſe reliquit interuallo, ita enim Ariſt. legerat, hauſerat, deuorauerat, concoxerat, vt Thomas, nihil aliud, quam Ariſtot. aperte loquens eſſe videatur. Quæ enim ab Ariſt. obſcuro ſermone propoſita fuerunt, ita dilucide, ita diſtincte, & perſpicue D. Thom. proponit, vt non immerito à quibuſdam lingua Ariſt. nuncupetur, vt enim linguæ munus eſt ſenſa animi, & latentes intra mentem conceptus aperire, hoc eodem munere functus D. Thom. abſtruſos & veluti in tenebris deliteſcentes ſenſus Ariſt. apertiſsimo ſermone aperit, & nobis clariſsimos reddit. Tolle, inquit ingeniorum ille ſui temporis Phœnix noſter Mirandul. Thomam & mutus manebit Ariſtot. Et hinc effectum fuit, vt à veteribus Expoſitor per antonomaſiam appelletur, quaſi explicandi iura ipſe ſibi inter cæteros Ariſt. interpretes vendicare viſus fuerit. In quæſtionibus etiam, & difficultatibus diſſoluendis eiuſdem veſtigia ſumus imitati, illius enim eruditio eſt, quæ firmioribus nitens fundamẽtis, in omnibus fere Academiis aliis reiectis, nunc floret, & maxime viget, vix fere in lectionibus, vel in congreſsibus, aut literarum certaminibus aliud auditur, quam quid in illa re ſentiat D. Thom. quæ de propoſita diſput. ſit illius ſententia, quæ mens, quę doctrina, quod ſane ſingulari Dei beneficio effectũ eſſe poſſumus iudicare, eſt enim D. Tho. Eccleſiæ columen, & firmiſsimum fundamentum, cuius doctrina inſtar ſolis, omnem hæreſum, & errorum prorſus diſsipat caliginem, puroſque & ſinceriſsimos veritatis radios manifeſtat: Vnde æquum eſt, vt ingenui adoleſcentes, qui puro & ſyncero veritatis lacte ſunt alendi, huius veritatis alumni, & acerrimi vindicis, in dialect. & Philoſoph. placitis imbuantur, illumque in his ducem ſequantur, quem deinde in ſacris Theologiæ ſtudiis, ſunt præceptorem habituri. Sat ſcio multos ex tuis alumnis ô clariſſima Academia, fœliciori fortaſſis ſidere, hoc onus ſuſcipere potuiſſe, verum cum omnes ſilere intuerer, nullumque operi manum apponere viderem, in medium prodii, aliorum ſilentium, & taciturnitatem inique ferens: Vtinam de tuis filiis conceptæ opinioni pro dignitate ſatisfaciam, tibique hoc exili munere placere valeam, eſſet enim illud meorum laborum haud leue ſolatium, eorundemq; ſingularis quædam merces, & cumulatiſsimum præmium.

à Gruchio correct. tanquam melio & noſtris Valentiis magis arridentem.

Seq. in omnibus D. Th. Eccl. 5. Doct. Vета de D. Thom.

Sed iam æquum eſt, vt præfationi finem imponamus & diuino au-

xilio implorato, ad ſuſceptum opus explicandum progrediamur. Tuam igitur Chriſte Redemptor ſupplex opem efflagito, tuo nomine mihi adeſſe velis, vt veritatem ipſam, in cuius conſecutione humanæ mentis felicitas eſt conſtituta, aſſequar, & aſſecutam tradere valeam, noſtriſque conatibus ita faue, vt qui pro tui nominis gloria, & Philoſophorum vtilitate ſuſcepti fuerunt, in eandem gloriam dirigantur, & in communem Philoſophorum çedere poſſint.

Omnia Eccleſiæ ſanctæ Romanæ iudicio ſubiecta eſſe volumus.

IVDICIA ET APPROBATIONES
Operis.

IOannes de Ribera Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Patriarcha Antiochenus, Archiepiſcopus Valentinus, ac Regius Conſiliarius. &c. præſentium tenore licentiam & facultatem vniuerſis excuſoribus concedimus, & impartimur, imprimendi Commentaria in vniuerſam Dialecticam Ariſtot. a R. P. F. Didaco Maſio Ordinis Prædicatorum ingenuarum Artium & Sacræ Theologiæ Doct. compoſita, & digeſta per Doct. Bartholom. Ioſephum Paſchalium, de commiſſione & mandato noſtro viſa & examinata, & nihil inuenit nec fidei nec bonis moribus repugnans, imo vero vtilia & neceſſaria ſtudioſis eſſe affirmauit & teſtimonium prohibuit. Datis Valentiæ die 28. menſis Maij 1592.

El Patriarca Arcobiſpo de Valentia.

V. Frexo.

De Mandato Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini mei Patriarchæ, Gregorius Diaz Secretarius.

EGo Bartholomeus Ioſephus Paſchalius Theologiæ Doctor & Eccleſiæ Valentinæ præpoſitus, ex commiſſione & auctoritate Illuſt. ac Reuer. D. D. Ioannis de Ribera Patriarchæ Antiocheni, & Archiepiſcopi Valentini, legi Commentaria in vniuerſam Dialecticam Ariſt. ab admodum Reuer. P. Fr. Didaco Maſio Valentino, Ordinis Prædicatorum ingenuarum Artium & S. Theologiæ eximio Doctore, eiuſdemque in Florentiſſima Valētinorum Academia publico profeſſore, conſcripta, & nihil in eis animaduerti fidei catholicæ aduerſum, vel quod pias aures offendat. Quin potius vidi opus eſſe ſumma induſtria, ac diligentia, miraque animi dexteritate elaboratum. Continet enim præter contextus Ariſt. ſedulam & accuratam declarationem, earum etiam quæſtionum, quæ à grauiſſimis viris diſputari ſolent artificioſam & perfectam explicationem. Quapropter iudico vtiliſſimum eſſe hoc opus, & digniſſimum vt pro communi omnium vtilitate, typis mandetur, & in lucem prodeat. Valentiæ 3. Nonas Maii, Anno 1591.

Ita atteſtor ego Bartholomæus Ioſephus Paſchalius.

IN Deo filio ſibi dilecto R. P. Fr. Didaco Maſ. S. Theol. D. & in florentiſſima Valentina Academia eiuſdem Profeſſori F. Ioannes Loazes S. Theologiæ profeſſor, & Prouinciæ Aragoniæ Ord. Prædicatorum Prior Prouincialis ſalutem. Indicaſti nobis te nonnulla opera in Dialecticam Philoſophiam, & Metaphyſicam parata habere vt in publicum emittantur, quæ vt in omnium prodeãt vtilitatem cupimus maxime. Quapropter his tuis conatibus fauentes, tenore præſentium, & noſtri auctoritate officii, tibi ſupradicto patri concedimus facultatem illa imprimendi, & euulgandi, dum tamen à R. P. Magiſtro F. Vincentio Iuſtiniano fuerint examinata, & approbata. Iniungentes tibi in meritum ſanctæ obedientiæ, vt quam citius poteris ipſa in lucem emittere cures. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. In quorum fidem his manu propria ſubſcripſimus, in noſtro conuentu Valentino Prædicatorum 12. Auguſti 1592.

Frater Ioannes Loazes, Prior Prouincialis.

FRATRIS VINCENTII IVSTINIANI ANTISTII

de hoc opere, atq; eius auctore iudicium.

PRæclariſſima in vniuerſam Ariſt. Logicam, Porphyriique Iſagogem commentaria, ab eruditiſſimo ſeptem liberalium artium ac S. Theologiæ, tum in Valentina Academia, tum in hoc Prædicatorum Cœnobio, interprete, atque Doctore Patre Didaco Maſ ſummis laboribus, immenſiſque vigiliis, inter quotidianas, ac eas quidem binas ſacrarum literarum lectiones, partim ex D. Thomæ Aquinatis ſenſu, partim ex proprii ingenii (quo plane acutiſſimo pollet) meditatione collecta cum iuſſu Reuerendi admodum Patris Fratris Ioannis Loazes Regnorum Aragoniæ Prioris Prouincialis perlegerem, id mihi euenit, quod lunæ, quod Mercurio, quod Veneri, quod omnibus deniq; aſtris ſiue fixis, ſiue erraticibus vſuuenire conſueuit, nimirum vt orto ſole, fulgentes alioquin radios contrahant, & ſplendidiori lumini cedant. Parateram equidem ſicut in dialecticis inſtitutionibus nō ſemel promiſi, integrum in Ariſt. de re Dialectica libros volumen, quod omnibus Philoſophis (quæ mea aut ſit inſcitia, aut arrogantia eſt) acceptū futurū, vel iureiurādo affirmaſſem, ſed ſimul atq; in hæc ſcripta incidi, animum deſpondi, alas demiſi, meas vigilias inutiles iudicaui, & vt ita dixerim criſtæ mihi cecidere ſuperbo. Nil enim in ipſis imperfectum, & tanquam inchoatum offendi, ſed omnia ſuis numeris abſoluta. Nam quæ in promptu ſunt, præcellens hic docendi Magiſter, breuiſſime expedit, contra autem in obſcurioribus explicandis late vagatur, dubia abſq; vllo verborum anfractu diluc de explicat, proprias opiniones mirabili efficacitate probat, aduerſas proſternit, eneruat, extirpat ac ne ſingula quæ ſunt plane infinita conſecter, non ſolum quæ Dialecticæ candidatis vtilia eſſe poſſunt, eleganti, perfacilique ſtylo complectitur, & quaſi ante oculos ponit, verū etiam Phyſicæ, Metaphyſicæ, ac Theologiæ firmiſſima fundamenta iacit, ad ipſarumq; arcana penetranda, expeditiſſimum iter pandit, quare & commentaria prælo digna iudico, & auctorem qui in noſtræ domus filiorum numerum, doctis omnibus applaudentibus, aſcitus eſt, inter celebriores, illuſtrioreſq; eius alumnos (quales poſteam ab inuicto Aragonum Rege Iacobo I. B. Michaelis à Fabra rogatu cond. tam plurimi extitere) merito computandum conſeo.

Ego Fr. Vincentius Iuſtinianus eiuſdem cœnobii inutilis ſeruus.

Licentiati Balthaſaris Porrenno Conchenſis Carmen. in Laudem R.P M. Didaci Maſii Valentini, in Academia Valentina meritiſſimi Theologiæ profeſſoris.

CYmba procelloſus cum ſeſe effundit in vndas
Neſcia quæ vaſto gurgite flectat iter
Ne vaga vorticibus per ſaxa minantia tendat
Neue petat ſcopulos, in pelagoq; ruat:
Vel ne plenus agat remeantia carbaſa ventus
Merſaq; ſit vaſto, ſpeſque ratiſque mari,
Charta notat Scyllas, & monſtrat charta Charybdis
Cuius ad [illegible]um plena arena ruat
Quid? Pelagus magnum non eſt Dialectica, cuius
In medio multis naufraga Cymba fuit?
Eſt certe, & poterit tanto te remige fluctus
Qui velis o celebris Mas agitare ſuos:
Hac eſt charta notans ſcopulos, ſaxaſq; procellas,
Et rabida in rabido monſtra cruenta mari,
Quas bene tentaſti ſcribendo, patefacis vndas
Magne Thomiſtarum nobilitatis apex.
Ergo habe lector, opus lege, perlege, volue, reuolue
Sic namq; ex pulchro ſubere mella leges.

INDEX

INDEX EARVM QVÆSTIONVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLIcantur.

QVÆSTIONVM SECTIONIS PRIMÆ *Proœmialium,*

QVæſtio I. de ſignificat. & diffinit. Dialect. Pag. 1
II. De generali quadam artium diuiſione 4
III. An Dialect. ſit recte diuiſa in docentem & vtentem 6
IV. An Dialectica docens, & vtens ſit vna & eadem res 10
V. An Dialectica docens ſit ſcientia. 14
VI. An Dialectica vtens ſit ſcientia 19
VII. An Dialectica ſit pars philoſophiæ 21
VIII. Quid ſit praxis & ſpeculatio 25
IX. In qua quædam difficultates de praxi, & ſpeculatione explicantur 27
X. Deturne praxis in intellectu 28
XI. An Dialectica ſit ſcientia ſpeculatiua 31
XII. An Dialectica ſit ars ingenua & liberalis 36
XIII. An ens rationis ſit obiectum Dialecticæ 37
XIV. An dirigere intellectum in ſuis functionibus ſit finis Dialecticæ 46
XV. An Dialectica ſit vna ſcientia 49
XVI. An Dialectica ſit vna ſimplex qualitas 55
Vltima, In quas partes ſit Dialectica diuidenda 58

Quæſt. Sect. ſecunda Proœmialium.

Quæſtio I. An Dialectica ſit hominibus neceſſaria 60
II. An Dialectica ſit neceſſaria ad dirigendum intellectum in aliis ſcientiis 63
III. An ſit Dialectica neceſſaria ad alias ſcientias conſequendas 65
IV. Sitne Dialectica priori loco tradenda 69
V. Qua ratione fuerit inuenta Dialectica 72
VI. & Vltima, de methodo, qua Dialectica fuit inuenta, & tradita ab Ariſtotele 73

LIBER PORPHYRII DE QVINQVE vocibus.

Prolegomena 79

De nomine & vita authoris 79
De inſcriptione libri 80
An ſit hic liber pars philoſophiæ, & de ordine, quem obſeruat ad alias partes Dialecticæ 80
De diuiſione operis, methodo obſeruata, vtrum ſit Porphyrii ibid.
Præfatio Porphyrii 81
QVÆST. VNIC. An liber hic quinque vocum ſit neceſſarius ad categorias intelligendas 73

DISPVTATIO DE REBVS VNIVERSIS.

Sect I. pars I. De ſenſibus 85
II. De vtroque intellectu, agente & patibili 87
III. Quid notio, & quid abſtractio 88

Sect. II. De rebus vniuerſis quæſtiones.

Quæſtio I. An dentur naturæ vniuerſæ à parte rei 89
II. An vniuerſum recte fuerit diffinitum vnum in multis 93
III. An natura vniuerſa à parte rei ſit vna vnitate communi 96
IV. An vniuerſum formale ſit in rebus præter operationem intellectus 102
V. An natura fiet vniuerſa per abſtractionē, vel potius per coparationem 111
VI. An natura vniuerſa ſit in intellectu ſecundum rem 117
VII. An vniuerſum verius habeat in ſe, quā in intellectu, & ſingularibus 118
VIII. An peremptis ſingularibus pereant naturæ vniuerſæ 121
IX. An peremptis ſingularibus pereant res vniuerſæ quoad veritatem enuntiationum 124
X. An propoſitiones æternæ veritatis habeant cauſam 129

Sect. III. de rebus vniuerſis quæſtiones.

Quæſtio I. Quid ſit ens rationis 130
II. An aliquod ens rationis habeat eſſe formaliter à parte rei extra operationem intellectus 134
III. An ens rationis habeat eſſentiam & exiſtentiam realem 138
IV. An entia rationis inhæreant alicui tanquam ſubiecto 141
V. An ens rationis cognoſcatur per ſpeciem entis rei 143

Sect. IV. de rebus vniuerſis quæſtiones.

Quæſtio I. In qua explicatur, quid ſit prima, & ſecunda notio 146
II. An prima & ſecunda notio ſint formaliter relationes rationis 147
III. In qua ad quæſt. futuras intelligendas nonnulla iacturi fundamēta 150
IV. An primæ notiones in concreto de ſe inuicem prædicentur 153
V. An notio prima in abſtracto de prima in concreto dici poſſit 155
VI. An primæ notiones in abſtracto poſſint de aliis in abſtracto prædicari 157
VII. An notiones ſecundæ prædicentur de primis 160
VIII. An ſecundæ notiones de ſecundis poſſint prædicari 162

Sect.

Sect. V. de rebus vniuerſis quæſtiones.

Quæſtio I. Sintne tantum quinque voces communes, & vniuerſæ 165
II. An vniuerſum ſit genus ad quinque voces prædicabiles 169
III. An vniuerſum ſit materia ſubiecta huius libri quinque vocum 174
IV. In qua explicantur quæſtiones propoſitæ à Porphyrio in præfatione 176

Quæſtiones Sectionis primæ de genere.

CAPVT I.

De Genere 177
Quæſtio I. An Porphyrius optima methodo progreſſus fuerit, diſputans prius de genere, quam de aliis vocibus vniuerſis 183
II. An ſit optima definitio propoſita generis 184
III. An genus differat à differentia per prædicari in quid 186
IV. An propoſita generis diffinitio ſit eſſentialis, nec ne 189
V. Quid habeat locum generis in diffinitione generis 191
VI. An diffinitum in diffinitione generis ſit ſecunda notio 194

Quæſtiones Sectionis ſecundæ de genere.

Quæſtio I. An genus poſſit in vnica ſpecie conſeruari 198
II. An genus prædicetur de ſpecie vt totum, vel vt pars 202
III. An ſola ſpecies ſit, in quam tanquam in ſuum terminum referatur genus 204
IV. An genus collatum ad indiuidua veram rationem generis obtineat 207
V. An genus per ſe prædicetur de differentia 208
VI. An ſit de ratione generis non eſſe incluſum in vltimis differentiis 212
VII. An genus ſit vna ſpecies atomæ 213

Quæſtiones Sectionis primæ de Specie.

CAPVT I.

De Specie 216
Quæſtio I. Sintne vera, quæ à Porphyrio in capite de ſpecie tradita fuerunt 224
II. An correlatum ſpeciei ſit genus 229
III. An ſpecies vt ſubiicitur generi, ſit vniuerſa 232
IV. An ſpecies ſynonyme dicatur de ſpecie ſubiicibili, & prædicabili 215
V. An ſpecies infima poſſit eſſe genus 235
VI. An ſpecies per ſe ſit ex genere & differentia conſtituta 237
VII. An ſpecies atomæ ſint infinitæ 239

SECT. II.

DE SPECIE, IN QVA DE INDIVIDVO.

Quæſt. I. An recte fuerit indiuiduum à Porphyrio definitum 241
An indiuiduum vere & proprie de vno tantum prædicetur 243
An detur indiuiduum vagum 245

DE DIFFERENTIA.

CAP. III. 249

Quæſtiones Sectionis primæ de Differentia.

Quæſtio I. An ſint vera, quæ à Porphyr. in hoc capite tradita fuerunt 254
II. Sitne optima prima diuiſio differentiæ 256
III. An prima diuiſio differentiæ ſit analogi in analogata 258
IV. An differentia ſpecifica diuidat per ſe genus 261
V. An prima definitio differentiæ ſit accurata, nec ne 263
VI. Denturne differentiæ infimæ, quæ cum ſpeciebus atomis ſimpliciter conuertantur 265
VII. An in ſecunda definitione differentiæ fuerit vtraque differentia, infima, & ſubalterna definita. 267
VIII. An differentia infima, & intermedia ſint eiuſdem ſpeciei 271

Sectionis ſecundæ quæſtiones.

Quæſtio I. An differentiæ contineantur actu in genere 273
II. An differentiæ diuidentes ſint inter ſe contrariæ 276
III. An differentiæ ſuperiores per ſe prædicentur de inferioribus 279
IV. An genus re ipſa differat à differentia 281
V. An genus petatur à materia, & differentia à forma. 284

Sectionis vnicæ de proprio quæſtiones.

Quæſtio I. Sitne vera, quæ à Porphyrio tradita fuerunt in capite de proprio 290
II. An proprium ſit genus reſpectu ſpeciei, à qua fluit 292
III. An proprietates à ſubiecto tanquam à propria cauſa oriantur 294
IV. An in accidentibus vna proprietas ex altera oriatur 297
V. An proprietates re ipſa differant à ſuis ſubiectis 298
VI. An proprietates poſſint ſeparari à ſubiectis 300
VII. An proprietates ſoli ſpeciei infimæ poſſint conuenire 302
VIII. An vnius ſpeciei ſit tantum vna proprietas 303
IX. An proprietates prius conueniant rebus vniuerſis, quam ſingularibus 304

Sectionis vnicæ de accidente quæſtiones.

Quæſtio I. An accidens ſit vniuerſum 309
II. In habitudine ad quæ ſubiecta ſit accidens natura vniuerſa 312
III. Sitne recte tradita prima definitio accidentis 314
IV. Sitne optima diuiſio accidentis in ſeparabile & in inſeparabile 318

V. Sitne optima ſecunda definitio accidentis 310
VI. An tertia definitio accidentis ſit optima 321

ANACEPHALEOSIS EORVM, QVAE DE COMMVNITAtibus, & differentiis quinque vocum traduntur à Porphyrio.

CAPVT VI.

De communitatibus quinque vocum in generali 323
VII. De communitatibus & differentiis generis & differentiæ 324
VIII. De communitatibus & differentiis generis & ſpeciei ibid.
IX. De communitatibus & differentiis generis & proprii 325
X. De communitatibus & differentiis generis & accidentis 3[illegible]
XI. De communitatibus ſpeciei & differentiæ ibid.
XII. De communitatibus & differentiis proprii & differentiæ ibid.
XIII. De communitatibus & differentiis accidentis & differentiæ ibid.
XIV. De communitatibus & differentiis ſpeciei & proprii 326
XV. De communitatibus & differentiis ſpeciei & accidentis ibid.
XVI. De communitatibus & differentiis proprii & accidentis ibid.

DE CATEGORIIS LIB. ARIST.

Præfatio Operis 327
Sect. I. De vita Ariſtotelis 327
II. De ingenio & moribus Ariſtotelis 328
III. De Operibus Ariſtotelis 329
IV. De Secta inſtituta ab Ariſtotele 330
De Auctore Operis 331
Quæſt. I. Num in hoc opere de vocibus vel de rebus diſputetur 331
De inſcriptione Operis 334
De vtilitate Operis ibid.
De ordine huius Operis ad alias partes Dialecticæ 335
De methodo obſeruata in hoc Opere, & illius partibus ibid.
Quæſt. II. Specterne ad Dialecticum agere de categoriis 336
III. Sintne vera, quæ tradita fuerunt ab Ariſt. de homonymis 342
IV. An ſint vera, quæ tradita fuerunt ab Ariſt. de ſynonymis 344
V. Sitne optima definitio paronym. & quid ſit illius definitum 347
VI. An forma denominans debeat eſſe eſſentialis 350
VII. An res denominata magis præcipue formam, quam ſubiectum ſignificet 351
VIII. Quænam ſit diuiſio quadrimembris eorum, quæ ſunt ab Ariſtotele propoſita 354
IX. An ſit optima definitio eius, quod eſt eſſe in ſubiecto, propoſita ab Ariſtotele 355
X. An primum præceptum ſit verum, nec ne 359
XI. Sitne verum ſecundum præceptum propoſitum ab Ariſtotele, 361
XII. Sintne vera, quæ tradita fuerunt ab Ariſtotele de diuiſione entis, 365

Sect. I. de ente, & de eius analogia.

PARS I.

CAP. I. Quid ſit analogia, & quot, quæ res ſint formæ & ſpecies illius 366
II. De analogis inæqualitatis 367
III. De analogis attributionis 368
IV. De analogis proportionalitatis 370

PARS II.

Quæſt. I. An ens ſit homonymum ad omnia ſua inferiora 371
II. An ens ſit ſynonymum ad Deum, & ad creaturas, ſubſtantiam & accidentia 374
III. An ens ſit ſynonymum ad ſua inferiora mediata, quæ ſub eo continentur 381
IV. An ens ſit analogum ad ſua inferiora 382
V. An ens ſit genus ad ſua inferiora 389
VI. An ens habeat vnum conceptum ab omnibus ſuis inferioribus præciſum 391

Sect. II. de numero categoriarum.

Quæſt. I. Sintne tantum decem categoriæ entium rei 398
II. An numerus categoriarum petendus ſit ex diuerſis modis prædicandi de prima ſubſtantia 401
III. An categoriæ ſint re ipſa diuerſæ 403
IV. An concreta collocentur in categoriis 404
V. Quænam ſint, quæ per ſe, & quæ reductiue in categoriis collocentur, 406
VI. An ens, quod eſt diuiſum in decem categorias, ſignificet eſſentiam 407
VII. An ſit collocanda vndecima categoria entium rationis 409

Sect. I. de ſubſtantia, quæſt.

Quæſt. I. An ſubſtantia ſit prior definitione accidentibus 410
II. An ſubſtantia ſit prior tempore accidentibus 413
III. An ſubſtantia ſit prior cognitione accidentibus 425
IV. An ſubſtantia cognoſcatur per propriam ſimilitudinem 428

Sect. II. de ſubſtantia, quæſt.

Quæſt. I An ſubſtantiæ ſingulares merito ſint primæ vocatæ 429
II. An ſit optima definitio ſubſtantiæ, & quid in ea definiatur 431
III. An diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam ſit optima 434
IV. An ſubſtantiæ primæ ſint magis & perfectiores ſubſtantiæ, quam ſecundæ 436
V. Vtrum vna ſubſtantia ſecunda ſit magis ſubſtantia ſecunda, quam alia, 438
VI. An per ſe exiſtere ſit eſſentia ſubſtantiæ 439
VII. An tres priores proprietates ſubſtantiæ ſint recte traditæ ab Ariſtotele 442

VIII. Sit

VIII. Sitne recte tradita quarta proprietas ſubſtantiæ 443
IX. An ſubſtantia recipiat magis & minus 445
X. An ſexta proprietas ſubſtantiæ ſit proprietas quarto modo 446

Sectionis tertiæ de ſubſtantia quæſt.

Quæſt. I. An partes per ſe & directe in hac categoria contineantur 447
II. An differentiæ per ſe in hac categoria contineantur 453
III. Qua ratione collocentur differentiæ in hac categoria 455
IV. An orbes cœleſtes in hac categoria contineantur 457
V. An ſubſtantiæ ſeparatæ in hac categoria collocentur 459
VI. An infinitum in hac categoria contineatur 460

Sectionis vnicæ de accidentibus quæſt.

Quæſt. I. An inhærentia ſit de eſſentia accidentis 461
II. An ſit, & quid ſit exiſtentia accidentium 462
III. An exiſtentia accidentis differat ab accidente 464
IV. An accidentia habeant propriam, & peculiarem exiſtentiam 465
V. An omnia accidentia vendicent ſibi determinatum ſubiectum 467
VI. An accidens prædicetur ſynonyme de nouem categoriis accidentium, 469

Sectionis primæ de quantitate quæſt.

Quæſt. I. An prius agendum ſit de quantitate, quam de aliis categoriis accidentium 479
II. An Dialecticus & Metaphyſicus diſputent de quantitate ſub eadem ratione 480
III An diuidi poſſe ſit de eſſentia quantitatis 482
IV. An eſſe menſuram, & diuidi poſſe ſint proprietates quantitatis 485
V. An quantitas re ipſa diſtinguatur à ſubſtantia 487

Sectionis ſecundæ de quantitate quæſt.

Quæſt. I. An quantitas ſit genus ad coniunctam & deiunctam 489
II. An numerus ſit ſpecies quantitatis 491
III. An numerus ſit ſpecies infima, vel ſubalterna 493
IV. An numerus differat re ipſa à rebus numeratis 494
V An vltima vnitas ſit forma numeri 496
VI In qua proponitur cenſura quarundam dubitationum, quæ de numero ſe offerunt explicandæ 498
VII. An oratio ſit ſpecies quantitatis 500

Sectionis tertiæ de quantitate quæſt.

Quæſt. I. An terminus communis ſit actu in magnitudine 502
II. An linea, extremitas, corpus, & locus ſint ſpecies quantitatis 503
III. An linea, extremitas, corpus, & locus ſint entia poſitiua re ipſa diſtincta 504
IV. An locus ſit vera ſpecies quantitatis coniunctæ 506
V An tempus ſit ſpecies quantitatis 508
VI. An motus ſit quantitas per ſe 510

Sectionis primæ de relatione quæſt.

Quæſtio I. An optima methodo obſeruata egerit Ariſt prius de relatis, quam de quantitate 519
II. Sitne relatio ens rei, vel rationis 520
III. An dentur relationes rationis à parte rei abſque operatione intellectus 522
IV. An relatio conſtituat particularem categoriam ab aliis diſtinctam 524
V. An in categoria relationis ſint duo genera ſuprema 526
VI. An omnia relata ſint ſub hac categoria comprehenſa 528
VII. An prima proprietas recte fuerit tradita ab Ariſt. 531
VIII. Sitne ſecunda proprietas recte ab Ariſt. tradita 532
IX. Sitne tertia proprietas optime aſſignata 533
X. An relata ſint ſimul natura 534

Sectionis ſecundæ de relatione quæſt.

Quæſtio I. Sintne tria tantum fundamenta relatorum 536
II. An relatio diſtinguatur re ipſa à ſuo fundamento 538
III. An relatio identitatis ſit relatio rei, vel rationis 543
IV. An æqualitas & ſimilitudo ſint relationes rationis 544
V. An relatio à fundamento obtineat realitatem 545

Sectionis tertiæ de relatione quæſt.

Quæſtio I. An vnum relatum ſit definiendum per alterum 546
II. An vnum relatum terminet alterius relationem ſub ratione abſoluta, 548
III. Quænam ſint relata eiuſdem ordinis 451
IV. An multiplicatis terminis multiplicetur relatio 552
V. An vnum relatum per eandem relationem poſſit ad plures terminos referri 553
VI. A quo relatio obtineat vnitatem 554
VII. An entis ad non ens poſſit eſſe relatio rei 555
VIII. An relatio dicat aliquam perfectionem 557

Sectionis vnius categoriæ qualitatis quæſt.

Quæſt. I. Sit ne qualitas recte ab Ariſt. diffinita 565
II. Sint ne tantum quatuor ſpecies qualitatis 567
III. An habitus & affectio ſint ſpecies qualitatis 567
IV. An habitus & affectio ſpecie differant 571
V. An ſecunda ſpecies qualitatis a prima diſtinguatur 573
VI. An patibilis qualitas, & perturbatio ſint diſtinctæ ſpecies quantitatis 575
VII. An tertia ſpecies qualitatis à prima diſtinguatur 577
VIII. An forma, & figura ſpecie differant 578
IX. An pondus ſit qualitas ibid.
X. An rarum & denſum, aſperum, & lene in hac categoria collocentur 579

XI. De

XI. De his, quæ in ſingulis ſpeciebus qualitatis collocantur 580
XII. Num recte ſint tres proprietates qualitatis ab Ariſtotele aſſignatæ 582

Sectionis vnicæ de ſex vltimis prædicamentis quæſt.

Quæſt. I. An ſex vltimæ categoriæ ſignificent rem abſolutam 595
II. An actiones immanentes contineantur in categ. actionis 588
III. An actio tranſiens ſit in agente, vel patiente 589
IV. De natura & proprietatibus quando 591
V. Quid ſit vbi, & an differat à loco, & quæ ſit illius natura & proprietates 593
VI. De natura ſitum eſſe & de illius proprietatibus 595
De natura habitus & illius proprietatibus 596

Sectionis vnicæ de poſtcategoriis quæſt.

Quæſt. I. Sint ne vera, quæ ab Ariſt. tradita fuerunt de contrariis 600
II. In quo ſit ratio oppoſitionis relatiuæ conſtituta 609
III. An oppoſitio ſit genus ad quatuor genera contrariorum 611
IV. Sit ne oppoſitio contradictoria omnium maxima 612
V. An qualitates contrariæ poſſint eſſe in gradibus remiſſis in eodem ſubiecto 613
VI. An à priuatione ad habitum detur regreſſus 615

PROLEGOMENA OPERIS

De interpretatione quæſt.

Præfatio 3
Quæſt. I. An ſint vera quæ tradita ſunt ab Ariſt. in præfatione 8
II. In qua de ſigno diſputatur 7
III. Num voces ſignificent potius res, quam conceptus, vel econtra 10
IV. An nomina ſignificent res ex ſua natura, vel potius ex hominum impoſitione 12
V. An veritas ſit in ſolo intellectu 14
VI. An in ſola ſimplici operatione intellectus, veritas reperiatur 15

Sectionis vnicæ de nomine quæſt.

Quæſt. I. Sint ne vera ea quæ Ariſt. docuit in hoc cap. 22
II. Sit ne vox materia vel genus nominis 23
III. An voces infinitæ vocari debeant nomina 25
IV. An nomen infinitum tam dicatur de eo quod eſt, quam de eo quod non eſt 26
V. An ens, & alia tranſcendentia reddi poſſint infinita 28
VI. An caſus obliqui ſint vera nomina 29
Quæſt. vlt. in qua diſputatio de terminis explicatur 30

Sectionis vnicæ de Verbo quæſt.

Quæſt. I. Sint ne vera ea, quæ ab Ariſt. in cap. de verbo tradita fuerunt 34
II. An verbum ſignificet cum tempore 35
III. An verbum ſit pars enuntiationis 37
IV. An verba adiectiua ſint voces ſimplices 40

V. An verba infinita collocentur in enuntiatione 40

Sectionis vnicæ de oratione quæſt.

Quæſt. I. Sit ne vera, quæ tradita ſunt ab Ariſt. in cap. de oratione 46
II. An enuntiatio ſit ens rei 48
III. An enuntiatio ſit ſimplex qualitas mentis 49
IV. An enuntiatio ſit genus ad aientem, & negantem 51
V. An enuntiatio ſit genus ad categoricam, & hypotheticam 52
VI. An vna enuntiatio ſit altera verior 53
VII. Quodnam ſit diffinitum in diffinitione orationis ib.
Quæſt. vnica de ſubiectis ſint ne vera, ea quæ ab Ariſt. in hoc cap. traduntur 59

Sectionis vnicæ de futuris contingentibus quæſt.

Quæſt. I. Dentur ne aliqui effectus contingentes 67
II. Quænam ſit radix contingentiæ in rebus ipſis 70
III. Num contingens quando eſt ſit neceſſarium, vel contingens 72
IV. An propoſitiones futuri contingentis ſint determinatæ veræ 73

LIBER II.

De interpretatione.

Cap. I. De enuntiationibus infinitis 76
II. De propoſitione vna & multiplici, & qua ratione liceat argument. à diuiſis ad coniuncta & econuerſa 80
III. De enuntiationibus modificatis 82
IV. Digreſſio de propoſitionibus modificatis 91
V. Declaratio quarundam quæſtionum 93

LIBER II.

De Priori Analyſi.

Prolegomena operis 98
Cap. I. De quibuſdam definitionibus & diuiſionibus 99
II. De reciprocatione propoſitionum 1[illegible]1
III. De conuerſione modificatarum propoſitionum 103
IV. De prima figura 105
V. De ſecunda figura 109
VI. De tertia figura 112
VII. De varia pronuntiatorum coniugatione 117
VIII. Qua ratione ſequatur concluſio ex mixtione ibid.
IX. De ſecund[illegible] figura 118
X. D[illegible] tertia fig[illegible]ra 119
XI. De ſyllogiſmis conſtantibus propoſitionibus modificatis, modis contingentis effectus 121
XII. De coniunctione contingentis & abſoluti in prima figura 123
XIII. De m[illegible]xtione neceſſarii & cont[illegible]ngents 125
XIV. D[illegible] ratiocinationibus ex ambabus pronuntiatis contingentibus in 2. fi[illegible] 126
[illegible] earum enunciationum, quæ quid eſſe dicunt, & quid accider[illegible]

accidere,in ſecunda figura 127
XVI. Diſpoſitio neceſſarii & accidentis in 2. figura 128
XVII. De ratiocinationibus,quæ ex ambobus contingentibus in 3 figura ſtruuntur 129
XVIII. Coniunctio accidentis & abſoluti in 3.fig. ibid.
XIX. Connexio neceſſarii ac contingentis in 3.fig. 130
XX. Omnem ratiocinationem debere ad 3. illas fig. quas attulimus,reuocari 131
XXI. Argumentationem ex hypotheſi & ex tranſſumptione ſub his figuris comprehendi 132
XXII. De quibuſdam rheorematibus 137
XXIII. Omnem ratiocinationem conſtare tribus terminis 135
XXIV. Omnem ratiocinationem conſtare duobus pronuntiatis 136
XXV. Quænam quæſtiones facilius & quæ difficilius confirmentur 137
XXVI. De copia pronuntiatorum paranda 138
XXVII. De inuentione medii in ratiocinationibus 141
XXVIII. Hanc methodum deſcribere etiam ratiocinationẽ ex hypotheſi 147
XXIX. Nullam aliam methodum præter hanc poſſe ad inueniendum medium excogitari 148
XXX. Methodus diuiſionis reprehenditur 149
XXXI. De ratiocinationum reſolutione 151
XXXII. Alius error proponitur 153
XXXIII. Traduntur quædam theoremata 154
XXXIV. Alia quædam theoremata traduntur 155
XXXV. Adducuntur & alia 156
XXXVI. Syllogiſmos hypotheticos difficile reuocari ad modos figurarum 157
XXXVII. Qua ratione ſyllogiſmi effectu iuxta tres præfatas figuras debeant mutuo inter ſe reſolui 158
XXXVIII. De propoſitionibus infinitis in argumentatione 159

LIBER II.

De Priori Analyſi.

CAPVT I.

Eundem ſyllogiſmum poſſe inferre varias concluſiones 163
II. Qua ratione ex falſis ſequatur verum 164
III. De 2. figura 167
IV. De 3.figura 168
V. De 3.figura 192
VI. De reciprocatione ſyllogiſmorum 192
VII. De 2.figura 193
VIII. De 3.figura ibid.
IX. De ſyllogiſmo ducente ad incommodum 194
X. De ſecunda figura 195

XI. De tertia figura ibid.
XII. De comparatione ſyllogiſmi directi ducente ad incommodum 197
XIII. De ratiocinatione ex contrariis 198
XIV. De petitione principii 199
XV. De altero argumentationis vitio 200
XVI. De falſa ratiocinatione 201
XVII. De errore ſecundum opinionem 202
XVIII. De reciprocatione in ſyllogiſmis 2Lc
XIX. De inductione 205
XX. De exemplo 206
XX. & XXI. De abductione & inſtantia 207
XXII. De conſentaneo & ſigno 208
XXIII. De Enthyemmate ibid.
XXIV. De ſyllogiſmo phyſionomico 209

Sectionis vnicæ de Priori analyſi quæſt.

Quæſt. I. Num ſit optima diffinitio ſyllogiſmi ab Ariſt. propoſita 210
II. An in diffinitione ſyllogiſmi addi debeat hæc particula & conceſſis 212
III. An concluſio ſit pars ſyllogiſmi 213
IV. Argumentatio vitioſa an vocari debeat ſimpliciter argumentatio 215
V. An ſyllogiſmus inductio, enthymema & exemplum differant ſpecie 216
VI. Deturne quarta figura necne 217

Sectionis vnicæ proœmialium de demonſtratione quæſt.

Quæſt. I. De ordine horum librorum ad alias partes Dialect. 221
II. Quænam ſit materia ſubiecta huius libri 223
III. Quænam ſit huius operis inſcriptio 224
IV. An hi libri ſint neceſſarii ad alias partes Philoſophiæ conſequendas 225

PROLEGOMENON V.

De diuiſione operis, & methodo in eo obſeruata 226
Cap. I. Quæ ante demonſtrationem debeant prænoſci 227

Sectionis vnicæ in caput primum quæſt.

Quæſt. I. Sint ne vera quæ ab Ariſt. in cap. 1 de demonſtra. tradita fuerunt 233
II. An de ſubiecto illud exiſtere prænoſcere debeamus 234
III. An aliqua ſcientia poſſit confirmare ſuum ſubiectum eſſe 237
IV Sitne de ſubiecto prænoſcendum ſolum quid-nominis, non autem rei 238
V. An de proprietate quid rei, vel quid nominis prænoſcere debeamus 240
VI. An de proprietate prænoſci debeat an ſit 251
VII. An de principiis ſolum prænoſci debeat illa eſſe vera 243
VIII. An concluſio demonſt. cognoſci poſſit ante demonſt. 244
IX. An propoſitio cognoſcatur prius tempore, quam concluſio 245
X. An concluſio ſimul cognoſcatur cum præmiſſis 246
XI. An eadem actione intellectus cognoſcantur præmiſſæ & concluſio 248

Cap.II.De definitionibus ſcientiæ & demonſtrationis 250

Sectionis vnica in caput ſecundum de demonſt. quaſt.

Quæſt.I.Sintne vera quæ ab Ariſt.in hoc cap.tradita fuerunt 255
II.Sitne optime tradita diffinitio ſcientiæ 256
III. Sitne accurata prima definitio demonſtrationis 259
IV.Sitne definitio 2.demonſt.accurata 261
V.Num demonſtratio per ſolam cauſam in eſſendo progrediatur 262
VI.An demonſt.ex notioribus nobis,vel natura progrediatur 263
VII.Num propoſitio immediata ſit illa,quæ non habet medium à quo queat confirmari 266
VIII.Sit ne verum illud pronuntiatum Ariſt.propter vnum quodq; &c. 268
IX.An intellectus certius & euidentius, & intenſius feratur in principia quā in concluſiones 270
X.An habitus principiorum ſit nobilior habitu concluſionis 271
Cap.III. Errorum quorundam definitio 273

Sectionis vnica in cap.3.de demonſtr.quaſt.

Quæſt.I.An detur demonſt.in orbem 276
II.Quænam ſit propoſitio per ſe nota 278
III An propoſitio in qua prædicatur proprietas de ſubiecto ſit per ſe nota 281
IV.An omnis propoſitio per ſe nota ſit etiam nobis nota 284
Cap.IV.De modis dicendi per ſe 286

Sectionis vnica circa cap.4. quaſt.

Quæſt.I.An diffinitio de omni ſit accurata 290
II.An ſint tantum quatuor modi dicendi per ſe 291
III.An ſit optime traditus primus modus dicendi per ſe 293
IV.An ſecundus modus dicendi per ſe recte fuerit ab Ariſt.aſſignatus 294
V.An illa propoſitio, in qua proprietas ſuperioris prædicatur de inferiori ſit in ſecundo modo 295
VI.An 4.modus ſpectet ad ſolas cauſas extrinſecas 301
VII.Quinam modi ſint conficiendis demonſtrationibus apti 303
VIII.An propoſitio poſſit in aliam conuerti,quæ ſit per ſe 306
Cap.5.De erroribus,qui eueniunt circa attributum vniuerſum 309

Sectionis vnica cap.5.de attributo quaſt.

Quæſt.I. Sit ne accurata diffinitio attributi vniuerſi 312
II. An attributum vniuerſum reperiri poſſit extra ſuum proprium & immediatum ſubiectum 314
Cap.VI.Demonſtrationem conſtare ex neceſſariis 315

Sectionis vnica cap 6 quaſt.

Quæſt.I. An corrupta re quæ ſcitur & ſcientia quoque debeat corrumpi 319
II.An accidentia inſeparabilia neceſſario inſint ſubiecto 320
III An omnis propoſitio per ſe ſit etiam neceſſaria 322
IV.An ſit proprium demonſt.conſtare ex propoſitionibus neceſſariis 323
V.An medium demonſtrationis poſſit eſſe contingens 325

Cap. VIII. Demonſtrat conſtare ex proprijs & non alienis principiis 326

Sectionis vnica cap. 7. quæſt.

Quæſt. I. Sintne vera quæ tradita ſunt ab Ariſt. in cap. 7. de demonſtratio. 331.

II. An aliqua ſcientia poſſit confirmare ſua principia 333

Quæſt. vnica An prima principia ingrediantur demonſtrationem 339

Cap. VIII. Demonſtrationem conſtare ex propriis principiis 335

IX. In qualibet ſcientias dari proprias interrogationes 341

X. De vtraque demonſtratione quia, & propter quid. 346

Sectionis prima cap. 10. quæſt.

Quæſt. I. An demonſtratio quia, & propter quid ſpecie differant 351

II. Num demonſt. quia ſit vocanda ſimpliciter demonſtratio 354

III. Num demonſt. quia optime diuidatur in demonſtr. à cauſa remota & ab effectu 356

IV. An demonſtra. per cauſſam remotam in ſola ſecunda figura fieri poſſit 359

V. An demonſtr. quæ ab effectu progreditur ſit nobilior ea, quę petitur à cauſa remota 360

VI. An ſint tantum duæ ſpecies demonſtra. quia & propter quid 361

Sectionis ſecunda quæſt.

Quæſt. I. Quæ ad ſcientiarum ſubalternationem requirantur 365

II. An obiectum ſcientiæ ſubalternatæ ſit vnum per ſe 367

III. Qua ratione ſcientiæ ſubalternatæ in ſua obiecta ferantur 371

Cap. XI. Primam figuram eſſe demonſtrationibus conficiendis accommodatam 374

XII. De ignorantia contraria ſcientiæ 377

XIII. De ignorantia probæ affectionis propoſitionis immediatæ 380

XIV. De ignorantia ſimplicis negationis 382

Quæſt. IV. An ſcientia ſubalternans progrediatur per cauſam remotam 374

Quæſt vnica. An deficiente ſenſu deficiat etiam ſcientia 382

Duæ aliæ quæſt. explicantur 387

Cap. XV. De quibuſdam theorematibus 384

XVI. Inter duo extrema finita non dari media infinita 386

XVII. De aliis duabus quæſtionibus 387

XVIII. Non poſſe dari attributa infinita 388

XIX. De quibuſdam conſectariis 391

XX. An demonſtratio vniuerſalis ſit præſtantior particulari 392

XXI. Demonſtrationem aientem nobiliorem eſſe negante 395

XXII. Demonſtrationem directam nobiliorem eſſe ducente ad incommodum 396

Sect. vnic. in cap. 16. & al. quæſt.

Quæſt. I. Poſſitne dari in attributis progreſſus in infinitum 398

II. An demonſtratio vniuerſa ſit nobilior particulari 399
III. An demonſtratio aiens ſit nobilior negante 401
IV. An demonſtratio directa nobilior ſit ducente ad impoſſibile 402
Cap. XXIII. De quibuſdam theorematibus 404
Sect. vnic. in cap. 23. quæſt.
Quæſt. I. A quo petant ſcientiæ ſuam vnitatem 405
II. An ſit omnium entium vna ſcientia ſecundum ſpeciem 411
Cap. XXIV. Quarum rerum detur ſcientia 415
XXV. Non eſſe eadem principia omnium ratiocinationum 415
XXVI. Quo pacto differat ſcientia & opinio 416
XXVII. De ſolertia 408
Sect. vnic. in cap. 26. quæſt.
Quæſt. I. An opinio ſit habitus 419
II. An eſſe cum formidine ſit de natura opinionis 421
III. An euidentia ſit de ratione ſcientiæ 425
IV. An ſcientia differat à fide & ab opinione 428
V. An ſcientia & opinio poſſint eſſe ſimul in eodem, de vna & eadem re 430
LIBER II. DE DEMONSTRATIONE.
Cap. I. Quatuor eſſe genera quæſtionum 436
II. Quæſtionem omnem eſſe medii 437
III. Proponuntur quædam quæſtiones 438
IV. Non poſſe definitionem de definito per aliam definitionem concludi, 440
V. Definitionem non poſſe de definito per diuiſionem demonſtrari 441
VI. Non poſſe demonſtrari definitionem de definito neque per definitionem definitionis, neque per definitionem contrarii 443
VII. Definitionem minime poſſe de re definita demonſtrari 444
VIII. Qua ratione vna definitio per aliam concludatur 445
IX. Definitionem in demonſtratione nobis manifeſtari vt cauſam 446
X. Quid ſit definitio 447
XI. An per omnia cauſarum genera demonſtrationes effici poſſint 448
XII. Quo pacto liceat argumentari in cauſis ac effectibus, quæ non reciprocantur 451
XIII. In rebus naturalibus dari circulum 452
XIV. Qua ratione inueſtigetur definitio 453
XV. De quibuſdam theorematibus 457
XVI. De quodam diuiſionis vſu, & qua ratione quæſtiones dicantur eædem 457
XVII. De conſecutione cauſarum ac effectuum 459
Vlt. De habitu primorum principiorum 462
Sect. vnic. lib. 2. de demonſtrat. quæſt.
Quæſt. I. Num ſint vera, quæ de quæſtionibus in primo capite docuerat Ariſtoteles 464
II. An definit. proprietat. ſit medium potiſſimæ demonſtrat. 465

III. An prima principia ſint naturaliter cognita 469
IV. Sitne habitus primorum principiorum nobis inditus à natura 470
VIt. An experientia ſit neceſſaria ad cognoſcenda prima principia 474

LIBER VNVS, DE LOCIS DIALECTICIS.

Sect. I.

Cap. I. Inſtitutum huius diſputationis,& vtilitas 478
II. Quid ſit ratiocinatio dialectica 479
III. Quid propoſitio & quæſtio dialectica, & quotuplex 480
IV. Quid locus, & quotuplex 481

Sect. II.

Cap. I. De loco à definitione 482
II. De loco ab etymologia 484
III. De loco à genere 485
IV. De loco à coniugatis ibid.
V. De loco à partibus ad totum, & contra 486
VI. De loco à forma 487
VII. De loco à materia 489
VIII. De loco à fine 490
IX. De loco ab efficiente 491
X. De loco ab antecedentibus & conſequentibus 493

Sect. III.

DE LOCIS EXTERNIS.

Cap. I. De loco à contrariis 495
II. De loco à comparatis 497
III. De loco à teſtimonio 500

DE REPREHENSIONIBVS SOPHISTARVM,

Liber Vnus 501
Concluſio Operis, & Authoris peroratio 506

Finis Indicis Capitum & Quæſtionum.

COM-

COMMENTARIA IN DIALECTICAM ARISTOTELIS, VNA cum quæſtionibus, quæ à grauiſſimis viris diſputari ſolent.

AVCTORE F. DIDACO MASIO VALENTINO, Ordinis Prædicatorum, ingenuarum artium, & ſacræ Theologiæ Doctore, eiuſdemq; in florentiſſima Valentinorum Academia publico Profeſſore.

Quæſtionum procemialium Sectio prima, in qua de natura Logicæ diſputatur.

QVÆSTIO PRIMA

In qua variæ ſignificationes Dialecticæ, & diffinitiones explicantur.

SAPIENTER maiores noſtri, quorum in rebus omnibus, eximiam eruditionem, & in diſciplinis tradēdis, ſingularem quandam methodum admirari debemus, communi conſenſu inſtituerũt, in omnibus ſcientiis, omnibuſque diſciplinis, prius nonnulla eſſe proponenda, ante operis exordium, quæ aditum præbere, viamque ad ipſum opus intelligendum, diſponere poſſint, & præparare. Quod certe inſtitutum, cum in omnibus artibus & diſciplinis, tum vel maxime in Dialectica, priores Philoſophi, religioſiſſime obſeruarunt. In illa ſiquidem, nonnullas quæſtiones, ſtatim in ingreſſu propoſuerunt, in quibus Dialecticæ naturam, illiuſque in aliis ſcientiis. & diſciplinis neceſſitatem, explicatam reliquerunt: quorum veſtigiis inhærentes, has eaſdem quæſtiones, prius præfabimur, in quibus (ni fallimur) ea omnia quæ ad naturam Dialecticæ explicandam, & quæ ad hæc intelligenda, neceſſaria erunt, perſpicue & qua (nobis licuerit) facilitate proponemus. Diuiſimus autem has quæſtiones, quas procemiales communi nomine dicimus (alii prolegomena vocant) in duas partes, vel ſectiones potiſſimas: in quarum prima de natura Dialecticæ, obiecto, fine, & partibus, diſputamus. In ſecunda vero, de neceſſitate, & methodo, qua inuenta fuit, & tradita ab Ariſtot. & quamuis multi in tradenda Dialectica, aliunde duxerint initium, nobis aliis rationibus exordiendi præmiſſis, a diffinitione, quæ rei naturam explicat, viſum eſt auſpicari Platonis, Ariſt & Ciceronis, in hac re parentibus præceptis: qui in omni, quæ cum ratione inſtituitur diſputatione, præcipiunt, a diffinitione rei de qua agitur, eſſe exordiendum. Verum quia, quæ ſunt ambigua variaſq; habent ſignificationes, ſunt prius diſtinguenda, quam definiēda, ne multiplici nominis ſignificatione perturbemur: ſitq; Dialecticæ nomen ambiguum, erunt prius, variæ illius ſignificationes proponendæ. Alexander Aphrodiſæus *in Comment. in Top. Ariſt.* quatuor opponit Dialecticæ ſignificationes. Prima, in qua iuxta Stoicos ſumitur, pro arte bene dicendi, vel vt interpretatur Cicero *in Topicis*, pro ea parte, quæ de iudicio diſputat, quod tantum fit ſyllogiſmo: vnde Dialecticam ſumebant tantum pro parte, quæ agit de ſyllogiſmo. Secunda eſt, qua apud Platonem *in Phœdro*, ſignificat artem diuidendi vnum in plura, vel colligendi plura, in vnum: aut qua ſignificat artem, diffiniendi & diuidendi. Nam beneficio diuiſionis, vnum diuiditur in plura, beneficio vero diffinitionis, plura colliguntur in vnum. Tertia eſt frequens apud Ariſtot. & Peripateticos, qua ſignificat artem diſſerendi ex probabilibus, vt conſtat ex Ariſt. 1 *Topi. cap.* 1. vbi Dialecticam diffinit, artem diſſerendi, de quacunq; quæſtione, ex probabilibus & 1. Priorum cap 1. vt promitteret ſe traditurum han-

1. Significa. Dial.

2. Significatio.

3 Significatio.

Digitized by Google

artem diſputandi ex probabilibus, inquit hanc rem, in negotio, quod de Dialectica eſt, præſtabimus, & 2. *de reprehenſionibus Sophiſtarum cap.*10. in hac eadem ſignificatione, nomen Dialecticæ vſurpat. Primo item Rhetoricorum, *cap.*3. *&* 2. *ca.*24. ad Dialecticam reuocat, quæcunque in libris Topicorum, & de reprehenſionibus Sophiſtarum fuerunt pertractata. Non certe ob aliam cauſam, niſi, quia nomine Dialecticæ, intellexit artem diſputandi, ex probabilibus, quæ in libris Topicorum, & Elenchorum explicatur. Sumendam autem eſſe Dialecticam in hac ſignificatione, ſi verbum Græcum, a quo illa deriuatur, inſpiciamus, conſtare poterit apertiſſime, deriuatur enim a verbo διαλέγεσθαι, quod ſignificat colloqui, vel confabulari, interrogando, & reſpondendo, vnde dicitur dialogus: qui a Laertio *in vita Platonis*, & a Suida, diffinitur ſermo ex interrogatione, & reſponſione compoſitus, de re aliqua ad Philoſophiam, aut rem publicam pertinente, cum decente perſonarum, & verborum expreſſione. Verum quoniam in huiuſmodi dialogis, Philoſophi tractare ſolebant quæſtiones, non exquiſita, & analytica, ſed communi & probabili ratione, inde effectum eſt, vt ars quæ tradit rationem diſputandi probabiliter, communibuſq; & popularibus argumentis, dicta fuerit Dialectica. Quarta ſignificatio eſt; qua apud pleroſq; Peripateticos, ſignificat totam artem, quę ambit rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, ex neceſſariis, probabilibus, & apparentibus, in qua ſumitur a grauiſſimis viris, Boetio, *ſuper Topica Ciceronis*, *Rodolpho Agricola*, 1. *de inuentione Dialectica*, *Ludouico Viues*, *lib.*3 *de corruptis diſciplinis*, *Perionio*, *Trapezuntio*, *Pachimerio*, *Titelmano*, *initio ſuarum Dialecticarum*, *Nunneſio in libro de conſtitutione artis Dialecticæ*, *&* *a multis aliis*, quos ob breuitatē prætermitto, nam hęc eſt communis fere, apud omnes Dialecticos, huius vocis ſignificatio. Omitto Matthiſium, *cap* 1 *ſuper Topica*, *Ludouicum Lemoſium*, *libro primo Paradoxorum Dialecticorum*, *errore* 1. *&* 3. *Nicolaum Gruchium*, *in libello de nominibus Logicæ*, *&* *Dialecticæ*, *&* *Baptiſtā Menlorium*, *in præfatione ſua*, *in priora Ariſt.* qui contendunt ſaltem apud Ariſtotelem, Dialecticam non poſſe ſumi pro tota arte, neq; eſſe locum apud ipſum, in quo in hac ſignificatione vſurpetur. Falluntur tamē, quia Ariſt. 1. *Rheto. ad Theodectem cap.* 2. hanc vocem, pro tota arte vſurpat, nam ita inquit. Enthimema quidam ſyllogiſmus eſt, agere autem de omni ſyllogiſmo, aut eſt totius, aut partis Dialecticæ. Ex qua auctoritate colligimus, Dialecticam ſumi pro ea arte quæ diſputat de omni ſyllogiſmo: ſed hæc non eſt ſola pars Topica, ſed vniuerſa ars diſſerendi, quæ diſputat de omni ſyllogiſmo, in libris quidem de priori Analyſi in communi, in libris de poſteriori de ſyllogiſmo neceſſario, in libris Topicorum de probabili, & Elenchorum de apparenti. Sumitur igitur apud Ariſt. Dialectica, pro tota arte, & non tantum pro parte probabili.

ſirmatur ipſum vo- etymolo-

nde in- ctum ne- m Dialectica.

ductre ro hac ſi- ificatione.

Matthiſius. emoſius. nprobatur rū auct.- itas qui vo- unt diale- icam non ſſe ſumi ro tota arte ſſerendi.

Ex his, tribus prioribus ſignificationibus prętermiſſis, erit a nobis quarta retinenda: agendum ſiquidem eſt de tota arte diſſerēdi, ac proinde vſurpanda erit illa ſignificatio Dialecticæ, quæ totam artem ſignificat. Et quia hæc eadem ars, a grauiſſimis viris vocatur Logica, vt conſtat ex Alexandro Aphrodiſæo, *in Commentariis in Topica Ariſt. lib* 1. *c.*9. & a Seuerino Boetio, *in Commentariis in Topica Ciceronis*: proinde Dialectica in hac ſignificatione, in qua vſurpatur a nobis, idem erit quod Logica. Illud tamen ſciendum erit, Logicam deductam & diriuatam eſſe, a nomine Græco λόγος quod inter alia, vt optime adnotat Nunneſius *in Comment. in libell. de conſtitut. artis Dialecticæ*, duo ſignificat, ſermonem, & argumentum: nam Ariſtot. 1. *poſteriorum cap.* 8. duplex conſtituit λόγοι, internum, & externum. Internum ſignificat rationem, vel argumentum. Externum vero, ſermonem & orationem, vt igitur Logica ſumitur pro arte diſſerendi, non deriuatur a nomine λόγος, vt ſignificat ſermonem: nam hac ratione, non tantum amplectitur illam, veram etiam, Grammaticam & Rhetoricam, quę in ſermone, & oratione verſantur. Grammatica in congruo, Rhetorica in perpolito, & Dialectica in vero, vel falſo: Sed deriuabitur ab hoc nomine, vt ſignificat argumentum, quia tota Logica poſita eſt in explicanda natura, & eſſentia argumentationis. Nam cum argumentatio duabus partibus conſtet, inuentione, & iudicio, hoc certe in Logica mirabiliter præſtat Ariſt. nam vtriuſque partis rationē, ita abſoluit, vt nihil ſupra queat deſiderari. Etenim cum ad inuentionem ſpectet inueſtigare medium argumentationis, quod vtrumq; extremum, maius, & minus connectat: & ad iudicium ſpectet, tria hæc extrema inter ſe connectere, variiſq; modis, iuxta varias formas figurarum diſponere. Hoc Ariſt in genere quidem, in libris de priori Analyſi, in ſpecie vero, in libris de poſteriori, Topicorum, & de reprehenſionibus Sophiſtarum egregie præſtitit.

Quarta ſignificatio eſt maxime Philoſophica.

Ars diſſerendi appellatur & logica.

Quo ſenſu ex etymo oſtenditur.

Ex his colligere licebit Logicam, & Dialecticam, aliquando eſſe res inter ſe diuerſas, & artes diſtinctas, & aliquando eſſe rem vnam, & eandem: nam ſi ſumpta fuerit Dialectica, in quarta

Conſectar.

ſigni-

ſignificatione, & Logica in ſecunda, vt deriuatur a nomine λόγος interno, qua ratione ſignificat argumẽtationem (ſub cuius imperio continentur diffinitio, & diuiſio, quæ ad illam ſunt neceſſaria) erunt vnum, & idem, nam vtraque ambit totam artem, quæ in diffinitionem, diuiſionem, & argumentationem eſt diſtributa. Si vero ſumpta fuerit Dialectica in tertia ſignificatione, & Logica in prima, vt deriuatur a λόγος, qua ratione ſignificat ſermonem, & orationem, non erunt inter ſe res diſtinctæ, ſed Dialectica ſub Logica, tanquam pars ſub toto comprehendetur, vt Diogenes Laertius docet *in vita Ariſto.* cum enim ille diuiſiſſet Philoſophiam in Philoſophiam contemplationis, & actionis, priorem in duas alias partes diſtinxit, in Logicam, ſcilicet, & naturalem. Logicę prætcrea partes, facit Rhetoricam, & Dialecticam. Et quidem cum Logica in hac ſignificatione ſit ſcientia ſermocinalis, quæ nimirum in ſermone verſatur, Dialecticaque verſetur in ſermone probabili, vel fidem faciente, merito ſub Logica tanquam pars ſub toto cõprehendetur, quemadmodum Rhetorica & Poeſis, quæ etiam verſantur in ſermone.

Præterea alia ratione explicare poſſumus Logicam, & Dialecticam, eſſe artes inter ſe diſtinctas, & eſſe vnam, & eandem, ſumpta etiam Dialectica, in tertia ſignificatione, & logica, vt ſignificat rationem argumentandi: nam Dialectica ſumi poteſt, pro ea parte quæ tradit rationẽ inueniendi argumenta probabilia: vel pro alia, qua iam inuento medio probabili, ad quæſtionem explicandam, conficit argumentum, connectitq; medium cum extremis, quod ad iudiciũ ſpectat. Primo modo, vt tradit inuentionẽ argumenti probabilis, ars eſt diſtincta, & ſeparata a Logica, quemadmodum & Rhetorica, quæ cum Dialectica habet maximam affinitatem, eſt quoq; ab illa diſtincta. Nam Logica, nõ tradit loca communia, ſed ſolam rationem conficiendi argumentationem, & connectendi medium, cum extremis, in omni materia, tam neceſſaria, quam probabili, quã apparenti. Et hac ratione ſumpta Dialectica, dicitur ars quædam localis, id eſt ars, quę præbet loca quędam communia, & generalia, ex quibus eruantur argumenta probabilia ad omnem quæſtionem propoſitam explicandam. Qua ratione grauiſſimi viri, aliquando ſeparant Logicã a Dialectica, vt videre licet in Alexandro Aphrodiſæo, *in cap. ſecundum* 1. *Top.* vbi explicans vtilitates Dialecticæ, in aliis artibus a ſe diſtinctis, inquit, eſſe vtilem, ad Rhetoricam, & Logicam. In eadem ſententia eſt Plotinus, grauiſſimus Platonicus, *Æneade prima, libro de Dialectica*, imo & Ariſt. diſtinguit logicã a Dialectica: primo Topicorum, *cap. 9.* inquiens Dialecticam, prodeſſe ad quæſtiones naturales, morales, & Logicas, aperte diſtinguit Dialecticam a Logica. Si vero ſumpta fuerit Dialectica, pro alterã parte, nimirum iudicio, quo ſcilicet, iam inuento medio ad quæſtionem explicandam, illud connectit cum extremis, in modo, & figura, traditque leges ad huiuſmodi argumentationes conficiendas, erit pars legitima logicæ: nam conficere argumentationes, munus eſt illius. Verum, quia in argumentationibus conficiendis, aliquando mediũ vnitur cum extremis, in materia neceſſaria: aliquando in materia probabili, & aliquando in apparenti: propterea logica, erit diſtributa in has tres partes, Analyticam, Topicam, & ſophiſticam, in quarum prima, tradit leges connectendi medium, cum extremis, in materia neceſſaria, in ſecunda, connectendi in materia probabili, & in tertia, in materia apparenti. Et hac ratione ſæpe Ariſt. logicam ſumit pro dialectica, nam *3. phyſic. cap. 5. & 1. de cœlo, & in aliis ſexcentis locis*, rationes probabiles, quæ ſunt propriæ Dialecticę, vocat rationes logicas: non certe ob aliam cauſam, niſi quia intelligebat, Logicam, & Dialecticam hac ratione, eſſe vnum, & idem. Patefacta igitur nominis Dialecticæ, multiplici ſignificatione, tradendæ erunt diffinitiones ipſius, in quarta ſignificatione, in qua ſumitur pro tota arte diſſerendi, & ſignificat idem quod logica, (nam deinceps nomine Dialecticę, Logicam intelligimus) Variæ proponuntur ab auctoribus Dialecticæ diffinitiones. Cicero *in libris de fato*, ita eam diffinit. Diligentem rationem diſſerendi. Quæ diffinitio, petita eſt ab officio illius, nam officium Dialectici, eſt diligenter, de rebus diſputare. *Prima diffinitio Dial.* Diuus Iſidorus *ſecundo libro Etymolog* diffinit illam ſcientiam definiendi, inquirendi, & diſſerendi, quæ docet diſputando, quemadmodum vera & falſa diiudicentur, quã diffinitionem multi amplectuntur, vt videre licet in M Soto *q 1 Proœmiali*. *2. Diffinitio* Alii hanc proponunt diffinitionem Dialectica eſt ars, quæ tradit rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, & quæcunq; ad hæc fuerint neceſſaria. Illam proponit Monlorius *in præfatione Priorum*, quam immerito reprehendit Nunneſius, *in Cõment. in libell. de conſt. artis Dialecticæ:* quia inquit, hæc potius eſt diuiſio Dialecticæ in ſuas partes, quam diffinitio, & propter hanc eandem rationem, reprehendit hanc alteram Dialectica eſt ars inueniendi, & iudicandi. Quia inuentio & iudicium, partes ſunt, in quas dialectica diuiditur Animaduertere ſiquidem debuiſſet, inter *3. Diffinitio.*

alias formas diffiniendi a Dialecticis propoſitas, vnam eſſe, qua diffinitur totũ per diuiſionẽ in ſuas partes, vt in poſt-Categoriis agentes de diffinitione, oſtendemus. Nam Rhetoricam optime ita diffinimus. Artem inueniẽdi, & iudicandi, cũ recta memoria, decenti actione, & ornato ſermone. In qua diffinitione definitur Rhethorica, quæ eſt totum quoddam, per inuenire, iudicare, & per alia, quæ ſunt partes ipſius. Alia definitio eſt, quæ noſtro inſtituto magis eſt accommodata, & multo melior, quia naturam rei definitæ, magis explicare videtur, parum differens a ſuperiori, ea ſic ſe habet. *Diffinitio.* Dialectica eſt ſcientia ſpeculatiua, entium rationis, quæ ad definiendum, diuidendum, & argumentandũ, ſunt deſtinata. Quam proponit M. Eruditiſ. Vincentius Iuſtin *1. lib. Inſtitutionum Dialecticarum, c.2.* Conſtat hæc definitio vero genere, & differentiis: nam ſcientia quę eſt prima particula illius, eſt verum genus Dialecticæ. Reliquæ partes locum obtinent differentiæ: nam per ſecundam particulam, quæ eſt ſpeculatiua, ſeparatur Dialectica a Philoſophia morum, & ab aliis ſcientiis quæ in praxi, aut effectione verſantur. Per tertiã ſeparatur a Philoſophia naturæ, Metaphyſica, & Mathematicis artibus, quæ ſunt ſpeculatiuæ, entium rei. Per vltimam vero, ſecernitur a Grãmatica Rhetorica, Poeſi, Hiſtoria, & ab aliis quę verſantur in ente rationis, quod congruitatem, aut ornatum ſermonem, aut menſuram ſyllabarum ſignificat. Dialectica enim in his non verſatur, ſed in ratione definiendi, diuidendi, & argumentandi, quæ nihil aliud eſt quam ratio quædam, methodi generalis ad omnes ſcientias capeſcendas, omnino neceſſaria.

Propoſita igitur vera & legitima diffinitione, ſequentes methodum ſoluendę finitionis, iuxta quam propoſita generali diffinitione, in principio artis, illa deinde diſſoluitur in ſingulas partes diffinientes: in his quæſtionibus proœmialibus, in quibus explicare conabimur naturam Dialecticæ, ſingulas huius diffinitionis particulas, diſſoluemus. Explicabimuſq; in illis, qua ratione Dialectica ſit ſcientia. ſit ſpeculatiua, & verſetur in ente rationis, quod ad diffiniendum, diuidendum, & argumentandum, eſt deſtinatum. In quibus primam ſectionem huius noſtræ diſputationis de natura Logicæ explicatam proponemus. Verum quia hæc explicari probe nequeunt, niſi prius fuerit generalis quædam artium diuiſio propoſita (præceptum enim eſt ab Ariſt. 2. *lib. Poſteri. c. 14.* methodum inueſtigandi legitimas definitiones eſſe per diuiſionem ſuperiorum) propterea erit hæc diuiſio in quæſtione ſequenti explicanda.

QVÆSTIO II.

In qua ad explicandam naturam Dialectica generalis quadam, artium, & ſcientiarum diuiſio proponitur.

MVlti grauiſſimi viri maximam ex hac diſputatione vtilitatem intelligentes, veluti in carta quadam, generalem quandam, & vniuerſam ſcientiarum diuiſionem, delineatam nobis propoſuerunt, vt D. Th. *q. 5 ſuper Boetium de Trin. Auicena, in peculiari quadam de ſcient. diuiſione, diſputatione. Themiſtius in præfat. libr. Phyſic. Sueſanus libro 6. Metaph. q. 3. Iauellus 1. Ethic. cap. 1. M. Sotus. quæſt. 3. Fonſeca 2. libro Metaph. cap. 3. quæſt. 2 ſect. 5.* quam eandem conabimur in hac quæſtione, hos doctiſſimos viros ſecuti, explicare. Scientiæ igitur, & artes, *Prima diuiſio artium.* prima diuiſione, quæ ex materia petitur, diuiduntur, in eas quæ agunt de rebus, & in eas, quæ in ſermone verſantur. Primæ illæ, late funduntur, de quibus poſtea agemus. Quæ vero verſantur in ſermone (nomine ſermonis, vtrumq; internum, & externum, intelligentes) tres ſunt, Grammatica, Rhetorica, & Dialectica. Grãmatica, agit de ſermone congruo. Rhetorica, de ornato: & Dialectica, de vero, vel falſo. Hiſtoria vero, & Poeſis, quæ in ſermone quoq; verſantur, ad Rhetoricam reuocantur. a Quintiliano. *2 libro Inſtit. orator. cap 19.* flectunt enim hæ duæ artes animos, & commouent affectus, hiſtoria, rerum geſtarum præclara commemoratione. Poeſis vero, ligatæ orationis ſuaui numero, quæ duo propria ſunt, oratoriæ facultatis.

2. Diuiſio eſt, qua ratione finis, diuiduntur artes, & ſcientiæ, in practicas, & ſpeculatiuas. *2. Diuiſio.* Practicum ſiquidem, & ſpeculatiuũ, fine differunt, iuxta Ariſt. *lib. 3 de anima c. 10.* Speculatiuæ dicuntur. quarum finis eſt ſola veritatis cognitio, *ex 2. Metaph. c. 1.* Practicæ vero, quarum finis eſt operatio. Colligit Themiſtius *in præfat. libror. Phyſicor.* hanc diuiſionem, ex duplici facultate, quę in nobis reperitur, appetendi vna, & altera intelligendi: nam habitus illi, vel ſcientiæ, quæ illuſtrant mentem, & dirigunt intellectum, dicuntur ſpeculatiuæ, quæ intellectus eſt nobis ad ſpeculandum, & contemplandum, a natura tributus: alii vero habitus qui appetitum ornabunt, & dirigent voluntatem, vocandi erunt practici: eo quod, voluntas quam dirigunt, eſt principium praxis, & operationis. Præterea, practicæ aliæ ſunt actionis, & aliæ effectionis, vt docebat Ariſt. *6. Metaph. cap. 1.* Et enim cum ſit in nobis duplex operatio, vna immanens, vel poſtq. non remanet aliquod opus confectum, & altera tranſiens, vel poſtq. remanet opus ali-

quod

quod confectum, vt teſtatur Ariſt. 1. *Ethic. cap.* 1. illæ erunt vocandæ ſcientiæ, vel artes practicæ actionis, quarum finis eſt actio, poſtquam nullum opus confectum relinquitur, vt ſunt artes ſaltandi, pulſandi, equitandi, & laniſtandi, inter quas multorum iudicio, Philoſophia morum comprehenditur: nam illius finis eſt actio virtutis, poſtquam nullum ſupereſt opus confectum, quæ diſtributa eſt in Ethicam, Politicam, & Oeconomicam, vel in illam partem, quæ agit de gubernatione vnius priuatæ perſonæ, quæ dicitur Ethica, vel vnius familiæ, & vocatur œconomica, vel Reipublicæ, quæ Politica nuncupatur. Deinde artes illæ, quarum finis eſt actio, poſtquam ſupereſt opus aliquod confectum, vocãtur practicæ effectionis, quales ſunt omnes artes mechanicæ, vt domificatoria, fabrilis, & aliæ: nam poſt actionem erigendi domum, remanet ipſa domus confecta. Iterum diuiduntur hæ artes in præparantes materiam, conficientes opus, & vtentes opere confecto, vt in fræno, coriaria præparat corium, quod eſt illius materia, frenifactoria conficit opus, equeſtris vero vtitur freno confecto. Speculatiuæ vero diuiduntur in ſpeculatiuas rei & rationis, hæ ſecundi generis, ſunt illæ, quæ verſantur in natura entis rationis, e quorum numero princeps eſt Dialectica. Speculatiuæ vero rei dicuntur illæ, quæ in contemplanda natura entis rei verſantur. Sunt autem hæ tres illæ ab Ariſt. propoſitæ, *6 lib Metaphyſ cap 1.* Philoſophia naturæ, Metaphyſica, & Mathematicæ artes, quarum diuiſio egregia quadam ratione in loco ſuperiori colligitur in hunc modum a D. Thoma. Scientiæ ſpeculatiuæ ſunt diuidendæ iuxta obiectum ſpeculatiuum, ſed obiectum ſpeculatiuum eſt triplex, ergo tres erunt ſcientiæ ſpeculatiuæ. Maior propoſitio eſt aperta, minor ita confirmatur. Obiectum ſcientiæ ſpeculatiuæ debet eſſe ſeparatum a materia & motu: nam debet eſſe perpetuum & immateriale: vnde qua ratione ſeparatur a motu, erit perpetuum, nam motus eſt principium interitus, ea vero, qua ſeparatur a materia, erit immateriale: ſed tribus modis poteſt aliquid ſeparari a materia & motu, vel a materia ſenſili ſingulari, non tamen communi, qua ratione res erit obiectum Philoſophiæ naturæ, vel ſeparatur a materia ſenſili, nõ tamen intellectili, qua ratione eſt obiectum artium Mathematicarum, vel ſeparatur ab omni materia, tam ſenſili, quam intellectili, quo modo erit obiectum primæ Philoſophiæ: nam agit illa de Deo & intelligentiis, quæ neque re, neque ratione cum materia aliqua vniuntur, ergo. Reuocantur autem ad has tres ſcientias ſpeculatiuas, tanquam ad tria genera diuerſa, aliæ ſcientiæ ſpeculatiuæ, quæ harum videntur eſſe quædam ſpecies, nam ad Metaphyſicam referuntur ſacra Theologia, quæ agit de Deo per lumen ſupranaturale, & ius canonicũ quod eſt illius germen & fœtus, ſicut ius ciuile eſt fœtus Philoſophiæ morum. Ad Philoſophiam naturæ reuocatur Medicina, tanquam illi ſubalternata, & quæ ipſam Philoſophiam naturæ ſequitur: nam vbi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus, vt inquit Ariſt. *in principio libelli, de ſenſu & ſenſili.* Ad Mathematicas reuocantur Arithmetica & Geometria, quæ ſunt pure Mathematicæ, ex quibus Arithmetica diſputat de numero, Geometria vero de magnitudine, ad has eaſdem, aliæ quæ ſunt mixtæ Mathematicæ, ex Arithmetica, vel Geometria, & Philoſophia reducuntur, vt Aſtrologia, quæ agit de influxu Aſtrorum, Aſtronomia, quæ diſputat de diſtantia, aut aſpectu ſyderum & Planetarum. Muſica, quæ diſſerit de numero ſonoro. Perſpectiua de linea viſuali, & Geographica, de ſitu & magnitudine orbis, fluminumq; & ciuitatum deſcriptione.

3. Diuiſio eſt, qua ratione ordinis eædem ſcientiæ & artes diuiduntur in ſuperiores & inferiores. *3. Diuiſio.* Superiores dicuntur illæ, quibus aliæ præbent inſtrumenta, vt ſunt tres illæ partes Philoſophiæ ſpeculatiuæ recenſitæ, ſcilicet, Philoſophia naturæ, Metaphyſica, & Mathematicæ artes. Inferiores vero ſunt illæ, quæ deſeruiunt ſuperioribus, illiſq; inſtrumenta miniſtrant, quibus recte, & vt par eſt, poſſint ſua munera exercere. Sunt autem illæ ſeptem liberales, & totidem mechanicæ, quæ his carminibus fuerunt a veteribus optime expreſſæ:

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra,
Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Quæ carmina reddunt hunc ſenſum: In primo carmine, Lingua ſignificat Grammaticam: Tropus, Rhetoricam: Ratio, Dialecticam: Numerus, Arithmeticam: Tonus, Muſicam: Angulus, Geometriam: & Aſtra, Aſtrologiam. Et hæ ſunt ſeptem illæ artes, quæ communi nomine vocantur liberales. In ſecundo carmine proponuntur aliæ ſeptem artes mechanicæ, ex quibus Rus ſignificat agriculturam: nemus venationem: arma militarem: faber fabrilem: vulnera, chirurgiam: lana textoriam: & rates nauticam. Ex hac itaque generali artium diuiſione colligere profecto poterimus, ſub quibus generibus ſit Dialectica comprehenſa: nimirum, ſub artibus & ſcientiis ſpeculatiuis, quæ

Digitized by Google

in natura entis rationis explicanda verſantur. Quia tamen hæc egent maiori & accuratiori explicatione, erunt in quæſtionibus ſequentibus explicanda. Inprimiſque, ſitne ſcientia, necne? Verum quia ad probe intelligendam hãc quæſtionem, neceſſe eſt prius nouiſſe, num ſit recta illa diuiſio Dialecticæ, in docentem, & vtentem, hæc illico erit a nobis explicanda.

QVÆSTIO III.

An Dialectica ſit recte diuiſa in docentem & vtentem.

ESſe vitioſam, communem hanc, & protritam diuiſionem Dialecticæ, in docentem & vtentem, ita nititur Gruchius ſuadere. Si Dialectica eſſet hac ratione diuidenda: vel igitur docens & vtens ſunt vna & eadem res, vel diuerſæ: ſed ex his vtrumque eſt falſum: igitur non erit diuiſio accommodata. Confirmatur aſſumptio. Inprimis non eſſe res diuerſas, eſt aduerſus Græcos communis Latinorum opinio, quam nos in ſequentibus quæſtionibus explicabimus. Deinde, non eſſe vnam & eandem

Argum. rem, confirmatur primo. Si Dialectica docens & vtens eſſent idem, quemadmodum pars Analytica præbet præcepta, & tradit doctrinam omnibus diſciplinis, ita quoque haberet vſum in illis; hoc autem admittere eſt abſurdum: nam eſt proprium ſingulorum artificum in ſua

Argum. arte, vti præceptis analyticis: ergo. Secundo, Si Dialectica docens & vtens eſſent idem, ergo quæ dicuntur de docente, dicerentur quoq; de vtente, quare cum de docente profiteamur, eſſe ſcientiam, idem etiam profitendum erit de vtente, quod eſt aduerſus communem Latinorum opinionem, qui non vtentem, ſed ſolam docentem faciunt ſcientiam. Præterea ſi hæc

Argum. diuiſio eſſet accommodata, ſequeretur etiam, Grammaticam & Rhetoricam diuidi poſſe in docentes & vtentes: quia non eſt maior ratio de Dialectica, quam de illis: & præterea, quia ita præbent modos generales, ſeſe omnibus diſciplinis accommodantes, quemadmodum tradit ipſa Dialectica: quare ſi propter hunc modum generalem, quem tradit, eſt diuidenda in docentem & vtentem, Rhetorica quoque & Grammatica erunt in has duas partes diuidendæ: atqui hoc admittere, eſt abſurdum, nam fieret inde, has duas eſſe artes generales, cum haberent vſum in omnibus aliis diſciplinis, atq; ita eſſent plures, quam tres artifices generales, qui ſunt Metaphyſicus, Dialecticus, & Sophiſta, propoſiti ab Ariſt. *4. lib. Metaphyſ. cap.* 2. ergo Dialectica non erit optime diuiſa in docentem & vtentem.

In hac quæſtione diuerſæ ſunt, & multum inter ſe diſcrepantes grauiſſimorum virorum ſententiæ. Prima eſt Nicolai Gruchii *in libello, de nominibus Logica & Dialectica*, qui propter *Prima opinio.* argumenta primo loco effecta irridet hanc diuiſionem propoſitam, illamque, tanquam barbaram, minusque conſentaneam dictis Ariſt. ab omnibus ſcholis reiiciendam eſſe maxime cupit. Hanc eandem ſententiam amplectitur Nunneſius *in commentario libelli de conſtitut. Dialectica*, qui aduerſus hanc diuiſionem Latinorum eadem fere repetit argumenta, quæ a Gruchio fuerunt propoſita. Secunda opinio eſt *2. Opinio.* Græcorũ, quam explicat in eodem loco Nunneſius, Dialecticam eſſe diuidendam in auulſam & coniunctam: Auulſam vocant illam, quæ eſt conſtituta in præceptis; coniunctam vero quamlibet partem Philoſophiæ, quæ vtitur præceptis Dialecticis, quæ ex eo dicitur coniuncta, quia coniungitur cum rebus ipſis, vt Philoſophia naturæ, dicitur Dialectica coniuncta cum rebus: quia vtitur præceptis Dialecticis, illaque rebus philoſophicis accommodat: vnde auulſam vocarunt docentem, coniunctam vero vtentem, ex quorum opinione Dialectica vtens non erit idem habitus, qui eſt Dialecticæ docentis, ſed alius diuerſus: nam eſt quælibet pars Philoſophiæ, vt primæ, aut naturalis, ea ratione, qua vtitur præceptis Dialecticæ. Tertia opinio eſt, quam ſequitur Fonſe- *3. Opinio.* ca *2. lib. Metaphyſ. cap. vlt. q. 1. ſect. 6*, qui in parte topica admittit hanc diuiſionem Dialecticæ, in docentem & vtentem: in Analytica vero nõ admittit, nam putat, illam tantum habere doctrinam, & non vſum, commouetur auctoritate quadam D. Thomæ *4. lib. Metaphyſ. lect. 4.* qui expreſſis verbis inquit, Analyticam tantum habere doctrinam, & non vſum, in aliis diſciplinis. Quarta opinio eſt, quam tuetur Iulius *4. Opinio.* Scaliger *1. lib. de ſubtilitate, exercitat. 1. num 3.* qui opinatur, non ſolum in parte Analytica, verum neque in Topica hanc diuiſionem eſſe accommodatam: quia, inquit, etiam pars Topica, quidquid alii dicant, ſolam continet doctrinam, & non vſum; nam ſi illum haberet, etiam Grammatica & Rhetorica haberent vſum ſuorum præceptorum, in aliis diſciplinis, vt nitebamur oſtendere in vltimo argumento. Eſt tamen quinta opinio Latinorum omnium, quam li- *5. Opinio.* benter ſequimur, diuidendam eſſe Dialecticam in docentem & vtentem, & hanc diuiſionem eſſe optimam, & Dialecticæ maxime accommodatam. Quam ſententiam ſequitur D. Th. *4. Metaphyſ. lect. 4.* ſuper Boetium de Trinitate, *q. vlt. art. 1.* vbi totam artem diſſerendi, nomi-

ne Logicæ expreſſam, bis vel ter diuidit, in docentem & vtentem. Hanc eandem amplectuntur B. Albertus Magnus *in principio ſuæ Dialecticæ*, Scotus *q.1 in Porphyrium, & q.2. Elenchorum*, M. Sotus *q. 2. procemialium*. Toletus *q.2.* & alii.

His opinionibus propoſitis, noſtram ſententiam his concluſionibus explicamus, ſit

1. Concluſio. prima concluſio: Dialectica pro tota arte eſt optime diuiſa in docentem & vtentem. Hæc concluſio eſt aduerſus Grachinim, qui certe eſt acriter reprehendendus, eo quod hanc diuiſionem, a grauiſſimis viris laudatam & approbatam, acri quadam & iniuſta cenſura voluerit reprehendere, & auctoritatem tot præclariſſimorum Philoſophorum, qui illa vtuntur, omnino conculcare. Confirmatur tamen

1. Argum. Primo, quia in Dialectica dantur præcepta, & datur quoque vſus eorundem præceptorum, tam intra, quam extra artem; ſed ars illa, quæ tradit præcepta, dicitur docens, reuocatio vero

Docens. Vtens. præceptorum dicitur vſus illius artis, vt ex nominis Etymologia eſt notiſſimum, ergo optime erit illa diuiſa in docentem & vtentem.

2. Argum. Secundo, omnes artes, tam ingenuæ, quam etiam mechanicæ habent doctrinam & vſum: nam ex ingenuis Muſica & Arithmetica ſuam habent doctrinam in præceptis conſtitutam: habent etiam vſum horum præceptorum. Ex mechanicis vero, ædificatoria & ſartoria habent quoq; ſua præcepta, habent itidem ſuorum præceptorum vſum: ſed quod aliis artibus, tam ingenuis, quam mechanicis conceditur, non eſt denegandum Dialecticæ, ergo Dialectica erit optime diuiſa in docentem & vtentem.

2. Concluſio. 2. Concluſio. Pars Topica eſt quoque ita diuidenda, & non ſolum doctrinam, verum etiam & vſum præceptorum habebit. Hæc eſt aduerſus Scaligerum. Illam tamẽ omnes Dia-

Confirm. lectici profitentur. Confirmaturque; Illa ars, quæ diſputat de rebus omnibus, præter præcepta habet etiam vſum: Sed Dialectica (ſumpta pro parte Topica) diſputat de rebus omnibus: Ergo præter præcepta habebit etiam vſum. Confirmatur minor. Res omnes ſunt materia communis Dialecticæ: nam non habet certam materiam, in qua verſetur, ſed ſeſe per omnium rerum genera diffundit, vt docet Ariſt. *1. lib. de demonſtrat. cap 8. & 1. lib. de reprehenſionibus Sophiſtarum, cap. 11. & ſexcentis aliis in locis*: ſed ars illa, cui ſubiectæ ſunt res omnes, de omnibus etiam diſputabit, ergo.

3. Concluſio. 3 Concluſio. Hæc eadem diuiſio in docentem & vtentem accommodari debet parti Analyticæ. Confirmatur aduerſus Fonſecam. *Confirm.* Non eſt maior ratio, ob quam pars Topica diuidi debeat in docentem & vtentem, & non Analytica: ſed pars Topica eſt ita diuiſa, etiam ipſius iudicio, ergo & Analytica erit quoq; in has partes diuidenda. Confirmatur maior propoſitio. Pars Topica ex eo diuiditur in docentem & vtentem, quia tradit præcepta de re qualibet probabiliter diſputandi, illaque cuilibet quæſtioni probabili applicat, ſed pars Analytica tradit præcepta diſputandi ex neceſſariis, & hanc formam diſputandi applicat cuilibet materiæ neceſſariæ, ergo quemadmodum pars Topica eſt diuiſa in docentem & vtentem, ita & analytica erit diuidenda. Quod ſi quis dicat, eſſe latum diſcrimen inter Topicum & Analyticum: quia Topicus diſputat de rebus omnibus, ac proinde præter præcepta habebit vſum. Analyticus vero non diſputat de illis, atque ita præter præcepta non habebit illum. *Confut.* Rogo, quare enim neuter horum artificum tradat nobis rerum aliarum cognitionem, ſed Topicus tradat rationem argumentorum probabilium; Analyticus vero neceſſariorum, Topicus diſputet de rebus omnibus probabiliter, Analyticus vero non diſputet? Cuius profecto rei cum non poſſit maior ratio aſſignari, aſſerendum erit, non ſolum partem Topicam, verum etiam & Analyticam, habere vſum ſuorum præceptorum, ac proinde diuidendam quoque eſſe in docentem & vtentem. *Solut. auctorit. D. Tho.* Neque illi fauet propoſita authoritas D. Thomæ, etenim ille, quando negata parte Analytica vſum, nomine vſus, non intelligit reuocationem præceptorum ad actũ, vel applicationem præceptorum Analyticorum, alicui materiæ: ſed actionem de rebus omnibus, in vtramq; partem diſputandi, quod profecto non parti Analyticæ, ſed Topicę tantum competit: nam Analytica vni tantum parti determinatur, veræ ſcilicet. *2. Solut.* Vel ſi mauis, reſpondere poteris, Dialecticam habere vſum, quia per ſe, ſine ope aliarum artium, poteſt de rebus omnibus diſputare: nam diſputat per media communia & probabilia, ad quæ aſſequenda, nulla indigemus arte. Analytica vero non habet vſum: quia per ſe, ſine ope aliarum, non poteſt de rebus diſputare. Nam diſputat per propria cuiuſcunque rei principia, quæ ex aliis artibus ſunt petenda.

Cæterum enim ſit duplex vſus, actiuus & paſſiuus, vt in fabro lignario, ipſe habet vſum actiuum, dolabra vero paſſiuum, quærendum erit, an Dialectica vtens, dicatur vtens actiue, quaſi ipſa vtatur ſuis præceptis in aliis artibus,

vel paſſiue, quia aliæ artes vtantur præceptis Dialecticis, vnaquæq; intra ſuos limites. Multi exiſtimant, vocandam eſſe vtentem paſſiue, eo quod illa non eſt, quæ vtitur ſuis præceptis, eaque applicat aliis materiis, ſed eſſe illam, qua vtuntur aliæ artes in ſuis obiectis explicandis. Quemadmodum enim faber ferrarius, qui cõficit malleum, non vtitur illo in aliis artibus, ſed vſum committit fabro lignario, vel aliis artificibus, ita quoque Dialecticus conficit inſtrumenta diſputandi, vſum tamen illorum extra artem nullum habet, ſed committit aliis artificibus. Ita ſentit M. Sor. & multi illius authoritate commoti, *quaſt. 2. proœmial* Ego vero in ea ſemper extiti opinione, Dialecticam docentem & vtentem eſſe vnam eandemque rem, & vocandam eſſe vtentem, non paſſiue, ſed actiue. Verum quia de primo dicturi ſumus quæſtione ſequenti contra Græcos, ſupereſt, vt ſecundum explicemus.

Concl. Atque ita ſit quarta concluſio. Dialectica docens ex eo ſic debet nuncupari, quia habet doctrinam, & tradit præcepta: vtens vero ex eo, quia non ſolum intra ſuam artem, verum etiam & extra illam vtitur ſuis præceptis, diffinitque, diuidit, & argumentatur de rebus omnibus ratione formæ. Primam partem eſſe vocandam docentem, quia tradit præcepta, omnes docent, atq; ita non eſt, cur in illa expli-

Explic. opinio. canda immoremur. Vt tamen ſecundam intelligamus, ſciendum eſt, in qualibet argumentatione, quæ in aliis ſcientiis reperitur (& idem intelligendum eſſe dico de diffinitione & diuiſione) duo reperiri, materiam & formam. Materia, ſunt voces res ipſas ſignificantes: forma vero eſt varia, multiplexque earundem vocum in figura & modo cõnexio. Vt in hac argumẽtatione quidquid eſt immateriale, eſt immortale, ſed animus rationis compos eſt immaterialis, ergo erit immortalis. Materia ſunt tres illæ voces, immateriale, immortale, & animus. Forma vero eſt connexio illarum, in modo & in figura. Eſt igitur noſtra opinio, Dialecticam non ſolum intra artem (hoc enim omnes dicunt) verum etiam extra, eſſe illam, quæ connectit voces ſignificantes res, in ſingulis ſcientiis, in modo & in figura, & hoc non præſtare priuatas ſcientias. Verum eſt quidem, præbere illas materiam: at applicare formam, & connectere voces, non eſt illarum munus, ſed Dialecticæ, vt in argumentatione propoſita, explicare, quid ſit animus, quid immateriale, & quid immortale, ad Philoſophum naturalem ſpectat: cæterum has voces, cõnectere in modo & figura, & ex illis conficere argumẽtationes, non erit ſui muneris, ſed partes erunt Dialectici. Itaq; Philoſophus, qui tenet præcepta Dialectica, non ea ratione, qua Philoſophus, ſed ea, qua eſt Dialecticus, in ſua arte conficiet argumenta. Et hoc eſt, quod dicebamus in primis inſtitutionibus Dialecticis, Dialecticã habere materiam cõmunem: quia ſcilicet ipſa eſt, quæ applicat in omnibus ſcientiis formam diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, ſingulis materiis, quæ in illis pertractantur.

Igitur noſtra opinione ita explicata, illam in hunc modum confirmamus. Primo, artes generales & vniuerſæ diſputant de rebus omnibus, cum non verſentur in certa & determinata materia, ſed Dialectica eſt ars generalis & vniuerſa, ergo diſputabit de rebus omnibus. Aſſumptionẽ confit. ex Ariſt. 4 *Meta. c. 2.* docente, Dialecticum, Metaphyſicum, & Sophiſtam eſſe generales artifices. Tum etiam, quia Metaphyſica ex eo dicta eſt ars vniuerſa, quia eius obiectum ſeſe diffundit per omnia rerum genera, at ens rationis, quod eſt obiectũ Logicæ, ſeſe diffundit quoq; per omnia rerum genera. cum nulla ſit res, quæ non poſſit eſſe ſubiectum vel attributum, quæ ſunt entia rationis, quare Dialectica erit ars generalis. Addo, Dialecticam præbere omnibus artibus cõmunia inſtrumenta, hoc autem munus eſt ſolius artis generalis. 2. Quælibet facultas, ars, vel habitus, verſari poteſt in ea re, in qua reperitur eius obiectum formale, quemadmodum facultas videndi verſari poteſt in omni re affecta colore, quia color eſt obiectum formale ipſius, ſed ens rationis, quod eſt obiectum formale Logicæ, reperitur in rebus omnibus, quia omnes res poſſunt affici notione ſubiecti vel attributi, vniuerſi vel ſingularis, quæ ſunt entia rationis, ergo Dialectica verſari poterit in omnibus rebus pertractandis. 3. Medicus, vel quilibet alius artifex non diſputat ea ratione, qua Medicus eſt, quia Medicina non præbet rationem diſputandi, ergo diſputat qua Dialecticus eſt, ſed quod præſtat Medicus, vt Dialecticus eſt, dicendum eſt præſtare Dialecticũ, ergo Dialecticus eſt, qui vtitur ſuis præceptis in aliis artibus & diſciplinis, & ita erit Dialectica vtens actiue.

Confirmatur concluſio.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Neque eſt, quod ab hac opinione nos temoretur. Primo, Quia in aliis artibus vnus artifex conficit inſtrumenta, & alius vtitur eis, vt faber ferrarius conficit malleum, quem vtendum committit fabro lignario. Atque ita Dialecticæ erit conficere inſtrumenta diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, & alii artifices, hæc inſtrumenta confecta, quoque iuxta ſub-

iectam

Digitized by Google

iectam ſibi materiam, applicabunt. Secundo, quia qui de rebus omnibus agit, debet omnes illas cognoſcere: at Dialecticus non cognoſcit res omnes, quare neq; de omnibus diſputabit.

Ad primum enim dicimus, eſſe lainm diſcrimen inter Dialecticam & alias artes, quia cum aliæ ſint priuatæ, tantum in certa materia verſabuntur: quod ſi fuerint inſtrumentariæ, conficient inſtrumenta, Ipſorum tamen vſum aliis committent. Dialectica vero ars eſt vniuerſa & generalis, quare ſeſe diffundet per omnia rerum genera, neque verſabitur, vt vtens eſt, in certa aliqua materia. Vnde enm ſit inſtrumentaria & generalis, ea parte, qua eſt inſtrumentaria, conficiet inſtrumenta: ea vero, qua eſt generalis, vtetur eiſdem ratione formę, in omnibus aliis ſcientiis. Ad ſecundum reſpõdemus, eum, qui diſputat de rebus omnibus, eo modo, quo diſputat, debere ipſas cognoſcere, atq; ita admittimus, Dialecticum cum diſputet de rebus ratione formæ, hac eadem ratione res omnes cognoſcere, cognoſcit ſiquidẽ rationem medii verbi, maioris & minoris extremi, vniuerſi & ſingularis, ſubiecti & attributi in rebus omnibus. Vel dicimus, Dialecticũ, qui diſputat de rebus omnibus, non eſſe docẽtem, cum hic certam & definitam habeat materiam, ſed vtentem, hic autem res omnes cognoſcit; nam vel eſt Philoſophus vtens habitu Dialectico in Philoſophia, qui res philoſophicas probe tenet perſpectas, vel Mathematicus, vel alius huiuſmodi artifex.

Solut. 1. argum. Iam ad argumenta, quæ in principio pro Gruchio & Scaligero propoſuimus, ſupereſt ſatisfaciamus. Ad primum Gruchii dicimus, Dialecticam docentem & vtentem eſſe vnam eandemque rem, eo modo, quo in quæſt. ſeq oſtendemus. Ad confutationem vero de parte analytica libenter admittimus, ipſam non tantum doctrinam, verum & vſum habere, vt o-*Solutio 2.* ſtendimus in tertia aſſertione. Ad ſecundum dicimus, illud eſſe fallax, & peccare fallacia figuræ dictionis, nam fit tranſitus a re ſub vno modo, ad eandem ſub alio, ſcilicet a Dialectica eo modo, quo eſt vtens, ad eandem eo, quo eſt docens. Neganda igitur eſt conſequentia propter vitium cõmiſſum, verũ enim eſt, Dialecticam vtentem non eſſe ſcientiam, docẽtem vero eſſe, vt luculenter in quæſt. ſequentibus *Solut. 3.* oſtendemus. Ad argumentum Scaligeri admittimus, Grammaticam quoque & Rhetoricam eſſe ita diuidendas in docentes & vtentes. Neque hinc fit, vocari poſſe artes vniuerſas & generales, vt ille volebat, etenim quamuis illarum inſtrumentis, ornato ſcilicet & congruo ſermone vtantur pleræque artes, tamen hæc Inſtrumenta non ſunt neceſſaria, cum ſine illis multi in aliis ſcientiis euaſerint in viros doctiſſimos: cæterum inſtrumenta Dialecticæ ſunt omnino neceſſaria ad alias ſcientias comparandas, vt agẽtes deinde de neceſſitate Dialecticæ, explicabimus: ac proinde hæc erit ars generalis & vniuerſa, Grammatica vero & Rhetorica nequaquam.

QVÆSTIO IV.

An Dialectica docens & vtens ſint vna & eadem res.

SI vera ſunt, quæ diximus in quæſtione ſuperiori, ex ſententia Græcorum, Dialecticam docentem vel auulſam, eſſe Dialecticam conſtitutam in præceptis; vtentem vero, eſſe alias partes Philoſophiæ, quæ vtuntur his præceptis, vt Metaphyſicam, vel Philoſophiam naturæ, colligere profecto licebit ex illorum opinione, Dialecticam docentem & vtentem re ipſa diſtingui, & eſſe habitus inter ſe maxime diuerſos: quia Dialectica conſtituta in præceptis, habitus eſt diſtinctus, & re ipſa differens a Metaphyſica, vel ab alia parte Philoſophiæ. Et certe re ipſa diſtingui vtramque Dialecticam, his tribus argumentis poſſumus confirmare. Primum. Illi habitus, quorum actiones inter ſe *1. Argum.* ſunt diſtinctæ, inter ſe etiam diſtinguuntur, ſed actiones Dialecticæ docentis & vtẽtis ſunt inter ſe diſtinctæ: nam tradere præcepta, quod actio eſt docentis, maxime differt à reuocatione eorundem præceptorum ad vſum, quod eſt actio vtentis, ergo Dialectica docens & vtens erunt habitus diſtincti. Secundum. Illi habitus *2. Argum.* ſunt diſtincti, quorum fines diſtinguuntur: nam diſtinctio habituum inter alia ex finibus eſt petenda, ſed Dialectica docens & vtens finibus diſtinguuntur: nam finis docentis eſt cognitio diffinitionis, diuiſionis, & argumentationis, vtentis vero non eſt vnus finis, ſed tot, quot ſunt ſcientiæ, quibus illa poteſt deſeruire, artes ſiquidem inſtrumentariæ, qualis eſt Dialectica, ſi reuocentur ad vſum, illum finem habent, quem artes, quibus deſeruiunt. vt *in t. lib. Inſtitutionum* docuimus, ergo erunt habitus diſtincti. Præterea, Si hæ duæ Diale-*3. Argum.* cticæ eſſent vna & eadem res, darentur duæ contradicentes ſimul veræ: atqui hoc fieri nulla ratione poteſt: ergo, &c. Confirmatur propoſitio Hæ duæ ſunt contradicentes, Dialectica eſt ſcientia, Dialectica non eſt ſcientia, ſed ſi docens & vtens eſſent eadem res, ambæ eſſent veræ: nam verum eſt, docentem eſſe ſcientiam, & verum quoque, vtentem non

eſſe, vt in quæſtionibus ſequentibus explicabimus, ergo ſi Dialectica docens & vtens eſſent vna res, duæ contradicentes eſſent ſimul veræ.

Opinio. Cæterum Latini fere omnes longe diuerſam ſententiam amplectũtur, nimirum, eſſe vnam & eandem rem, & Dialecticam docentem & vtentẽ,& eſſe eundem habitum,ita M.Sot.*q.2. proœmiali.* Flandrenſis *1.lib. de demonſtratione, quaſt.3 art.1* Fonſeca *2.lib. Metaphyſ. cap.vlt. quaſt 1. ſect.6.* & alij. Quemadmodum enim idem eſt malleus, quem docet conficere faber ferrarius, & quo vtitur faber lignarius: ita eadem eſt Dialectica, quæ tradit rationem & præcepta argumentandi,& quæ illa reuocat ad vſum. In explicationem tamen quæſtionis animaduertimus, Dialecticam vtentem ſumi poſſe vel pro habitu, quo vtimur ad definiendum,diuidendum, & argumentandum. Vel pro ipſis inſtrumentis ab hoc habitu confectis, ſcilicet pro definitione,diuiſione, & argumentatione: etenim cum nomen cauſæ ſæpe tribuatur effectibus,à ſe prodeuntibus: & hæc inſtrumenta oriantur tanquam effectus à cauſa, à Dialectica vtente,hinc effectum eſt, vt nomen Dialecticæ ad hæc inſtrumenta ſe: quoque diffuderit,& ita multi Dialecticam ſumunt aliquando pro inſtrumentis Dialecticis, & aliquando pro habitu Dialectico.

Dialectica vtens dupliciter dicitur.

1.Concl. 1.Concluſio. Si ſumamus Dialecticam vtentem pro inſtrumentis confectis, re ipſa differt à docente.Confirmatur primo. Quia in omnibus alijs artibus ipſæ artes & inſtrumenta confecta re ipſa diſtinguuntur, quemadmodum in fabrio ferrario, ars ipſa, & malleus,qui eſt inſtrumentum confectum, re ipſa diſtinguuntur,ergo & in Dialectica,inſtrumenta artis & ipſa ars re ipſa diſtinguentur. Secundo. Cauſa & effectus re ipſa differunt (agimus de cauſa efficiente) ſed hæc inſtrumenta deriuantur ab habitu Dialecticæ,tanquam à cauſa efficiente, ergo re ipſa diſtinguuntur à Dialectica: aſſumptionem ex eo confirmamus; quia omnes artes & habitus concurrunt in genere cauſæ efficientis, ad actiones & opera à ſe deriuata.

1 Argum.

2 Argum.

2. Concl. 2.Concluſio. Si ſumamus Dialecticã vtentem altero modo,ſcilicet pro habitu, qui reuocat præcepta definiendi & argumentandi ad vſum.non differt re ipſa à docente,ſed ſunt vtraque docens & vtens vnus idemque habitus.

1. Argum. Confirmatur. Illi habitus non ſunt diſtincti, quorum eſt idem obiectum formale, vel quorum eſt eadem ratio formalis quæ & ſub qua: ſed Dialecticæ docentis & vtentis eſt eadem ratio formalis quæ,& ſub qua,ergo ſunt idem habitus.Propoſitio eſt aperta. Confirmatur aſſumptio Ratio formalis, quæ, Dialecticæ docentis eſt entitas rationis,nam hæc eſt,quæ attingitur à Dialectica, & cuius proprietates inueſtigat. Ratio vero formalis,ſub qua,eſt abſtractio ab omni materia,tam ſenſili, quam intellectili, quemadmodum deinde agentes de obiecto Dialecticæ explicabimus: ſed hæc vtraque ratio eſt etiam ratio Dialecticæ vtentis. Nam in primis, ſi hæc permiſcetur cum aliis ſcientiis,ex eo eſt,quia in ipſarum obiectis aliqua entitas rationis collucere videtur. Deinde hãc rationem pertractat,vt auulſam ab omni materia, ergo erit eadem ratio formalis vtriuſque. Præterea Dialectica vtens, vt diximus in quæſtione ſuperiori,non eſt Metaphyſica, ſed eſt ipſemet habitus Dialecticus, vt vtitur actiue ſuis præceptis in aliis ſcientiis, vt oſtendimus in quæſt ſuperiori. At vbi eſt identitas habitus,non poteſt eſſe diſtinctio rei, ergo Dialectica docens & vtens non diſtinguentur re ipſa.

2. Argum.

3.Concl. 3.Concluſio. Dialectica docens & vtens ratione diſtinguuntur. Nam Dialectica docens eſt illa, quæ tradit præcepta, vtens vero, quæ reuocat præcepta ad vſum: ſed tradere præcepta,& reuocare illa ad vſum, ſunt rationes diuerſæ. ergo Dialectica docens & vtens ratione differunt. Ac proinde alium conceptum iure meritum efformabimus de Dialectica docente,& alium de vtente, nam conceptus eſt, qui exprimit rationem formalem, quæ in obiecto reperitur.

Ad 1.argum. Ad argumenta, quæ in patrocinium ſententiæ Græcorum propoſuimus. Ad primum dicimus,falſam eſſe propoſitionem, ſi loquamur de diſtinctione rei,nam ab eodem calore ignis promanant duæ actiones re ipſa diſtinctæ, nimirum, indurare lutum,& liquefacere ceram,quæ duæ actiones non efficiunt diſtinctionem rei in calore: eadem igitur ratione, quamuis actiones Dialecticæ docẽtis & vtentis ſint diuerſæ, nõ efficient diſtinctionem rei, in habitu Dialectico,ſed cum identitate rei habitus poterunt cohærere actiones diuerſæ. Si vero propoſitio intelligatur de diſtinctione rationis,recte concludit argumentum, nihil tamen contra nos, qui ingenue profitemur,hãc diſtinctionem inter Dialecticam docentem & vtentem.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondemus, diſtinguendam eſſe propoſitionem: nam vel loquimur de fine intrinſeco, vel extrinſeco: de intrinſeco,vera eſt propoſitio: Illa, quæ finibus differunt,diſtingui quoq; inter ſe: falſa tamen

eſt aſſumptio, quia hoc fine non diſtinguuntur Dialectica docens & vtens: imo vtens, vt vtens, nullum habet finem intrinſecum. Si vero intelligatur propoſitio de fine extrinſeco, eſt omnino falſa, & neganda.

Ad 3.

Ad tertium neganda eſt propoſitio: ad cuius confirmationem reſpondemus, has duas non eſſe contradicentes, Dialectica eſt ſcientia, Dialectica non eſt ſcientia, quia non ſunt de eodem, reſpectu eiuſdem, & eodem modo ſumpto: nam prima eſt vera de Dialectica, ea ratione, qua eſt docens, altera vero de eadem, ea qua eſt vtens, at vt ſint duæ propoſitiones contradicentes, debent eſſe de eodem & eodem modo ſumpto.

QVÆSTIO V.

An Dialectica docens ſit ſcientia.

QVæ hactenus explicatæ ſunt quæſtiones, eo ſpectant, vt verum genus Dialecticæ explicare poſſimus, quibus abſolutis ſequitur, vt in hac quæſtione, ſitne ſcientia verum genus illius, necne, inueſtigemus, quæ quæſtio anceps eſt, multumque apud Dialecticos controuerſa. In qua cum variæ extiterint Dialecticorum opiniones, multique in eo conſenſerint, Dialecticam immerito eſſe ſcientiam nuncupandam, principio erunt à nobis difficiliora illorum argumenta proponenda.

1. Argum. pro parte negatiua.

Primum eſt ex Ariſt. qui *6. Metaphyſ cap 1. lib.* 11 *cap. 3. & 6 & lib.* 8 *Topic. cap.* 2. tradens ſcientiarum diuiſionem, nullam mentionem facit Dialecticæ: hauddubie ex eo, quia intelligebat, ipſam non eſſe ſcientiam.

Reſpon.

Quod ſi quis dicat, Ariſtotelem in his locis tantum connumeraſſe ſcientias rei, & non rationis (è quorum numero eſt Dialectica) contra ita ago.

Confut.

Hæc diuiſio ſcientiæ in realem & rationis, nuſquam legitur apud Ariſtot. non igitur erit illa optima & accommodata Addo, Ariſtot. in Metaphyſ. diuiſiſſe ens in ens rei & rationis, *6. Metaphyſic. cap. vlt.* Quod ſi ſcientia in hæc membra eſſet diuidenda, certe talis diuiſio nunquam fuiſſet ab Ariſt. prætermiſſa, quemadmodum neque diuiſio entis in ens rei & rationis.

2. Argum.

2. Idem Ariſtot. *1. lib. Topic. cap 9.* diuidit problemata, in contemplationis, actionis, & inſtrumentaria, vocatque inſtrumentaria, vel neutrius generis, problemata Dialectica. Ex qua auctoritate ita connecto argumentum. Scientiæ in ſola contemplatione veritatis verſantur, vt auctor eſt Ariſtot. *2. Metaphyſ cap. 1.* ſed Dialectica non verſatur in ſola contemplatione veritatis, ſed in problematibus neutrius generis, vel inſtrumentariis, vt docet Ariſtot. in propoſita auctoritate, ergo Dialectica non erit ſcientia.

3. Argum.

3. Omnes ſcientiæ verſantur in rebus perpetuis, & quæ non fiunt à nobis, neque in contingentibus, vt auctor eſt Ariſtot. *6. Ethicor. cap. 3 & 4* ſed Dialectica verſatur in rebus minime neceſſarijs, contingentibus, & quæ fiunt à nobis: verſatur ſiquidem in diffinitione, diuiſione, & argumentatione, quæ non ſunt entia neceſſaria, ſed ſunt contingentia: cum poſſint non eſſe, & fiunt à nobis: nos enim ſumus, qui hæc inſtrumenta conficimus, ergo Dialectica non erit ſcientia.

4. Argum

4. Modus ſciendi non eſt ſcientia, ineptum enim eſt, ſimul ſcientiam & modum ſciendi quærere, vt auctor eſt Ariſtot. *2. Metaphyſic. cap. vlt.* ſed Dialectica eſt modus ſciendi, quemadmodum in hoc cap. D Thom. Auerroes, & multi alij interpretantur & profecto cum ipſa præbeat communia inſtrumenta ſciendi, quæ ſunt definitio, diuiſio, & argumẽtatio, erit modus ſciendi: igitur non erit ſcientia Confirmatur argumentum Omnis ſcientia comparatur per aliquem modum ſciendi, ſi igitur Dialectica eſt ſcientia, comparabitur quoque per aliquem modum ſciendi: ſed modus ſciendi eſt ipſimet Dialectica: ergo Dialectica comparabitur per Dialecticam: quo nihil abſurdius dici poteſt, quare non erit illa ſcientia.

5. Argum.

5. Omnis ſcientia verſatur in certo & definito rerum genere, & in materia determinata, vt auctor eſt Ariſtot. 4 *Metaphyſic. cap. 1. & 11. cap. 6. & 1. de demonſtrat. cap 23* vt Arithmetica verſatur in numero: Geometria in magnitudine, & Philoſophia naturæ, in ente naturali: ſed Dialectica non verſatur in certo aliquo & definito rerum genere, vt eſt teſtis idem Ariſtot 4 *Metaphyſ. cap 2. & 1. lib. de demonſtrat. cap 8. & 1. lib de reprehenſionibus Sophiſtarum, cap. 11. & 1. Rhetoricorum ad Theodecten, cap* 1 ergo Dialectica non eſt ſcientia.

6. Argum.

6. Omnis ſcientia verſatur in aliquo obiecto ſcibili: ſed obiectum Dialecticæ non eſt ſcibile: ergo Dialectica non erit ſcientia. Confirmatur aſſumptio. Obiectum Dialecticæ eſt ens rationis ſed hoc genus entis non eſt ſcibile Primo, quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, at ens rationis non habet cauſam, nam ſi haberet, eſſet ens rei, quidquid enim habet cauſam rei, eſt ens rei. Secundo, quia obiectum ſcibile habet proprietates, quæ de illo ſciantur, ens vero rationis nullas habet: quia vel eſſent entia rei, vel rationis: non rei, quia ens rei non poteſt eſſe proprietas entis rationis, neque rationis, quia ſubiectum prædicaretur ſecundum eſſentiam de ſuis proprietatibus, quod profecto nullus admittit; ergo obiectum Dialecticæ non erit ſcibile.

Argum.

7. Ens rationis non eſt ens ſimpliciter,ſed ſecundum quid, ergo Dialectica, quæ in illo verſatur,non erit ſcientia ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Confirmatur hoc argumentum. Quemadmodum ſeſe habet ens ad ens rei & rationis,ita ſeſe habebit ſcientia ad ſcientiam,quæ verſatur in ente rei, & ad illam, quæ verſatur in ente rationis, ſed ens ſimpliciter dicitur de ente rei,& ſecundum quid,de ente rationis, ergo ſcientia ſimpliciter dicetur de ſcientia, quæ verſatur in ente rei, & ſecundum quid,de illa,quæ verſatur in ente rationis, quare cum Dialectica verſetur in illo, non erit ſimpliciter ſcientia. Iterum confirmatur hoc argumentum: Ens rationis non eſt per ſe intelligibile,ſed per ens rei,vt priuationes & negationes,quæ ſunt entia rationis, intelliguntur per formas & affirmationes, quæ ſunt entia rei, ergo neque erit per ſe ſcibile,quia eo modo ſeſe habet aliquid ad eſſe ſcibile,quo ſe habet ad eſſe intelligibile, quare Dialectica, quæ in illo verſatur per ſe & ſimpliciter,non erit ſcientia.

Argum.

8. Omnis ſcientia inclinat intellectum ad certam,claram, & euidentem cognitionem, ſed Dialectica inclinat ad multas opiniones, quæ ſunt incertæ,& ineuidentes, ergo nôn erit ſcientia.

Argum.

9. Scientia quælibet progreditur argumentis neceſſarijs, & analyticis, ſed pars Topica progreditur argumentis probabilibus,vt docet Ariſt. 1. *Topic. cap. 2. & 3. lib. Metaph. cap. 2.* & pars Sophiſtica argumentis apparentibus, ergo Dialectica ſaltem, quo ad has partes,nõ erit ſcientia. Et confirmatur de Sophiſtica, quia quod non eſt, non poteſt ſcire, ſed Sophiſtica verſatur in eo,quod non eſt, nam illud dicitur ſophiſticum, quod videtur eſſe, cum non ſit, ergo Sophiſtica non erit ſcientia.

10. *Argum.*

Vltimo confirmatur apertiſſimo quodam teſtimonio Ariſt. quod legitur 1. *Rhetoric. cap. 2.* in hunc modum: Si quis Dialecticam & Rhetoricam,vt ſcientias, & non vt facultates pertractat, imprudens earum naturam ſubuertit. In qua auctoritate non ſolum negat, Dialecticam nõ eſſe ſcientiam, verum etiam eos,qui voluerint ipſam ſcientiam efficere, iudicat imprudentes. Conſtat igitur ex his omnibus,Dialecticam non eſſe ſcientiam.

1. Opinio aſſerentium, Logicam eſſe habitum inſtrumentalem.

In hac quæſt. variæ ſunt,& inter ſe multum diſcrepantes ſententiæ Philoſophorum. Prima eſt Græcorum, genus Logicæ eſſe inſtrumentum, vel habitum inſtrumentalem, & nõ ſcientiam. Vnde dicunt, Logicam tantum eſſe inſtrumentum ad ſcientias comparandas, vel modum quendam ſciendi. Hanc opinionem maxima animi contẽtione ſequitur Iacobus Zabarella, huius noſtræ ætatis Philoſophus eruditus, *lib. 1. de natura Logica, cap. 10.* cuius argumenta ſunt nonnulla ex prioribus, quæ in hac quæſt. propoſuimus. Inter Latinos illam amplectuntur Ægidius Romanus in principio commentariorum, *in lib. de demonſtrat.* Petrus Niger *q. 11. clypei Thomiſtarum*, qui volunt, Dialecticam non ſcientiam, ſed modum eſſe ſciendi, propter auctoritatem illam 2. *Metaphyſ. cap. vlt.* propoſitam, ineptum eſt, velle ſimul ſcientiam, & modum ſciendi quęrere, in qua Ariſt. vocat Logicam modum ſciendi.

Propugnatores huius ſententiæ Græci.
Zabarella.
Ægid. Rom.
Petr. Niger.

2. Opinio.

Secunda opinio eſt, Dialecticam artem eſſe, & non ſcientiam, ex eo nimirum, quia verſatur in rebus cõtingentibus, & quæ fiunt à nobis, ſcilicet in definitione, diuiſione, & argumentatione, quæ duo efficiunt habitum aliquem eſſe artẽm, nam ars eſt habitus, qui verſatur in rebus contingentibus, & quæ fiunt à nobis, vt teſtis eſt Ariſt. hanc ſequuntur Iulius Scaliger, 1. *lib. de ſubtilit. exercit. 1. num. 3.* Baptiſta Monlorius *in præfat. commentarior. in lib. de priori reſolutione.* Nunneſius *in lib. de conſtitutione Dialectica*, & multi ex recentioribus.

3. Opinio.

Tertia opinio eſt, Dialecticam ſaltem pro parte Topica & Sophiſtica (quidquid ſit de alijs partibus) nõ eſſe ſcientiam, ſed habitũ quendam fidei, vel opinionis. Huic adhæſerunt Ludouicus Lemoſins 1. *lib. paradoxorum Dialecticorum, errore 2.* & Themiſtius ante eum, 1. *lib. de demonſtratione, cap. 24.* qui non loquitur de tota Dialectica, vt fere omnes illi tribuunt, ſed de ſola Topica, quemadmodum cuilibet illius verba legenti aperte poterit çonſtare.

4. Opinio.

Quarta opinio eſt quorundam, vt inquit Zabarella *in ſuperiori lib. cap. 9.* Dialecticam non ſcientiam, ſed facultatem eſſe nuncupandam, poteſt enim in vtramq; partem quæſtio verſari, quod facultatis nomen indicare videtur, commoti fuerunt ad hanc ſententiam profitendam, ex illo loco 1. *Rhetoric. 2. in vlt. argum* propoſito, in quo Ariſtot. aperte profitetur, Dialecticam eſſe facultatem.

5. Opinio.

Quinta opinio eſt communis fere omnium Latinorum, Dialecticam vere & proprie eſſe ſcientiam, & hoc eſſe proximum & verum genus illius. Sequuntur hanc ſententiam D. Thom. 4. *Metaphyſ. cap. 2. lect. 4.* D. Albertus Magnus *cap. 1. & 2. ſua Logica.* Boetius *edit. 2 in Porphyr.* Auicenna *cap. 1. ſua Logica*, Scotus *q 1. in Porphyr.* Sotus & Toletus *quaſt. 2. procemiali*, Mercado, & Vera eiuſce *quaſt. 1.*

Fonſe-

Fonſeca 2. *lib. Metaph. cap. vltim. quæſt. 1. ſectione 7.* Vincentius Montaneſius, *in præfatione in Porphyriũ.* Et innumeri alii, quos ne citando faſtidium generem, hoc loco prætermitto. Inter eos tamen qui hanc ſententiam profitentur ſunt nonnulli qui ita laudibus efferant dialecticam, vt non ſolum ipſam ſcientiam eſſe putent, verum etiam eſſe ſcientiarum nobiliſſimam, principem, & reginam omnium aliarum, aperto ore profiteantur, ducuntur nonnullorum grauiſſimorum Philoſophorum auctoritatibus, nam Plato *in Phædro* Dialecticam vocat perfectiſſimam partem Philoſophiæ, *& 7. lib. de Repub.* Inquit Dialecticam eſſe omnium doctrinarum apicem, & finem, cæteraſq; diſciplinas, ſi cum Dialectica conferantur non eſſe nomine ſcientiæ inſigniendas. D. Aug. 2. *lib. de ordine cap.* 13. Dialecticam his titulis ornat, ſcientiarum ſcientiam, & diſciplinarum maximam, *& contra Academicos libro 3. cap. 13.* eiſdem encomiis ipſam laudat, & Cicero *in lib. de claris oratoribus*, aperte Dialecticam artium maximam, & lucem omnium appellat, atque ita communi nomine dialectici hanc artem, artem artium, & ſcientiam ſcientiarum vocarunt.

1. Obſeru. His opinionibus propoſitis pro explicatione quæſt. erunt prius quædam animaduertenda. Primum eſt ex Ariſt. *6. lib. Eth. c. 3.* & D. Th. *12. qu. 57. artic. 2. & 3.* habitus intellectus quorum beneficio certo, & ſine errore verũ apprehendimus eſſe quinque, intelligentiam, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, & artem. Dictũ eſt ſine errore vt ſeparemus hos habitus ab opinione, & ſuſpitione per quos licet aliquando apprehendamus verum, ſæpiſſime tamen illud apprehẽdimus cum errore. Ex his autẽ tres priores ſunt ſpeculatiui, duo vero poſteriores ſunt practici vocandi. Intelligentia eſt habitus, qui fertur circa prima principia. Sapientia eſt habitus qui verſatur circa altiſſimas cauſas, quo nomine ſola Metaphyſica digna eſſe videtur, eſt enim illa quæ verſatur in cognitione Dei, & ſubſtantiarum ſeparatarum. Scientia eſt habitus certus & euidens per demonſtrationem acquiſitus. In qua definitione habitus obtinet locum generis, continetur enim ſcientia ſub prima ſpecie qualitatis quæ eſt habitus, reliquæ habent locum differentiæ. Secunda eſt certus per quam ſeparatur ab opinione, quæ eſt habitus incertus, & cum formidine. Tertia eſt euidens per quam ſecernitur a Fide, quæ quamuis ſit habitus certus, non tamen eſt euidens, nam quæ fide tenemus non ſunt viſa a nobis, quamuis certo ita eſſe apprehendamus. Vltima eſt per demonſtrationem acquiſitus, per quam diſtinguitur, ab habitu primorum principiorum, qui quamuis ſit certus & euidens non eſt per demonſtrationem acquiſitus, ſed à natura tributus. Aduertimus tamen ſcientiam hoc modo definitam eſſe ſcientiam vere & proprie, nam aliquando confunditur cum arte, vt videre licet apud Ariſtot. 2. *lib. de reprehenſionibus ſophiſtarum cap. vltim.* vbi artes mechanicas vocat ſcientias, *& 1. lib. Metaphyſ. cap. 1.* omnem certam cognitionem comprehendentem etiam ſapientiam & intelligentiam vocat ſcientiam, ita dicens; Omnes homines natura ſcire deſiderant. Cæterum hæc eadem proprie ſcientia, interdum ſumitur pro actu, & aliquando pro habitu, inter quæ multum intereſt, nam habitus perſeuerat in nobis etiam dormientibus, actus vero tam diu durat, quam diu mente aliquid apprehendimus. Deinde ſcientia pro habitu, reſpectu alicuius obiecti formalis, vnica eſt: actus vero reſpectu eiuſdem multi, tot ſcilicet quot ſunt apprehenſiones intellectus. Prudentia definitur habitus practicus cum recta ratione aliquid agendi, id eſt, habitus recte vitam inſtituens, moreſque componens. Ars aliquando ſumitur, vt confunditur cum ſcientia ea ſcilicet ratione, qua ſumitur pro collectione multorum præceptorum: & aliquando ſumitur proprie, vt differt ab illa, qua ratione definitur habitus practicus cum recta ratione aliquid faciendi, id eſt, habitus diligens, qua ratione ſint opera externa recte conficienda. Animaduertimus 2. *ex Ariſt. 1. lib. de demonſt. c. 1.* 2. Obſeru. in qualibet ſcientia tria reperiri, ſubiectum, ſcilicet, principia, & proprietates, vt in ſcientia de homine, ſubiectum eſt homo, principium animal rationale, quod eſt eius definitio, & proprietates, vt viſibilitas, vel capacitas diſciplinæ. Et cum hæc tria in qua libet ſcientia reperiantur, ſcientia non eſt de *De quo ſcientia.* ſubiecto, principiis, aut proprietatibus, nam hæc ante demonſtrationem ſunt cognita per definitionem, ſed eſt connexio proprietatis cum ſubiecto, expreſſæ per concluſionem demonſtrationis, vt de homine non eſt ſcientia neq; de definitione, aut proprietate, ſed de hac connexione, homo eſt riſibilis. Animaduertimus tertio dialecticã non agere argumentatione ſingulari, ſed in cõmuni, nam ſingulariũ non eſt ſcientia, ſed rerum vniuerſarum, & cõmunium. Præterea quamuis argumentatio in communi ea ratione, qua eſt in hac vel illa ſingulari, pereat, attamẽ in ordine ad ſua principia, & proprietates non perit, ſed eſt omnino neceſſaria, quia habitudo ad principia & proprietates eſt neceſſaria, quemadmodũ quam-

Digitized by Google

uis roſa, vt eſt in hac, vel illa ſingulari pereat in hyeme: attamen reſpectu ſuorum principiorum eſſentialium & proprietatum non perit. Ex his perfecto omnibus luce clarius colligere quiſque poterit, dialecticam eſſe ſcientiam nuncupandam, cum in ea principia, ſubiectum, & proprietates, quæ de eo cōcluduntur, reperiantur. Verum quæ nam ſit in hac re noſtra ſententia, his concluſionibus explicamus.

Concluſio. Prima concluſio. Dialectica docens vere, proprie, & ſimpliciter eſt vocanda ſcientia Cōfirmatur his argumentis. Primū dialectica eſt habitus ſpeculatiuus: nam dirigit actiones definiendi, diuidendi, & argumentandi, quę ſunt actiones ſpeculatiuæ: ſed habitus ſpeculatiui ſunt tantum tres, intelligentia, ſapiētia, & ſcientia, vt adnotatum eſt ex Ariſt *6 lib. Ethicorum*, ergo Dialectica vel erit intelligentia, vel ſapientia, vel ſcientia, ſed non poteſt vocari intelligentia, cum hęc verſetur circa prima principia, & eſt indita à natura; dialectica vero verſatur circa concluſiones, & eſt noſtris actionibus cō parata: neq; eſt ſapientia, quia non verſatur circa ſupremas cauſas, & prima principia. ergo à ſufficienti diuiſione relinquitur vocandam eſſe vere & proprie ſcientiam. Huic tamē *Solutio aliorum.* argumento duobus modis conantur aduerſarii ſatisfacere. Primo negant propoſitionē dialecticam eſſe habitum ſpeculatiuum, ac proinde neque diriget actiones ſpeculatiuas intelle- *Solut.* ctus. Secundo reſpondet Zabarella, falſum eſſe tantum dari in intellectu, illos quinque habitus recenſitos ab Ariſtot. tres ſpeculatiuos, & duos practicos: nam præter hos, datur alius habitus inſtrumentalis, ſub quo continetur dialectica, neque aliquid inquit contra Ariſtot. ſtatuitur, quia ille tantum recenſuit habitus præcipuos, & qui ſunt propter ſe, qui tantum ſunt quinque ab eo propoſiti, habitus autem inſtrumentalis, neque eſt præcipuus, cum inſtrumenta inter genera cauſarum, inferiorem locum obtineant, neq; eſt propter ſe, ſed propter artes, quibus deſeruit, atq; ita inter illos habitus non fuit recēſitus habitus inſtrumentalis. Cæterū hæ ſolutiones, nō ſatis faciunt argumento. *onfir. Solut.* Non prima, quia dialectica eo eſt inſtituta, vt dirigat functiones intellectus, quæ ſunt tres, nimirum ſimplicium apprehenſio, compoſitio, & diuiſio, & ratiocinatio, hæc autem actiones ſunt ſpeculatiuæ. Quod ſi illæ non fuerunt, oſtendant quæ ſint aliæ actiones in intellectu ſpeculatiuæ? Diriget igitur dialectica actiones ſpeculatiuas, ac proinde erit habitus ſpeculatiuus.

orfut. Solut. 2. vero ſolutio Zabarellæ nullius eſt momēti, quia hic habitus inſtrumentalis, vt deſeruit intellectui ad aliquam veritatem aſſequēdam, quæ vel eſt circa veritatem notam lumine naturæ: & ita deſeruiet habitui intelligentiæ: vel circa veritatem cognitam per diſcurſum, quæ vel eſt quid vltimum reſpectu totius cognitionis humanæ, & maxime cognoſcibilis ſecundum ſuam naturam, qua ratione deſeruiet ſapientiæ, quæ in his verſatur: vel circa eandem veritatem, quæ eſt per diſcurſum vltimo loco cognita, circa hanc vel illam materiam, vt circa magnitudinem, vel numerum, qua ratione deſeruiet ſcientiæ, quæ in his rebus verſatur. Neq; poteſt aliis veritatibus ſpeculatiuis deſeruire, etiam ſi fingenti detur facultas, ergo habitus inſtrumentalis vel erit intelligentia, vel ſapientia, vel ſcientia, vel reuocabitur ad hos habitus, eo modo quo inſtrumenta reuocantur ad cauſas principales: at neque poteſt eſſe, neque reuocari ad intelligentiam, cum non verſetur circa veritates per ſe notas: neq; ad ſapientiam, cum non verſetur circa veritates ex ſua natura maxime cognoſcibiles, erit igitur vel ſcientia, vel reuocabitur ad illam.

2. Arg. Ad omnem ſcientiam tria tantū ſunt neceſſario requiſita, ſcilicet, principia, ſubiectū & proprietates, vt adnotauimus *ex 1. lib. de demonſtr. cap.* 1. ſed in Dialecta hæc tria reperiuntur, nam definitiones ſyllogiſmi, & aliarum partium argumentationis, ſunt principia, ſubiectū vero eſt argumentatio, vel aliquod aliud ens rationis, proprietates vero ſunt multæ, quæ de hoc ſubiecto in illa traduntur, vt de reciprocatione propoſitionum, de modificatione earundem, de modis figurarum, demonſtrationem generare ſcientiam, & ſic de aliis, ergo dialectica erit vere & proprie ſcientia. Aduerſarii tamen reſpondent huic argumento. Primo, præter illa tria, & aliud requiri ad ſcientiam, ſcilicet, vt ſit de ſubiecto, quod nullo modo fiat à nobis, ſed à natura, at res dialecticæ in quibus ipſa verſatur tanquam in ſubiecto, à nobis fiunt, & non à natura. Secundo reſpondent præter illa tria etiam requiri, vt ſcientia verſetur in rebus neceſſariis, & non contingentibus, & quæ ſtatim euaneſcant, vt docet Ariſtot. 3. *Ethic. cap. 3. & 4.* At vero dialectica non verſatur in rebus neceſſariis, ſed in contingentibus, vt in argumentatione & definitione, quæ ſtatim euaneſcunt, & nullam habent neceſſitatem. Tertio reſpondent præter illa, vt aliquis habitus ſit ſcientia ſimpliciter, requiri vt ſit de ente ſimpliciter, dialectica vero non verſatur in ente ſimpliciter, cum verſetur in ente rationis, quod eſt ens ſecundum quid, vnde ſaltim

2. Arg.
Solutio aliorum.
1. Solut.
2. Solut.
3. Solut.

non

Digitized by Google

non erit ſcientia ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Confut. ſolutio. Cæterum nulla ex his ſolutionibus diſſoluit argumentum propoſitum, & vt à prima exordiamur, aduerſus illam ita argumentor. Dialectica non agit de hac, vel illa argumentatione ſingulari, definitione, vel diuiſione, ſed in communi & in habitudine ad ſua principia, & proprietates: ſed hæc ita ſumpta, non ſiunt à nobis, nam fieri tantum eſt ſingularium. Neque vllo modo fit à nobis demonſtrationem generare ſcientiam, quia procedit ex veris, primis, & immediatis, aut ſyllogiſmum Topicum generare opinionem, quia procedit ex propoſitionibus probabilibus, hoc enim vterq; ſyllogiſmus habet ex ſua natura, & non à nobis, ergo propter hanc cauſam non erit Dialectica à choro ſcientiarum reiicienda. Rogo etiam ob quam cauſam res quæ ſiunt à natura poſſint aliqua ſcientia comprehendi? num quia ſunt à natura, hoc certe ineptum eſt, quia non eſt reddere cauſam poſtulati, ſed reddere idem, per idem: quare reſpondebunt, vt exiſtimo, ex Ariſtot quia poſſunt ſciri per veram & legitimam cauſam, nam ſcire eſt rem per cauſam intelligere *ex lib. 1. de demonſtrat. cap. 2.* ſed argumentatio, & alia in quibus verſatur Dialectica, poſſunt ſciri per veram, & legitimam cauſam: Nam ſcimus genus dici de multis, quia eſt in multis: & demonſtrationem generare ſcientiam, quia progreditur ex veris, primis, &c. ergo res Dialecticæ poterunt alia ſcientia comprehendi, quare & dialectica, quæ in illis verſatur, erit ſcientia.

Confut. 2. ſolut. Secunda vero ſolutio ex his fere remanet confutata, etenim ſi vt probatum eſt, Dialectica verſatur in rebus vniuerſis, & hæ ſunt perpetuæ, & non contingentes, profecto verſabitur illa in rebus perpetuis. Neque ſatisfacit quod quidam dicunt, etiam hac ratione artes mechanicas poſſe vocari ſcientias, quia verſantur quoque in rebus vniuerſis, & neceſſariis, quemadmodum Architectura verſatur in domo in communi. Hæc inquam ſolutio non ſatisfacit, quia quamuis ita ſit, Architectura non verſatur in domo, proponendo principia, & definitiones, explicando naturam ſubiecti, & concludendo de ipſo proprietates, parum enim curat Architectus, ſitne domus in Categoria ſubſtantiæ, an in Categoria qualitatis, & quo medio poſſit vti ad concludendas proprietates, num definitione ſubiecti, vel proprietatis, quæ omnia ſunt neceſſaria ad ſcientiam requiſita: at Dialectica hæc omnia præſtat circa ſuum obiectum, vt etiam tyronibus eſt manifeſtū, quare erit illa vere ſcientia, & non artes mechanicæ, quamuis poſſint habere illud commune, vt verſentur in rebus vniuerſis.

Aduerſus tertiam ſolutionem ita argumentor. Mathematicæ artes, vt Arithmetica, & Geometria verſantur in ente ſecundum quid, ſcilic. in accidente, vt in numero, & magnitudine, quę tamen ſunt ſimpliciter ſcientiæ, quare quamuis ens rationis non ſit ſimpliciter ens, nihilominus poterit Dialecti. eſſe ſimpliciter ſcientia. *Confut. 3. ſolut.* Animaduertere ſiquidem debuiſſent hi auctores, obiectum ſcientiarum poſſe ſumi, vel in ratione entis, vel in ratione ſcibilis, ab obiectio primo modo, nõ habent ſcientiæ quod ſint ſimpliciter tales, ſed ab obiecto altero modo: & quia ens rationis, quod eſt obiectum Dialecticæ, eſt ſimpliciter ſcibile, nam ſimpliciter habet principia, ſubiectum, & proprietates, propterea ab illo ita ſumpto, dicetur Dialectica ſimpliciter ſcientia. Validum igitur erit hoc ſecundum argumentum propoſitum.

Obiectum ſcientia d... plicitur ſ... mitur.

4. Arg. Præterea. Habitus quorum beneficio verum apprehendimus ſunt tres, intelligentia, ſcientia, & opinio, Ariſtot. 1. *de demonſtr. cap. 26.* (ſub opinione complectimur fidem, eſt enim illa, opinio quædam firma tamen, conſtans & roborata) ſed dialectica eſt habitus, cuius beneficio apprehendimus verum, ergo vel erit intelligentia, vel ſcientia, vel fides, vel opinio: non opinio, quia illa eſt habitus incertus, & cum formidine: Dialectica vero eſt habitus certus: nam certum eſt demonſtrationem generare ſcientiam, & argumentum probabile opinionem: non fides, quia ipſa eſt ineuidens, dialectica vero euidens eſt, nam in exemplis propoſitis euidens eſt demonſtrationem generare ſcientiam, quia procedit ex veris, primis, & immediatis, &c. & argumentum Topicum opinionem, quia progreditur ex probabilibus. Non intelligentia, quia non verſatur circa prima, & in demonſtrabilia principia. A ſufficienti igitur diuiſione, dialectica erit ſcientia.

Iterum ſcientia eſt habitus acquiſitus per veram & legitimam demonſtrationem, ſed in dialectica dantur permultæ demonſtrationes, ergo dialectica erit ſcientia. Confirmatur aſſumptio ex exemplis ſæpe repetitis, in parte analytica datur hæc demonſtratio. Omnis ſyllogiſmus qui conſtat ex veris, primis, & immediatis generat ſcientiam: ſed demonſtratio eſt ſyllogiſmus qui conſtat ex veris, primis, & immediatis: ergo demonſtratio generabit ſcientiam. In parte Topica datur hæc altera: omnis ſyllogiſmus qui conſtat ex propoſitionibus probabilibus generat opinionem, ſed ſyllogiſmus Topicus conſtat ex propoſitionibus probabilibus, ergo ſyllogiſ...

Topicus generabit opinionem. In Sophiſtica hæc altera. Omnis ſyllogiſmus qui conſtat ex propoſitionibus apparentibus, generat apparentiam: ſed ſyllogiſmus ſophiſticus conſtat ex propoſitionibus apparentibus, ergo generabit apparentiam.

Concluſio. 2. Concluſ. Dialectica ſumpta pro parte Topica & ſophiſtica, eſt vere & proprie ſcientia. Ita Scotus *q. 1. Elencho. M. Soto, & Vera cruce, vbi ſupra.* Quæ aperte ſequitur ex ſuperiori, nam ſi vniuerſa ars (vt demonſtratum eſt) eſt ſcientia vere & proprie, partes illius vt Topica & ſophiſtica ſcientiæ erunt. Confirmari tamen poteſt ad hunc modum. Scientia eſt cognitio certa & euidens rei per ſuam cauſam, ſed in parte Topica & Sophiſtica datur certa & euidens cognitio rei per ſuam cauſam, ergo hæ partes vere & proprie erunt ſcientiæ vocandæ. Confirmatur aſſumptio. In parte Topica ſcimus ſyllogiſmum probabilem generare opinionem, quia procedis ex probabilibus, & in parte ſophiſtica ſyllogiſmum apparentem generare fallaciam, qua progreditur ex apparentibus, atqui hæ ſunt certæ & euidentes cognitiones, non minus quam ſit illa, qua cognoſcimus in parte analytica ſyllogiſmum demonſtratorium generare ſcientiam, ergo in parte Topica, & ſophiſtica reperitur certa & euidens cognitio, vnde inanis erit ſententia Lemoſii & Themiſtii, qui profitentur has partes non eſſe ſcientias.

Concluſio. 3. Concluſ. Quamuis Dialectica ſit ſcientia, non tamen eſt aliarum omnium nobiliſſima, vt alii volunt. Confirmatur. Vna ſcientia eſt altera nobilior, aut quia verſatur in obiecto nobiliori, aut quia vtitur accuratiſſimis demonſtrationibus, vt conſtat ex Ariſt. 1. *lib. de anima, c. 1.* ſed nullo modo dialectica eſt aliis ſcientiis nobilior, ergo non eſt ſcientia nobiliſſima. Confirmatur aſſumptio. Imprimis non verſatur in obiecto nobiliori, cum verſetur in ente rationis, quod eſt ignobilius ente reali in quo alias ſcientias verſari nullus dubitat. Neq; eſt nobilior, quia vtatur exactiſſimis demonſtrationibus, nam vt prætermittamus innumera argumenta probabilia, quibus intra artem vtitur Dialectica, Mathematicæ artes hoc genere nobilitatis reliquas omnes vincunt, progrediuntur enim illæ accuratiſſimis demonſtrationibus. Neq; auctoritates in patrocinium horum auctorũ propoſitæ aliquo modo ipſis fauent, quia omnia illa Dialecticæ encómia, non nobilitatem, & excellentiam inter reliquas ſcientias, ſed neceſſitatem ad illas conſequendas indicare vidẽtur. Quamuis ad auctoritates traditas ex Platone, reſpondere poſſimus, ipſum nomine Dialecticæ non artem diſſerendi, ſed Metaphyſicam intellexiſſe, quemadmodum Marſilius Ficinus *ex Plotino Æneade. 1. lib. 3. cap. 5. & 8.* Celius Rodiginus *lib. 4. lectionum antiquarum,* & Lemoſius *lib. 1. paradoxorum, errore 7.* interpretantur, quidquid in hac re dicat Nunneſius *in libro de conſtitutione Dialectica*, putans apud Platonem Dialecticã ſemper ſumi pro arte diſſerẽdi, cuius opinionem optime refutat Lemoſi. in hoc loco.

4. Concluſ. Dialectica poteſt dici facultas, & poteſt etiam non dici. Facultatis enim nomen poteſt habere tres ſignificationes, prima qua ſignificat potentiam a natura tributam, vt intellectum aut viſum. Secunda in qua ſignificat habitum, qui in vtramq; partem poteſt ferri. Tertia in qua ſignificat quamlibet artem, & habitum potentiæ inhærentem, quo ornata facultas poteſt recte ſuas actiones exercere. Primo modo Dialectica arte conſtans, non eſt facultas: quia non eſt potentia naturalis, nobis a natura conceſſa. Naturalem tamẽ Dialecticam hoc modo vocare poſſumus facultatem, eſt enim illa potẽtentia naturalis definiendi, diuidendi, & argumentandi. Secundo modo, Dialectica pro tota arte non eſt facultas: ſed pro ſola parte Topica. Et ratio eſt, quia pars analytica non fertur in vtramq; partem, ſed in vnam determinatam, veram ſcilicet, ex 1. *de demonſtratio cap. 1.* Topica vero fertur in vtramque partem quæſtiam aientem quam negantem, communibus & probabilibus argumentis, atque ita vocari poterit facultas. Tertio vero modo, tota ars dicitur facultas: nam tota illa diſponit intellectum, ad ſua munera, & functiones recte exequendas, qua etiam ratione Ariſt. 1. *Ethi. cap. 1.* omnes ſcientias, artes, & habitus, vocat facultates. *Legendus eſt Zabarella in loco ſup.* *4. Cõcluſio.*

5. Concl. Dialectica nõ eſt proprie ars, ſed per quandam ſimilitudinem. Non eſſe proprie artem confir. Quia ars, vt ex Ariſto. diximus, eſt principium operum quæ fiunt extra operantẽ, nam in hac re ſeparantur ars & prudentia, quia hæc eſt principium actionum immanentium, quę remanent in operante, ars vero illarum quę extra tendunt: ſed Dialectica non eſt principium operationum exteriorum, nam definire & argumentari, quæ ſunt actiones Dialecticæ, remanent in definiente, & argumentante, non enim exercentur vllis membris corporeis, ergo dialectica non erit ſimpliciter & proprie ars. Eſſe tamen per quantam ſimilitudinem, & ſecundum quid, ex eo poterit ſuaderi: quia eſt principium aliquorum operũ rationis, & intellectus: at quæ ſunt horum operum principia poſſunt ſecundum quid, & per ſimilitudinem vocari artes. Et *5. Concluſio.* *Confir.*

tes. Et hoc eſt quod docebat D. Th. 1. 2. *q.* 57. *art.* 3. *ad* 3. *arg.* conſtituens in ſpeculatiuis reperiri quaſdam operationes, vt conficere ſyllogiſmũ, ornate loqui, & aliquid metiri, & habitus qui ſunt harum operationum principia, vocari poſſe artes non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Obiect. Verum dicet aliquis ars & ſcientia ſunt habitus diſtincti, ex Ariſtot. 6. *Ethic. c.* 3. ſed diximus Dialecticam eſſe ſcientiam, ergo non erit ars.

Solutio. Reſpondemus imprimis artem proprie dictam, & ſcientiam maxime diſtingui, non tamen illam quæ dicitur improprie, & per quandam ſimilitudinẽ, qualis eſt Dialectica. Reſpondemus deinde artem & ſcientiam non diſtingui, vt duo contraria, quæ eidem ſubiecto ineſſe non poſſunt, vt albedo & nigredo, ſed tanquam ſuperius, & inferius, nam ſcientia ſuperior eſt arte: ea autem quæ hoc modo differunt eidem habitui conuenire optime poſſunt, quemadmodum ſapientia, & ſcientia, ex ſent. D. T. *q.* 2 *ſuper Boe. de Trin. art.* 2. *ad* 1. differunt hoc modo, nam ſapientia, ſuperior eſt ad ſcientiam, & ita conueniunt eidem habitui Metaphyſico: vocatur enim Metaphyſica ab Ariſt. 1 *Metaph. c.* 1. ſapientia, & 6. *c.* 1. ſcientia. Vnde idem habitus Dialecticæ, & ſcientia, & ars commode vocari poterit.

6. Concluſio. 6. Concl. Dialectica eſt ſcientia ſubalternata quodammodo, Metaphyſicæ, & ſcientiæ de anima. Eſſe ſubalternatam Metaphyſicę conſtat, quia agit dialectica de particula quadam entis, ſ. de ente rationis: Metaphyſica vero de omni ente, tam rei quã rationis, at ſcientiæ quæ agunt de aliqua particula entis, ſunt quodammodo ſubalternatæ illi, quæ agit de toto ente. Deinde ſubalternari ſcientiæ de anima ex eo fieri poteſt manifeſtum, quia dialectica agit de intellectuali compoſitione rerum, id eſt, qua ratione componendæ ſint, vel connectendæ ab intellectu res ipſæ, iuxta rationem generis, ſpeciei, differẽtiæ, ſubiecti, & attributi. Agere vero de intellectu, vel de eius compoſitione, munus eſt Philoſophi in libris de anima.

Ad argum.
Ad 1. Æquum eſt iam, vt argumentis propoſitis in principio ſatisfaciamus. Ad 1. reſpon. Ariſtot. in illis locis tantum feciſſe mentionem ſcientiarum rei, illaſque ſolas diuiſiſſe, ac proinde nihil mirum ſi prætermiſſa fuerit dialectica, quæ non eſt ſcientia rei ſed rationis. Ad confirm. dicimus, hanc diuiſionem ſcientiæ in rei & rationis, non fuiſſe prætermiſſam ab Ariſt. ſed implicite ab eo fuiſſe explicatam. Diuidit ſiquidem 1. *Top. cap* 12. & 2. *de genera animal. ca* 6 quæſtionem in naturalem, moralem, & logicam, in qua diuiſione quæſtionum, implicite continetur diuiſio ſcientiæ, in ſcientiã rei & rationis, nam cum tot ſint ſcientiæ, quot quæſita, *ex* 2. *de demon. c.* 1. ſi quæſita quædam ſunt rei, vt naturalia, & moralia: & alia rationis, vt Logica, quædam erunt ſcientiæ reales, & aliæ rationis. Et certe quamuis hæc diuiſio non fuiſſet propoſita ab Ariſtot. cum ſit à Philoſophis grauiſſimis, tam Latinis quam Arabibus propoſita, non eſſet illa vllo modo repudianda. Ad 2. argum. reſpondemus inter ſcientias ſpeculatiuas, quaſdam eſſe pure ſpeculatiuas, & alias ſpeculatiuas organicas, vt ſunt illæ quæ præter ſpeculationem ſui obiecti, conficiunt inſtrumenta quæ poſſint aliis ſcientiis deſeruire, in quo genere continetur dialectica. Ariſt. ergo conſtituẽs problemata dialectica non eſſe contemplationis, locutus eſt de problematibus puræ contemplationis, vt ſunt problemata Mathematica, vel Metaphyſica. Præterea ſcientiæ quæ præter hanc rationem nullam aliã obtinent organi, vel inſtrumenti, in ſola cõtemplatione rerum verſantur, at organicæ, præter contemplationem verſantur quoque in conficiendis inſtrumentis aliis diſciplinis, è quorum numero princeps eſt Dialect. Ad 3. reſp. negando aſſumptionem: quia Dialectica in rebus neceſſariis, & quæ non fiunt à nobis verſatur, nam verſatur in definitione, diuiſione, & argumẽtatione in cõmuni, in habitudine ad ſua principia, & proprietates, quæ ita ſumpta, nullo modo fiunt à nobis, non enim fit à nobis definitionem conſtare genere & differentia, rem diuiſam debere diuidi per contrarias differentias, & argumentationem conſtare debere tribus terminis. Licet enim hæc vel illa argumentatio, vel definitio, fiant à nobis in ſingulari, tamen diffinitio, & diuiſio in communi, in habitudine ad ea quæ ſunt declarata, non fiunt à nobis, ſed ita ſumpta ſunt res neceſſariæ, & perpetuæ. Et hac eadem ratione ſoluere poſſumus argumentum petitum ex illa auctoritate Ariſtot. 7. *Metaph. cap.* 7. Ars eſt habitus qui verſatur in his quæ fiunt à nobis, vel quorum principium eſt in nobis, ſcientia vero in his quæ fiunt à natura, vel in his quorum principium eſt in rebus ipſis, quare cum dialectica verſetur in his quæ fiunt à nobis, & quorum principium (ſcilicet intellectus) eſt in nobis, erit ars & non ſcientia. Negandum ſiquidem eſt ea in quibus verſatur dialectica in communi, & in habitudine ad ſua principia, & proprietates, fieri à nobis, & ipſorum principium eſſe in nobis, licet enim hæc demonſtratio vel definitio à nobis fiat, tamẽ demonſtrationem generare ſcientiam, non fit à nobis, & huius principium in ipſa eſt demõſtratione, & non eſt noſter intellectus, nam principium eſt conſtare ex veris, primis, & immediatis

(In the right margin, beside "modo repudianda. Ad 2. argum.":) *Solut.* 2.

(In the right margin, beside "numero princeps eſt Dialect. Ad 3.":) *Solut.* 3.

quod profecto eſt in ipſa demonſtratione, eo modo quo definitio eſt in re definita. Ad quartum reſpondemus imprimis, Dialecticam non eſſe modum ſciendi, ſed tradere cognitionem modi ſciendi, aliud enim eſt modus, & aliud cognitio modi. Quod ſi apud D. Th. vel alium grauem Philoſophum, legamus ipſam eſſe modum ſciendi, interpretari debet cauſaliter, & non formaliter, eo quod Dialectica eſt cauſa quædam tradens nobis cognitionem modi ſciendi. Et quidem non eſſe ipſam formaliter modũ ſciendi, ex eo conſtat, quia inſtrumenta modi ſciendi ſunt definitio, diuiſio, & argumentatio: at Dialectica non eſt definitio, &c. ſed tradit illius, & aliorum modorum ſciendi cognitionem. *[Solut. 4.]*

[Solut.] Iterum reſpondemus ex Alexandro *in commentariis huius loci*, & Lemoſio, 1. *lib. Paradoxorum errore 5.* per modum ſciendi non eſſe intelligendam Dialecticam, ſed methodum quandam peculiarem, quæ tradi debet ante ipſas ſcientias, de qua loquutus eſt Ariſt. 1. *lib. de partibus animaliũ c. 1. & ita in hoc loco. 1. Phyſic. cap. 1. 1. Ethic. cap. 3. & in aliis multis locis*, illico in principio proponit nobis methodum retinendam in illis diſputationibus. *[Solut.]* Vel cum communi ſolutione dicere poſſumus, Dialecticam docentem eſſe ſcientiam, vtentem vero modum ſciendi, & ad argumentum, non poteſt eſſe idem ſcientia, & modus ſciendi, reſpondemus verum eſſe de eodem iuxta eundẽ modum falſum tamen ſi idem diuerſo modo vſurpetur. Ad confirmationem vero reſpondemus duplicem eſſe modum ſciendi, vnum naturalẽ, & alterum artificialem. Intereſt igitur inter Dialecticam, & alias ſcientias, quia aliæ acquiri debent per modum ſcientię artificialem, nimirum per Dialecticam, vel per opera ab ipſa confecta. Dialectica vero non poteſt ſecundum ſe totam per hunc modum comparari, ſed comparabitur per modum ſciendi naturalem, nam poſteriores demonſtrationes acquirentur beneficio mediarum, & mediæ beneficio priorum & tandem primæ per modum ſciendi, vel Dialecticam naturalem, ibique ſiſtendum erit, neque dabitur progreſſus in infinitum.

[Solutio 5.] Ad 5 dicimus, Dialecticam docentem verſari in certa & determinata materia, nam verſatur in ente rationis: Vtentem vero non habere materiam determinatam, & de hac intelligendæ ſunt auctoritates propoſitæ ex Ariſtot. Vel intelligi debent de Dialectica pro parte Topica, quæ non habet certam aliquam materiam, cum poſſit de rebus omnibus in vtramque partem probabiliter diſputare.

[Solut. 6.] Ad 6. reſpondemus falſam eſſe aſſumptionem. Ad cuius confirmationem negamus quoque aſſumptionem, & ad primam confirmationẽ dicimus, ens rationis habere veras cauſas. *[Cauſa rei & rationis.]* Sciendum enim eſt quaſdam eſſe cauſas rei, vt corpus & anima in homine, & alias rationis, quæ vocari ſolent rationes formales, vt ſunt in ſpecie, genus, & differentia. Vnde quamuis in ente rationis non dentur cauſæ prioris generis, quia ita eſſet ens rei, dantur tamen aliæ ſecundi generis, nam ſcimus demonſtrationem generare ſcientiam propter hanc cauſam, quia conſtat ex veris, primis, &c. Neque eſt neceſſe vt omnes ſcientiæ progrediantur ex cauſis rei, ſed ſat eſt vt progrediantur ex cauſis ſecundum rationem, nam in Theologia & Metaphyſica, multa ſcimus de Deo, & cauſis ſeparatis, per hoc genus cauſæ, vt ſcimus Deum eſſe æternum, quia eſt omnibus modis immutabilis. Ad ſecundam confirmationem reſpondemus, ens rationis habere veras & legitimas proprietates, quæ quænã ſint, & qua ratione de eis prædicetur ens rationis, explicabimus in quaſt. de obiecto Dialecticæ, in qua huic confirmationi ſatisfaciemus.

[Ad 7.] Ad 7. reſpondemus negandam eſſe conſequentiam, nam Mathematicæ artes, vt diximus, ſunt ſimpliciter ſcientiæ, quæ tamen verſantur in ente ſecundum quid nimirum in accidente. *[Solut. 2.]* Vel reſpondemus, ens rationis in genere entis eſſe ens ſecundum quid, in ratione tamen ſcibilis eſſe ens ſimpliciter, quia non minus habet principia, & proprietates quæ efficiunt ſubiectum aliquod ſcibile, quam habeant obiecta aliarum ſcientiarum, vnde & Dialectica quæ hac ratione verſatur in ente rationis, erit ſimpliciter ſcientia. *[Ad 1. confir.]* Ad confirmationem dicimus falſam eſſe propoſitionem, & ratio diſcriminis eſt ſatis aperta: quia tota entitas ſecundum eſſentiam reperitur in ente rei; per attributionem vero ad illud, & per participationem reperitur in ente rationis: at tota ratio ſcientiæ non reperitur in ſcientia rei ſecundum eſſentiam, & per participationem in ſcientia rationis, ſed in vtraque ex æquo reperitur, nam ita ſcit ſciẽtia rationis proprietates ſui obiecti per veras, & legitimas cauſas, ſicuti & ſcientia rei quare non eo modo quo ſe habebit ens, ad ens rei & rationis, ita quoque ſe habebit ſcientia ad ſcientiam realem, & rationis. *[Ad 2. confir.]* Ad 2. confirmat. eiuſdem argumenti reſpondemus nos quando facimus obiectum Dialecticæ ens rationis, nõ ſumere illud in late patente ſignificatione, vt ambit priuationes, & negationes, ſed in alia anguſtiori, vt ambit relationes rationis: & quamuis priuationes & negationes cognoſcantur per entia rei, de relationibus tamen dicimus eſſe probabile illas non

cogno-

cognoſci per ſpeciem entis rei, ſed per propriam ſpeciem, vt explicabimus agentes de rebus vniuerſis. Et certe quamuis admitteremus illud nõ cognoſci per ſpeciem propriam, ſed alienam ſcilicet ſui fundamenti, vt *infra agentes de ente rationis q.5.* tanquam probabilius oſtendemus, Non recte colligitur, ergo ens rationis non eſt per ſe, & ſimpliciter ſcibile, nam quamdiu ſumus in via, non cognoſcimus Deum per propriam, ſed per alienam ſpeciem creaturarũ, qui tamen eſt ſimpliciter ſcibilis in Theologia, & *Ad 8.* Metaphyſica. Ad 8 reſpondemus de ratione habitus ſcientifici, eſſe inflectere intellectum ad cognitionem certam & euidentẽ per media neceſſaria, non tamen per probabilia, nam per hęc tantũ inclinat ad cognitionẽ obſcuram, & cum formidine, vel ad opinionem. Vnde Dialectica per media neceſſaria inclinabit ad certam & euidentem cognitionem, & per probabilia ad obſcuram & formidoloſam: num autem ſint duo habitus in Dialectica, quorum vnus inclinet ad vnã ex his cognitionibus, & alius ad alte- *Ad 9.* ram, poſtea oſtendemus. Ad 9. diſtinguenda eſt aſſumptio, quia vel loquimur de parte Topica docente, vel de vtente, prima in explicanda natura ſui obiecti nõ probabilibus, ſed neceſſariis vtitur argumentis: altera vero, cum in rebus omnibus verſetur per communia principia quæ generant opinionem, progreditur argumentis probabilibus, & de hac intelligendus eſt Ariſt. in locis citatis, verum hæc non eſt ſcientia, ſed altera prior, & idem dicendum eſt de Sophiſtica, docentem vti argumentis neceſſariis, vtentem vero, quæ non eſt ſcientia, apparentibus. Ad confirmationem vero de parte Sophiſtica, reſpondemus cum Scoto *q.3. Elenchorum ad 3.* Sophiſticam vtentẽ verſari in eo quod non eſt, docentẽ vero, in eo quod eſt, nam verſatur in certo obiecto, cuius proprietates inquirit, per propria & peculiaria principia, & hanc facimus ſci- *Ad 10.* entiam, vtentem vero nequaquam. Ad vltimum reſpondemus Ariſt. in illa auctoritate nõn fuiſſe loquutum de Dialectica pro tota arte, ſed ſolum pro parte Topica, ea nimirum ratione, qua eſt vtens, nam cum ita de quolibet ſibi propoſita materia per communia principia diſputet probabiliter, in vtramque partem, dicitur facultas.

QVÆSTIO VI.

An Dialectica vtens ſit ſcientia.

QVÆ in ſuperiori quæſtione explicata fuerunt, ſpectant ad Dialecticam docentem, ſequitur vt de vtente, ſitne illa ſcientia vocãda, necne in hac quæſtione diſputemus. Sunt qui putant Dialecticam vtentem ea ratione qua vtens eſt eſſe quoque ſcientiam, non minus quam eadem vt eſt docens, cui opinioni adhærere videntur Græci, nam cum iuxta illos Dialectica vtens ſint aliæ ſcientiæ, vt Metaphyſica *1. Opin. Græco.* vel Philoſophia, vt vtuntur præceptis Dialecticis, quæ veram & legitimam rationem ſcientiæ obtinent, profecto Dialectica vtens iuxta illos erit ſcientia. Poteſt hæc opinio confirmari his argumentis

1. Dialectica docens & vtens ſunt vnus habi- *1. Argum.* tus, ſed Dialectica docens eſt ſcientia, ergo & vtens erit ſcientia. Secundum, Dialectica vtens *2. Argum.* eſt habitus ſpeculatiuus, ergo vel erit intelligentia, vel ſapientia, vel ſcientia, ſed non eſt intelligentia, neq; ſapientia, ergo erit vere & proprie ſcientia. Præterea, vſus non aufert ab aliqua re *3. Argum.* propriam ipſius rationem, quemadmodum vſus mallei non aufert à malleo eius rationem, ſed Dialectica iuxta propriam eius rationem eſt ſcientia, ergo vſus ipſius non aufert ab ea hanc rationem. Alii vero diſtinguunt de Diale- *2. Opin.* ctica intra & extra artem, dicuntque Dialecticam extra artem non eſſe ſcientiam, intra vero eſſe propter hanc rationem, quia extra artem progreditur argumentis communibus & probabilibus: intra vero argumentis neceſſariis, at habitus qui progreditur argumentis probabilibus, non eſt ſcientia. Eſt autem tertia opinio *3. Opin.* multo verior, ſcilicet, Dialecticam vtentem nullo modo eſſe vocandam ſcientiam, quam ſequuntur D. Thom. *4 Metaph. ca.2. lectione, 4.* Auerroes *2. Metaph. cap. vlt. & 1. de cœlo, textu 70.* D Albertus Magnus *in primis, cap. ſua Logica*, Soto *qu.2. proœmiali, concluſ.2.* Scotus *quæſt.1. in Porphy. & qu.1. Elenchorum*, Toletus *quæſt 2. proœmiali.* Palacius *1. de anima, cap.1.* & Sueſſanus *1. de demonſtrat. textu 17.* vbi adfert Alpharabium, Auicennam, & Algazelem pro hac ſententia.

In explicationem ſit prima concl. Dialectica *1. Concluſ.* vtens extra artem etiam ſumta pro parte analytica, ea ratione qua eſt vtens, non eſt ſcientia. Diximus ea ratione, qua eſt vtens: quia vt eſt idem ſecundum rem cum docente, eſt ſcientia quemadmodum & ipſa docens. Confirmatur.

1. Quia hac ratione Dialectica non verſatur *1. Arg.* in aliquo certo rerum genere, at ſcientia quælibet certum aliquod genus rerum ſibi explicandum proponit.

2. Quia omnis ſcientia progreditur per pro- *2. Arg.* pria & determinata principia ex *1. de demon. c.7. & 9.* aliter enim nõ eſſet cognitio euidẽs ſui obiecti, ſed Dialectica vtens non progreditur per propria, ſed per communia principia, teſte co-

dem Ariſt. 2 *de generatione animalium, cap. vlt.* progreditur enim per notiones intellectus, generis ſcilicet, ſpeciei, ſubiecti, & attributi, & alias quæ non attingunt propriam rei naturam, ſed accidunt cuique generi rerum, ergo Dialectica ita ſumpta non erit ſcientia.

Concluſ. *Co fut.* *onclu.ſ.* *Argum.* 2 Concluſio. Dialectica vtens pro parte Topica, non eſt ſcientia. Hæc apertior eſt quam ſuperior, & certe ex eo ſolum conſtare poſſet, quia ipſa ita ſumta, neq; in aliquo certo genere rerum, neque in certa & euidenti cognitione alicuius obiecti verſatur, quæ duo ad rationem ſcientiæ ſunt omnino requiſita. Primum nimirum non verſari in certo genere rerum, docet Ariſt. 1. *de demonſtr. cap.* 8. *&* 1. *Elench. c.* 10. *&* 11. *&* 4. *Metaph. cap.* 2. Alterum vero non verſari in certa & euidenti, ſed in ſola probabili, docet idem 1. *Topic. cap.* 12. vbi inquit de problematibus propoſitis ad veritatem ſpectare ad Philoſophum, ſecundum vero opinionem ad dialecticam, *&* 2 *Elenchorum* ſæpe repetit ad Dialecticum tantum ſpectare probabiliter dicere, & in aliis multis locis, quæ ob breuitatem prætermittimus.

Argum. Adhæc omnis ſcientia debet aliquam partem quæſt. illam ſcilicet, quæ vera eſt explicandam proponere *ex* 1. *lib. de demonſt. cap.* 8. Dialectica vero vtramq; partem quæſt. explicat probabiliter, ob quam cauſam 1. *Rhetor. cap.* 2. dicta eſt facultas, ergo non erit hac ratione ſcientia. *Argum.* Iterum Dialectica vtens, vtitur ad quæſtionem explicandam mediis communibus, vt accidentibus, circumſtantiis, & aliis huius generis, quæ rei naturam nullo modo attingunt. Vnde fit, vt ab Ariſt. ſæpe in Philoſophia rationes hæ communes, rationes Logicæ appellentur: at ſcientiæ non per huius generis media, ſed per media intrinſeca, & quæ rei naturam attingant progrediuntur, quare ita ſumpta non erit ſcientia, & idem aſſerendum eſt de parte Sophiſtica, quæ eſt veluti quædam pars Dialecticæ Topicæ, de qua Ariſtot. 4 *Metaphyſ. cap* 2. agens, aperte à ratione ſcientiæ illam excludit, cum inquit non verſari ipſam in aliquo certo rerum genere, ſed de rebus omnibus diſputare ſecundum apparentiam, *&* *lib.* 11 *cap.* 3 docet Dialecticam, & Sophiſticam agere de his quæ entibus eueniunt, ſed non prout entia ſunt.

Concluſ. 3. Concluſio. Dialectica vtens ea ratione, qua eſt vtens, neque intra artem, & ſuos proprios limites, eſt vocanda ſcientia. Confirmatur. *Argum.* Quia vſus ſcientiæ non eſt ſcientia, quemadmodum neque vſus mallei eſt malleus, aut vſus facultatis videndi eſt ipſa facultas: Dialectica autem intra proprios limites, & vt eſt in præceptis eſt ſcientia, vt diximus in quæſtione ſuperiori, quare ita ſumpta non erit ſcientia. Vt etiam illud addamus, ſcientiam aut ſemper progredi argumentis neceſſariis, aut fere ſemper, at dialectica vt intra ſuam artem reuocat ſua præcepta ad vſum definiendi, diuidendi, & argumentandi, magis vtitur argumentis probabilibus, quam neceſſariis. *2. Argum.*

4. Concluſio. Dialectica hac ratione ſumpta eſt modus ſciendi. Hanc omnes auctores adducti in 3 opinio. profitentur. Et confirmatur, quia Dialectica vtens tradit nobis inſtrumenta ſciendi, nimirum definitionem, diuiſionem, & argumentationem, erit igitur hac ratione modus ſciendi. Quod intelligi debet cauſaliter, vt inquit Scotus, eo quod à Dialectica, tanquam à ſua propria, & legitima cauſa hæc inſtrumenta, quæ ſunt modi ſciendi oriantur, non autem formaliter, aut ſecundum eſſentiam, quia Dialectica vtens formaliter non eſt definitio, diuiſio, vel argumentatio. *4. Concluſ.* *Vbi ſupra.*

Ad argumenta. Ad 1. reſpondemus negando conſequentiam, nam eſt argumentum fallax, & peccat fallacia figuræ dictionis, argumentamur enim à re ad modū rei, quamuis enim Dialectica docens, & vtens ſecundum rem ſint vnum, & idem, modo tamen, & ratione formali differunt maxime ratione cuius modi Dialectica docens dicetur ſcientia, vtens vero non dicetur. Neganda eſt etiam conſequentia, quia argumentamur ab identica ad formalem, in propoſitione enim ſumitur Dialectica identice, vt eſt eadem res cum docente, in concluſione vero formaliter, & vt ratione differt ab ea, ſi tamen concluderemus, ergo Dialectica vtens, identice eſt ſcientia, admittēda eſſet cōſequentia: nihil tamen contra nos, qui non ita agimus de vtente, ſed vt ratione differt à docente. *Ad 1. arg.* Ad 2. reſpondemus illos habitus ſpeculatiuos propoſitos ab Ariſtot. eſſe habitus qui verſantur in certa & determinata veritate, tum etiam illorū ope infallibiliter verum apprehendimus, cæterum Dialectica vtens, neque verſatur in certo aliquo rerum genere, neque illius ope verum infallibiliter ſemper apprehendimus cum magis vtamur in ipſa rationibus probabilibus, quam analyticis, ac proinde non erit ſcientia, neque aliquis ex illis habitibus propoſitis. Præterea dicimus ibi Ariſtot. diuiſiſſe habitum ſpeculatiuum in has tres ſpecies, at vero Dialectica vtens non eſt habitus, ſed vſus illius, quare neque erit ſub illis habitibus comprehenſa. *Ad 2.* Ad 3. reſpondemus admittentes vſum Dialecticæ ab habitu Dialectico non auferre rationem ſcientiæ, neque enim euertit vſus Dialecticæ à Dialectica *Ad 3.*

docen-

docente rationem habitus, vel ſcientiæ, quem admodum neque vſus mallei aufert ab illo propriam illius rationem. Verum, quod dicimus, eſt, hunc vſum non retinere rationem propriam ſcientiæ: neque propter illum habitum Dialecticam vocari poſſe ſcientiam, vt in eodem exemplo, vſus mallei non retinet rationem inſtrumenti, neque conſtituit ipſum in tali ratione. Ad argumentum vero, quo vtebantur auctores ſecundæ opinionis, reſpondemus inprimis, falſum eſſe, Dialecticam vtentem ſemper vti intra artem argumentis neceſſariis, cum frequentius vtamur in ea argumentis probabilibus. Reſp. deinde negando conſequentiam, nam quamuis admitteremus, Dialecticam vtentem progredi per huiuſmodi argumenta, non tamen eſſet dicenda ſcientia, eo quod hac ratione non eſt habitus, ſed vſus illius, ſcientia vero ſecundum eſſentiam eſt habitus.

Ad argum 2. opin.

QVÆSTIO VII.

An Dialectica ſit pars Philoſophia.

Vetus multumque controuerſa extitit hæc quæſtio apud veteres & antiquos Philoſophos, in qua tres extiterunt apud ipſos inter ſe multum diſcrepantes ſententiæ.

Prima opinio.

Prima fuit Stoicorum, qui partem aientem ſibi defendendam ſuſceperunt, nam diuidebant Philoſophiam in tres partes, in naturalem, moralem, & rationalem, ſub qua vltima Dialecticam complectebantur, vt Plutarchus *1. lib. de placitis Philoſophorum, cap. 1.* & Diogenes Laertius *in vita Zenonis Stoicorum principis*, teſtantur. Vtebantur autem nonnullis argumentis, quæ poſtea noſtram ſententiam explicantes (cum ab hac Stoicorum parte non recedamus) proponemus.

2. Opinio.

2. Opinio eſt fere omnium Græcorum Peripateticorum, huic primæ opinioni contraria, quæ tuetur partem negantem, nullo ſcilicet modo Dialecticam eſſe partem Philoſophiæ, ſed tantum inſtrumentum: quam ſententiam ſequuntur Alexander & Philoponus *initio Commentariorum in Priora*, Ammonius *in principio Commentariorum in Categorias*, Magentinus *in principio librorum de interpretatione*, Euſtrathius *in principio Ethicorum*, & his omnibus auctoritate maior inter Latinos D. Thom. *ſuper Boetium de Trinitate, q 5. artic. 1. ad 2.* quam inter recentiores amplectuntur Nunneſius *in lib. de conſtitutione artis Dialecticæ*, Villalpandus *quæſt. 2. proœmiali in Porphyr.* Zabarella *in lib. de natura Logica*, Montaneſius *in præfat. ad Porphy* & Lemoſius *1. lib. paradoxorum Dialectic. errore 1.* & multi alij. Quam ſententiam ipſius patroni his argumentis confirmant. Primum eſt petitum ex teſtimonio Ariſtot. qui *1. Topic. cap. 9.* & 11. diuidit problemata in tres partes, in problemata contemplationis, actionis, & inſtrumentaria, vocatque inſtrumentaria problemata Dialectica, & non actionis vel cōtemplationis, in quas duas partes eſſe problemata Philoſophica diuidenda, iuxta Ariſtot. docet Diogenes Laertius *in ipſius vita*, & Plutarchus *1. lib. de placitis, cap. 1.* qui inquit, Ariſtotelem, Theophraſtum, & alios Peripateticos in has duas partes, contemplationis ſcilicet & actionis Philoſophiam diuiſiſſe. 2. Omnis pars Philoſophiæ in rerum conſideratione verſatur, vt Metaphyſica in rebus diuinis, & Philoſophia naturæ in rebus naturalibus, ſed Dialectica non verſatur in rebus, ſed in ſolis notionibus, ergo non erit pars Philoſophiæ. *1. Argum.* *2. Argum.*

3. Partes Philoſophiæ ſunt inter ſe impermixtæ, neque enim quædam cum aliis confunduntur, vt neque partes alterius totius, ſed Dialectica permiſcetur & confunditur cum omnibus aliis partibus Philoſophiæ: nam omnibus applicatur, ergo non pars, ſed inſtrumentum erit Philoſophiæ. *3. Argum.*

4. Dialectica eſt ignobilior omni parte Philoſophiæ, ergo non erit pars illius: conſequentia eſt [illegible], confirmatur antecedens. Scientia, quæ præbet aliis inſtrumenta, eſt illis ignobilior, ſed Dialectica præbet inſtrumenta omnibus partibus Philoſophiæ, ergo erit ignobilior omnibus aliis partibus. *4. Argum.*

5. Nullum inſtrumentum eſt pars eius rei, cuius eſt inſtrumentum, quemadmodum ſecuris non eſt pars fabri lignarij, cuius eſt inſtrumentum: ſed Dialectica eſt inſtrumētum omnium partium Philoſophiæ: ergo non erit pars illius. *5. Argum.*

Vltimum. Omnis pars Philoſophiæ expetitur propter ſe, Dialectica autem non expetitur propter ſe, ſed vt dirigat intellectum ad alias ſcientias capeſcendas, ergo non erit pars Philoſophiæ. His argumentis vtuntur, qui hanc ſententiam profitentur. *6. Argum.*

3. Opinio eſt, quæ vtramque ſententiam amplectitur, docetque, Dialecticam & eſſe partem & inſtrumentum Philoſophiæ: vnde neque erit ſolum inſtrumentum, ſed cum illius ratione, rationem quoque partis obtinebit, neque erit ſola pars, ſed cum ratione partis, & inſtrumenti quoque rationem ſibi vendicabit, quamuis alio & alio modo, vt explicabimus. Exiſtunt in hac opinione Plato, Platonici *3. Opinio.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

omnes, & Academici, qui exemplo brachij, quod ſimul eſt pars & inſtrumentum hominis, explicant Dialecticam eſſe ſimul partem & inſtrumentum Philoſophiæ. Subſcribuns huic opinioni ex Peripateticis, inter Græcos, Simplicius *initio commentariorum in Categorias*, Boetius *editione 2. in Porphyrium, in principio.* D. Albertus Magnus *tractatur Logica, cap. 2* Auicenna *in initio ſua Logica.* M. Sotus *quaſt. 2. proœmiali.* Fonſeca *2. lib. Metaph. cap. vlt. q. 3.* & alij.

Cæterum cum hæc quæſt intelligi nequeat, niſi prius propoſitæ fuerint Philoſophiæ definitiones, erunt illæ à nobis hoc loco proponendæ, non quidem omnes, hoc enim iam præſtitimus in præfatione Philoſophiæ, ſed illæ tantum, quæ huic noſtro inſtituto poterunt deſeruire.

Definitio. Prima definitio eſt petita ex nominis Etymologia Philoſophia eſt amor ſapientiæ. Philos enim amorem, ſophia vero ſapientiam ſignificat. Ortum habuit hæc definitio à Pythagora Samio, qui cum celebrem quandam orationem haberet coram Leontio Rege Philaſiorum, illamque Rex admiratus interrogaret Pythagoram, in qua arte eſſet ſapiens? reſpondit ille, ſe nõ eſſe ſapientem, ſed Philoſophum, id eſt, amatorem ſapientiæ. Teſt[illegible] huius rei ſunt D August. 8 *de ciuit. De*[illegible] vbi legendus eſt Ludouicus Viues, L[illegible] *lib.* [illegible] *cap. 2. inſtitutionum diuinarum*, [illegible]ertius [illegible] *de vitis, ſtatim in principio.*

Defin. 2. Definitio eſt. Philoſophia eſt cognitio rerum, vt res ſunt, quam tribus modis interpretari poſſumus. Primo cum Ammonio *in præfatione in Porphyrium*, rerum, vt res ſunt, id eſt, rerum vniuerſarum, nam hæ cum ſemper permaneant, magis quam ſingularia, quæ ſtatim labuntur, poſſunt res appellari. Secundo cum D Damaſceno *cap. 49. ſua Logica*, rerum, vt res ſunt, id eſt, rerum per ſua attributa eſſentialia. Tertio cum alijs per ſuas cauſas & principia, nam res tales ſunt, qualia ſunt illarum principia, & nihil aliud eſt philoſophari, quam cognito effectu ipſius cauſam inueſtigare. *Philoſophia quid.* Hinc ſiquidem ortum habuit Philoſophia, vt Plato *in Theæteto*, & Ariſt *1. lib. Metaph. cap. 2.* docuerunt, quãdo ſcilicet ex admiratione effectuum paulatim homines ad inueſtigandas illorum cauſas, mentem erexerunt.

Defin. 3. Definitio proponitur à D. Iuſtino Martyre *in Dialogo aduerſus Tryphonem.* Philoſophia eſt entis ſcientia, & veritatis cognitio. Et eadem fere eſt definitio propoſita à D. Alberto Magno, ex Arabibus Auicenna & Alpharabio, *tractat. 1. ſua Logica, cap. 2.* Philoſophia eſt comprehenſio cuiuſcunque admirabilis veritatis.

His definitionibus propoſitis, ſit prima cõcluſio. Dialectica eſt vera pars Philoſophiæ. *1. Concl.* Confirmatur inprimis ex illa veteri, & tam decantata apud omnes Philoſophiæ diuiſione, qua diuiditur in naturalem, moralem, & rationalem, vel Dialecticam, in qua Dialect. continetur, quæ ortum habuit vel ab Stoicis, vt ait Diog. *in vita Zenonis*, qui Zenoni illam tribuit in ſuo lib. de Oratione, à quo deinde reliqui Stoici, vt Chryſippus, Diogenes Babylonius, & Poſſydonius illam acceperunt. Vel, vt inquit Euſebius Cæſarienſis *lib. 11. de præparatione Euangelica, cap. 2. & aliis cap.* originem traxit ab Hebræis, & ſanctis Prophetis, omnium bonarum artium fontibus vbertimis, quam ſequuti fuerunt Ægyptij, vt teſtatur Pierius Valerianus *in quodam Hiereglyphico, lib. 38. de diſciplinis*, Plato *2. de Republic.* vt etiam illi tribuunt Euſebius in loco ſuperiori, & Apuleius *in lib. de dogmate Platonis*, Cicero *1. lib. quaſtionum Academicarum, & 1 de Oratore ad Quintum Fratrem*, Galenus *in libello, quod optimus Medicus & Philoſophus, ad finem, & in libro de hiſtoria philoſophica*, & ex ſanctis Patribus Diuus Auguſtinus *8. lib de ciuitate Dei, cap. 4. lib. 11. cap. 25* in quo loco ex hac tripartita diuiſione Philoſophiæ inueſtigat numerum perſonarum in ſanctiſſima Trinitate. Sicut enim in homine repetitur natura, quæ refert Patrem: ratio, quæ Filium, & vſus ab vtroque procedens, Spiritum ſanctum: ſic etiam triplex nobis data eſt ſcientia, naturalis, quæ Patrem, rationalis, quæ Filium, & moralis, quæ Spiritum ſanctum repræſentet. Et D. Hieronymus *tomo 3. Epiſtolarum ad Paulam Vrbicam, de interpretatione Alphabeti Hebraici*, iuxta hanc tripartitam Philoſophiæ diuiſionem, partitur ſacras literas in naturales, morales, & dialecticas, nam in Geneſi & Eccleſiaſte agitur de rebus naturalibus; in Prouerbiis vero, & in aliis ſparſim libris de moribus: in Cãticis vero, Euangeliis & Epiſtolis, de Dialectica, vel de ratione diſſerendi, nam ibi multa proponũtur, multa confirmantur & concluduntur, quæ ſunt propria munera Dialecticæ. Et Beda eandem diuiſionem admittit *tom. 1. in ſuo computo, vel in lib. de ratione numeri.*

Sunt tamen, qui hanc diuiſionem eo ſolo nomine reprehendant, quod non ſit peripatetica, neque ab Ariſt. vnquam propoſita, vnde illam faſtidioſe nimis reiiciunt, & reprehendunt, qui certe ſunt maxima & acerba reprehenſio- *Quorundã ſolutio.*

Digitized by Google

Reiicitur 1. henſione digni. Primo, quia cum hæc diuiſio nullo modo Ariſtot. aduerſetur, & habeat tot grauiſſimos viros, Philoſophiæ lumina, Platonem, dico, Stoicos, & Academicos, tot ſanctiſſimos Patres patronos, inepte & arroganter illam reprehendunt. *Secundo.* 2. Quia ſi licuit Ariſtot. *in Rhetorica ad Alexand.* Rhetoricam Philoſophiam nuncupare, nam ita habet: Proinde iam te pridem tua ſponte incitatum, etiam atque etiam hortor, dicendi Philoſophiam omni ſtudio complectere; cur etiam nobis non licebit iuxta eundem Ariſt. Dialecticam quæ eſt fons à quo oritur Rhetorica, partem Philoſophiæ conſtituere? *Tertio.* 3. Eſſe quoq; hanc ſentẽtiam expreſſam Ariſt. ita colligimus *lib. 1. Topic. c. 9.* diuidit ipſe quæſt. vel problemata in problemata cognitionis, actionis, & dialectica, vel inſtrumentaria, & *cap.* 11. explicans, ad quem artificem ſpectet agere de huiuſmodi problematibus, inquit, ſpectare ad Philoſophum, agere ergo de problematibus Dialecticis, munus eſt Philoſophi, quare & Dialectica ſub Philoſophia erit ab Ariſtotele comprehenſa. Quem ſane locum, ſi attente & pacato animo legerint, recedent, vt exiſtimo, à contraria, quam ſemel imbiberunt, opinione.

2. Argum. Confirmatur ſecundo eadem concluſio. Philoſophia eſt cognitio rerum, vt res ſunt, id eſt, vel vniuerſarum, vel iuxta ſua attributa eſſentialia, vel per ſuas cauſas & principia, vt diximus, ſed Dialectica agit de rebus hac ratione. Primo de rebus vniuerſis, vt de argumentatione, & aliis modis ſciendi in communi: Secundo iuxta ſua attributa eſſentialia, nam explicat demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum, & eſſe orationem, quæ duo ſunt attributa eſſentialia, primum demonſtrationis, & ſecundum ſyllogiſmi: Tertio agit de eiſdem rebus per ſuas cauſas & principia, nam docet demonſtrationem generare ſcientiam, per hanc cauſam, quæ eſt conſtare ex veris, primis, & immediatis, & genus dici de multis, per hanc cauſam, quæ eſt ipſum eſſe in multis, erit ergo Dialectica pars Philoſophiæ. *3. Argum.* Confirm. 3. Philoſophia definita eſt in alia diff. ſcientia entis, & cognitio veritatis, vel comprehenſio cuiuſcunque admirabilis veritatis, at Dialectica explicat naturam entis, rationis nimirum, & eſt comprehenſio quamplurium admirabilium veritatum, quæ in illa explicantur, vt etiam tyronibus eſt manifeſtum, ergo, &c. *4. Argum.* Quarto. Ad dirigendas actiones voluntatis, & ad recte beateque viuendum, conſtituta eſt vna pars Philoſophiæ, nimirum Philoſophia morum, quæ corrigit vitia, & inflectit voluntatem ad opera ſtudioſa, ergo ad dirigendas actiones intellectus erit alia pars Philoſophiæ conſtituenda, cum non ſit minor ratio actionum intellectus, quam voluntatis, imo multo maior, ſed Dialectica eſt, quæ dirigit actiones intellectus, corrigit illius vitia, & inflectit mentem ad veritatem aſſequendam, ergo erit pars Philoſophiæ. 5. Philoſophia debet eſſe ſibi ſufficiens, neque alicuius ope egens, vt ſuis morbis & erroribus medeatur, atqui ſine Dialectica nulla pars Philoſophiæ poteſt ſuis erroribus mederi, cum veteres Philoſophi, qui ſtudiis Philoſophiæ maxime incubuerunt, ob imperitiam Dialecticæ in varios & abſurdiſſimos errores prolapſi fuerint, vt illis obiicit Ariſtot. 4 *Metaph. cap.* 3. *& lib 1. Phyſ. cap.* 2. ergo, &c. Et confirm. argum. Dialectica docet philoſophari, ſcilicet ex effectibus cognitis, cauſas ignotas inueſtigare, neque hoc dubium eſſe poteſt, cum tradat ipſa omnem modum diſſerendi, atque vnus modus demonſtrationis à poſteriori, ex effectibus cauſas concludere, erit ergo pars Philoſophiæ. *5. Argum.*

Concluſ. 2. Dialectica eſt etiam inſtrumentum Philoſophiæ, itaque vtramque rationem obtinebit, & rationem partis, & rationem inſtrumenti, quemadmodum manus & partis & inſtrumenti rationem obtinet in corpore animalis. *2. Concl.* Hæc a pie eſt Ariſt. *1. Top. c. 11* vbi quæſt. Dialecticas vocat inſtrumẽtarias. *Confirm.* Et omnium Dialecticorum, qui inter præclaros titulos Dialecticæ illam organum organorum, & inſtrumentum inſtrumentorum appellant. Suaderiq; poteſt ex eo, quia Dialectica eſt, quę prębet inſtrumenta omnibus partibus Philoſophiæ, & ſibiipſi etiam, ad omnes quæſt. explicandas. Rogabit tamen aliquis, cum Dialect. duobus modis tradi poſſit, primo auulſa, & vt docens, ſecundo coniuncta, & vt vtens, qua ratione ſit illa vocãda pars, & qua ratione inſtrumentum; *Interrogatio.* nam Philop. & Ammo. ex Platone referunt, docentem vocandam eſſe inſtrumentum, vtentem vero partem, quam ſententiam ſequitur Nunneſ. illamq; explicat exẽplo ſextarij. Quemadmodum enim ſextarius, quo metimur vinum, quia poteſt per ſe cohærere ſeparatus à vino, non eſt pars, ſed inſtrumentũ illius: ſextarius vero eiuſdẽ vini, qui põderatur, pars eſt, & non inſtrumentum illius: ita Dialectica à rebus auulſa inſtrumentum erit, & non pars Philoſophiæ, eadẽ vero applicata vel coniuncta, pars erit, & non inſtrumẽtum. Boetius tamen *edit. 2. in Porphyr. princ.* M. Sotus *q. 2.* & alij Latini econtra putant, Dialecticam auulſam, & in præceptis eſſe partem, eandem vero

vten-

Digitized by Google

vtentem ſuis præceptis,eſſe inſtrumentum Philoſophiæ,quæ ſententia eſt multo verior,vnde fit tertia concluſio.

3. Concluſio. Dialectica vtens vel coniuncta, eſt inſtrumentum Philoſophiæ,& non annlſa. Confirmatur 1. Inſtrumentum eſt illud, quo proxime & immediate intercedente fit actio,& officium exercetur: ſed actiones definiendi, diuidendi, & argumentandi non fiunt immediate & proxime à Dialectica docente,ſed ab vtente, nam vt præcepta Dialectica reuocantur ad vſum, definimus,diuidimus,& argumentamur, ergo non docens, ſed vtens Dialectiea, erit inſtrumentum Philoſophiæ. 2 Non poteſt idem vna & eadem ratione habere rationem partis & inſtrumenti,ſed probatum eſt multis argum. In ſuperioribus, Dialecticam docentem eſſe veram partem Philoſophiæ, ergo vt docens eſt, non erit inſtrumentum, ſed ea ratione, qua eſt vtens. Hactenus, quænam eſſet noſtra ſententia in hac quæſt. explicuimus, fortaſſis tamen, vt Auicen.& Alpharab apud D.Albert.in loco ſuperiori dieunt,hæ duæ ſententiæ, quarum vna aſſerit, Dialecticam eſſe partem, alia vero non eſſe partem,ſed inſtrumentum, nullo modo contrariantur, quia non vtuntur nomine Philoſophiæ in vna & eadem ſignificatione: nam qui negant eſſe partem, ſumunt Philoſophiam pro cognitione rerum humanarum & diuinarum, quarum cognitionem certum eſt non præſtare Dialecticam Qui vero aiunt,eſſe partem, ſumunt Philoſophiam in alia ſignificatione, pro cognitione rerum, vt res ſunt, id eſt, rerum per ſuas cauſas & principia: vel pro cognitione cuiuſcunque admirabilis veritatis, qua ratione certum eſt, Dialecticam eſſe partem Philoſophiæ. Nam & cognoſcit multa per ſuas cauſas,& multarum veritatum nobis præſtat cognitionem.

1. Argum.

2. Argum.

Ad argumenta igitur propoſita in principio.

Ad 1.argum. Ad primum reſpondemus, problemata Dialectica eſſe vocata inſtrumentaria ab Ariſt. non propter Dialecticam docentem,ſed propter vtentem,nam hæc eſt, quæ præbet inſtrumenta aliis artibus. Ad illud vero, quod addimus ex Plutar.& Laer.iuxta Ariſt. Philoſophiam tantum eſſe diuidendam in Philoſophiam actionis & contemplationis. Reſp. hanc diuiſionem Philoſophiæ non eſſe ipſius in communi, ſed ſolius Philoſophiæ rei, vnde Philoſophia in cõmuni erit diuidenda in Philoſophiam rei & rationis, ſub quo ſecundo membro continetur Dialectica,& deinde Philoſophia rei eſt ſubdiuidenda in Philoſophiam actionis & contemplationis entium rei.

Ad 2. Ad 2. reſp. Si nomine rerū intelligamus res diuinas & humanas,quæ ſunt à parte circa omnem functionem intellectus, falſum eſſe, omnem partem Philoſophiæ in his rebus verſari, nam tantum in illis verſatur Philoſophia rei: ſi vero nomine rerum intelligamus,quidquid habet naturam,principia, & cauſas,per quas cognoſcatur, verum eſt,omnẽ partem Philoſophiæ verſari in his rebus, vnde admittenda eſt propoſitio, neganda tamen eſt aſſumptio, quia Dialectica etiam verſatur in rebus huius generis,nam verſatur in his, quæ habent naturam & eſſentiam, & quæ habent principia & cauſas, per quas poſſunt cognoſci.

Ad 3.reſp. Dialecticam docentem (quam facimus partem Philoſophiæ) impermixtam eſſe, & non confundi cum aliis partibus, nam ſeſe ipſam intra proprios limites continet, & in natura certi & determinati obiecti explicāda verſatur, vtẽtem vero admittimus permiſceri cum alij partibus Philoſophiæ, tanquam commune earum inſtrumentum, verum hæc non eſt pars Philoſophiæ. *Ad 3.*

Ad 4.reſp. diſtinguendum eſſe antecedens, quia vel loquimur de omni parte Philoſophiæ,vel de partibus Philoſophiæ rei: primo modo falſum eſt antecedens, quia Dialectica non eſt ignobilior ſeipſa, quæ inter partes Philoſophiæ numeratur: altero vero modo verum eſt antecedens, verum ſiquidem eſt, quamlibet partem Philoſophiæ rei nobiliorem eſſe ſaltem ex parte obiecti ipſa Dialectica. Neganda tamen eſt conſequentia,quia partes Philoſophiæ non habent eundem gradum nobilitatis, ſed quædam ſunt alijs illuſtriores, & longe nobiliores, etenim prima Philoſophia nobilior multo eſt, quam Philoſophia naturæ, vel Mathematicæ artes,quæ omnes ſunt partes Philoſophiæ rei. *Ad 4.*

Ad 5.reſp. Inſtrumenta eſſe in duplici differentia, nam quædam ſunt coniuncta, vt eſt manus in homine,& alia ſeparata,vt ſerra, vel ſecuris, quæ igitur ſunt coniuncta, ſimul eſſe poſſunt partes & inſtrumenta, vt eſt manus in homine: alia vero ſeparata non poſſunt eſſe partes: Dialectica vero inter inſtrumenta coniuncta numeratur, ac proinde poterit ſimul eſſe pars & inſtrumentum Philoſophiæ. *Ad 5.*

Ad vlt reſp. Dialecticam docentem eſſe propter ſe expetibilem. Primo,quia tradit nobis cognitionem veritatum modorum ſciendi, vel entis rationis Logici, quæ eſt aliquod bonum; at vero omne bonum per ſe eſt expetibile. Secundo, quia cognitio,quam præſtat Dialectica, eſt perfectio intellectus, perfectio autem eſt per ſe expetibilis. Et certe aliqua ratione videtur magis expetibilis Dialectiea ab intellectu,quam aliæ *Ad vlt.*

ſcientiæ, quia aliæ ex eo ſunt appetibiles, quia alicuius rei cognitionem intellectui proponūt: cæterum Dialectica non hoc ſolo titulo eſt appetibilis, verum etiam alio, ſcilicet quia ipſum intellectum dirigit ad veritatem aliquam ſine errore aſſequendam, illiusque vitia corrigit, & labentem erigit, quod aliæ ſcientiæ nullo modo præſtant. Vtentem vero Dialecticam libenter admittimus potius eſſe propter alias ſcientias, quam propter ſe appetendam, quia potiſſima illius dignitas eſt, tradere methodū & viam alijs ſcientijs, qua poſſint veritatem adipiſci. Et hac ratione intelligendus eſt Diuus Thom. quando inquit in loco propoſito in ſecunda opinione, Dialecticam eſſe inſtrumentum, & non partem Philoſophiæ, & non eſſe propter ſe expetendam: loquutus ſiquidem eſt ille de Dialectica vtente, non de docente. Ad formam igitur argumenti reſpon. Si loquamur de Dialectica docente, falſam eſſe aſſumptionem, quia hæc propter ſe expetitur: ſi vero agamus de vtente, vera eſt aſſumptio, nihil tamen colligit argum. quia hæc non eſt pars Philoſophiæ, ſed alia prior.

QVÆSTIO VIII.

In qua, quid ſit praxis & ſpeculatio, explicatur.

HActenus de prima parte definitionis Dialecticæ, quæ erat, eſſe ſcientiam, ſequitur, vt ſecundam partem ipſius explicemus, in qua diximus, ipſam eſſe ſpeculatiuam. Definita ſiquidem eſt, ſcientia ſpeculatiua, &c. Vt tamen hanc rem facilius intelligere poſſimus, præſanda prius erunt nonnulla de praxi & ſpeculatione omnino neceſſaria, à ſignificationibus

1 *Significatio praxis.* praxis initium ducentes. Significat enim primo quamlibet operationem, in qua ſeparatur ab entelechia & energia, nam entelechia, vt ex Auerroe 1. *Ethic. cap.* 1. tradit Soncinas 6. *Metaphyſ. quæſt.* 2. ſignificat quemlibet actum, tam primum, quam etiam ſecundum: praxis vero ſolum ſignificat actum ſecundum, & operationem. Hæc tamen ſignificatio, quia eſt nimis late patens, aliena eſt a noſtro inſtituto: tantum enim agimus hoc loco de illis operationibus, quæ poſſunt regulari per habitum practicum, quæ non ſunt omnes, ſed aliquæ: nam actiones partis vegetatiuæ, vt digerere, nutrire, concoquere cibum, & actiones ſenſuum naturales, qualis eſt actio videndi, non poſſunt dirigi, neque regulari per habitum practicum. Su-

2. *Signific.* mitur ſecundo pro actionibus voluntatis, tam pro his, quæ ſunt circa finem, quam etiam pro illis, quæ ſunt circa media, quæ ſignificatio etiam eſt aliena a noſtro inſtituto: nam actiones voluntatis circa finem ſemper ſunt rectæ, & ita non egent aliquo habitu dirigente, vt recte illæ fiant. Sumitur tertio pro actionibus volunta- 3 *Signific.*

tis, quæ ſunt circa media, quæ actiones communi nomine dicuntur electiones, nam cum illæ ſint ſecundum eſſentiam liberæ, poſſunt recte vel praue fieri, vt itaque recte fiant, debent ab aliquo habitu dirigi: vnde cum illæ ſint actiones practicæ, quæ diriguntur ab habitu practico, & hæ ab illo dirigantur, erunt vocandæ intrinſece & eſſentialiter practicæ. Vnde praxis nihil aliud eſt, quam actus voluntatis, *Praxis qu*

qui eſt electio, in qua ſignificatione vtemur hoc nomine deinde, alijs duabus prioribus ſignificationibus prætermiſſis. His explicatis, de ſignificationibus praxis, agendum eſt de actione practica & ſpeculatiua, tum etiam de habitu practico & ſpeculatiuo. Quam rem vt melius pertractemus, animaduertendum eſt, tria hæc, intellectum, habitum, & actionem communi nomine vocari practica, vel ſpeculatiua: dicimus enim, intellectum quendam eſſe practicum, & alium ſpeculatiuum, vt docet Ariſtoteles 3. *de Anima, cap.* 10. non quod ſint duo intellectus, ſed quod vnus & idem relatus ad operationem, dicitur practicus, & relatus ad contemplationem vocatur ſpeculatiuus. Præterea habitum quendam vocamus practicum, & alium ſpeculatiuum, vt ſcientiam dicimus habitum ſpeculatiuum, artem vero habitum practicum, cum Ariſtot. 6. *Ethicor. cap.* 3. dicimus etiam, quaſdam actiones eſſe practicas, vt illas, quæ promanant ab habitibus practicis, & alias ſpeculatiuas, vt illas, quæ promanant ab habitibus ſpeculatiuis. Verum quamuis tria hæc obtineant idem nomen & eandem rationem, non tamen ex æquo, ſed analogice per prius & poſterius, nam ratio praxis & ſpeculationis prius dicitur de actione, quam de habitu, & de habitu, quam de intellectu. Quia ex ſententia omnium Philoſophorum, quam ſæpe repetit Ariſtot. 2. *de Anima*, potentiæ ſpecificantur per habitus, habitus per actiones, & actiones per obiecta. Quare natura quam hęc tria deſumunt ab obiecto, prius conueniet actioni, quam habitui, & habitui, quam facultati: cum ergo intellectus, habitus, & actio practica & ſpeculatiua deſumāt naturam ab obiecto practico vel ſpeculatiuo, prius talis natura conueniet actioni, quam habitui, & habitui, quam intellectui: vnde prius agendum erit de actione practica & ſpeculatiua, quam de habitu practico & ſpeculatiuo. Agere vero de intellectu practico, vel

Digitized by Google

id ſit xis.

ſpeculatiuo, non eſt huins inſtituti, cum ſpectet *ad 3. de Anima.* Actio ergo practica vel praxis ita definitur ab Scoto *quaſt. 4. prologi ſentent.* ab Antonio Andrea eius diſcipulo, *1. Metaph quaſt* 10. & Paulo Sõcinate *6. Metaph. quaſt. 2.* Actio alterius potentiæ ab intellectu natura poſterior intellectione, quæ vt recta cenſeatur, debet eſſe conſona rectę rationi intellectus. In qua definitione 1. particula, quæ, eſt actio, habet locum generis, nam omnis praxis actio eſt, non tamen omnis actio dicitur praxis: reliquæ vero particulæ obtinent locum differentiæ. 2 particula eſt alterius potentiæ ab intellectu, id eſt, voluntatis, quæ eſt potentia diuerſa ab intellectu, nam actiones practicæ ſunt actiones voluntatis, vt dictum eſt, cõfirmarique poteſt ex Ariſt. *3. de Anima, cap.* 10. vbi docet, principium intellectus practici eſſe appetitum. Verum cum dentur duo genera actionum voluntatis, nam quædam dicuntur elicitæ, vt illæ, quæ immediate proficiſcuntur à voluntate, vt amare, velle, nolle, frui: & aliæ dicuntur imperatæ, vt ſunt illæ, quæ fiunt ab aliis potentiis & membris, ea ratione, qua imperantur à voluntate, vt ſcribere, & currere, quæ fiunt a manibus, vel a pedibus, vt exequuntur imperium voluntatis. Praxis eſt vtraque actio, tam elicita, quam etiam imperata, quamuis inter ſe maxime differant, quia actio elicita intrinſece & ſecundum eſſentiam vocatur practica, imperata vero ſola extrinſeca denominatione 3 particula eſt natura poſterior intellectione, quæ ita confirmari poteſt. Praxis eſt actio voluntatis, ſed actiones intellectus natura priores ſunt actionibus voluntatis, nam nihil volitum, niſi præcognitum, ergo praxis erit poſterior natura intellectione. Animaduertendum eſt tamen actiones partis nutriendi, vt accretionem & nutritionem: præterea actiones appetitus animalis & actiones ſenſuum exteriorum, non poſſe vocari practicas, quia hæ natura ſunt priores actionibus intellectus, actio vero practica debet eſſe poſterior, debetque regulari ab intellectu. Vltima particula eſt, quæ vt ſit recta, debet eſſe conformis & conſona rectę rationi, quam quidem particulam veram eſſe, poſſumus confirmare. Omne regulatum & menſuratum tunc temporis cenſetur eſſe rectum, quando eſt conſonum ſuæ regulæ & menſuræ; ſed mẽſura actionum voluntatis (inter quas recenſetur praxis) eſt actio intellectus, ergo vt praxis ſit recta, debet eſſe conſona rectę rationi. Vbi adnotandum erit, Scotum nunquam docuiſſe; omnem praxin debere eſſe conſonam recto intellectui, nam vitium tam in moribus, quam in artibus praxis eſt, quod tamen non eſt conſonum rectæ rationi, ſed docuiſſe, praxin, vt recta ſit, debere conformari intellectui recto. Vnde cum vitia non ſint praxis rectæ, nihil mirum, ſi non conformentur intellectui recto.

...ctus eliciti & imperatus.

...ſero

...ſer pro Scoto.

Quid ſit ſpeculatio.

Speculatiua vero definitur. Actio intellectus, quæ non dirigit ad praxin, & eſt ſui gratia. In qua definitione actio etiam obtinet locum generis, reliquæ vero particulæ locum differentiæ. Vnde ſecunda eſt, intellectus, per quam ſeparantur a ratione ſpeculationis actiones ſenſuum exteriorum, & omnes aliæ, quæ non fuerint ab intellectu. Tertia particula eſt, quæ non dirigit ad opus, per quam excluduntur omnes cognitiones intellectus, tam habituales, quam actuales, quæ dirigunt ad opus, a vera ratione ſpeculationis: vnde artes mechanicæ, & earum actiones, quamuis ſint in intellectu, tanquam in ſubiecto, non dicuntur ſpeculatiuæ, dirigunt enim potentias ad operationes exteriores. Vltima particula eſt, ſui gratia, quæ indicat ſpeculationem non referri alio, tanquam ad finem, ſed ipſam eſſe finem, vt ſpeculatio, qua ſpeculamur res naturales, non refertur ad aliquem finem, ſed ipſa eſt finis Philoſophiæ naturæ.

Nota.

His diffinitionibus propoſitis, iuxta methodum perſcriptam, agendum erit de habitu practico & ſpeculatiuo in qua re, vt recte progrediamur, animaduertendum eſt ex D. Tho. *1 p quaſt. 14. art. vlt.* tribus modis dici poſſe aliquam ſcientiam ſpeculatiuam. Primo ex obiecto, quia verſatur in obiecto, quod non poteſt fieri a nobis per illam ſcientiam, vt Philoſophia naturæ eſt ſcientia ſpeculatina, verſatur enim in explicanda natura entis naturalis, quod nulla ratione per illam poteſt fieri a nobis. Secundo, ex modo progrediendi, quando ſcilicet progredimur modo ſpeculatiuo, vt definiendo, diuidendo, & reſoluendo rem in ſua principia & attributa eſſentialia; vt ſcientia, quam de domo habemus definiendo illam, & diuidendo in partes, proponendoq; eius attributa eſſentialia & proprietates, eſt ſpeculatiua ex modo progrediendi, nam in re operabili progredimur modo ſpeculatiuo. Tertio dicitur ſcientia ſpeculatiua ex fine, qui eſt ſpeculari veritatem, vt ſæpe ex Ariſtot. fuit repetitum qua ratione prima Philoſophia dicitur ſpeculatiua, nam illius finis eſt contemplari diuinam naturam, & ſubſtantiarum ſeparatarum. Totidem etiam modis dici poteſt aliqua ſcientia, vel habitus practicus. Primo,

ex ob-

ex obiecto, quando ſcilicet verſatur in obiecto, quod fieri poteſt a nobis per hunc habitum, quemadmodum architectura eſt practica, verſatur enim in erigenda domo, quæ per illam artem erigi poteſt ab architecto. Secundo, ex modo progrediendi, quando ſcilicet agimus de re operabili, componendo vnum cum altero, & formam cum materia accommodando, vt quando quis acquirit ſcientiam de domo, ita vt prius intelligat, eſſe terram fodiendam, & deinde eſſe iacienda fundamenta:
Obſer. tertio, eſſe erigendos parietes, & vltimo eſſe conſtituenda tecta, acquiret ille ſcientiam domus practicam ex modo, in qua re maxime diſtinguuntur ſcientiæ practicæ ab ſpeculatiuis, vt animaduertit D. Thom. 1. *Ethicor. lect.* 3. nam ſcientiæ ſpeculatiuæ progrediuntur per reſolutionem effectus in ſua principia: practicæ vero per compoſitionem materię cum forma, & vnius partis cum altera. Tertio, ex fine, quando ſcilicet finis eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu, vt eadem ars architecti dicitur ex fine practica, refertur enim in erectionem domus (tanquam in ſcopum) quæ eſt actio alterius potentiæ ab intellectu. Adnotandum eſt tamen, eſſe duplicem finem in his ſcientiis & habitibus, vnum ſcientiæ & habitus, & alterum ſcientis & artificis, vt in arte fabri ferrarij conficientis gladios, finis operis eſt, ſcindere corpora dura & ſolida, nam in hunc finem ſunt gladij confecti, finis vero artificis eſt quæſtus: & in ſcientiis, vt in Medicina finis ſcientiæ eſt mederi corporibus ægrotis, finis vero ſcientis & Medici, eſt quæſtus & lucrum. Quãdo ergo conſtituimus ſcientiam practicam eſſe illam, cuius finis eſt actio, ſpeculatiuam vero, cuius finis eſt contemplatio veritatis, intelligendum eſt de fine ſcientiæ, non autem de fine ſcientis, nam hic extrinſecus eſt & accidentarius, poteſtque a ſcientia remoueri, fieretque, vt eadem ſcientia eſſet nunc ſpeculatiua, & deinde practica, vt ſi Philoſophiam naturæ, quæ ex propria ratione eſt ſpeculatiua, quis referret ad conſequendum victum, eſſet illa ſpeculatiua & practica: ſpeculatiua ex ſua natura, practica vero ex fine ſcientis, quod tamen nulla ratione fieri poteſt.

Obſer. Obſeruandum eſt præterea, vt ſcientia ſit ſpeculatiua, inſpiciẽdum eſſe illius obiectum, nam ſi illud fuerit ſpeculatiuum, illico intelligemus, modum & finem intrinſecum debere eſſe ſpeculatiuum, nam de obiecto ſpeculatiuo non poſſumus habere modum vel finem practicum, at vero vt aliqua ſit ſcientia practica, non ſolum conſiderandum eſt obiectum, ſed etiam modus operandi, & finis, poteſt enim fieri, vt obiectum ſit operabile, & ſit ſcientia ſpeculatiua, ſi modus ſit contemplatiuus, & finis ſpeculatio ſeu contemplatio. Vt quando quis habet ſcientiam de domo definiendo, & diuidendo illam, obiectum operabile eſt, modus vero eſt ſpeculatiuus, & ita ſciẽtia hæc eſt ſpeculatiua. Ex his, quæ ſunt animaduerſa, colligere poſſumus definitionem habitus practici & ſpeculatiui. Habitus practicus eſt ille, qui dirigit alias potentias ab intellectu ad praxin & operationem, reſpectu obiecti operabilis, modo operabili, & ob finem operationis, ſi debet ſimpliciter practicus eſſe. Speculatiuus vero eſt ille, qui dirigit intellectum ad actiones ſpeculatiuas, circa obiectũ, quod non fit a nobis, modo ſpeculatiuo, & ob finem ſpeculationis. Et quia in habitu dirigente in ordine ad actiones, quæ ab ipſo fluunt, datur duplex habitudo, vna menſuræ ad rem menſuratam, & altera prioris ad poſterius, recte dictum eſt ab Scoto, habitum practicum conſtitui per duplicem relationem, vnam conformitatis & menſuræ, & aliam prioritatis, ſi tamen addat in ordine ad obiectum operabile, modo operabili, & ob finem operationis, alioquin enim falſa eſſet illius ſententia. Nam in habitu etiam ſpeculatiuo datur duplex hæc habitudo menſuræ ad menſuratum, & prioris ad poſterius: nam actiones ſpeculatiuæ poſteriores ſunt habitu ſpeculatiuo, & menſurantur per illum.

QVÆSTIO IX.

In qua quædam difficultates de praxi & ſpeculatione explicantur.

OFferunt ſe tamen aduerſus ſuperiora quædam difficultates, prima eſt huiuſ- 1. *Diffic.*
modi. In omni diuiſione dantur membra, diuidentia, & res, quæ diuiditur: in hac igitur diuiſione propoſita ſcientiæ in practicam & ſpeculatiuam, quænam erit res diuiſa nam membra diuidentia ſunt practicũ & ſpeculatiuum. Reſpondemus, rem diuiſam nõ eſſe ſcientiam vere & proprie dictam, quæ definitur ab Ariſt. 1. *de demonſtrat. cap.* 2. Nam nulla datur ſcientia practica vere & proprie ſcientia, vt oſtendemus deinde: ſed aſſerimus, rem diuiſam eſſe ſcientiam in communi, vt denotat certam aliquam cognitionem, quod idem eſt, ac eſſe habitum, qui reperitur in intellectu. Vnde ſenſus diuiſionis erit Habitus intellectus quidam ſunt practici, & alij ſpeculatiui. Practici ſunt ars & prudentia, ſpeculatiui vero intelligentia, ſapientia, & ſcientia, ex 6. *Ethicor. cap.* 3. hoc

Digitized by Google

autem intelligi debet de ſcientia creata & finita, vt inquit Caietan. 1. *p. q.* 1. *art.* 4. nam infinita, vt eſt diuina, & eſt practica, & ſpeculatiua, nobiliſſimo modo, vt inquit D. Thom. 1. *part. q.* 14. *art. vlt.*

Diffic. 2. Difficultas eſt, quænam ſit hæc diuiſio propoſita, eſtne diuiſio vniuerſi? an totius integri? vel accidentaria? Reſpondemus, eſſe diuiſionem totius vniuerſi, ſcilicet generis per differentias, quod ita poſſumus confirmare. Illa diuiſio, in qua res diuiſa eſt genus, & membra diuidentia differentiæ maxime propriæ, eſt diuiſio generis per differentias: ſed in hac diuiſione res diuiſa eſt genus, membra diuidentia differentiæ maxime propriæ, ergo erit diuiſio generis per differẽtias. Confirmatur aſſumptio. Inprimis res diuiſa eſt genus, nam eſt habitus, quem eſſe genus profitetur Ariſt. *in categor. cap. de qualitate.* Deinde practicum & ſpeculatiuum eſſe differẽtias maxime proprias, hac ratione poſſumus ſuadere. Illæ differentiæ, quæ vna cum genere conſtituunt ſpecies, ſunt maxime propriæ: ſed praxis & ſpeculatio ſunt huiuſmodi, nam ſpeculatio vna cum habitu conſtituit ſcientiã ſpeculatiuam, & praxis ſcientiam practicam, ſunt itaq; differẽtiæ maxime propriæ, quamuis controuerſum ſit, an ſint tales differẽtiæ ex habitudine ad obiectũ, vel ex relatione ad finem, vt diſputant Metaphyſici, *6. Metaph.*

Diffic. 3. Difficultas eſt, an ſcientia ſpeculatiua ex modo, de obiecto tamen operabili, ſit vocanda ſimpliciter ſpeculatiua, vel ſimpliciter practica: vt, an ſcientia, quam obtinemus de domo definiendo, & diuidendo illam, ſit practica vel ſpeculatiua ſimpliciter vocanda. Fere communis ſententia eſt, eſſe vocandam ſimpliciter practicam, quamuis non deſint, qui dicant, neque eſſe ſimpliciter practicam, neq; ſpeculatiuam, ſed eſſe ſecundum quid practicam, & ſecundum quid ſpeculatiuam, practicam ex obiecto, ſpeculatiuam ex modo. Nos
[O]pinio Soti tamen dicimus cum M. Soto *q. 4. proœmial.* hanc eſſe vocandam ſimpliciter & abſolute ſpeculatiuam. Quam vt confirmemus, animaduertendum eſt, domum, verbi gratia, ſumi poſſe vel abſolute, vt fieri poteſt, vel vt ſubiacet huic ſciẽtiæ, qua definimus & diuidimus illam, per quam ſcientiam nunquam fiet à nobis. Si primo modo ſumatur, eſt obiectum materiale huius ſcientiæ, ſi vero ſecundo modo vſurpetur, eſt obiectũ formale, nam quælibet res ea ratione eſt obiectũ formale alicuius ſciẽtiæ, qua ſubijcitur illi. Hoc conſtituto confirmatur opinio M. Soti his argumentis.

1. Illa ſcientia eſt ſpeculatiua, cuius obiectum eſt ſpeculatiuum, fierique à nobis non poteſt, idque intelligendum eſt de obiecto formali: ſed obiectum formale huius ſcientiæ ſpeculatiuę ſecundum modum nullo modo fieri poteſt ab hac ſcientia ſpeculatiua, erit igitur illa vocanda ſimpliciter ſpeculatiua. Probatur aſſumptio. Obiectum formale huius ſcientiæ eſt res, vt pertractatur ab illa, ſed hac ratione non poteſt fieri ab illa, nunquam enim domus fiet per ſcientiam definiendi, diuidendi, & argumentandi, ergo, &c. 2. Geometria agit de lineis & figuris, quæ fiunt a nobis modo, tamen ſpeculatiuo, ſc. definiendo, diuidendo, & argumentando: ſed nõ proinde deſinit eſſe ſpeculatiua, ergo ſcientia, quæ agit de obiecto operabili, modo ſpeculatiuo, erit ſimpliciter ſpeculatiua. *1. Argum.* *2. Argum.*

3. Argum. Præterea. Hæc ſcientia non docet nos operari, ſed ſpeculari attributa domus, & contẽplari eius naturam, non ergo erit vocãda practica, quin potius ſimpliciter ſpeculatiua. Neque huic opinioni aduerſatur D. Thom. 1. *p. q.* 14. *art. vlt.* dicens, ſcientiam hanc partim eſſe ſpeculatiuam, ex modo ſcilicet ſpeculatiuo, partim vero practicam, videlicet ex obiecto. Intelligendus enim eſt de materiali obiecto, non de formali. Domus enim, ſi abſolute cõſideretur, res eſt, quæ fieri poteſt a nobis: ſi tamẽ ſumatur illa formaliter, ea ſc. ratione, qua tractatur in hac ſcientia, non poteſt vlla ratione fieri. Cum autem iudicium de ſcientijs proferendum ſit, iuxta obiectum formale illarum, aſſerendum erit, hanc ſcientiam eſſe ſimpliciter & abſolute ſpeculatiuam. *Soluitur argum. ex D. Thom.*

QVÆSTIO X.

Detur ne praxis in intellectu.

1. Argum. ET quidem dari praxin in illo, confirmatur primo. In intellectu practico dantur intellectiones, atqui illæ non ſunt ſpeculatiuæ, ſed practicæ, ergo dabitur vera praxis in intellectu. Secũdo. Prudẽtia dirigit operationes intellectus, ſed prudẽtia tãtũ dirigit operationes practicas, ergo in intellectu erit praxis. Et confirmatur argumentum, quia actiones illæ, in quibus tanquam in obiecto verſatur habitus practicus, ſunt practicæ vocandæ, ſed actiones intellectus ſunt huiuſmodi, nam prudentia, quæ eſt habitus practicus, verſatur in conſilio, deliberatione, & alijs huiuſmodi actionibus intellectus, tanquam in proprio obiecto, ergo dabitur praxis in intellectu. *2. Argum.*
3. Argum. Tertio. Illæ actiones, quæ ſunt in noſtra poteſtate, & cõſequuntur actionẽ volũtatis, debẽt

voca-

vocari practicæ, vt ſupra diximus, ſed actiones intellectus ſunt imperatę à volũtate, illa ſiquidẽ imperat intellectum, vt res diuinas, vel humanas contempletur, ergo erunt illæ practicæ. *4. Argum.* Vltimo. Actiones artis ſunt practicæ, quæ tamen ſunt in intellectu, ergo in illo dabitur vera praxis.

Horum argumentorum pondere, multiiq; grauiſſimi viri commoti, in ea ſunt opinione, vt exiſtiment dari in intellectu veram praxim, & ſecundum eſſentiam. *1. Opin.* Ita Niger 1 *p. clypei, quaſt. 14. concluſ. 2.* M. Medina *in manuſcriptis commentariis 1 p quaſt. 1. artic. 4.* Zumel *ibidem qu. vnica, concluſ. 6.* Fonſeca 2. *libro Metaphyſ. cap. vlt. quaſt. 2. ſectione 3.* Nominales omnes vt Gregorius, & Ocham *quaſt. vltim. prologi*, Gabriel *quaſt. 10.* *2. Opin.* Contrariam tamen ſententiam amplectuntur alii grauiores Philoſophi, D. Thom. *1. p. q. 79. art. 11. qu. 3. de veritate art. 3.* Auicenna *1. Metaph.* Euſtratius *1. Ethic.* qui praxim definit habitum ſecundum electionem, Scotus *quaſt. 4. prologi*, Capreolus *ibidem quaſt. 2.* Antonius Andræas *lib. 1. Metaph. qu. 2.* & M. Sotus *qu. 4. Proœmiali.*

1. Obſeru. Vt tamen difficilem hanc quæſtionem explicare poſſimus: animaduertimus primo ex Caietano 22. *qu. 47. artic. 2. in ſolutio 2. argum.* duobus modis aliquam actionem dici practicam. Primo, ſecundum eſſentiam & naturam, quando ſcilicet, eſt de obiecto operabili, & finis eſt operatio. Secundo vero ſecundum vſum & exercitium, quando ſcilicet actio eſt de obiecto ſpeculatiuo & finis eſt contemplatio, præcipitur tamen, vt fiat ab aliquo habitu practico, vt quando prudentia mihi imperat contemplandam eſſe naturam Dei, hæc contemplatio quæ ex natura ſua eſt ſpeculatiua, dicitur practica ex vſu, & exercitio, quia præcipitur à prudentia, quæ eſt habitus practicus. *2. Obſeru.* Sciendum eſt etiam aliud eſſe praxim, & aliud actionem practicam; habent ſe enim hæc duo ſicut ſuperius & inferius: nam omnis praxis eſt actio practica, non tamen è contra omnis actio practica eſt praxis, Nam praxis iuxta ea quæ diximus *in quaſt. 8.* eſt electio voluntatis, at actio practica non ſolum eſt electio, verum quæ liberalia quæ nata eſt dirigere electionem voluntatis, & quia actiones intellectus natæ ſunt dirigere intellectum, erũt quidem in illo actiones practicæ, para tamen in illo nullo modo erunt: Verum hæc ſequentibus concluſionibus fient multo notiora.

1. Concluſio. 1 Concluſio. In intellectu dantur actiones practicæ. Confirmatur. Quia in illo dantur actiones quæ dirigunt praxim, vt ſunt actiones artis & prudentiæ quæ dirigunt electionem voluntatis, ſed actiones quæ dirigunt praxim ſunt vocandæ practicæ, ergo in intellectu dabuntur actiones practicę. Quod ſi quis dicat, actio practica eſt praxis, ergo ſi in intellectu datur actio practica, dabitur praxis. Reſp. falſam eſſe maiorem propoſitionem, imo è contra praxis eſt actio practica, actio tamen practica non eſt praxis, ſed eſt ſuperior ad illam, vt in vltima obſeruatione docebamus.

2. Concluſio. In intellectu nulla datur praxis ſecundum eſſentiam. *2. Concluſio.* Confirmatur his argumẽtis aduerſus authores primæ opinionis. Primum. *1. Argum.* Intellectus extenſione fit practicus ex Ariſt. 3. *lib. de anima cap. 10.* ſed extenſio ſignificat progreſſum alicuius extra ſe, tunc temporis enim dicimus rem extendi, quæ antea erat contracta, quando proprios limites, & fines egreditur, ergo ſiſtendo in actionibus ſolius intellectus nõ poteſt dari praxis ſecundum eſſentiam. Huius argumenti aſſumtio nota eſt, propoſitionem tamen aduerſarii aiunt eſſe falſam omnino, neque hoc inquiunt teſtimonium apud Ariſt. alicubi reperiri, ſed nos falſo ipſum citare, aduerſuſque ipſum falſum ferre teſtimonium. Ita docent Fonſeca & multi alii, eius auctoritate ducti. Hanc tamen ſolutionem euertere poſſumus.

1. Quia omnes veteres tam Arabes, quam Latini hoc teſtimonium citant ex Ariſt. 3. *de anima c. 10*: *Confut. 1. Solut.* qui certe multis laboribus, ac vigiliis, ſummaq; acie ingenii in interpretando Ariſt. inſudarunt, non ſolum illius dicta, & ſenſum interpretantes, verum etiam illius capita, orationes, & dictiones vſq; ad minima, & athoma distribuentes, quos omnes tanquam falſos teſtes, cõdemnare ferendũ certe non eſt, putareq; recentiores, qui neq; ingenio, neq; interpretandi dexteritate conferri cum veteribus vllo modo poſſunt, melius Ariſt. intellexiſſe, maxima eſt profecto temeritas. Præterea hanc auctoritatem in loco citato reperiri apud Ariſt. ſi ipſi non lippis oculis eum legiſſent, apertiſſime conſpexiſſent. Is enim loco citato *ex 3. de anima cap. 10.* poſtquam diuiſit intellectum in practicum, & ſpeculatiuum inquit; principium intellectus practici; eſſe appetitum, Sic enim habet. Cuius eſt appetito ab eo agendi principium ducit mens; quæ in actione cernitur. Ex quo loco ſic argumentor, principium mentis practicæ eſt appetitus, ergo mens practica includit appetitum tãquam ipſius principiũ. Intellectus itaq; per extenſionem ad appetitum fit practicus. Quare recte & accutiſſime D. Th. D. Albertus magnus, Scotus, Ægidius Romanus, Auicenna, & alii veteres, tum Latini, tum etiam Arabes,

D 3 colle-

collegerunt intellectum extenſione fieri practicum, quod etiam antea docuerat ex Græcis interpretibus Themiſt. *lib. 3. de anima cap. 61.* conſtituens intellectum practicum includere appetitum boni, & eius perſecutionem, quod nihil eſt aliud, quam intellectum extenſione ad appetitum fieri practicum.

orundā ... ιιιο.

Quod ſi dicas argumento conuictus, intellectum practicum includere appetitum tantum in ordine ad motum ſecundum locū in animalibus, vt loquebatur en cap. Ariſtot. non autem abſolute, Contra, ita diſputo.

ꝛfutatur ... ιιιο.

In primis. Quia non eſt maior ratio, quare in actione mouendi ſecundum locum intellectus practicus includat appetitum, & non in aliis actionibus. Deinde quia mos eſt Ariſt. cum rem aliquam tractandam inſtituit, prius proponere generalem doctrinam, deinde vero illam inſtituto accommodare. quare hoc loco quamuis inſtituat agere ſolum de motu ad locum in animalibus, propoſuit tamen prius generalem doctrinam, de intellectu practico, & ſpeculatiuo, docens practicum includere appetitum, quam deinde accommodat inſtituto.

..rgum.

2. Praxis apud Græcos idem eſt quod apud Latinos actio, vel operatio, ergo illius potentiæ erit praxis, cuius eſt primo operari, ſed voluntas eſt cui tribuitur primo operari, ergo praxis erit actio voluntatis. Propoſitio aperta eſt, confirmatur aſſumtio. Illi potentiæ competit primo, & per ſe operari, quæ mouet alias potentias inferiores ad operandum, ſed voluntas eſt huiuſmodi, cum enim eius obiectum ſit bonum in communi, aliarum vero facultatum bonum particulare, & quod fertur ad bonum cōmune moueat alias potentias, quæ feruntur ad bona particularia, voluntas mouebit alias potētias ad agendum, quare actio primo, & per ſe erit ipſi tribuenda.

..rgum.

3. Natura ad varias actiones exercendas, varias etiam nobis contulit facultates, vt viſum ad videndum, auditum ad audiēdum, & ſic de aliis, ſed actio ſpeculandi, & praxis ſunt actiones diuerſæ, ergo ſunt collatæ nobis diuerſæ facultates ad illas exercendas, cum itaq. ad ſpeculandum ſit nobis tributus intellectus, ad praxim debet alia facultas concedi, vt voluntas, quare praxis non erit actio intellectus. Hoc argumentum acutiſſime perſecutus eſt Themiſtius in præfatione libri Phyſicorum, dicens iuxta Peripateticos duplicem eſſe facultatem in nobis, intelligendi vnam & alteram appetendi, illamq; referri ad contemplationes & ſpeculationes, hanc ad actiones, ad negotia & exequenda conſilia. Quod ſi ad actiones & operationes nobis eſt à natura tributa voluntas, profecto cum praxis nihil aliud ſit quam operatio, ſolius erit voluntatis, & non intellectus.

3. Concluſ.
1. Argum.

3. Concluſ. Actiones intellectus dici poſſunt practicæ ſecundum vſum & exercitium. Hæc eſt Caietani *in loco ſuperiori, & Iauelli lib. 6. Metaph. quæſt. 4. aduerſus Soncinatem in eodem lib. quæſt. 2.* Confirmatur primo ex D. Tho. 22 *qu. 47. artic. 2. ad 2.* qui inquit actiones intellectus ſpeculatiuas, ſecundum vſum ſubiici conſilio voluntatis, & prudentiæ, quamuis non ſubiiciantur ſecundum ſuam naturam, quæ petitur ex obiecto, quod eſt verum ſpeculabile, & quod nulla ratione fieri poteſt à nobis. Ex quo loco ita argumentor. Actiones quæ ſubſunt voluntati, & prudentiæ ſunt practicæ ſecundum vſum, ſed hæ actiones ſpeculatiuæ intellectus ſunt huiuſmodi, vt conſtat ex hac auctoritate D. Tho ergo erunt practicæ ſecundum vſum.

2. Argum.

Præterea, Actiones quæ diriguntur ab aliquo habitu practico, ſunt vocandæ practicæ ſaltem ſecundum vſum, ſed actiones intellectus diriguntur à prudentia, quæ eſt habitus practicus, illa enim eſt quæ dirigit intellectum in ſuis functionibus, ipſique præcipit hic & nunc, hoc tempore, & loco rerum Philoſophicarum, vel Mathematicarum ſtudio eſſe vacandum, ergo ſecundum vſum hæ actiones erunt practicæ.

3. Argum.

Addo has actiones à voluntate imperari, vt fiant: at actiones quæ imperantur à voluntate ſunt practicæ ſecundum vſum.

Obiect.

Verum obiicit nobis Soncinas auctoritatem D. Tho. 22. *qu. 57. art. 1. ad 1.* vbi inquit, actiones practicas non eſſe intellectus ſed aliarum potentiarum.

Solutio.

Cui reſp. D. Tho. intelligendum eſſe de actionibus practicis ſecundum eſſentiam, quales non reperiuntur in intellectu, vt conſtat ex prima concluſione, & non de aliis quæ tantum ſunt practicæ ſecundum vſum & exercitium.

Ad 1. arg.

Iam ad argumenta quæ in principio propoſuimus. Ad primum reſp. admittentes intellectiones quæ ſunt in intellectu practico practicas eſſe & non ſpeculatiuas, verum hic intellectus includit appetitum boni, vt diximus *ex Ariſt. 3. de anima:* noſtra autem ſententia eſt, ſiſtēdo præciſe in actionibus intellectus, ſine vlla extenſione ad appetitum, in intellectu nullā dari praxim. Vel dicimus ex hoc argumento tantum colligi, dari actiones practicas in intellectu, nō tamen praxim, vt in prima concluſione expoſuimus, & idem concludunt omnia alia argumenta propoſita.

Ad 2.

Ad ſecundum argumentum de prudentia reſpond prudentiam non eſſe actionem ſolius intellectus, nam includit appetitum finis, ex quo appetitu deinde ipſa inueſti-

gat me-

gat media per cōſilium, & deliberationem, magis accommodata ad finem aſſequendum. Ad confirmationem reſp ex illa tantum concludi Ad 3. actiones intellectus eſſe practicas ſecundum vſum, non autem ſecundum obiectum Et eadem ratione reſpondemus ad tertium & quartum argumentum, quia actiones quæ ſunt in noſtra poteſtate, & conſequuntur electionem, aut imperium voluntatis ſunt vocandæ practicæ ſecundum vſum, & exercitium, non tamen ſecundum obiectum ſi non fuerint de obiecto operabili. Ad 4. Ad quartum reſp. ex illo colligi dari in intellectu actiones practicas, quales ſunt actiones artis non tamen dari praxim.

QVÆSTIO XI.

An Dialectica ſit ſcientia ſpeculatiua nec ne?

LVdouicus Viues 8. *lib. de ciuitate Dei, cap.* 4. reprehendit Dialecticos, eo quod in hac quæſtione explicanda immorentur, cum ſit illa ſuperflua & ſuperuacanea Verum non eſt cur illius cenſuram timeamus, non enim ſunt ferulæ illius à Dialecticis pertimeſcendæ. Quare cum omnibus Dialecticis celebrem hanc quæſtionem pertractantes, initio proponenda erunt argumenta, quibus multi commoti opinantur Dialecticam non ſpeculatiuam, ſed practicam eſſe appellandam.

1. Argum. Primum eſt ex teſtimoniis Ariſt. Is enim 1. *lib. Topic. diuidens problemata in actionis, contemplationis, & inſtrumentaria, c.* 11 inquit, problemata Dialectica non eſſe problemata contemplationis, ſed inſtrumentaria, *&* 6. *Metaph. c.* 1. diſtribuens ſcientiam ſpeculatiuam in ſuas partes, nullam mentionem facit Dialecticæ, tantū enim numerat tres ſcientias ſpeculatiuas, primam Philoſophiam, Philoſophiam naturæ, & 2. Argum. Mathematicas artes. Secundum argumentum. Ille habitus cuius finis non eſt cōtemplatio veri, ſed opus, non eſt ſpeculatiuus, ſed practicus: nam eo diſtinguuntur, vt diximus *ex Ariſtot* 2. *Metaph. c.* 1. hi duo habitus, ſpeculatiuus & practicus, quia illius finis eſt ſola contemplatio veri, huius vero finis eſt opus confectum: ſed habitus Dialecticæ non refertur in contemplationem veri, tanquam in finem, ſed in opus confectum, nam finis illius eſt conficere ſyllogiſmos, definitiones, & diuiſiones quæ ſunt quædam opera, vt docet Ariſt 1 *lib priorum, c* 2. ergo Dia- 3. Argum. lectica non erit ſpeculatiua, ſed practica. Tertio. Quæ fiunt ab arte ſunt effectiones, erunt igitur praxes, nam praxis actio eſt, vel effectio: ſed quæ fiunt à Dialectica, fiunt ab arte, ergo quæ fient ab illa erunt praxes & ex conſequenti Dialectica erit ſcientia practica. Propoſitio eſt aperta, confirmatur aſſumtio. Quæcunque fiunt, vel fiunt ab arte, vel à natura, vel caſu, & fortuito, vt Auctor eſt Ariſtot. 7. *Metaphyſ. cap.* 7. ſed quæ fiunt à Dialectica non fiunt à natura, vt arbor, neque à caſu, vt inuentio theſauri, ergo fient ab arte. Quartum. Ariſt 6. *Metaphyſ. c* 1 illam inquit vocari ſcientiam practicam 4. Argum. effectionis, cuius principium eſt in nobis ipſa mens, vel intellectus, ſed principium operum Dialecticorum diffinitionis, ſcilicet, diuiſionis, & argumentationis, eſt in nobis mens ipſa, vel intellectus, ergo Dialectica erit ſcientia practica effectionis. 5. Argum. Quintum. Habitus ille qui dirigit actiones voluntaris eſt practicus, qualis eſt Philoſophia morum, ergo habitus ille, qui diriget actiones intellectus, erit quoque practicus, nam vtriuſque actionis videtur eſſe par & æqua ratio: ſed Dialectica dirigit actiones intellectus, ergo erit habitus practicus. Præterea. 6. Argum. Quælibet ſcientia ſpeculatiua eſt nobilior qualibet practica: nam agit ſpeculatiua de vero, practica vero de bono: at verum nobilius eſt bono: ſed Dialectica eſt ignobilior qualibet ſcientia practica, quia agit de obiecto ignobiliori, nimirum de ente rationis, practicæ vero de ente rei, quod eſt longe nobilius, ergo non poterit eſſe ſcientia ſpeculatiua. Iterum. Habitus, 7. Argum. qui eſt diuiſus in docentem, & vtentem non eſt ſpeculatiuus, quia docens eſt ſpeculatiuus, & res diuiſa, vt perſcribunt leges optimæ diuiſionis, non debet participare naturam membrorum diuidentium, ſed habitus Dialecticæ eſt diuiſus in docentem, & vtentem, ergo non erit habitus ſpeculatiuus. Vltimo. Habitus ſpecu- 8. Argum. latiuus, eſt propter ſe, vt inquit Ariſt 1. *Metaph. cap.* 2 ſed Dialectica non eſt propter ſe, ſed propter alias ſcientias conſequendas, ergo non erit ſpeculatiua.

Diuerſæ ſunt in hac quæſt. opiniones, prima 1. Opin. eſt, Dialecticam eſſe ſimpliciter & abſolute practicam, & non ſpeculatiuam. Hanc ſequuntur Iandunus. 6. *lib. Metaph. quæſt.* 3. Aureolus apud Capreolum *quæſt.* 2. *prologi concluſio.* 4. Scaliger. 1. *lib. de ſubtilitate exercita.* 1. *num.* 3. *& exercita* 307. *numero.* 23. Fonſeca 2. *lib. Metaph. cap. vltim quæſt.* 2. Bernar. Mirandulanus *in ſua Logica*, Monlorius *in præfatione librorum de priore Analyſi, in qua extitiſſe videtur D. Tho. quæſt.* 5. *ſuper Boetium de Trinit. art.* 1, *in ſolutione cuiuſdam argumenti.*

2. Opin. 2. Opinio eſt, Dialecticam ſimpliciter & abſolute eſſe ſpeculatiuam, quia quamuis agat de obiecto quod fieri poteſt a nobis, nō eſt illud alterius potentiæ, quam intellectu, tum ēt non verſatur in illo modo operabili, ſed ſpeculatiuo, ſcil.

definien

definiendo, diuidendo, & argumentando, explicando naturam, tradendo partes & proprietates, quæ omnia ſpectant ad ſcientiam ſpeculatiuam. Profitentur hanc opinionem D. Tho 12. *q.57. art.3. ad* 3. Scotus *qu.4. prologi ſenten. & 6. lib. Metaph. quæſt.1.* Antonius Andræas *quæſt* 3. Socinas *quæſt* 6. Iauellus *quæſt* 7. *Zerbi. quæſt* 4. *eiuſdem lib.* Capreolus *q.2 prologi concluſione* 4. M. Sotus & Toletus *qu.4. proœmiali.* Flandren 1. *Metaph quæſt.*8.

3. Opin. 3 Opinio eſt Dialecticam ſimul eſſe practicam & ſpeculatiuam, quam ſequuntur Ocham & Nominales, vt inquit Ayala ſuper prædicabilia. & in eadem ſententia videtur eſſe Auicenna, & alii Arabes, qui modo tribuunt Dialecticæ ſpeculari proprietates, quæ conueniunt rebus per intellectum, modo dirigere ad operandum, & artis modo procedere, agendo prius de ſimplicibus, & quomodo deinde inter ſe cōponantur. Addunt quidam eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, non formaliter, ſed eminenter, eo quod nobiliſſimo modo vtriuſq; ſcientiæ munera exequatur, ſpeculatiuæ, proponendo naturam argumentationis, & aliorum entium rationis: practicæ vero, docendo qua ratione ſint conficiendæ argumentationes, & alia inſtrumenta Dialectica.

4 Opin. 4. Opinio eſt Dialecticam neque eſſe ſcientiam practicam, neque ſpeculatiuam, ſed modum, inſtrumentum, & adminiculum quandā cognitionem, ad ſcientias practicas & ſpeculatiuas aſſequendas, ampl[illegible]itur hanc ſententiam Petrus Niger *qu.14. clypei*, & in eadem ſunt Græci, & omnes illi, qui profitentur Dialecticam non eſſe partem, ſed inſtrumentum Philoſophiæ, etenim ſi non eſt pars, cum ſit Philoſophia diuiſa in actiuam, & contemplatiuam, neque erit actiua, neque erit vllo modo contemplatiua, ſed inſtrumentum ad vtrunque genus Philoſophiæ amplectendum, quam ſententiam hi authores his duobus argumentis confirmant. Primum eſt ex Ariſt. qui 1. *Topic. cap.9.* diuidit problemata, in contemplationem, actionis, & inſtrumentaria, que deinde *cap.*11. vocat problemata Dialectica, iam igitur ex ſententia illius, problemata Dialectica, neque ſunt actionis neque contemplationis, & ex conſequenti, neque ipſa Dialectica erit ſpeculatiua, vel practica.

1. Argum. Secundum. Dialectica dirigit intellectum, ſed intellectus ſuapte natura, neque eſt practicus, neq; ſpeculatiuus, nam hæc duo accidentia ſunt illius, ergo neq; Dialectica ex ſua natura erit practica, vel ſpeculatiua.

1. Concluſio. His opinionibus propoſitis in explicationem, ſit prima concluſio. Dialectica vtens, neq, eſt ſcientia practica neque ſpeculatiua, ſed tantum eſt vtriuſque inſtrumentum. Primam partem confirmamus ex eo, quia Dialectica vtens, vt vtens, neque eſt ſcientia, neq; habitus, ſed vſus quidam ſcientiæ, & habitus: at tam ſcientia practica quam ſpeculatiua, ſecundum eſſentiam ſunt habitus quidam & ſcientiæ. Alteram vero partem eſſe tantum inſtrumentum, iam in ſuperioribus docuimus, quia Dialectica vt vtens, eſt quæ conficit inſtrumenta, eaq; aliis ſciētiis accommodat, quare merito hac ratione inſtrumentum erit ſcientiæ tam practicæ quam ſpeculatiuæ. Quod ſi de Dialectica ita ſumpta loquantur auctores. 4. opinionis, vera eſt illorum ſententia, verum quia putamus nos non locutos fuiſſe, ſed egiſſe de Dialectica docente, propter ea erit illorum opinio confutanda.

2. Concl. Dialectica docens neceſſario debet eſſe vel practica vel ſpeculatiua. Confirmatur, quia habitus intellectus diuiſi ſunt ab Ariſt. 6. *Ethic. c.*3. in practicos, & ſpeculatiuos, ſed Dialectica eſt habitus intellectus, ergo vel erit practica vel ſpeculatiua. Secundo. Dialectica dirigit actiones intellectus, ſed omnis actio intellectus vel eſt practica vel ſpeculatiua, nam ſi referatur ad ſolam cognitionem veri, erit ſpeculatiua, ſi vero relata fuerit ad opus, erit practica, imo & mens ipſa eſt ab Ariſt. in has d[illegible] partes diuiſa. 3. *de anima cap.*10. ergo dialectica vel erit practica vel ſpeculatiua. 2. Concluſio.

3. Concl. Dialectica docens non poteſt eſſe ſimul practica & ſpeculatiua. Primo. Quia illa non poteſt eſſe practica, vt oſtendemus in ſequenti concluſione. Secundo. Quia practicū & ſpeculatiuum ſunt contrariæ & eſſentiales differentiæ diuidentes habitum, vel ſcientiam creatam, at contrariæ differentiæ eidē ſcientiæ, eadem ratione cōuenire nullo modo poſſunt. Tertio. Quia quod alii dicunt relati in tertia opinione, eſſe eminenter vtrunque, quā falſum ſit ex eo conſtat, quia rationes formales eleuatæ ad naturam aliquam, in qua eminenter continentur, ſunt ibi nobiliori modo, quam in propriis naturis, & vbi formaliter reperiuntur, ergo ſi Dialectica eminenter eſſet practica & ſpeculatiua, eſſet nobiliori modo ſpeculatiua quam prima Philoſophia, quæ formaliter eſt ſpeculatiua, & quam Philoſophia morum, quæ eſt formaliter practica (vt multi dicunt) quod certe nullus quantum exiſtimo admittet. Ad hæc ſacra Theologia ex eo iuxta Theologos eſt eminenter practica & ſpeculatiua, quia eſt participatiua quædā cognitio ſcientiæ diuinæ, quæ eſt eminenter practica & ſpeculatiua, at Dialectica non eſt participata quædam cognitio ſcientiæ 3. Concluſio.

diuinæ

Digitized by Google

diuinæ, quia neq. eſt de Deo, neq. de rebus diuinis, ergo non erit eminenter vtrunque. Et certe hoc Dialecticæ concedere nihil aliud eſt, quam ipſam in ſcientiarum faſtigio, in quo ſola Theologia continetur collocare.

4. Cōcluſio. 4. Concl. Dialectica docens ſimpliciter, & abſolute eſt ſcientia ſpeculatiua. Hanc profitemur cum ſecunda opinione aduerſus primam, quam confirmamus primo. *1. Argum.* Quia Ariſtot. ſi Laertio credimus in vita ipſius *lib. 5. de vitis* Philoſophiam diuiſit in actiuam, & contemplatiuam, & deinde contemplatiuam partitus eſt in Phyſicam, & Logicam, ex ſententia igitur Ariſtot. Logica erit Philoſophia contemplatiua, ſeu ſcientia ſpeculatiua. Et D. Auguſt. (cuius non tantum apud Theologos, verum apud Dialecticos maxima debet eſſe auctoritas) 8 *lib. de ciuitate cap.* 4. inter ſcientias ſpeculatiuas numerat Dialecticam. *2. Argum.* 2. Illa ſcientia quæ tractat ſuum obiectum definiendo, diuidendo, & argumentando, explicando eius naturam, proponendo principia, ſpecies, & proprietates, eſt ſpeculatiua: nam hæc præſtare munus eſt proprium ſpeculatiuæ, ſed Dialectica eſt huiuſmodi: agit enim de argumentatione explicando eius naturam in libris de priori analyſi, proponendo principia in libro de interpretatione, & tradendo eius ſpecies in lib. de demonſtr. Topico & Elencho. in quibus omnibus multæ proprietates traduntur, & concluduntur, ergo Dialectica erit ſpeculatiua. *3. Argum.* 3. Illa ſcientia eſt ſpeculatiua, cuius finis eſt ſola contemplatio veritatis, ſed finis Dialecticæ docentis eſt ſola contemplatio argumentationis, & aliorum entium rationis Dialecticorum, ergo erit ſpeculatiua. Huic argumento reſpondent aduerſarii, falſam eſſe aſſumtionem, quia Dialectica non ſiſtit in ſola cognitione argumentationis, ſed illam reuocat deinde ad argumentationem conficiendam, quæ eſt opus quoddam intellectus. Errant tamen hi primo, quia conficere argumentationem non eſt munus docentis, ſed vtentis, eſt ſiquidem munus illius quæ reuocat præcepta ad vſum, quod certe ſoli vtenti poteſt cōuenire. Secundo. Quia quamuis admitteremus hæc opera fieri à Dialectica docente, adhuc ipſa eſſet vocanda ſpeculatiua, quia hæc opera ſunt opera ſolius intellectus, at intellectu non dantur aliæ actiones quam ſpeculationes, vt in quæſtione ſuperiori late docuimus. *Argum.* Tertio, quia Dialectica dirigit functiones ſpeculatiuas intellectus, quæ ſunt ſimplicium apprehenſio in libro Categoriarum, compoſitio, & diuiſio, in libris de interpretatione, & ratiocinatio in lib. de priori & poſteriori analyſi, & in aliis, erit igitur habitus ſpeculatiuus. Confirmatur iterum concluſio *4. Argum.* De argumentatione, & aliis modis ſciendi poteſt dari aliqua ſcientia ſpeculatiua, atqui hæc nulla eſt alia quam Dialectica, quæ in his modis ſciendi, tanquam in propria materia verſatur, erit ergo ipſa ſpeculatiua: aſſumtio eſt aperta. Confirmatur propoſitio. Eadem eſt ratio actionum intellectus & voluntatis, ſed poteſt dari Philoſophia morum dirigens actiones voluntatis, quæ ſit ſpeculatiua, illa ſcilicet, quæ ageret de virtutibus & vitiis definiendo, diuidendo, & argumentando, & ibi ſiſtendo, ergo poterit quoq dari aliqua ſcientia ſpeculatiua, quæ ſit circa modos ſciendi, qui dirigunt actiones intellectus, explicando illorum naturā definiendo, diuidendo, & argumentando, & ibi ſiſtendo. Adhæc omnis ſcientia quæ eſt vere & proprie talis, eſt ſpeculatiua, vt oſtendemus. 1. *lib. de demonſt. cap.* 2. ſed Dialectica eſt ſimpliciter & abſolute ſcientia, vt in ſuperioribus fuit demonſtratum, ergo erit ſpeculatiua. *5. Argum.* Vltimo. Probo non eſſe practicam. Habitus quilibet practicus vel eſt practicus effectionis, vel actionis, ſed Dialectica neque eſt habitus qui verſatur in actione, neq in effectione, ergo non erit habitus practicus. Propoſitio eſt Ariſt. 6. *Metaph. cap.* 1. vbi diuidit ſcientias in practicas & ſpeculatiuas, & practicas in actiuas & effectiuas. Confirmatur aſſumtio. Primo non eſſe practicam actionis, quia huius principium eſt electio, *vt in hoc loco, & 6. Ethic. cap* 10. docet Ariſt. principium vero operum Dialecticorum non eſt electio, ſed intellectio: deinde neque eſt habitus practicus effectionis, eo quod opera, quæ ab huiuſmodi habitu proficiſcuntur, ſunt externa, qualia non ſunt opera Dialectica, quæ intra intellectum exercentur.

Ad 1. argu. Iam ad arg. quæ in initio propoſuimus. Ad 1. reſp. Ariſt. docuiſſe problemata Dialectica non eſſe cōtemplationis, ſed inſtrumentaria. propter Dialecticā vtentem, quæ neq; eſt ſcientia ſpeculatiua, neq; practica, ſed inſtrumentum vtriuſq. vt oſtendimus in 4. concl. Vel dicimus duo eſſe genera problematum contemplatiuorum quædam ſunt, quæ ſunt ſolum cōtemplatiua, alia vero ſimul ſunt contemplatiua, & organica, & hęc ſecundi generis vocat Ariſt. inſtrumentaria, non quia non ſint contemplatiua, ſed quia maxima illorū dignitas eſt, eſſe inſtrumenta ad alia problemata comparanda, quando igitur Ariſt. à numero problematū contemplatiuorum excluſit Dialecticam, per problemata cōtemplatiua intellexit illa quæ præciſe & tantum ſunt contemplatiua, vt ſunt problemata Metaphyſica, vel Mathematica, qualia non ſunt problemata Dia-

lectica. Ad ſecundam auctoritatem in eodem arg. propoſitam *ex 6. Metaph.* dicimus Ariſt. ibi tantum diuiſiſſe ſcientias ſpeculatiuas rei, quæ ſunt illæ tres recenſitæ, & omiſiſſe ſcientias ſpeculatiuas rationis, è quorum numero eſt Dialectica. Solutio eſt communis Scoti, Antonii Andreæ, Sueſani; Zerbini, *6 Metaph. in q. citatis in ſecunda opinione.* Vel ſi mauis reſpondendū erit Ariſt. tantum numeraſſe ſcientias pure ſpeculatiuas, & non alias quæ ſunt ſimul ſpeculatiuæ & organicæ. Atq. ita ſilentio prætermiſiſſe Dialecticam, quæ ſimul eſt ſpeculatiua & organica, & recenſuiſſe Metaph. Philoſ. naturæ, & Mathem. artes, quia hæ ſunt pure ſpeculatiuæ, & nullo modo organicæ. Ad 2. reſp. diſtinguendam eſſe aſſumptionem, quia vel loquimur de Dialectica docente, vel de vtente, ſi de priori falſa eſt aſſumtio, etenim illius finis non eſt conficere ſyllogiſmos, ſed ipſorum naturam, partes, & proprietates inueſtigare. Si vero agamus de vtente, admittimus illius finem eſſe conficere ſyllogiſmos, & alia opera Dialectica, verum hæc non eſt ſcientia ſpeculatiua, neq. practica, ſed vtriuſque inſtrumentum, & de hac intelligi debet propoſita auctoritas Ariſt. Iterum reſp. diſtinguendam eſſe propoſitionem, quia vel loquimur de operibus ſolius intellectus, vel de operibus aliarum potentiarum: ſi de operibus huius ſecundi generis agamus, verum eſt illum habitum, cuius finis non eſt contēplatio veri, ſed opus confectum non eſſe ſpeculatiuum, & de his intelligenda eſt auctoritas Ariſt. Si vero agamus de operibus primi generis, falſum eſt illum habitum, cuius finis eſt opus confectum à ſolo intellectu non eſſe ſpeculatiuum, ſed practicum, quia in ſolo illo non da ur praxis, ſed ſola ſpeculatio, vt diximus in ſuperioribus, nam hæc opera quæ ſolo intellectu fiunt, vel ſunt ſpeculationes, vel ipſis deſeruiunt, & huius generis ſunt opera Dialectica. Addimus tertio duplicem eſſe finem in Dialect. vnum proximum, & alterum remotū, proximus eſt contemplatio naturæ entis rationis Logici, remotus vero conficere ſyllogiſmos, definitiones, & diuiſiones: cum ergo ſcientiæ vocari debeant practicæ vel ſpeculatiuæ à fine proximo, & non à remoto, quamuis fateamur finem Dial. eſſe opus confectum, non proinde concludendum erit ipſam eſſe ſcientiam practicam, quia finis illius proximus eſt, ſola contemplatio veritatis. Ad tertium diſtinguenda eſt propoſitio, quia nomen effectionis eſt ambiguum, aliquando enim ſumitur in late patente quadā ſignificatione, vt ſuo ambitu continet omnes actiones noſtras, quæ non fiunt à natura, ſiue illæ fuerint intellectus, ſiue voluntatis, ſiue ſenſuum, ſiue membrorum, & aliquando ſumitur in propria, magiſq. contracta ſignificatione, vt ſ. indicat actionem tranſeuntem in exteram materiam, qualis eſt actio erigendi domum, illa enim non manet in architecto, ſed tranſit in ipſam domum. Intereſt igitur inter has duas ſignificationes, eo quod à prima non denominātur artes effectionis, ſed tantū à ſecunda, quemadmodum ſæpe in ſuperioribus ex Ariſt. admonuimus. Quando igitur Ariſtot. loco citato inquit, quę fiunt ab arte eſſe effectiones, neq. ſumpſit proprie artem, neq. effectionem in ſecunda ſignificatione, ſed ſumpſit artem in communi ſignificatione, vt amplectitur omnem artē tam proprie, quam improprie dictam, nimirum habitum, qui eſt principium illorum operum, quæ non fiunt à natura, vel à caſu, & effectionem pro qualibet actione, quæ à nobis fit in communi, in quibus ſignificationibus Dial. eſt ars improprie tamen, *vt diximus in q.* 5. & eius opera poſſunt dici effectiones. Verum ab effectionib. huius generis non denominantur habitus aliqui practici, nā actus ſcientiæ, vt Philoſophiæ naturæ, & ſapientiæ, vt Metaphyſ. ſunt effectionis in hac ſignificatione, quia non fiunt à natura, vel à caſu, ſed à nobis, qui tamen habitus ſunt ſpeculatiui: ſed ab effectionibus alterius generis, quæ tranſeunt in exteram materiam dicunt habitus practici nuncupandi, qua tamen ratione opera Dialectica non ſunt effectiones, quia non tranſeunt in exteram materiam, ſed remanent in ſolo intellectu. Ad 4. reſp. duobus modis poſſe mentem eſſe principium alicuius actionis, vno modo dirigendo, & altero exequendo: quando ergo inquit Ariſt. illam eſſe ſcientiam practicam effectionis, cuius principiū eſt in nobis ipſa mens, locutus eſt de mēte ea ratione quia eſt dirigens, ſeſeq. extendens ad voluntatem, & ad alias potentias exteriores, à quibus oriuntur actiones in exteram materiam tranſeuntes: non autem de mente, vt eſt principium exequens, in illa ſiquidem hac ratione ſumta nulla eſt praxis. Quare cum opera Dialectica exerceantur in mente ita ſumta; & non progrediantur ab illa tanquam à dirigente potentias exteriores, & appetitum, nō erit habitus practicus. Addimus Ariſtot. in loco citato præter mentem ad praxim collocaſſe vim quandam, & facultatem ad conſequenda opera artis, quæ nihil aliud eſt quam inſtrumentum aliquod extrinſecum, à quo proxime fluat actio, quæ eſt praxis effectionis, vt in erectione domus, præter mentem & artē eſt alia quædam vis & inſtrumentum externum, manus ſ. à qua proxime fluit actio ædificandi: at vero in operibus Dialecticis præter mentem non eſt alia vis & inſtru-

Solut.

Ad 2. arg.

Soluti.

Solut.

Argum.

4. Argum.

2. Solut.

3. Solut. inſtrumentum externum, à quo hæc inſtrumēta fluant immediate. Vel dicimus illam ſcienciam eſſe practicam effectionis, cuius principium eſt mens includens appetitum, *vt in qu.* 10 diximus. Dialectica autem opera nō includunt huiuſmodi mentem, nam fiunt à ſola ipſa ſine extenſione ad appetitum. *5. Argum.* Ad 5. neganda eſt conſequentia, & ratio diſcriminis eſt, quia cum principium praxis ſit volontas habitus qui diriget actiones voluntatis, vt eſt Philoſophia morum, erit practicus: cæterum quia in actionibus intellectus non datur praxis, habitus qui illas diriget qualis eſt Dialectica non dicetur practicus. Ex hac ſolutione diſſoluitur aliud argumētum, quod aduerſarii proponere ſolent. Dirigere eſt quædam praxis, ſed Dialectica dirigit actiones intellectus, ergo erit habitus practicus. Reſpondendum ſiquidem eſt dirigere tunc eſſe praxim, quando actiones quæ diriguntur, ſunt voluntatis, & non intellectus, quas dirigit Dialectica. *6. Argum.* Ad 6. reſp. ſcientias practicas & ſpeculatiuas poſſe conferri, vel ratione finium, vel ratione obiectorum: ſi primo modo conferantur, ſpeculatiuæ nobiliores ſunt practicis, quia illarum finis eſt contemplatio veritatis, practicarum vero proſecutio boni, at cognoſcere veritatē multo nobilius eſt, cum in illa ſit conſtituta beatitudo, quam proſequi bonum. Si vero altero modo cōferantur ratione ſcil. obiectorum, aliquæ ſcientiæ practicæ ſunt nobiliores multis ſpeculatiuis, vt Philoſophia morum, quæ multorum iudicio eſt practica, eſt nobilior Mathematicis artibus, quæ ſunt ſpeculatiuæ, & etiam ipſa Dialectica, nam agit Philoſophia morum de virtutibus & actionibus humanis, quæ multo præſtantiores ſunt quantitate de qua agunt Mathematicæ, & ente rationis, de quo diſputat Dialecti. Legendi ſunt de hac re Soncina *6 Metaph. quæſt. 6.* Iauel. *quæſt.* 8. Sueſan. & Antonius Andr. 1. *Metaph. qu. vltimu, & Aquar. in q* 12. Dialectica igitur ratione finis nobilior erit qualibet practica, ratione tamen obiecti erit ignobilior, vt optime probat argumentum. *7. Argum.* Ad 7. reſp. habitum Dialecticum, qui communis eſt ad docentem & vtentem ex ſe non eſſe ſpeculatiuum, neque practicum, ſed hunc eundem ea ratione qua eſt docens eſſe ſpeculatiuum.

Animaduertendum ſiquidem eſt diuiſionem habitus Dialectici in practicum & ſpeculatiuum, non eſſe alicuius ſuperioris, & vniuerſi in ſua inferiora, vt eſt diuiſio animalis in hominem, & brutum, ſed eſſe diuiſionem ſubiecti in accidentia, qualis eſt diuiſio corporis in candidum & atrum: vnde quamuis in diuiſione communioris in minus communia res diuiſa non poſſit participare naturam membrorum, vt conſtat de animali, quod neq; eſt particeps, neque expers rationis: at in diuiſione ſubiecti in accidentia, res diuiſa poteſt participare naturam membrorum diuidentium, ea ratione qua afficitur vno vel altero accidente, quemadmodum corpus vt afficitur candore participat eius naturam, quæ eſt diſgregare viſum. Cum igitur hæc diuiſio Dialecticæ in docentem & vtentem ſit ſubiecti in accidentia, vt afficietur ratione docentis erit vera ſcientia, quia ita verſabitur in explicanda natura, & inueſtigandis proprietatibus per ſuas cauſas, non vlterius progrediendo, quod proprium eſt ſcientiæ ſpeculatiuæ. Ad octauum reſpondemus, imprimis cum Capreolo propoſitionem eſſe veram de ſcientia, quæ ita eſt ſpeculatiua, vt nullam, vel artis, vel inſtrumenti rationem obtineat, quod ſi horum aliquam rationem obtinuerit, neganda eſt propoſitio, ea ſiquidem ratione, qua hæc ſcientia habet rationem inſtrumenti, vel artis, eo modo quo aliæ artes, & habitus inſtrumentarii conficiunt ſua obiecta, & inſtrumenta, poterit quoque & hæc eadem illa conficere. *8. Argum.* Vel dicere poſſumus propoſitionem eſſe veram de ſcientiis ſpeculatiuis rei, vt eſt Philoſophia naturæ, nam hæ non conficiunt ſua obiecta, falſam autem de ſcientiis ſpeculatiuis rationis, quæ poſſunt optime ſua obiecta conficere, intra quarum numerum eſt comprehenſa Dialectica. *2. Solut.* Ad vltimū reſpondemus Dialecticam docentem eſſe propter ſe, & hanc eſſe ſpeculatiuam, vtentem vero propter alia, hanc tamen non facimus ſpeculatiuam, verum ſitne expetenda Dialectica propter ſe, vel propter alia, abunde ſatis fuit à nobis explicatum ſupra *quæſt. 7.* *9. Argum.* Supereſt tamen vt ſatisfaciamus authoritati D. Tho. quæ propoſita fuit in prima opinione, videtur enim ille excludere à ſcientiis ſpeculatiuis Dialecticam. *Ad authoritatem D. Thom.* Cui reſpon. D. Tho. intelligendum eſſe de ſcientiis pure ſpeculatiuis vt ſunt Mathematicæ artes, qua ratione Dialectica non eſt ſpeculatiua, & non de ſpeculatiuis organicis, ſub quibus eſt comprehenſa Dialectica.

Ad 1. Ad alia duo argumenta quæ fecimus in patrocinium quartæ opinionis reſp. ad primum his eiſdem ſolutionibus, quibus ſatisfecimus primo argumento huius quæſt. *Ad 2.* Ad ſecundum admittimus intellectum ſuapte natura neq; eſſe practicum, neque ſpeculatiuum, verum omnes actiones illius ſunt practicæ, vel ſpeculatiuæ, atque ita cum Dialectica dirigat actiones intellectus, debet eſſe practica, vel ſpeculatiua.

QVÆSTIO XII.

An Dialectica ſit ars ingenua & liberalis.

EX ſcientiis & artibus, quaſdam eſſe ingenuas, & liberales, & alias non eſſe, communibus fere Philoſophorum ſuffragiis eſt receptum. Poſtquam igitur in ſuperiori quæſt. definitum fuit Logicam eſſe ſcientiam & artem ſequitur inueſtigemus, nũ ſit ipſa ex illis quæ ſunt ingenuæ necne? Verum antequam hanc rem explicemus, erunt non nulla de artibus ingenuis, ipſarum natura, & numero altius repetenda. Initio igitur aliquas eſſe artes ingenuas, & liberales nulli parum etiam in Philoſophorum lectione verſato dubiũ eſſe debet, nam in primis Plato meminit artium liberalium. 7. de repub. Ariſt. 8. *politico. cap. 3.* Cicero. 1. *lib. de inuentione, & li. 2. de finibus bonorum & malorum*, Seneca *lib.* 13. *epiſtol. epiſt.* 89 *quæ eſt vltima ad Lucillum* & Plinius *lib. 35. cap* 10 Incertum tamen & dubium eſt, quænam dicantur artes liberales, & quo numero ſint comprehenſæ.

Opin. Quidam exiſtimant illas eſſe artes liberales, quæ tantum exercentur ab hominibus ingenuis & liberis, ſordidas vero, & ſeruiles illas dici, quæ exercentur ab hominibus ſordidis. Verum hæc ſententia conſtare non poteſt, primo quia fieret vnam, & eandem artem, nunc eſſe ſordidam, & deinde liberalem, ſordidam ſi ab hominibus ſordidis & ſeruis exerceretur, & liberalem deinde, ſi ingenui homines, & liberi, in ea ſe exercerent. Deinde artes ingenuæ ſunt illæ quæ præparant homines ad virtutem aſſequendam, at ſi non eſſent illæ committendæ hominibus ſordidis, hi homines arcendi eſſent ab vſu & virtutum exercitio cum eis denegentur hæ artes, quæ ipſos poſſunt præparare ad virtutis aſſecutionem, ergo non ex eo erunt artes ingenuæ, quia hominibus tantum ingenuis, & non ſordidis committuntur.

Opin. Sunt alii qui opinantur artes liberales & ingenuas illas eſſe, in quibus ſe pueri exercent, tanquam prima rudimenta puerilia, & quæ manuum beneficio non exercentur, quas Plato propedias, id eſt, primas puerorum inſtitutiones, nuncupare conſueuerat. Refellimus tamen hanc ſententiam, quia prima Philoſophia, eſt ars liberalis, & hoc nomine ornatur ab Ariſtot. 1 *Metaph. c. 2.* tum etiam Philoſophia morum eſt quoq; ingenua, & liberalis, cũ reddat maxime homines ingenuos, quæ tamen non ſunt prima puerorum rudimenta, neq; ſunt ipſis vllo modo committendæ, vt de Philoſophia morum teſtatur Ariſtot. 1. *Ethic. cap.* 3. Pueri enim nondum habent ſedatos turbulentos animi motus, vt ita fiant idonei auditores Philoſophiæ morum: & de prima Philoſophia ex ipſo nomine conſtare poteſt, non eſſe in numero puerilium inſtitutionum recenſendam, dicitur enim Metaphyſica, id eſt, poſt Phyſica, quaſi debeat illa vltimo loco poſt omnes ſcientias naturales comparari, nõ ergo artes liberales ſunt ita nuncupandæ, quia ſunt primæ puerorum inſtitutiones.

Aliorum igitur veſtigiis inhærentes arbitramur artes ingenuas ex eo ſic eſſe nuncupandas, quia exercentur in parte hominis libera, redduntque corpus idoneum, & mentem præparãt ad virtutis opera aſſequenda & exercẽda. Quod ita eſſe in hunc modum poſſumus confirmare. 3. Opin.
Contrariorum contrariæ ſunt proponendæ definitiones, ex Ariſtot. 1. *prior. cap.* 1. & 1. *Topico. cap.* 8. ſed artes ſordidæ & ingenuæ ſunt contrariæ, ergo erunt illis contrariæ definitiones aſſignandæ, atqui artes ſordidæ definiuntur ab Ariſt. 8 *Polit. cap.* 2. quæ reddunt ineptum corpus, & mentem liberam ad virtutis opera exercenda, ergo contrario modo artes ingenuæ erunt illæ vocandæ, quæ reddunt accommodatum corpus, & præparant mentem hominis liberi ad virtutes aſſequendas. Vbi animaduertendum eſt, per hominem liberum nõ eſſe eum intelligendum, qui non eſt ſeruus, ſed eum qui vtitur in ſuis actionibus libertate ſibi à natura tributa, ſiue illa fuerit ſeruus, ſiue liber, ſiue vir, ſiue fœmina, nam cum cætera animantia ad ſuos quæq; fines naturali quodam impetu ferantur, ſolus homo eſt, qui in ſuis actionibus, ad bene, beateq; viuendum libertate quadam fungitur, ſibi à natura conceſſa.

De numero etiam harum artium liberalium, non eſt minor quam de illarum natura diſceptatio. Quidam tantum faciunt quatuor artes liberales, Grammaticam, Palæſtram, Muſicam, 1. Opin.
& Picturam, quam ſententiam proponit Ariſt. 8. *Polit. c* 3. & 4. Alii vt Seneca *in epiſtola ſuperiori* quinq conſtituunt artes ingenuas, Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, & 2. Opin.
Aſtrologiam, *Plato 6. & 7. de Repub.* ſex numerat artes ingenuas, Grammaticam, Gymnaſticam, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, & Aſtronomiam, omnes tamen fere recentiores ſeptem illas faciunt Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Muſicã, Geometriam, & Aſtrologiam, quæ opinio ortũ habuit à Martiano Capella, qui in literarum cõuiuio has ſeptem tanquam ſolas ingenuas ad conuiuium inuitauit. Non deſunt etiam alii, qui putent artes liberales plures eſſe quam ſeptem, neque eſſe illas aliquo certo numero comprehenſas, 3. Opin. 4. Opin. 5. Opin.

quam

quam opinionem & lando, & ſequor, propter has rationes. Prima, quia præter has ſeptem ſunt plures, quæ reddunt corpus idoneum, & mentem aptam ad virtutes aſſequendas, vt eſt Philoſophia morum, & aliæ. Secunda, quia Philoſophia naturæ, prima Philoſophia, Theologia ſacra, Iuriſprudentia, & Medicina ſunt artes ingenuæ, tum quia non ſunt ſordidæ, tum etiam, quia præparant mentem ad virtutem, quæ non continentur in numero illarum ſeptem artium. Tertia, quia quemadmodum ſeſe habet Muſica ad Arithmeticam, ita ſe habet Optica ad Geometriam: nam quemadmodum Arithmetica diſputat de numero abſolute, & Muſica de numero ſonoro, ita quoque Geometria diſputat de linea abſolute, Optica vero de linea viſuali, ſed inter artes ingenuas Mathematicas hi auctores faciunt præter Arithmeticam, Muſicam artem ingenuam, ergo inter eaſdem debuit quoque recenſeri præter Geometriam, Opticam. Quarta, quia ars ſcribendi, Logiſtica, Coſmographia, Topographia, & Geographia ſunt artes liberales, non enim ſunt ſordidæ, neque reddunt mentem ineptam ad virtutis vſum, quæ non cõtinentur in illis ſeptem recenſitis, quare concludendum erit, eſſe multo plures, quam ſeptem artes liberales, ex quibus tres ſunt, quæ verſantur in ſermone, Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, & aliæ in rebus ipſis, quæ non poſſunt aliquo certo numero comprehendi, ſed omnes illæ dicentur ingenuæ, quæ non ſunt ſordidæ, & corpus præparant, mentemque reddunt idoneam ad virtutes aſſequendas.

Dialectica eſt ars liberalis.

Ex his facile erit propoſitam quæſtionem diſſoluere, rogamus enim, ſitne Dialectica ars ingenua, necne? Cui reſpondemus, eſſe artem ingenuam. Primo, quia quamuis neque à Platone, neque ab Ariſtotele ſit ita vocata, ex communi tamen omnium poſteriorum Philoſophorum conſenſu inter artes liberales numeratur. Secundo, quia Dialectica præparat maxime mentem ad virtutem, imo iuxta Stoicos, vt inquit Laertius *in vita Zenonis*, ſola illa eſt, quæ merito virtutis nomen ſibi poteſt vendicare. Et præterea ſi illius ope intellectus adiutus, conſequitur alias artes liberales, profecto non erit, cur illam à numero harum artium excludere vllo modo debeamus. Hæc tamen breuiter diximus, vt in aliis grauioribus & difficilioribus quæſtionibus immorari poſſimus.

_

QVÆSTIO XIII.

An ens rationis ſit obiectum Dialecticæ.

Sequitur, vt de obiecto Dialecticæ diſputemus, diximus enim in poſtrema parte definitionis, eſſe ens rationis, quod eſt deſtinatum ad definiendum, diuidendum, & argumentandum. Cæterum cum hæc res ſit maxime controuerſa apud Dialecticos, erit hæc quæſtio diligenter à nobis diſputanda. Et quidem non eſſe ens rationis illius obiectum, his argumentis poſſumus confirmare. Primum. Subiectum *1. Argum.* ſcientiæ eſt illud, de quo in tali ſcientia præcognoſcendum eſt, an ſit, & quid ſit, ex 1. *cap.* 1. *de demonſtrat.* tum cuius principia & cauſæ traduntur ex 1. *Phyſic. cap.* 1. & 11. *Metaphyſic. cap* 6. proprietateſque inueſtigantur, & tandem partes & ſpecies inquiruntur, ex 4. *lib. Metaphyſ. cap.* 2. ſed quæ ſit natura entis rationis, & an ſit, quæ ipſius proprietates, quænam cauſæ & fundamenta inueſtigare, non eſt munus Dialectici, ſed Metaphyſici, vnde neq; in aliqua parte Dialecticæ hæc explicantur, ergo obiectum Dialecticæ non erit ens rationis.

2. In qualibet ſcientia obiectum debet habere proprietates, quæ de ipſo concludantur, *2. Argum.* ex 1. *de demonſtrat. cap* 1 ſed in Dialectica nullæ dantur proprietates, quæ concludantur de ente rationis, nam dirigere intellectum, quod quidam tanquam proprietatem aſſignant, nõ poteſt eſſe proprietas, eſt enim actio dirigendi, ens rei: ergo ens rationis non erit obiectu Dialecticæ. Et confirmatur argumentum. Si darentur aliquæ proprietates, illæ non eſſent a natura, nam ita eſſent entia rei, ſed ex hominũ impoſitione & voluntate, a qua ſola dependent entia rationis, atqui hoc fieri nullo modo poteſt, quia proprietates (in quibus ſcientia verſatur) debent eſſe certæ & perpetuæ, quæ autem dependent ex hominum voluntate, incerta ſunt, & quæ ſtatim pro hominum arbitrio labi poſſunt, ergo ens rationis nullas habebit proprietates. 3. Si ens rationis haberet *3. Argum.* aliquas proprietates, vel illæ eſſent entia rei, vel rationis, ſed non poſſunt eſſe entia rei, nam cum ens rei ſit maioris entitatis, quam ens rationis, proprietas eſſet maioris entitatis, quam ſubiectum, quod certe fieri nullo modo poteſt: neque rationis, quia proprietas debet diſtingui a ſubiecto, at ens rationis non diſtinguitur ab ente rationis, tum etiam, quia proprietas eſt minoris entitatis, quam ſubiectum, at inter entia rationis non ſunt quædam minoris entitatis, quam alia, ergo ens rationis nullas habebit proprietates. 4. Quælibet *4. Argum.*

ſcientia dependet à ſuo obiecto, quemadmodum & alij habitus & facultates naturales ab eodem dependent, cum ab eo habeant naturam, vt ſæpe repetit Ariſt. *2. de Anima*, ſed Dialectica non dependet ab ente rationis, quia ipſa eſt ens rei, nam eſt qualitas in prima ſpecie ſub habitu comprehenſa, ens vero rei non dependet ab ente rationis, ergo obiectum Dialecticæ non erit ens rationis.

Argum. 5. Inter ſcientiam & obiectum intercedere debet relatio rei tertij generis, ſcilicet menſurabilis ad menſuram, ſed inter Dialecticam & ens rationis non poteſt intercedere relatio huius generis, ergo illius obiectum nō erit ens rationis. Confirmatur aſſumptio. Relatio rei debet interuenire inter extrema rei, ſed ens rationis non eſt extremum rei, ergo inter ipſum & Dialecticam non poterit interuenire relatio rei.

Argum. 6. Illud, quod non poteſt apprehendi ab intellectu, nō poteſt eſſe obiectum Dialecticæ, cum omne obiectum debeat percipi ab intellectu, ſed ens rationis non poteſt apprehendi ab intellectu, ergo non erit obiectum Dialecticę Confirmatur aſſumptio Si ens rationis apprehenderetur ab intellectu, aut apprehenderetur per ſpeciem propriam, aut per alienam entis rei, ſed non poteſt apprehendi per propriam, quia hæc elicitur à phantaſmatibus, quæ non habet ens rationis: neque per alienam entis rei, nam magis differunt ens rei & rationis, quam duo entia rei, vt homo & equus: cum ergo per ſpeciem hominis non poſſimus cognoſcere equum, neque per ſpeciem entis rei poterimus cognoſcere ens rationis.

Argum. 7. In quauis ſcientia obiectum eſt cauſa ſuarum proprietatum, ſed ens rationis non poteſt eſſe cauſa proprietatum, ergo non erit illius obiectum. Confirmatur aſſumptio. Quia habere cauſam tantum competit enti rei.

Argum. 8. Ariſt. *1. prior. cap. 1.* proponens inſtitutum Dialecticæ, inquit, illud eſſe agere de demonſtratione, & de arte demonſtrandi, ſed ex inſtituto colligi debet materia ſubiecta, ergo obiectum Dialecticæ non erit ens rationis, ſed demonſtratio.

Argum. 9. Dialectica eſt ſcientia, cuius beneficio ex cognitis ignota manifeſtamus, nam vt dicebant veteres, eſt ſcientia ignoti manifeſtatiua, ergo illius obiectum debet eſſe illud, cuius beneficio ignotum manifeſtatur, ſed quod manifeſtat ignotum, eſt argumentatio, in qua ex præmiſſis cognitis deuenimus in cognitionem concluſionis incognitæ, ergo obiectum Dialecticæ erit argumentatio & non ens rationis.

o. Argum. Vltimum. Illud eſt obiectum, ad quod omnia referuntur, & ipſum alio non reuocatur, ſed quæcunque tractantur in Dialectica, reuocantur ad argumentationem, & ipſa alio non refertur, nam libri Categoriarum reuocantur ad libros de interpretatione, & hi ad libros de priori analyſi, in quibus explicatur ratio argumentationis, ergo obiectum Dialecticæ erit argumentatio, & non ens rationis.

In hac quæſt. tot ſunt tamque inter ſe diſcrepantes ſententiæ, vt vel ex hoc ipſo illam difficilem ſatis reddiderint, quia tamen in re graui dignæ ſunt ſententiæ, quæ & conſiderentur, & audiantur, in hac quæſt. ſicuti & in reliquis, primo à nobis aliorum opiniones erunt breuiter recenſendæ, vt facilius multo deinde noſtram explicare poſſimus.

Prima opinio. Eſt igitur prima opinio Ocham, Gabrielis, Gregorij, & aliorū Nominalium, obiectum Dialecticæ eſſe voces ſignificantes, totum enim negotium Dialecticum hi authores referunt ad voces, quibus aſſentiuntur Villalpandus *quæſt. 5. proœmial.*, Viues *3. lib. de corruptis diſciplinis*, Matſius *cap. 3. ſuper Porphyr. Titelm. c. 1.* & ex Græcis omnes illi, qui in Categoriis putant agi de vocibus, & non de rebus, vt in illo loco dicemus. Quintilianus *lib. 12. cap. 2.* rationalem Philoſophiæ partem totam in verbis verſari inquit, & Zeno, vt teſtatur Laertius *lib. 7. in vita ipſius*, proprium, inquit, Dialecticæ eſſe agere de voce ipſa, quem alij Stoici ſequuti fuerunt.

2 Opinio. 2 Opinio eſt, obiectum eſſe argumentationem in communi, quæ eſt diuiſa tanquam in ſpecies, in ſyllogiſmū, enthymema, inductionem, & exemplum. Hanc ſequuntur Arabes, Auicenna & Algazel *in ſuis Logicis*, D. Albertus Magnus *tractatu 1. Logicæ, cap. 4.* Iauellus *tractatu 1 Logicæ, cap. 3* Ayala *ſuper prædicabilia*, Lemoſius *lib. 1 paradoxor. errore 6* & alij.

3 Opinio. 3. eſt, Obiectum eſſe ſolum ſyllogiſmum, qui inter cæteras ſpecies argumentationis ſibi vendicat principatum, de quo in communi egit Ariſt. *in lib. de priori analyſi*, & in particulari, *in lib. de demonſtrat. Topic. & Elench.* Ita ſentiunt Ægidius & Scotus *q. 2. in Porphyr.* & qui illos ſequuntur.

4 Opinio. 4. eſt fere omnium Græcorum, Ammonij, Simplicij, Philoponi & Alexandri, ſolam demonſtrationem eſſe obiectum, idque propter auctoritatem Ariſt. *1 prior. cap. 1.* vbi proponēs materiam & inſtitutum Dialecticæ, inquit, inſtitutum eſſe, agere de demonſtratione.

5 Opinio. 5. eſt, modum ſciendi in communi ad diffinitionem, diuiſionem, & argumentationem eſſe obiectum, cum omnia, quæ tractantur in Dialectica, ſub illo comprehendantur, & ſint tandem eo referenda, vt modum ad quem ſci-

endi ad explicandas quæſt. tenere poſſimus, quæ opinio vetus eſt, illamque referunt Albertus Magnus *in loco ſuperiori*, & ex recentioribus multi ipſam profitentur, Mercado *quæſt. 2. in Porphyr.* Toletus *quæſt. 5.* Bernhar. Mirandulanus *in ſua Logica*. Fonſeca *2. lib. Metaph. cap. vlt. q. 2. ſect. 5.* & Nunneſius *lib. de conſtitut. artis Dialecticæ*.

1. Opinio. 6. Opinio eſt, ens rationis eſſe obiectum Dialecticæ, quæ opinio communis eſt illamque ſequuntur D. Thom. *4. Metaphyſ. lect. 4. opuſc. 42. cap. 4. 1 perhyer. lect. 1.* Auerroes *4 Metaphyſ. comment. 2. & in epit. prædicamentorum*, Zimara *in annotatione vl. im. ſuper quæſt.* Ianduni *in 2 Metaphyſ* qui inquit, eſſe hanc ſententiam omnium bene ſentientium, & citat pro ea Scotum *quæſt. 4 ſuper Porphyr.* Ægidium *in lib. Elench.* & Lincolnienſem *1. poſter. text 27.* In hac ſunt omnes Thomiſtæ, Soto *quæſt. 3 proœmiali*, Caietanus *in cap. de genere*, Petrus Niger *quæſt. 12. clypei*, Aquarius *4 Metaphyſ quæſt. 5.* Toletus, *vbi ſupra*, & innumeri alij.

2. Opinio. 7 eſt Ianduni *2. Metaph. q. 12 ad 1.* obiectum eſſe ens rei, & non eſſe ens rationis, quæ ſententia ſuos etiam habet ex recentioribus patronos, verum ipſe fortaſſis rem melius perpẽdens *4. Metaph. q. 4* ad ſecundum aſſerit, obiectum eſſe res non abſolute, ſed ea ratione, qua ſubſtant ſecundis notionibus, Euſtrathius, ſi credimus Villalpando & Hieronymus Pontanus idem docuerunt vt auctor eſt Aquarius in loco ſuperiori, & in hac etiam extitit opinione Mirandulanus *2 part. ſuæ Apologiæ*. Inter tot igitur, tamque diſcrepantes opiniones difficile profecto eſt ferre ſententiam, & proprium ſubſcribere iudicium, conabimur tamen probabiliora & vero ſimilia in medium proponere: quod vt melius præſtemus, erunt nonnulla prius iacienda fundamenta.

Fundam. Primum eſt, hæc nomina obiectum, ſubiectum & materia, reſpectu ſcientiæ pro eodem ſumi, nam dicitur obiectum, vt in ipſum fertur ſcientia, ſibique obiicit contemplandum: ſubiectum vero dicitur ea ratione, qua ab ipſo fluunt proprietates, principiaque, partes & ſpecies in ſcientia explicantur, qua ratione ſeparatur ſubiectum à ſubiecto inhæſionis, & à ſubiecto propoſitionis, quia horum partes, principia & proprietates in ſcientiis non explicantur. Vocatur autem materia, qu a ſcientia verſatur circa ipſum, in omnibus ſiquidem habitibus & potentiis illud dicitur materia, in quo habitus vel potentia verſantur.

Fundam. Adnotandum eſt ſecundo, duplex eſſe obiectum, materiale vnum, & alterum formale, illud dicitur formale, quod per ſe conſideratur, vt color eſt obiectum formale viſus, quia viſus per ſe tendit in colorem, illud vero dicitur materiale, quod non conſideratur per ſe, ſed ratione alterius, quod per ſe conſideratur, vt corpus eſt obiectum materiale viſus, quia non per ſe, ſed ratione coloris videtur: Vnde cum in omni arte, quæ mentem dirigit ad aliquid faciendum, duo reperiantur, & forma, quam debet inducere, & ſubiectum ſine materia, in qua talis forma inducitur, forma quidem erit obiectum formale illius artis, materia vero vel ſubiectum illius formæ, erit ſubiectum materiale, vt in domificatoria figura eſt obiectum formale: lapides vero, ligna & lateres, in quibus ipſa debet induci, erunt ſubiectum materiale.

Iterum animaduertendum eſt, in obiecto formali duo poſſe conſiderari, & rem, quæ cõſideratur, & modum, quo conſideratur: primum vocatur à Caietan. *1 p. quæſt. 1. artic. 3. & 1 de demonſtr. cap. 22.* ratio formalis, quæ, id eſt, quæ conſideratur in ſcientia: ſecundum autem vocatur ratio formalis, ſub qua, id eſt, ſub qua obiectum conſideratur, vt in viſu, ratio formalis, quæ, eſt color, ratio vero, ſub qua, eſt lumen, quod ipſum manifeſtat Vocant autem Philoſophi obiectum formale aliquando primam, aliquando vero ſecundam rationem: nam quando agunt de obiecto materiali, rationem, quæ, vocant rationem formalem, quia habet ſe veluti forma reſpectu illius, & ita obiectũ formale ſcientiæ dicitur illud, cuius principia, partes & paſſiones inquiruntur: ſi vero ratio, quæ, conferatur cum altera ratione, ſub qua, appellatur obiectum materiale, & ita dicimus, vnitatem habitus vel potentiæ non eſſe petendam ab obiecto materiali, ſed formali, id eſt, non a ratione quæ: ſed ſub qua, quamuis non ab ea abſolute, ſed vt manifeſtat rationem quæ: hæc autem ratio, ſub qua nihil aliud eſt, quam diuerſa abſtractio a materia & motu, vt in ſuperioribus ex D. Thom. *ſuper Boet. de Trinit. q. 5.* docuimus. 3. Fundam. quæſt. 8.

4. Fundam. Ad hæc ſciendum eſt, obiectum formale eſſe triplex, adæquatũ, partiale, & præcipuum. Adæquatum, vt ex nomine conſtat, eſt, quod neque excedit ſcientiam, neque ab ea ſuperatur quod his tribus proprietatibus propoſitis a D. Tho. *art. 4. prolog. ſent.* ornari debet. Prima, obiectum adæquatum debet omnia continere, ita vt omnia, quæ ſunt in arte, vel tanquam principia, vel tanquam proprietates, vel tanquam ſpecies & partes ad illud debent

iecto-

Digitized by Google

reuocari. Secunda, obiectum debet eſſe illud, de quo ſit potiſſima cura in diſciplinis, & de quo (ſi aliqua fuerint) tradantur præcepta. Tertia, per obiectum debent ſcientiæ inter ſe ſeparari, vt Arithmetica & Geometria inter ſe per ſua obiecta ſeparantur, nam Arithmetica agit de numero, Geometria vero diſputat de magnitudine.

Præterea explicandum eſt breuiter, quid ſit ens rationis, vt id, quod quærimus, poſſimus intelligere, nam de ipſo infra agentes de rebus vniuerſis, abunde ſatis diſputabimus, & iam de ipſo egimus *1 lib transcendent. cap.3. & cap.7. & 8* Eſt igitur ens rationis proprietas quædam conueniens rebus, vt ſunt in intellectu, quemadmodum ſubiectum & attributum, genus & ſpecies, dicuntur entia rationis, quia tantum conueniunt naturis, vt apprehenduntur ab intellectu, nam ad hominem, verbi gratia, apprehenſum vt ſubeſt animali, & aliis attributis ſuperioribus conſequitur notio ſubiecti, quæ eſt ens rationis, & ad animal apprehenſum, vt de homine, & de aliis ſibi ſubiectis ſpeciebus dicitur, conſequitur notio attributi, quæ etiam eſt ens rationis. Diuiditur autem illud à Thomiſtis ex D. Thom. *quaſt.21. de veritate, artic.1. in corpore, & in ſolutione 2 argum.* in negationem, vt non homo, priuationem, vt cœcum & relationem, vt genus & ſpecies, antecedens & conſequens. Ex quibus duo genera priora non attinent ad Dialecticum, nam agere de negationibus & priuationibus, non eſt illius munus, vnde ipſius partes tantum erunt agere de entibus rationis tertij generis, nimirum de relationibus rationis, quamuis non de omnibus, nam non agit de dextro & ſiniſtro, quod eſt in columna: neque de congruo aut præpolito ſermone, quorum vtrumq; denotat relationem rationis ad res ſignificatas, per huiuſmodi voces, ſed tantum agit de illo ente rationis, quod eſt deſtinatum ad definiendum, diuidendum, & argumentandum, quod communi nomine dicitur ens rationis Logicum, vt ſeparetur ab ente rationis Grammatico in congruo ſermone, & à Rhetorico, quod in ornato reperitur. Addimus, ens rationis Logicum ſumi, vel vt denominat naturas rei, vel in habitudine ad ſubiecta denominata, aut iuxta ſua attributa quidditatiua, & eſſentialia, vt notio generis ſumi poteſt aut ea ratione, qua denominat animal genus, aut ea, qua eſt ens rationis, & relatio rationis.

[Qu]id ſit ens [ra]tionis.

[Tr]iplex [ens] rationis

Vltimo animaduertendum eſt, Dialecticam duobus modis ſumi poſſe: primo, qualem nũc habemus traditam nobis ab Ariſt. in qua tantum explicatur ratio argumentationis, & eorum, quæ ad ipſam ſunt neceſſaria, vel quoquo modo ad eam poſſunt reuocari. Secundo, vt ambit rationem definiendi, diuidendi, & argumentandi, in quas tres partes, tanquam in tres formas eſt tota Dialectica diſtributa.

[...]fund.

His igitur animaduerſis, ſit prima concluſio. Obiectum formale primarium, & per ſe inſtitutum in Dialectica non ſunt voces. Hæc eſt contra Nominales, Viues, Villalpandum, & alios propoſitos in prima opinione, quam optime confirmant Auicenna, & Albertus Magn. M.Sot. *q.5. proœmiali, & initio ante Categoriarum,* Toletus, & alij. Primo, quia in Dialectica agimus de multis, quæ non ſunt voces, vt de diffinitione, diuiſione, & argumentatione mẽtali, at vero obiectum formale, primarium, vel adæquatum debet omnia continere, quæ in arte tractantur. Secundo, quia illud eſt per ſe, primario, & præcipue obiectum in aliqua ſcientia, cui per ſe & præcipue conueniunt proprietates, quæ de re in tali ſcientia demonſtrã tur, vt diximus. ſed proprietates, quæ de ſubiecto Dialecticæ in illa demonſtrantur, vt generare ſcientiam vel opinionem non conueniunt per ſe, & primo vocibus, ſed rebus ſignificatis per eas, ergo, &c. Tertio. Dialecticus non diſputat de vocibus, vt ſunt quædam res naturales, hoc enim præſtare, munus eſt Philoſophi naturalis in lib. de anima, neq; ea ratione, qua ſunt ſignificatiuę ex hominũ inſtituto, quia ita agere de ipſis ſpectat ad Grammaticam, ergo ſolum agit vt manifeſtant res, quæ ſunt in anima, & conſequenter non per ſe, ſed propter accidens, & propter aliud agitur de ipſis, quare non ſpectabunt ad obiectum formale primarium Dialecticæ.

1. Concluſio.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Quomodo Dial agat de vocibus.

Diffiteri tamen nequaquam poſſumus, tractationem vocum ſecundario & mediate ſpectare ad obiectum Dialecticæ, quemadmodũ enim in aliis diſciplinis fieri ſolet, quando earum obiectum eſt a ſenſibus remotum, & cognitu difficile, illud in rebus ſenſilibus, & quæ facile intelligi poſſunt, veluti in quadam imagine depicta explicare, quæ ſecundario & mediate ad illam ſcientiam ſpectat, vt in Coſmographia, cum res cœleſtes & aliæ mundi, quarum deſcriptionem ipſa inſtituit, non poſſint facile ante oculos proponi, ad mappam harum rerum ſe conuertit, vt in illa facilius multo has res poſſit intelligere. Et Aſtrologia, cuius inſtitutum eſt aſtrorũ motus explicare, ſphæram quandam ligneam ſiue æneam proponit, vt in illa facilius multo hi motus aſtrorum cernantur, ita etiam Dialectica, cum agat de intelle-

tellectuali compoſitione rerum, quæ occulta eſt, & difficilis ad intelligendum, conuertit ſe ad voces, in quibus hæc eadem compoſitio, tanquam in imagine cernitur depicta, & ita per illam manu ducimur ad alteram, quæ in intellectu latet intelligendam, quare voces propter hanc rationem ſecundario ſub obiecto Dialecticæ comprehendentur.

2. Concluſio. 2. Concluſio. Obiectum formale & adæquatum neque eſt argumentatio, neque ſyllogiſmus, neque demonſtratio. Hæc eſt aduerſus Scotum, Albertum, & Græcos, inprimiſq; non eſſe argumentationem confirmatur. Obiectum adæquatum debet omnia continere, & ad ipſum ſunt omnia reuocanda, ſed argumentatio non continet omnia, quæ tractantur in Dialectica, ergo non erit obiectum adæquatum illius. Confirmatur aſſumptio, in Dialectica agitur de definitione & diuiſione, ſed hæc non continentur ſub argumentatione, nam ſunt inſtrumenta, & modi ſciendi natura diſtincti, neque reuocantur ad argumentationem, quamuis enim nunquam fuiſſet inuenta argumentatio, adhuc hæc inſtrumenta excogitari potuiſſent, cum ſint ob diuerſos fines inſtituta, nam definitio inſtituta eſt ad declarandam latentem rei naturam, diuiſio vero ad explicandam nominum ambiguitatem, vel diuerſas partes alicuius totius, non igitur omnia, quæ tractantur in Dialectica, continentur ſub argumentatione, vel reuocantur ad illam. Præterea ſyllogiſmum non eſſe obiectum adæquatum, colligitur primo, quia ſi argumentatio, quæ eſt eius genus, nō eſt obiectum adæquatum, neque ſyllogiſmus, qui eſt ipſius ſpecies, poterit eſſe obiectum adæquatum. Secundo. In Dialectica agimus de Inductione, Enthymemate, & Exemplo, quę neque continentur ſub ſyllogiſmo, neque ad ipſum poſſunt reuocari, ſunt enim ſpecies argumentationis inter ſe maxime diuerſæ, vnaque ſpecies neque poteſt contineri, neque reuocari ad alteram, ergo non erit ſyllogiſmus obiectum adæquatum Dialecticæ, quia obiectum adæquatum debet omnia continere, & ad illud ſunt omnia reuocanda. Ad hæc non eſſe demonſtrationem, his eiſdem argumentis poſſumus ſuadere, & præterea quia ſyllogiſmus Topicus & Sophiſticus, de quibus agimus in Dialectica, neque continentur ſub demonſtratione, neque reuocantur ad illam.

3. Concluſio. 3. Concluſio. Obiectum formale, & adæquatum Dialecticæ non ſunt naturæ reales. Confirmatur aduerſus Iandunum, & nō nullos alios. Primo, Quia agere de naturis rei, munus eſt aliorum artificum, vt Philoſophi naturalis, aut primi. Secundo. Quia in Dialectica agimus tantum de vero vel falſo ſermone, vt in Grammatica de congruo, & in Rhetorica de ornato, hoc autem non eſt agere de naturis realibus, nam verum & falſum tantum ſunt in intellectu. Tertio. Quia in Dialectica tantum agimus de genere & ſpecie, ſubiectis & attributis, de antecedente & conſequente, & de aliis hujus generis, quæ non ſunt à parte rei, neque naturæ reales, ſed habent eſſe tantum apprehenſum per intellectum, ergo non erunt ipſæ obiectum adæquatum, & formale Dialecticæ. Dictum eſt obiectum formale, quia ſi de materiali agamus, naturæ rei ſpectabunt ad obiectum Dialecticæ, vt poſtea dicemus.

4\. Concluſio. Obiectum formale, & adæquatum totius Dialecticæ, illud ſcilicet, quod in Dialectica conſideratur, eſt intellectualis compoſitio rerum, id eſt, ipſamet operatio intellectus eſt veluti forma, quæ conſideratur in Dialectica. Hanc profitentur grauiſſimi Philoſophi, Plato in Sophiſta, Phædro, & Dialogo ſeptimo de Iuſto, qui ſæpe tribuit Dialecticæ agere de intellectuali compoſitione rerum, Arabes, vt Auicenna 1. & 3 *cap. Logica*, Auerroes *in compendio*, Algazel & Alphagranus *in ſuis Logicis*, D. Albertus *tractatu 1. antepradicabilium, cap. 2. 3* & 4. & D. Thom 1 *poſterior. in principio, & lectione* 20. in hac eadem opinione extitiſſe videtur Rodolphus itidem Agricola *lib. 2. de Inuentione, cap. 3. & 6* Ad quam intelligendam animaduertendum eſt, quod quemadmodum in operibus aliarum artium datur materia, & datur forma, quæ in materiam induci debet, vt conſtat inductione adhibita in domificatoria, pictoria, & aliis, ex quibus forma eſt obiectum adæquatum, & formale, quod cōſideratur in tali arte: materia vero eſt obiectum materiale. Ita quoque in operibus dialecticis datur materia, & datur forma, materia ſunt res omnes, quarum poteſt eſſe diffinitio, diuiſio, & argumētatio, forma vero ſunt actiones intellectus, definiendi, diuidēdi, & argumentandi, quæ his rebus applicantur, hæ autem actiones non ſunt aliud, quam intellectuales quædam compoſitiones rerum ipſarum, quibus variis modis res ipſæ inter ſe componuntur, iuxta varias formas definiēdi, diuidendi, & argumentandi. Ex qua animaduerſione colligitur primum argumentum, ad confirmandam primam cōcluſionem. In qualibet arte forma inducenda eſt obiectum formale, quod cōſideratur, ſed intellectualis compoſitio rerum eſt forma operū Dialecticorum, *4. Concl.*

Digitized by Google

ergo erit obiectum formale, quod conſiderabitur in Dialectica. Secundo. Dialectica eo eſt inſtituta, vt dirigat mentis actiones, vt D. Thom. *lect. 1. peryher. & in praſat. de demonſtrat.* cum omnibus Philoſophis profitetur, ergo tractabit Dialecticus de huiuſmodi actionibus, quare forma, quæ conſiderabitur in Dialectica, erit intellectualis compoſitio rerum. Tertio. Obiectum formale & adæquatum eſt illud, quod omnia ambit, quæ in ſcientia pertractantur, & ad quod omnia reuocantur, ſed omnia, quæ pertractantur in Dialectica, continentur ſub hac intellectuali compoſitione, & reuocantur ad illam, nam omnia continentur ſub definitione, diuiſione, & argumentatione, & ad hæc tandem reuocantur, quæ nihil ſunt aliud, quam actiones quædam intellectus, ergo intellectualis compoſitio rerum erit obiectum formale, & adæquatum. Quarto. Illud eſt obiectum adæquatum, iuxta cuius diuiſionem diuiditur & ſcientia: ſed Dialectica eſt diuiſa iuxta diuiſionem actionum intellectus, vt tradunt omnes Philoſophi, nosque cum illis infra agentes de diuiſione Dialecticæ, late dicemus, ergo intellectualis compoſitio erit obiectum.

5. Concl. 5 Concluſio. Hæc intellectualis compoſitio, vt eſt forma, quæ conſideratur à Logico, eſt ens rationis. Sciendum enim eſt, actionem intellectus poſſe ſumi, vel vt eſt effectus quidam ab intellectu deriuatus, vel ea ratione, qua eſt forma quædam extrinſeca denominans res definitas, diuiſas, vel collectas argumentatione; primo modo agere de actione ſpectat ad Philoſophum naturalem in lib. de Anima: nam eiuſdem eſt agere de facultate & actione ab eo promanente, at agere de intellectu ad Philoſophum ſpectat: altero vero modo ſpectat ad Dialecticum agere de illa, nam agit ipſe de denominationibus extrinſecis, quibus res denominantur genera, vel ſpecies: ſubiecta, vel attributa, quas denominationes eſſe entia rationis, nullus profecto ſanæ mentis dubitare poteſt, nam non ſunt entia rei, cum nihil ponant in re, vt neque eſſe viſum ponit aliquid in pariete. Hæc concluſio in hunc modum explicata eſt D Thom. variis in locis, 1. *lib. ſentent. diſt. 2. art 3 diſt 33. quaſt. 1. artic. 1. ad 3 opuſ. 43. in cap 6 illius, & 1 Ethic. lect. 1* in quibus locis inquit, Dialecticum non agere de actionibus intellectus, ſed de ordine, qui inter illa reperitur, & ipſarum directione, quod nihil eſt aliud, quam Dialecticum non agere de his actionibus, vt effectus quidam ſunt intellectus, & habent propriam naturam, ſed ea ratione, qua ſunt quædam extrinſecæ denominationes rerum.

6. Concl. 6. Concluſio. Obiectum formale & adæquatum totius Dialecticæ, eſt ens rationis Logicum. Hanc profitemur cum ſexta opinione, & ſequitur aperte ſatis ex ſuperioribus: etenim ſi obiectum Dialecticæ eſt intellectualis compoſitio, & hanc diximus eſſe ens rationis, profecto obiectum erit ens rationis. Confirmari tamen poteſt primo ex Ariſtot. 4. *Metaphyſ. cap. 2.* vbi inquit, Metaphyſicum, Dialecticum, & Sophiſtam diſputare de omni re, cum ergo diſputet Metaphyſicus de omni ente rei, profecto Dialecticus non poterit de omni alio ente, niſi de ente rationis diſputare. Secundo, ſcientia diuiſa eſt in ſcientiam rei & rationis, ſed ſcientia rei diſputat de ente rei, ergo ſcientia rationis diſputabit de ente rationis, at Dialectica communi omnium iudicio dicitur ſcientia rationalis, ergo illius obiectum erit ens rationis. Tertio. Ens rationis Logicum poteſt aliqua ſcientia comprehendi, habet ſiquidē principia, partes, & proprietates, quæ efficiunt ſubiectum aliquod ſcibile, ſed hæc ſcientia non eſt alia, quam Dialectica, quod ſi fuerit alia, aſſignent nobis illam, nam prima Philoſophia, quamuis agat de ente rationis, non tamen agit de illo, niſi vt eſt quidam defectus entis rei, quemadmodum in Philoſophia agitur de mōſtris, vt ſunt illa quidam defectus entis naturalis: tum etiam, quia non agit illa de ente rationis, vt denominat entia rei, ſed vt habet ſua attributa eſſentialia, ergo obiectum Dialecticæ erit ens rationis. Vltimo Quæcunque pertractantur in Dialectica, pertractantur ſub ratione entis rationis, ergo erit illud obiectum formale & adæquatum. Conſequentia eſt aperta, quia obiectum formale eſt illud, ſub cuius ratione omnia pertractantur. Confirmatur antecedens. Inprimis in Categoriis agimus de ſerie, & de ordinatione generum, & formarum, & indiuiduorum, at hæc ſeries ens rationis eſt, quemadmodum genera & ſpecies. Deinde in lib. de interpretatione diſputamus de ſignificatione nominum & verborum, quæ cum ſit ex hominum inſtituto, non erit ens rei, ſed rationis. Præterea in lib. de priori analyſi, & in ſequentibus, tractamus de maiori extremo, minori & medio verbo antecedente & conſequente, & de aliis huiuſmodi, quæ omnia ſunt entia rationis, nam quod homo, verbi gratia, ſit maius vel minus extremum: antecedens vel conſequens non habet à parte rei, ſed vt apprehenditur ab intellectu, quæcunque igitur pertractantur in Dialectica, per-

Quomodo ens rationis a Metaph. & Log. conſideretur.

tractan-

Digitized by Google

tractantur ſub ratione entis rationis. Hæc tamen concluſio intelligi debet de ente rationis, vt denominat entia rei, ſubiecta vel attributa, genera, vel ſpecies: & non de illo, vt habet naturam & eſſentiam, nam ita agere de illo, munus eſt Metaphyſici, qui de rerum omnium naturis pertractat.

7.Concl. 7. Concluſio. Modus ſciendi in communi eſt obiectum adæquatum Dialecticæ. Hæc colligitur ex ſuperiori, quia modus ſciendi eſt ens rationis Logicum, nam eſt illud, quod eſt deſtinatum ad definiendum, diuidendum, & argumentandum, quare cum probatum ſit, ens rationis Logicum eſſe obiectum Dialecticæ, conſtat, & modum ſciendi eſſe quoque obiectum illius. Confirmatur tamen à Mirandulano, Toleto, & Fonſeca 1. *lib. Inſtitut. Dialect. cap. 3* Primo, quia omnia, quæ tractantur in Dialect ca, reuocantur ad iſtum modum ſciendi, nam omnia reuocantur ad definitionem, diuiſionem, & argumentationem. Secundo, à fine Dialecticæ, nam inuenta eſt illa ad dirigendas operationes intellectus, & ad tradendum modum exactum ſciendi res omnes, ergo tantum debet diſputare de huiuſmodi modo ſciendi, quem vult aliis ſcientiis præbere. Tertio, quia hic modus neque ſuperat Dialecticam, neque ab ea ſuperatur, ergo erit obiectum adæquatum. Confirmatur antecedens, inprimis non ſuperare Dialecticam, quia quamuis ens rationis in ſua latitudine ſuperet illam, cum ipſa non ſe extendat ad negationes & priuationes, neque ad multas relationes rationis, vt ſunt relationes dominij in Deo, & menſuræ ad menſurabile, de quibus nullo modo agit Dialectica, extendit ſe tamen illius conſideratio ad hoc ens rationis, quod eſt modus vel inſtrumentum ſciendi, nam ſe extendit ad definitionem, diuiſionem, & argumentationem, quare hic modus non ſuperabit Dialecticam. Deinde neque ſuperatur ab ea, quia Dialectica nihil agit, quod non comprehendatur ſub huiuſmodi modo, nam nihil tractat, quod non contineatur ſub definitione, diuiſione, & argumentatione, ergo Dialectica non ſuperabit huiuſmodi modum. Et tandem, quia ſicuti definimus, ita res ipſas conſideramus, *ex 6. Metaphyſ. cap 1.* ſed Dialecticus omnia definit in ordine ad inſtrumenta & modum ſciendi, nam definitionem definit orationem, quæ rei naturam explicat ambitu quam breuiſſimo, hoc autem nihil eſt aliud, quam modus ſciendi naturam rei, & demonſtrationem definimus ſyllogiſmum generantem ſcientiam, quæ definitio exprimit demonſtrationem eſſe inſtrumentum ſcientiam comparandi, ergo quæcunque conſiderabit Dialecticus in ordine, ad modum ſciendi conſiderabit.

8.Concluſio. Si loquamur de Dialectica, vt eſt tradita nobis ab Ariſt. *In his libris, qui modo ſuperſunt*, ſubiectum adæquatum illius erit argumentatio, præcipuum vero ſyllogiſmus, qui eſt potiſſima pars argumentationis. Hæc probatur à Toleto, *vbi ſupr.* & à Fonſeca *1 lib. Inſtitut. cap. 5.* quia Ariſt. ex inſtituto ſolum diſputat de argumentatione, & de aliis inſtrumentis vel modis ſciendi, vt de diffinitione & diuiſione non niſi ea ratione, qua ſunt vtiles ad argumentationem, vt D Albertus ex Auicenna, Alpharabio *tractatu 7. in Porphyr.* adnotauit & Caietanus *in præfatione Categoriarum*, ergo obiectum adæquatum Logicæ, qualem nunc traditam habemus ab Ariſtot erit argumentatio. Prætermiſit autem Ariſtoteles diffinitionem & diuiſionem, vel quia in his minus credidit eſſe negotij, quam vt per ſe de ipſis tractare oporteret vel quia de definitione iam antea egerat Socrates, qui fuit primus author methodi definiendi, vt inquit Ariſtot. *1. Metaphyſicor. cap. 6.* de diuiſione vero Plato, vt idem teſtatur *1. Prior. cap 31 & 2. Poſterior. cap 5.* vnde ſolam artem ſyllogiſticam à nullo hactenus explicatam ſibi in Dialectica ſumpſit pertractandam, atque ita in fine Elenchorum hanc laudem ſibi arrogat, ſe primum huius artis ſyllogiſmorum inuentorem extitiſſe: vel fortaſſis, vt inquit Laertius *lib 5 in vita Ariſtot.* ipſe de definitione & diuiſione nonnulla edidit volumina, quæ, vt & multa alia, iniuria temporis perierunt, de quibus legendus eſt Franciſcus Patricius *lib. 2. diſcuſſionum Peripateticarum.* Præterea ſyllogiſmum eſſe obiectum potiſſimum Dialecticæ, vt diximus in concluſione, conſtat, quia cum ſint ductio & exemplum, ſyllogiſmus eſt ſpecies perfectiſſima, & cum inter ſyllogiſmos demonſtratio principem ſibi vendicet locum, poſſumus dicere, ipſam eſſe ſubiectum præcipuum Dialecticæ. Et hunc fortaſſis, & non aliud Græci docere voluerunt. 8 Concl.

9 Concluſio. Ratio formalis, ſub qua, obiecti Dialecticæ eſt abſtractio ab omni materia, tam ſenſili, quam intellectili. Itaque rationem entis rationis, vel intellectualem compoſitionem rerum, tractat Dialecticus, vt ſeparantur ab omni materia tam ſenſili, quam intellectili. Cõfirmatur. Ratio formalis, ſub qua, in obiectis ſcientiarum eſt immaterialitas, vel abſtractio à materia, vt D Thom. *ſuper Boet. de Trinit q. 5.* & M. Sot. *in quæſt. proœmialib.* & 9.Concl.

communis opinio docet. Hæc autem vel eſt à materia ſenſili ſingulari, non tamen communi, vel ab omni materia ſenſili, tam ſingulari, quam communi, non tamen ab intellectili, vel tandem ab omni materia, tam ſenſili, quam intellectili: at obiectum Dialecticæ non eſt affectum qualitatibus ſenſilibus, neque quantitate, nam ens rationis à nullo horum affici poteſt, cum non ſit quale, neq; quantum, ergo erit abſtractũ ab omni materia, tam ſenſili, quæ afficitur qualitatibus, & ab intellectili, quæ ſignificat quantitatem. Præterea, actiones intellectus abſtractę ſunt ab omni materia ſenſili & intellectili, cum ſint pure ſpiritales, ergo, & quod conſequetur illas, erit abſtractum ab omni materia ſenſili & intellectili: at ens rationis eſt, quod conſequitur actiones intellectus, ergo erit abſtractum ab omni materia, tam ſenſili, quam intellectili.

Obiect. Quod ſi quis dicat, ſi hæc vera ſunt: ſequitur igitur, Dialecticam non diſtingui à Metaphyſica, quod in hunc modum confirmo. Scientię diſtinguuntur penes diuerſas abſtractiones à materia, ergo quæ habebunt vnam & eandem abſtractionem, non diſtinguentur, ſed Metaphyſica abſtrahit ab omni materia, tam ſenſili, quam intellectili, à qua diximus abſtrahere quoque Dialecticam, ergo Metaphyſica & Dialectica non diſtinguentur. Huic argumen-

Solutio. to reſpon negandam eſſe ſequelam. Ad confirm. dicimus, falſum eſſe, ſcientias diſtingui per ſolam abſtractionem, concurrit quidem illa ad diſtinctionem & ſpecificationem ſcientiarum, non tamen ſola, ſed vt eſt applicata rationi alicui formali, quæ. Vnde ſcientiæ neq; à ſola ratione formali, ſub qua, ſpecificabuntur: quia in hac multæ poſſunt conuenire. Arithmetica enim & Geometria conueniunt in ratione formali, ſub qua, nam abſtrahunt ab omni materia ſenſili, quamuis ab illa magis abſtrahat Arithmetica, quam Geometria, neque à ſola ratione formali, quæ, quia hęc etiam à multis habitibus & ſcientiis interdum poteſt attingi, vt eadem eſſentia animæ attingitur a Philoſophia naturæ, & à Metaphyſica, ab hac, vt eſt actus & forma, & pars eſſentiæ, ab illa vero, vt eſt principium nutritionis, accretionis, & aliorum motuum naturalium. Sortientur itaque naturam & ſpeciem ab vtraque ratione, atque ita quamuis Dialectica & Metaphyſica communem habeant abſtractionem ab omni materia, tam ſenſili, quam intellectili, quia tamen differunt rationibus formalibus, quæ attinguntur, ob hanc cauſam erunt ſcientiæ inter ſe diſtinctæ.

Vlt. conclus. Vltima concluſio. Obiectum materiale Dialecticæ ſunt res omnes, & naturæ rei. Confirm. Quia illud eſt obiectum materiale, quod afficitur ratione formali alicuius obiecti, vt in viſu corpus eſt obiectum materiale, quia afficitur colore, qui eſt obiectum formale, ſed nulla eſt natura, quæ non poſſit affici aliquo ente rationis, vt ſubiecto vel attributo, vniuerſo, vel ſingulari, nullaque natura eſt, quæ non poſſit definiri, diuidi, vel de ea non poſſit aliquid cōcludi, ergo cum ens rationis ſit obiectum formale, quælibet natura ſpectabit ad obiectum Dialecticæ materiale.

Hactenus de noſtra opinione. Poſſumus tamen has omnes ſententias ad concordiam reuocare ſi dicamus, primam ſententiam, quæ conſtituit voces, eſſe ſubiectum, intelligendam eſſe de obiecto ſecundario. Secundam vero, quæ ſtatuit eſſe argumentationem, intelligendam eſſe vel de obiecto præcipuo, ſi nomine Dialecticæ amplectamur rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi. Vel de obiecto adæquato, ſi agamus de Dialectica, qualem habemus traditam ab Ariſt. Tertiam & quartam, quæ faciunt ſyllogiſmum & demonſtrationem, ſubiectum intelligendas eſſe de obiecto præcipuo, non adæquato. Quintam vero, quæ conſtituit eſſe modum ſciendi, & ſextam ens rationis, & aliam propoſitam in concluſionibus, eſſe intellectualem compoſitionem, intelligendas eſſe de obiecto formali adæquato, nam hæc tria ſunt vnum & idem, vt conſtat ex concluſionibus conſtitutis. Vltimam vero, quæ docet, ens rei eſſe obiectum, intelligēdam eſſe de obiecto materiali, quare cum hæ opiniones ſumpſerint in alia & alia ſignificatione obiectum, non erunt vllo modo inter ſe contrariæ, ſed poterunt ad concordiam reuocari. Quod ſi quis contendat, intelligendas illas eſſe de obiecto per ſe, formali, & adæquato, profecto quam ſint falſæ, vna excepta opinione, quam ſequuti ſumus, & in concluſionibus expoſuimus, cuique, qui hæc noſtra legerit, apertum erit & manifeſtum.

Supereſt tandem, vt ſatisfaciamus argumentis in initio propoſitis, quæ noſtram ſententiam de ente rationis labefactare videntur.

Ad 1. argum. Ad primum reſpon. In Dialectica nos inueſtigare, quid ſit ens rationis, vt quid ſit genus, vel ſpecies, & quid ſint illius proprietates, vt prædicari de multis ſpecie vel numero differētibus, tum etiam, quæ ſint eius partes, vt quid ſit definitio, diuiſio, & argumentatio, quæ ſunt partes entis rationis Logici, quamuis hæc tantum pertractet ea ratione, qua deno-

minant

minant naturas rei. Mag. Soto reſpondet Dialecticam diſputare de ente rationis, non proprio munere, ſed alieno, & mutuato à Metaphyſico, ſunt enim ſcientiæ inter ſe cõcatenatæ, quæ ſibi mutuo opem ferunt, & quæ ab aliis nonnullæ quædam mutuantur, præſertim ſi fuerint generales, vt eſt Metaphyſica, vnde Dialectica mutuabitur à Metaphyſica, quid ens rationis, & quę eius proprietates. Hæc autem ſolutio intelligi debet de ente rationis, vt habent eſſentiam, & attributa eſſentialia, nam ita agere de illo, ſpectat ad Metaph. qui diſputat de rerum omnium eſſentiis, & nõ ea ratione qua denominat naturas rei, ita enim non alieno, ſed proprio munere agit Dialecticus de ente rationis. *Ad 2.* Ad 2. reſpond etiam de ente rationis concludi in Dialectica varias proprietates, vt de genere, prædicari de multis ſpecie differentibus, de demonſtratione, generare ſcientiam, & de argumento probabili, opinionẽ. Quod ſiquis dicat has proprietates non eſſe entis rationis in communi, ſed alicuius entis rationis in particulari, vt generis, vel demonſtrationis, & in obiecto alicuius ſcientiæ non tantum eſſe tradendas proprietates in particulari alicuius ſpeciei ipſius, verumetiam & obiecti in communi. Reſp erit in primis, falſum eſſe in omni ſcientia tradendas eſſe proprietates obiecti in communi, nam in Arithmetica nõ traduntur proprietates numeri in communi, ſed in particulari, vt binarii, vel ternarii, paris, vel imparis. Præterea dicimus etiam de ente rationis in communi dari hanc proprietatem, quæ eſt dirigere intellectum in ſuis actionibus, quam de illo in hunc modum concludimus. Quidquid deſtinatum eſt ad definiendum, diuidendum, & argumentandum, dirigit intellectum in ſuis actionibus, nam actiones intellectus his tribus, diffinitione, diuiſione, & argumentatione diriguntur, ſed ens rationis Logicum eſt deſtinatum ad definiendum, diuidendum, & argumentandum, ergo ens rationis Logicum dirigit intellectum. Ad confirmationem vero in argumento propoſitam dirigere, eſt ens rei, ergo non erit proprietas entis rationis. Reſpondendum erit in directione eſſe duo, & actionem dirigendi, & notionem qua dirigit, vel qua afficitur, quæ eſt ens rationis, ratione primi, non eſt proprietas entis rationis: ratione vero ſecundi eſt proprietas, etenim notio eſt propter quam actio dirigit, nam ipſa nude ſumta ſine notione non dirigit. Ad aliam confirmationem reſpondemus, proprietates entis rationis formaliter, neque eſſe à natura neque pendere ex humana voluntate, fundamentaliter tamen eſſe à natura, quia conſequuntur naturas rerum, ex eo enim quia natura hominis ſubeſt naturæ animalis tanquam ſuperiori, conſequitur in illa ratio ſubiecti, vt apprehenditur in habitudine ad animal. Intereſt igitur inter ens rationis Grammaticum & Logicum, quia Grammaticum dependet ex libera hominum voluntate, vnde videmus vocum ſignificationes pro diuerſa hominum voluntate ſæpe mutari, at vero Logicum non dependet ex illa, neque enim eſt in noſtra Voluntate efficere, vt ad apprehenſionem hominis in habitudine ad animal, non ſequatur in eo notio ſubiecti.

Ad 3. reſpondemus, proprietates entis rationis eſſe entia rationis, & non rei. Ad primam confirmationem dicimus, ex proprietatibus quaſdam eſſe rei, & alias demonſtrabiles, *vt ſecundo libro Tranſcendentium, cap. 10.* docebamus: rei ſunt illæ quæ diſtinguuntur à ſubiecto, denotantque entitatem accidentariam, cum ſint in Categoriis accidentium, & per conſequens minorem habent entitatem quam ſit entitas ſubiecti: demonſtrabiles vero ſunt quæ à ſubiecto non differunt, & denotant eandem entitatem, poſſuntque per veram demonſtrationem concludi, vt ſunt vnum, verum, bonum proprietates entis. Proprietates igitur entis rationis non ſunt rei, ſed demonſtrabiles, nam habent ſe ad ens rationis, ſicuti & proprietates rei ad ens rei, à quo nullo modo differunt, atque ita non diſtinguentur ab ente rationis. Ad ſecundam confirmationem reſpon. proprietates rei eſſe minoris entitatis, quam ſubiectum, demonſtrabiles vero, vt ſunt proprietates entis rationis, non eſſe cum ſignificent eandem entitatem ſubiecti. *Ad 3.*

Ad 4 reſpon. ens rei non poſſe dependere ab ente rationis, dependentia petita, vel à cauſa efficiente, vel à materia, vel à forma, nam ens rationis nõ poteſt induere rationem alicuius cauſæ ex his tribus: bene tamen poſſe dependere ab illo dependentia petita à fine, vt actio qua intelligimus chimeram, in genere cauſæ finalis, vel obiectiue dependet à chimera: eadem ratione Dialectica, quæ eſt ens rei dependebit ab ente rationis, tanquam à fine, vel obiectiue, nam fertur in illud, tanquam ad finem, quem ſibi explicandum proponit. *Ad 4.*

Ad 5. reſp. duplicem eſſe relationem rei, vnam quæ ex vtroque extremo eſt rei, qualis eſt inter patrem & filium: & alteram quæ tantum eſt ex altero extremo, vt eſt relatio creaturæ ad creatorem, & menſurabilis, ad menſuram. Inter ens rei igitur, & rationis, non poteſt interuenire relatio rei ex vtroque extremo, quæ tantum *Ad 5.*

poteſt

poteſt interuenire, inter extrema realia, bene tamen poteſt intercedere relatio realis ex altero extremo, ac proinde Dialectica quamuis ſit ens rei, poterit referre relatione rei, ad ens rationis Logicum, maxime vero cum hoc genus entis ita terminet relationem rei, ac ſi eſſet ens rei.

Ad 6. Ad 6 reſpondemus negando aſſumtionem. Ad confirmationem vero infra agentes de ente rationis ſatisfaciemus, *in ſectione enim de illo quæſt 5* hanc diſputationem explicamus.

Ad 7. Ad 7 dicimus duo eſſe genera cauſarum, quædam rei, & alia rationis, rei, vt ignis eſt cauſa caloris. rationis vero, vt immortalitas eſt cauſa æternitatis: ſi loquamur de primo genere, ens rationis non eſt cauſa ſuarum proprietatum: ſi vero loquamur de ſecundo genere, eſt cauſa illarum, nam, vniuerſum eſſe in multis, eſt cauſa quare dicatur de multis *Ad 8.* Ad 8. reſp. illud optime concludere de obiecto præcipuo, non autem de adæquato, demonſtrationem eſſe obiectum.

Ad 9. Ad 9. reſpond. ignotum non ſolum manifeſtari argumentatione, verumetiam diffinitione, & diuiſione: nam ſi illud quod eſt ignotum fuerit rei eſſentia, manifeſtatur diffinitione, ſi vero fuerit ignotum, aut propter vocis homonymiam, aut propter partium multitudinem, manifeſtandum erit diuiſione, & tandem ſi fuerit ignotum ratione compoſitionis ſubiecti, cum attributo, manifeſtabitur argumentatione.

Ad vlt. Ad vltimum reſpond. illud tantum concludere de Dialectica, qualem nunc habemus traditam ab Ariſtot. nam ita, vt diximus, eſt obiectum adæquatum. Vel ſi loquamur de Dialectica, vt ambit rationem definiendi, diuidendi, & argumentandi, reſpondendum erit falſam eſſe aſſumtionem, nam præcepta quæ traduntur de definitione, & diuiſione, non reuocantur ad argumentationem.

Argum. Offert ſe tamen argumentum, quod quibuſdam viſum eſt difficile, aduerſus noſtram ſententiam. Effectus rei non poteſt prodire niſi ab ente rei, ſed ſcientia eſt effectus rei, nam eſt qualitas, ergo prodibit ab ente rei, at prodit à modo ſciendi, nam prodit à demonſtratione, ergo modus ſciendi erit ens rei, quare & obiectũ Dialecticæ erit ens rei, nam diximus illud eſſe modum ſciendi. *Solutio.* Reſpond. falſam eſſe propoſitionem, aliquando enim effectus rei poteſt prodire ab ente rationis, vt ex multis rebus quæ imaginamur, quæ tantum habent eſſe fictitium oritur in nobis, vel timor, ſi fuerint res triſtes, Vel amor, ſi fuerint lætæ, atque ita quamuis modus ſciendi ſit ens rationis, optime poterit ab eo prodire ens rei. Vel reſpondere poſſumus ens rationis ſumi poſſe, aut ratione propriæ naturæ, aut in virtute entis rei, vnde quamuis primo modo non poſſit producere ens rei, altero tamen vt agit in virtute entis rei, optime poterit illud producere: nam quemadmodum accidens in virtute ſubſtantiæ, producit ſubſtantiam, quamuis non poſſit propria virtute, ita quoque ens rationis in virtute entis rei poterit producere ens rei. Quod ſiquis roget quodnam eſt ens rei, in cuius virtute ens rationis poteſt producere? Reſp illud eſſe actionis intellectus, quæ afficiuntur ente rationis Logico, vel aliquo modo ſciendi, nimirum definitione, diuiſione, vel argumentatione.

QVÆSTIO XIV.

An dirigere intellectum in ſuis functionibus, ſit finis Dialectica necne?

PRoximum eſt, vt poſt obiectũ de fine Dialecticæ diſputemus, ſunt enim hæ duæ rationes obiecti, & finis inter ſe maxime affines Et quidem alium eſſe finem Dialecticæ, quam dirigere intellectum ne in ſuis functionibus labatur, Confirmo primo. Quia demonſtratio eſt finis Dialecticæ, vt perſpicuis verbis docet Ariſt. *1. Prio c.1.* inquiens inſtitutum eſſe agere de demonſtratione, & de arte demonſtrandi, non ergo dirigere intellectum, erit finis *1. Argum.* Secundo. Finis eſt illud quod in arte eſt præſtantiſſimum, at in Dialectica nihil præſtantius demonſtrationa, erit ergo illa finis *2. Argum.* Præterea Dirigere intellectum. actio quædam eſt, ſed finis non eſt in actione conſtitutus ſed in opere quod conſequitur actionem, vt finis domificatoriæ, non eſt actio conſtruendi domum, ſed ipſa domus conſtructa, vt diffuſa oratione, & multis exemplis in medium propoſitis, oſtendit Galenus *in libello, num ars tuenda ſanitatu ad Medicum ſpectet, cap. 27.* ergo dirigere intellectum non erit finis Dialecticæ. *3. Argum.*

1. Opin. Non eſt minor in aſſignando fine, quam fuerit in aſſignando obiecto Dialecticæ inter Philoſophos diſceptatio. Sunt qui illius finem conſtituant demonſtrationẽ. In hac ſententia extiterunt Alexander, & Philoponus. in Principio Commentariorum in Priora: & alii Græci, idq. propter auctoritatem traditam Ariſt. *ex 1. Prior.* & propter rationem effectam. Falſa tamen eſt hæc opinio. Primo, quia finis alio non refertur, at demonſtratio ad ſcientiam reuocatur, nã eſt inſtrumentum ſciendi, & vt inquit Ariſt. 1. *de demonſtr. cap. 2.* eſt ſyllogiſmus generans ſcientiam. Secundo, quia omnia quæ traduntur in arte referuntur ad finem cæterum non omnia quæ traduntur in Dialectica, reuocantur ad de-

mon-

Digitized by Google

monſtrationē. Nam in Dialectica (loquimur de tota arte) agimus de definitione, & diuiſione, quæ non reuocantur ad demonſtrationem. Addo, de fine nullam eſſe conſultationem, at de demonſtratione conſultamus, vtendum ne ſit illa in Ethicis, vel in Mathematicis, in Philoſophia, naturæ, vel in prima Philoſophia, & num apud peritos, vel apud plebeios, & imperitos, non igitur hic erit illius finis.

2. Opin. quorundam recentio. Refellitur.

Nonnulli finem conſtituunt argumentationem. Quorum profecto ſentētia poteſt in hunc modum confutari. Primo, quia argumentatio alio refertur, ſcilicet, ad demonſtrationem, ſcribit enim Ariſtot. 1. *Prior. cap.* 1. in illis libris (in quibus ratio argumentationis explicatur) propter demonſtrationem, & artem demonſtrandi inſtitutam fuiſſe diſputationem. Finis vero intra artem alio non refertur. Secundo, quia ad finem omnia reuocantur, at ad argumentationem non reuocantur omnia præcepta Dialecticæ, certum enim eſt, præcepta quæ traduntur de diffinitione, & diuiſione, ad illam reuocari nullo modo poſſe.

3. Opin. Refelli.

Stoici volebant finem huius artis eſſe, ſeparare verum à falſo. Falluntur tamen, tum quia hoc ſoli argumentationi poteſt conuenire, non autem definitioni, & diuiſioni, at finis communis debet eſſe toti arti. Tum etiam quia finis debet eſſe artis proprius, ſecernere autem verum à falſo, commune eſt omnibus ſcientiis ſpeculatiuis, nam omnes illæ habent ſibi tanquam finem, & ſcopum, propoſitam veritatis contemplationem, vt inquit Ariſt. 2. *Metaph. cap.* 1. non ergo hic erit finis Dialecticæ.

4. Opin.

Rodolph Agricola *1. de inuentio. cap.* 3. alium proponit finem, nimirum probabiliter differere de quacunque re propoſita. Verum hic non poteſt eſſe totius artis, nam pars analytica neceſſario, & non probabiliter agit de rebus, hic enim tantum eſt finis partis topicæ vt aperte ſatis explicat Ariſt. 1. *topico. ca.* 1. Errat etiam quia non diſtinguit officium, à fine, officium enim in actione conſiſtit, finis vero eſt illud quod ſequitur ad actionem: differere autem actio eſt Dialecticæ vtentis. Vnde potius dicendum erit eſſe officium Dialectici, quam finis, erit autem finis illud quod hanc actionem conſequetur, fides ſcilicet, in animo audientis comparata, vt poſtea dicemus.

Explicatur vera opinio.

His igitur falſis opinionibus confutatis, alius eſt iuxta ſentētiam Ariſtot. D. Tho. & aliorum grauiſſimorum Philoſophorum finis Dialecticæ aſſignandus, vt tamen rectius hoc præſtare poſſimus, erunt prius nonnulla de fine & illius proprietatibus, breuiter proponenda. Finis

Finis quid.

in hunc modum diffinitur, extremum ad quod omnia artis præcepta referuntur, ipſe vero intra artem alio non refertur, vt in Medicina finis eſt ſanitas, nam omnia illius præcepta ad ſanitatem referuntur, ipſa vero intra Medicinam alio non refertur. Tres ſunt finis proprietates. Prima vt ſit extremum. Ita Ariſtot. *Metaph. cap.* 16. Secunda vt ſit aliquod bonum vel verum, vel apparens Colligitur ex Ariſtot. 5. *Metaphyſ. cap.* 2. nam cūm finem omnia appetant, & id quod appetitur ſit bonum ex 1. *Ethic. cap.* 1. finis aliquod bonum erit. Tertia de fine nulla eſt conſultatio. Hanc ſcribit Ariſt. 3. *Ethic. cap* 3. neque enim Medicus conſultat, ſitne ſanandus ægrotus necne, ſed quibus mediis facilius poſſit ægroto deperditam ſalutem reſtituere.

Obſeruandum eſt etiam ex artibus quaſdam eſſe reginas vel ſuperiores, & alias ancillas, miniſtras, & inferiores. Ancillæ, & Miniſtræ ſunt illæ quæ aliis offerunt inſtrumenta ad ſua munera recte, & vt par eſt exercenda. Reginæ vero vocantur illæ, quæ his inſtrumentis vtuntur. Prima Philoſophia, & Philoſophia naturæ vocari poſſunt Reginæ, quia vtuntur inſtrumentis à Grammatica, Rhetorica, & Dialectica oblatis. Hæ vero tres artes erunt illarum ancillæ, cum ipſis ſua offerant inſtrumēta. Intereſt autem inter hæc duo genera Artium, quia Reginæ tantum habent vnum finem ſibi propoſitum intra proprios Artis limites, Ancillæ vero duos habent fines, vnum intra, & alium extra Artem. Finis intra artem eſt inſtrumentum, vel opus quod conficiunt. Finis vero extra illam eſt finis illius Artis, cui inſtrumentum confectum accōmodant. Hæc res exemplo familiari poterit explicari in Arte Frænifactoria, & Militari, ex quibus Frænifactoria eſt ancilla, Militaris vero Regina. Hæc igitur tantum habet vnum finem ſibi propoſitum, victoriam nimirum, Frænifactoria autem duos habet fines, vnum intra artem ſcilicet frænum confectum, & alium extra, ſcil. victoriam, ad hunc enim finem conficit frenum, vt Militaris gubernet equum, qui ad victoriam aſſequendam, eſt neceſſarius. *1. Obſeru.*

Iterum ſciendum eſt duplicem eſſe finem vnum intra Artem, & alium extra illam, vt in Frænifactoria finis intra artem eſt frænum confectum, extra vero eſt victoria, & in Coriaria, finis intra artem, eſt præparare corium, extra vero, eſt calceus ex corio confectus. Finem intra Artem vocare poſſumus Finem proximum, extra vero remotum. Vltimo reuocanda eſt ad memoriam ſignificatio Dialecticæ pro parte Topi. & pro tota arte, de qua egimus quia & vtriuſq; diuiſio in docentem, & vtentem, de *3. Obſeruat.* *Finis proximus & remotus.*

qua

qua in ſuperioribus abunde ſatis diſſeruimus.

1.Concluſio. His animaduerſis ſit prima concluſio. Finis Dialecticæ docentis ſumpta Dialectica pro tota arte, quæ ambit rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi eſt cognitio diffinitionis, diuiſionis,& argumentationis. Hanc tradit Caietanus *in caput de ſpecie*, in quo loco inquit finem Logicæ eſſe tradere inſtrumenta quibus incognita innoteſcant, hæc autem inſtrumenta non ſunt alia quam definitio, diuiſio,& argumentatio. Eandem etiam profitetur M. Vincentius Iuſtinianus 1. *lib. Inſtitut. Dialectic. cap. 4.* Et confirmatur primo. Finis proximus ſcientiæ ſpeculatiuæ, eſt cognitio ſui obiecti, ſed Dialectica docens eſt ſcientia ſpeculatiua, ergo finis proximus illius erit cognitio ſui obiecti: hoc autem eſt modus ſciendi, qui eſt diuiſus in definitionem, diuiſionem, & argumentationem, vt docuimus in quæſtione ſuperiori, ergo finis proximus Dialecticæ, erit cognitio definitionis, diuiſionis,& argumentationis. Præterea. Finis eſt illud quo aſſequuto ceſſat actio artificis, vt in Medicina finis eſt ſanitas, quia illa aſſequuta ceſſat actio Medici, ſed aſſecuta cognitione definiti, diuiſi, & argumentati, ceſſat actio Dialectici docentis, hac enim aſſequuta nihil ſuper eſt in Dialectica docente tradendum, vel explicandum, ergo hæc cognitio erit finis.

2. Concluſio. 2 Concl. Finis Dialecticæ docentis remotus eſt dirigere intellectum, ne in ſuis actionibus labatur, ſed vt illas recte,& vt par eſt exercere valeat, poſſitq; illius ope adiutus, cæteras artes comparare. Hæc eſt D. Tho. 1. *Perhyer.* & 1. *Poſterio. in principio*, Auicennæ *in principio ſuæ Logicæ*, qui cum dicant finem Dialecticæ eſſe dirigere intellectum, & non ſit intelligendum de fine proximo, nam hic eſt diuerſus, *vt conſtat ex* 1. *concluſ.* intelligendum erit de fine remoto. Eandem profitentur M. Iuſtinianus *in loco ſuperiori*, & Nunneſius *in lib. de conſtitutione artis Dialecticæ*,& multi alii, nam hæc eſt communis opinio. Confirmariq; poteſt imprimis. Omnis ars inuenta eſt ad emendanda vitia naturæ, illius ſ. vſus naturalis, circa quem ipſa verſatur, ſed Dialectica verſatur circa vſum naturalis rationis, ergo illius finis ob quem eſt inuenta erit emendare vitia rationis alienum, ſcilicet, obſcurum, falſum, ambiguum,& inconſequens, atqui hoc nihil aliud eſt quam dirigere intellectum, ergo finis Dialecticæ erit dirigere intellectum. Secundo. Confirmatur ratione D. Thom. Dialectica vocatur rationalis, non quia eſt in ratione: ita enim omnes ſcientiç poſſent dici rationales, quia omnes ſunt in ratione, ergo ex eo dicetur rationalis, quia corrigit vitia rationis, illamque in omnibus ſcientiis dirigit, erit igitur finis illius dirigere intellectum.

3 Concl. Finis Dialecticç vtentis ſumta Dialectica in hac ſignificatione pro tota arte, non eſt vnus, & idem, ſed multi ſunt, & diuerſi, tot ſcilicet, quot ſunt ſcientiæ, quibus præbet inſtrumenta. Confirmatur. Artes ancillæ,& miniſtræ extra artem non habent certum aliquem finem, vt obſeruauimus, ſed tot quot ſunt artes, quibus deſeruiunt, ſed Dialectica vtens (vt conſtat ex ſuperioribus) ancilla eſt, & miniſtra. Vel inſtrumentaria, non itaque habebit illa certum aliquem finem, ſed tot erunt eius fines, quot ſunt artes quibus deſeruiet. *3.Concluſio.*

4. Concl. Finis Dialecticæ docētis ſumta pro parte topica eſt cognitio argumentationis probabilis. Conſtat hæc ex prima concluſione. Etenim cum acquiſita huiuſmodi cognitione ceſſet actio docētis Dialect. hæc cognitio erit finis. *4.Concluſ.*

5. Concl. Finis Dialecticæ vtentis ſumta illa pro parte Topica eſt fides, quæ generatur in animo audientis, argumentis probabilibus. Cōfirmatur primo à Petro Moncono viro de omni parte Philoſophiæ bene merito 1. *lib. compoſitionis Dialecticæ cap.* 10. ſimilium artium ſimiles debent eſſe fines, ſed Rhetorica & Dialectica ſunt ſimiles artes, ergo habebunt ſimiles fines, ſed finis Rhetoricæ eſt perſuaſio, cui nihil ſimilius quam fides, ergo finis Dialecticæ vtentis erit fides. Secundo. Fidei conueniunt 3. proprietates finis propoſitæ erit igitur finis, Confirm. antec. imprimis fides eſt extremum, & vltimū, ob quam cauſam argumentatio probabilis refertur ad illam, eſt etiam quid optimum, nihil enim melius fide in Topica, & tandem de ea nulla eſt conſultatio, non enim conſultat Dialecticus an ſit fides facienda, ſed quibus mediis facilius illa poſſit adipiſci, erit igitur finis. Tertio. Illud in vnaquaq; arte eſt ipſius finis quo aſſecuto, ceſſat omnis actio artificis, ſed aſſecuta fide, vel ſuaſione in animo eius cum quo agimus, ceſſat omnis actio Dialectici vtentis, igitur illa erit finis. *5.Concluſio.*

Ex fine non eſt difficile colligere officiū Dialectici, vnde ſit 6. concl. Officium Dialectici docentis (ſumta Dialectica pro tota arte) erit tradere præcepta diffiniendi, diuidendi, & argumētandi, vel tradere cognitionem horum inſtrumentorum. Vtentis vero eſt diffinire, diuidere, & argumentari. Et ratio eſt quia officium eſt illud quod artifex præſtare debet ad finem artis conſequendum, at Dialecticus docens ad cognoſcendam naturam diffinit, diuiſ. & argumen. Leges aliquas, & præcepta tradere debet, hoc igitur erit officium. Vtens autem ad aliarum *6.Concluſio.*

artium

Digitized by Google

artium fines aſſequendos(qui ſunt eius fines) debet diffinire, diuidere, & argumentari, quare hoc erit illius officium.

7.concl. 7.concl. Officium dialectici docentis(ſumpta dialectica pro parte Topica) eſt tradere præcepta argumentationis probabilis, & locorum communium, vtentis vero eſt de rebus omnibus probabiliter diſputare. Officium docentis eſſe tradere huiuſmodi præcepta, eſt apertum, quia per illa innoteſcit natura argumentationis probabilis, quæ eſt illius finis. Vtentis vero eſſe diſputare probabiliter, docet Ariſt.1 *Topic. cap.8 & 2 Elench. cap. 8 & 1. Rhetor. cap.1.* Tum etiam quia hac ratione comparatur fides, quæ eſt illius finis.

Ad 1. Iam ad argumen. Ad 1. dicimus Ariſt non fuiſſe locutum de fine totius artis, ſed ſolius analyticæ, *vt conſtat ex poſtremis verbis 2. lib. de demonſt.* nos vero hic agimus de fine totius artis. Ad 2. Ad 2. dicimus finem non tantum debere eſſe præſtantiſſimum, ſed etiam illud ad quod omnia reuocantur, demonſtratio autem non eſt huiuſmodi, vt oſtendimus in 1. concluſio. Ad 3. Ad 3. reſp. in artibus effectionis finem non eſſe conſtitutum in actione, ſed in opere confecto. & de his eſt intelligendus Galen. vt ex illius exemplis colligi poteſt, tradit enim exemplum de architectura, & textoria, quæ ſunt artes effectionis, at vero in artibus ſpeculatiuis (qualis eſt dialectica) finis in actione, vel cognitione veri eſt conſtitutus, vt conſtat ex 2. *Metaph. cap.1.*

QVÆST. XV.

An Dialectica ſit vna ſcientia?

HActenus eas quæſtiones expoſuimus quæ ad naturam Dialecticæ explicandã attinebant, proximum eſt, vt de vnitate quæ eſſentiam ſequitur in ſequentibus quæſtionibus diſputemus, primoque de vnitate. Et

1. Argum. quidem non eſſe Dialecticam vnam ſcientiã, his argumentis confirmatur. Primum Ariſtotel. *primo de demonſtra. cap.23.* docet diſtinctionem ſcientiarum petẽdam eſſe ex diſtinctione obiectorum, vt Arithmetica, & Geometria ſunt ſcientiæ diſtinctæ, quia vnius obiectum eſt numerus, alterius vero magnitudo, ſed in Dialectica dantur varia obiecta, & variæ conclusiones demonſtratæ, inter ſe maxime diuerſæ, ergo non erit dialectica vna ſcientia.

2. Argum. 2. Quæ ſunt eiuſdem naturæ ita ſunt inter ſe affecta vt quidquid repugnat vni, repugnet & alteri ſed ea quæ repugnant libris Categoriarum, non repugnant libris de interpretatione, ergo Dialectica, quæ complectitur hos libros, non erit vna ſecundum ſpeciem. Confir. aſſump. poteſt quis habere errorem circa libros categoriarum, vt tantum eſſe tres categorias, & non circa libros de interpretatione, nam poteſt vere intelligere quid ſit nomen, quid verbum, quid oratio, & quid enuntiatio de quibus in his libris eſt inſtituta diſputatio, ſed error, qui eſt circa categorias, contrariatur categoriis & non libris de interpretation. poterit ergo aliquid contrariari alicui ex his libris & non alteri.

3. Quæ ſunt eiuſdem ſpeciei habent eaſdem actiones, vt omnes ignes habent vnas & eaſdem actiones calefaciendi, & obtinent eaſdem propenſiones, nimirum vt leuitate inſita in locum ſuperum ferantur, ſed partes Dialecticæ, neque habent eaſdem actiones, neque eaſdem propenſiones, non actiones, quia libri categoriarum illam actionem retinent, quæ eſt dirigere primam operationem intellectus, libri de interpretatione, ad aliam quæ eſt dirigere ſecundam operationem, & aliam libri de priori analyſi, & ſequentes, qui dirigunt tertiam operationem, quæ ſunt actiones ſpecie diuerſæ: quemadmodum hæ functiones intellectus ſpecie differunt, ergo non habebunt eaſdem actiones. Præterea neque habent eandem propenſionem, quia habitus categoriarum tantum inclinat intellectum ad cognoſcendam naturam ſubſtantiæ, quantitatis, & aliarum categoriarum, habitus vero de interpretatione, tantum inclinat ad cognoſcendam naturam orationis, & enuntiationis, ergo partes dialecticæ, non obtinebunt eandem propenſionem. 3. Argum.

4. Pars analytica, topica, & ſophiſtica ſpecie differunt, ſed dialectica ambit has tres partes, ergo non erit illa vna ſecundum ſpeciem. Confirmatur propoſitio. Diſtinctio ſpecifica ſcientiarum petenda eſt ex diſtinctione ſpecifica obiectorum, ſed demonſtratio in qua explicanda verſatur pars analytica, argumentatio probabilis, in qua verſatur pars topica, & argumentatio ſophiſtica, in qua verſantur libri Elenchorum, ſunt obiecta ſpecie diuerſa, ergo & partes dialecticæ erunt quoque ſpecie diuerſæ. 4. Argum.

Præterea, quemadmodum ſe habet Arithmetica ad Muſicam, ita etiam ſeſe habet liber de Priori analyſi, ad librũ de Poſteriori, Topicorum, & Elenchorum, ſed Arithmetica differt ſpecie à muſica, ergo dialectica, quæ agit de priori reſolutione, differet ſpecie a Dialec- 5. Argum.

Digitized by Google

ctica, duæ diſputat de priori analyſi, & alijs libris. Confirm propoſitio. Quemadmodum Arithmetica agit de numero auulſo, Muſica vero de eodem coniuncto, & applicato cum voce. Ita etiam in libris de priori analyſi agimus de argumentatione auulſa, in libris vero de poſteriori agimus de illa applicata materiæ neceſſariæ, in libris vero Topicorum materiæ probabili, & in libris Elencho. materiæ apparenti, ergo quemadmodum ſe habet Arithmetica ad Muſicam, ita et à l ber de priori analyſi ad librum de poſteriori analyſi Topicorum, & de reprehenſionib. Sophiſtarum.

Argum. Iterum ſcientia eſt habitus per demonſtrationem adquiſitus, ergo vbi erunt multæ demonſtrationes, erunt multæ ſcientiæ: ſed in dialectica dantur multæ demonſtrationes, ergo erunt multæ ſcientiæ. Confir. argumentum, eo modo ſe habet ſcientia ad demõſtrationem, quo opinio ad argumenta probabilia: ſed ex multis argumẽtis probabilib. generantur multæ opiniones, ergo ex multis demonſtrationibus generabuntur multæ ſcientiæ, ac proinde cum in dialectica dentur multæ demonſtrationes, in illa erunt multæ ſcientiæ.

1. Opin. Variæ ſunt in hac quæſtione explicandæ opiniones. Prima eſt nominalium dialecticam & omnes alias ſcientias tantum obtinere vnitatem aggregationis, & non per ſe, eo modo quo dicimus aceruum lapidum eſſe vnum per aggregationem, per ſe vero tot eſſe ſcientias, quot ſunt concluſiones, quę demonſtrãtur, & libri qui explicãtur in dialectica vnde alia ſcientia erit libri quinq; vocum, alia Categoriarum, & alia de interpretatione, ita docent Gregor. *q. 3. Prologi ſent.* & Gabr. *in 3. diſt. 28. quæſt. 2.*

2. Opin. 2. opinio eſt, dialecticam eſſe vnam per ſe vnitate generica, non tamen ſpecifica, vnde eſt vna genere, & multiplex ſpecie, ambit n. rationem definiendi, diuidendi & argumentandi, tum etiam partem analyticam topicã, & ſophiſticam, quæ ſpecie diff. runt. Hanc opinionem olim ſecuti fuerunt nonnulli Scotiſtæ, teſte Petro Nigro, *q. 13. clypei Thomiſtarũ*, nunc vero amplectitur illam Franciſc Tolet. *q. 3. proœm. concl. 2.*

3. Opin. 3. Eſt Petri Nigri in hoc eodem loco, qui conſtituit dialecticam & eſſe vnam genere & ſpecie, aliam non, & alia ratione: poteſt enim ſumi illa, vel vt ex. li. at naturam entis rationis, partes, & proprietates, quæ illi primo inſunt, vel vt explicat naturã alicuius entis rationis, in peculiari, principia, & proprietates illius, vt argumentationis, propoſitionis, demonſtrationis, &c. Primo modo inquit dialecticam eſſe vnam ſecundum ſpeciem, quãuis n. agat de multis rebus, quia tamen agit de illis ſub vna ratione formali generis, & de omnibus illis concludere poteſt proprietates genericas, per eadem principia formalia, erit vna ſpecie: altero tamẽ modo erit multiplex ſecundum ſpeciem, & vna genere, quia verſatur in diuerſis rationibus formalib. ſpecierũ, & in concludendis diuerſis proprietatib. earũdem, per diuerſa principia formalia, quare erit multiplex ſpecie, & vna genere ſubalterno, vnde liber 5. vocum ſpecie differt à libris de interpret. & priori analyſi, quia in libro 5. vocum agimus de vniuerſo, & concludimus de ipſo hanc proprietatem, quæ eſt poſſe prędicari de multis, in libris de interp. agimus de enuntiatione, & concludimus alias proprietates, quæ ſunt reciprocatio, modificatio, & poſſe reddi propoſitionem infinitam, verum quia hæc omnia participant naturam entis rationis in communi, quod eſt verum genus, retinebunt inter ſe vnitatem genericam.

4. Opinio eſt dialecticam eſſe vnam ſcientiam vnitate ſpecifica, quam ſequuntur Capreolus *q. 3. prologi ſent.* M Sotus *q. 3. proœmiali*, & quam plures ex recentioribus. *4. Opin.*

His opinionibus propoſitis eũ ſit quæſtio inſtituta de vnitate, æquum erit, vt in illa explicãda à definitione vnius, & ſpecierum eius auſpicemur. Vnum definitur illud, quod eſt in ſe indiuiſum & diſtinctum à quolibet alio, vt vnum lapidem dicimus illum, qui non eſt diuiſus in plures lapides, & eſt diſtinctus à quolibet alio lapide. Species vero vnius plures ſunt *de quib. luculenter egimus 3. lib. Tranſcendẽtium c. 15.* nam quædam ſunt vnum ſecundum analogiam, vt pes montis, & ſcamni, alia genere, vt homo & brutum, alia ſpecie, vt Dominicus, & Thomas, & alia numero vt Thomas, & cum vnitati opponatur diuiſio, quot modis diximus aliqua eſſe vnum, tot dem aliqua erunt diuiſa, vel diuerſa: nimirum ſecundum analogiam, genere, ſpecie, & numero, quorũ omnium explicatio ex ſuperiori loco erit haurienda. Prætermiſſa autem vnitate ſecundum analogiam, de tribus alijs erit oratio in ſcientijs inſtituenda; quædam igitur ſcientiæ erunt vnum genere, aliæ ſpecie, & aliæ numero. Illæ ſunt vnum genere, quarũ obiectum formale eſt vnum vnitate generica, vt omnes ſcientiæ ſpeculatiuæ ſunt vnum vnitate generica, nam obiectum illarum, quod eſt ſpeculabile, eſt vnum genere. *Opinio Com.*

Illæ autem ſunt vnū vnitate ſpecifica, quarum obiectum formale eſt vnum ſecundum ſpeciem, vt ſcientiæ de cœlo. & de anima, eſt vna ſpecie, quia vtriuſque obiectum, vt eſt ſcibile, eſt vnū vnitate ſpecifica. Illæ vero ſunt vnum numero, quæ ſunt in eodē ſubiecto numero, vt in Thomo eſt vna Theologia numero propter vnitatem numericā Thomæ. Præterea tribus modis poſſunt ſcientiæ differre, genere, ſpecie, & numero, genere differunt, quæ diuerſis abſtractionib. vel medijs, aut finibus differunt, vt Philoſophia naturę. & metaphyſica tum ſcientiæ ſpeculatiuæ. & practicæ. quia duæ illæ abſtractionibus, hæ vero finibus diſtinguūtur. Illæ ſpecie differunt, quarum obiectum formale eſt diuerſum ſpecie, quæ diuerſitas peti debet à diuerſitate principiorum, & proprietatum, vt ſunt Arithmetica & Geometria, nā illa agit de numero, hæc vero de magnitudine quæ duo diuerſa principia, diuerſaſq; obtinent proprietates, nam numeri principium vnitas eſt, proprietates, par, & impar, magnitudinis principium, eſt punctū, in linea vero proprietates ſunt rectū, & inflexum. Illæ vero differunt numero, quæ ſunt in diuerſis ſubiectis numero differentib. vt Philoſophia, quæ eſt in Thoma & Iacobo.

2. *Obſeru.* Animaduertendū eſt iterum. vnitatē ſpecificam alicuius obiecti, duob modis ſumi poſſe. primo vt res quædam eſt, ſecundo vero vt ſcibilis eſt, vel vt poteſt aliqua ſcientia comprehendi; vnde quando nos dicimus illā eſſe vocandam vnam ſcientiam ſpecie, quæ verſatur in obiecto vno ſecundum ſpeciem. intelligendum eſt de vnitate illius ſpecifica. vt ſciri poteſt, & nō vt res quædam, vel vt habet propriam & peculiarem naturam. Ex hac diſtinctione ortum habet celebris illa, & peruulgata diuiſio obiecti. in obiectum formale, & materiale. Hoc dicitur res aliqua in ſcientiis pertractata, iuxta propriam naturam, formale vero eſt ea ratione qua pertractatur, vt res eſt ſcibilis, vel quod idem eſt ſub cuius ratione omnia pertractantur in ſcientia.

3. *Obſeru.* Obſeruandum eſt etiam, duplicem eſſe rationem formalem alicuius obiecti, vnā quæ. & alteram ſub qua: Ratio, quę, nihil aliud eſt, quam ipſamet natura obiecti explicata per diffinitionem eſſentialem, à qua fluunt proprietates, quæ eſt medium ad concludendam primam proprietatem de ſubiecto, & in cuius cōſideratione ipſa ſcientia verſatur, vt in mathematicis ratio quæ, eſt natura quantitatis, in Metaphyſica entitas, & in Philoſophia naturæ mobilitas. Ratio autē ſub qua, nihil aliud eſt, quam immaterialitas, vel eſſe ſeparatū à materia, & à motu, nam ſub iſta ratione obiecta ſcientiarum apprehenduntur ab intellectu, etenim cum ſit ipſe facultas quædam immaterialis, & ſeparata ab omni materia & motu, intercederęq; debeat affinitas quædam inter facultatem, & obiectum illius, debet obiectum, quod pertractatur in ſcientiis, eſſe ſeparatum à materia, & à motu, & ita iuxta diuerſam ſeparationē à materia, & à motu, diuerſæ ſunt etiam conſtitutæ partes Philoſophiæ ſpeculatiuæ rei, nam quædam agit de rebus omnino ſeparatis à materia, & motu, vt Metaphyſica, alia diſputat cum rebus coniūctis cum materia intellectuali ſeparatis tamen à materia ſenſili, vt Mathematicę artes & quędam tractat res vnitas cum materia ſenſili ſeparatas tamen à materia ſingulari, & indiuidua, vt Philoſophia naturæ. Cum itaque ſit hæc duplex ratio formalis cōſtituenda in obiectis ſcientiarum, eadem etiam conſtitui debet in obiecto dialecticæ, vnde in illo quædā erit ratio quæ. & altera ſub qua, ratio quæ, eſt natura entis rationis, quod eſt illius obiectū, ratio ſub qua à quibuſdam conſtituitur dirigere intellectum. ab aliis, eſſe modum diſſerendi, ab his tamen, qui vera cupiunt intelligere, conſtituitur eſſe ſeparatum à materia omni tam ſenſili, quam etiā intellectuali, quod ita conſtare poterit, eſſe abſtractū à materia, & motu, eſt ratio formalis ſub qua in aliis omnibus ſcientiis, omnium iudicio, propter rationem aſſignatam in dialect. ergo, etiam eſſe à materia & motu ſeparatum obiectum, erit ipſius ratio formalis ſub qua, cum non ſit maior ratio in aliis ſcientiis, quam in illa.

Legēdus ſui quæſt. ſex. in ſup. q. 2.

Vlt. obſeru. Vltimo animaduertendum eſt, ad vnitatē ſcientiæ nō ſufficere vnam tantū ex his duab. rationib. ſed vtramq, ſimul neceſſariā eſſe rationem ſc. quæ, & ſub qua, nam ſi vna tantū concurreret, vt ratio quæ. nō differrēt Theologia, Philoſophia naturæ & Aſtrologia, quæ agunt de vna & eadem terra, de iiſdem orbib. cœleſtib. & de multis aliis rebus naturalibus, ſi autem tantum concurreret ratio ſub qua, prima Philoſophia, & Dialectica, non diſtinguerentur. nam vtraque agit de ſubiecto ſeparato ab omni materia tam ſenſili quam intellectuali, vtraque ergo ratio eſt omnino neceſſaria ad vnitatem ſcientię conſtituendam.

1. *concluſ.* His annotatis ſit prima concluſio. Dialectica non eſt vna per aggregationem. Confirmatur aduerſus nominales. Primo obiectum formale illius (quod eſt ens rationis) eſt vnum per ſe, & non per aggregationē, ergo & vnitas

Dialecticæ erit vnitas per ſe, & non per aggregationem. Confirmatur conſequentia, quia ſcientiæ petunt vnitatem ab obiecto, vt docet Ariſtotel. 1. *de demonſtrat. cap.* 23. ac proinde talem debent habere vnitatem, qualem habent ipſarum obiecta. Secūdo, quia ſi Dialectica eſſet vna tantum per aggregationem, Metaphyſica, Philoſophia natur, & Theologia, dici poſſent vna ſcientia, hoc genere vnitatis, cum aggregentur in eodem homine Metaphyſico, Philoſopho & Theologo, quod certe nullus dixit.

2. concl. 2. concl. Dialectica habet vnitatem numericam à ſubiecto, vnde illa erit vna numero, quæ eſt in vno ſubiecto numero, & illa multiplex, quæ eſt in multis ſubiectis numero differentibus. Confirmatur inprimis vtraque pars aſſertionis, omnia accidentia habent vnitatem, vel multitudinem numericam à ſubiecto, nam quemadmodum ab eo obtinent entitatem, ita & vnitatem, quę conſequitur entitatem, ergo illa erit Dialectica vna numero, quæ erit in vno numero ſubiecto, & illa multiplex, quæ erit in multis ſubiectis. Confirmatur præterea in vno ſubiecto tantum eſſe vnam Dialecticam numero. Primo, quia omnes Dialecticæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed non poſſunt plura accidentia eiuſdem ſpeciei, ſolo numero diuerſa, eſſe in eodem ſubiecto, ergo. Secundo per eandem numero facultatem videndi fertur aliquis in candorem, & atrorem, & in alios intermedios colores, ergo per eandem numero dialecticam, poterit aliquis ferri in libros quinque vocum, categoriarū, & alios: nam quæ eſt habitudo colorum ad facultatem videndi, eadē eſt rerum dialecticarū, ad dialecticam, ſi igitur per eandem numero poteſt aliquis ferri in omnes res dialecticas non eſt alia numero diſtinctam in eodem ſubiecto conſtituenda, nam eſſet illa ſuperflua. Quare quemadmodum imperatoria exercitu, per vnam & eandē potentiam, moderatur hunc, & illum militem, & omnia agmina, ita etiam dialecticus per eandem numero dialecticam, ferri poteſt in hanc vel illam rem dialecticam, imo & in omnes.

3. concl. 3. concl. Dialectica vt ambit rationē diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, eſt vna vnitate ſpecifica. Nonnulli cōtrarium docuerunt, qui putāt Dialecticam vt tradita eſt nobis ab Ariſt. (in qua ſola ratio diſſerendi proponitur) eſſe vnam vnitate ſpecifica, vt tamen ambit rationem diffiniendi, diuidendi & argumentādi, non eſſe vnam ſpecie ſed genere. Confirmatur tamen cōcluſio, quia vbi eſt eadē ratio formalis, quæ & ſub qua, habitus qui in illa re verſatur, tantum eſt vnus vnitate ſpecifica, vt cōſtat ex annotatis, ſed diffinitio, diuiſio, & argumentatio, habent eandem rationem formalem quæ, & ſub qua, imprimis rationem formalem quæ, nā hæc eſt entitas rationis, quę communis eſt his tribus partibus. Deinde rationem formalem ſub qua, quæ eſt abſtractio ab omni materia, tam ſenſili, quā intellectili, ergo dialectica vt ambit hæc tria, erit vna vnitate ſpecifica. Probe noui nōnullos conari diſſoluere hoc arg verum quia ſolutiones futiles ſunt, non eſt cur in illorū confutatione immoremur, neq; enim curandum eſt quid quiſq; dicat, ſed quid accōmodate dicat.

4. concl. Dialectica qualis eſt ab Ariſt. nobis tradita, amplectiturque libros Categoriarum, de interpretatione, de Priori, & Poſteriori analyſi, Topicorū, & Elenchorū, eſt vna vnitate ſpecifica. Hæc eſt aduerſus Toletū, & alios ſecundæ opinionis. Verū antequam illam confirmemus, ſtatuēdum eſt tanquā certum Ariſt. in Dialectica tanquā de obiecto præcipuo egiſſe de argumētatione, quia tamen illa ex ſuis cauſis, & principiis eſt cōſtituta, in prima parte, nimirū in libris Categoriarū, & de interpretatione, de his principiis, & cauſis inſtituit orationē: vt de vocib. ſimplicib. in Categoriis, & de propoſitione in libris de interpretatione. Præterea quia argumentatio, de qua agitur in libris de priori analyſi, diuiditur (tanquam in ſuas ſpecies) in argumentationē analyticam, probabilē, & ſophiſticā: in poſtremis libris Dialecticæ de his diſputat, ſc. de demōſtratione, ſyllogiſmo probabili, & apparenti. Quo iacto fundamento, confirmo imprimis Dialecticam, vt ambit libros Categoriarum, de interpretatione, & priori analyſi, eſſe vnam ſpecie. Vnius & eiuſdem ſcientiæ ſecundū ſpeciem eſt, agere de principiis, & principiatis, de cauſis, & effectis: ſed in libris Categoriarū, & de interpretatione, agimus de principiis argumētationis, in libris vero de priori analyſi, de argumētatione, quæ ab his principiis ortū habet, ergo ad eandē ſcientiā ſpecificā, & dialecticā ſpectabit agere de libris Categoriarū, de interpret. & de priori analyſi. Confirmatur deinde dialecticā eſſe vnam, vt amplectitur libros de priori & poſteriori analyſi, Topicorū & Elenchorū. Eiuſdē ſcientiæ eſt agere de genere, & de illius ſpeciebus, vt eadem ſcientia agit de animali, & de homine, atque de boue: ſed argumentatio de qua agitur in libris Priorū, eſt genus ad argumentationē analyticam,

Digitized by Google

explicatam in libris de demonſtratione, Topicam, propoſitam in libris Topicorum, & apparentem declaratam in libris de reprehenſionibus ſophiſtarum: ergo Dialectica erit vna vnitate ſpecifica, ad libros de Priori & Poſteriori reſolutione Topicorum, & de reprehenſionibus Sophiſtarum. Deinde temperantia eſt vnus habitus, vnitate ſpecifica, propter vnam & eandem rationem formalem, ratione cuius fertur in omnia obiecta materialia: vt in carnes, oua, & piſces, quæ natura & eſſentia diſtinguuntur, ergo Dialectica erit vna vnitate ſpecifica, quamuis feratur in argumentationem analyticam, topicam, & ſophiſticam: quia fertur in hæc tria, ſub eadem ratione formali entis rationis. Ad hæc, viſus quamuis feratur in colores ſpecie diuerſos, eſt vna facultas, vnitate ſpecifica, quia fertur in illos ſub eadem luminis ratione, ergo quamuis Dialectica feratur in has tres ſpecies argumẽtationis, quia tamen fertur in illas ſub eadem ratione entis rationis, erit vna vnitate ſpecifica. Et tandem philoſophia naturæ eſt vna ſecundum ſpeciem, Metaphyſica, Arithmetica, Geometria, & ſic de alijs ſcientijs, ergo Dialectica quoque erit vna ſecundum ſpeciem.

5. Concluſ. 5. concluſ. Dialectica vt ambit concluſiones, & principia, opiniones, & demonſtrationes, non eſt vna vnitate ſpecifica. Confirmo imprimis non eſſe vnam, vt ambit principia, & concluſiones. Principia cognoſcuntur per habitum intelligentiæ, concluſiones vero per habitum ſcientiæ, ſed intelligentia & ſcientia ſpecie differunt, ergo Dialectica hac ratione non erit vna ſecundum ſpeciem. Præterea ſola ſapientia eſt, quæ cum ſit vna ſecundum ſpeciem, ambit intelligentiam, & ſcientiam, principia, & concluſiones, vt auctor eſt Ariſt, *6. Ethic. cap 7.* Sed Dialectica non eſt ſapientia, ergo non ambiet habitum principiorum, & concluſionum, ac proinde alius habitus erit, qui fertur in principia, & alius in concluſiones. Confirmo deinde non eſſe vnam ſpecie, vt amplectitur opiniones, & quæ ſciuntur per demonſtrationem. Quæ medijs vel principijs formalibus differunt, non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed opinio & ſcientia differunt medijs & principijs formalibus: quia opinio progreditur per media, & principia formalia contingentia: ſcientia vero, per media & principia formalia neceſſaria, ergo Dialectica vt ambit opiniones, & concluſiones ſcitas, non erit vna ſpecie. Et confirm. ſcientia & opinio ſecundum Ariſt. *t. de demonſtr. t. 25. & 26.* ſpecie differunt, ergo non poterit eſſe vna Dialectica vnitate ſpecifica, quæ amplectitur concluſiones ſcitas, & opiniones. Itaque dicimus, Dialecticam, vt fertur in omnes concluſiones ſcitas, eſſe vnam ſpecie, & non eſſe vnam circa vnam concluſionem, & aliam circa alteram: & eandem circa omnes opiniones eſſe vnam ſpecie, diuerſam tamen à ſuperiori, & non eſſe tot multiplicandas, quot multiplicantur opiniones, & idem dicimus de Dialectica, vt ambit habitum principiorum, & concluſionum. Vnde colligo, Dialecticam in habitudine ad concluſiones ſcitas, & opiniones, nomen eſſe homonymum: quia hæc duo, vt Dialecticæ nomine ſignificantur, præter nomen nihil habent commune, cum alia ratio ſit, & genere diuerſa opinionis, & alia ſcientiæ.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta, quæ in principio propoſuimus, ad primum reſpondemus, in Dialectica dari varia obiecta, & varias concluſiones, non formaliter, ſed materialiter, diuerſas, vel quæ non differunt in genere ſcibilis, ſed in genere rei, verum diſtinctio ſpecifica ſcientiarum non eſt petenda ex diſtinctione materiali concluſionum, vel obiectorum, ſed ex diſtinctione formali.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondemus, ea, quæ pertractantur in libris dialecticis, ſumi poſſe vel iuxta proprias naturas, vel iuxta naturam entis rationis, primo modo, non quicquid repugnat vni, alteri aduerſatur, vt recte confirmat argumentum, de errore, qui poteſt eſſe circa categorias, & non circa libros de interpretatione. Secundo tamen modo, quicquid repugnat vni, repugnat & alteri, nam quicquid repugnat alicui enti rationis, vt eſt ens rationis, repugnat quoque alteri, vt eſt ens rationis, quemadmodum quicquid repugnat ligno, vt eſt candidum, repugnat quoque papyro, vt eſt candida, & quia hoc ſecundo modo tractantur, quæ explicantur in libris dialecticis, propterea Dialectica erit vna ſecundum ſpeciem.

Ad 3. Ad 3. neganda eſt propoſitio, ſi abſolute fuerit intelligenda, nam vir & puer ſunt eiuſdem ſpeciei, quorum tamen non ſunt omnes actiones communes, vir enim poteſt generare ſibi ſimilem in natura, non tamen puer, ſi tamen propoſitio intelligatur de his, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei & ſtatus, vera eſt illa, quia puer, quando deueniet ad ſtatum virilem, poterit generare ſibi ſimile, neganda tamen eſt aſſumptio, etenim quamuis Dialectica imperfecta, qualis eſt in tyrone, non poſſit habere eaſdem actiones, neque propenſiones,

Digitized by Google

quas habet perfecta, quę eſt in doctore, & quę fortaſſis poterit tantū dirigere primam operationem intellectus, ſi tantum ſe extendat ad libros categoriarum, ſi tamen ſumptæ fuerint duæ dialecticæ perfectæ, vtriuſque erunt eædem actiones, & eædem propenſiones: vtraque enim diriget tres operationes intellectus, & ſe extendet ad omnes libros dialecticos. neque ex eo, quia dirigit tres actiones ſpecie diuerſas, colligendum erit, eſſe multiplicem ſpecie, quia prudentia eſt vna ſecundum ſpeciem, quæ tamen dirigit habitus ſpecie differentes.

Ad 4. Ad 4. neganda eſt propoſit. Ad confirm. diſtinguenda eſt propoſitio, quia vel ſumuntur obiecta materialiter, & in genere rei, vel formaliter, aut in genere ſcibilis, ex obiectis primo modo neque vnitas, neque diſtinctio ſpecifica eſt depromenda, ſed ex ipſis altero modo, verum hac ratione pars Top. Sophiſtica, & analytica non ſunt ſpecie diuerſæ: nam illorum omnium eſt vna ratio formalis entis rationis, & eadem abſtractio ab omni materia tam ſenſibili quam intellectili.

Ad 5. Ad 5. reſpondemus, falſam eſſe propoſitionem, & ad confirm. dicimus illam nullius eſſe momenti, quia numerus ſonorus, de quo agit muſica, non eſt ſpecies numeri, de quo agit arithmetica: nam eſſe ſonorum non eſt differentia, ſed accidens numeri, ipſum contrahens ad muſicam, atque ita ſunt ſcientiæ diuerſæ muſica, & arithmetica, quemadmodum ſcientia ſubalternata, diuerſa eſt a ſubalternante: at argument. tio neceſſaria, Topica, & apparens, ſpecies ſunt argumentationis, de qua agitur in libris priorum, quare cum ad eandem ſcientiam ſpectet agere de genere, & de ſpeciebus ſub illo contentis, eadem erit Dialectica, quæ agit de priori analyſi, de poſteriori, de libris Topicorum, & Elenchorum.

Ad vlt. Ad vltimum reſpondemus, negandam eſſe primam conſequentiam, nam quælibet demonſtratio, & ſi nata ſit iuxta propriam naturam generare habitum ſcientiæ, non tamen illum generat niſi prima, reliquæ vero ſubſequentes augent & extendunt habitum genitum, ad plures libros, & concluſiones, quemadmodum ignis, qui primo applicatur aquæ, generat in ea calorem, alij vero, qui deinde ſequuntur, nullum calorem producunt, ſed productum augent & efficiunt intenſiorem. Quod ſi quis dicat; Secunda demonſtratio non eſt minus efficax, quam prima, atqui prima generat ſcientiam, ergo etiam ſecunda. Reſpondemus negando conſequentiam, quia hoc non prouenit ex inefficacia ſecundæ demonſtrationis, ſed ex indiſpoſitione ſubiecti, quod cū iam habeat adquiſitā ſcientiam per demonſtrationē priorem, nō eſt diſpoſitum ad illam recipiendam, cum iam illam obtineat. Poſſumus etiam reſpondere argumento propoſito, diſtinguentes ſcientiam in habitualem, & actualem, vnde argumentum probat quidem, per quamlibet demonſtrationem generari ſcientiam actualem, non tamen probat generari habitualem. Siquis tamen aduerſus iſtam ſolutionem, imprimis ita dicat; Diuerſæ actiones oriuntur a diuerſis habitibus, ergo ſi in Dialectica dantur diuerſæ actiones ſciendi, comparatæ per diuerſas demonſtrationes, dabuntur in illa diuerſi habitus ſcientifici. Reſpondendum erit, falſum eſſe antecedens, nam & ab eodem igne oriuntur diuerſæ calefactiones, & ab eadem facultate videndi diuerſæ viſiones.

Ruſus, ſi quis iterum obijciat; Habitus ſpeciem ſumunt ex actibus, & actus ex obiectis, ergo ſi dantur diuerſi actus, dabuntur etiam diuerſi habitus. Diſtinguendum erit antecedens; nam vel loquimur de actionibus numero diuerſis, vel ſpecie, vel genere, ſi primo modo loquamur, diuerſi actus non conſtituunt diuerſos habitus, & ita cum actus diuerſorum demonſtrationum in Dialectica ſint numero diuerſi, non conſtituunt diuerſos habitus, ſi vero loquamur ſecundo modo, verum eſt antecedens, verum non ita differunt actus diuerſarum demonſtrationum, quæ fiunt in Dialectica. Præterea ſi aliquis roget, quare cum ſint in Dialectica diuerſæ actiones demonſtrandi, ſit illa tantum vnicus habitus. Reſponde. rationem eſſe; quia ea, quæ ſunt multa & diuerſa in inferioribus, ſunt vnum, & vnita in ſuperioribus, vt iuſtitia, bonitas, & pulchritudo, quæ ſunt in his rebus inferioribus diuerſa, vnita ſunt in Deo & ita actiones, quæ ſunt diuerſæ per varias demonſtrationes in Dialectica, tanquam in inferioribus, vnitæ ſunt in vno habitu ſcientifico Dialecticæ, tanquam in ſuperiori ad eas comprehenſæ.

Ad confirmationem vero in argumento propoſitam reſpondemus, eſſe diſparem rationem, inter habitum ſcientiæ, & opinionis: nam in habitu ſcientiæ progredimur ſemper per eadem principia, attributa, proprietates & ſub eadem ratione formali, & ita eſt tantum vnicus habitus, quamuis ſint diuerſæ demonſtrationes, at vero habitus opinioni

cum

cum ortatu: ab argumentis probabilibus, progredientibus per diuerſa principia, per diuerſas proprietates, & diuerſam rationem formalem (nam aliquando argumentamur probabiliter per loca intrinſeca & aliquando per extrinſeca, quæ & principijs, & rationibus formalibus differunt) propterea hic habitus poterit eſſe multiplex.

QVÆSTIO XVI.

An Dialectica ſit vna ſimplex qualitas.

EX ſuperiori quęſtione conſtat, qua ratione Dialectica ſit vna ſcientia, verum quia poteſt aliquid eſſe vnū in vno genere, & multiplex in alio, vt domus, quæ in genere actis eſt vna, eſt multiplex in genere ſubſtantiæ, quærendum erit, an quemadmodum Dialectica in genere ſcientiæ eſt vna, ita etiam ſit vna in genere habitus & qualitatis. Confirm. non eſſe vnam.
1. *Arg.* Primo; per habitum quinque vocum non poſſumus intelligere categorias, neque per habitum categoriarum, libros de interpretatione, & ſic de alijs, ergo Dialectica non erit vnus habitus, nec vna ſimplex qualitas, nam ſi eſſet per habitum, per quem quoſdam libros intelligimus, etiam alios intelligeremus.
2. *Arg.* Secundum argumentum; In his, quæ differunt tanquam perfectum & imperfectum, quod poteſt forma perfecta, poteſt etiam imperfecta, vt quod poteſt calor perfectus (exſiccare ſcilicet & calefacere) poteſt etiam imperfectus, ſed non quicquid poteſt Dialectica, quæ ambit totam artem, poteſt habitus, quo cognoſcimus quinque voces, ergo habitus Dialecticæ ambiens totam artem, & habitus quinque vocum non erunt habitus vnus, ſola ratione perfecti & imperfecti, diuerſi.
3. *Arg.* Præterea habitus, qui generantur diuerſis generationibus, ſunt diuerſi, ſed habitus quinque vocum, & categoriarum generantur diuerſis generationibus, nam generantur diuerſis temporibus, ergo erunt diuerſi, quare Dialectica non erit vnus habitus.
4. *Arg.* Quarto; Scientia eſt collectio multarum ſpecierum, vt docet D. Thom. *q. 10. & 20. de veritate, artic. 2.* ſed ſpecies ſunt multi habitus, & qualitates: ergo & ſcientia quoque erit multiplex habitus, at Dialectica eſt ſcientia, ergo erit multiplex habitus.

Cum hæc quæſtio pendeat ex illa, ſitne ſcientia vnus habitus, & vna ſimplex qualitas, erit hæc prius breuiter explicanda, vt propoſitam melius intelligere poſſimus, verum quia hæc res ex explicatione ſcientiæ (quid ſc ſit illa) dependet, hoc erit prius explicandum. Animaduertendum eſt igitur, multa eſſe neceſſaria ad ſcientiam conſequendam, imprimis neceſſariæ ſunt actiones ſenſuum externorum, nam deficiente ſenſu, deficeret etiam ſcientia, ex Ariſt. *1. de demonſtr. c. 14.* Deinde neceſſariæ ſunt actiones ſenſuum interiorum, vt ſenſus communis, & imaginationis, vel phantaſiæ. Tertio neceſſaria eſt actio intellectus agentis, denudantis ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, quæ ſpecies nihil aliud ſunt, quam quædam imagines rerum exteriorum. Quarto neceſſaria eſt actio intellectus patibilis, qui informatus his imaginibus cognoſcit res exteriores, ad quas intelligendas ſi progrediatur argumentis probabilibus, generat in ſe habitum opinionis, ſi vero neceſſarijs, producit habitum ſcientiæ, quod cum intellectus ſemel & iterum atque iterum præſtet, remanet promptus, facilis, & habilis ad ſimiles actiones producendas. Ex quibus omnibus certum eſt, habitum ſcientiæ non eſſe actiones ſenſuum exteriorum vel interiorum, intellectus agentis, vel patibilis: nam hæ ſtatim euaneſcunt, habitus vero ſcientiæ diu perſeuerat, nobis etiam dormientibus, vel nihil cogitantibus: ſed tota controuerſia eſt de ſpeciebus intelligibilibus, & de promptitudine intellectus, quodnam ex his duobus vocari debeat habitus ſcientiæ. Eſt igitur prima opinio quorundam aſſerentium, habitum ſcientiæ eſſe ſpecies illas collectas, & certo ordine inter ſe conſtitutas, & non promptitudinem, vel habilitatem intellectus, in hac ſententia extiterunt nominales, vt videre licet in Gregorio *quæſt. 3. prolog. ſent.* eandem ſequutus eſt Scotus *diſtinct. 25. in fin. libr. 3. ſentent.* Soncinas *lib. 9. Metaphyſic. quæſt. 9.* & Conradus *12. quæſt. 54. arti. 4.* 1. *Opin.*

2. Eſt aliorum conſtituentium, ſcientiam eſſe pronitatem illam, & habilitatem intellectus, & non ſpecies collectas, in hac opinione extitit acutiſſimus Caietanus *1. 2. q. 54 artic. 4.* M. Med. *1. 2. q. 54. artic. 4.* M. Sot. *q. 3 proœm,* D. Ioan. Deça *q. 3. prolog. ſentent.* Dominicus à Flandria *quæſt. 3. artic. 3. lib. 6 Met.* Henric. à Gandauo *quodlib. 9 q. 4.* Ex his colligere poſſumus, iuxta primam opinionem, ſcientiam non eſſe ſimplicem qualitatem, ſed coniunctam: nā ſi illa ſignificat ſpecies collectas, & hæ ſunt multæ, ſcientia etiam erit multiplex habitus, at vero iuxta ſecundam opinionem ſcientia erit ſimplex qualitas: nam eſt pronitas intellectus, quæ ſimplex qualitas eſt.

Capreolus *1. ſentent. quæſt. 3 prolog.* & Petrus Niger *quæſt. 13. clypei,* arbitrantur, ſcien- 3. *Opin.*

tiam

tiam ſumi poſſe, vel pro ſpeciebus intellectilibus, vel pro habilitate intellectus, & ita dicunt, ſcientiam eſſe qualitatem compoſitam, ſi ſumatur pro ſpeciebus, & ſimplicem, ſi ſumpta fuerit pro illa pronitate. Ad quam rem ſuadendam vtuntur multis auctoritatibus D. Thomæ, citatis à Petro Bergomenſi, in tabula aurea, verbo Scientia.

4. *opin.* Ferrarienſis 1. *contra gentes, capit.* 56. putat, ſcientiam ſumi poſſe duobus modis, primo fundamentaliter & materialiter, & ſecundo formaliter, nam cum in illa dentur, & apprehenſio, & iudicium, ad apprehenſionem neceſſariæ ſunt ſpecies, quæ ſunt materia & fundamentum ſciētiæ, ad iudicium vero pronitas intellectus, quæ habet locum formæ, inquitque primo modo eſſe compoſitam, ſecundo vero eſſe ſimplicem qualitatē. His opinionibus propoſitis noſtram ſententiam in hunc modum explicamus.

1. *concluſ.* 1. concluſ. Scientia formaliter eſt habitus, & pronitas intellectus, qua eſt ipſe habilis, & proclinis ad iudicium de rebus ferendum, & non eſt ſpecies collectæ, aut certo ordine inter ſe concatenatæ. Confirm. primo cum Caietano, Medina, Deça, Flandrienſi. Scientia eſt habitus adquiſitus per veram demonſtrationem, ſed ſpecies intellectiles non ſunt adquiſitæ per demonſtrationem, ſed ſunt eductæ à phantaſmatibus lumine intellectus agentis, ergo ſcientia non ſunt ſpecies collectæ, ſed habilitas intellectus. Secundo, Scientia eſt habitus iudicatiuus veritatis propoſitionum, atqui ſpecies non ſunt iudicatiuæ, nam ſe tenent illæ ex parte obiecti, ſed pronitas intellectus, quæ ſe tenet ex parte illius, cuius eſt de veritate iudicium ferre, ergo ſcientia non ſunt ſpecies, ſed pronitas intellectus. Tertio, Scientia verſatur circa res coniunctas, eſt enim concluſionis, quæ componitur ex ſubiecto, & attributo, ſed ſpecies intellectiles referunt ſimplicem quidditatem, & naturam ſimplicem, & impermixtam; ergo. Quarto; In ruſtico dantur ſpecies, & rerum ſimilitudines hominis, arboris, & aliorum entium naturalium, ſed ille non eſt adhuc aſſequutus philoſophiam naturæ, ergo philoſophia non eſt collectio ſpecierum.

2. *concluſ.* 2. concluſ. Scientia fundamentaliter ſunt ſpecies collectæ, habet enim illa promptitudo ortum, tanquam à legitima & vera cauſa, ab ſpeciebus collectis, hæ enim ſunt, quæ ſæpius apprehenſæ ab intellectu, conferunt illi pronitatem, & facilitatem. Hanc profitemur cum Ferrarienſi, & confirmatur: Quia mens noſtra à principio, eſt veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, ergo facilitas hæc in intellectu, quam vocamus ſcientiam, non erit in intellectu ab exordio natiuitatis, aliunde itaque debet illam comparare, ſed non eſt, vnde illam comparet, niſi ex ſpeciebus intellectilibus, ergo ſpecies intellectiles erunt fundamentum, & cauſa ſcientiæ. Vnde quemadmodum dicimus, veritatem ſecundum eſſentiam eſſe in intellectu componente, & diuidente, in rebus vero eſſe fundamentaliter, vel tanquam in cauſa: nam ex eo, quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera vel falſa, pari ratione dicendum erit, ſcientiam ſecundum eſſentiam eſſe illam habilitatem intellectus, fundamentaliter vero vel ſecundum cauſam eſſe collectionem ſpecierum intellectilium, quæ intellectui referunt res, quæ ſunt à parte rei.

3. concluſ. Scientia eſt ſimplex qualitas, & vnus habitus. Confirmatur. Scientia ſecundum eſſentiā eſt pronitas intellectus, ſed hæc eſt ſimplex qualitas, & vnus habitus, quemadmodum intellectus, cuius eſt illa, eſt ſimplex quædam qualitas, ergo quælibet ſcientia erit vna ſimplex quædam qualitas. 3. *concluſ.*

4. concluſ. Dialectica vt ambit rationem diffiniendi, diuidendi & argumentandi partem Analyticam, Topicam, & Sophiſticam, eſt vnus habitus, & vna ſimplex qualitas, confirmatur primo argumento petito ex D. Thoma 1 2. *quæſt.* 54. *art.* 4. Quemadmodum ſe habent potentiæ naturales ad ſua obiecta, ita & habitus ad ſua, ſed quamuis ſint res naturæ diuerſæ, ſi tamen afficiantur eadem ratione formal, referuntur ad eandem potentiam, & ad vnam ſimplicem qualitatem, vt quamuis homo, nix, cygnus, natura differant, quia afficiuntur eodem candore, referuntur ad eandem facultatem videndi, quæ eſt vna facultas, & ſimplex qualitas ergo quamuis diffinitio, diuiſio, & argumentatio, argumentum probabile, analyticum, & apparens, ſint naturæ multum diuerſæ, cum referantur ad Dialecticam ſub eadem ratione formali entis rationis, & ſub eadem abſtractione, erit illa vna ſimplex qualitas, & vnicus habitus. Secundo, Ab inferiori ad ſuum ſuperius eſt legitima ratio diſputandi aiendo, recte enim colligitur, eſt vnus homo, ergo eſt vnum animal, eſt vnum animal, ergo eſt vna ſubſtantia, cum itaque ſcientia, habitus, & qualitas, ſe habeant vt ſuperius & inferius: nam ſcientia eſt inferior habitu, & habitus qualitate recte ſequitur. Dialectica eſt vna ſcientia, ergo eſt vnus habi- 4. *concluſ.*

habi-

habitus, ergo eſt vna qualitas, ſed probatum eſt quæſtione ſuperiori, Dialecticam eſſe vnam vnitate ſpecifica, remanet ergo probatum eſſe vnum habitum, & vnam qualitatem. Tertio explicatur exemplo familiari, in aqua calefacta ignis, qui primo applicatur illi, producit calorem, alij vero ignes, qui deinde applicantur, non producunt nouum calorem, ſed præexiſtentem augent & efficiunt maiorem, ergo pari ratione in Dialectica, per primam demonſtrationem adquiretur habitus Dialecticæ, vnus, & ſimplex, aliæ vero ſequentes demonſtrationes, non generabunt nouum habitum, ſed genitum extendent, & efficient maiorem. Quarto, In artibus mechanicis: vt in arte fabri lignarij non ſunt diuerſæ artes, ad diuerſa opera conficienda ita, vt per vnam artem conficiat ſcamnum, & per alteram cathedram, ſed per vnam & eandem artem, & habitum, omnia illa opera conficit, ergo & in Dialectica non erit multiplex habitus, vnus ad intelligendos libros categoriarum, & alius ad alios libros, ſed per eundem habitum, & ſimplicem qualitatem intelligere poterimus omnes libros Dialecticæ, & ita erit illa ſimplex qualitas, & vnus habitus. Vltimo, In habitibus moralibus eſt vnica temperantia, reſpectu cibi & potus, vna iuſtitia commutatiua, reſpectu auri, & argenti, præterea in habitibus intellectualibus eadem eſt fides, qua ferimur in omnia credẽda, idem eſt etiam habitus charitatis, quo Deum & proximum diligimus, ergo pari ratione cum dialectica ſit ſimilis habitus, erit vna ſimplex qualitas, ſeſe dilatans, atque extendens ad vniuerſam artem diſſerendi.

5. concluſ. 5. concluſ. Dialectica vt ambit principia, & concluſiones, non eſt vnus habitus, nec vna ſimplex qualitas; confirm. Quia principia cognoſcuntur per habitum intelligẽtiæ, concluſiones vero per habitum ſcientiæ: intelligentia autem & ſcientia habitus ſunt diuerſi, & ſpecie diſtincti, vt auctor eſt Ariſt. 6. *Ethicor. cap.* 3. Ergo Dialectica vt ambit principia, & concluſiones, non erit vnus habitus, & ſimplex qualitas. Rurſus habitus intellectus ad iudicandum, eſſe vera principia Dialectica, innititur lumini immediato, quo illa principia cognoſcuntur, habilitas vero, qua iudicat concluſiones eſſe veras, innititur lumini mediato, cuius beneficio concluſiones manifeſtantur, ſed hæ duæ habilitates, quarum vna innititur lumini immediato, altera vero mediato, non poſſunt eſſe eædem, ergo Dialectica vt ambit principia & concluſiones, non erit vna ſimplex qualitas. Confirmatur argumentum, Theologia & fides ſunt habitus diuerſi, qui tantum differunt ratione luminis mediati, & immediati, nam fides innititur reuelationi immediatæ: Theologia vero mediatæ ergo lumen mediatum & immediatum vt eſt principiorum, & concluſ. ſufficiens erit ad conſtituendos habitus ſpecie diuerſos.

6. concluſ. Dialectica, vt amplectitur ſcientiam & opinionem, non eſt vnus ſimplex habitus, neque vna ſimplex qualitas. Hanc profitetur M. Soto *q. 3. procemiali ad vltimum.* Vbi conſtituit in Dialectica duos habitus, vnum opinionum, & alterum ſcientia. Confirmaturque quia ſcientia & opinio ſunt duo habitus, non ſolum ſpecie, verum etiam & genere diuerſi, quemadmodum fides & ſcientia, vt docet Ariſt. 1. *de demonſtr. c.* 25. & 26. ergo vt complectitur Dialectica habitum ſcientiæ & opinionis, non erit vnus habitus. Non me latet, nonnullos exiſtimare, Dialecticam eſſe vnum habitum, reſpectu ſcientiæ, & opinionis, qui per diuerſa media, neceſſarium ſcilicet & contingens, inclinat intellectum ad contrarios aſſenſus ſcientiæ, & opinionis, nimirum ad aſſenſum incertum, & obſcuram in opinione, & certum, atque euidentem, in ſcientia; nam quemadmodum eadem prima cauſa per diuerſa media producit contrarios effectus, cõtingentes & neceſſarios. Ita etiam idem habitus Dialecticæ per diuerſa media generare poterit ſciẽtiam, & opinionem: quæ profecto opinio probabilis eſt, & mihi aliquando placuit, nunc tamen probabiliorem iudico propter rationem propoſitam, opinionem ſapientiſſimi M. Soti. *6. concluſ.*

Ad argumenta, ad 1. reſp. habitum Dialecticæ poſſe ſumi, vel vt eſt perfectus, aut vt eſt imperfectus, hoc ſecundo modo, quamuis intellectui tradat cognitionem alicuius libri, vt quinque vocum, non tamen tradere poteſt omnium aliorum librorum cognitionem, primo tamen modo idem habitus, qui proponit cognitionem vnius libri, proponit etiam omnium aliorum: quia fieri non poteſt, vt ſit hic habitus perfectus, quin rerum omnium dialecticarum exactam, & accuratam nobis præbeat cognitionem. *Ad 1. arg.*

Ad 2. reſpond. ex Caietan. 12 *quæſt* 54. *artic.* 4. formis eſſe in duplici differentia, nam quædam ſunt homogeneæ, vt eſt forma ignis, & aliorum elementorum, & aliæ ſunt heterogeneæ, vt forma hominis vel equi, quæ vtuntur diuerſis inſtrumentis, ad varias actiones exercendas, inter quas formas intereſt, *Ad 2.*

quia formæ homogeneæ poſſunt idem præſtare, tam perfectæ, quam imperfectæ, vt forma ignis minoris calefacit, & exſiccat, quemadmodum forma ignis maioris, inter formas vero heterogeneas, non quicquid poteſt forma perfecta, poteſt imperfecta: vt homo perfectus poteſt generare ſibi ſimile, quod non poteſt præſtare puer, & ita cum Dialectica ſit quædam forma heterogenea: cum contineat diuerſos tractatus, & libros, non poterit illa præbere imperfecta, quod præſtat iam perfecta & conſummata.

Ad 3. Ad 3. reſpondemus, falſam eſſe aſſumptionem, quia Dialectica vna ſola generatione generatur, per primam enim demonſtrationem generatur ſecundum eſſentiam totus habitus Dialecticæ, ſequentes vero demonſtrationes non generant nouum habitum, ſed iam genitum augent, extendunt, & multo perfectiorem reddunt, quemadmodum per primam calefactionem generatur calor, per ſequentes vero non generatur, ſed augetur & extenditur magis. Quod vero longo temporis ſpatio Dialecticam comparemus hoc non ad ortum, ſed ad perfectionem illius ſpectat.

Ad 4. Ad 4. reſpondemus, falſam eſſe propoſitionem, vt conſtat ex primis concluſionibus. Ad confirmationem vero petitam ex D. Thoma, reſpond. ipſum aſſerentem, ſcientiam eſſe collectionem multarum ſpecierum, intelligendum eſſe de ſcientia materialiter, & non formaliter, vt inquit Ferrarienſis, vel eſſe collectionem, non quod collectio ſit illius eſſentia, ſed quia eſt aliquid ſcientiæ: nam eſt fundamentum & cauſa ipſius, vt inquit D. Tho. *in loco, quem in ſuperioribus propoſuimus.*

QVÆSTIO VLTIMA.

In quas partes ſit Dialectica diuidenda.

VT vltimam manum quæſtionibus huius ſectionis 1. imponamus, ſupereſt, vt de partibus, in quas eſt diſtributa Dialectica, diſputemus. Et quidem non eſſe in aliquas partes diuidendam, conſtat primo; Quia omnis

1. Arg. diuiſio per ſe, vel eſt totius integri, vel totius vniuerſi, Dialectica vero neque eſt totum integrum, neque totum vniuerſum, non integrum, quia non afficitur quantitate, qua totum integrũ affici debet, nec vniuerſum, quia in Dialectica non ſunt differentiæ contrariæ, in quas ipſa diuidi queat, quæ ad diuiſionem totius vniuerſi, ſunt omnino neceſſariæ. Se-

2. Arg. cundo; Forma ſimplex nullo modo diuidi poteſt. ſimplex enim eſt indiuiduum, ſed Dialectica eſt forma quædam ſimplex, ergo non habebit partes, in quas diuidi poſſit. Prætereà confirmatur, non poſſe diuidi in tres partes, vt a nobis deinde diuidetur. Tot ſunt partes 3. Arg.

Dialecticæ, quot operationes intellectus noſtri, ſed operationes tantum ſunt duæ. ſimplicium apprehenſio, compoſitio, & diuiſio ex Ariſtotel. *lib. 3. de anima, cap. 6.* qui tantum has duas refert, ergo tantum erunt duæ partes Dialecticæ, quarum vna diriget ſimplicium apprehenſionem, altera vero compoſitionem & diuiſionem.

Diuerſæ ſunt in hac re explicanda grauiſſimorum virorum ſententiæ. Cicero *in Topicis ad Trebatium*, putat diuidendam eſſe Dialecticam, in Inuentionem, & Iudicium, quam inter Peripateticos eſt amplexus Philopponus, Nunneſius *in lib. de conſtitutione Dialectica*, & Petrus Mouçonus 1. *lib. compoſitionis Dialecticæ, cap. vlt.* 1. Opin.

Boetius *ſuper Topica Ciceronis*, illam diuidit in rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, eandem amplexi fuerunt Arabes, Auicenna & Alpharabius, eandemque laudat D. Albertus Magnus *tractatu 1 in Porphyr. capite 3.* quam optimam eſſe ita confirm. Finis Dialecticæ eſt manifeſtare id, quod eſt ignotum, tribus vero modis illud manifeſtatur, diffinitione ſcilicet, diuiſione, & argumentatione, nam omne ignotũ vel eſt ſimplex, vel coniunctum, prætereà, coniunctum vel eſt ignotum ratione multitudinis partium, & homonymiæ vocis, vel quia in eo poteſt reperiri veritas, vel falſitas, quæ ex alio prius cognito colligi debeat. Si fuerit ſimplex & incognitũ, manifeſtandum erit diffinitione, quę explicat ſimplicem & obſcuram rei eſſentiam, ſi vero fuerit ignotum coniunctum ob partium multitudinem, vel homonymiam vocis, aperiendum erit diuiſione. Si vero fuerit coniunctum & ignotum, in quo poſſit veritas, vel falſitas reperiri, ita vt ex vno noto aliud ignotũ colligatur, explicandum erit argumentatione, in qua ex vno cognito, ad aliud incognitum cognoſcendum, progredimur. Erunt itaque tres partes Dialecticæ, prima quæ tractet de diffinitione, ſecunda, quę agit de diuiſione, tertia vero, quæ diſputet de argumentatione. 2. opin.

Simplic. diuidendam eſſe cenſet in partem Topicam, Analyticam, & vtramq; antecedentem, ſub parte topica continentur libri de reprehenſionibus ſophiſtarum, Analytica complectitur libros de priori & poſteriori analyſi, Antecedens vero vtramque, ambit libros categoriarum, & de Interpretatione. 3. Opin.

Sunt quidam recentiores, qui putant Diale- 4 opin.

cticam

Digitized by Google

ctica eſſe diuidendam in apprehenſionem, & iudicium, ad apprehenſionem ſpectat exacte rei naturam tenere, quod fit beneficio diffinitionis, & diuiſionis, ad iudicium vero, vel vnum de altero affirmare, aut negare, vt fit in enuntiatione, aut vnum ex alio inferre, quod fit beneficio ratiocinationis, & in has tres partes eſt tota Logica Ariſtotelis diuiſa, nam agit de diffinitione & diuiſione, quæ ſpectant ad apprehenſionem, & de propoſitione, tum etiam & de ratiocinatione, tam in genere, quam in ſpecie, quæ partes ad iudicium ſpectant. Exiſtimant hi auctores, hanc opinionem eſſe Arabum Auicennæ, 1. *lib. Logicæ, cap.* 2. & 3. qui iuxta intentiones ſimplices, & compoſitas, diuidit Dialecticam, Algazel *in ſua Log. ca.* & 2. qui iuxta imaginationem & credulitatem diuidit Dialecticam, quę duo nihil aliud, quam apprehenſionem, & iudicium præ ſe ferre videntur.

5. opin. Eſt aliorum opinio, vt D.Thom. 1. *Peri her.* & 1 *lib. de demonſtr. lect.* 1. Caietani, M. Soti *in præfatione categoriarum*, Flandrenſ. *quæſt.* 2. *lib.* 1. *de demonſtr. artic.* 1. M. Iuſtiniani 2. *lib. Dialect. inſtitut. cap.* 2. Toleti *quæſt. vltim. proœmiali*, & Iauelli *in ſua Logica, tractatu* 1. *cap.* 6. diuidendam eſſe Dialecticam iuxta tres functiones intellectus in tres partes, in voces ſimplices, quæ petuntur à categorijs: in compoſitas, quę explicantur in l br. de interpretatione, & argumentatione, cuius natura, tam in genere, quam in ſpecie, in reliquis libris explicatur. Quæ profecto ſententia veriſſima eſt, & ex fine Dialecticæ, poteſt in hunc modum confirmari.

Confirm. 1. Dialectica eo eſt inſtituta, vt dirigat functiones noſtri intellectus, quæ ſunt ſimplicium apprehenſio, compoſitio, & diuiſio, ac ratiocinatio, ergo tres erunt partes Dialecticæ, liber categoriarum, qui dirigit primam operationem, libri de interpretatione qui dirigunt ſecundam, nam agunt de enuntiatione, quæ dirigit compoſitionem, & diuiſionem intellectus, & libri de prio. reſolutione, de poſteriori, Topicorum, & Elenchorum, qui dirigunt tertiam operationem: in his ſiquidem recta ratio ratiocinationis explicatur. In genere in libr. de priori analyſi, & in ſpecie in alijs; in libris de poſteriori analyſi, de demonſtrat. in libr. Topic. de ratiocinatione probabili, & in libris Elenchorum de ſophiſtica & apparenti. Eandem confirmat Iauellus ex illius obiecto præcipuo, quod eſt argumentatio

Confirm. 2. In Dialectica, quod præcipue inſtituimus, eſt vt recte argumentemur, ergo de argumentatione erit potiſſima cura in Dialectica, ſed argumentatio conflatur ex vocibus compoſitis, vel propoſitione, tanquam ex partibus maioribus, & ex vocibus ſimplicibus (ex quibus conſtantur propoſitiones) tanquam ex partibus minoribus, optime igitur erit diſtributa ratione obiecti præcipui, in eam partem, quæ agit de vocibus ſimplicibus, de compoſitis, & de argumẽtatione. Quod intelligi debet de Dialectica, vt tradita eſt nobis ab Ariſt. in qua ratio ſolius argumentationis explicatur. Nam ſi de illa agamus in late patente ſignificatione, vt totam artem amplectitur, recte diuiſa eſt à Boetio in rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi. Et ratio eſt, quia membra diuidentia, vt perſcribunt leges optimæ diuiſionis, debent exhaurire totam rem diuiſam: at diffinitio, diuiſio, & argumentatio totam Dialecticam exhauriunt, neque enim his membris latius patere poteſt: argumentatio vero ſola non exhaurit totam illam. Præterea, cum membra diuidentia, ex quibus totum aliquod conflatur, quædam ſint proxima, & alia remota, vt in homine partes proximæ ſunt membra, & partes inſtrumentariæ, cor ſcilicet, hepar, caput, & aliæ: remotæ vero ſunt partes ſimilares, vt caro, os, vena, neruus, &c. Ita in Dialectica ſumpta pro tota arte, partes proximæ erunt definitio, diuiſio, & argumentatio, remotæ vero, Inuentio & Iudicium. Dialectica ſiquidem primo diſſoluitur in diffinitionem, diuiſionem, & argumentationem. Verum, quia hæ partes diſſoluuntur, deinde quælibet illarum in inuentionem, & iudicium, ſunt etenim in diffinitione. v. g. & argumentatione prius inueniendæ partes ad diffiniẽdum, & argumentandum, & deinde iudicandum eſt, ſintne hæ partes inuentæ ad diffiniendum, & diuidendum accommodatæ, propterea in has partes vltimo erit reſoluenda, ac proinde diuidenda Dialectica.

Ad argumenta, quæ in principio propoſuimus: Ad primum reſpond. hanc diuiſionem Dialecticæ eſſe totius integri & ad arg. *Ad 1. arg.* Dialectica non eſt affecta quantitate, ergo non poteſt diuidi diuiſione totius integri. Reſpond. duplicem eſſe quantitatem, vnam molis, & magnitudinis, & alteram perfectionis & virtutis. Vnde quamuis Dialectica non ſit quanta quantitate molis, eſt tamen quanta quantitate perfectionis, habet enim varios gradus perfectionis, vt expoſuimus in ſuperioribus quæſtionibus, at vt aliquod totum diuidatur diuiſione totius integri, ſufficit illud eſſe quantum quantitate perfectionis.

Digitized by Google

Ad 2. Ad 2. reſpond. formam ſimplicem non poſſe diuidi in partes naturales, vt ſunt materia & forma, poſſe tamen diuidi in partes perfectionis, vel gradus, & ita Dialectica non diuiditur in partes naturales, ſed in partes perfectionis, quæ ſe extendunt ad libros dialecticos explicandos.

Ad 3. Ad 3. reſp. intellectum duobus modis ſumi poſſe primo, vt intellectus eſt, quà ratione ratione denotat ſimplicē quandā apprehenſionē, vt in angelis reperitur, in quibus nullus eſt diſcurſus: & ſecūdo vt ambit rationē, nam intellectus & ratio nō ſunt duæ facultates, ſed vna. Quando igitur Ariſt. docuit, in intellectu tantū dari duas operationes, locutus eſt de intellectu præciſe, vt intellectus eſt, non autem, vt eſt ratio. Cæterum numerus partiū Dialecticæ non eſt colligendus ex intellectu, vt eſt tantum intellectus, ſed vt continet rationem, & quia hoc modo continet tres functiones, ſimplicium apprehēſionem, compoſitionem, & diuiſionem, atq; ratiocinationem, tres erūt partes Dialecticæ, liber categoriarum, qui dirigat primam operationem: de interpretatione, qui dirigat ſecundam; & de ſyllogiſmo tam in genere, quam in ſpecie qui dirigat tertiam. Atq; hęc de prima Sectione huius diſputationis, de natura Dialecticæ dicta ſint ſatis.

SECTIO SECVNDA, DE NECESSITATE, INVENTIONE, ET METHODO, qua tradita fuit & inuenta Dialectica ab Ariſtotele.

PRÆFATIO.

Explicata natura Dialecticæ in Sectione ſuperiori, conſequens eſt, vt de illius neceßitate in aliis ſcientiis comparandis diſputemus. Cum enim Dialectica ſit ſcientia quædam organica, & inſtrumentaria, quæ ad primam partem ſpectabant, nimirum ad rationem ſcientiæ, obiecti, finis, vnitatis, & partium, in ſuperiori ſectione abſoluimus luculenter: de altera eius ratione, organi ſcilicet, & inſtrumenti, ſupereſt, vt in hac ſecunda Sectione pertractemus. Verum cum omne inſtrumentum propter finem aliquem ſit inſtitutum, agendum erit de fine, ob quem fuit Dialectica excogitata, num ſcilicet, vt dirigat mentem ad alias ſcientias cum dignitate conſequendas, & an ad huiuſmodi finem neceſſaria ſit, vel tantum vtilis, mox agendum erit, ſitne prior, præterea de inuentione illius, & tandem de methodo, qua inuenta & tradita fuit ab Ariſtotele, ſicque finem huic ſecundæ Sectioni imponemus.

QVÆSTIO I.

An Dialectica ſit hominibus neceſſaria.

NATVRA, obiecto, vnitate, & partibus Dialecticæ in ſuperiori Sectione explicatis, conſequens eſt, vt de fine, & neceſſitate ipſius, ad quem nimirum finem fuerit illa excogitata, & cui vſui nobis poſſit deſeruire, diſputemus, imprimiſq; ſitne ipſa hominibus abſolute neceſſaria, ſecundo, an ſit neceſſaria ad dirigendum intellectum, & tertio, an ſit neceſſaria ad alias artes, ſcientias, & diſciplinas conſequendas. Vt à prima quæſtione exordiamur non eſſe ſimpliciter hominibus neceſſariam, his argumentis confirmatur:

Arg. Primum, ſi Dialectica eſſet neceſſaria homini, hauddubie eſſet neceſſitate petita à forma, ab anima ſc. rationis participe, quia Dialectica eſt ſcientia rationalis, atq; ita ſi quam neceſſitatē habet, debet illam à ratione poſtulare, ſed Dialectica non eſt neceſſaria ratione formæ, ergo nullo modo erit neceſſaria. Confirm. aſſumptio: Quod competit alicui neceſſario, neceſſitate petita à forma, ſemper & vbiq; cōpetit, vt quia igni cōpetit eſſe leuē ratione formæ, hoc ſemper illi & vbiq; cōpetit, ſed Dialectica (ſiue de naturali, ſiue de artificiali loquamur) non ſemper & vbique competit homini, de artificiali nullum eſt dubium,

de naturali vero probatur ex pueris, in quibus nulla dialectica naturalis reperitur, nam neque diffiniunt, neque diuidunt, neque argumentantur, quæ ſunt munera propria dialecticæ, ergo.

2. argum. Secundum. Quod competit alicui neceſſario ratione formæ, amotis impedimentis, illico poteſt actionem aliquam ſibi naturalem exercere, vt quia grauitas competit lapidi neceſſario ratione formæ, amoto impedimento illico poteſt mouere lapidem in locum inferum, ſed à motis omnibus impedimentis in hominibus, vt impedimentis ſenſuum tam interiorum, quam exteriorũ, non ſtatim conſequuntur actiones, & opera dialecticæ, etenim rudes, & imperiti homines, non conficiunt opera dialecticæ, ergo non erit neceſſaria ratione formæ.

3. argum. Tertium. Si Dialectica eſſet neceſſaria ratione formæ ſieret etiam, omnes alias ſcientias eſſe neceſſarias homini ratione formæ, nam non minorem habet homo propenſionem naturalem ad alias ſcientias conſequendas, quam ad dialecticam, omnes enim homines natura ſcire deſiderant, vt inquit Ariſt. *Metaph. c. p.* 1. ſed aliæ ſcientię non ſunt homini neceſſariæ ratione formæ, ergo neque dialectica.

Explicatio quaeſt. Vt recta methodo in hac quæſtione pertractanda progrediamur, explicandæ erunt voces in titulo contentæ. Prima eſt dialectica, quę duplex eſt vna naturalis, & altera arte cõſtans, naturalis eſt vis nobis inſita à natura, ad definiendum, diuidendum, & argumẽtandum, quæ in omnibus tam peritis, quam imperitis reperitur, alterius naturam abunde ſatis ſupera *quaeſt.* 1 iam expoſuimus. Secunda vox eſt homo, vbi erunt proponendæ functiones humani intellectus, quæ ſunt tres, prima eſt ſimplicium apprehenſio, id eſt, quidam ſimplex intuitus intellectus, qui fertur in rem ſibi obiectam, nihil affirmando aut negando, vt quando cognoſcit intellectus rẽ per ſuam diffinitionem. Secunda eſt compoſitio & diuiſio, qua media, vel vnum cum altero coniungimus, quod fit in propoſitione aiente vera, vt quando dicimus, homo eſt animal, vel vnum ab altero ſeparamus, vt fit in propoſitione negante, quando dicimus, homo non eſt arbor. Tertia vocatur ratiocinatio, vel diſcurſus, quando ex vno cognito, ad aliud ſibi ignotum progreditur intellectus, vt quando ex principiis, fertur in concluſiones.

Tertia vox explicanda eſt, neceſſarium, quod iuxta Ariſtot. *5. lib. Metaphyſi. cap. 5.* eſt illud quod aliter ſe habere non poteſt, cuius tot ſunt formæ quot ſunt genera cauſarum, nam neceſſitas ab aliqua cauſſa peti debet, vnde quædam erunt neceſſaria a materia, vt dicimus hominem eſſe morti obnoxium, eo quod conſtat materia affecta contrariis qualitatibus. Aliud eſt neceſſarium ex forma, illud ſc. quod non poteſt rei non conuenire ratione formæ, quomodo dicimus hominem neceſſario eſſe capacem diſciplinæ, quia hæc proprietas fluit ab anima rationis participe, quæ eſt forma hominis. Aliud eſt neceſſariũ ratione cauſę efficientis, quod dici ſolent neceſſarium per vim, & coactionem, qua ratione dicimus ſagittam proiectam, neceſſario ferri ad ſcopum, nam vi ſibi illata a proiiciente, eo fertur. Tandem aliud eſt neceſſarium ratione finis, quod duplex eſt, vnum ſine quo finis nulla ratione conſequi poteſt, quemadmodum cibus & reſpiratio ſunt neceſſaria ad vitam agendam, alterum vero ſine quo finis abſolute poteſt comparari, non tamen ita commode, quemadmodum conficienti iter, neceſſarius eſt equus, non abſolute, cum poſſit pedeſter iter conficere, ſed vt commodius conficiatur.

His itaque animaduerſis ſit prima concluſio. Neutra Dialectica eſt homini neceſſaria ratione materiæ, & cauſæ efficientis. Confir- *1. concl.* imprimis ratione materiæ, quia quorum eſt communis, materia, & cauſſa, quoque debet eſſe communis effectus, atqui in hominibus, & brutis, eſt materia communis, ergo ſi à dialectica neceſſario conueniret homini ratione materiæ etiam conueniret brutis, quod cum ſit omnino falſum nõ erit neceſſaria ratione materiæ. Neque ratione cauſſæ efficientis, quia quod eſt hoc modo neceſſarium, conuenit per vim & coactionem, Dialect vero non conuenit homini coacte, non ergo eſt neceſſaria ratione cauſæ efficientis.

2. concl. Dialectica naturalis eſt neceſſa- *2. concl.* ria homini ratione formæ, & finis, imprimis ratione formæ, quia quod conuenit rei vt fluit à ſua forma, neceſſario competit ratione formæ, cum itaque Dialectica naturalis (quæ eſt vis intellectus humani) fluat ab anima rationis participe, quæ eſt forma hominis, conueniet illi neceſſario ratione formæ, Deinde ratione finis. Quia non poſſumus finem hominis conſequi, qui eſt intelligere ſine intellectu ſed Dialectica naturalis eſt ipſemet intellectus, ergo Dialectica, naturalis erit ſimpliciter neceſſaria ratione finis.

3. concl. 3. concl. Dialectica artificialis competit homini neceſſario ratione formæ, id eſt, in hominibus eſt naturalis quędam procliuitas, ad aſſequendam Dialecticam artificialem: Imo & ad omnes ſcientias conſequendas, vnde aſſerere poſſumus omnes ſcientias hac ratione eſſe homini neceſſarias ratione formæ. Hanc concluſionem indicant verba illa Ariſt. 1. *Met. c.* 1. omnes homines natura ſcire deſiderant, id eſt, in hominibus eſt propenſio quædam naturalis ad ſcientias conſequendas, idque eleganiſſime confirmatur tribus rationibus à D. Thoma *in commentariis huius loci prefixis*. Prima, quemadmodum ſe habet materia ad formam in ortu rerum naturalium, ita ſe habet intellectus noſter ad ſcientias cõſequẽdas quemadmodum enim materia prima eſt in pura potentia ad omnes formas, perficiturque ex eo, quod alij quam illarum ſuo ſinu complectitur, ita intellectus noſter eſt in potentia ad omnes ſcientias recipiendas, perficiturq; ex eo, quia aliqu m illarum in ſe recipit, ſed ex eo, quod materia prima eſt in potentia ad formas naturales, habet inſitã propenſionem à natura ad ipſas recipiendas, ergo cum intellectus noſter ſit in potentia ad dialecticam, & ad omnes alias ſcientias recipiendas, erit in illo propenſio quædam naturalis ad dialecticam, & ad alias ſcientias.

2. Quælibet res habet propenſionem naturalem ad ſuam propriam operationem, vt ignis ad calefaciendum, & ſol ad illuminandum, ſed propria operatio hominis eſt ſcire, ergo etiam in ipſis hominibus erit propenſio naturalis ad dialecticam & alias ſcientias capeſcendas. Tertia: vnicuique rei ineſt propẽſio quædam naturalis ad vnionem cum ſuo principio, nam in hac vnione eſt vltima hominis perfectio conſtituta, ſed principiũ hominis (ea ratione qua eſt ſubſtantia intelligens) eſt primum rerum omnium principiũ, cui vnitur homo per ſciẽtias, vel actiones intelligendi à ſcientiis promanantes, ergo erit in homine propenſio naturalis ad Dialecticam & alias ſcientias.

Quamuis autem hoc ita ſit, eſſe in hominibus generalem quandam propenſionem ad omnes ſcientias, ad dialecticam tamen peculiari quadam & maiori propenſione fertur, quam ad omnes alias, quia ad omnes alias habet propenſionem tanquam ad ſuam perfectionem naturalem, manifeſtant enim intellectui aliquas veritates naturales, in quibus intelligendis mens noſtra perficitur maxime & illuſtratur, ad dialecticã vero, nõ tantum fertur propenſione naturali hoc titulo, quia manifeſtat ipſi multas veritates, quæ in ipſa pertractantur, in quibus intelligendis nõ parum ornatur intellectus, verum etiam alio nobiliori titulo, quia dialectica ipſius vitia corrigit, ipſum labentem erigit, & ab omni erroris vitio liberat, quod ſoli dialecticæ tanquam directrici intellectus, poteſt conuenire: vnde diximus in ſuperioribus dialecticam aliqua ratione eſſe magis appetibilem ab intellectu, quam ſint aliæ ſcientiæ rei, nam aliæ ſcientiæ rei, nam aliæ vno ſolo titulo appetuntur, dialectica vero his duobus expliſcatis. Ex quibus colligendum erit dialecticam magis eſſe neceſſariam ratione formæ, quam ſint omnes aliæ ſcientiæ.

4. concl. Dialectica artificioſa non eſt abſolute neceſſaria homini ad finem conſequẽdum. Confirm. primo. Finis hominis eſt cognitio, media diffinitione, &c. ſed ad hanc cognitionem non eſt abſolute neceſſaria dialectica artificioſa, ergo non erit neceſſaria abſolute ratione finis. Confirm. aſſumptio. Lumine naturæ poſſunt homines cognoſcere diffiniendo, diuidendo, & argumentando, ergo ad adquirenda hæc munera non eſt abſolute neceſſaria dialectica artificioſa. Præterea quemadmodum ſeſe habet ars mechanica ad opera cõfecta beneficio facultatũ exteriorũ, ita etiam ſe habet dialectica artificioſa ad opera intellectus, ſed facultates exteriores poſſunt, ſine arte ſua opera conficere, quãuis imperfecte, igitur & intellectus poterit ſine dialectica artificioſa diffinire, diuidere, & argumentari. *4. concl.*

Vltima concl. Dialectica artificioſa eſt homini neceſſaria ad ſuum finem commodius conſequẽdum. Confir. primo. Intellectus noſter ſemper labitur in errores innumeros, indiget itaque, vt perfecte & abſq; vllo errore progrediatur, aliqua regula dirigente, & illuſtrante, hæc autem non eſt alia quã dialectica artificioſa, ob hanc n. cauſam dicta eſt rationalis, quia emendat ratione, vt præclare teſtatur D. Tho. 1 *lib. de dem. c.* 1. ergo ad aſſequendum finem commodius neceſſaria erit homini dialectica artificioſa. Secundo: Intellectus quemadmodum facultates exteriores, vt manus ad ſua opera exſequenda, ita et ſe ipſum dirigit in propriis actionib. ſed ad dirigendas cõmodius facultates exteriores, eget aliqua arte: vt ad pingendum pictura, ergo ad commodius quoque ſe ipſum dirigendum, egebit dialectica artificiali. Verum de hac concluſione plura *in quæſt. ſeq.* *Vlt. concl.*

Digitized by Google

Ad 1. Arg. Ad argumenta. Ad 1. neganda eſt aſſumptio. Ad confirmationem reſp. propoſitionē veram eſſe, niſi adfuerit aliquod impedimentum, quod ſi res illa impedita fuerit, quod competit rei neceſſario non ſemper & vbique competit: vt lapidi neceſſario competit ferri proprio pondere in locum inferiorem, qui tamen ſi fuerit impeditus, vel detentus in loco ſuperiori, nullo modo feretur. Pari ratione, dialectica naturalis neceſſario competit homini ratione formæ, & actiones quoque ab ea productae, quod ſi hæ aliquando hominibus non conueniant (vt pueris) eſt propter impedimentum quo detinentur, quia nondum habent ſenſus ita perfectos, vt ad diffiniendum, diuidendum, & argumentandum poſſint intellectui deſeruire: ſi vero agamus de dialectica artificiali, qua ratione illa neceſſario conueniat hominibus ratione formæ, in tertia concluſione ſupra eſt explicatum.

Ad 2. Ad 2. dicimus, falſam eſſe abſolute propoſitionem, ſi actio illa non poſſit exerceri niſi ab aliquo agente extrinſeco, vt videmus in lapide, cui neceſſario competit ferri deorſum, neceſſi ate petita à forma, verum cum motus ille dependeat ab extrinſeco proijciente, ſi non fuerit proiectus nunquam feretur deorſum, atque ita quamuis dialectica artificialis conueniat neceſſario ratione formæ, quia tamen dependet illa ab extrinſeco agente, nimirum à præceptore tradente, non poterit ſine ipſius præſidio, recte & vt par eſt comparari: & profecto materia prima quamuis habeat inſitam propenſionem ad omnes formas, nullā tamen in ſe recipit niſi adiuuetur à generante, ita etiā quamuis intellectus habeat inſitam propēſionem ad dialecticam artificialē, nulla ratione poterit ipſam recipere, niſi ope præceptoris fuerit adiutus.

3. argum. Ad 3. reſp. non ſolum dialecticam, ſed & omnes alias ſcientias eſſe neceſſarias homini ratione formæ propter propenſionem neceſſariam, quæ nobis ineſt ad illas conſequendas, vt expoſuimus in 3. concluſ. quamuis dialectica magis neceſſario conueniat ratione formæ, propter rationem in ead. concluſ. aſſignatam.

QVÆST. II.

An Dialectica ſit neceſſaria ad dirigendum intellectum in alijs ſcientijs.

1. Argum. NOn eſſe neceſſariam ita confirmo, primo. Scientia quæ dirigit intellectum in alijs ſcientijs, nobilior multo eſt ſcietiis, quæ diriguntur: nam dirigere non exiguam nobilitatem præſeferre videtur: ſed dialectica eſt ignobilior omnibus diſciplinis: cum agat de obiecto ignobiliori, ſc. de ente rationis, quod eſt ignobilius ente rei, in quo explicando aliæ ſcientiæ verſantur, ergo dialectica non dirigit intellectum in alijs ſcientijs.

2. Argum. 2. Quælibet potentia ſine habitu ſuperaddito, & dirigente, poteſt conſequi ſuū finem, ergo cum intellectus ſit quædam potentia, poterit ſine aliquo habitu, & Dialectica artificiali dirigente, conſequi ſuum finem, & ita non erit illa neceſſaria ad dirigendum intellectum in alijs ſcientijs.

3. argum. 3. Vbi non eſt error non eſt neceſſaria regula, ſed in prima operatione intellectus non eſt error, nam vt teſtatur Ariſtot. *9. Metaphyſic. cap. vltimo*, in his quæ apprehenduntur ſimpliciter, non coniungitur error, ſed illa aut tota ſciuntur, aut tota ignorantur, ergo ſaltim ad dirigendam primam operationem intellectus, non erit neceſſaria Dialectica.

1. Opinio. In hac quæſtione eſt opinio Dominici à Flandria *1. lib. Metaphyſ. quæſt. 1. art. 1. in ſolutione ſecundi argumenti*, Dialecticam non dirigere intellectum in omnibus artibus, ſed in quibuſdam tantum. Diſtinguit enim artes in eas, quæ agunt de rebus & in eas quæ verſantur in ſermone vel in ente rationis: vt ſunt Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, docetque eas artes, quæ verſantur in rebus, non dirigi à Dialectica: vt ſunt prima Philoſophia, Philoſophia naturæ, & Mathematicæ artes, eas vero, quæ verſantur in ſermone, vel in ente rationis dirigi ab ipſa.

2 Opinio. Alij admittunt intellectum dirigi à Dialectica, ad omnes ſcientias conſequendas, cæterum hoc accidentario illi conuenire putant, cum ſine ipſius ope, poſſit intellectus diſponi, ad alias ſcientias comparandas.

3. Opinio. Ego vero in ea ſemper extiti opinione, vt arbitrarer intellectum neceſſario dirigi à dialectica, ad comparandas omnes ſcientias, tam eas quę verſantur in ente rei, quā eas quę verſantur in ente rationis. Quā opinionē vt explicē, animaduerto prius, duplicem eſſe directionē, *1. obſeruatio.* vnam diſponentem, & alteram imperantem. Diſponens eſt habitus, vel ars idoneā teddens facultatem ad exercēdas ſuas operationes, vt pictura dirigit manum diſponendo ipſam ad recte depingendum. Imperans illa vocatur, quę perſcribit viam facultati, vel arti per imperiū, quo genere directionis vtuntur ſcietiæ reginæ & ſuperiores reſpectu inferio-

rum

rum vt docent Ariſt. & D. Thom. *illo* 1. *Ethic.c.* 1. *hi. Sotr* 1. *ſent q.*1.*art.*1.

2. obſeruatio. Animaduerto præterea in omnibus artib. & diſciplinis, dari duo habitus, vnum Methodi & pędiæ, & alterum doctrinæ. vt in dialectica, progredi à ſimplicioribus ad compoſitiora, eſt habitus pediæ, tradere vero præcepta diffiniendi, diuidendi & argum. eſt habitus doctrinæ, ita docet Ariſtot 1. *de partub.cap* 1. & quemadmodum in diſciplinis reperiuntur duo hi habitus, ita etiam intellectus duplici directione illuſtrari debet ad ſcientias conſequendas, vna Methodi, & altera doctrinæ, Methodi quidem, nam ſine illa in mille errores prolaberetur, in denſiſſimaque caligine delitesceret, doctrinæ vero, quia ſine ipſa ignorabit ea, quæ in arte proponuntur.

3. obſeruatio. Sciendum eſt etiam, intellectum noſtrum in ſuis actionibus ſępe labi, ſępeque in varios errores incidere, ob quam cauſam non poteſt perfectam aliarum ſcientiarum attingere cognitionem quare indigebit aliqua regula, quæ viam tradat, vitia corrigat, & ipſum ab erroribus omnibus perfecte liberet, oſtendat que quid ſit in rebus obſcurum, quid ambiguum, quid inconſequens, & quid captioſum, & fallax, quæ omnia præſtat Dialectica, quare neceſſaria erit illa vt intellectum dirigat ad alias ſcientias conſequendas.

1. concluſ. Sit iam 1. concluſ. Prima Philoſophia eſt, quæ dirigit intellectum in aliis ſcientiis, directione imperante. Confir. his argumentis. Primo, artes ſuperiores dirigunt inferiores directione imperante, vt fuit annotatum, ſed prima Philoſophia eſt ſuperior, & regina, cum omnes aliæ ſint ei as pediſſeque, & ancillæ, ergo diriget omnes per imperium. Secundo. In his quæ ad vnum finem tendunt, debet eſſe quippiam vnum omnes dirigens per imperium, quemadmodum in exercitu, in quo omnes acies diriguntur ad victoriam conſequendam, directione imperante, ab vno imperatore, ad hunc Scopum diriguntur ad eundem finem, qui eſt perficere, & illuſtrare hominem ergo ab vna aliqua arte dirigentur ad hunc finem conſequendum, hæc autem non eſt alia quam prima Philoſophia, quæ verſatur in Deo Optimo Maximo, in cuius cognitione ſita eſt hominis perfectio, ergo prima Philoſophia dirigit alias ſcientias directione imperante. Ratio eſt collecta ex D. Thom. 1. *Metaph. in præfatione* aliæ rationes peti poterunt ex Flandrenſi 1. *Metaph.q.*1.*art.*1.

2. concluſio. 2. concluſ. Dialectica dirigit intellectum directione diſponente, in omnibus alijs ſcientijs: itaq; neceſſaria erit intellectui, vt poſſit ſibi alias ſcientias cum dignitate comparare. Loquimur de Dialectica artificiali Cōfir. primo Intellectus noſter in ſcientiarum cognitione aſſequenda ſæpe labitur indigebit igitur aliqua regula dirigente, cuius præſidio ab errore liberetur. hæc autem nulla eſt alia quam Dialectica artificialis, quæ ob hanc cauſam dicta eſt rationalis, vt inquit D. Tho. 1. *lib. de demonſtr. lect.* 1. non quia ſit in ratione tanquam in ſubiecto (hoc enim ſibi commune eſt cum omnibus aliis ſcientiis) ſed quia corrigit, dirigit & perficit rationem, ergo. Secūdo. omnis ars fuit ad emendanda vitia naturæ excogitata, id eſt, ad corrigendum vſum illum naturalem, circa quem ipſa ars verſatur ſed Dialectica verſatur circa vſum rationis naturalem, ergo emendabit illum, & ex cōſequenti diriget intellectum in omnibus aliis ſcientiis. *Legenda ſunt, quæ diximus ſupra ſec* 1 *q.*14. Præterea ad alias ſcientias conſequendas neceſſario debet intellectus per Methodum qua illæ tradi debent, diſponi, nam ineptum eſt (inquit Ariſt. *Metaph.cap. vlt.*) in artibus conſequendis, non prius comparaſſe Methodum, & modum ſciendi, quam ipſas artes, ſed Dialectica eſt, quæ proponit præcepta Methodi, imo pars eius vna in natura Methodi explicanda eſt conſtituta, vt inferius agentes de Methodo in vltima quæſtione proœmiali explicabimus, ergo Dialectica dirigit intellectum in omnibus ſcientiis directione diſponente. Denique intellectus in aliis ſcientiis dirigitur per diffinitiones, diuiſiones, & argumentationes, ſed dialectica tradit rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, ergo.

3. concl. 3. concl. Non accidit intellectui, ſed ei per ſe competit, dirigi directione diſponente, in omnibus ſcientiis, à dialectica. Confir. Cauſa per accidens eſt ſine qua poteſt effectus conſtare, vt docet Ariſt. 2. *Phyſ.cap.*3. *&* 5. *Metaph. cap.*2. ſed intellectus nulla ratione poteſt recte & ſine errore progredi in aliis ſcientiis, niſi à Methodo, & dialectica dirigatur: quare per ſe, & non accidentario, conueniet intellectui dirigi à dialectica.

Quædam obiectiones. Verum aduerſus hanc concluſionem argumentantur illi qui ſequuntur ſecundam opinionem. *1 Argum.* Primo, dialectica agit de ente rationis, aliæ vero artes de ente rei, ſed ens rationis accidentario denominat ens rei, ergo dialectica accidentario diriget alias artes. *2. Argum.* Secundo, qualis eſt ordo inter obiecta artium, talis quoq; debet eſſe inter ipſas artes, ſed ens rationis, quod eſt obiectū dialecticæ, vnitur

acci

accidentario cum ente rei, quod eſt obiectũ aliarum artium, ergo dialectica accidentario diriger alias artes.

Ad 1. Ad 1. reſponſ. negandam eſſe conſequentiam, nam aliud eſt loqui de denominatione, & aliud de directione, nam hæc multum inter ſe diſtant, & ita quamuis obiectum dialecticæ accidentario denominet obiecta aliarum artium, non tamen dirigit illas accidentario.

Ad 2. reſponſ. falſam eſſe etiam conſequentiam, nam vnio, & directio, multum inter ſe differunt, vnde quamuis vniatur ens rationis accidentario cum ente rei, non inde colligitur dialecticam dirigere accidentario intellectum, quemadmodum quamuis lumen deriuatum à ſole, vniatur accidentario cum aere, cæterum per ſe dirigit & illuſtrat viſum præbens illi facultatem ad intuendos colores. Eodem etiam modo, quamuis ens rationis accidentario vniatur cum ente rei; per ſe tamen & illuſtrabit & diriget intellectum, ad alias artes conſequendas, non ſolum ad ſcientias, quæ verſantur in ente rationis, ſed etiam ad illas quæ verſantur in ente rei.

Iam ad argumenta initio propoſita. Ad primum reſpond. propoſitionem eſſe veram de directione imperante, qua tamen iam diximus Dialecticam non dirigere intellectum, ſed Metaphyſicam: eſſe autem falſam de directione diſponente, nam diſpoſitio imperfectior eſt ea forma ad quam conſequendam diſponit ſubiectum, & ita cum Dialectica dirigat diſponendo, erit aliis artibus ignobilior.

Ad 2. Ad 2. reſp. Conſecutionem finis duplicem eſſe, vnam perfectam & alteram imperfectam, ſi propoſitio intelligatur de cõſecutione imperfecta, eſt vera, ad hanc tamen non eſſe neceſſariam dialecticam explicatum eſt à nobis, ſi vero loquamur de conſecutione perfecta, falſa eſt propoſitio, ob hanc enim cauſam habitus ſunt in potentiis cõſtituti, vt poſſint illæ perfectius multo exercere actiones, & conſequi ſuos fines.

Ad 3. Ad 3. reſp. Differre falſitatem ab errore, quia falſitas ſolum reperitur in ſecunda operatione intellectus, error autem poteſt etiam inueniri in facultatibus exterioribus: vt quãdo erramus picturam aliquam conficientes, nam ille error in manu reperitur, & ita in prima operatione intellectus, quamuis non detur falſitas, datur tamen error, ſi vnum pro alio apprehendat, atqui ita ad hunc errorem delendum, egemus dialectica artificiali. Ariſtot vero locutus eſt de falſitate, non de errore.

QVÆSTIO III.

An ſit Dialectica neceſſaria ad alias ſcientias conſequendas.

NOmine Dialecticæ non intelligimus Dialecticam naturalem, hãc enim nullus dubitauit eſſe neceſſariam ad ſcientias comparandas: ſed agimus de Dialectica arte conſtituta. Deinde vero nomine neceſſarii, tantum intelligimus neceſſarium ad finem, ita vt ſit ſenſus, an ad hunc finem qui eſt conſequi ſcientias, ſit neceſſaria dialectica artificialis. Verum cum neceſſarium ex fine duplex ſit, vnum ſimpliciter, & abſolute, & alterum ſecundum quid, quod dicitur vtile, de vtroq; neceſſario explicanda erit quæſtio. Per alias vero ſcientias intelligimus, tam illas quę verſantur in ente rei, quam eas quæ verſantur in ente rationis.

Eſt igitur opinio Ianduni 2. *libr. Metaphyſ.* q. 12. Iauelli *in ſua Logica tract.* 1. c. 4. & multorum recentiorum, qui conſtituunt dialecticã eſſe quidem vtilem ad ſcientias conſequẽdas, non tamen eſſe ſimpliciter, & abſolute neceſſariam, ita vt nulla ratione poſſint ipſæ ſine præſidio dialecticæ comparari. Quæ opinio multis argumentis ſolet confirmari. *1. Opinio.*

Ad 1. arg. 1. Illud vocatur ſimpliciter neceſſarium, ſine quo res conſequi nullo modo poteſt, ſed ſine dialectica artificiali poſſunt aliæ ſcientię comparari, ergo dialectica artificialis non erit ſimpliciter neceſſaria. Cõfirmatur aſſumptio. Quia multi addiſcunt Mathematicas artes, & exactiſſime, abſq; vllo pręſidio dialecticæ: vnde illas ante omnes alias ſcientias ad diſcẽdas monebat Plato. Philoſophiam morum omni neglecta dialectica, fuit Socrates conſecutus. Sine eadem floruit Hippoc in arte medendi, in Theologia Bernhard. Greg & Ambroſ qui dicebat, à Logica Auguſtini libera me Domine, vtrumq; autem ius, ciuile, & canonicum, perfecte à pleriſque comparatur abſq; vlla ope dialecticę artificialis, ergo dialectica non erit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias.

2. Si dialectica eſſet neceſſaria ex eo eſſet, quia tradit rationem diffiniendi, diuidẽdi, & argumentandi, ſed hæc munera præſtari poſſunt ſine dialectica artificiali, a ſolo lumine naturę, ergo dialectica artificialis nõ eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias. Cõfirmatur, quia quælibet ſcientia vtitur ſuis propriis diffinitionib diuiſionibus, & argumentatio-

Digitized by Google

nibus,ergo propter hæc opera non erit neceſſaria Dialectica.

3. Arg. 3. Illud quod eſt neceſſarium ad aliquid perfecte conſequendum,non dicitur abſolute neceſſarium, multum enim diſtat intereſſe aliquid abſolute,& eſſe perfectum nam puer abſolute dicitur homo, non tamen eſt perfectus homo: ſed dialectica artificialis tantum eſt neceſſaria ad conſequendas perfecte alias ſcientias, ergo non eſt neceſſaria abſolute, & ſimpliciter ad illas comparandas.

4. Arg. 4. Ad conſequendam aliquam ſcientiam, ſat eſt cognouiſſe concluſionem per ſuas cauſas,& principia,nam ſcire eſt rem per cauſam intelligere, ſed ſine dialectica artificiali poſſumus ſcire concluſionem aliquam per ſuas cauſas,& principia Scimus enim in autumno defrondeſcere arbores,quia deeſt eo tempore humor in radicibus foliorum, quod eſt vera huius rei cauſa, ergo non erit dialectica ſimpliciter neceſſaria.

5. Argum. Præterea: Si dialectica eſſet neceſſaria ad ſcientias conſequendas, eſſet quoque neceſſaria ad ſeipſam,nam illa intra ſcientiarū numerum comprehēditur, ſed abſurdum eſt dicere dialecticam eſſe neceſſariam ad ſeipſam, ergo neq; erit neceſſaria ad alias ſcientias.

6. Arg. Iterum pars ſophiſtica eſt reprehenſione digna & non parum nocens, nam ſophiſta odibilis eſt, *Eccleſiaſti.* 37. ergo ſaltim hæc pars dialecticæ neque vtilis, neque neceſſaria erit.

Vlt. Vltimo. Si dialectica eſſet ſimpliciter neceſſaria, eſſet prior alijs ſcientijs, hoc autem eſt falſum,quia obiectum eius, quod eſt ens rationis,poſterius eſt obiecto aliarum, quod eſt ens rei;ergo nō erit ſimpliciter neceſſaria.

1. Opin. Contrariam tamen ſententiam ſequuntur grauiſſimi viri M. Soto *q. 1 proœm.* Tolet. *q. 1.* Faſcon. *q. 1.* Fonſ. *q. 4.2. Metaph.* & multi alii, qui proponentur in 3. concl. aſſerentes dialecticam omnino eſſe, ſimpliciter, & abſolute neceſſariam ad alias ſcientias conſequendas.

Affirmatio. In huius tamen quæſtionis explicationem obſeruamus, ſcientiam aliquando ſumi pro ſolo habitu adquiſito, etiam per vnicam demonſtrationem, de qua loquebatur Ariſtotel. *1. de demonſtrat. cap. 2.* dum inquit demonſtrationem eſſe habitum generantem ſcientiam, & aliquando vſurpari pro tota arte ambiente præcepta, definitiones, diuiſiones, & multas demōſtrationes. Scientia primo modo habet eſſe imperfectum, ſecundo vero perfectum & abſolutum. intereſt autem inter has ſcientiæ ſignificationes, quia in prima non redditur ſubiectum promptum, & expeditum,vt poſſit abſque errore in omnibus demonſtrationib. verum aſſequi. In ſecūda vero redditur quare vt recte progrediatur, erit illa neceſſaria ad facile, ſuauiter & ſine errore progrediendum.

Sit 1. concl. Dialectica neceſſaria eſt ſecundum quid ad alias ſcientias conſeq. vel (quod idem eſt) eſt maxime vtilis. Hæc aſſertio confirmari poteſt primo, a authoritate grauiſſim. virorum, inductione quadam adhibita, in omnibus fere ſcientijs Inprimis vtilem eſſe ad Theologiam, & ſacras literas, auctor eſt D. Auguſt. *lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 31. & 32.* Diuus Hieronym. *ſuper Ezech.* Martin. Martinez *1. lib. hypotypoſ. cap. 15.* & Laurentius Villa Vincent. *1. lib. de formando ſtudio Theologico, c. 4.* Eſſe etiam vtilem ad hæreſes conuincendas, tuendamq; fidem, aduerſus hæreticorum omnium, & aliorum infidelium ſophiſticas & prorſus inania argumenta: ex eo profecto colligere licebit, quod acerrimi eccleſiæ hoſtes, hanc è medio auferendam eſſe, totis viribus conati fuerint, nimirum vt illa ſublata, firmiſſimum tuendæ fidei aduerſus omnes hæreſes præſidium. è medio quoque auferretur. Ita Iulianus Apoſtata vetuit, ne hanc & alias, ingenuas artes, Chriſtiani profiterentur. eodemque conſilio vſus Lutherus, dehortari conatus eſt, ingenuos adoleſcentes, ab hac, & ab aliarum artium liberalium ſtudio, vt de Iuliano refert Rufin. *lib. 10. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 32.* & de Luthero Surius *in Commentario de rebus in orbe geſtis.* Neque alicui moleſtum erit (vt opinor) ſi ſententiam pro dialecticæ neceſſitate aduerſus hæreſes, eruditiſſimi & piiſſimi Chriſti martyris. Ioannis Roffenſis ſubiecero *in artic. 1. contra Lutherum*, nam ita loquitur. Tolle Dialecticam ſublata protinus erit facultas, aut ſubtuendi quod falſum eſt, aut ſtatuendi veri. Tolle Dialecticam & omnes Andabatarum more gladios, in tenebris ventilabimus, ſi Dialecticam ſuſtuleris, nihil mirabor quibuſdam hæc argumenta tua videri ſolida. Cæterum ſi Dialecticam admiſeris, nemo non ea cenſebit eſſe talia qualia vere ſunt. hoc eſt vera ſophiſmata. Præclarum ſane pro dialectica encomium. Præterea eſſe vtilem ad iuris prudentiam auctor eſt Cicero in Bruto, vbi maxime laudat Seruium Sulpitium, eo quod multum eſſet exercitatus in Dialectica. Deinde vtilem eſſe medicinæ, docet Galen. 5. *de differ. tiis febrium, & de optima ſecta ad Traſibul & in aliis locis*, & Hieron. Montuus *in opuſculo ... lib. ſerm. 2. de diſciplin medicinæ neceſſarius.* Ad *1. conclus.*

hæc

hæc vtilem eſſe ad Rhetor. autor eſt Ariſtot. 1. *Rhet. c.1. & 2.* & Quint. *lib.12. inſtit.* Et tandem vtilem eſſe ad omnem partem Philoſophiæ, communi hoc, & generali argumento poſſumus confirmare. In omni parte Philoſophiæ dantur diffin. diuiſ. & arg. ſed ad hæc tria vtilis eſt maxime dialectica eum horum accuratam tradat rationem, ergo ad omnem partē philoſophiæ vtilis erit Dialectica. Vnde merito Eugen. Pont *in decret. c.32. diſt. de quibuſdā.* has dialecticæ, & ingenuarum artium vtilitates contemplatus, decreuit, vt epiſcopi in ciuitatibus, magiſtros, & doctores conſtituerent, qui bonas artes publice profiterentur. Verum de his & aliis vtilitatibus dialecticæ, hæc breuiter diximus. Legenda erunt plura a Rudolph *in lib. de inuenti in prol.* Titelman. *in prolego Apologetico pro dialectica*, Louanienſes *in præfatione ſuorum Commentariorum in dialecticam Ariſtotel.* de quo genere argumenti, extant etiam nonnullæ orationes Angeli Politiani, Ioannis Capani, Martini Dorpi, & Iacobi Sadoleti de laudib. philoſophiæ, vt multos alios omittam, quos ob breuitatem non recenſeo.

2. concluſio. 2. concl. Dialectica non eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria ad alias ſcientias conſequendas, ſumpta ſcientia pro ſolo habitu per demonſtrationem adquiſito, & ineſſe imperfecto. Confir. Scientia in hac ſignificatione, tantum denotat cognitionem concluſionum per ſua prima & immediata principia, auctore Ariſtot. 1. *Poſterior cap 2.* ſed poſſemus abſque Dialectica artificiali, ſolo lumine naturæ cognoſcere concluſionem per ſua prima & immediata principia, quemadmodum veteres ante Ariſtot. obſeruantes eclipſim lunæ, cognouerunt illam per ſuam cauſam, nimirum per interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam quæ eſt vera, & legitima cauſa huius effectus, ergo dialectica artificialis, non eſt hoc modo neceſſaria ad ſcientias ſimpliciter conſequendas.

3. concl. 3 concl. Dialectica artificialis eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria, ad alias ſcientias conſequendas, ſumpta ſcientia, in ſecunda ſignificatione, vt denotat habitum continentem præcepta, aliquo ordine conſtituta, diffinitiones, diuiſiones, & argumentationes, vel quod idem eſt, ad ſcientias in eſſe perfecto & abſoluto. Confir. Primo teſtimoniis grauiſſ. virorum, qui illam apertiſſime profitentur D. Aug. 2 *lib. de ordine cap.13.* his verbis neceſſitatem illius proponit. Diſciplina diſciplinarum quam Dialecticam vocant, hæc docet

1. Argum. docere, hæc docet diſcere, in hac ſe ipſa ratio demonſtrat, atque aperit, ſit ſcire, ſcientes facere, non ſolum vult, ſed etiam poteſt. Plato 7 *de republica*, ſine dialectica impoſſibile eſſe docet ex actepoſſe intellectum, rem aliquam attingere, eo quod (inquit) hæc ſola ſit, quæ animi oculum cæno barbarico obrutum, paulatim ſurſum trahat, ad principia cuiuſque rei percipienda & ideo in omni rep. bene gubernata legem ſtatuendam eſſe, vt adoleſcentes ea diſciplina inprimis imbuerentur, qua prompti fierent, ad bene ſapienteque interrogandum, & reſpondendum. Noſter Ariſtot. in multis locis ita neceſſariam eſſe Dialecticam profitetur, vt ſine illa paſſim errandum ſit in omnibus ſcientiis, atque ita veteres ob imperitiam dialecticæ in errores turpiſſimos per ipſos fuiſſe, ita docet 1 *de demonſt. c.3* 1. *Phyſ. cap.2* & 1. *de partib. cap.1.* & 2. *Metaph cap. vlt.* profitetur, neceſſarium eſſe priuſ ante ſcientias, adquirere modum ſciendi, id eſt, dialecticam, vt D. Thomas Auerroes, & alii interpretantur. Cicero 2 *de finib.* & 1. *de natura deorum* ex huius defectu in ait Epicureum in tot errores incidiſſe, & 1. *de oratore* ſub perſona Craſſi nihil ad artem redigi poſſe, ſi abſit illa ſcientia, quæ ex his rebus, quarum ars non ſit, artem efficere poſſit Galenus in libro an ſanguis contineatur in arteriis, hoc argumento acuto, aduerſus Eraſiſtratum negantem Dialecticam eſſe neceſſariam, illius neceſſitatem confirmat. Aut ex quolibet ſequitur quodlibet, aut non, ſi ſequitur, ſic argumentor. Cygni ſunt albi, eorum ſunt nigri, ergo Eraſiſtratus eſt ſtultus. Si non, ergo neceſſaria eſt ars quæ me doceat, quando aliquid efficitur ex aliquo, & quando non, & *lib. 1 ſimplicium medicamentorum*, ait medicum ſine dialectica, in innumeros incidere errores nec diſſentit Auicenna & Algazel. *cap. 2. Logicæ.* & D. Albert. M. *cap.3.* qui Logicam omnino eſſe neceſſariam apertiſſime profitentur.

2. arg. Via & Methodus ſimpliciter eſt neceſſaria ad ſcientias conſequendas non minus quam neceſſaria eſt ad comparandum terminum via, ſed dialectica tradit rationem Methodi, & viæ, ergo Dialectica ſimpliciter erit neceſſaria. Propoſitio eſt Ariſt. 1 *lib. de partibus animal. c.1. & 2 lib. Metaph c. vlt.* vbi docet ineptum eſſe ſimul quærere in artibus ſcientiam & modū ſciendi Quod ſi aliquis reſpondeat, methodum naturalem eſſe neceſſariam, artificialem vero nequaquam, & ita ergo rerum concludere dialecticam naturalem eſſe neceſ- *2. Argum.*

 ſariam,

ſariam, artificialem vero nequaquam. Hanc ſolutionem ita euertimus, ſimulque argumẽto euidentiſſimo noſtram concluſionem ſuademus. Vnde ſit tertium.

3. Argum. Veteres Philoſophi ornati fuerũt methodo, & Dialectica naturali, ſed non ſunt conſecuti vllam ſcientiam, aut partem Philoſophiæ, ergo præter methodum, & Dialecticam naturalem, neceſſaria eſt ſimpliciter methodus, & Dialectica artificialis, propoſitio eſt omnibus perſpicua, probatur aſſumptio. Scientia eſt habitus certus & euidens, conſtans ex veris, & immediatis ſine vllo errore & falſitate, ſed veteres Philoſophi omnem partem Philoſophiæ aſſequuti ſunt permixtam cum innumeris erroribus, vt paſſim docet Ariſt. 4. *Metaph. c. 3. & 1. Phyſ. c. 2.* Cicero 1. *lib. Academicarum quaſtionum,* & 2. *libr. de finibus,* ergo.

4. Argum. 4 Arg. Vt aliquam ſcientiam in hac ſignificatione comparemus, debemus prius nouiſſe rectitudinem conſequentiæ, & conſequentis, conſequentiæ vt ſit in modo & figura, cõſequentis vt reſoluamus effectus in ſuas cauſas, & concluſiones in ſua principia, ſed ſine dialectica artificiali hæc fieri accurate nulla ratione poſſunt, illa enim eſt, quæ in libris Priorum tradit rationem conficiendi ſyllogiſmos in modo & figura, & in libris poſteriorũ reſoluendi effectus in ſua principia, erit ergo ſimpliciter neceſſaria.

5. Argum. 5 Arg. Ad opus perfectum neceſſaria ſunt inſtrumenta perfecta, ſed ſcientia in hac ſignificatione eſt opus perfectum, ergo ad illam conſequendã neceſſaria ſunt inſtrumenta perfecta, hæc autem non poteſt præbere dialectica naturalis, ergo neceſſaria erit dialectica artificialis. Confirmatur arg. Nullus artifex ſine inſtrumentis poteſt actionem aliquam, vel opera ſuæ artis exercere, vt ſine ſerra & dolabra nihil poteſt agere faber lignarius, aut ſine malleo, & incude faber ferrarius: ſed communia & generalia inſtrumenta omnium ſcientiarum ſunt illa, quæ traduntur à dialectica, ſc. diffinitio, diuiſio, & argumentatio, ergo nulla ſcientia poterit aliquid agere ſine Dialectica, quare ad illas conſequendas erit ſimpliciter neceſſaria.

Vlt. arg. Ad extremum, ex ipſa rerum omnium apertiſſima experientia confir. Nullũ vnquam vidimus dialecticæ ignarum, in virum conſummatum in aliis ſcientiis euaſiſſe, è contra vero nonnullos ipſius præſidio fultos ad faſtigia ſcientiarum conſcendiſſe legimus, vt de diuo Aug. ſummo Theologo & Philoſopho, Poſſidonius in eius vita, & alii ferunt, ſolius Dialecticæ fuiſſe diſcipulum, alias vero diſciplinas ſine præceptore didiciſſe, hac vnica artium regina, opem ferente, erit ergo dialectica neceſſaria ad alias ſcientias ſimpliciter conſequendas.

Iam ad argumenta, quæ initio propoſuimus. Ad primum reſpon. neque Mathematicas artes, neque Theologiam, neque Medicinam, aut vllam aliam partem Philoſophiæ poſſe comparari, aut fuiſſe hactenus perfecte comparatas ab aliquo, abſque præſidio dialecticæ artificialis: vnde negandum erit illos quos in argumento propoſuimus, illas ſcientias perfecte ſine dialectica hauſiſſe. **Ad 1. arg.**

Ad 2. reſpon. non ex eo eſſe neceſſariam dialecticam, quia tradit rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, ſed quia horũ munerum perfectam rationẽ proponit, quod dialectica naturalis præſtare nullo modo poteſt, & ita artificialis erit ſimpliciter neceſſaria. Ad confirmationem dicimus verum eſſe in aliis ſcientijs dari diffinitiones, diuiſiones, & argumentationes, tamen hæc omnia mutuantur à Dialectica, quæ ſola docet huiuſmodi opera conficere. **Ad 2.**

Ad 3. reſp. diſtinctionem illam ſimpliciter, & abſolute coniungi poſſe, vel cum alijs ſcientijs, vel cum dialectica, ſi cum alijs coniungatur, reddit hunc ſenſum propoſitio à nobis conſtituta, ad aſſequendas alias artes, quæ ſunt abſolute artes, Dialectica eſt neceſſaria, qui ſenſus falſus eſt, nam aliqua ſcientia vt dicatur abſolute talis, non eget dialectica artificiali, ſed ſolo lumine naturæ, nam ſcientia, quæ abſolute eſt ſcientia, poteſt etiam eſſe imperfecta, vt abſolute homo, poteſt eſſe homo imperfectus, ad quam comparandam ſufficere lumen naturæ, dictum eſt in ſuperioribus. Si vero coniungatur cum dialectica, vera eſt propoſitio, & à nobis illo modo intellecta, nam reddit hunc ſenſum, ad aſſequendas alias ſcientias, vt ſint perfectæ, & ſine errore, neceſſaria eſt ſimpliciter, & abſolute Dialectica artificialis, nam ſine illa hoc modo cõparari, nulla ratione poſſunt. **Ad 3.**

Ad 4. reſpond. nihil aduerſus nos concludere, ſed confirmare ſecundam concluſionem. **Ad 4.**

Ad 5. reſp. inprimis negandam eſſe conſequentiam: nam quando dicimus dialecticam neceſſariam eſſe ad ſcientias comparandas, intelligendum eſt ad alias præter ſe: quemadmodum quando dicimus omne ens eſſe conditum à Deo, intelligendum eſt omne **Ad 5.**

Digitized by Google

præter Deum. Reſpond. deinde Dialecticam ſumi poſſe, vel ſecundum ſe totam, vt continet omnes libros, vel ſecundum aliquam partem. Si primo mo lo ſumatur, non eſt illa neceſſaria ad comparãdam ſe ipſam, fieret enim illam eſſe antequam eſſet. Si vero ſumatur ſecundo modo, neceſſaria eſt ad ſe ipſam conſequendam: Nam Iſagoges Porphyr. j neceſſaria eſt ad categorias intelligendas, vt ipſe profitetur in præfatione, & categoriæ neceſſariæ ſunt ad libros de interpretatione, & hi libri ad libros de priori, & poſteriori reſolutione. Vnde quemadmodum in aliquo corpore ita ſunt inter ſe membra conſtituta, vt ſibi mutuo opem ferant, ita etiam partes Dialecticæ ſunt tali ordine concatenatæ, vt vna ad alteram conſequendam ſit prorſus neceſſaria. Quod ſi quis roget: Cum prima demonſtratio dialectica non progrediatur ab arte, neq; comparetur ope alicuius partis dialecticæ, à quo dimanat? Reſpond. dimanare à Dialectica naturali, in quam tandem tota Dialectica debet reſolui: nam ab huiuſmodi lumine, tanquam à proprio fonte ipſa profluit? Neq; eſt, quod aliquis ſibi perſuadeat, philoſophiã naturæ, aut aliam ſcientiam, poſſe eodem lumine comparari, ſine arte dialectica, quemadmodum ipſa comparatur: nam eſt latum diſcrimen inter Dialecticam & alias ſcientias: etenim Dialectica eſt ipſe modus ſciendi, & ita præter lumen naturę non indiget alio modo ſciendi: aliæ vero ſcientiæ cum adquiri debeant auxilio alicuius modi, præter lumen naturæ indigent Dialectica artificiali, quæ præbet huiuſmodi modum, vt ipſæ poſſint conſequi à nobis. *Solutio.*

Ad 6. Ad 6. reſpond. partem ſophiſticam vtilem eſſe, non vt illa vtamur, hoc enim reprehenſibile eſt, & odibile, ſed vt ſciamus argumenta ſophiſtica, ſi aliquando fuerint propoſita, confutare. Quemadmodum in Medicina vtilis eſt pars illa, quæ diſputat de venenis, non vt illa dentur, ſed vt ſi data fuerint, opportunis medicamentis repellantur. Ad vltimum in quæſtione ſequenti ſatisfaciemus, in qua explicabimus, ſitne Dialectica priori loco tradenda, nec ne.

QVÆSTIO IV.

Sitne Dialectica priori loco tradenda.

Svperiorem quæſtionem ſequitur hæc altera, num ſcilicet Dialectica ſit prior omnibus alijs ſcientijs, nec ne? Non eſſe priorem, his argumentis confirmo:

1. Arg. 1. Eundem ordinem obſeruant ſcientiæ inter ſe, quem obſeruant obiecta illarum, ſed ens rationis in eſſe naturæ, & cognitionis, poſterius eſt ente rei, cum cognoſcatur per ſpeciem entis rei, ergo Dialectica, quæ agit de ente rationis, poſterior erit alijs ſcientijs, quę agunt de ente rei.

2. Species alicuius generis ſunt ſimul natura, vt docet Ariſtot. in poſtcategorijs, cap. de ſimul. vnde vna non erit prior altera: ſed Dialectica, & aliæ ſcientiæ, ſunt ſpecies ſcientiæ in communi, ergo Dialectica non eſt prior alijs ſcientijs *2. Arg.*

3. Actus intellectus directus prior eſt actu eiuſdem reflexo, ſed aliæ ſcientiæ adinuentæ ſunt per actum directum: vt philoſophia adinuenta fuit ex conſideratione directa rerum naturalium, Dialectica vero per actum reflexum, vt dictum eſt in ſuperioribus, ergo Dialectica eſt poſterior alijs ſcientijs. *3. Arg.*

4. argum. à facilioribus eſt inchoandum, vel illa ſunt priora, quæ ſunt faciliora, ſed Philoſophia naturæ agit de rebus facilioribus, nam agit de iis, quæ ſenſibus ſubiiciuntur, nimirum de rebus naturalibus, quæ ſunt ad intelligendum faciliimæ: Dialectica vero de ente rationis, quod eſt cognitu difficillimum, ergo Philoſophia naturæ erit prior Dialectica. *4 Arg.*

5. Non poſſumus bene intelligere, quin ſimus prius optimis moribus inſtructi, ſed Philoſophia morum eſt, quę docet optimam morum inſtitutionem; Dialectica vero eſt, quæ dirigit intellectum ad rectè intelligẽdum, ergo Philoſophia morum prior erit Dialectica. Et confirmatur; Voluntas eſt prior intellectu, vt docet Ariſt. *7. de republ. cap.* 18. ſed Philoſophia morum illuſtrat appetitum, Dialectica vero mentem, ergo philoſophia morum prior erit Dialectica. *5. Arg.*

6. Illa ſcientia, quæ alias dirigit, eſt prior: ſed Metaphyſica iudicio Ariſt. 1 *Metaphyſ. c.* 2. alias dirigit, ergo Metaphyſica prior erit Dialectica. Confirmatur, Principia prima ſunt priora in omnibus ſcientijs, cum ex illorum cognitione cætera pendeant, ſed Metaphyſica proponit principia prima omnium diſciplinarum; cum illa conſtentur ex terminis communiſſimis, quorum diſputatio ſpectat ad Metaphyſicam, & ita conſtituit D. Thom. *q. 5. art. 1. ad 9. argumentum in commentarijs ſuper Boet. de Trinit.* ergo Metaphyſica erit prior Dialectica. *6. Arg.*

Quæſtionem hanc de ordine artium tradendarum fuiſſe olim inter veteres Philoſophos non parum agitatam, teſtis eſt Diogenes

Laertius *libro 7. de Vit. in vita Zenonis Citiei.*
1. Opin. Fuit enim opinio Platonis, exordiendum eſſe à mathematicis diſciplinis, tanquam ab omnium facillimis, quas propterea priores inſtitutiones appellare conſueuerat, & pre foribus Gymnaſii ſcriptum habebat: Nullus huc ingrediatur Geometriæ expers. Hanc opinionem legimus apud ipſum *7. de Republ.* quam ſequutus eſt Plotinus *Ænead.1.c.3.* & quam ſequi viſus eſt Ariſt. qui cum exemplis mathematicis fere totam Dialecticam illuſtrauerit, quid, quæſo, aliud indicare voluit, quam mathematicas eſſe primo ante Dialecticam, & alias artes addiſcendas?

2. Opin. Sunt nonnulli, vt Paneceius, ac Poſidonius Stoici, vt refert Laertius, qui putarunt, inchoandum eſſe à Philoſophia naturæ, tanquam ab ea, quę de rebus ſenſilibus omnium que notiſſimis agat.

3. Opin. Alii, vt Diogen. Apollinates, & Andronicus, quibus ſubſcribere videtur Euſtracius *in proœmio Ethicorum*, & Simplic. *in præfat. Categor.* cenſent auſpicandam eſſe à Philoſophia morum, tanquam ab ea, quæ doceat rectam morum inſtitutionem, ſine qua fieri nulla ratione poteſt, vt ſit intellectus ad aſſequendas ſcientias recte diſpoſitus. Hanc eandem ſententiam tribuit ſapientibus Ægypti. Græciſq; antiquioribus, Pierius Valerianus *lib. 38. Hieroglyphicarum.*

4. Opin. Eſt tamen Peripateticorum omnium vna, communiſque ſententia, Dialecticam (vna excepta Grammatica) eſſe priori loco tradendam, ante omnes alias ſcientias, ab eaque ad aliarum comparationem eſſe auſpicandum. Sententiam hanc docere videtur Ariſt. 2. *Met. cap. vltimo.* vbi inquit, ineptum eſſe non prius comparaſſe modum ſciendi quam ſcientiam: per modum autem ſciendi certum eſt ipſum intellexiſſe Dialecticam. Eandem amplexi fuerunt D. Thom. *ſuper Boet. de Trinit. quæſt. 5. artic. 1* Hugo Victorinus *lib. 3. didaſcalica eruditionis, cap. 7.* D. Albertus Magnus *tract. 1. cap. 2. 3. ſuæ Logicæ* M. Sotus *quæſt. 1 proœmiali* Villalpandus *quæſt. 3.* Nonnetius *in libr. de Conſtitut. Dialect.* Quibus ſubſcribunt (vt inquit Laertius in vita Zenonis) Zeno *in libr. de oratione,* Chryſippus, Archedemus, multique alii Stoici.

His opinionibus propoſitis, vt quæſtionem explicemus, animaduertendum eſt, duobus modis aliqua eſſe priora, vt docet D. Thom. *1. 2. q. 61 art. 5. & 3. 2. quæſt. 17. art. 8.* generatione, & dignitate, illa ſunt priora generatione quæ ſunt aliis antiquiora, vt patet eſt prior filio: illa vero ſunt priora dignitate, auctore Ariſt. *1. de anima, cap. 1* & D. Thom. *1 part. quæſt. 1. art. 5.* quæ vel verſantur in obiecto nobiliori, vt prima Philoſophia eſt aliis nobilior quia verſatur in Deo Opt. Max. vel quia progrediuntur exactiſſimis argumentis, & accuratiſſimis demonſtrationibus, qua ratione mathematicæ artes vincunt cæteras nobilitate.

1. concluſ. Si agamus de prioritate ſecundum dignitatē, Dialectica neq; primo neq; ſecundo modo eſt prior aliis ſcientiis. Confir. imprimis nō primo modo, quia ita omnes ſcientiæ, quæ verſantur in ente rei, ſunt longe nobiliores Dialectica, quia agunt de hoc genere enis, quod eſt multo nobilius, quam ens rationis, de quo diſputat Dialectica. Deinde neq; ſecundo modo, quia mathematicæ artes hac ratione longo poſt ſe interuallo relinquūt Dialecticam, in eo etenim, quod eſt progredi exactiſſimis demonſtrationibus, non ſolum hanc artem, verum etiam & omnes alias ſcientias vincunt & ſuperant dignitate. 1. concluſ.

2. concluſ. Si loquamur de priori ſecundum generationem & adquiſitionem, Dialectica prior eſt omnibus diſciplinis, priorique loco eſt comparanda, vnam ſemper in hac re excipio Grammaticam. Primo, Quia ars imitatur naturam, ita autem natura comparatum eſt, vt primo loquamur, deinde vtamur ratione, & tertio, vt addiſcamus diſciplinas, ergo primo loco addiſcenda eſt Grammatica, quæ docet nos loqui. Secundo, Dialectica, quæ tradit rectam rationē intelligendi. & tertio, aliæ diſciplinæ. Secundo, Dialectica eſt cōmune omnium diſciplinarum inſtrumentum, ſed inſtrumenta antecedere debent eam rem, ad quam explicandam adhibentur, ergo Dialectica prior erit omnibus aliis ſcientiis. Tertio, quia vel alię ſcientię traduntur modo accurato, vel nō traduntur, ſi traduntur, ergo prærequirunt Dialecticam, quæ ſola accuratum modum conſequendi diſciplinas tradit: ſi vero non traduntur, ergo Philoſophia naturæ, Philoſophia prima, & Mathematicæ artes, non erunt peritiæ, ſed imperitiæ quædam, nihilq; aliud, quam craſſam quandam, & adumbratam rerū quas explicandas ſuſcipiūt, proponent cognitionem. Philoſophia vero morum nihil aliud erit, quam rudis quædam inſtitutio, à parentib. & pædagogis tradita, quare Dialectica erit priori loco tradenda. Accedit, omnes ſcientias inter ſe eſſe cōcatenatas, vt ex Ægyptiis docet Pierius *lib. 38 Hieroglyph.* Plato *de motore,* Cicero *pro Archia Poeta*, & multi alii, ergo illa ſcientia, quæ maiora præ- 2. concluſ.

ſtat adminicula, erit priori loco tradēda: Dialectica autem eſt huiuſmodi, ergo igitur priori loco tradenda.

3. concluſ. 3. concluſ. In ſcientijs tradendis hic ordo obſeruari debet, vt prius tradatur Grammatica, deinde Dialectica, mox Rhetorica, quarto Mathematicæ, quinto Philoſophia naturæ, ſexto Philoſophia morum, & vltimo prima Philoſophia. Eſſe hunc ordinē ita obſeruandum docet D. Thom. in *quæſt. 5. ſuper Boethium de Trinitat. art. 1.* M. Sotus *quæſt. 1. proœmiali*, & alii. Et quidem tres illas artes, quæ verſantur in ſermone, prius eſſe tradendas, argumento ſupra confecto poſſumus ſuadere. Ars imitatur naturam, ſed ita natura comparatum eſt, vt prius homines congrue loquantur, mox vt vtantur ratione, & poſtea ornent ſermonem, ergo inter artes priori loco tradenda erit Grammatica, quæ docet congrue loqui, ſecundo Dialectica, quæ rectam intelligendi rationem præſtat, & tertio Rhetorica, quæ ornare docet & polire ſermonem. Deinde ante Philoſophiam morum, & Metaphyſicam tradendas eſſe Mathematicas, & Philoſophiam naturæ, ex eo colligere licebit, quia Philoſophia morum eget longa rerum experientia, Metaphyſica vero in rebus difficillimis verſatur: at Mathematicæ, & Philoſophia naturæ, neque egent longa rerum experientia, & verſantur in rebus facillimis, nimirum in illis, quæ ſenſibus ſubiiciuntur. Inter Philoſophiam vero morum, & Metaphyſicam priori loco eſt comparanda Philoſophia. Quia ad contemplandam naturam ſubſtantiarum ſeparatarum, quarum cognitionem tradit Metaphyſica, oportet mentem eſſe liberam, & purgatam à vitiis, beneficio Philoſophiæ morum, à qua recta vitæ inſtitutio eſt depromenda. Itaque vltimo loco comparari debet Metaphyſica, tanquam aliarum princeps & regina.

Ad 1. Ad argumenta, ad 1. reſpond. falſam eſſe propoſitionem: nam obiectum primæ Philoſophiæ, quod eſt Deus, & ſubſtantiæ ſeparatæ, eſt prius obiecto artium mathematicarum, quod eſt quantitas, cum tamen prius ſint tradendæ mathematicæ artes, quam prima Philoſophia, vt nuper dicebamus, neque enim illa ſcientia eſt priori loco tradenda, cuius obiectum eſt prius, ſed illa, quæ fert præſidium ad alias comparandas. Vel reſpondere poſſumus, ens rationis in communi, in ratione entis, poſterius eſſe ente rei, ens vero rationis Logicum, in habitudine ad intellectum, eſſe prius, nam dirigit ipſum, vt poſſit recte, & abſque vllo errore entia rei comprehendere.

Ad 2. Ad 2. reſpond. ſpecies alicuius generis ſumi poſſe duobus modis, primo, vt diuidunt genus, ſecundo, vt conferuntur inter ſe. Si ſumantur primo modo, omnes ſunt ſimul natura. Si vero ſumantur ſecundo modo, datur inter illas ordo prioris & poſterioris, ita vt vna poſſit altera eſſe prior. Quemadmodum ſi binarius, ternarius, & aliæ ſpecies numeri ſumantur, vt diuidunt numerum, non eſt vna ſpecies altera prior, ſi vero conferantur inter ſeſe, binarius prior eſt ternario. Pari ratione, ſi Dialectica, & aliæ ſcientiæ ſumantur, vt diuidunt inter ſe ſcientiam in communi, quę eſt genus, Dialectica non erit aliis prior: ſi vero ſumantur, vt inter ſeſe conferuntur, Dialectica prior erit aliis ſcientiis, & hoc modo intelligenda eſt conclusio conſtituta.

Ad 3. Ad 3. reſpond. in vna & eadem re actum directum priorem eſſe reflexo, in diuerſis tamen fieri aliquando poteſt, vt reflexus ſit prior directo, præſertim ſi ex reflexo oriantur inſtrumenta, quibus diſponi debeat intellectus, ad cognoſcendas rerum naturas per actus directos: vt euenit in noſtro inſtituto: nam ex cognitione reflexa intellectus noſtri, videns ſe interdum labi, huiuſmodi vitia corrigens, ſe ipſum per Dialecticam perfecte diſponit, vt per actus directos rerum naturalium, vel aliarum, poſſit perfectam cognitionem adipiſci. Itaque rudi quadam cognitione, ante actum reflexum, quo intellectus actiones ſuas cognoſcit, bene poterit (rerum naturalium) verbi gratia, cognitionem habere, perfectam tamen & accuratam non poterit, quin prius antecedat actus reflexus, cum ab illo inſtrumenta perfectæ cognitionis oriantur.

Ad 4. Ad 4. reſpond. negandam eſſe propoſitionem, non enim à facilioribus, ſed ab his, ſine quibus cętera intelligi non poſſunt (qualia ſunt inſtrumenta dialectica) erit auſpicandum.

Ad 5. Ad 5. reſp. falſam eſſe propoſitionem, ſunt enim multi prauis moribus inſtituti, qui accuratam multarum rerum naturalium tenent cognitionem. Ad confirmationem dicimus, voluntatē vocari priorem intellectu ab Ariſt. quia mouet in genere cauſæ efficientis intellectum, ipſe vero intellectus ſimpliciter & abſolute eſt prior origine voluntate: nam nihil volitum, quin ſit prius præcognitum. vnde in genere cauſæ finalis erit prior: ac proinde ſimpliciter & abſolute: nam cauſa finalis prior eſt ſimpliciter omni alia cauſa.

Digitized by Google

Ad 6. Ad 6. reſpond. veram eſſe propoſitionem, ſi intelligatur de directione diſponête, & non de imperante, verum prima philoſophia non dirigit alias ſcientias directione diſponente, ſed imperante, vt ſupra docuimus. Ad confirmationem multis verbis reſpondet Ferrarienſis 1. *lib. contra gentes, cap.* 4. quæ nos ad ſummam quandam ita redegimus, & dicimus, prima principia aliarum diſciplinarum tribus modis ſumi poſſe; primo, vt ſunt vera, ſecundo, vt iudicamus ita eſſe, & tertio, vt illa tueantur ab aduerſarijs. Primo modo non proponuntur à Metaphyſica, ſed ab intelligentia, quæ eſt actus primorum principiorum, vt teſtatur Ariſt. 6. *Ethic. cap.* 3. Secundo tamen & tertio modo proponuntur ab ipſa, quæ communi nomine ſapientia nuncupatur, vt inquit D. Thom. 12. *quæſt.* 66. *artic.* 5 *ad* 4. Itaq; primo modo, vt ſunt vera, erunt priora ſcientijs, ſecundo tamen & tertio poſteriora. Et quia non primo, ſed alijs duobus modis traduntur à Metaphyſica, non erit illa prior omnibus diſciplinis. Reſtat igitur Dialecticam priorem eſſe, & neceſſariam, tum ad dirigendas operationes intellectus, tum etiam ad alias ſcientias conſequendas.

QVÆSTIO V.

Qua ratione fuerit inuenta Dialectica.

Exploratum eſt, Deum Opt. Max. primo parenti, quem perfectum in mente & corpore condiderat, rerum omnium ſcientiam, & Dialecticam ipſam infudiſſe, ab eoque tanquam ab vberrimo fonte, ad poſteritatem deriuatam fuiſſe, vt Euſeb. Cæſarienſ. *lib.* 11. *præparationis Euangelicæ*, Auguſt. Eugub. 1. *de perenni philoſophia*, & multi alij à nobis propoſiti in Prolegomenis philoſophiæ (in quo loco de vera Philoſophiæ origine late agimus) profitentur. De hac igitur re nulla eſſe poteſt dubitatio. Quod igitur quærimus, eſt, qua ratione potuerit Dialectica, amota Dei Opt. Max. reuelatione, & eius benigna infuſione, ab hominibus inueniri: & qua ratione inuenta fuerit à priſcis illis Philoſophis, apud quos fortaſſe nulla erat huius reuelationis notitia, ſolo lumine naturali eos illuſtrante. Itaque rem hanc his ſubiectis concluſionibus explicamus.

1. Concluſ. 1. concluſ. Inuentio Dialecticæ extitit difficilima. Primo, ex parte obiecti. Nam eſt illius obiectum ens rationis, quod certe obſcurum eſt, & cognitu maxime difficile. Secundo ex parte finis, qui eſt dirigere intellectum, ſunt enim actiones intellectus latentes, & reflexæ, præſertim (ex quarum cognitione ortum habuit Dialectica) ad intelligendum non parum difficiles.

2. concluſ. Inuentioni Dialecticæ initium dedit natura. Ipſa ſiquidem eſt, quæ nō ſolum huius, verum etiam ſcientiarum omnium in ſe continet ſemina, maxime vero Dialecticæ: nam Dialectica in ratione diffiniendi, diuidendi, & argumentandi verſatur, quæ munera cum natura ipſa ſunt nobis conceſſa, omnes ſiquidem homines, vt auctor eſt Ariſt. *1. Rhet. cap.* 1. natura duce vſque ad certum terminum diffiniunt, diuidunt, & argumentantur: imperfecte hæc munera præſtant, egentque arte, vt abſque errore illa valeant exercere. *2. concluſ.*

3. concluſ. Ex obſeruatione operum dialecticorum nata eſt Dialectica artificialis, vel ex ipſa rerum omnium matre experiētia. Videntes enim veteres Philoſophi, homines inter ſe differentes, vel quippiam diffinientes, obſeruabant, quid rectum, & quid vitioſum eſſet in diffinitione, & argumentatione, rectumq; retinebant, vitioſum vero deinde corrigere nitebantur, ex qua perenni obſeruatione mirum in modum aucta fuit Dialectica, & ad exactam methodum, & artem reuocata. Confir. 1. Quia hoc commune eſt omnibus artibus, & ſcientijs, vt ex obſeruatione traxerint originem, Philoſophia enim naturæ, ex varia effectuum naturaliū obſeruatione, vt motuum orbium cœleſtium, influxuum Planetarum, & aſtrorum, diuerſorumque meteorologicorum, quæ in aere oriuntur, nata fuit. Rhetorica ab eadem traxit originem, vt Cicero *de oratore*, & Quintilian. 1. *lib. Inſtitutionum*, teſtantur. Nam ex obſeruatione, qua quidam recte, alij vero praue, in foro cauſas dicebant, fuit ipſa orta, quæ rectam rationem dicendi in foro proponit. Et certe Ariſt. aperte ſatis 1. *Rhet. c.* 1. docet, ex obſeruatione ortam fuiſſe Dialecticam. 2. Quia omnes artes, quæ in perficiendo aliquo opere naturæ verſantur, ex obſeruatione illius operis ortum habuerunt, vt quia ars ſaltandi verſatur in perficiendo opere naturæ, ex obſeruatione ſaltationis ortum illa habuit, ſed Dialectica inuenta fuit ad perficienda opera diffiniendi, & argumentandi, ergo ex obſeruatione horum operum fuit illa excogitata. *3. concluſ.*

4. concluſ. Dialectica inuenta fuit poſt alias ſcientias. Cuius ratio eſt, quia ex obſeruatione, qua fuit obſeruatum, qua ratione in alijs ſcientijs Philoſophi argumentarētur, diffinirent, aut diuiderent, orta fuit, prius igitur diffinierunt, diuiſerunt, & argumentati fue- *4. concluſ.*

runt

Digitized by Google

runt Philoſophi in alijs ſcientijs, quam excogitata fuerit Dialectica, ac proinde fuit ipſa inuenta poſt alias ſcientias. Quod intelligi debet de ſcientijs imperfectis, non autem de perfectis, & abſolutis, nam tempore prior fuit Dialectica omnibus illis, vt in ſuperioribus quæſt. huius ſectionis docebamus.

5. concluſ. 5. concluſ. Inuentio Dialecticæ non eſt tribuenda Ariſtot. Sed antiquioribus Philoſophis. Confirm. 1. Quia Dialectica eſt diſtributa in partem topicã, analyticam & antecedentem vtramque: ſed has partes non prius adinuenit Ariſt. ergo inuentio Dialecticæ non erit ipſi tribuenda. Confit. aſſumpt. In parte topica agit Ariſt. de Problematibus generis, definitionis, proprij, & communis accidentis. ſed de genere, definitione, proprio, & accidente, multa legimus in Platone, & in alijs antiquioribus Philoſophis, ergo non inuenit ipſe partem topicam. Deinde neque analyticam, quia in hac agimus de demonſtratione, de qua egerunt antiquiores Philoſophi, etenim *1. lib. de demonſtrat. cap. 1. & 3.* refert ipſe Ariſt. errores quorundam Philoſophorum de demonſtratione, quod certe non leue præbet argumentum, iam ipſos ante Ariſt. de demonſtratione egiſſe. Præterea in hac parte analytica de ſyllogiſmo diſputatur, de quo antiquiſſimos Philoſophos ſcripſiſſe docet Diogenes Laertius *libro 7. in Zenone.* Vltimo, neque antecedentem vtramque ipſe adinuenit. Agimus enim in illa de nominibus, & verbis, in lib. de interpretatione, de quibus multa tradiderat Plato in Cratyllo, & Sophiſta. Agimus etiam de Categorijs, de quarum ratione multa etiam apud Platonem in varijs dialogis legimus, & Pythagoras viginti Categorias eſſe voluit, decem bonorum, & totidem malorum.

Confirm. 2 eadem concluſio. Inter partes Dialecticæ vna eſt ea, quæ tradit rationem definiendi, hanc autem ante Ariſtotel. Socrates adinuenerat, vt eſt teſtis idem Ariſtoteles 1 *Metaphyſ. cap. 6. & lib. 13. cap. 4.* non igitur Ariſt. totam artem Dialecticam prius excogitauit.

Vlt. concluſ. Vltima concluſ. Ariſtot. intra certam methodum, & artem, Dialectica præcepta concluſit. Hæc enim laus (& maxima profecto) debetur Ariſtoteli, quod omnia præcepta, quæ diſperſa legebantur apud veteres Philoſophos de Dialectica, collegerit ipſe, & multis proprio Marte additis, intra fines huius artis (quam nobis conſcriptam reliquit) concluſerit, eleganti que methodo tradiderit, & hoc fortaſſe indicant illa verba poſtrema, 2. *lib. de Reprehenſionibus Sophiſtarum*, in quibus ſe vocat auctorem Dialecticæ, quæ certe intelligi debent, vel quia ipſe præcepta collecta ad artem redegerit, vel quia multa ab eo ſunt addita, ex quibus mirum in modum fuit aucta, & locupletata Dialectica. Quod ſi quis alio modo illa intelligenda putat, meminerit Ariſt. hominem fuiſſe, qui mentiri potuerit (neque enim confirmatus erat, vt peccare non poſſet) Hac enim labe infecti fuerunt multi ex Græcis, vt multarum rerum inuentionem mendaciter ſibi conceſſerint, propter inanem gloriam, quam ardentiſſima ſiti cupiebant, quem ſuæ gentis morem ſequutus Ariſt. hanc ſibi laudem, nimia vſus indulgentia (non tamen vere) ſibi concedere voluit. De qua re legendus eſt M. Iuſtinianus *lib. 8. Inſtitution. cap. 17.*

QVÆSTIO VI. ET VLTIMA

De methodo, qua Dialectica fuit inuenta, & tradita ab Ariſtotele.

SVſpicabitur fortaſſe aliquis, alienam eſſe à noſtro inſtituto hanc de methodo tractationem, in his ſiquidem quæſt. in quibus neceſſitatem Dialecticæ ad alias ſcientias comparandas nitimur explicare, quem, quæſo, locum hæc diſputatio de methodo poterit obtinere? Verum ſi quis rem hanc attentius contempletur, recto conſilio quæſtionem hanc fuiſſe propoſitam intelliget apertiſſime. Etenim cum Dialectica præbeat omnibus ſcientiis generalia quædam, & communia inſtrumenta ſciendi, inter quæ non minorem locum ſibi vendicat methodus, profecto in his quæſtionibus, in quibus rationem inſtrumenti in Dialectica nitimur explicare, iure optimo ſuſcipi debuit hæc de methodo diſputatio. Quanta autem ſit vis methodi in omnibus artibus, & diſciplinis, nouerunt optime duo illa Philoſophiæ lumina, Galen. & Ariſt. qui nullam partem Philoſophiæ explicandam ſuſceperunt, quin prius methodum, qua illa facilius compararetur, tradiderint. Galenus enim *in lib. Num ars tuendæ ſanitatis ad medicum ſpectet*, ita habet, Ego ſemper idem cenſeo, neque enim vnquam vel tradidi, vel docui artem aliquam, cuius methodum prius non didicerim, & in ea non me exercuerim, reperitque idem in principio artis paruæ. Et noſter Ariſt. hoc ad vnguem obſeruans variis in locis, vt 1. *de partibus animalium, cap. 1. & 1. Phyſicorum. cap. 1 & 1. Ethicor. cap. 3. & 2. Metaphyſ. cap. vlt.* methodum prius proponit, qua huiuſmodi

partes Philoſophiæ debent comparari, quorum veſtigiis inhærētes antequam tractationem Dialecticæ aggrediamur, æquum erit prius explicemus, qua methodo inuenta fuerit, & tradita Dialectica. Partiemur autem quæſt. in ſex partes, in quarum prima trademus nomina & definitiones methodi, in ſecunda illius diuiſiones, in tertia quænam ex ſpeciebus methodi ſit præſtantior, in quarta proponemus nonnulla, (ea tamen præcipua) præcepta methodi, in quinta ad quem artificem ſpectet tradere huiuſmodi præcepta, & tandem in ſexta qua methodo inuenta & tradita fuerit à Philoſophis Dialectica. Egerunt de methodo, Nunneſius in poſtrema parte commentariorum in lib. de Conſtitutione Dialect. & in præfatione in Inſtitutiones Phyſicas. Carpentarius in diſputatione aurea de methodo aduerſus Ramum, Petrus Monçonus 1 *lib. ſuæ compoſitionis Dialect. in capp priorib.* Lemoſius *2. lib. Paradoxorum Dialect. errore* 10. Villalpand. *quæſt. vltima proœmiali*, interpretes Galeni, maxime vero Ioannes Argenterius *in commentariis in artem paruam*, & latiſſime omnium Iacobus Zabarella *in quatuor libr. quos de methodis conſcriptos reliquit*, ex quibus omnibus breuiter, quæ ad noſtrum attinent inſtitutum, hauriemus.

Quæ nomina method. In 1. itaque parte explicanda ſunt nomina, & proponendæ diffinitiones methodi, à veteribus ante Hippocratem vocabatur methodus, via recta, ab Ariſt. aliquando dicitur pædia, & peritia. vt *2. libr. de partibus animalium, cap* 1. aliquando modus ſciendi, vt 2 *lib. Meta. cap. vlt.* aliquando doctrina & diſciplina. vt 1 *Phyſic. cap.* 1. & 1. *Ethic. cap* 1. nam vbi nos habemus in primis verbis Phyſicorum, omnis cognitio & diſciplina, & in primis Ethic. omnis ars & doctrina, in Græco habetur methodus, & ita veteres interpretantur. A Quintiliano 1. *libr. Inſtitut.* dicitur breue dicendi compendium, à Cicerone aliquando dicitur via, aliquando doctrina, vel peritia. Hæc ſunt nomina methodi, de quibus conſulendus eſt Argenterius *Commentar. 1. in artem paruam Galeni.*

Veruntamen quia ab Ariſtotele nulla eſt propoſita definitio methodi, ob hanc cauſam Alexander & Philoponus hanc definitionem Definit. propoſuerunt: Methodus eſt habitus, qui cum ratione res ſibi ſubiectas pertractat. Ab Euſtrathio 1 *Ethicor. cap.* 1. eiſdem fere verbis Definit. ita definitur: Methodus eſt habitus, qui cum ratione progreditur. Cæterum cum Ariſtot. 1. *Ethic. ad Eudemum*, ignorantiam methodi definiat, non recte iudicare, quænam ſint propriæ, & quæ alienæ rationes, ad rem aliquam pertractandam, & eodem recte 6. *Topicor.* definitio vnius contrarij ſit ex altero contrario colligenda, ob hanc rationem ita definiri poterit iuxta Ariſtot. Habitus, quo iudicamus, 3. Definit. quænam ſint propriæ, & quæ alienæ rationes, ad aliquid pertractandum.

Definitio tamen accurata, quæ colligitur 4. Definit. Gal. ex variis locis Galeni, eſt hæc: Via quædam communis, ordini inhærens, quæ nos breuiter & cum ratione ad optatum finem perducit. In qua definitione continentur quatuor particulæ, prima eſt via: eſſe autem viam, docet Galenus *textu* 20 *Commentarij tertij, in 6. librum de morbis vulgaribus.* Eſſe vero communem, docet idem Gal. *lib. 4. methodi, cap* 4. ita dicēs: Hoc eſt methodo curare, quod nos ſemper fecimus, veteres imitando, ſi tamen methodum oportet eſſe viam quandā communem, quæ ſit omnium particularium ratio. Eſt vero communis via, quia non eſt annexa huic vel alteri arti, ſed poteſt accommodari omnibus artibus, & diſciplinis. Tertia particula eſt ordini inhærens. Vbi animaduertendum eſt, methodum non eſſe ordinem, qui eſt quædam relatio, prioris, medii, & vltimi eſſe tamen ordini inhærentem: nam methodus ſine ordine reperiri nulla ratione poteſt, vt in Dialectica habitudo, qua media liber Categoriarum continetur 1. loco de interpretatione, 2. & vltim. de ſyllogiſmo, quæ inhæret ordini propoſito, vocatur methodus. Vltima particula eſt: breuiter & cum ratione, quam vt intelligamus, animaduertendum eſt, ex Hippocrate *in libr. de hominis natura*, duo eſſe principia indagandæ veritatis, vnum ſenſus, & experientia, & alterum ratio, quemadmodum, ſi cupimus indagare, ſitne ignis calidus, colligere poterimus illud ſenſu & experientia, ſi manum applicemus igni, & ratione perita ex Philoſophia, quia nimirum tenuis eſt, & tantus, methodus non innititur ſenſui & experientiæ, nam hæc verſantur circa ſingularia, methodus autem circa vniuerſa, ſed innititur rationi & intellectui, qui fertur circa res communes, & ita breuiter & ſuccincte nos ad conceptum & optatum finem artis perducit, vt docebat Galenus 3 *lib. methodi, cap* 2. conſtituens Empyricum illum eſſe, qui innititur experientiæ; methodicum autem medicum eſſe vocandum, qui rationem ducem ſequitur.

In 2. parte quæſt. proponendæ ſunt diuiſiones methodi, quæ variæ traduntur à viris

Digitized by Google

g. au ſſimis, auctor enim Rhetoricæ ad Herennium *lib. 3. cap. 3.* ſub nomine diſpoſitionis ita diuidit methodum: quædam eſt, inquit, quæ progreditur ex inſtituto artis, & alia, quæ ſe accommodat ad caſum temporis, prima illa vtitur quis, quando progreditur iuxta artis præcepta, vt ſi in oratione ita progrediemur, vt prius vteremur exordio, deinde narratione, tertio diuiſione, quarto confirmatione, quinto confutatione, & ſexto epilogo: nam ita præcipit Rhetorica. Cæterum ſi quis propter temporum anguſtias, aut propter aliam occaſionem exordiretur, vel à confutatione, vel aliunde, prætermiſſa narratione & exordio, ille vteretur methodo ſe accommodante ad occaſionem temporis.

1. Diuiſ.

2. Diuiſ. Rodolphus Agricola 3. *lib. de Inuentione, cap* 6. diuidit methodum in naturalem arbitrariam, & artificioſam, naturalis dicitur illa, in qua progredimur à ſimplicioribus ad compoſitiora: nam hic eſt ordo naturæ; Arbitraria methodus illa dicitur, in qua prætermiſſa methodo naturæ, ad arbitrium, aliqua ratione compellente, alium ordinem ſequimur, quod præſtitit Porphyrius, agens prius de ſpecie, quam de differentia, nam ordine naturæ differentia prior eſt ſpecie, & Ariſt. in Categoriis, diſputans prius de relatione, quam de qualitate. Methodus artificioſa vocatur illa, in qua ex induſtria peruertimus totum ordinem, ita vt priora poſteriori loco, & poſteriora priori pertractentur, quæ methodus eſt oratoribus & poetis familiaris. Vnde Virg. *lib.* 1. *Æneid.* tradit nauigationem Æneæ in Carthaginem: & 2. *lib.* canit excidium Troianum, cum tamen prius fuerit illud, quam quod Æneas flatibus ventorum ad oras Carthaginis duceretur. Veruntamen quia hæ diuiſiones non multum conferunt Philoſophis, proponenda erit alia his omnibus longe præſtantior, quæ tum inueniendis, tum etiam tradendis artibus poſſit nobis deſeruire, eſt autem hæc: Methodus alia eſt compoſitionis alia reſolutionis, & alia ſoluendæ finitionis, vel definitionis, quam diuiſionem proponit Galenus *in arte parua*, eamque ſummo conſenſu amplectuntur Dialectici, vno excepto Petro Ramo, & altero Audomaro Talæo, quorum ineptam opinionem diligentiſſime refutauit Iacobus Carpentarius in diſputatione aurea aduerſus Ramum, quam de methodo conſcriptam reliquit.

3. Diuiſ.

Quid metho. compoſit. Methodus compoſitionis illa eſt, in qua progredimur à ſimplicioribus ad compoſitiora, aut à prioribus natura ad poſteriora, cuius quatuor ſunt ſpecies: prima, in qua progredimur à ſimplicioribus ad compoſitiora, vt quando in Grammatica progredimur à litteris ad ſyllabas à ſyllabis ad dictiones, & ab his ad perfectas orationes. Secunda ſpecies eſt, quando progredimur à magis ad minus vniuerſalia, vt ſi quis diſputaturus de animalibus, ageret prius de animali in communi. Deinde vero de hoc vel altero animali, vt de homine vel equo, quam methodum accuratiſſime obſeruauit Ariſtoteles in libris de partibus & hiſtoria animalium. Tertia ſpecies eſt, in qua progredimur à cauſis ad effectus, quam obſeruaret ille, qui diſputaturus de eclipſi Lunæ, ageret prius de interpoſitione terræ inter Solem & Lunam, quæ eſt cauſa eclipſis. Quarta ſpecies eſt, in qua progredimur à mediis ad finem, quam obſeruat architectus iaciens prius fundamenta, deinde erigens parietes, & tandem conſtituens tecta, ex quibus ſequitur ſecura habitatio, quæ eſt finis domus conſtructæ, nam progreditur mediis ad finem.

Methodus reſolutionis, cum ſit contraria methodo compoſitionis, contrario modo erit definienda, & contrariæ erunt illi aſſignandæ ſpecies. Definitio illius eſt hæc: Via, qua progredimur à compoſitioribus ad ſimpliciora, & à poſteriorib. ad priora natura, cui quatuor ſunt ſpecies: Prima, in qua progredimur à compoſitioribus ad ſimpliciora, vt ſi in Grammatica progrederemur ab oratione ad dictiones, ab his ad ſyllabas, & à ſyllabis ad elementa. Secunda ſpecies eſt, in qua progredimur à minus vniuerſis ad magis vniuerſa, vt ſi in diſputatione de animalibus prius ageremus de homine, vel boue, quam de animali. Tertia ſpecies eſt, quando progredimur ab effectu ad cauſam, vt ſi quis acturus de eclipſi Lunæ, prius ageret de ipſa, quam de interpoſitione terræ, quæ eſt illius cauſa. Quarta ſpecies eſt, in qua progredimur a fin ad media, vt ſi quis prius tractaret de ſalute, & deinde de medicamentis, quæ ſunt accommodata ad illam conſequendam.

Methodus ſoluendæ finitionis eſt, quando in principio alicuius artis proponimus generalem quandam ipſius definitionem, deinde vero illam partimur in ſua membra, quæ deinde definimus vſque ad ſpecies atomas, & indiuiduas, quam methodum ſequuti fuimus in inſtitutionibus; nam ſtatim in primo libro tradidimus definitionem Logicæ, quam diximus eſſe artẽ tradentẽ præcepta definiendi, &c. Deinde vero 2. libr egimus de ſig his

nibus, ergo propter hæc opera non erit neceſſaria Dialectica.

3. Arg. 3. Illud quod eſt neceſſarium ad aliquid perfecte conſequendum, non dicitur abſolute neceſſarium, multum enim diſtat intereſſe aliquid abſolute, & eſſe perfectum nam puer abſolute dicitur homo, non tamen eſt perfectus homo: ſed dialectica artificialis tantum eſt neceſſaria ad conſequendas perfectè alias ſcientias, ergo non eſt neceſſaria abſolute, & ſimpliciter ad illas comparandas.

4. Arg. 4. Ad conſequendam aliquam ſcientiam, ſat eſt cognouiſſe concluſionem per ſuas cauſas, & principia, nam ſcire eſt rem per cauſam intelligere, ſed ſine dialectica artificiali poſſumus ſcire concluſionem aliquam per ſuas cauſas, & principia Scimus enim in autumno defrondeſcere arbores, quia deeſt eo tempore humor in radicibus foliorum, quod eſt vera huius rei cauſa, ergo non erit dialectica ſimpliciter neceſſaria.

5. Argum. Præterea: Si dialectica eſſet neceſſaria ad ſcientias conſequendas, eſſet quoque neceſſaria ad ſeipſam, nam illa intra ſcientiarũ numerum comprehẽditur, ſed abſurdum eſt dicere dialecticam eſſe neceſſariam ad ſeipſam, ergo neq; erit neceſſaria ad alias ſcientias.

6. Arg. Iterum pars ſophiſtica eſt reprehenſione digna & non parum nocens, nam ſophiſta odibilis eſt, *Eccleſiaſti. 37.* ergo ſaltim hæc pars dialecticæ neque vtilis, neque neceſſaria erit.

Vlt. Vltimo. Si dialectica eſſet ſimpliciter neceſſaria. eſſet prior alijs ſcientijs, hoc autem eſt falſum, quia obiectum eius, quod eſt ens rationis, poſterius eſt obiecto aliarum, quod eſt ens rei; ergo nõ erit ſimpliciter neceſſaria.

2. Opin. Contrariam tamen ſententiam ſequuntur grauiſſimi viri M. Soto *q. 1. proœm.* Tolet. *q. 1.* Gaſcon. *q. 1.* Fonſ. *q. 4. 2. Metaph.* & multi alii, qui proponentur in 3. concl. aſſerentes dialecticam omnino eſſe, ſimpliciter, & abſolute neceſſariam ad alias ſcientias conſequendas.

Obſeruatio. In huius tamen quæſtionis explicationem obſeruamus, ſcientiam aliquando ſumi pro ſolo habitu adquiſito, etiam per vnicam demonſtrationem de qua loquebatur Ariſtotel. *1. de demonſtrat. cap. 2.* dum inquit demonſtrationem eſſe habitum generantem ſcientiam, & aliquando vſurpari pro tota arte ambiente præcepta, diffinitiones, diuiſiones, & multas demõſtrationes. Scientia primo modo habet eſſe imperfectum, ſecundo vero perfectum & abſolutum. intereſt autem inter has ſcientiæ ſignificationes, quia in prima non redditur ſubiectum promptum, & expeditum, vt poſſit abſque errore in omnibus demonſtrationib. verum aſſequi. In ſecũda vero redditur quare vt recte progrediatur, erit illa neceſſaria ad facile, ſuauiter & ſine errore progrediendum.

Sit 1. concl. Dialectica neceſſaria eſt ſecundum quid ad alias ſcientias conſeq. vel (quod idem eſt) eſt maxime vtilis. Hęc aſſertio confirmari poteſt primo, ab auctoritate grauiſſim. virorum, inductione quadam adhibita, in omnibus ferè ſcientijs Inprimis vtilem eſſe ad Theologiam, & ſacras literas, auctor eſt D. Auguſt. *lib. 2. de doctr. Chriſt. c. p. 31. & 32.* Diuus Hierony. *ſuper Ezech.* Martin. Martinez *1. lib. hypotypoſ. cap. 15.* & Laurentius Villa Vincent. *1. lib. de formando ſtudio Theologico, c. 4.* Eſſe etiam vtilem ad hæreſes conuincendas, ruendamque fidem, aduerſus hæreticorum omnium. & aliorum infidelium ſophiſtica & prorſus inania argumenta: ex eo profecto colligere licebit, quod acerrimi eccleſiæ hoſtes, hanc è medio auferendam eſſe, totis viribus conari fuerint, nimirum vt illa ſublata, firmiſſimum tuendæ fidei aduerſus omnes hæreſes præſidium. è medio quoque auferretur. Ita Iulianus Apoſtata vetuit, ne hanc & alias, ingenuas artes, Chriſtiani profiterentur. eodemque conſilio vſus Lutherus, dehortari conatus eſt, ingenuos adoleſcentes, ab hac, & ab aliarum artium liberalium ſtudio, vt de Iuliano refert Rufin. *lib. 10. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 32.* & de Luthero Surius *in Commentario de rebus in orbe geſtis.* Neque alicui moleſtum erit (vt opinor) ſi ſententiam pro dialecticæ neceſſitate aduerſus hæreſes, eruditiſſimi & piiſſimi Chriſti martyris. Ioannis Roffenſis ſubiecero *in artic. 1. contra Lutherum*, nam ita loquitur. Tolle Dialecticam ſub ara pronunus erit facultas, aut ſubruend[illegible] quod falſum eſt, aut ſtatuend[illegible] veri. Tolle Dialecticam, & omnes Andabatarum more gladios, in tenebris ventilabimus, ſi Dialecticam ſuſtulens, nihil mirabor quibuſdam hæc argumenta tua videri ſolida. Cæterum ſi Dialecticam admiſeris, nemo non ea cenſebit eſſe talia qualia vere ſunt, hoc eſt vera ſophiſmata. Præclarum ſane pro dialectica encomium. Præterea eſſe vtilem ad iuris prudentiam auctor eſt Cicero in Bruto, vbi maxime laudat Sulpitium, eo quod multum eſſet exercitatus in Dialectica. Deinde vtilem eſſe medicinæ, docet Galen. *1. de differen. febrium, & de optima ſecta ad Traſibul. & in aliis locis,* & Hieron. Montuus *in epiſtolis* [illegible] *ſerm. 2. de diſciplin. medica neceſſaria.* Ad

hæc

Digitized by Google

hæc vtilem eſſe ad Rhetor. autor eſt Ariſtot. 1. *Rhet. c. 1. & 2.* & Quint. *lib. 12. inſtit.* Eſt tandem vtilem eſſe ad omnem partem Philoſophiæ, communi hoc, & generali argumento poſſumus confirmare. In omni parte Philoſophiæ dantur diffin. diuiſ. & arg. ſed ad hæc tria vtilis eſt maxime dialectica cum horum accuratam tradat rationem, ergo ad omnem partē philoſophiæ vtilis erit Dialectica. Vnde merito Eugen. Pont *in decret. c. 32. diſt. de quibuſdā.* has dialecticæ, & ingenuarum artium vtilitates contemplatus, decreuit, vt epiſcopi in ciuitatibus, magiſtros, & doctores conſtituerent, qui bonas artes publice profiterentur. Verum de his & aliis vtilitatibus dialecticæ, hæc breuiter diximus. Legenda erunt plura a Rudolph *in lib. de inuent. in prol.* Titelman. *in prologo Apologetico pro dialectica*, Louanienſes *in præfatione ſuorum Commentariorum in dialecticam Ariſtotel.* de quo genere argumenti, extant etiam nonnullæ orationes Angeli Politiani, Ioannis Capani, Martini Dorpii, & Iacobi Sadoleti de laudib. philoſophiæ, vt multos alios omittam, quos ob breuitatem non recenſeo.

2. concluſio. 2. concl. Dialectica non eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria ad alias ſcientias conſequendas, ſumpta ſcientia pro ſolo habitu per demonſtrationem adquiſito, & ineſſe imperfecto. Confir. Scientia in hac ſignificatione, tantum denotat cognitionem concluſionum per ſua prima & immediata principia, auctore Ariſtot. 1. *Poſterior. cap. 2.* ſed poſſumus abſque Dialectica artificiali, ſolo lumine naturæ cognoſcere concluſionem per ſua prima & immediata principia, quemadmodum veteres ante Ariſtot. obſeruantes ecclipſim lunæ, cognouerunt illam per ſuam cauſam, nimirum per interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam quæ eſt vera, & legitima cauſa huius effectus, ergo dialectica artificialis, non eſt hoc modo neceſſaria ad ſcientias ſimpliciter conſequendas.

3. concl. 3 concl. Dialectica artificialis eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria, ad alias ſcientias conſequendas, ſumpta ſcientia, in ſecunda ſignificatione, vt denotat habitum continentem præcepta, aliquo ordine conſtituta, diffinitiones, diuiſiones. & argumentationes, vel quod idem eſt, ad ſcientias ineſſe perfecto &
1. Argum. abſoluto. Confir. Primo teſtimoniis grauiſſ. virorum, qui illam apertiſſime profitentur D. Aug. 2 *lib. de ordine cap. 13.* his verbis neceſſitatem illius proponit. Diſciplina diſciplinarum quam Dialecticam vocant, hæc docet docere, hæc docet diſcere, in hac ſe ipſa ratio demonſtrat, atque aperit, ſit ſcire, ſola ſcientes facere, non ſolum volt, ſed etiam poteſt. Plato 7 *de republica*, ſine dialectica impoſſibile eſſe docet exacte poſſe intellectum, rem aliquam attingere, eo quod (inquit) hæc ſola ſit, quæ animi oculum cœno barbarico obrutum, paulatim ſurſum trahat, ad principia cuiuſque rei percipienda & ideo in omni republ. bene gubernata legem ſtatuendam eſſe, vt adoleſcentes ea diſciplina inprimis imbuerentur, qua prompti fierent, ad bene ſapienterque interrogandum, & reſpondendum. Noſter Ariſtot. in multis locis ita neceſſariam eſſe Dialecticam profitetur, vt ſine illa paſſim errandum ſit in omnibus ſcientiis, atque ita veteres ob imperitiam dialecticæ in errores turpiſſimos prolapſos fuiſſe, ita docet 1 *de demonſt. c. 3. 1. Phyſ. cap. 2. & 1. de partibus cap. 1. &* 2. *Metaph. cap. vlt.* profitetur, neceſſarium eſſe prius ante ſcientias, adquirere modum ſciendi, id eſt, dialecticam, vt D. Thomas Auerroes, & alii interpretantur. Cicero 2 *de finib. & 1. de natura deorum* ex huius defectu putat Epicureum in tot errores incidiſſe, & 1. *de oratore* ſub perſona Craſſi nihil ad artem redigi poſſe, ſi abſit illa ſcientia, quæ ex his rebus, quarum ars non ſit, artem efficere poſſit Galenus in libro an ſanguis contineatur in arteriis, hoc argumento acuto, aduerſus Eraſiſtratum negantem Dialecticam eſſe neceſſariam, illius neceſſitatem confirmat. Aut ex quolibet ſequitur quodlibet, aut non, ſi ſequitur, ſic argumentor. Cygni ſunt albi, corui ſunt nigri, ergo Eraſiſtratus eſt ſtultus. Si non, ergo neceſſaria erit ars quæ me doceat, quando aliquid efficitur ex aliquo, & quando non, & *libr. 1 ſimplicium medicamentorum*, ait medicum ſine dialectica, in innumeros incidere errores nec diſſentiunt Auicenna & Algazel. *cap. 2. Logicæ.* & D. Albert. M. *cap. 3.* qui Logicam omnino eſſe neceſſariam apertiſſime profitentur.

2. arg Via & Methodus ſimpliciter eſt neceſſaria ad ſcientias cōſequendas non minus quam neceſſaria eſt ad comparandum terminum via, ſed dialectica tradit rationem Methodi, & viæ, ergo Dialectica ſimpliciter erit neceſſaria. Propoſitio eſt Ariſt. 1. *lib. de partibus animal. c. 1. & 2. lib. Metaph. c. vlt.* vbi docet ineptum eſſe ſimul quærere in artib. ſcientiam *2. Argum.*
& modū ſciendi Quod ſi aliquis reſpondeat, methodum naturalem eſſe neceſſariam, artificialem vero nequaquam, & ita argumentū cōcludere dialecticam naturalem eſſe neceſ-

ſariam, artificialem vero nequaquam. Hanc ſolutionem ita euertimus, ſimulque argumẽto euidentiſſimo noſtram concluſionem ſuadimus. Vnde ſit tertium.

Argum. Veteres Philoſophi ornati fuerũt methodo, & Dialectica naturali, ſed non ſunt conſecuti vllam ſcientiam, aut partem Philoſophiæ, ergo præter methodum, & Dialecticam naturalem, neceſſaria eſt ſimpliciter methodus, & Dialectica artificialis, propoſitio eſt omnibus perſpicua, probatur aſſumptio. Scientia eſt habitus certus & euidens, conſtans ex veris, & immediatis ſine vllo errore & falſitate, ſed veteres Philoſophi omnem partem Philoſophiæ aſſequuti ſunt permixtam cum innumeris erroribus, vt paſſim docet Ariſt 4. *Metaph. c.3. & 1. Phyſ. c.2.* Cicero 1 *lib. Academicarum quæſtionum*, & 2. *libr. de finibus*, ergo.

Argum. 4 Arg. Vt aliquam ſcientiam in hac ſignificatione comparemus, debemus prius nouiſſe rectitudinem conſequentiæ, & conſequentis, conſequentiæ vt ſit in modo & figura, cõſequentis vt reſoluamus effectus in ſuas cauſas, & concluſiones in ſua principia, ſed ſine dialectica artificiali hæc fieri accurate nulla ratione poſſunt, illa enim eſt, quæ in libris Priorum tradit rationem conficiendi ſyllogiſmos in modo & figura, & in libris poſteriorũ reſoluendi effectus in ſua principia, erit ergo ſimpliciter neceſſaria.

5. Argum. 5 Arg. Ad opus perfectum neceſſaria ſunt inſtrumenta perfecta, ſed ſcientia in hac ſignificatione eſt opus perfectum, ergo ad illam conſequendã neceſſaria ſunt inſtrumenta perfecta, hæc autem non poteſt præbere dialectica naturalis, ergo neceſſaria erit dialectica artificialis. Confirmatur arg. Nullus artifex ſine inſtrumentis poteſt actionem aliquam, vel opera ſuæ artis exercere, vt ſine ſerra & dolabra nihil poteſt agere faber lignarius, aut ſine malleo, & incude faber ferrarius: ſed communia & generalia inſtrumenta omnium ſcientiarum ſunt illa, quæ traduntur à dialectica, ſc. diffinitio, diuiſio, & argumentatio, ergo nullã ſcientia poterit aliquid agere ſine Dialectica, quare ad illas conſequendas erit ſimpliciter neceſſaria.

Vlt. arg. Ad extremum, ex ipſa rerum omnium apertiſſima experientia confir. Nullũ vnquam vidimus dialecticæ ignarum, in virum con ſummatum in aliis ſcientiis euaſiſſe, è contra vero nonnullos ipſius præſidio fultos ad faſtigia ſcientiarum conſcendiſſe legimus, vt de diuo Aug. ſummo Theologo & Philoſopho, Poſſidonius in eius vita, & alii ferunt, ſolius Dialecticæ fuiſſe diſcipulum, alias vero diſciplinas ſine præceptore didiciſſe, hac vnica artium regina, opem ferente, erit ergo dialectica neceſſaria ad alias ſcientias ſimpliciter conſequendas.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta, quæ initio propoſuimus. Ad primum reſpon. neque Mathematicas artes, neque Theologiam, neque Medicinam, aut vllam aliam partem Philoſophiæ poſſe comparari, aut fuiſſe hactenus perfecte comparatas ab aliquo, abſque præſidio dialecticæ artificialis: vnde negandum erit illos quos in argumento propoſuimus, illas ſcientias perfecte ſine dialectica hauſiſſe.

Ad 2. Ad 2. reſpon. non ex eo eſſe neceſſariam dialecticam, quia tradit rationem diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, ſed quia horũ munerum perfectam rationẽ proponit, quod dialectica naturalis praſtare nullo modo poteſt, & ita artificialis erit ſimpliciter neceſſaria. Ad confirmationem dicimus verum eſſe in aliis ſcientijs dari diffinitiones, diuiſiones, & argumentationes, tamen hæc omnia mutuantur à Dialectica, quæ ſola docet huiuſmodi opera conficere.

Ad 3. Ad 3. reſp. diſtinctionem illam ſimpliciter, & abſolute coniungi poſſe, vel cum alijs ſcientijs, vel cum dialectica, ſi cum alijs coniungatur, reddit hunc ſenſum propoſitiõ à nobis conſtituta, ad aſſequendas alias artes, quæ ſunt abſolute artes, Dialectica eſt neceſſaria, qui ſenſus falſus eſt, nam aliqua ſcientia vt dicatur abſolute talis, non eget dialectica artificiali, ſed ſolo lumine naturæ, nam ſcientia, quæ abſolute eſt ſcientia, poteſt etiam eſſe imperfecta, vt abſolute homo, poteſt eſſe homo imperfectus, ad quam comparandam ſufficere lumen naturæ, dictum eſt in ſuperioribus. Si vero coniungatur cum dialectica, vera eſt propoſitio, & à nobis illo modo intellecta nam reddit hunc ſenſum, ad aſſequendas alias ſcientias, vt ſint perfectæ, & ſine errore, neceſſaria eſt ſimpliciter, & abſolute Dialectica artificialis, nam ſine illa hoc modo cõparati, nulla ratione poſſunt.

Ad 4. Ad 4. reſpond. nihil aduerſus nos concludere, ſed confirmare ſecundam concluſionem.

Ad 5. Ad 5. reſp. inprimis negandam eſſe conſequentiam: nam quando dicimus dialecticam neceſſariam eſſe ad ſcientias comparandas, intelligendum eſt ad alias præter ſe: quemadmodum quando dicimus omne ens eſſe conditum à Deo, intelligendum eſt omne

præter

præter Deum. Reſpond. deinde Dialecticam ſumi poſſe, vel ſecundum ſe totam, vt continet omnes libros, vel ſecundum aliquam partem. Si primo modo ſumatur, non eſt illa neceſſaria ad comparãdam ſeipſam, fieret enim illam eſſe antequam eſſet. Si vero ſumatur ſecundo modo, neceſſaria eſt ad ſeipſam conſequendam: Nam Iſagoges Porphyrij neceſſaria eſt ad categorias intelligendas, vt ipſe profitetur in præfatione, & categoriæ neceſſariæ ſunt ad libros de interpretatione, & hi libri ad libros de priori, & poſteriori reſolutione. Vnde quemadmodum in aliquo corpore ita ſunt inter ſe membra conſtituta, vt ſibi mutuo opem ferant, ita etiam partes Dialecticæ ſunt tali ordine concatenatæ, vt vna ad alteram conſequendam ſit prorſus neceſſaria. Quod ſi quis roget: Cum prima demonſtratio dialectica non progrediatur ab arte, neq; compararetur ope alicuius partis dialecticæ, à

Solutio. quo dimanat? Reſpond. dimanare à Dialectica naturali, in quam tandem tota Dialectica debet reſolui: nam ab huiuſmodi lumine, tanquam à proprio fonte ipſa profluit? Neq; eſt, quod aliquis ſibi perſuadeat, philoſophiã naturæ, aut aliam ſcientiam, poſſe eodem lumine comparari, ſine arte dialectica, quemadmodum ipſa comparatur: nam eſt latum diſcrimen inter Dialecticam & alias ſcientias: etenim Dialectica eſt ipſe modus ſciendi, & ita præter lumen naturę non indiget alio modo ſciendi: aliæ vero ſcientiæ cum adquiri debeant auxilio alicuius modi, præter lumen naturæ indigent Dialectica artificiali, quæ præbet huiuſmodi modum, vt ipſæ poſſint conſequi à nobis.

Ad 6. Ad 6. reſpond. partem ſophiſticam vtilem eſſe, non vt illa vtamur, hoc enim reprehenſibile eſt, & odibile, ſed vt ſciamus argumenta ſophiſtica, ſi aliquando fuerint propoſita, confutare. Quemadmodum in Medicina vtilis eſt pars illa, quæ diſputat de venenis, non vt illa dentur, ſed vt ſi data fuerint, opportunis medicamentis repellantur. Ad vltimum in quæſtione ſequenti ſatisfaciemus, in qua explicabimus, ſitne Dialectica priori loco tradenda, necne.

QVÆSTIO IV.

Sitne Dialectica priori loco tradenda.

SVperiorem quæſtionem ſequitur hæc altera, num ſcilicet Dialectica ſit prior omnibus alijs ſcientijs, necne? Non eſſe priorem, his argumentis confirmo:

1. Arg. 1. Eundem ordinem obſeruant ſcientiæ inter ſe, quem obſeruant obiecta illarum, ſed ens rationis in eſſe naturæ, & cognitionis, poſterius eſt ente rei, cum cognoſcatur per ſpeciem entis rei, ergo Dialectica, quæ agit de ente rationis, poſterior erit alijs ſcientijs, quę agunt de ente rei.

2. Arg. 2. Species alicuius generis ſunt ſimul natura, vt docet Ariſtot. in poſtcategorijs, cap. de ſimul. vnde vna non erit prior altera: ſed Dialectica, & aliæ ſcientiæ, ſunt ſpecies ſcientiæ in communi, ergo Dialectica non eſt prior alijs ſcientijs.

3. Arg. 3. Actus intellectus directus prior eſt actu eiuſdem reflexo, ſed aliæ ſcientiæ adinuentæ ſunt per actum directum: vt philoſophia adinuenta fuit ex conſideratione directa rerum naturalium, Dialectica vero per actum reflexum, vt dictum eſt in ſuperioribus, ergo Dialectica eſt poſterior alijs ſcientijs.

4. Arg. 4. argum. à facilioribus eſt inchoandum, vel illa ſunt priora, quæ ſunt faciliora, ſed Philoſophia naturæ agit de rebus facilioribus, nam agit de iis, quæ ſenſibus ſubijciuntur, nimirum de rebus naturalibus, quæ ſunt ad intelligendum facillimæ: Dialectica vero de ente rationis, quod eſt cognitu difficillimum, ergo Philoſophia naturæ erit prior Dialectica.

5. Arg. 5. Non poſſumus bene intelligere, quin ſimus prius optimis moribus inſtructi, ſed Philoſophia morum eſt, quę docet optimam morum inſtitutionem; Dialectica vero eſt, quæ dirigit intellectum ad recte intelligẽdum, ergo Philoſophia morum prior erit Dialectica. Et confirmatur; Voluntas eſt prior intellectu, vt docet Ariſt. *7. de republ. cap.* 18. ſed Philoſophia morum illuſtrat appetitum, Dialectica vero mentem, ergo philoſophia morum prior erit Dialectica.

6. Arg. 6. Illa ſcientia, quæ alias dirigit, eſt prior: ſed Metaphyſica iudicio Ariſt. *1 Metaphyſ. c. 2.* alias dirigit, ergo Metaphyſica prior erit Dialectica. Confirmatur, Principia prima ſunt priora in omnibus ſcientijs, cum ex illorum cognitione extera pendeant, ſed Metaphyſica proponit principia prima omnium diſciplinarum; cum illa conſtentur ex terminis communiſſimis, quorum diſputatio ſpectat ad Metaphyſicam, & ita conſtituit D. Thom. *q. 5. art. 1. ad 9. argumentum in commentarijs ſuper Boet. de Trinit.* ergo Metaphyſica erit prior Dialectica.

Quæſtionem hanc de ordine artium tradendarum fuiſſe olim inter veteres Philoſophos non parum agitatam, teſtis eſt Diogenes

Laertius *libro 7. de Vit. in vita Zenonis Citieni.*
1. Opin. Fuit enim opinio Platonis, exordiendum eſſe à mathematicis diſciplinis, tanquam ab omnium facillimis, quas propterea priores inſtitutiones appellare conſueuerat, & pre foribus Gymnaſii ſcriptum habebat: Nullus huc ingrediatur Geometriæ expers. Hanc opinionem legimus apud ipſum *7. de Republ.* quam ſequutus eſt Plotinus *Ænead.1.c.3.* & quam ſequi viſus eſt Ariſt. qui cum exemplis mathematicis fere totam Dialecticam illuſtrauerit, quid, quæſo, aliud indicare voluit, quam mathematicas eſſe primo ante Dialecticam, & alias artes addiſcendas?

2. Opin. Sunt nonnulli, vt Panecius, ac Poſidonius Stoici, vt refert Laertius, qui putarunt, inchoandum eſſe à Philoſophia naturæ, tanquam ab ea, quę de rebus ſenſilibus omnium que notiſſimis agat.

3. Opin. Alii, vt Diogen. Apollinates, & Andronicus, quibus ſubſcribere videtur Euſtracius *in proœmio Ethicorum*, & Simplic. *in præfat. Categor.* cenſent auſpicandam eſſe à Philoſophia morum, tanquam ab ea, quæ doceat rectam morum inſtitutionem, ſine qua fieri nulla ratione poteſt, vt ſit intellectus ad aſſequendas ſcientias recte diſpoſitus. Hanc eandem ſententiam tribuit ſapientibus Ægypti. Græciſq; antiquioribus, Pierius Valerianus *lib, 38. Hieroglyphicarum.*

4. Opin. Eſt tamen Peripateticorum omnium vna, communiſque ſententia, Dialecticam (vna excepta Grammatica) eſſe priori loco tradendam, ante omnes alias ſcientias, ab eaque ad aliarum comparationem eſſe auſpicandum. Sententiam hanc docere videtur Ariſt. *2. Met. cap. vltimo.* vbi inquit, ineptum eſſe non prius comparaſſe modum ſciendi quam ſcientiam: per modum autem ſciendi certum eſt ipſum intellexiſſe Dialecticam. Eandem amplexi fuerunt D, Thom. *ſuper Boet. de Trinit. quaſt 5. artic.1* Hugo Victorinus *lib. 3. didaſcalicæ eruditionis, cap. 7.* D. Albertus Magnus *tract 1. cap. 2. 3. ſuæ Logicæ* M Sotus *quaſt. 1 proœmiali* Villalpandus *quaſt 1.* Nonnchus *in libr, de Conſtitut. Dialect,* Quibus ſubſcribunt (vt inquit Laertius in vita Zenonis) Zeno *in libr. de oratione,* Chryſippus, Archedemus, multique alii Stoici.

His opinionibus propoſitis, vt quæſtionem explicemus, animaduertendum eſt, duobus modis aliqua eſſe priora, vt docet D. Thom. *1.2. q. 62. art 5. & 11, quaſt 17 art. 8.* generatione, & dignitate, illa ſunt priora generatione quæ ſunt aliis antiquiora, vt pater eſt prior filio: illa vero ſunt priora dignitate, auctore Ariſt. *1. de anima, cap 1.* & D. Thom. *1 part. quaſt. 1 art. 5.* quæ vel verſantur in obiecto nobiliori, vt prima Philoſophia eſt aliis nobilior quia verſatur in Deo Opt Max. vel quia progrediuntur exactiſſimis argumentis, & accuratiſſimis demonſtrationibus, qua ratione mathematicæ artes vincunt cæteras nobilitate.

1. conclus. Si agamus de prioritate ſecundum dignitatē, Dialectica neq; primo neq; ſecundo modo eſt prior aliis ſcientiis. Confir. imprimis nō primo modo, quia ita omnes ſcientiæ, quæ verſantur in ente rei, ſunt longe nobiliores Dialectica, quia agunt de hoc genere entis, quod eſt multo nobilius, quam ens rationis, de quo diſputat Dialectica. Deinde neq; ſecundo modo. quia mathematicæ artes hac ratione longo poſt ſe interuallo relinquūt Dialecticam, in eo etenim, quod eſt progredi exactiſſimis demonſtrationibus, non ſolum hanc artem, verum etiam & omnes alias ſcientias vincunt & ſuperant dignitate. 1. concluſ.

2. conclus. Si loquamur de priori ſecundum generationem & adquiſitionem, Dialectica prior eſt omnibus diſciplinis, prioriqne loco eſt comparanda, vnam ſemper in hac re excipio Grammaticam. Primo, Quia ars imitatur naturam, ita autem natura comparatum eſt, vt primo loquamur, deinde vtamur ratione, & tertio, vt addiſcamus diſciplinas, ergo primo loco addiſcenda eſt Grammatica, quæ docet nos loqui. Secundo, Dialectica, quæ tradit rectam rationē intelligendi. & tertio, aliæ diſciplinæ. Secundo, Dialectica eſt cōmune omnium diſciplinarum inſtrumentum, ſed inſtrumenta antecedere debent eam rem, ad quam explicandam adhibentur, ergo Dialectica prior erit omnibus aliis ſcientiis. Tertio, quia vel aliæ ſcientię traduntur modo accurato, vel nō traduntur, ſi traduntur, ergo prærequiritur Dialectica, quæ ſola accuratum modum conſequendi diſciplinas tradit: ſi vero non traduntur, ergo Philoſophia naturæ, Philoſophia prima, & Mathematicæ artes, non erunt peritiæ, ſed imperitiæ quædam, nihilq; aliud, quam craſſam quandam, & adumbratam rerū quas explicandas ſuſcipiūt, proponent cognitionem Philoſophia vero morum nihil aliud erit, quam rudis quædam inſtitutio, à parentib. & pædagogis tradita: quare Dialectica eſſe priori loco tradenda, Accedit, omnes ſcientias inter ſe eſſe cōcatenatas, vt ex Ægyptiis docet Pierius *lib, 38 Hieroglyph.* Plato *de motore,* Cicero *pro Archia Poeta,* & multi alii, ergo illa ſcientia, quæ maiora præ- 2 concluſ.

ſtat

Digitized by Google

ſtat adminicula, erit priori loco tradēda: Dialectica autem eſt huiuſmodi, er ſigitur priori loco tradenda.

3. *concluſ.* 3. concluſ. In ſcientijs tradendis hic ordo obſeruari debet, vt prius tradatur Grammatica, deinde Dialectica, mox Rhetorica, quarto Mathematicæ, quinto Philoſophia naturæ, ſexto Philoſophia morum, & vltimo prima Philoſophia. Eſſe hunc ordinē ita obſeruandum docet D. Thom *quaſt.5. ſuper Boethium de Trinitat. art.* 1. M. Sotus *quaſt.* 1. *proœmiali*, & alii. Et quidem tres illas artes, quæ verſantur in ſermone, prius eſſe tradendas, argumento ſupra confecto poſſumus ſuadere. Ars imitatur naturam, ſed ita natura comparatum eſt, vt prius homines congrue loquantur, mox vt vtantur ratione, & poſtea ornent ſermonem, ergo inter artes priori loco tradenda erit Grammatica, quæ docet congrue loqui, ſecundo Dialectica, quæ rectam intelligendi rationem præſtat, & tertio Rhetorica, quæ ornare docet & polire ſermonem. Deinde ante Philoſophiam morum, & Metaphyſicam tradendas eſſe Mathematicas, & Philoſophiam naturæ, ex eo colligere licebit quia Philoſophia morum eget longa rerum experientia, Metaphyſica vero in rebus difficillimis verſatur: at Mathematicæ, & Philoſophia naturæ, neque egent longa rerum experientia, & verſantur in rebus facillimis, nimirum in illis, quæ ſenſibus ſubiiciuntur. Inter Philoſophiam vero morum, & Metaphyſicam priori loco eſt comparanda Philoſophia. Quia ad contemplandam naturam ſubſtantiarum ſeparatarum, quarum cognitionem tradit Metaphyſica, oportet mentem eſſe liberam, & purgatam à vitiis, beneficio Philoſophiæ morum, à qua recta vitæ inſtitutio eſt depromenda. Itaque vltimo loco comparari debet Metaphyſica, tanquam aliarum princeps & regina.

Ad 1. Ad argumenta, ad 1. reſpond falſam eſſe propoſitionem: nam obiectum primæ Philoſophiæ, quod eſt Deus, & ſubſtantiæ ſeparatæ, eſt prius obiecto artium mathematicarum, quod eſt quantitas, cum tamen prius ſint tradendæ mathematicæ artes, quam prima Philoſophia, vt nuper dicebamus, neque enim illa ſcientia eſt priori loco tradenda, cuius obiectum eſt prius, ſed illa, quæ fert præſidium ad alias comparandas. Vel reſpondere poſſumus, ens rationis in communi, in ratione entis, poſterius eſſe ente rei, ens vero rationis Logicum, in habitudine ad intellectum, eſſe prius, quando regit ipſum, vt poſſit recte, & abſque vllo errore entia rei comprehendere.

Ad 2. Ad 2. reſpond. ſpecies alicuius generis ſumi poſſe duobus modis, primo, vt diuidunt genus, ſecundo, vt conferuntur inter ſe. Si ſumantur primo modo, omnes ſunt ſimul natura. Si vero ſumantur ſecundo modo, datur inter illas ordo prioris & poſterioris, ita vt vna poſſit altera eſſe prior. Quemadmodum ſi binarius, ternarius, & aliæ ſpecies numeri ſumantur, vt diuidunt numerum, non eſt vna ſpecies altera prior, ſi vero conferantur inter ſeſe, binarius prior eſt ternario. Pari ratione, ſi Dialectica, & aliæ ſcientiæ ſumantur, vt diuidunt inter ſe ſcientiam in communi, quę eſt genus, Dialectica non erit aliis prior: ſi vero ſumantur, vt inter ſeſe conferuntur, Dialectica prior erit aliis ſcientiis, & hoc modo intelligenda eſt conclusio conſtituta.

Ad 3. Ad 3. reſpond. in vna & eadem re actum directum priorem eſſe reflexo, in diuerſis tamen fieri aliquando poteſt, vt reflexus ſit prior directo, præſertim ſi ex reflexo oriantur inſtrumenta, quibus diſponi debeat intellectus, ad cognoſcendas rerum naturas per actus directos: vt euenit in noſtro inſtituto: nam ex cognitione reflexa intellectus noſtri, videns ſe interdum labi, huiuſmodi vitia corrigens, ſe ipſum per Dialecticam perfecte diſponit, vt per actus directos rerum naturalium, vel aliarum, poſſit perfectam cognitionem adipiſci. Itaque rudi quadam cognitione, ante actum reflexum, quo intellectus actiones ſuas cognoſcit, bene poterit (rerum naturalium verbi gratia, cognitionem habere, perfectam tamen & accuratam non poterit, quia prius antecedat actus reflexus, cum ab illo inſtrumenta perfectæ cognitionis oriantur.

Ad 4. Ad 4. reſpond. negandam eſſe propoſitionem, non enim à facilioribus, ſed ab his, ſine quibus cętera intelligi non poſſunt (qualia ſunt inſtrumenta dialectica) erit auſpicandum.

Ad 5. Ad 5. reſp. falſam eſſe propoſitionem ſunt enim multi prauis moribus inſtituti, qui accuratam multarum rerum naturalium tenent cognitionem. Ad confirmationem dicimus, voluntatē vocari priorem intellectu ab Ariſt. quia mouet in genere cauſæ efficientis intellectum, ipſe vero intellectus ſimpliciter & abſolute eſt prior origine voluntate: nam nihil volitum, quin ſit prius præcognitum. vnde in genere cauſæ finalis erit prior: ac proinde ſimpliciter & abſolute: nam cauſa finalis prior eſt ſimpliciter omni alia cauſa.

Ad

Ad 6. Ad 6. reſpond. veram eſſe propoſitionem, ſi intelligatur de directione diſponente, & non de imperante, verum prima philoſophia non dirigit alias ſcientias directione diſponente, ſed imperante, vt ſupra docuimus. Ad confirmationem multis verbis reſpondet Ferrarienſis 1. *lib. contra gentes, cap.* 4. quæ nos ad ſummam quandam ita redigimus, & dicimus, prima principia aliarum diſciplinarum tribus modis ſumi poſſe; primo, vt ſunt vera, ſecundo, vt iudicamus ita eſſe, & tertio, vt illa tuemur ab aduerſarijs. Primo modo non proponuntur à Metaphyſica, ſed ab intelligentia, quæ eſt actus primorum principiorum, vt teſtatur Ariſt. 6. *Ethic. cap.* 3. Secundo tamen & tertio modo proponuntur ab ipſa, quæ communi nomine ſapientia nuncupatur, vt inquit D. Thom. 12. *quaeſt.* 66. *artic.* 5 *ad* 4. Itaq; primo modo, vt ſunt vera, erunt priora ſcientijs, ſecundo tamen & tertio poſteriora. Et quia non primo, ſed alijs duobus modis traduntur à Metaphyſica, non erit illa prior omnibus diſciplinis. Reſtat igitur Dialect. eam priorem eſſe, & neceſſariam, tum ad dirigendas operationes intellectus, tum etiam ad alias ſcientias conſequendas.

QVÆSTIO V.

Qua ratione fuerit inuenta Dialectica.

Exploratum eſt, Deum Opt. Max. primo parenti, quem perfectum in mente & corpore condiderat, rerum omnium ſcientiam, & Dialecticam ipſam infudiſſe, ab eoque tanquam ab vberrimo fonte, ad poſteritatem deriuatam fuiſſe, vt Euſeb. Cæſarienſ. *lib.* 11. *præparationis Euangelicæ*, Auguſt. Eugub. 1. *de perenni philoſophia*, & multi alij à nobis propoſiti in Prolegomenis philoſophiæ (in quo loco de vera Philoſophiæ origine late agimus) profitentur. De hac igitur re nulla eſſe poteſt dubitatio. Quod igitur quærimus, eſt, qua ratione potuerit Dialectica, amota Dei Opt. Max. reuelatione, & eius benigna infuſione, ab hominibus inueniri: & qua ratione inuenta fuerit à priſcis illis Philoſophis, apud quos fortaſſe nulla erat huius reuelationis notitia, ſolo lumine naturali eos illuſtrante. Itaque rem hanc his ſubiectis concluſionibus explicamus.

Concluſ. 1. concluſ. Inuentio Dialecticæ extitit difficilima. Primo, ex parte obiecti. Nam eſt illius obiectum ens rationis, quod extre obſcurum eſt, & cognitu maxime difficile. Secundo ex parte finis, qui eſt dirigere intellectum, ſunt enim actiones intellectus latentes, & reflexæ, præſertim (ex quarum cognitione ortum habuit Dialectica) ad intelligendum non parum difficiles.

2. concluſ. Inuentioni Dialecticæ initium dedit natura. Ipſa ſiquidem eſt, quæ nō ſolum huius, verum etiam ſcientiarum omnium in ſe continet ſemina, maxime vero Dialecticæ: nam Dialectica in ratione diffiniendi, diuidendi, & argumentandi verſatur, quæ munera cum natura ipſa ſunt nobis conceſſa, omnes ſiquidem homines, vt auctor eſt Ariſt. 1 *Rhet. cap.* 1. natura duce vſque ad certum terminum diffiniunt, diuidunt, & argumentantur, imperfecte hæc munera præſtant, egentque arte, vt abſque errore illa valeant exercere. *2. concluſ.*

3. concluſ. Ex obſeruatione operum dialecticorum nata eſt Dialectica artificialis, vel ex ipſa rerum omnium matre experiētia. Videntes enim veteres Philoſophi, homines inter ſe differentes, vel quippiam diffinientes, obſeruabant, quid rectum, & quid vitioſum eſſet in diffinitione, & argumentatione, rectumq; retinebant, vitioſum vero deinde corrigere nitebantur, ex qua perenni obſeruatione mirum in modum aucta fuit Dialectica, & ad exactam methodum, & artem reuocata. Confir. 1. Quia hoc commune eſt omnibus artibus, & ſcientijs, vt ex obſeruatione traxerint originem, Philoſophia enim naturæ, ex varia effectuum naturaliū obſeruatione, vt motuum orbium cœleſtium, influxuum Planetarum, & aſtrorum, diuerſorumque meteorologicorum, quæ in aere oriuntur, nata fuit. Rhetorica ab eadem traxit originem, vt Cicero *de oratore*, & Quintilian. 1. *lib. Inſtitutionum*, teſtantur. Nam ex obſeruatione, qua quidam recte, alij vero praue, in foro cauſas dicebant, fuit ipſa orta, quæ rectam rationem dicendi in foro proponit. Et certe Ariſt. aperte ſatis 1. *Rhet. c.* 1. docet, ex obſeruatione ortam fuiſſe Dialecticam. 2. Quia omnes artes, quæ in perficiendo aliquo opere naturæ verſantur, ex obſeruatione illius operis ortum habuerunt, vt quia ars ſaltandi verſatur in perficiendo opere naturæ, ex obſeruatione ſaltationis ortum illa habuit, ſed Dialectica inuenta fuit ad perficienda opera diffiniendi, & argumentandi, ergo ex obſeruatione horum operum fuit illa excogitata. *3. concluſ.*

4. concluſ. Dialectica inuenta fuit poſt alias ſcientias. Cuius ratio eſt, quia ex obſeruatione, qua fuit obſeruatum, qua ratione in alijs ſcientijs Philoſophi argumentarētur, diffinirent, aut diuiderent, orta fuit; prius igitur diffinierunt, diuiſerunt, & argumentati fue- *4. concluſ.*

runt Philoſophi in alijs ſcientijs, quam excogitata fuerit Dialectica, ac proinde fuit ipſa inuenta poſt alias ſcientias. Quod intelligi debet de ſcientijs imperfectis, non autem de perfectis, & abſolutis, nam tempore prior fuit Dialectica omnibus illis, vt in ſuperioribus quæſt. huius ſectionis docebamus.

5. concluſ. 5. concluſ. Inuentio Dialecticæ non eſt tribuenda Ariſtot. Sed antiquioribus Philoſophis. Confirm. 1. Quia Dialectica eſt diſtributa in partem topicã, analyticam & antecedentem vtramque: ſed has partes non prius adinuenit Ariſt. ergo inuentio Dialecticæ non erit ipſi tribuenda. Confir. aſſumpt. In parte topica agit Ariſt. de Problematibus generis, definitionis, proprij, & communis accidentis. ſed de genere, definitione, proprio, & accidente, multa legimus in Platone, & in alijs antiquioribus Philoſophis, ergo non inuenit ipſe partem topicam. Deinde neque analyticam, quia in hac agimus de demonſtratione, de qua egerunt antiquiores Philoſophi, etenim 1. *lib. de demonſtrat. cap.* 1. & 3. refert ipſe Ariſt. errores quorundam Philoſophorum de demonſtratione, quod certe non leue præbet argumentum, iam ipſos ante Ariſt. de demonſtratione egiſſe. Præterea in hac parte analytica de ſyllogiſmo diſputatur, de quo antiquiſſimos Philoſophos ſcripſiſſe docet Diogenes Laertius *libro* 7. *in Zenone*. Vltimo, neque antecedentem vtramque ipſe adinuenit. Agimus enim in illa de nominibus, & verbis, in lib. de interpretatione, de quibus multa tradiderat Plato in Cratyllo, & Sophiſta. Agimus etiam de Categoriis, de quarum ratione multa etiam apud Platonem in varijs dialogis legimus, & Pythagoras viginti Categorias eſſe volebat, decem bonorum, & totidem malorum.

Confirm. 2. eadem concluſio. Inter partes Dialecticæ vna eſt ea, quæ tradit rationem definiendi, hanc autem ante Ariſtotel. Socrates adinuenerat, vt eſt teſtis idem Ariſtoteles 1. *Metaphyſ. cap.* 6. & *lib.* 13. *cap.* 4. non igitur Ariſt. totam artem Dialecticam prius excogitauit.

Vlt. concluſ. Vltima concluſ. Ariſtot. intra certam methodum, & artem, Dialectica præcepta concluſit. Hæc enim laus (& maxima profecto) debetur Ariſtoteli, quod omnia præcepta, quæ diſperſa legebantur apud veteres Philoſophos de Dialectica, collegerit ipſe, & multis proprio Marte additis, intra fines huius artis (quam nobis conſcriptam reliquit) concluſerit, elegantique methodo tradiderit, & hoc fortaſſe indicant illa verba poſtrema, 2. *lib. de Reprehenſionibus Sophiſtarum*, in quibus ſe vocat auctorem Dialecticæ, quæ certe intelligi debent, vel quia ipſe præcepta collecta ad artem redegerit, vel quia multa ab eo ſunt addita, ex quibus mirum in modum fuit aucta, & locupletata Dialectica. Quod ſi quis alio modo illa intelligenda putat, meminerit Ariſt. hominem fuiſſe, qui mentiri potuerit (neque enim confirmatus erat, vt peccare non poſſet) Hac enim labe infecti fuerunt multi ex Græcis, vt multarum rerum inuentionem mendaciter ſibi conceſſerint, propter inanem gloriam, quam ardentiſſima ſibi cupiebant, quem ſuæ gentis morem ſequutus Ariſt. hanc ſibi laudem, nimia vſus indulgentia (non tamen vere) ſibi concedere voluit De qua re legendus eſt M. Iuſtinianus *lib.* 8. *Inſtitution. cap.* 17.

QVÆSTIO VI. ET VLTIMA

De methodo, qua Dialectica fuit inuenta, & tradita ab Ariſtotele.

SVſpicabitur fortaſſe aliquis, alienam eſſe a noſtro inſtituto hanc de methodo tractationem, in his ſiquidem quæſt. in quibus neceſſitatem Dialecticæ ad alias ſcientias comparandas nitimur explicare, quem, quæſo, locum hæc diſputatio de methodo poterit obtinere? Verum ſi quis rem hanc attentius contempletur, recto conſilio quæſtionem hanc fuiſſe propoſitam intelliget apertiſſime. Etenim cum Dialectica præbeat omnibus ſcientiis generalia quædam, & communia inſtrumenta ſciendi, inter quæ non minorem locum ſibi vendicat methodus, profecto in his quæſtionibus, in quibus rationem inſtrumenti in Dialectica nitimur explicare, iure optimo ſuſcipi debuit hæc de methodo diſputatio. Quanta autem ſit vis methodi in omnibus artibus, & diſciplinis, nouerunt optime duo illa Philoſophiæ lumina, Galen. & Ariſt. qui nullam partem Philoſophiæ explicandam ſuſceperunt, quin prius methodum, qua illa facilius compararetur, tradiderint. Galenus enim *in lib. Num ars tuendæ ſanitatis ad medicum ſpectet*, ita habet, Ego ſemper idem cenſeo, neque enim vnquam vel tradidi, vel docui artem aliquam, cuius methodum prius non didicerim, & in ea non me exercuerim, reperitque idem in principio artis paruæ. Et noſter Ariſt. hoc ad vnguem obſeruans variis in locis, vt 1. *de partibus animalium, cap.* 1. & 1. *Phyſicorum, cap.* 1. & 1. *Ethicor. cap.* 3. & 2. *Metaphyſ. cap. vlt.* methodum prius proponit, qua huiuſmodi

g.au ſſimis, auctor enim Rhetoricæ ad Herennium *lib. 3. cap 3.* ſub nomine diſpoſitionis ita diuidit methodum: quædam eſt, inquit, quæ progreditur ex inſtituto artis, & alia, quæ ſe accommodat ad caſum temporis, prima illa vtitur quis, quando progreditur iuxta artis præcepta, vt ſi in oratione ita progrediamur, vt prius vtemur exordio, deinde narratione, tertio diuiſione, quarto confirmatione, quinto confutatione, & ſexto epilogo: nam ita præcipit Rhetorica. Cæterum ſi quis propter temporum anguſtias, aut propter aliam occaſionem exordiretur, vel a confutatione, vel aliunde, prætermiſſa narratione & exordio, ille vteretur methodo, ſe accommodante ad occaſionem temporis.

1. Diuiſ.

2. Diuiſ. Rodolphus Agricola *3. lib. de inuentione, cap 6.* diuidit methodum in naturalem arbitrariam, & artificioſam, naturalis dicitur illa, in qua progredimur a ſimplicioribus ad compoſitiora: nam hic eſt ordo naturæ; Arbitraria methodus illa dicitur, in qua prætermiſſa methodo naturæ, ad arbitrium, aliqua ratione compulſi, alium ordinem ſequimur, quod præſtitit Porphyrius, agens prius de ſpecie, quam de differentia, nam ordine naturæ differentia prior eſt ſpecie, & Ariſt. in Categoriis, diſputans prius de relatione, quam de qualitate. Methodus artificioſa vocatur illa, in qua ex induſtria peruertimus totum ordinem, ita vt priora poſteriori loco, & poſteriora priori pertractentur, quæ methodus eſt oratoribus & poetis familiaris. Vnde Virg. *lib. 1. Æneid.* tradit nauigationem Æneæ in Carthaginem: & *2. lib.* canit excidium Troianum, cum tamen prius fuerit illud, quam quod Æneas flatibus ventorum ad oras Carthaginis duceretur. Verumtamen quia hæ diuiſiones non multum conferunt Philoſophis, proponenda erit alia his omnibus longe præſtantior, quæ tum inueniendis, tum etiam tradendis artibus poſſit nobis deſeruire, eſt autem

3 Diuiſ. hæc: Methodus alia eſt compoſitionis alia reſolutionis, & alia ſoluendæ finitionis, vel definitionis, quam diuiſionem proponit Galenus *in arte parua*, eamque ſummo conſenſu amplectuntur Dialectici, vno excepto Petro Ramo, & altero Audomaro Talæo, quorum ineptam opinionem diligentiſſime refotauit Iacobus Carpentarius in diſputatione aurea aduerſus Ramum, quam de methodo conſcriptam reliquit.

Quid metho. compoſit. Methodus compoſitionis illa eſt, in qua progredimur à ſimplicioribus ad compoſitiora, aut à prioribus natura ad poſteriora, cuius quatuor ſunt ſpecies: prima, in qua progredimur à ſimplicioribus ad compoſitiora, vt quando in Grammatica progredimur à litteris ad ſyllabas à ſyllabis ad dictiones, & ab his ad perfectas orationes. Secunda ſpecies eſt, quando progredimur à magis ad minus vniuerſalia, vt ſi quis diſputaturus de animalibus, ageret prius de animali in communi. Deinde vero de hoc vel altero animali, vt de homine vel equo, quam methodum accuratiſſime obſeruauit Ariſtoteles in libris de partibus & hiſtoria animalium. Tertia ſpecies eſt, in qua progredimur à cauſis ad effectus, quam obſeruaret ille, qui diſputaturus de eclipſi Lunæ, ageret prius de interpoſitione terræ inter Solem & Lunam, quæ eſt cauſa eclipſis. Quarta ſpecies eſt, in qua progredimur a mediis ad finem, quam obſeruat architectus iaciens prius fundamenta, deinde erigens parietes, & tandem conſtituens tecta, ex quibus ſequitur ſecura habitatio, quæ eſt finis domus conſtructæ, nam progreditur mediis ad finem.

Methodus reſolutionis, cum ſit contraria methodo compoſitionis, contrario modo erit definienda, & contrariæ erunt illi aſſignandæ ſpecies. Definitio illius eſt hæc: Via, qua progredimur à compoſitioribus ad ſimpliciora, & à poſterioribus ad priora natura, cui quatuor ſunt ſpecies: Prima, in qua progredimur à compoſitioribus ad ſimpliciora, vt ſi in Grammatica progrederemur ab oratione ad dictiones, ab his ad ſyllabas, & à ſyllabis ad elementa Secunda ſpecies eſt, in qua progredimur à minus vniuerſis ad magis vniuerſalia, vt ſi in diſputatione de animalibus prius ageremus de homine, vel boue, quam de animali. Tertia ſpecies eſt, quando progredimur ab effectu ad cauſam, vt ſi quis acturus de eclipſi Lunæ, prius ageret de ipſa, quam de interpoſitione terræ, quæ eſt illius cauſa. Quarta ſpecies eſt, in qua progredimur a fine ad media, vt ſi quis prius tractaret de ſalute, & deinde de medicamentis, quæ ſunt accommodata ad illam conſequendam.

Methodus ſoluendæ finitionis eſt, quando in principio alicuius artis proponimus generalem quandam ipſius definitionem, deinde vero illam partimur in ſua membra, quæ deinde definimus vſque ad ſpecies atomas, & induiduas, quam methodum ſequuti fuimus in inſtitutionibus: nam ſtatim in primo libro tradidimus definitionem Logicæ, quam diximus eſſe artē tradentē præcepta definiendi, &c. Deinde vero 2. libr egimus de ſing lis

rerum quę tractantur, tum etiam auditorum, quibus proponuntur. Eſſe maximam ratio nem rerum habendam, teſtatur Plato *in Phædro*. & Ariſt. 1. *lib. Ethic. cap.* 3. non enim omnes res ſunt eodem genere argumēti pertractandæ, ſed alio & alio, res enim ſempiternæ ab omnique commutatione liberæ, tractandæ ſunt exactiſſimis demonſtrationibus, caducæ vero, & quę ſtatim labuntur, argumentis probabilibus, & rationibus veriſimilibus ſunt explicandæ. & ita præclare dictum eſt ab Ariſt. ineptum eſſe velle efflagitare in omnibus diſciplinis mathematicas demonſtrationes. Præterea habendam eſſe rationem auditorum, teſtantur Pythagorici, vt videre licet in epiſtola Lyſidis Pythagorici, ad Hypparcum, quam integram refert Iacobus Carpentarius, *in præfatione Phyſiologiæ*, teſtatur idem Plato *in Epiſtola quadam ad Dionyſium*. Porphyrius *in libris de reſponſis Philoſophorum*, & illis maior auctoritate Ariſtot 2. *lib. Metaph. cap. vlt.* nam tyronibus alicuius artis, non ſunt alia myſteria proponenda, ſed tradenda eſt quædam adumbrata, & rudis cognitio, prouectioribus vero proponi poterunt res ſublimes, & acutiſſimæ demonſtrationes, ſunt enim hi iam apti ad res difficiles eam dignitate conſequendas. Hinc effectum eſt, vt Plato in Timeo docuerit, omnes res mundi eſſe animatas, anima quadam ſe diffundēte per illas, in aliis vero locis conſtituerit, ſola animalia eſſe animata: non quod ſummus Philoſophus vlla ratione ſibi contrarietur, vt egregie docet Galenus *in libello de ſubſtantia facultatum naturalium*, ſed quia tradebat myſteria hæc diuerſis auditoribus, nam coram rudibus, qui non poſſunt mente apprehendere, eſſe aliqua animata præter animalia, docuit ſola animalia eſſe animata, attamen coram ſapientibus, quos in Timeo inſtituebat, aptis ad profunda quæque myſteria percipienda, docuit hoc reconditum myſterium, omnia eſſe animata.

2. *præceptum* Secundum præceptum. In omnibus rebus, quæ habent principia, cauſas & elementa, debet diſputatio ab illis proficiſci, vt præcepit Ariſtotel. 1. *Phyſic. cap.* 1. quod & obſeruauit ad vnguem, nam acturus in Philoſophia naturæ de ente naturali, inprimis egit de principiis, cauſis, & elementis illius.

3. *præceptum* 3. præcept. Progrediendum eſt in omni diſciplina, à magis vniuerſis ad minus vniuerſa, vt præcipiebat Ariſt. 1. *lib. Phyſ. cap.* 1. & ita in libris de hiſtoria animalium, prius egit de animali, quam de eius ſpeciebus.

4. præcept. Quod fieri poteſt in tradendis diſciplinis, progrediendum eſt à notioribus nobis ad notiora naturæ, ita præcepit Ariſtoteles 2 *lib. Metaphyſ. cap.* 4. quod accuratiſſime in prima Philoſophia obſeruauit, nam cum eſſet diſputaturus de ſubſtantiis ſeparatis, quæ a ſenſibus noſtris, & modo cognoſcendi plurimum diſtant, ſunique natura cognitu facillimæ, prius egit de ſubſtantiis, quæ oriuntur & intereunt, quæ ſunt nobis cognitu faciliores nam ex illis quaſi excelſo gradu, ſeſe erigit mens ad ſubſtantias ſeparatas intuendas. 4. *præcept.*

Tractationem methodi attinere ad dialecticum contra controuerſiam eſt ab omnibus conſtitutum, vnde ſola controuerſia eſt, ad quam partem dialecticæ pertineat hæc diſputatio. Petrus Nunneſius *in præfatione inſtitutionum Phyſicorum & in commen*. Compoſitionis Dialect. in parte poſtrema exiſtimat, referendam eſſe ad partem Analyticam, ductus auctoritate Ariſtot. conſtituentis 4. *lib. Metaph. cap.* 3. Veteres Philoſophos ob ignorationem pediæ Analyticæ prolapſos eſſe in varios errores, & Alexandri Aphrod. 2. *libr. Metaphy. cap. vlt.* conſtituentis, tractationem methodi ſpectare ad Analyticum, hæc tamen ſententia eſt omnino falſa. Primo, quia Ariſtot. non inſtituit in Analyticis agere de methodo, ſed de demonſtratione, quamuis proponat aliqua præcepta methodi. Secundo, quia ad illum artificem ſpectat agere de methodo, ad quem ſpectat agere de omni methodo, atqui ad Analyticum non ſpectat agere de omni methodo in genere, ergo neque agere de methodo, confirmatur aſſumpt. Ad Analyticum ſpectat agere de Analyſi, quæ nihil aliud eſt, quam reſolutio quædam effectus in ſuas cauſas, & concluſionis in ſua principia, ergo ad Analyticum tantum ſpectabit agere de reſolutione, non autem de compoſitione vel definitione, & ita ſi quam methodum pertractar, erit ſola methodus reſolutionis, vnde non aget de omni methodo. 5. *pars quæſt.*

Neque Ariſtoteles aut Alexander illi aliquo modo fauent, non Ariſtotel. quia nomine pediæ Analyticæ, non intellexit demonſtrationem, ſed methodum reſolutionis, ob cuius ignorationem prolapſi fuere in varios errores. Neque Alexander, qui tantum docet perfectum methodicum debere eſſe inſtructum præceptis Analyticis, quod nos libenter fatemur, nuſquam autem ipſe docuit, referendam eſſe hanc diſputationem ad par-

Digitized by Google

tem Analyticam. Vnde opinantur vniuerſam artem diſſerendi, diſtributā eſſe in duas partes in quarum prima agitur de methodo, in altera vero de ratione, diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, erit itaq; proprium munus dialectici diſputare de methodo. Alii vero artifices mutuato munere ab illo, quiſq; in ſua arte præcepta methodi proponet. Quemadmodum proprium munus eiuſdem dialectici eſt agere de diffinitione, &c. Alii vero artifices mutuato munere à dialectico, hæc in ſua arte poterunt præſtare.

In hac poſtrema parte explicandum ſupereſt qua methodo fuerit inuenta & conſtituta dialectica ab Ariſtot. in qua re Petrus Ramus docet Ariſt. neque in tradenda Philoſophia, neq; in explicandi dialectica, vllam methodum obſeruaſſe, vnde Ariſt. A methodicum vocat, tanquā ſine methodo diſciplinas pertractantem. Cæterum qua fronte Ramus hanc iniuriam inrrat Ariſtot. prorſus ignoro, cum nullus ſit ex veteribus Philoſophis, qui vel rerum ſubtilitate vel in tradendis diſciplinis, accuratiſſima methodo, cum Ariſtotel. conferre vlla ratione queat. Vnde inter illos non ſecus quam ſol inter ſidera, longe lateque collucere videtur. Illius itaque inepta opinione prætermiſſa, quam diligentiſſime confutat Ludouicus Lemoſ. 2. *lib. parad. Dialecticorum errore.* 10. in huius rei explicationem ſequuti Nunnenſ. *in commentariis lib. de conſtitut. artis Dialectica*, Moneonum 1. *lib. compo. Dialect. cap.* 6. & Villalp. *q.* 6. ſit 1. concluſ.

Dialectica inuenta fuit methodo reſolutionis. Confirmatur 4. ſpecies methodi reſolutionis eſt, in qua ex notione finis ad alia inuenienda progredimur. ſed ex notione demonſtrationis, quæ finis eſt præcipuus Dialecticæ ex 1. *lib. Priorum cap* 1. progreſſus eſt Ariſtotel. ad inueniendam Dialecticam, nam quia demonſtratio conſtat ex propoſitionibus, ſunt illæ adinuentæ, quæ tractantur in libris de interpretatione, & quia propoſitiones conflantur ex vocibus ſimplicibus, ſunt illæ adinuentæ, quæ depromuntur à categoriis, & ita fuit tota Logica inuenta, quæ conſtat ex libris categoriarum, de Interpretatione, & de ſyllogiſmo.

Secunda concluſ. Dialectica tradita fuit ab Ariſtotele methodo compoſitionis & naturæ. Confirmatur, methodo compoſitionis progredimur à ſimplicioribus ad compoſitiora, atqui ita traditur dialectica, nam primo traduntur categoriæ, quæ ſunt ſpecies ſimpliciores, quia in categoriis finierat reſolutio. Deinde traduntur libri de interpretatione, in quibus pertractantur propoſitiones, quæ ſunt magis compoſitæ. Præterea explicantur libri de priori & poſteriori Analyſi, in quibus explicantur ſyllogiſmi, qui ſunt magis compoſiti, quam propoſitiones, ergo tradita fuit tota ars methodo compoſitionis.

Tertia concluſio. Quamuis tota ars diſſerendi tradita fuerit methodo compoſitionis, aliquæ tamen partes illius explicatæ fuerunt aliis methodis, nam cum in categoriis prius ageret Ariſtot. de relatis, quam de qualitate, obſeruauit methodum arbitrariam, & 1. *lib. Topic. cap* 1. proponens generalem quanquam diffinitionem argumentationis probabilis, obſeruauit methodum ſoluendæ diffinitionis & 1. *lib. priorum cap.* 1. propoſita diffinitione pronuntiati, reſolutoque illo in ſubiectum & attributum, obſeruauit methodum reſolutionis. Atque hæc de omnibus quæſtionibus procemialibus dicta fuerint ſatis.

COMMENTARIA IN INSTITVTIONES PORPHYRII, IN quibus de quinq; vocibus vniuerſis diſputatur.

EODEM FR. DIDACO MASIO VALENTINO ordinis Prædicatorum auctore.

PROLEGOMENA OPERIS.

IGITVR quęſtionibus illis explicatis, quæ veteri conſuetudine, & maiorum inſtituto, ante Dialecticam proponi ſolent, æquum erat, vt vniuerſam artem diſſerendi, à categoriis cum Ariſtotele exordiremur. Verum, quia illæ probe intelligi nequeunt ſine cognitione generis, ſpeciei, & aliarum vocum communium, hinc effectum eſt, vt ſuperiores Philoſophi, quorum veſtigiis inſiſtere debemus, hanc tractationem quinque vocum à Porphyr. editam ſtatim in principio dialecticæ explicandam propoſuerint, tanquam prębentem nobis aditum, & præparantem viam, ad categorias Ariſtotel. & vniuerſam artem diſſerendi conſequendam. Cæterum, quia probati Philoſophi, tam Græci, quam Latini, in principio cuiuſque operis proponenda eſſe cenſent quædam prolegomena, quæ præfata communi nomine dici conſueuerunt, hæc eadem prolegomena ante huius operis explicationem, veteres ſequuti proponemus, & quamuis à D. Seuerino Boet. ſex tantum tradantur, & ab Ammonio ſeptem, nos cum aliis nouem proponemus. Primum erit de nomine auctoris, & de illius vita moribus atque ſecta, quam fuit profeſſus. Secundum, de inſcriptione operis vel titulo. Tertium de vtilitate. Quartum de fine & inſtituto. Quintum de genere ſermonis, & ſtylo orationis. Sextum ſub qua parte Philoſophiæ comprehendatur. Septimum quem ordinem obſeruet ad alios libros dialecticos. Octauum, de diſtributione operis in partes. Et nonum de methodo obſeruata à Porphyrio in hoc opere explicando, quæ nouem prolegomena breuiter & ſuccincte erunt à nobis explicanda.

De nomine & vita auctoris.

AVctor huius operis eſt Porphyr. natione Phenix, patria Tirius Siriaca lingua vocabatur Malcus, quæ vox Græco ſermone interpretata, ſignificat Regem. Vnde Amelius ipſius ex Plotino M. condiſcipulus in libello ad eundem de differentia doctrinæ Plotini, & Numenii Pythagorici conſcripto, nomen patrium Malci interpretatus Regem ipſum vocauit, vt idem Porphyr. in vita Plotini à ſe ædita profitetur. Vocatus etiam fuit philoſophus Tirius, vt conſtat ex Suida in Græcis Commentariis. A Libanio Sophiſta ſenex Tirius, vt legimus *in hiſtoria Tripartita libr. 7. cap. 2.* Deinde vero ob purpuream veſtem, qua ob generis ſplendorem, & nobilitatem vtebatur, Porphyrii nomen fuit conſecutus. Primo quidem fuit profeſſione Chriſtianus, deinde vero propter odium quorundam Chriſtianorum, à quibus fuerat cæſus in Cæſarea Paleſtinæ, *vt in eodem loco Tripartita* legimus: vel (vt ego verius puto) illuſionibus, & præſtigiis dæmonum, ob artem magicam, quam ille miſere ſectabatur irretitus, & in furorem verſus, deſeruit Chriſtianiſmum, ſeque deinde acerrimum eccleſiæ, & Chriſtiani nominis hoſtem præbuit: nam quindecim volumina aduerſus catholicam religionem ſacrilego, & virulento ore euomuit, verum illi ſtatim occurrerunt, ſanctiſſimi, & eruditiſſimi Patres multa volumina aduerſus ipſum conſcribentes. Apollinaris ſiquidem Laodicenus triginta volumina conſcripta nobis reliquit. Methodius quam plurima, Euſebius Cæſarienſis tria. Diuus Auguſtinus *in lib. de ciuitate Dei*, & D. Hieronymus *multis in locis*, maxime vero ſupra Danielem, quam leuia fuerint, & futilia illius argumen-

Legitur an[...]em hoc opus [...] omnibus Academiis Catholicorum, eo q[uod n]ihil aduerſus fidem [c]ontineat.

gamenta, luce meridiana clarius demonſtrarunt. Secta fuit Platonicus, habuitque præceptorem Plotinum, illuſtrem Platonicum, & inter alios condiſcipulos Originem Adamantium virum (vt mea fert opinio) in omni parte philoſophiæ, tam diuina quam humana admirabilem. Quamuis in ſecta Peripateticorum, ſed illa, multumque exercuerit. Conſcripſit varia, & eruditiſſima in Grammatica, Rhetorica, Dialectica, & Philoſophia volumina, inter quæ non infimum locum obtinet liber hic quinque vocum, quem hac occaſione conſcripſit. Cum Chryſaorius patricius Romanus, ipſius chariſſimus diſcipulus, maximo teneretur deſiderio intelligendi categorias Ariſtotel. quas propter nonnullas voces in ibi contentas, generis, ſpeciei, & alias, nulla ratione poterat intelligere, enixe obſecrauit Porphy. vt opus conſcriberet, in quo harum vocum rationes continerentur, tanquam Iſagoges, & introductio, ad categorias, & vniuerſam dialecticam intelligendam. Acquieuit Porphyrius dictis poſceutis, hancque breuem introductionem ſummo ingenio & induſtria elaboratam, tanquam perpetuum ingenii ſui momumentum, nobis conſcriptam reliquit. Floruit autem anno domini 280. Imperatoribus Aureliano, & Diocletiano.

De inſcriptione libri.

INſcribitur autem liber hic introductio Porphy. vel Iſagoges, vel inſtitutio, vt vertit Petonius: à veteribus Latinis inſcriptus fuit de quinque prædicabilibus, id eſt, de quinque attributis, à recentioribus vero, de quinque vocibus communibus, & vniuerſis. Dubitant tamen interpretes, quare Porphyrius in titulo viſus fuerit tam late patente voce, & communiori vocabulo, inquit enim, inſtitutiones abſque vlla limitatione non exprimendo ad aliquam partem philoſophiæ: ita vt dicamus, inſtitutiones ad categorias, vel ad Dialecticam. Huic dubitationi reſpondere poſſumus inprimis cum D. Seuerino Boetio, ſubintelligendum eſſe in hoc titulo ad Categorias Ariſto. quamuis in illo non exprimatur. Cum enim rogatu Chryſaorii hoc opus ediderit Porphyrius ad intelligẽdas categorias Ariſto. ſubintelligi debet ad categorias intelligendas. Reſpondetur ſecundo cum Ammonio propter anthonomaſiam & excellentiam Porphyrium viſum fuiſſe hac voce generaliori, quamuis enim ab alijs Philoſophis ſint variæ inſtitutiones conſcriptæ, cæterum, quia hæc multis titulis omnes illas ſuperat, per excellentiam, abſolute nomen inſtitutionis ſibi vendicauit: quemadmodũ per anthonomaſiam dicimus poetam apud Græcos eſſe Homerum, & apud Latinos Virgil. Reſp. tertio cum M. Soto, & Franciſco à Toleto hoc opus nõ ſolum eſſe vtile ad categorias, vel ad dialecticam aſſequendam, verum etiam eſſe maxime accommodatũ ad omnem partem philoſophiæ accurate percipiendam, & ita abſolute vocatur introductio, vel inſtitutio, nomine late patente, & non compreſſe, vel ad categorias, vel ad dialecticam, quia non tantum ad has partes, verum etiam & ad vniuerſam Philoſophiam, poteſt nobis deſeruire. Tertium, quartum, & quintum prolegomenõ, prætermittimus explicare, quia à Porphy. in præfatione abunde ſatis proponuntur.

An ſit hic liber pars Philoſophiæ, & de ordine quem obſeruat ad alias partes Dialecticæ.

AMmonius putat ſub nulla parte Philoſophiæ eſſe hanc tractationem comprehenſam, ſed ad omnem partem eſſe generale quoddam, & commune inſtrumentum: nam eſt pars dialecticæ, quæ non eſt pars, ſed inſtrumentum philoſophiæ. Exiſtimo tamen contineri ſub philoſophia contemplatiua, propter contrariam rationem: quia eſt pars Dialecticæ, quam eſſe partem philoſophiæ, iam ſupra in quæſtionibus procemialibus documus.

Hunc autem ordinem retinet ad alias partes Dialecticæ, vt inter illas primum ſibi vendicet locum. Quod ex eo colligit Ammonius, quia in quauis ſcientia pars illa, quæ continet prima elementa, eſt priori loco tradenda, nam elementa priora ſunt rebus, quæ ex illis conflantur: quare cum in hac tractatione contineantur prima Dialecticæ elementa, ſcilic. Genus, ſpecies, differentia, &c. inter partes illius erit priori loco tradenda.

De diuiſione operis, methodo obſeruata, & num ſit Porphyrii.

IN tres partes exiſtimat Ammonius eſſe opus diuidendum, in quarum prima de quinque vocibus ſeorſum, & ſigillatim diſputat Porphyr. in ſecunda agit de his, quæ propria & communia ſunt ſingulis vocibus, & in tertia de his, quæ omnibus illis ſunt communia. Poſſumus tamen alia ratione in tres partes opus diuidere, in quarum prima continetur præfatiuncula, in ſecunda explicatur ra-

tio ſin-

tio ſingularum vocum, in tertia vero communitates, & differentiæ illarum, tam in communi, quam in particulari proponuntur.

Methodus quam obſeruat Porphyr. non eſt vna & eadem, ſed multiplex & diuerſa. Nā agens prius de genere, quam de ſpecie, & de proprio, quam de communi accidente, methodum naturæ, & compoſitionis obſeruauit, egit enim prius de his, quę ſunt priora natura. Verum agens prius de ſpecie, quam de differentia, hac methodo prætermiſſa, amplexus eſt methodum arbitrariam. Attamen in declarandis ſingulis vocibus, vſus eſt methodo ſoluendæ diffinitionis, nam patefacta prius homonymia ſingularum vocum, deinde ipſarum diffinitiones proponit.

Eſt autem hoc opus Porph. colligere poſſumus primo cum Ammonio ex ſtylo orationis Porph. familiari. Secundo: Quia illius à quam à ſe editi in aliis locis meminit Porphy. Et tertio ex Suida, qui in indice operum Porphyr. vnum librum quinque vocum proponit. His igitur prolægomenis explicatis, æquum eſt vt ad explicationem ipſius Porphyr. accedamus.

ARGVMENTVM CAP.

In tres partes eſt caput diſtributum à Porphyrio, in prima explicat vtilitatem. In ſecunda, ſtylum orationis. Et in tertia, opus ipſum commendat.

PRÆFATIO PORPHYRII.

QVia neceſſaria eſt, Chryſaori, ad Categoriarum doctrinam, quæ ab Ariſtotele tradita eſt, generis, differentiæ, ſpeciei, proprii, accidentiſq; cognitio, earumq; rerum tractatio, ad res definitione explicandas, omninoque ad diuidendi ac demonſtrandi rationem magnum adfert adiumentum: tibi facta breui tractatione conabor paucis, & vt inſtitutionis ratio poſtulat, quæ à maioribus tradita ſunt exponere. In quo ego, prætermiſſis obſcurioribus quæſtionibus, eas interim modice tractabo, quæ faciliores ſunt & magis ad ſenſum popularem accommodantur. Ac primum ne longe abeam, de generibus ac formis, cadant ne ipſa in rerum naturam, an vero in nudis tantum animi conceptionibus poſita ſint: & ſi in rerum ſint natura, vtrum corpora ſint, anne corporis expertia: & num auulſa ſint & diſtracta ab iis, quæ ſubiecta ſunt ſenſibus: an in iis ipſis hæreant ac nitantur; hæc, inquam, prætermittam omnia, præſertim cum ſit obſcuriſſima huiuſmodi tractatio, & quæ maiore alia egeat perquiſitione. Quo autem pacto de his ipſis, aliiſq; quæ propoſuimus, cum veteres omnes, tum vel maxime Peripatetici magis accommodate ad rationem differendi, diſputauerunt, docere tentabo.

COMMENTARIA.

SOlent eximij oratores, in principio cuiuſque operis illa præfari, quæ auditorū beneuolentiam, & attentionem concilient, reddantque eoſdem dociles, & idoneos ad opus intelligendum. Functus igitur Porphy. eximij oratoris munere, & officio, nititur in hac præfaciuncula Chriſaorium beneuolum attentum, & docilem reddere. Beneuolum, & attentum, proponens vtilitatem operis, & auctoris inſtitutū. Docilem vero, indicans ſe facile, craſſaq; minerua, reiectis difficilioribus quæſtionib. de rebus vniuerſis pertractaturū. Et ita diſtribuenda eſt præfatio in tres partes pręcipuas, in quarum prima proponit vtilitatem operis: in ſecunda explicat inſtitutum, & orationis ſtylum, modumq; progrediendi: in tertia vero cōmendat maxime opus, docens è quib. fontib. fuerit illud collectum. Primam partem proponit Porph in primis verbis præfationis, quæ ſic ſe habent.

A *Quia neceſſaria eſt, &c.* Explicat in hac prima parte operis vtilitatem, dicens illud eſſe maxime vtile ad hęc quatuor. Inprimis ad categorias, deinde ad definiendum, tertio ad diuidendum, & quarto ad demonſtrandum. Ad quæ certe quantam hęc tractatio adferat vtilitatem, tanquam omnibus notum, non eſt cur aliqua ratione à nobis demonſtretur. *1. Pars cap.*

B *In quo ego, &c.* In hac ſecunda parte explicat Porph. ſtylum orationis obſeruandum in *2. Pars cap.*

Digitized by Google

tractatione harum quinque vocum, dicens, agẽdum eſſe de illis breuiter, & facile, vt ratio inſtitutionis poſtulare videtur, in qua tyronibus ſunt omnia breuiter & facile proponenda. Cauſas autem facilitatis duas ipſe tradit, prima, quia ſunt in illo prætermittendæ obſcuriores quæſtiones, quæ tenera adoleſcentium ingenia poſſunt perturbare, præſertimque tres de rebus vniuerſis: Prima, an ſint illæ in rerum natura, vel tantum conſiſtent beneficio intellectus. Secunda ſint ne præditæ corpore, vt homo, vel arbor, vel an ſint incorporeæ, vt ſunt Deus & ſubſtantiæ ſeparatæ. Tertia an ſint auulſæ a ſingularibus, vt voluit Plato, vel potius ſint cum ipſis coniunctæ, vt Peripatetici conſtituerunt. Hæ inquam tres quæſtiones prætermittendæ erunt, tũ ob maximam illarum obſcuritatem, tũ etiam, quia agere de ipſis, eſt alterius artificis, ſc. Metaph. cui ex proprio munere incumbit de rebus vniuerſis diſputare. Altera cauſa facilitatis eſt, quia non ſunt a nobis proponendę accuratiſſimæ demonſtrationes, vel ſubtiles rationes, quas nequeant imperiti adoleſcentes intelligere: ſed vtendum erit in hac tractatione argumentis probabilibus, rationibus veriſimilibus, & maxime accommodatis ad artem diſſerendi, quæ a rudibus adoleſcentibus, & tyronibus, quibus hæc inſtitutio fuit conſcripta, intelligi queant.

pars cap. C *Quo autem pacto, &c.* Commendat in vltima parte præfatiunculæ Porphyr. ſuum opus, conſtituens illud eſſe collectum ex monumentis doctiſſimorum peripateticorum, qui inter omnes alios philoſophos, & de arte diſſerendi, & de omni parte phiſophiæ fuerũt maxime benemeriti. Cum ergo quodlibet opus ex eo ſit maxima commendatione dignũ, ſi ab aliquo eximio & perito artifice ſit illud deriuatum, in maximo pretio, ſummaq; commendatione debet tractatio hæc quinq; vocum ab omnibus philoſophiæ ſtudioſis retineri.

Scholia in præfationem.

Methodum hanc in præfatione ad dialecticam nos obſeruaturos polliciti fueramus, vt poſt contextus breuem, facilem, & apertam explicationem, adderemus ſcholia in quibus ſi forte dubitationes aliquæ, vel diuerſæ interpretum ſententiæ in explicando contextu ſeſe offerrent, proponerentur a nobis. Quam methodum in hac præfatione obſeruantes, proponendæ erunt nonnullæ adnotationes ad Porphyr. mentem apertius illuſtrandam. Animaduertant tamen lectores in his ſcholiis non proponi initia contextus, vt in paraphraſi fuerunt propoſita, vt hac ratione intelligere poſſemus, quæ ſcholia quib. textibus reſponderent, ne ſcil. ſæpius eadem contextus principia repeteremus, ſed hanc rẽ literis alphabeticis indicatam fuiſſe. Itaque ſcholium, quod continet literam illam ſibi in textu reſpondentem, ad illum textum explicandum adhibitum fuiſſe, intelligere debemus. Verum, quia circa eundem textum, aliquando ſeſe offerunt multæ obſeruationes, ob hanc cauſam, eandem literam illius textus additis numeris ſæpe repetimus: vt ita intelligamus quænam ſit prima, quænam ſecunda, quænam tertia, circa eandem literam obſeruatio. Quod in omnib. aliis capitibus totius dialecticæ, in quibus intelligemus eſſe neceſſaria ſcholia, obſeruabimus.

Ad primum: Quamuis Porph. nulla ratione confirmet eſſe hanc tractationem neceſſariam ad categorias, & vtilem ad definiendum, diuidendum, nos hanc poſſumus proponere. Diſputatio quinque vocum neceſſaria eſt ad categorias, & vtilis ad definiendum, & diuidendum, ſed hæc tractatio continet diſputationem quinque vocum, ergo erit illa neceſſaria ad categorias, & vtilis ad diffiniendum, & diuidendum. Aſſumptio aperta eſt, nam in hac tractatione de nulla alia re niſi de quinque vocibus diſputamus. Propoſitionem vero in hunc modum poſſumus confirmare, in primiſq; eſſe neceſſariam ad categorias. Tum quia categoria eſt ſeries generum, formarum & indiuiduorum. Tum etiam, quia inter categorias nouem ſunt accidentium, & inter accidentia quędam ſunt propria, & alia communia, quæ omnia a quinque vocibus peti debent. Deinde vtilem eſſe ad diffiniendum, & diuidendum, de diffinitione conſtare poteſt. Quia illa vel eſt eſſentialis, vel accidentaria, ſi fuerit eſſentialis, conſtare debet genere, & differentia, vel ijs quę habent locum generis, & differentiæ. Quod ſi fuerit accidentaria conſtare debet, vel genere & proprietate, vel genere & multorum accidentium collectione. De diuiſione vero colligi poterit. Quia inter diuiſiones quædam eſt eſſentialis, & alia accidentaria. Eſſentialis eſt generis in ſpecies, vel generis in differentias. Accidentaria vel eſt ſubiecti in accidentia, vel accidentis in ſubiecta, vel accidentis in accidentia. Quorum omnium ratio erit ex hac diſputatione haurienda. Et tandem vtilem eſſe ad demonſtrandum confirmare poſſumus ex eo, quod

medium

Digitized by Google

medium demonſtrationis eſt definitio ſubiecti, vel proprietatis, quæ ex genere & differentia, vel ex iis, quæ horum habeant locum, conſtare debet. In concluſione vero eiuſdem, ſubiectum eſt ſpecies, attributum vero proprietas, at quid ſit genus, quid ſpecies, quid differentia, quid proprium & quid commune accidens, ex hac diſputatione poſtulari debet. Erit igitur hæc tractatio neceſſaria ad categorias, & vtilis ad diffiniendum, diuidendum & demonſtrandum.

Explicatur quædam dubitatio. Ad ſecundum. Dubitant interpretes quare Porphyrius dixerit hanc tractationem eſſe neceſſariam ad categorias, & vtilem tantum ad diffiniendum, diuidendum, & demonſtrãdum. Boetius reſpondet Porphyr. per neceſſarium ad categorias, etiam vtile intellexiſſe. Nam neceſſarium quoddam eſt propter ſe, qua ratione dicimus hominem neceſſario eſſe animal, & aliud propter finem, vt medicamentum, & minutio ſanguinis, ſunt neceſſaria propter ſalutem aſſequendam. Et hoc communi nomine dicitur vtile. Itaque hæc tractatio eſt neceſſaria ad categorias, id eſt, vtilis. nam eſt neceſſaria ad hunc finem, qui eſt probe intelligere categorias Et hanc eandem ſolutionem tradit Ammonius. Vel reſpondere poſſumus neceſſariam eſſe quemadmodum ad categorias, ita ad diffiniendum diuidendum, & demonſtrandum. Etenim vtile aliquando ſignificat idem quod neceſſarium, nam cibus vtilis eſt ad vitam, qui ad eandem eſt abſolute neceſſarius, & ita hæc tractatio vt continet rationem harum quinque vocum, erit vtilis, id eſt, neceſſaria abſolute, ad diffiniendum, diuidendum, & demonſtrandum. Verum de hac re vberius multo in quæſtion. quam deinde proponemus.

Explicatur altera dubitatio. C Eſt etiam alia dubitatio in hoc loco Cũ olim tam Platonici, quam Ariſtotelici vocati fuerint Peripatetici, quos Peripateticorum nomine hoc loco intelligat Porphyr. quando inquit eſſe collectum opus ex Philoſophis Peripateticis. Vt hanc dubitationem diſſoluamus, animaduertẽdum eſt Platon. extitiſſe principium, & fontẽ familiæ peripateticorum, vt Leonicus Thomeus in ſuis dialogis, Ioann. Arboreus in his commentariis & alii volunt. Etenim Plato deambulando diſcipulos inſtituebat vt ita per corpoream exercitationem, mentem acueret, ex qua actione deambulandi nomen peripateticorum deductum fuit, & deriuatum, vt auctor eſt Cicero. *1. lib quæſt. Academic* Quem eundem modum docendi retinuerunt deinde Ariſtoteles & Xenocrates, illius diſcipuli, eodemque nomine peripateticorum donati fuerunt. Diſtinguebantur tamen, quia diſcipuli Ariſt. vocabantur Peripatetici ex Lycæo, Xenocratis vero ex Academia, loco in quo Plato docere ſolebat, erat enim ille in ſuburbano quodam Athenienſi loco nemoroſo, ita ab Heroe Academo vocato, vt auctor eſt Laertius in Platone. Quem locum Plato hereditate reliquerat Xenocrati Vnde illius diſcipuli vocabantur Peripatetici ex academia. Verum deinde amiſſo priori nomine, vocati ſunt academici. ex loco in quo docebat: Diſcipuli vero Ariſt ſemper idem nomen Peripateticorum retinuerunt, quemadmodum in præfationibus categoriarum, quando de Ariſtotele & illius ſecta agemus. Cum igitur olim tam Platonici, quam Ariſtotelici, tam diſcipuli Xenocratis quam Ariſt diſti fuerint peripatetici, quæritmus quos hoc nomine intelligat Porphyrius Platonicos vel Ariſtotelicos? Ammonius. Soto, Villalpandus, & Guaricus, dicunt intellexiſſe Porph. Platonicos nam fuit diſcipulus Plotini, & Longini Platon. vt tradit Volater. *lib.* 18. *Antropologiæ.* Tum etiam quia bona pars horum quæ hic traduntur, ex Philebo Platonis videntur deprompta. Alii vero vt Auerroes, Boetius, B. Albertus M. Louanienſes, Canterus, & Montanenſis exiſtimant intellexiſſe Ariſtotelicos, & non Platonicos. Tum quia Porphyr. tempore ſolum Ariſtotelici vocabantur peripatetici. Tum quia ad Ariſt. Logicam hæc introductio viam præparat: vnde in cap de differentia aperte profitetur ſe rationem quandam ex Ariſt. depromere. Tum etiam, quia tota fere hæc doctrina hauſta videtur ex Topicis, & Metaph. Ariſt Mihi, tamen quamuis hæc ſententia videatur probabilior, credibile ſit vtroſq; philoſophos Porph. intellexiſſe. Nam in cap. de ſpecie præceptum quoddam Platonis proponit, & cum eſſet ſecta Platonicus, multa mutuatus eſt ex Platonicis, quamuis magis intellexiſſe Ariſtotelicos propter rationes aſſignatas opinor.

QVÆST. VNICA,

An hic liber ſit neceſſarius ad dialecticam, & categorias intelligendas,

PArtem aientem, (eſſe ſcilicet abſolute neceſſariũ) Confirmo primo ex verbis Porphyr, qui abſolute inquit eſſe neceſſarium ad categorias intelligendas. Secundo; Categoria eſt ſeries, & ordo generum, Formarum, *1. Argum,*

Digitized by Google

. *argum.* & I... iuidu r .m, ergo ſine ratione generis, ſpec ei & indiuidui nulla ratione poterit intelligi, ſed in hac tractatione explicatur quid ſit genus, quid ſpecies, & quid indiuiduum, ergo erit abſolute neceſſaria ad categorias intelligendas. Quod ſi quis dicat argumentū concludere tractationem 5. vocum neceſſariā eſſe, non tamen hunc illorum, vt traditur à Porph. quia poterant categoriæ ante Porph. probe intelligi abſq. hoc opere: Contra ita ergo & ſit 3. arg. Cognitio 5. vocum eſt abſolute neceſſaria ad categorias intelligendas, ſed hic liber continet cognitionem quinque vocum, ergo erit abſolute neceſſarius ad categorias intelligendas.

..*Opinio.* D. Albert. M. *tract. 2. ſuper Porph c. 1.* arbitratur hanc tractationem Porph. eſſe neceſſariā ſimpliciter abſolute, &(vt inquit) ineuitabiliter ad categorias, & dialecticā. Quæ ſentētia confirmari poteſt argumentis propoſitis.

..*Opinio.* Boetius vero, Auerroes, & Caiet. è contra putant, in hoc loco, illam tantum eſſe vtilem, & non neceſſariam.

.*Opinio.* Eſt tamen tertia ſententia Ammonii, M. Soti, Tolet, Meread, & aliorum, rationem 5. vocum eſſe neceſſariam ad categorias, hūc tamen librum Porph. tantum eſſe vtilem. Quæ ſententia videtur mihi probabilior. Atq; ita, vt illam explicem animaduerto tractationem quinque vocum poſſe duobus modis ſumi.

Obſeruatio. Primo, vt tradit nobis illarum cognitionem. quæ vel poteſt eſſe accurata, & perfecta: vel rudis quædam, & imperfecta Secundo, vt tradita fuit, & ſcriptis mandata à Porph.

. *concluſ.* 1 concl. Hæc tractatio vt eſt edita à Porphyr. non eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria, ad Categorias, & dialecticam Confirmatur. Primo quia ante Porphy. extiterunt grauiſſimi philoſophi, qui abſolutam, & cōſummatam cognitionem categoriarum, & dialecticæ cōſecuti fuerunt, abſq; huius tractationis præſidio. Secūdo: Veteres philoſophi, qui ætate anteceſſerunt Porph. de his quinq; vocibus egerunt erudite, cum ex illorum monumentis ingenue profiteatur, ſe hoc opus collegiſſe d. quib. Ariſt. 1. *Top. & 5 Metaph.* diſputauit ergo hæc tractatio vt eſt propoſita à Porph. non erit abſolute neceſſaria.

2. concl. 2. concl. Hæc tractatio vt traditur à Porphyr eſt maxime vtilis, ad eundem finē. Hanc in præfatione eius Porphyr. abunde ſatis exornauimus. Et certe hæc laus debetur Porphy. quod ea quæ de his vocibus à philoſophis tradita, ueru tabſque methodo, & ordine, ipſe aptiſſima methodo obſeruata, intra limites huius parui libelli illa fuerit complexus, in quo cum maxima omnium vtilitate harū quinque vocum naturam explicatam reliquit.

3. concl. Tractatio hæc vt continet rationem aliquam, rudem ſcilicet. & imperfectam harum quinque vocum, eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria ad categorias, & Dialectic. Confirmatur: Quia cum categoria ſit ordo, & ſeries generum, formarum & indiuiduorum, ſine horū cognitione nulla ratione poterit intelligi, quid ſit illa at quid ſit genus, quid ſpecies, & quid indiuiduum, in hac tractatione explicatur. Et hac ratione intelligendum eſt D. Albertus M. Et eandem confirmant argumenta in principio propoſita. *3. concl.*

4. concl. Exacta & abſoluta harum vocum cognitio, non eſt ſimpliciter neceſſaria ad categorias. Primo, quia in eadem categoriarum tractatione, explicari poſſunt ea, quæ ex his vocibus neceſſaria ſunt ad categorias intelligendas, familiaribus quibuſdam exemplis in medium propoſitis. Secundo: Quia ſi accurata harum cognitio eſſet abſolute neceſſaria, reprehendendus profecto iure eſſet Ariſt totius Dialecticæ, quaſi parens, qui hanc tractationem omnino neceſſariam ante categorias prætermiſerit, quod certe tanto viro non eſt tribuendum. At quia intellexit ſat eſſe rudem quandam, & craſſam cognitionem, & quæ in categoriis poterat explicari ad illas intelligendas, ob hanc cauſam, non eſt auſpicatus dialecticam à quinque vocibus, ſed ipſis prætermiſſis, ipſam à categoriis eſt præfatur. *4. concl.*

Ad argumenta. Ad primum iam reſpondimus in prima annotatione cum Boetio Porphyr. nomine neceſſarii vtile intellexiſſe, vel cum Boetio. Porphyr. nomine neceſſarii vtile intellexiſſe, vel cum Ammonio poſſumus reſpondere Porphy. non eſſe locutum de opere à ſe edito, ſed de cognitione quinq; vocum, quæ ſi fuerit rudis quædam, & adumbrata erit abſolute neceſſaria: ſi vero conſummata, non erit neceſſaria ſed tantum vtilis. *Ad 1. Arg.*

Ad 2. reſponſ. illud confirmare tertiam noſtram concluſionem. *Ad 2.*

Ad 3. reſpond. negandam eſſe conſequentiam, eſt enim argumentum fallax & peccat fallacia figuræ dictionis. Fit enim tranſitus à re, ad modum rei, nam cognitio quinq; vocum abſoluta conſiderata, neceſſaria eſt ad categorias intelligēdas: eadem tamen ſub iſto modo, vt eſt tradita à Porphyrio non eſt neceſſaria, ſed vtilis. *Ad 3.*

Diſpu-

DISPVTATIO DE REBVS VNIVERSIS, IN QVINQVE SECTIONES POTISSIMAS DISTRIBUTA.

PRÆFATIO.

MVlti, iiq́; grauiſſimi viri exemplo Porphy. ducti, hanc diſputationem de rebus vniuerſis hoc loco prætermiſerunt, aut rei difficultate, & ſubtilitate deterriti, aut quod captum putent ſuperare Dialecticorum, aut quia ad ſupremum artificem, Metaphyſicum nimirum referendam eſſe arbitrentur. Quorum ſane opinio, quamuis his probabilibus nitatur rationibus, probari tamen mihi nũquam potuit, nam ſine hac de reb. vniuerſis diſputatione in Dialectica in clariſſima & meridiana luce cæcutiemus. At nonne in Dialectica de generibus, & formis, de ſubiectis & attributis generalibus diſputamus? hæc autẽ quid quæſo aliud ſunt, quam notiones quædam vniuerſa? Addo hanc diſputationem Porphy. eſſe Dialecticam, in illa autem de vocibus communibus vniuerſis agimus. Quare communem fere ſententiam Dialecticorum ſequuti, hanc de rebus vniuerſis ſubtilem, & perdifficilem tractationem proponemus, quam in quinque partes, vel ſectiones diſtribuemus, in prima agemus de facultatibus cognoſcendi, quarum cognitio ad hanc diſputationem eſt omnino neceſſaria. In ſecunda de rebus vniuerſis. In tertia de ente rationis. In quarta de notionibus ſecundis, & in quinta de numero harum vocum, & ſubiecto huius libri diſputabimus.

SECTIO I. PARS I.

De ſenſibus.

CVm hæc diſputatio de facultatibus cognoſcendi ſit omnino neceſſaria ad hanc de rebus vniuerſis tractationem intelligendam, ab illa initium ducemus, non quidem accurato, & exactiſſimo modo, hoc enim ad Philoſophum naturalem in lib. de anima ſpectat, ſed adumbrato & imperfecto, ea ratione, qua nobis ad rem, de qua ſermonem inſtituimus, poſſit deſeruire.

Initio igitur duæ ſunt nobis cognoſcendi facultates à natura tributæ, vna ſentiendi, & altera intelligendi, inter quas quamuis intelligendi ſit prior dignitate, eſt tamen ortu & generatione poſterior. Nam nihil eſt in intellectu, quin prius illud non extiterit in ſenſu, & ita agendum erit prius de ſenſu, quam de intellectu: exordiemur autem illius diſputationem à diffinitione, quam ita proponit Ariſtoteles 2. *de anima*, *cap* 12. Senſus eſt facultas animi, recipiens ſpecies ſenſiles ſine materia: in qua diffinitione explicandæ ſunt duæ particulæ. Prima eſt, quid ſit ſpecies ſenſilis, altera vero, quid ſit recipere ſpeciem ſine materia. Species nihil aliud eſt, quam imago quædam, & ſimilitudo, effluens ab obiecto in potentiam, repræſentãs potentiæ obiectum, ſicuti eſt à parte rei: nam quemadmodum à vultu alicuius hominis effluũt imagines quædam in ſpeculum, quæ repræſentãt hominem, ſicuti eſt. Eodem modo intelligendum erit ex obiecto (vt ex colore conſtituto coram facultate videndi) deriuari quaſdam imagines, quę repræſentant colorem, eo modo, quo eſt a parte rei. Altera particula eſt, ſine materia, quæ reddit hunc ſenſum: quamuis obiectum ſenſus vnitum ſit à parte rei cum aliqua materia, & ſubiecto, attamen non immittit in ſenſum ſuam imaginẽ, cum aliqua particula materiæ, & ſubiecti, ſed ſine vlla materia, modo quodam ſpiritali, quemadmodum ſigillum in aliqua materia eſt, ſcilicet in ferro, auro, vel argento, verũ, quando imprimit in cera ſuam imaginem, imprimit illam ſine materia, nam non fluit cum imagine ſigilli aliqua pars materiæ illius, vel auri, vel argenti. Ex quibus remanet aperte diffinitio, quę ad hunc modum eſt intelligenda: Senſus eſt facultas quædam recipiendi ſpecies ſenſiles, id eſt, imagines, &

ſimilitudines obiectorum, ſine materia, id eſt, modo quodam incorporeo & ſpirituali.

Quot ſunt ſenſus exteriores.

Diuiduntur autem ſenſus in externos & internos. Externi ſunt quinque; viſus, auditus, guſtus, olfactus, & tactus. Interni vero, vt ad noſtrum attinet inſtitutum, ſunt tres; ſenſus communis, vis imaginandi, vel phantaſia, cogitatiua, vel æſtimatiua, de quibus antequam agamus, agendum erit prius de obiectis, in quibus illi verſantur, nam ex cognitione obiectorum ●ueniẽdum erit in cognitionem facultatum. Obiectum autem illud dicitur, quod aliquo ſenſu percipitur, vt color eſt obiectum viſus, & ſonus auditus. Diuiditur autem in obiectum per ſe, & per accidens. Obiectum per ſe vocatur illud, quod propria vi & natura mouet facultatem, vt color eſt obiectum per ſe viſus, ille enim ex propria vi immutat viſum ad videndum. Obiectum vero per accidens vocatur, quod vi aliena, & ratione alterius mouet facultatem ſentiendi, quemadmodum paries eſt obiectum per accidens viſus, quia ratione coloris, & non ex propria natura mouet illum ad ſentiendum. Præterea quoddam eſt obiectum proprium, & aliud commune. Proprium illud dicitur, quod tantum percipitur ab vno ſenſu, commune vero, quod à pluribus percipi poteſt. Obiecta propria quinque ſunt: color, ſonus, odor, ſapor, & qualitates primæ, vel ſecundæ, vt calidum, frigidũ, lene, vel aſperum, Color eſt obiectum viſus, ſonus auditus, odor olfactus, ſapor guſtus, & qualitates tactus. Tot etiam ſunt obiecta communia, ſcilicet motus, quies, numerus, magnitudo, & figura. Quæ obiecta vel à duobus, vel à pluribus ſenſibus poſſunt percipi: ob quam cauſam dicuntur communia. Fit autem actio ſentiendi, quam alii ſenſationem vocant ad hunc modum. Senſus inprimis recipit ſpecies ſui obiecti, quibus receptis producit in ſe actum ſentiendi, & ita ſequitur ſenſatio.

Quot ſunt ſenſus interiores.

Senſus vero interiores ſunt hi tres; ſenſus communis, vis imaginandi, vel phantaſia, & æſtimatiua, vel cogitatiua. Senſus communis eſt facultas animi, ad quam tanquam ad locum, & centrum communa, deducuntur ſpecies receptæ à ſenſibus exterioribus: quemadmodum mare dicitur locus communis aquarum, eo quod ad illud omnes fluuii deferunt ſuas aquas, ſunt autem huius ſenſus duo potiſſima munera. Primum eſt, percipere actiones ſenſuum exteriorum, vt actionem videndi, vel audiendi: nam cum hæ non poſſint percipi ab aliquo ſenſu exteriori, vt actio videndi non poteſt percipi à viſu, cum non ſit affecta colore, in quem tantum poteſt ferri viſus, neceſſaria eſt alia ſuperior potentia, cuius ope percipiamus huiuſmodi actiones. Alterum munus eſt, conſtituere diſcrimen inter obiecta ſenſuum exteriorum, vt inter odorem, ſaporem, & colorem pomi, nam hoc diſcrimen non poteſt conſtitui ab aliquo ſenſu externo, vt à viſu: nam viſus tantum cognoſcit colorem, & non ſaporem, neque à guſtu; nam hæc facultas ſolum fertur in ſapores, & non in colores: aſſignanda itaque erit alia ſuperior facultas ſentiendi, quæ dicitur ſenſus communis, cuius ope conſtituamus diſcrimen inter obiecta ſenſuum exteriorum. Locus vero huius facultatis eſt in prima parte cerebri, quæ cum ſit nimia humida, & frigida, non poterit diu retinere ſpecies immiſſas à ſenſibus exterioribus: nam hæc eſt natura humidorum, vt facile recipiant figuram alienam, illamque facile amittant, vt cera facile recipit quam libet figuram, & facile quoque illam amittit, vnde erit conſtituenda alia facultas animi, quæ retineat, & conſeruet ſpecies ſenſilea, quas non poteſt retinare ſenſus communis: hæc autem facultas eſt vis imaginandi, vel phantaſia, locum habens in ſecunda parte cerebri, quæ nihil eſt aliud, quam locus quidam, in quo tanquam in arca retinentur ſpecies receptæ à ſenſibus exteriosibus. Differt autem à ſenſu communi, inter alia diſcrimina, quia ſenſus communis non exercet ſuam actionem nobis dormientibus, ſed vigilantibus, phantaſia vero, & nobis dormientibus, & vigilantibus exequitur ſuum munus. Etenim omnia ſomnia, quæ exercentur in hominibus dormientibus, ſiunt in phantaſia. Tertius ſenſus internus eſt æſtimatiua, val cogitatiua, qui ob hanc cauſam aſt conſtituendus. Cum dentur multæ ſpecies, quæ à nobis cognoſcuntur, quæ taman non poſſunt percipi ab aliquo ſenſu exteriori, vt ſunt ſpecies amicitiæ & inimicitiæ, commodi & incommodi, & aliæ multæ huius generis, conſtituenda erit hæc potantia, quæ dicitur æſtimatiua: vel cogitatiua, cuius beneficio cognoſcamus huiuſmodi ſpecies, quæ non poſſunt apprehandi ab aliquo ſenſu exteriori, Vnde colligendum erit, duplicem eſſe memoriam, vnam ſenſibilem ad conſeruandaa ſpecies ſenſibiles, quæ recipiuntur à ſanſibus exterioribus, & hæc non differt a vi imaginandi, & alteram ad conſeruandas ſpecies quæ non recipiuntur a ſenſi-

Digitized by Google

bus exterioribus, & hæc non differt ab æſtimatiua, vel cogitatiua.

SECT. PRIMÆ DISPVTATIO SECVNDA,

De vtroque intellectu, agente & patibili.

AGendum eſt in altera parte diſputationis de facultate intelligendi, quæ quamuis ortu ſit poſterior ſenſu, dignitate tamen eſt multo prior. Duplicem conſtituit Ariſtot. intellectum, *3. lib. de anima, cap. 4. & 5.* vnum agentem, & alterum patibilem. Patibilis eſt facultas animæ intelligentis, impermixta, immaterialis, & incorporea, cuius beneficio omnia intelligimus. Vocatur autem hæc facultas incorporea, nō quidem, quia ſit extra corpus, ſed quia intelligendo non indiget, neque vtitur inſtrumento corporeo. Agens vero eſt facultas animi, illuminans phantaſmata, reddens illa apta & accommodata, vt poſſint percipi ab intellectu patibili, atque educens ſpecies intellectiles è phantaſmatibus, quæ receptæ in intellectu patibili, præſtant, vt poſſit intelligere naturas per illas repræſentatas: & hinc eſt factum eſt, vt ille intellectus vocetur patibilis, quia recipit ſpecies: nam recipere pati eſt, & alter dicatur agens, quia illuminat & producit ſpecies: nam hæc munera præſtare, agere eſt.

1. Obſeruat. Explicandum tamen erit, qua ratione intellectus agens illuminet phantaſmata, quam rem vt intelligamus, annotandum eſt, in Petro (& idem dicimus de indiuiduis aliarum naturarum) duo reperiri, & naturam ipſam vniuerſam, & proprietates reddentes illam indiuiduam. Natura eſt animal particeps rationis. At vero hic color, hæc figura, hæc oſſa, & hæ carnes, ſunt proprietates indiuiduantes naturam humanam. Pari quoque ratione in phantaſmate Petri, referente ipſummet Petrum, ſicuti eſt a parte rei, reperiuntur duo, & natura humana vniuerſa, & proprietates ſingulares reddentes illam indiuiduam.

2. Obſeruat. Illud etiam ſciendum eſt, duplicem eſſe illuminationem, vnam formalem, & alteram obiectiuam, & pari etiam ratione duobus modis aliqua illuminari formaliter & obiectiue. Illa illuminantur formaliter, in quibus reperitur lumen, tanquam in ſubiecto proprio, vt aer illuminatur formaliter a ſole, quia recipit lumen tanquam proprium & adæquatum ſubiectum illius. Illa vero dicuntur illuminata obiectiue, quæ manifeſtantur per lumen ſolis. Ita rem hanc explicat acutiſſimus Caietanus *1. part. quæſt. 79. art. 3.* Hac igitur ratione illuminantur phantaſmata. Cum in illis reperiantur duo illa, & natura vniuerſa, & proprietates ſingulares, medio lumine intellectus agentis, manifeſtatur intellectui patibili natura vniuerſa relucens in phantaſmatibus, occultatis proprietatibus ſingularibus, quæ reddebant illam indiuiduam: vnde tantum dicuntur phantaſmata illuminari obiectiue, quemadmodum dicimus colores illuminari a ſole obiectiue. Nam quod quidam aſſerunt, etiam illuminari phantaſmata ſubiectiue, eſt omnino falſum: eo enim modo illuminantur ab intellectu agente, quo illuminantur colores a ſole: at colores non illuminantur ſubiectiue, vel formaliter, vnde neque phantaſmata illuminabuntur ab intellectu formaliter. Ex quo colligimus, neceſſarium eſſe intellectum agentem: nam ſi ad intelligendum neceſſaria eſt illuminatio, quæ fit ab intellectu agente, neceſſario erit hic intellectus conſtituendus, quicquid aſſerat Durand. *1. lib. ſent. diſt. 3.* cuius opinio confutari poteſt argumentis collectis a D. Thom. *1. part. q. 79. art. 3. & 2. lib. contra gent. c. 77.*

Ex hac tamen illuminatione intellectus agentis fluunt à phantaſmatibus illuminatis ſpecies intelligibiles, quæ receptæ in intellectu patibili, conferunt illi facultatem intelligendi naturas in phantaſmatibus relucentes. Sunt autem hæ ſpecies imagines quædam, & naturales ſimilitudines naturarum relucentium in phantaſmatibus: quod non eſt intelligendum de ſimilitudine virtuali, vt dicimus ſemen arborum eſſe ſimile arboribus (vt quidam docuerunt) ſed de ſimilitudine formali, & naturali: vt expreſſis verbis docet D. Thomas *1. libr. contra gentes, cap. 53.* Attamen conſtituendas eſſe huiuſmodi ſpecies intelligibiles, ex eo colligere poterimus: quia omnis cognitio debet fieri per aliquam ſimilitudinem, vt auctor eſt Ariſt. *3. libr. de anima.* & Porphyr. *in libello de occaſionibus*: vnde cum intellectus ſuapte natura non habeat ſimilitudines rerum, quas intelligit, debet informari his ſpeciebus & imaginibus, quæ ſunt naturales ſimilitudines rerum, petitæ à phantaſmatibus beneficio intellectus agentis. Ex quibus colligimus, intellectum agentem duo hæc præſtare ſuo lumine. Vnum eſt reddere phantaſmata accommodata vt poſſint percipi ab intellectu patibili, quæ antea erant inepta, vel efficere phantaſmata intelligibilia, quæ antea tantum erant ſenſilia. Alterum vero eſt producere ex phantaſmatibus illu-

minatis ſpecies intelligibiles in intellectu patibili, quarum beneficio ipſe intellectus poſſit intelligere naturas relucentes in phantaſmatibus. Quemadmodum lumen ſolis hæc duo etiam confert, vnum: ſt reddere colores accommodatos ad videndum, qui antea in tenebris delitescentes inepti erant, vt poſſent percipi à viſu. Alterum vero eſt producere ex coloribus imaginem, & ſimilitudinem illorum, quæ recepta in viſu conferat illi facultatem ad videndum. Verum quamuis tam ſpecies intelligibiles, quam phantaſmata illuſtrata ſint actu intelligibilia, maxime inter ſe differunt. Intercedunt enim inter illa tria diſcrimina: vt acute animaduerſum eſt à Caietano 1. *part. quaſtion 79. articul.* 3. Primum eſt: Species intelligibiles ſunt in intellectu, tanquam in ſubiecto, phantaſmata vero ſunt in phantaſia, vel vi imaginandi. Secundum: Species intelligibiles ſecundum eſſe ſunt immateriales, exiſtant enim in intellectu, qui eſt facultas animi immaterialis, phantaſmata vero ſunt corporea, & materialia: quia ſunt in phantaſia, quæ eſt facultas corporea, reſidet enim illa in cerebro, quod corporeum eſt, & materiale. Tertium: Species intelligibiles repræſentant naturam communem, & vniuerſam, phantaſmata vero ſecundum eſſe repræſentant naturam ſingularem, ſunt enim illa rei ſingularis. At vero ſecundum relucentiam, & illuſtrationem, repræſentāt naturam vniuerſam. Ex quo colligit Caietanus, phantaſmata eſſe in duplici ordine, ſcilicet ſenſibilium, & intelligibilium: nam ſi illa ſumantur iuxta ſuum eſſe, continentur in ordine ſenſibilium, ſi vero ſumantur iuxta relucentiam, & illuminationem, continentur in ordine intelligibilium: hoc enim modo ſumpta, commode ab intellectu percipi poterunt.

Dubitat. Quod ſi quis roget: Species hæ intelligibiles a quo prodeunt à phantaſmatibus illuminatis, vel potius ab intellectu? *Solut.* Reſpondemus, illas produci à phantaſmatibus illuſtratis, propter has rationes. Prima eſt, quia illa eſt cauſa cenſenda alicuius effectus, cui effectus aſſimilatur, ſed ſpecies intelligibiles aſſimilantur naturæ relucenti in phantaſmatibus, ergo producuntur à phantaſmatibus. Secunda eſt, quia imago produci debet ab ea re, cuius eſt imago: quare cum ſpecies ſint imagines naturarum relucentium in phantaſmatibus, erunt ſpecies productæ à phantaſmatibus. *Obiect.* Dicet tamen aliquis: Res corporea non poteſt agere in ſpiritum: ſed phantaſmata ſunt corporea, intellectus vero patibilis eſt res ſpiritualis, ergo non poterunt producere phantaſmata ſpeciem intelligibilem in intellectu patibili. *Solut.* Reſp. rem corpoream propria virtute non poſſe agere in ſpiritum, virtute tamen ſuperioris agentis poſſe agere in illum. Quemadmodum Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt corporea, virtute diuina agunt in ſpiritum: nam producunt gratiam in anima. Et eodem modo quamuis phantaſmata virtute propria non poſſint producere ſpecies intelligibiles in intellectu patibili, virtute tamen intellectus agentis, ea ſcilicet ratione qua illuminantur ab illo, recte poſſunt illas producere.

SECT. PRIMÆ PARS TERTIA,

In qua quid notio, & quid abſtractio ſit, explicatur.

Mathematicorum morem ſequuti, qui antequam conficiant demonſtrationes ea prius præfantur quæ ad illas conficiendas ſunt neceſſaria, vt ſunt diffinitiones, poſitiones, theoremata, & alia, antequam aggrediamur diſputationem de rebus vniuerſis, ea prius in hac parte præfabimur quæ ad diſputationem intelligendam fuerint neceſſaria, ſunt autem illa quid ſit notio, & quid abſtractio, nam his frequenter in diſputatione ſumus vſuri.

Quid ſit notio. Primo igitur à notitione exordiemur, quæ nihil eſt aliud quam conſideratio intellectus quæ communi nomine intentio dici ſolet, ab aliis vocatur verbum, logos internum, & ſermo mentis. Conſideratio autem nihil eſt aliud, quam expreſſa quædam ſimilitudo rei intellectæ, vnde conuenit cum ſpecie impreſſa, quia vtraque eſt ſimilitudo rei: differt autem ab ipſa primo. Quia ſpecies impreſſa producitur a phantaſmatibus illuſtratis, conſideratio vero intellectus ab intellectu informato per ſpeciem impreſſam, & ita dicitur ſpecies expreſſa. Secundo differunt, quia ſpecies impreſſa eſt principium intelligendi, quemadmodum calor ignis eſt principium calefaciendi, expreſſa vero eſt terminus intellectionis, eo modo, quo calor productus in ligno eſt terminus calefactionis. Differunt tertio: Quia ſpecies impreſſa remanet diu in nobis, etiam nihil cogitantibus, expreſſa vero tam diu eſt, quam diu perſeuerat actio intelligendi. De qua re conſulere poteſtis Caietanum 1. *part. q. 27. art. 1. dubit.* 4. & Ferrarienſem 1. *lib. contra gent. c. 53. & 4. c. 11* & alios Theolog. 1 *part. q. 27. art. 5.*

Diuidi-

Diuiſio notionis.

Diuiditur notio in primam, & ſecundam. Quæ diuiſio ortum habet ex duplici genere attributorum: nam quædam conueniunt rebus extra intellectum, & alia tantum illius beneficio. Verbi gratia; arbori extra intellectum, & à parte rei conuenit eſſe corpus, & habere radices, at vero eſſe ſubiectum, vel attributum, tantum conueniunt illi per intellectum. Vnde notio prima erit conſideratio illorum attributorum, quæ conueniunt rebus à parte rei, illa enim ſunt prima attributa. Notio vero ſecunda erit conſideratio illorum attributorum, quæ conueniunt rebus beneficio intellectus, hæc enim ſunt, quæ ſecundo loco conueniunt rebus. Præterea vtraque notio diuidi ſolet in ſubiectiuam, & obiectiuam, vnde duplex erit notio prima, vna ſubiectiua, quę eſt actio intellectus iam dicta, & altera obiectiua, quæ eſt res cognita per huiuſmodi conſiderationem. Duplex quoque erit notio ſecunda, vna ſubiectiua, quæ eſt conſideratio intellectus notionum ſecundarum, & altera obiectiua, quam conſtituunt ipſæ notiones ſecundæ cognitæ.

Quid ſit abſtractio.

Explicandum eſt deinde, quid ſit abſtractio, & in quas partes diuidatur. Abſtractio eſt ſeparatio vnius rei ab altera, quæ ſibi erat vnita. Quæ aliquando fit ſecundum rem, vt quando ſeparamus ramum ab arbore, aliquando vero fit ſecũdum rationem, vt quando ſeparamus per intellectum naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus. Eſt autem diſtributa in tres partes: nam quædam eſt abſtractio intellectus agentis. Secunda, intellectus patibilis, in prima operatione. Et tertia eſt eiuſdem intellectus patibilis, in ſecunda operatione. Prima ergo eſt intellectus agentis, qui illuminando phantaſmata, abſtrahit naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, cum quibus erat vnita à parte rei. Præterea abſtrahit ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. Secunda abſtractio nihil aliud eſt, quam cõſideratio intellectus patibilis naturæ vniuerſæ, non conſideratis proprietatibus ſingularibus, cum quibus erat vnita natura à parte rei. Tertia eſt diuiſio intellectus, quæ fit in ſecunda operatione, quando ea, quæ à parte rei ſunt diuiſa, & ſeparata, intellectus etiam ſeparat, media propoſitione negante. Vt quando ſeparamus ab homine lapidem, quæ duo à parte rei ſunt ſeparata, quando dicimus; Homo nõ eſt lapis. vocatur hęc abſtractio diuiſiua, ſuperior vero præciſiua, de quibus legendus eſt D. Thomas *1. part. q. 85 art. 1. ad 1.*

Quod ſi quis dicat, Ea, quæ ſunt vnita a parte rei, non poſſunt ſeparari, ſed natura vniuerſa eſt vnita a parte rei cum proprietatibus ſingularibus, ergo non poterit ſeparari ab illis per intellectum. *Obiect.* Reſpond. falſam eſſe propoſitionem, nam in pomo color vnitus eſt cum ſapore, & odore, quem tamen adueniente lumine ſolis viſus ſuperat a ſapore. apprehendimus enim colorem ſine ſapore vel odore. Pari etiam ratione, adueniente lumine intellectus agentis, poterit intellectus patibilis ſeparare naturam vniuerſam, apprehendens illam ſine proprietatibus ſingularibus, quamuis a parte rei ſit cum illis coniuncta, & vnita. *Solut.*

SECTIO II.

In qua de ipſis rebus vniuerſis diſputatur.

QVÆSTIO I

An dentur natura vniuerſa à parte rei.

ILla in ſuperiori ſectione propoſuimus, quæ ſunt neceſſaria ad hanc tractationem de rebus vniuerſis intelligendam, quibus breuiter (pro inſtituti ſcilicet ratione) abſolutis, ſequitur, vt de eiſdem rebus vniuerſis diſputemus. Verum, quia inter quæſtiones, quæ de aliqua re proponuntur, quæſtio, an eſt, priorem ſibi vendicat locum, propterea ab hac quæſtione diſputationem exordiemur. Et cum multi ex veteribus Philoſophis in eo conſenſerint, nõ dari naturas aliquas vniuerſas a parte rei, erunt a nobis prius illorum argumenta proponenda.

1. Ex teſtimonio Ariſt. qui 1. *lib. de demonſtr. capit.* 18. inquit, tanquam irridens has naturas vniuerſas, valeant ſpecies (id eſt, res vniuerſæ) cantilenæ enim ſunt, & meræ nugæ, ſentit itaque Ariſt. non dari a parte rei naturas vniuerſas. *1. Arg.*

2. Quidquid eſt in rerum natura, eſt ſingulare. ergo non dantur naturæ vniuerſæ, conſequentia eſt aperta, confirmatur antecedens. *2. Arg.* Quidquid eſt in rerũ natura, aut eſt genitum, aut productum per creationem: ſed quidquid creatur, vel generatur, eſt ſingulare, ergo quidquid eſt in rerum natura erit ſingulare. Præterea: Quidquid eſt inuolutum cum proprietatibus ſingularibus, eſt ſingulare, ſed omne, quod eſt a parte rei, eſt inuolutum cum proprietatibus ſingularibus, ergo erit ſingulare. *3. Arg.* Iterum: Vniuerſum ſnapte natura eſt incorruptibile, ſed quidquid eſt a parte rei, eſt corruptibile, ergo vniuerſum non erit a parte rei. *4. Arg.* Confirmatur aſſumptio: Quia quidquid eſt

Digitized by Google

à parte rei, vel eſt ſingulare, vel in ſingularibus: ſingularia vero, & quæ eis inſunt, ſunt corruptibilia, ergo quidquid eſt à parte rei, erit corruptibile.

5. *Arg.* Vltimo: Quicquid eſt à parte rei, percipitur ab aliquo ſenſu, vel auditu, vel viſu, aut alio huiuſmodi ſed quidquid percipitur ab aliquo ſenſu, eſt ſingulare, ergo quicquid eſt à parte rei erit ſingulare. Confirmatur aſſumptio ex diſcrimine interueniente inter ſenſum & intellectum; quia ſenſus eſt rerum ſingularium, intellectus vero vniuerſalium, quicquid igitur ab aliquo ſenſu percipietur, erit res ſingularis.

1. *Opin.* In hac quæſtione veteres Philoſophi ante Ariſtotelem opinati fuerunt nullas dari à parte rei naturas vniuerſas, & multis communes, ſed quæcunque ſunt à parte rei, eſſe ſingularia, quæ cum caduca ſint, & fragilia, variiſque mutationibus obnoxia, nihil putabant in rebus eſſe perpetuum, nihil ſempiternum, ſed omnia eſſe fragilia, & inſtar rapidiſſimi fluminis, in perpetuo quodam motu, & ſucceſſione conſtituta. Vnde auferebant ſcientiam à rebus, nihilque ſciri poſſe volebant: cum enim ſcientia ſit rerum ſempiternarum, nihilque ſit à parte rei ſempiternum, nulla profecto poterit eſſe ſcientia de illis. Hanc ſententiam tribuit Ariſt. Heraclyto, & Cratylo 1. *lib. Met cap. 6. & 4. cap. 5.* Ammon. eandem tribuit Antiſtheni, & Sueſanus *lib 7. Metaphyſ. dilucid 17 Herculeanis.*

2. *Opin.* Secunda opinio eſt, quæ proxime huic accedere videtur Ocham. *in ſua Logica, capite 14* & omnium nominalium, qui Ochamum tanquam principem & venerabilem huius ſectæ inceptorem venerantur, non dari vniuerſa à parte rei in eſſendo, ſed ſolum dari vniuerſa in ſignificando, & repræſentando. In ſignificando ſunt voces vniuerſæ, quæ multa repræſentant, vt ſunt hæ, homo, & arbor. In repræſentando vero ſunt conceptus mentis, qui multa ſignificant, vt conceptus, quem de leone, vel equo intra mentem efformamus, dicuntur vniuerſi in repræſentando.

3. *Opin.* Tertia opinio eſt Platonis, ſi credimus Ariſtoteli 1. *Metaph. cap. 6. & 7. lib 7. c 15. lib 13. cap. 6 & in alijs ſex centis locis,* arbitrantis dari quaſdam naturas vniuerſas à ſingularibus re ipſa ſeparatas, quas ipſe exemplaria quædam & ideas vocabat quæ eſſent perpetuæ extra omnem ortum, & interitum, & ab omnibus peregrinis mutationibus omnino liberæ, quarumque eſſet ſcientia firmaque & vera intellectus comprehenſio. Etenim cum eterne- ret, cum Heraclyto & Cratylio, omnia indiuidua eſſe fragilia, & ſtatim labi, exiſtimauit, horum nullo modo poſſe eſſe ſcientiam, quæ tantum eſt rerum ſempiternarū, & quæ nunquam fluunt. Ne ergo ſcientiam à rebus videretur auferre, extra ſingularia has ideas ſempiternas conſtituit, quarū eſſet ſcientia. Num autem ita ſenſerit Plato, vt illi tribuit Ariſtot. poſtea explicabimus.

Quarta opinio eſt Ariſt. omniumque Peripateticorum, qui conſtituunt dari à parte rei naturas vniuerſas, non tamen à ſingularibus ſeparatas, ſed cum eiſdem coniunctas. Sequuntur hanc Boetius *in proœmio in Porphyr.* D. Thom. *4. cap. libelli de ente & eſſentia, & in duobus opuſculis de hac re à ſe editis.* D. Albertus Magnus *in ſua Logica, tractatu 2.* Auicenna *1. part. Logica, cap. 4.* Algazel *in ſua Metaph. tract. 1 cap. 7.* & tandem omnes Græci, Latini, & Arabes, exceptis Nominalibus, idem ſentiunt. Imo Burleus, & Paulus Venetus Philoſophi periti, cum eſſent alioquin ſectæ Nominalium addicti, & auctoritate Ariſt. & ipſa veritate conuicti, in ſuis Logicis hanc ſententiam profeſſi fuerunt. 4. *Opin.*

Itaque vt hanc opinionem tanquam omnino amplectendam explicemus, animaduertendum eſt ex D. Thoma 1. *part. quæſt. 85. art. 2. & 3 ad 1. & 7. Metaphyſic. lect. 13.* vniuerſum aliquando ſumi pro notione vniuerſitatis, & aliquando pro natura illi notioni ſubiecta, vniuerſum primo modo dicitur vniuerſum formale. Secundo vero modo vniuerſum materiale, vel pro ſubſtrato, eo quod ſubſternatur ſecundæ notioni. Quemadmodum etiam album aliquando ſumitur pro albedine, diciturq; album formaliter, aliquando vero pro ſubiecto affecto albedine, vocaturque album materialiter. *Obſer.*

Quo animaduerſo, ſit prima concluſio aduerſus Heraclytum & Cratylum. A parte rei dantur naturæ vniuerſæ, multis communes, quæ poſſunt prædicari de multis. Vel quod idem eſt, à parte rei datur vniuerſum materiale. Hanc concluſionem conſtituit Ariſtoteles *cap. 5. lib. de interpretat.* vbi res ipſas à parte rei diuidit in vniuerſas & ſingulares *& 7 Metaph. cap 13 lib 3 cap. 4 & multis alijs in locis.* Eandem docet Boetius *in libello, de duabus naturis in Chriſto,* diuidens ſubſtantiam in vniuerſam & particularem, & D. Anſelmus *in ſuo Monolog. capite 27.* tradens eandem diuiſionem ſubſtantiæ à parte rei, in vniuerſam, & ſingularem 1. *concluſ.*

quæ confirmatur his argumentis. Primum eſt: Scientia datur de rebus nam omnes homi- 1. *Arg.*

nes

Digitized by Google

nes natura ſcire deſiderant, ſed ſcientia non eſt rerum ſingularium, ergo præter ſingularia conſtituenda erunt vniuerſa, de quibus ſcientia habeatur. Confirmatur aſſumptio. Primo, quia ſingularia ſunt numero infinita ſucceſſione, at infinita nulla ſcientia comprehendi poſſunt. Deinde ſingularia ſunt ortui & interitui, & aliis commutationibus obnoxia, & ita non ſunt perpetua, ſcientia autem de rebus eſt ſempiternis.

2. *Arg.* Secundum argumentum. In rebus dantur definitiones, vel eſſentiales, vel accidentariæ: ſed diffinitiones non poſſunt eſſe ſingularium, ergo præter ſingularia aſſignandæ erunt naturæ vniuerſæ, quæ diffiniantur. Confirmatur aſſumptio ex Ariſtotel. 7. *Metaphyſ. cap.* 15. Diffinitio, quemadmodum & ſcientia ſolum eſt rerum ſempiternarum, quia cōpetit ſemper rei diffinitæ, at ſingularia non ſunt perpetua, cum oriantur & intereant, ergo non poterunt illa diffiniri. Præterea: illud eſt diffinitum alicuius diffinitionis, cui primo competit diffinitio, ſed diffinitiones nō competunt primo rebus ſingularibus, vt diffinitio hominis non primo competit Petro, alioquin enim nulla ratione poſſet Thomæ adaptari, ergo ſingularia non poterunt vlla ratione diffiniri.

3. *Arg.* Tertium argumentum: In his attributionibus; Dominicus eſt homo, Thomas eſt homo, attribuimus aliquod vnum, & commune attributum Dominico, & Thomæ, ergo præter ſingularia aſſignanda erunt à parte rei attributa vniuerſa. Deinde communi vſu loquendi dicimus magnetem attrahere ferrum, non hunc magnetem, aut illud ferrum, ſed in communi, & in vniuerſum. Dicimus quoque, leonem eſſe animal ferox, non hunc leonem, ſed leonem in communi intelligentes, dantur ergo præter ſingularia naturæ vniuerſæ.

P[illegible]ea, obiectum intellectus eſt à parte rei, ſed vniuerſum eſt obiectum intellectus, ergo datur natura vniuerſa à parte rei. Confirmatur aſſumptio. Eo differt ſenſus ab intellectu, quia ſenſus eſt ſingularium, intellectus vero naturarum vniuerſarum, alioquin enim ſi intellectus eſt ſingularium tantum, non differret à ſenſu, & ita intelligere eſſet ſentire, quæ omnia ſunt abſurda.

Item: Obiectum Philoſophiæ naturæ, Mathematicarum artium, & Philoſophiæ primæ, eſt à parte rei, cum ſit ens rei, ſed illud eſt natura communis & vniuerſa, vt obiectum Mathematicarum artium, verbi gratia, Geometriæ, eſt magnitudo in communi, non hæc quę eſt in Dominico, aut illa quæ eſt in Thoma, ergo à parte rei dantur præter ſingularia naturæ vniuerſæ. Quod ſi dantur huiuſmodi naturæ, ſcientia quoque dari poterit de rebus, cum dentur naturæ, quæ poſſunt ſciri. Legenda ſunt plurima argumenta aduerſus Nominales in Petro N[illegible]g o *quaeſt* 10 *clypei* & in M. Soto *quæſtione* 1. *de rebus vniuerſis*. Fonſeca 5. *Metaphyſic. cap.* 27 *quæſt.* 1 *ſectione* 2 qui erudite ſatis illorum opinionem explodant. Verum quia ex his argumentis, quæ aduerſus Heraclytum & Cratyllum propoſuimus, poteſt illorum ſententia reiici, non eſt, cur in hac re nimium inſudemus, præſertim hoc noſtro tempore, in quo horum Philoſophorum opinio eſt à ſcholis communibus omnium ſuffragiis penitus reiecta.

Secunda concluſ. N[illegible]turæ vniuerſæ non ſunt re ipſa à ſingularibus ſeparatæ. Hæc eſt aduerſus Platonem. Quæ et[illegible] afir. primo: Quidquid prædicatur ſecundum eſſentiam de aliquo ſubiecto, debet eſſe in illo, ſed res vniuerſæ prædicantur ſecundum eſſentiam de ſingularibus: nam hæc attributio, Dominicus eſt homo, eſt eſſentialis, ergo res vniuerſæ non erunt re ipſa ſeparatæ à ſingularibus. Secundo: Eſſentia debet eſſe in ea re, cuius eſt eſſentia, nam ſunt vnum & idem, ſed vniuerſum eſt de eſſentia rerum ſingularium, ergo erit illud in rebus ſingularibus. Tertio: Corruptibile, & incorruptibile differunt genere, ſed res ſeparatæ à ſingularibus, & indiuiduis ſunt incorruptibiles, ergo differunt genere à ſingularibus, & ita ſi homo vniuerſus eſſet ſeparatus à ſingularibus hominibus, differret genere ab illis, quod eſt omnino abſurdum, cum ſit eiuſdem naturæ cum indiuiduis. 2 *concluſ.*

Quarto: Intellectus agens eo eſt nobis à natura tributus, vt ſeparemus naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, ergo non eſt illa à parte rei ſeparata ab indiuiduis, alioquin enim fruſtra eſſet collatus nobis intellectus agens. De hac eo[illegible] cluſione legi poterunt Soncinas 7. *lib. Metaphyſ. quæſt.* 15. & M. Sot. *quæſt* 1 *vniuerſalium*.

Hæc autem dicta ſint aduerſus Platonem, iuxta ea, quæ ipſi tribuit Ariſtot. Num autem vere hoc illi tribuat, dubitant multi Philoſophi præclariſſimi, qui putant iuxta Platonem, huiuſmodi ideas non eſſe collocandas intra concauum orbis lunæ, quemadmodum Ariſtoteles illi videtur tribuere, ſed in mente diuina, in qua ſunt huiuſmodi ideæ, ad quas inſpiciens Deus, quæcunque ſunt extra ipſum, *Obſeru.*

ad illarum ſimilitudinem producit. Ita docent Seneca *epiſt. 66. ad Lucilium.* Cicero 1. *lib. Tuſculan. quæſt.* Iuſtinus Martyr *in admonitorio ad gentes.* D. Auguſt. *libro octauo trium quæſtionum, q 46* & 12. *de ciuit. cap. 26.* Iacob. Faber *in dialogo prima philoſoph.* Plotinus egregius Platonicus *in lib. de Ideis.* Et certe nonnulla Ariſtot. veteribus Philoſophis impoſuiſſe, auctor eſt D. Thom. 4. *de regiminis principum, cap.* 4. Iancllus *in Politica Platonis, tract. 7. c.* 1. Legendus eſt M. Bannes 1. *par. q. 15. art.* 1. cum reliquis Theol. Aquarius *in diſput. de Ideis*, Palacio *in de anima cap. 1.* & Flandrenſis 1. *Metaphyſ. quæſt* 12. *art.* 1. 2. & 3. Ego vero in hac re neque audeo Ariſt. tanquam de falſo teſtimonio condemnare, neque enim eſt veroſimile ipſum viuente M. Platone, illiuſque diſcipulis, falſam ſententiam aduerſus illum tuliſſe. Neque puto, Platonem in rebus omnibus admirabilem adeo deſipuiſſe, vt has ideas extra mentem diuinam collocaret, ſed fortaſſis aduerſus aliquos Platonicos perperam ſententiam Platonis intelligentes, tam acriter in ſuis operibus inuectus eſt Ariſt. Verum de hac re (Deo dante) in Philoſophia.

Argum. Vrget tamen quoddam argumentum pro hac opinione Platonis, quod æquum eſt, vt diſſoluamus. Modus eſſendi conſequitur modum intelligendi, & cognoſcendi, quia eo modo cognoſcuntur res, quo ſunt in ſe, ſed per intellectum patibilem cognoſcimus naturam ſeparatam ab omnib. indiuiduis, ergo à parte rei natura vniuerſa erit ſeparata ab omnibus indiuiduantibus proprietatib. *Solut.* Reſp. falſam eſſe propoſitionẽ, nam longe diuerſus eſt modus eſſendi rerum, quam ſit modus cognoſcendi earundem, etenim in pomo color a parte rei exiſtit vnitus cum ſapore, & odore, qui tamen a viſu percipitur ſine odore, vel ſapore, & lapis a parte rei materialis eſt, qui tamen percipitur ab intellectu modo immateriali, pari quoque ratione, quamuis natura vniuerſa percipiatur ab intellectu auulſa a proprietatibus indiuiduantibus, non tamen erit a parte rei ſeparata ab illis.

3. concluſ. Tertia concluſ. Neque per potentiam Dei abſolutam vniuerſum poteſt eſſe ſeparatum ſecundum rem, ab indiuiduis, & a proprietatibus ſingularibus. Hæc eſt Soncinatis 7. *libr. Meta. quæſt.* 41. & confirmatur primo; Quod non eſt in ſingularibus, non prædicatur de illis: nam omne attributum, quod de aliquo prædicatur, debet eſſe in ſubiecto, de quo prędicatur, ſed impoſſibile eſt, vniuerſum non prædicari de indiuiduis, ergo impoſſibile quoque erit illud non eſſe indiuiduis. Confir. argument. Vel eſſentia vniuerſi eſt eſſe vnum in multis, vel prædicari de multis, ſi eſt eſſe vnum in multis, cum ſit impoſſibile eſſentiam ſeparari ab ea re, cuius eſt eſſentia, non poterit vniuerſum eſſe ſeparatum a ſingularibus. Si vero eſſentia ſit dici de multis, cum impoſſibile ſit attributum non eſſe in ea re, de qua dicitur, impoſſibile quoque erit vniuerſum non eſſe in ſingularibus.

Secundo: Quicquid exiſtit, vel eſt ſingulare, vel in ſingularibus: nam vel eſt terminus creationis, vel generationis, terminus autem harum mutationum vel eſt ſingularis, vel in ſingularibus: impoſſibile igitur erit naturam vniuerſam exiſtere, & exiſtere ſeparatam a ſingularibus.

Præterea vtor ratione D. Thom. in loco ſuperiori. Vniuerſum materiale (nam de hoc tantum hæc ratio intelligi debet) vt homo vel equus includit quantitatem, & qualitates ſenſibiles, hanc ſcilicet magnitudinem, hæc oſſa, has carnes, calorem, vel frigiditatem, aut alias qualitates, ergo impoſſibile erit vniuerſum materiale non conſtare quantitate & qualitatibus ſenſibilibus, ſed quæcunque ſunt affecta quantitate, & his qualitatibus ſunt ſingularia, vel in ſingularibus, ergo vniuerſum materiale non poterit eſſe ſeparatum a ſingularibus. Confirmatur aſſumptio: Quæ conſtant qualitatibus ſenſibilibus, inuicem poſſunt agere, & pati, ſed quæ poſſunt agere & pati, ſunt ſingularia, quia actiones & paſſiones ſunt ſingularium, ergo quę ſunt affecta qualitatibus ſenſibilibus, ſunt ſingularia, vel in ſingularibus. Ex his tribus rationibus duæ primæ de omni vniuerſo, tam materiali, quam immateriali, tam in ſubſtantia, quam in accidentibus confirmant hoc fieri nullo modo poſſe. Vltima vero tantum hoc probat in vniuerſo materiali. Et profecto quoad hoc genus vniuerſi, non poſſe ſeparari illud a ſingularibus, eſt aperta ſententia D. Th. 3 *part. quæſt. 4. art. 3. & 4. & 1 part. quæſt. 84. art.* 7. vbi inquit de ratione naturæ corporeæ eſſe, quod ſit in indiuiduis. Admittimus quidem poſſe Deum ſeparare accidentia abſoluta a ſubiecto, iuxta D. Thom. *quodlibeto 7. artic.* 5. nam in Sacramento altaris ſeparat quantitatem a ſubiecto, verum hæc accidentia ſi ſepararentur, non eſſent vniuerſa, ſed ſingularia, vt quantitas, quæ ſeparatur in Sacramento, non eſt vniuerſa, ſed ſingularis.

Sed contra eſt argum. Quidquid poteſt efficere intellectus creatus, poteſt Deus de po- *1 Arg.*

tenti

Digitized by Google

tentia abſoluta efficere: ſed intellectus creatus poteſt ſeparare naturam vniuerſam à ſingularibus, quando illuminat phantaſmata, & educit ſpecies intelligibiles, ergo poterit hoc Deus efficere. Præterea poteſt Deus corrumpere potentia abſoluta omnes proprietates ſingulares remanēte natura vniuerſa, hoc enim nullam implicat contradictionem, ſed ſi ita fieret, eſſet natura ſeparata à ſingularib. ergo per potentiam Dei abſolutam hoc fieri poterit.

2. Argum.

Ad 1. arg. Ad primum reſpond. falſam eſſe aſſumpt. Quia intellectus non ſeparat ſecundum rem naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, ſed tantum ſecundum rationem, intelligendo ipſam ſine ſingularibus, vel eandem manifeſtando per illuminationem, occultatis proprietatibus ſingularibus, quod certe multo melius poteſt efficere diuinus intellectus, poteſt enim ille intelligere naturam vniuerſam non intellectis ſingularibus. Quod ſi vrgeas, poteſt ſecundum rationem ſeparari natura à ſingularibus, ergo poterit ipſa per diuinam potentiam ſeparari ſecundum rem ab eiſdem. Neganda erit conſequentia, quia materia prima poteſt apprehendi per intellectum in prima ſui notione ſine forma, & relatio ſine fundamento, cum tamen ſit impoſſibile etiam per potentiam abſolutam, materiam primam eſſe à parte rei ſine forma, & relationem ſine fundamento.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondemus negando aſſumpt. Quia ſi Deus corrumperet proprietates ſingulares, etiam corrumperet exiſtētiam naturæ vniuerſæ, quę ſine proprietatibus ſingularibus non poteſt eſſe: vnde his corruptis, naturam vniuerſam corrumpi quoque eſſet neceſſe.

4. concluſ. 4. concl. Vniuerſum formale, vel quod idē eſt notio, quæ denominat naturam vniuerſam, non eſt à parte rei, ſed tantum habet eſſe beneficio, & ope intellectus. Hanc aſſertionem non eſt cur hoc loco confirmemus, cum poſtea in quæſtione de hac re proponenda, ſimus illam confirmaturi.

q. 4. huius ſect.

Ad arg. Supereſt vt ſatis faciamus argumentis in principio propoſitis.

Ad 1. Ad 1. reſp. Ariſtot. eo in loco reprehendere ideas & vniuerſa ſeparata à rebus ſingularib. vt conſtituebat Plato, talia enim vniuerſa, nō ſunt à parte rei, ſed ſunt cantilenæ, & mere nugæ.

Ad 2. Ad 2. reſp. duobus modis aliqua poſſe produci, vno modo primo, & per ſe, & altero modo ſecūdario, vel ad productionem aliorum, illa ergo, quæ primo & per ſe producuntur, ſingularia ſunt, quæ vero ſecundario producuntur, ſunt res vniuerſæ, nam productis ſingularibus illæ quoque producuntur, & ita argumētum tantum probat, ea quæ primo producuntur eſſe ſingularia, non autem probat ea quæ ſecundario producuntur eſſe ſingularia.

Ad 3. reſp. Quod eſt inuolutum ſecundum rem cum proprietatibus ſingularibus eſſe ſingulare, niſi fuerit multis commune, ſin minus non erit ſingulare: at natura vniuerſa multis eſt communis, quare quamuis ſit inuoluta à parte rei cum proprietatibus ſingularib. non erit ſingularis, de hac tamen communitate, qualis illa ſit, inferius agemus. Vel dicimus illud, quod eſt inuolutum cum his proprietatibus eſſe formaliter ſingulare, fundamentaliter vero vniuerſum, & ita natura, quæ eſt à parte rei, erit formaliter ſingularis, & fundamentaliter vniuerſa. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. Vniuerſa poſſe ſumi, aut ſecundum eſſentiam, aut ſecundum exiſtentiam, ſi primo modo ſumātur, ſunt ſempiterna negatiue, quia eſſentiæ rerum neque oriuntur neque intereunt, non enim vendicant ſibi certam aliquam temporis differentiā, quemadmodum eadem dicimus eſſe vbique negatiue eo quod non vendicant ſibi certum aliquem locum. Si ſumantur ſecundo modo, non ſunt perpetua, quia corruptis ſingularibus, corrūpuntur quoque vniuerſa ſecundario. Verum ſolutionem hanc, in quæſtionib. ſeqq. diffuſius proponemus. *Ad 4.*

Ad 5. reſpond. Inprimis falſam eſſe propoſitionem; nam rerum quidditates, & eſſentiæ ſunt à parte rei, quæ non ſenſu, ſed ſolo intellectu poſſunt apprehendi. Reſpond. deinde ad aſſumpt. quædam percipi à ſenſu per ſe, & alia per accidens. Ruſus, quæ percipiuntur per accidens, quædam percipiuntur primo, & alia ſecundario. Illa ergo, quæ per ſe, vel primo percipiuntur à ſenſu, ſingularia ſunt, illa vero, quæ ſecundario percipiuntur, ſunt vniuerſa, nam perceptis primo ſingularibus, ex conſequenti, & ſecundario percipiuntur vniuerſa. Et ita conſequentia nulla eſt, in qua colligimus omnia eſſe ſingularia. *Ad 5.*

QVÆST. II.

An Vniuerſum recte fuerit definitum Vnum in multis.

QVæſtionem an ſit vniuerſum, ſequitur hæc altera quid ſit illud, an ſcilicet ſit v-

3. argum. & ſine indiuiduorum, ergo ſine ratione generis, ſpeciei, & indiuidui nulla ratione poterit intelligi, ſed in hac tractatione explicatur quid ſit genus, quid ſpecies, & quid indiuiduum, ergo erit abſolute neceſſaria ad categorias intelligendas. Quod ſi quis dicat argumentũ concludere tractationem 5. vocum neceſſariã eſſe, non tamen hunc librum, vt traditur à Porph. quia poterant categoriæ ante Porph. probe intelligi abſq. hoc opere: Contra ita ergo & ſit 5. arg. Cognitio 5. vocum eſt abſolute neceſſaria ad categorias intelligendas, ſed hic liber continet cognitionem quinque vocum, ergo erit abſolute neceſſarius ad categorias intelligendas.

1. Opinio. D. Albert. M. *tract. 2. ſuper Porph. c. 1.* arbitratur hanc tractationem Porph. eſſe neceſſariã ſimpliciter, abſolute, &(vt inquit) ineuitabiliter ad categorias, & dialecticã. Quæ ſentẽtia confirmari poteſt argumentis propoſitis.

2. Opinio. Boetius vero, Auerroes, & Caiet. è contra putant, in hoc loco, illam tantum eſſe vtilem, & non neceſſariam.

3. Opinio. Eſt tamen tertia ſententia Ammonii, M. Soti, Tolet, Meread, & aliorum, rationem 5. vocum eſſe neceſſariam ad categorias, hũc tamen librum Porph. tantum eſſe vtilem. Quæ ſententia videtur mihi probabilior. Atq; ita, vt illam explicem animaduerto tractationem quinque vocum poſſe duobus modis ſumi.

Obſeruatio. Primo, vt tradit nobis illarum cognitionem, quæ vel poteſt eſſe accurata, & perfecta: vel rudis quædam, & imperfecta. Secundo, vt tradita fuit, & ſcriptis mandata à Porph.

1. concluſ. 1. concl. Hæc tractatio vt eſt edita à Porphyr. non eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria, ad Categorias, & dialecticam. Confirmatur. Primo quia ante Porphy. extiterunt grauiſſimi philoſophi, qui abſolutam, & cõſummatam cognitionem categoriarum, & dialecticæ cõſecuti fuerunt, abſq; huius tractationis præſidio. Secũdo: Veteres philoſophi, qui ætate anteceſſerunt Porph. de his quinq; vocibus egerunt erudite, cum ex illorum monumentis ingenue profiteatur, ſe hoc opus collegiſſe de quib. Ariſt. 1 *Top. & 5 Metaph.* diſputauit, ergo hæc tractatio vt eſt propoſita à Porph. non erit abſolute neceſſaria.

2. concl. 2. concl. Hæc tractatio vt traditur à Porphyr. eſt maxime vtilis, ad eandem finẽ. Hanc in præfatione cum Porphyr. abunde ſatis exposuimus. Et certe hæc laus debetur Porphy. quod illa quę de his vocibus à philoſophis tradita, uecunt abſque methodo, & ordine, ipſe accuratiſſima methodo obſeruata, intra limites huius parui libelli, illa fuerit complexus, in quo cum maxima omnium vtilitate harũ quinque vocum naturam explicatam reliquit.

3. concl. 3. concl. Tractatio hæc vt continet rationem aliquam, rudem ſcilicet, & imperfectam harum quinque vocum, eſt ſimplicitet & abſolute neceſſarja ad categorias, & Dialectic. Confirmatur: Quia cum categoria ſit ordo, & ſeries generum, formarum & indiuiduorum, ſine horũ cognitione nulla ratione poterit intelligi, quid ſit illa, at quid ſit genus, quid ſpecies, & quid indiuiduum, in hac tractatione explicatur. Et hac ratione intelligendus eſt D. Albertus M. Et eandem confirmant argumenta in principio propoſita.

4. concl. 4. concl. Exacta & abſoluta harum vocum cognitio, non eſt ſimpliciter neceſſaria ad categorias. Primo, quia in eadem categoriarum tractatione, explicari poſſunt ea, quæ ex his vocibus neceſſaria ſunt ad categorias intelligendas, familiaribus quibuſdam exemplis in medium propoſitis. Secundo: Quia ſi accurata harum cognitio eſſet abſolute neceſſaria, reprehendendus profecto iure eſſet Ariſt. totius Dialecticæ, quaſi patens, qui hanc tractationem omnino neceſſariam ante categorias prætermiſerit, quod certe tanto viro non eſt tribuendum. At quia intellexit ſat eſſe rudem quandam, & craſſam cognitionem, & quæ in categoriis poterat explicari ad illas intelligendas, ob hanc cauſam, non eſt auſpicatus dialecticam à quinque vocibus, ſed ipſis prætermiſſis, ipſam a categoriis eſt præfatur.

Ad 1. Arg. Ad argumenta. Ad primum iam reſpondimus in prima annotatione cum Boetio Porphyr. nomine neceſſarii vtile intellexiſſe, vel cum Boetio, Porphyr. nomine neceſſarii vtile intellexiſſe, vel cum Ammonio poſſumus reſpondere Porphy. non eſſe locutum de opere à ſe ædito, ſed de cognitione quinq; vocum, quæ ſi fuerit rudis quædam, & adumbrata erit abſolute neceſſaria: ſi vero conſummata, non erit neceſſaria ſed tantum vtilis.

Ad 2. Ad 2. reſponſ. illud confirmare tertiam noſtram concluſionem.

Ad 3. Ad 3. reſpond. negandam eſſe conſequentiam, eſt enim argumentum fallax & peccat fallacia figuræ dictionis. Fit enim tranſitus à re, admodum rei, nam cognitio quinq; vocum abſoluta conſiderata, neceſſaria eſt ad categorias intelligẽdas: eadem tamen ſub iſto modo, vt eſt tradita à Porphyrio non eſt neceſſaria, ſed vtilis.

Diſpu-

DISPVTATIO DE REBVS VNIVERSIS, IN QVINQVE SECTIONES POTISSIMAS DISTRIBUTA.

PRÆFATIO.

MVlti, iiq; grauiſſimi viri exemplo Porphy. ducti, hanc diſputationem de rebus vniuerſis hoc loco prætermiſerunt, aut rei difficultate, & ſubtilitate deterriti, aut quod captum putent ſuperare Dialecticorum, aut quia ad ſupremum artificem, Metaphyſicum nimirum referendam eſſe arbitrentur. Quorum ſane opinio quamuis his probabilibus nitatur rationibus, probari tamen mihi nũquam potuit, nam ſine hac de reb. vniuerſis diſputatione in Dialectica in clariſſima & meridiana luce cæcutiemus. At nonne in Dialectica de generibus, & formis, de ſubiectis & attributis generalibus diſputamus? hæc autẽ quid quæſo aliud ſunt, quam notiones quædam vniuerſa? Addo hanc diſputationem Porphy. eſſe Dialecticam, in illa autem de vocibus communibus vniuerſis agimus. Quare communem fere ſententiam Dialecticorum ſequuti, hanc de rebus vniuerſis ſubtilem, & perdifficilem tractationem proponemus, quam in quinque partes, vel ſectiones diſtribuemus, in prima agemus de facultatibus cognoſcendi, quarum cognitio ad hanc diſputationem eſt omnino neceſſaria. In ſecunda de rebus vniuerſis. In tertia de ente rationis. In quarta de notionibus ſecundis, & in quinta de numero harum vocum, & ſubiecto huius libri diſputabimus.

SECTIO I. PARS I.

De ſenſibus.

CVm hæc diſputatio de facultatibus cognoſcendi ſit omnino neceſſaria ad hanc de rebus vniuerſis tractationem intelligendam, ab illa initium ducemus, non quidem accurato, & exactiſſimo modo, hoc enim ad Philoſophum naturalem in lib. de anima ſpectat, ſed adumbrato & imperfecto, ea ratione, qua nobis ad rem, de qua ſermonem inſtituimus, poſſit deſeruire.

Initio igitur duæ ſunt nobis cognoſcendi facultates à natura tributæ, vna ſentiendi, & altera intelligendi, inter quas quamuis intelligendi ſit prior dignitate, eſt tamen ortu & generatione poſterior. Nam nihil eſt in intellectu, quin prius illud non extiterit in ſenſu, & ita agendum erit prius de ſenſu, quam de intellectu: exordiemur autem illius diſputationem à diffinitione, quam ita proponit Ariſtoteles 2. *de anima*, *cap* 12. Senſus eſt facultas animi, recipiens ſpecies ſenſiles ſine materia: in qua diffinitione explicandæ ſunt duæ particulæ. Prima eſt, quid ſit ſpecies ſenſilis, altera vero, quid ſit recipere ſpeciem ſine materia. Species nihil aliud eſt, quam imago quædam, & ſimilitudo, effluens ab obiecto in potentiam, repræſentãs potentiæ obiectum, ſicuti eſt à parte rei: nam quemadmodum à vultu alicuius hominis effluũt imagines quædam in ſpeculum, quæ repræſentãt hominem, ſicuti eſt. Eodem modo intelligendum erit ex obiecto (vt ex colore conſtituto coram facultate videndi) deriuari quaſdam imagines, quę repræſentant colorem, eo modo, quo eſt à parte rei. Altera particula eſt, ſine materia, quæ reddit hunc ſenſum: quamuis obiectum ſenſus vnitum ſit à parte rei cum aliqua materia, & ſubiecto, attamen non immittit in ſenſum ſuam imaginẽ, cum aliqua particula materiæ, & ſubiecti, ſed ſine vlla materia, modo quodam ſpiritali, quemadmodum ſigillum in aliqua materia eſt, ſcilicet in ferro, auro, vel argento, verũ, quando imprimit in cera ſuam imaginem, imprimit illam ſine materia, nam non fluit cum imagine ſigilli aliqua pars materiæ illius, vel auri, vel argenti. Ex quibus remanet aperte diffinitio, quę ad hunc modum eſt intelligenda: Senſus eſt facultas quædam recipiendi ſpecies ſenſiles, id eſt, imagines, &

ſimilitudines obiectorum, ſine materia, id eſt, modo quodam incorporeo & ſpiritali.

Quot ſunt ſenſus externi.

Diuiduntur autem ſenſus in externos & internos. Externi ſunt quinque; viſus, auditus, guſtus, olfactus, & tactus. Interni vero, vt ad noſtrum attinet inſtitutum, ſunt tres; ſenſus communis, vis imaginandi, vel phantaſia, cogitatiua, vel æſtimatiua, de quibus antequam agamus, agendum erit prius de obiectis, in quibus illi verſantur, nam ex cognitione obiectorum [illegible]ueniēdum erit in cognitionem facultatum. Obiectum autem illud dicitur, quod aliquo ſenſu percipitur, vt color eſt obiectum viſus, & ſonus auditus. Diuiditur autem in obiectum per ſe, & per accidens, Obiectum per ſe vocatur illud, quod propria vi & natura mouet facultatem, vt color eſt obiectum per ſe viſus, ille enim ex propria vi immutat viſum ad videndum. Obiectum vero per accidens vocatur, quod vi aliena, & ratione alterius mouet facultatem ſentiendi, quemadmodum paries eſt obiectum per accidens viſus, quia ratione coloris, & non ex propria natura mouet illum ad ſentiendum. Præterea quoddam eſt obiectum proprium, & aliud commune. Proprium illud dicitur, quod tantum percipitur ab vno ſenſu, commune vero, quod à pluribus percipi poteſt. Obiecta propria quinque ſunt: color, ſonus, odor, ſapor, & qualitates primæ, vel ſecundæ, vt calidum, frigidū, lene, vel aſperum, Color eſt obiectum viſus, ſonus auditus, odor olfactus, ſapor guſtus, & qualitates tactus. Tot etiam ſunt obiecta communia, ſcilicet motus, quies, numerus, magnitudo, & figura. Quæ obiecta vel à duobus, vel à pluribus ſenſibus poſſunt percipi: ob quam cauſam dicuntur communia. Fit autem actio ſentiendi, quam alii ſenſationem vocant ad hunc modum. Senſus imprimis recipit ſpecies ſui obiecti, quibus receptis producit in ſe actum ſentiendi, & ita ſequitur ſenſatio.

Quot ſunt ſenſus interni.

Senſus vero interiores ſunt hi tres; ſenſus communis, vis imaginandi, vel phantaſia, & æſtimatiua, vel cogitatiua, Senſus communis eſt facultas animi, ad quam tanquam ad locum, & centrum commune, deducuntur ſpecies receptæ à ſenſibus exterioribus: quemadmodum mare dicitur locus communis aquarum, eo quod ad illud omnes fluuii deferunt ſuas aquas, ſunt autem huius ſenſus duo potiſſima munera. Primum eſt, percipere actiones ſenſuum exteriorum, vt actionem videndi, vel audiendi: nam cum hæ non poſſint percipi ab aliquo ſenſu exteriori, vt actio videndi non poteſt percipi à viſu, cum non ſit affecta colore, in quem tantum poteſt ferri viſus, neceſſaria eſt alia ſuperior potentia, cuius ope percipiamus huiuſmodi actiones. Alterum munus eſt, conſtituere diſcrimen inter obiecta ſenſuum exteriorum, vt inter odorem, ſaporem, & colorem pomi, nam hoc diſcrimen non poteſt conſtitui ab aliquo ſenſu externo, vt à viſu: nam viſus tantum cognoſcit colorem, & non ſaporem, neque à guſtu; nam hæc facultas ſolum fertur in ſapores, & non in colores: aſſignanda itaque erit alia ſuperior facultas ſentiendi, quæ dicitur ſenſus communis, cuius ope conſtituamus diſcrimen inter obiecta ſenſuum exteriorum. Locus vero huius facultatis eſt in prima parte cerebri, quæ cum ſit nimis humida, & frigida, non poterit diu retinere ſpecies immiſſas à ſenſibus exterioribus: nam hæc eſt natura humidorum, vt facile recipiant figuram alienam, illamque facile amittant, vt cera facile recipit quamlibet figuram, & facile quoque illam amittit, vnde erit conſtituenda alia facultas animi, quæ retineat, & conſeruet ſpecies ſenſiles, quas non poteſt retinere ſenſus communis: hæc autem facultas eſt vis imaginandi, vel phantaſia, locum habens in ſecunda parte cerebri, quæ nihil eſt aliud, quam locus quidam, in quo tanquam in area retinentur ſpecies receptæ à ſenſibus exterioribus. Differt autem à ſenſu communi, inter alia diſcrimina, quia ſenſus communis non exercet ſuam actionem nobis dormientibus, ſed vigilantibus, phantaſia vero, & nobis dormientibus, & vigilantibus exequitur ſuum munus. Etenim omnia ſomnia, quæ exercentur in hominibus dormientibus, fiunt in phantaſia. Tertius ſenſus internus eſt æſtimatiua, vel cogitatiua, qui ob hanc cauſam eſt conſtituendus. Cum dentur multæ ſpecies, quæ à nobis cognoſcuntur, quæ tamen non poſſunt percipi ab aliquo ſenſu exteriori, vt ſunt ſpecies amicitiæ & inimicitiæ, commodi & incommodi, & aliæ multæ huius generis, conſtituenda erit hæc potentia, quæ dicitur æſtimatiua: vel cogitatiua, cuius beneficio cognoſcamus huiuſmodi ſpecies, quæ non poſſunt apprehendi ab aliquo ſenſu exteriori, Vnde colligendum erit, duplicem eſſe memoriam, vnam ſenſibilem ad conſeruandas ſpecies ſenſibiles, quæ recipiuntur à ſenſibus exterioribus, & hæc non differt a vi imaginandi, & alteram ad conſeruandas ſpecies quæ non recipiuntur a ſenſi-

bus exterioribus, & hæc non differt ab æſtimatiua, vel cogitatiua.

SECT. PRIMÆ DISPVTATIO SECVNDA,

De vtroque intellectu, agente & patibili.

AGendum eſt in altera parte diſputationis de facultate intelligendi, quæ quamuis ortu ſit poſterior ſenſu, dignitate tamen eſt multo prior. Duplicem conſtituit Ariſtot. intellectum, *3. lib. de anima, cap. 4. & 5.* vnum agentem, & alterum patibilem. Patibilis eſt facultas animæ intelligentis, impermixta, immaterialis, & incorporea, cuius beneficio omnia intelligimus. Vocatur autem hæc facultas incorporea, nō quidem, quia ſit extra corpus, ſed quia intelligendo non indiget, neque vtitur inſtrumento corporeo. Agens vero eſt facultas animi, illuminans phantaſmata, reddens illa apta & accommodata, vt poſſint percipi ab intellectu patibili, atque educens ſpecies intellectiles è phantaſmatibus, quæ receptæ in intellectu patibili, præſtant, vt poſſit intelligere naturas per illas repræſentatas: & hinc factum eſt, vt ille intellectus vocetur patibilis, quia recipit ſpecies: nam recipere pati eſt, & alter dicatur agens, quia illuminat & producit ſpecies: nam hæc munera præſtare, agere eſt.

1. *Obſeruat.* Explicandum tamen erit, qua ratione intellectus agens illuminet phantaſmata, quam rem vt intelligamus, annotandum eſt, in Petro (& idem dicimus de indiuiduis aliarum naturarum) duo reperiri, & naturam ipſam vniuerſam, & proprietates reddentes illam indiuiduam. Natura eſt animal particeps rationis. At vero hic color, hæc figura, hæc oſſa, & hæ carnes, ſunt proprietates indiuiduantes naturam humanam. Pari quoque ratione in phantaſmate Petri, referente ipſummet Petrum, ſicuti eſt a parte rei, reperiuntur duo, & natura humana vniuerſa, & proprietates ſingulares reddentes illam indiuiduam.

2. *Obſeruat.* Illud etiam ſciendum eſt, duplicem eſſe illuminationem, vnam formalem, & alteram obiectiuam, & pari etiam ratione duobus modis aliqua illuminari formaliter & obiectiue. Illa illuminantur formaliter, in quibus reperitur lumen, tanquam in ſubiecto proprio, vt aer illuminatur formaliter a ſole, quia recipit lumen tanquam proprium & adæquatum ſubiectum illius. Illa vero dicuntur illuminata obiectiue, quæ manifeſtantur per lumen ſolis. Ita rem hanc explicat acutiſſimus Caietanus *1. part. quæſt. 79. art. 3.* Hac igitur ratione illuminantur phantaſmata. Cum in illis reperiantur duo illa, & natura vniuerſa, & proprietates ſingulares, medio lumine intellectus agentis, manifeſtatur intellectui patibili natura vniuerſa relucens in phantaſmatibus, occultatis proprietatibus ſingularibus, quæ reddebant illam indiuiduam: vnde tantum dicuntur phantaſmata illuminari obiectiue, quemadmodum dicimus colores illuminari a ſole obiectiue. Nam quod quidam aſſerunt, etiam illuminari phantaſmata ſubiectiue, eſt omnino falſum: eo enim modo illuminantur ab intellectu agente, quo illuminantur colores a ſole: at colores non illuminantur ſubiectiue, vel formaliter, vnde neque phantaſmata illuminabuntur ab intellectu formaliter. Ex quo colligimus, neceſſarium eſſe intellectum agentem: nam ſi ad intelligendum neceſſaria eſt illuminatio, quæ fit ab intellectu agente, neceſſario erit hic intellectus conſtituendus, quicquid aſſerat Durand. *1. lib. ſent. diſt. 3.* cuius opinio confutari poteſt argumentis collectis a D. Thom. *1. part. q. 79. art. 3. & 2. lib. contra gent. c. 77.*

Ex hac tamen illuminatione intellectus agentis fluunt à phantaſmatibus illuminatis ſpecies intelligibiles, quæ receptæ in intellectu patibili, conferunt illi facultatem intelligendi naturas in phantaſmatibus relucentes. Sunt autem hæ ſpecies imagines quædam, & naturales ſimilitudines naturarum relucentium in phantaſmatibus: quod non eſt intelligendum de ſimilitudine virtuali, vt dicimus ſemen arborum eſſe ſimile arboribus (vt quidam docuerunt) ſed de ſimilitudine formali, & naturali: vt expreſſis verbis docet D. Thomas *1. libr. contra gentes, cap 53.* Attamen conſtituendas eſſe huiuſmodi ſpecies intelligibiles, ex eo colligere poterimus: quia omnis cognitio debet fieri per aliquam ſimilitudinem, vt auctor eſt Ariſt. *1 libr. de anima.* & Porphyr. *in libello de occaſionibus*: vnde cum intellectus ſuapte natura non habeat ſimilitudines rerum, quas intelligit, debet informari his ſpeciebus & imaginibus, quæ ſunt naturales ſimilitudines rerum, petitæ à phantaſmatibus beneficio intellectus agentis. Ex quibus colligimus, intellectum agentem duo hæc præſtare ſuo lumine. Vnum eſt reddere phantaſmata accommodata vt poſſint percipi ab intellectu patibili, quæ antea erant inepta, vel efficere phantaſmata intelligibilia, quæ antea tantum erant ſenſilia. Alterum vero eſt producere ex phantaſmatibus illu-

minat s

minatis ſpecies intelligibiles in intellectu patibili, quarum beneficio ipſe intellectus poſſit intelligere naturas relucentes in phantaſmatibus. Quemadmodum lumen ſolis hæc duo etiam confert, vnum eſt reddere colores accommodatos ad videndum, qui antea in tenebris delitescentes inepti erant, vt poſſent percipi à viſu. Alterum vero eſt producere ex coloribus imaginem, & ſimilitudinem illorum, quæ recepta in viſu conferat illi facultatem ad videndum. Verum quamuis tam ſpecies intelligibiles, quam phantaſmata illuſtrata ſint actu intelligibilia, maxime inter ſe differunt. Intercedunt enim inter illa tria diſcrimina: vtraque animaduerſum eſt à Caietano *1. part. quæſt. 79. articul. 3.* Primum eſt: Species intelligibiles ſunt in intellectu, tanquam in ſubiecto, phantaſmata vero ſunt in phantaſia, vel vi imaginandi. Secundum: Species intelligibiles ſecundum eſſe ſunt immateriales, exiſtant enim in intellectu, qui eſt facultas animi immaterialis, phantaſmata vero ſunt corporea, & materialia: quia ſunt in phantaſia, quæ eſt facultas corporea, reſidet enim illa in cerebro, quod corporeum eſt, & materiale. Tertium: Species intelligibiles repræſentant naturam communem, & vniuerſam, phantaſmata vero ſecundum eſſe repræſentant naturam ſingularem, ſunt enim illa rei ſingularis. At vero ſecundum relucentiam, & illuſtrationem, repræſentāt naturam vniuerſam. Ex quo colligit Caietanus, phantaſmata eſſe in duplici ordine, ſcilicet ſenſibilium, & intelligibilium: nam ſi illa ſumantur iuxta ſuum eſſe, continentur in ordine ſenſibilium, ſi vero ſumantur iuxta relucentiam, & illuminationem, continentur in ordine intelligibilium: hoc enim modo ſumpta, commode ab intellectu percipi poterunt.

Dubitat. Quod ſi quis roget: Species hæ intelligibiles a quo prodeant à phantaſmatibus ne illuminatis, vel potius ab intellectu? *Solut.* Reſpondemus, illas produci à phantaſmatibus illuſtratis, propter has rationes. Prima eſt, quia illa eſt cauſa cenſenda alicuius effectus, cui effectus aſſimilatur, ſed ſpecies intelligibiles aſſimilantur naturæ relucenti in phantaſmatibus, ergo producuntur à phantaſmatibus. Secunda eſt, quia imago produci debet ab ea re, cuius eſt imago: quare cum ſpecies ſint imagines naturarum relucentium in phantaſmatibus, erunt ſpecies productæ à phantaſmatibus. *Obiect.* Dicet tamen aliquis: Res corporea non poteſt agere in ſpiritum: ſed phantaſmata ſunt corporea, intellectus vero patibilis eſt res ſpiritualis, ergo non poterunt producere phantaſma ſpeciem intelligibilem in intellectu patibili. *Solut.* Reſp. rem corpoream propria virtute non poſſe agere in ſpiritum, virtute tamen ſuperioris agentis poſſe agere in illum. Quemadmodum Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt corporea, virtute diuina agunt in ſpiritum: nam producunt gratiam in anima. Et eodem modo quamuis phantaſmata virtute propria non poſſint producere ſpecies intelligibiles in intellectu patibili, virtute tamen intellectus agentis, ea ſcilicet ratione qua illuminantur ab illo, recte poſſunt illas producere.

SECT. PRIMÆ PARS TERTIA,

In qua quid notio, & quid abſtractio ſit, explicatur.

Mathematicorum morem ſequuti, qui antequam conficiant demonſtrationes ea prius præfantur quæ ad illas conficiendas ſunt neceſſaria, vt ſunt diffinitiones, poſitiones, theoremata, & alia, antequam aggrediamur diſputationem de rebus vniuerſis, ea prius in hac parte præfabimur quæ ad diſputationem intelligendam fuerint neceſſaria, ſunt autem illa quid ſit notio, & quid abſtractio, nam his frequenter in diſputatione ſumus vſuri.

Quid ſit notio. Primo igitur à notitione exordiemur, quæ nihil eſt aliud quam conſideratio intellectus quæ communi nomine intentio dici ſolet, ab aliis vocatur verbum, logos internum, & ſermo mentis. Conſideratio autem nihil eſt aliud, quam expreſſa quædam ſimilitudo rei intellectæ, vnde conuenit cum ſpecie impreſſa, quia vtraque eſt ſimilitudo rei: differt autem ab ipſa primo. Quia ſpecies impreſſa producitur a phantaſmatibus illuſtratis, conſideratio vero intellectus ab intellectu informato per ſpeciem impreſſam, & ita dicitur ſpecies expreſſa. Secundo differunt, quia ſpecies impreſſa eſt principium intelligendi, quemadmodum calor ignis eſt principium calefaciendi, expreſſa vero eſt terminus intellectionis, eo modo, quo calor productus in ligno eſt terminus calefactionis. Differunt tertio: Quia ſpecies impreſſa remanet diu in nobis, etiam nihil cogitantibus, expreſſa vero tam diu eſt, quam diu perſeuerat actio intelligendi. De qua re conſulere poteſtis Caietanum *1. part. q. 27. art. 1. dubit. 4.* & Ferrarienſem *1. lib. contra gent. c. 53. & 4. c. 11* & alios Theolog. *1 part. q. 27. art. 1.*

Diuidi-

Digitized by Google

Diuiſio notionis. Diuiditur notio in primam, & ſecundam. Quæ diuiſio ortum habet ex duplici genere attributorum: nam quædam conueniunt rebus extra intellectum, & alia tantum illius beneficio. Verbi gratia; arbori extra intellectum, & à parte rei conuenit eſſe corpus, & habere radices, at vero eſſe ſubiectum, vel attributum, tantum conueniunt illi per intellectum. Vnde notio prima erit conſideratio illorum attributorum, quæ conueniunt rebus à parte rei, illa enim ſunt prima attributa. Notio vero ſecunda erit conſideratio illorum attributorum, quæ conueniunt rebus beneficio intellectus, hæc enim ſunt, quæ ſecundo loco conueniunt rebus. Præterea vtraque notio diuidi ſolet in ſubiectiuam, & obiectiuam, vnde duplex erit notio prima, vna ſubiectiua, quę eſt actio intellectus iam dicta, & altera obiectiua, quæ eſt res cognita per huiuſmodi conſiderationem. Duplex quoque erit notio ſecunda, vna ſubiectiua, quæ eſt conſideratio intellectus notionum ſecundarum, & altera obiectiua, quam conſtituunt ipſæ notiones ſecundæ cognitæ.

Quid ſit abſtractio. Explicandum eſt deinde, quid ſit abſtractio, & in quas partes diuidatur. Abſtractio eſt ſeparatio vnius rei ab altera, quæ ſibi erat vnita. Quæ aliquando fit ſecundum rem, vt quando ſeparamus ramum ab arbore, aliquando vero fit ſecũdum rationem, vt quando ſeparamus per intellectum naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus. Eſt autem diſtributa in tres partes: nam quædam eſt abſtractio intellectus agentis. Secunda, intellectus patibilis, in prima operatione. Et tertia eſt eiuſdem intellectus patibilis, in ſecunda operatione. Prima ergo eſt intellectus agentis, qui illuminando phantaſmata, abſtrahit naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, cum quibus erat vnita à parte rei. Præterea abſtrahit ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. Secunda abſtractio nihil aliud eſt, quam cõſideratio intellectus patibilis naturæ vniuerſæ, non conſideratis proprietatibus ſingularibus, cum quibus erat vnita natura à parte rei. Tertia eſt diuiſio intellectus, quæ fit in ſecunda operatione, quando ea, quæ à parte rei ſunt diuiſa, & ſeparata, intellectus etiam ſeparat, media propoſitione negatiue. Vt quando ſeparamus ab homine lapidem, quæ duo à parte rei ſunt ſeparata, quando dicimus; Homo nõ eſt lapis. vocatur hęc abſtractio diuiſiua, ſuperior vero præciſiua, de quibus legendus eſt D. Thomas *1. part. q. 85 art. 1. ad 1.*

Obiect. Quod ſi quis dicat, Ea, quæ ſunt vnita a parte rei, non poſſunt ſeparari, ſed natura vniuerſa eſt vnita a parte rei cum proprietatibus ſingularibus, ergo non poterit ſeparari ab illis per intellectum. *Solut.* Reſpond. falſam eſſe propoſitionem, nam in pomo color vnitus eſt cum ſapore, & odore, quem tamen adueniente lumine ſolis viſus ſuperat a ſapore, apprehendimus enim colorem ſine ſapore vel odore. Pari etiam ratione, adueniente lumine intellectus agentis, poterit intellectus patibilis ſeparare naturam vniuerſam, apprehendens illam ſine proprietatibus ſingularibus, quamuis a parte rei ſit cum illis coniuncta, & vnita.

SECTIO II.

In qua de ipſis rebus vniuerſis diſputatur.

QVÆSTIO I

An dentur naturæ vniuerſæ à parte rei.

ILla in ſuperiori ſectione propoſuimus, quæ ſunt neceſſaria ad hanc tractationem de rebus vniuerſis intelligendam, quibus breuiter (pro inſtituti ſcilicet ratione) abſolutis, ſequitur, vt de eiſdem rebus vniuerſis diſputemus. Verum, quia inter quæſtiones, quæ de aliqua re proponuntur, quæſtio, an eſt, priorem ſibi vendicat locum, propterea ab hac quæſtione diſputationem exordiemur. Et cum multi ex veteribus Philoſophis in eo conſenſerint, nõ dari naturas aliquas vniuerſas a parte rei, erunt a nobis prius illorum argumenta proponenda.

1. Ex teſtimonio Ariſt qui 1 *lib. de demonſtr. capit.* 18. inquit, tanquam irridens has naturas vniuerſas, valeant ſpecies (id eſt, res vniuerſæ) cantilenæ enim ſunt, & meræ nugæ, ſentit itaque Ariſt. non dari a parte rei naturas vniuerſas. *1. Arg.*

2. Quidquid eſt in rerum natura, eſt ſingulare. ergo non dantur naturæ vniuerſæ, conſequentia eſt aperta, confirmatur antecedens. Quidquid eſt in rerũ natura, aut eſt genitum, aut productum per creationem: ſed quidquid creatur, vel generatur, eſt ſingulare, ergo quidquid eſt in rerum natura erit ſingulare. Præterea: Quidquid eſt inuolutum cum proprietatibus ſingularibus, eſt ſingulare, ſed omne, quod eſt a parte rei, eſt inuolutum cum proprietatibus ſingularibus, ergo erit ſingulare. Iterum: Vniuerſum ſuapte natura eſt incorruptibile, ſed quidquid eſt a parte rei, eſt corruptibile, ergo vniuerſum non erit a parte rei. Confirmatur aſſumptio: Quia quidquid eſt

2. Arg. *3. Arg.* *4. Arg.*

à parte rei, vel eſt ſingulare, vel in ſingularibus: ſingularia vero, & quæ eis inſunt, ſunt corruptibilia, ergo quidquid eſt à parte rei, erit corruptibile.

5. *Arg.* Vltimo: Quicquid eſt à parte rei, percipitur ab aliquo ſenſu, vel auditu, vel viſu, aut alio huiuſmodi ſed quidquid percipitur ab aliquo ſenſu, eſt ſingulare, ergo quicquid eſt à parte rei erit ſingulare. Confirmatur aſſumptio ex diſcrimine intercedente inter ſenſum & intellectum; quia ſenſus eſt rerum ſingularium, intellectus vero vniuerſalium, quicquid igitur ab aliquo ſenſu percipietur, erit res ſingularis.

1. *Opin.* In hac quæſtione veteres Philoſophi ante Ariſtotelem opinati fuerunt nullas dari à parte rei naturas vniuerſas, & multis communes, ſed quæcunque ſunt à parte rei, eſſe ſingularia, quæ cum caduca ſint, & fragilia, variiſque mutationibus obnoxia, nihil putabant in rebus eſſe perpetuum, nihil ſempiternum, ſed omnia eſſe fragilia, & inſtar rapidiſſimi fluminis, in perpetuo quodam motu, & ſucceſſione conſtituta. Vnde auferebant ſcientiam à rebus, nihilque ſciri poſſe volebant: cum enim ſcientia ſit rerum ſempiternarum, nihilque ſit à parte rei ſempiternum, nulla profecto poterit eſſe ſcientia de illis. Hanc ſententiam tribuit Ariſt. Heraclyto, & Cratylo 1 *Lib. Met cap. 6. & 4. cap 5* Ammon. eandem tribuit Antiſtheni, & Sueſſanus *lib 7. Metaphyſ. dilucid 17 Herculeanus*.

2. *Opin.* Secunda opinio eſt, quæ proxime huic accedere videtur Ocham, *in ſua Logica, capite* 14 & omnium nominalium, qui Ochamum tanquam principem & venerabilem huius ſectæ inceptorem venerantur, non dari vniuerſa à parte rei in eſſendo, ſed ſolum dari vniuerſa in ſignificando, & repræſentando. In ſignificando ſunt voces vniuerſæ, quæ multa repræſentant, vt ſunt hæ, homo, & arbor. In repræſentando vero ſunt conceptus mentis, qui multa ſignificant, vt conceptus, quem de leone, vel equo intra mentem efformamus, dicuntur vniuerſi in repræſentando.

3. *Opin.* Tertia opinio eſt Platonis, ſi credimus Ariſtoteli 1. *Metaph. cap. 6. & 7. lib 7 c 15. lib 13. cap. 6 & in alijs ſex entis locis*, arbitrantis dari quaſdam naturas vniuerſas à ſingularibus re ipſa ſeparatas, quas ipſe exemplaria quædam & ideas vocabat quæ eſſent perpetuæ extra omnem ortum, & interitum, & ab omnibus peregrinis mutationibus omnino liberæ, quarumque eſſet ſcientia firmaque & vera intellectus comprehenſio. Etenim cum cerneret, cum Heraclyto & Cratylo, omnia individua eſſe fragilia, & ſtatim labi, exiſtimauit, horum nullo modo poſſe eſſe ſcientiam, quæ tantum eſt rerum ſempiternarū, & quæ nunquam fluunt. Ne ergo ſcientiam à rebus videretur auferre, extra ſingularia has ideas ſempiternas conſtituit, quarū eſſet ſcientia. Num autem ita ſenſerit Plato, vt illi tribuit Ariſtot. poſtea explicabimus.

Quarta opinio eſt Ariſt. omniumque Peripateticorum, qui conſtituunt dari à parte rei naturas vniuerſas, non tamen à ſingularibus ſeparatas, ſed cum eiſdem coniunctas. Sequuntur hanc Boetius *in proœmio in Porphyr.* D. Thom. *4. cap. libelli de ente & eſſentia, & in duobus opuſculis de hac re à ſe editis*. D. Albertus Magnus *in ſua Logica, tractatu* 2. Auicenna 1 *part. Logicæ, cap.* 4. Algazel *in ſua Metaph. tract. 1 cap. 7.* & tandem omnes Græci, Latini, & Arabes, exceptis Nominalibus, idem ſentiunt. Imo Burleus, & Paulus Venetus Philoſophi periti, cum eſſent alioquin ſectæ Nominalium addicti, & auctoritate Ariſt. & ipſa veritate conuicti, in ſuis Logicis hanc ſententiam profeſſi fuerunt. 4. *Opin.*

Itaque vt hanc opinionem tanquam omnino amplectendam explicemus, animaduertendum eſt ex D. Thoma 1 *part. quæſt. 85. art. 2. & 3. ad 1. & 7. Metaphyſic. lect 13.* vniuerſum aliquando ſumi pro notione vniuerſitatis, & aliquando pro natura illi notioni ſubiecta, vniuerſum primo modo dicitur vniuerſum formale. Secundo vero modo vniuerſum materiale, vel pro ſubſtrato, eo quod ſubſternatur ſecundæ notioni. Quemadmodum etiam album aliquando ſumitur pro albedine, diciturq; album formaliter, aliquando vero pro ſubiecto affecto albedine, vocaturque album materialiter. *Obſer.*

Quo animaduerſo, ſit prima concluſio aduerſus Heraclytum & Cratylum A parte rei dantur naturæ vniuerſæ, multis communes, quæ poſſunt prædicari de multis. Vel quod idem eſt, à parte rei datur vniuerſum materiale. Hanc concluſionem conſtituit Ariſtoteles *cap. 5. lib. de interpretat* vbi res ipſas à parte rei diuidit in vniuerſas & ſingulares *& 7 Metaph. cap 13 lib 3 cap. 4 & multis alijs in locis*. Eandem docet Boetius *in libello, de duabus naturis in Chriſto*, diuidens ſubſtantiam in vniuerſam & particularem, & D. Anſelmus *in ſuo Monolog. capite* 27. tradens eandem diuiſionem ſubſtantiæ à parte rei, in vniuerſam, & ſingularem quæ confirmatur his argumentis. Primum eſt: Scientia datur de rebus nam omnes homi- 1. *concluſ.* 1. *Arg.*

nes natura ſcire deſiderant, ſed ſcientia non eſt rerum ſingularium, ergo præter ſingularia conſtituenda erunt vniuerſa, de quibus ſcientia habeatur. Confirmatur aſſumptio. Primo, quia ſingularia ſunt numero infinita ſucceſſione, at infinita nulla ſcientia comprehendi poſſunt. Deinde ſingularia ſunt ortui & interitui, & aliis commutationibus obnoxia, & ita non ſunt perpetua, ſcientia autem de rebus eſt ſempiternis.

2. Arg. Secundum argumentum. In rebus dantur definitiones, vel eſſentiales, vel accidentariæ: ſed diffinitiones non poſſunt eſſe ſingularium, ergo præter ſingularia aſſignandæ erunt naturæ vniuerſæ, quæ diffiniantur. Confirmatur aſſumptio ex Ariſtotel. 7. *Metaphyſ. cap. 15.* Diffinitio, quemadmodum & ſcientia ſolum eſt rerum ſempiternarum, quia cōpetit ſemper rei diffinitæ, at ſingularia non ſunt perpetua, cum oriantur & intereant: ergo non poterunt illa diffiniri. Præterea: illud eſt diffinitum alicuius diffinitionis, cui primo competit diffinitio, ſed diffinitiones nō competunt primo rebus ſingularibus, vt diffinitio hominis non primo competit Petro, alioquin enim nulla ratione poſſet Thomæ adaptari, ergo ſingularia non poterunt vlla ratione diffiniri.

3. Arg. Tertium argumentum: In his attributionibus; Dominicus eſt homo, Thomas eſt homo, attribuimus aliquod vnum, & commune attributum Dominico, & Thomæ, ergo præter ſingularia aſſignanda erunt à parte rei attributa vniuerſa. Deinde communi vſu loquendi dicimus magnetem attrahere ferrum, non hunc magnetem, aut illud ferrum, ſed in communi, & in vniuerſum. Dicimus quoque, leonem eſſe animal ferox, non hunc leonem, ſed leonem in communi intelligentes, dantur ergo præter ſingularia naturæ vniuerſæ.

Præterea, obiectum intellectus eſt à parte rei, ſed vniuerſum eſt obiectum intellectus, ergo datur natura vniuerſa à parte rei. Confirmatur aſſumptio. Eo differt ſenſus ab intellectu, quia ſenſus eſt ſingularium, intellectus vero naturarum vniuerſarum, alioquin enim ſi intellectus eſt ſingularium tantum, non diſferret à ſenſu, & ita intelligere eſſet ſentire, quæ omnia ſunt abſurda.

Item: Obiectum Philoſophiæ naturæ, Mathematicarum artium, & Philoſophiæ primæ, eſt à parte rei, cum ſit ens rei, ſed illud eſt natura communis & vniuerſa, vt obiectum Mathematicarum artium, verbi gratia, Geometriæ, eſt magnitudo in communi, non hæc quę eſt in Dominico, aut illa quæ eſt in Thoma, ergo à parte rei dantur præter ſingularia naturæ vniuerſæ. Quod ſi dantur huiuſmodi naturæ, ſcientia quoque de rebus poterit de rebus, cum dentur naturæ, quæ poſſunt ſciri. Legenda ſunt plurima argumenta aduerſus Nominales in Petro Nigro *quæſt. 20 clypei* & in M. Soto *quæſtione 1. de rebus vniuerſ.* Fonſeca 5. *Metaphyſic. cap. 27 quæſt. 1 ſectione 2* qui erudite ſatis illorum opinionem explodant. Verum quia ex his argumentis, quæ aduerſus Heraclytum & Cratyllum propoſuimus, poteſt illorum ſententia reiici non eſt, cur in hac re nimium inſudemus, præſertim hoc noſtro tempore, in quo horum Philoſophorum opinio eſt à ſcholis communibus omnium ſuffragiis penitus reiecta.

Secunda concluſio. Naturæ vniuerſæ non ſunt re ipſa à ſingularibus ſeparatæ. Hæc eſt aduerſus Platonem. Quæ confirmatur primo: Quidquid prædicatur ſecundum eſſentiam de aliquo ſubiecto, debet eſſe in illo, ſed res vniuerſæ prædicantur ſecundum eſſentiam de ſingularibus: nam hæc attributio, Dominicus eſt homo, eſt eſſentialis, ergo res vniuerſæ non erunt re ipſa ſeparatæ à ſingularibus. Secundo: Eſſentia debet eſſe in ea re, cuius eſt eſſentia, nam ſunt vnum & idem, ſed vniuerſum eſt de eſſentia rerum ſingularium, ergo erit illud in rebus ſingularibus. Tertio: Corruptibile, & incorruptibile differunt genere, ſed res ſeparatæ à ſingularibus, & in diuiduis ſunt incorruptibiles, ergo differunt genere à ſingularibus, & ita ſi homo vniuerſus eſſet ſeparatus à ſingularibus hominibus, differret genere ab illis, quod eſt omnino abſurdum, cum ſit eiuſdem naturæ cum indiuiduis. 2 concluſ.

Quarto: Intellectus agens eo eſt nobis à natura tributus, vt ſeparemus naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, ergo non eſt illa à parte rei ſeparata ab indiuiduis, alioquin enim fruſtra eſſet collatus nobis intellectus agens. De hac concluſione legi poterunt Soncinas 7. *lib. Metaphyſ. quæſt. 15.* & M. Sot. *quæſt 1 Vniuerſalium.*

Hæc autem dicta ſint aduerſus Platonem, iuxta ea, quæ ipſi tribuit Ariſtot. Num autem vere hoc illi tribuat, dubitant multi Philoſophi præclariſſimi, qui putant iuxta Platonem, huiuſmodi ideas non eſſe collocandas intra concauum orbis lunæ, quemadmodum Ariſtoteles illi videtur tribuere, ſed in mente diuina, in qua ſunt huiuſmodi ideæ, ad quas inſpiciens Deus, quæcunque ſunt extra ipſum, Obſeru.

tentia abſoluta efficere: ſed intellectus creatus poteſt ſeparare naturam vniuerſam à ſingularibus, quando illuminat phantaſmata, & educit ſpecies intellectibiles, ergo poterit hoc Deus efficere. Præterea poteſt Deus corrumpere potentia abſoluta omnes proprietates ſingulares remanēte natura vniuerſa, hoc enim nullam implicat contradictionem, ſed ſi ita fieret, eſſet natura ſeparata à ſingularib. ergo per potentiam Dei abſolutam hoc fieri poterit.

2. Argum.

Ad 1. arg. Ad primum reſpond. falſam eſſe aſſumpt. Quia intellectus non ſeparat ſecundum rem naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, ſed tantum ſecundum rationem, intelligendo ipſam ſine ſingularibus, vel eandem manifeſtando per illuminationem, occultatis proprietatibus ſingularibus, quod certe multo melius poteſt efficere diuinus intellectus, poteſt enim ille intelligere naturam vniuerſam non intellectis ſingularibus. Quod ſi vrgeas, poteſt ſecundum rationem ſeparari natura à ſingularibus, ergo poterit ipſa per diuinam potentiam ſeparari ſecundum rem ab eiſdem. Neganda erit conſequentia, quia materia prima poteſt apprehendi per intellectum in prima ſui notione ſine forma, & relatio ſine fundamento, cum tamen ſit impoſſibile etiam per potentiam abſolutam, materiam primam eſſe à parte rei ſine forma, & relationem ſine fundamento.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondemus negando aſſumpt. Quia ſi Deus corrumperet proprietates ſingulares, etiam corrumperet exiſtētiam naturæ vniuerſæ, quę ſine proprietatibus ſingularibus non poteſt eſſe: vnde his corruptis, naturam vniuerſam corrumpi quoque eſſet neceſſe.

4. concluſ. 4. concl. Vniuerſum formale, vel quod idē eſt notio, quæ denominat naturam vniuerſam, non eſt à parte rei, ſed tantum habet eſſe beneficio, & ope intellectus. Hanc aſſertionem non eſt cur hoc loco confirmemus, cum poſtea in quæſtione de hac re proponenda, ſimus illam confirmaturi.

q. 4. huius ſect.

Ad arg. Supereſt vt ſatisfaciamus argumentis in principio propoſitis.

Ad 1. Ad 1. reſp. Ariſtot eo in loco reprehendere ideas & vniuerſa ſeparata à rebus ſingularib. vt conſtituebat Plato, talia enim vniuerſa, nō ſunt à parte rei, ſed ſunt cantilenæ, & mere nugæ.

Ad 2. Ad 2. reſp. duobus modis aliqua poſſe produci, vno modo primo, & per ſe, & altero modo ſecūdario, vel ad productionem aliorum, illa ergo, quæ primo & per ſe produeuntur, ſingularia ſunt, quæ vero ſecundario producuntur, ſunt res vniuerſæ, nam productis ſingularibus illæ quoque producuntur, & ita argumētum tantum probat, ea quæ primo producuntur eſſe ſingularia, non autem probat ea quæ ſecundario producuntur eſſe ſingularia.

Ad 3. reſp. Quod eſt inuolutum ſecundum rem cum proprietatibus ſingularibus eſſe ſingulare, niſi fuerit multis commune, ſin minus non erit ſingulare: at natura vniuerſa multis eſt communis, quare quamuis ſit inuoluta à parte rei cum proprietatibus ſingularib. non erit ſingularis, de hac tamen communitate, qualis illa ſit, inferius agemus. Vel dicimus illud, quod eſt inuolutum cum his proprietatibus eſſe formaliter ſingulare, fundamentaliter vero vniuerſum, & ita natura, quæ eſt à parte rei, erit formaliter ſingularis, & fundamentaliter vniuerſa. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. Vniuerſa poſſe ſumi, aut ſecundum eſſentiam, aut ſecundum exiſtentiam, ſi primo modo ſumātur, ſunt ſempiterna negatiue, quia eſſentiæ rerum neque oriuntur neque intereunt, non enim vendicant ſibi certam aliquam temporis differentiā, quemadmodum eadem dicimus eſſe vbique negatiue eo quod non vendicant ſibi, certum aliquem locum. Si ſumantur ſecundo modo, non ſunt perpetua, quia corruptis ſingularibus, corrūpuntur quoque vniuerſa ſecundario. Verum ſolutionem hanc, in qua ſtionib. ſeqq. diffuſius proponemus. *Ad 4.*

Ad 5. reſpond. Inprimis falſam eſſe propoſitionem; nam rerum quidditates, & eſſentiæ ſunt à parte rei, quæ non ſenſu, ſed ſolo intellectu poſſunt apprehendi. Reſpond. deinde ad aſſumpt. quædam percipi à ſenſu per ſe, & alia per accidens. Ruiſus, quæ percipiuntur per accidens, quædam percipiuntur pr mo, & alia ſecundario. Illa ergo, quæ per ſe, vel primo percipiuntur à ſenſu, ſingularia ſunt, illā vero, quæ ſecundario percipiuntur, ſunt vniuerſa, nam perceptis primo ſingularibus, ex conſequenti, & ſecundario percipiuntur vniuerſa. Et ita conſequentia nulla eſt, in qua colligimus omnia eſſe ſingularia. *Ad 5.*

QVÆST. II.

An Vniuerſum recte fuerit defini tum Vnum in multis.

QVæſtionem an ſit vniuerſum, ſequitur hæc altera quid ſit illud, an ſcilicet ſit v-

num commune multis, vt ab Ariſtotele ſæpe fuit diffinitum. *3. argum.* Eſſe vitioſam hanc diffinitionem confirmo primo, Sol, Luna, & Mundus, ſunt naturæ vniuerſæ, ſed non ſunt in multis indiuiduis, nam in ſingulis ex his naturis, tantum eſt vnicum indiuiduum, ergo vniuerſum non eſt recte diffinitum vnum in multis.

3. Arg. Secundo: A parte rei dantur naturæ vniuerſæ, vt conſtat ex quæſtione ſuperiori, ſed nihil quod ea a parte rei eſt vnum in multis, ergo vniuerſum non recte diffinitur vnum in multis. Confirmatur aſſumptio. Quidquid eſt a parte rei eſt appropriatum alicui indiuiduo, & circumſcriptum proprietatibus particularibus, ſed quod eſt appropriatum alicui indiuiduo, non poteſt eſſe in multis, ergo nihil quod eſt a parte rei poterit eſſe in multis.

1. Argum. Præterea; Alicui competit diffinitio, cui non diffinitum, ergo erit vitioſa diffinitio. Conſequentia nota eſt. Confirmatur antecedens Natura diuina eſt vna in multis indiuiduis, & perſonis, ſed illa non eſt vniuerſa, vt author eſt D. Thom. *in 1. diſt. 19 quæſt. 4 art. 2.* ergo alicui competit definitio, cui non diffinitum.

Cum vniuerſum ſit vox ambigua variaſque habeat ſignificationes, iuxta illud, quod ſæpe ex Ariſt. in Topic. monuimus, erūt prius illæ proponendæ vt ex illis intelligamus (aliis reiectis) quam retinere debeamus, & definitionibus explicare. *6. Significa. vniuerſi.* Sex igitur leguntur apud graues viros huius vocis ſignificationes. Nam primo ſignificat propoſitionem vniuerſam, affectam nota vniuerſa, vt eſt hæc propoſitio, omnis homo eſt animal. Significat ſecundo attributum vniuerſum, quod prædicatur de omni contento ſub ſubiecto, & dicitur primo & per ſe de illo, vt capax diſciplinæ eſt attributum vniuerſum hominis, nam prædicatur per ſe, primo, & de omni homine, & de hoc vniuerſo agebat Ariſtotel. *1. lib. de poſteriori analyſi cap. 4.* Significat tertio vniuerſum, cauſam vniuerſam, ſiue in eſſendo, vt eſt Deus, & ſuperiora corpora, ſiue in inferēdo, vt ſunt principia demonſtrationis. Quarto ſignificat ſpeciem multa repræſentantem, vt eſt ſpecies hominis, vel equi, & hoc vniuerſum dicitur vniuerſum in repræſentando. Quinto ſignificat voces communes & vniuerſas, quæ ſignificant multa, vt ſunt hæ voces homo vel animal, quod vniuerſum dicitur in ſignificando. Significat ſexto naturam multis communem, quæ de multis nata eſt eſſe, vt ſunt naturæ, hominis vel equi. Ex his igitur ſignificationibus aliis prætermiſſis agendum erit de illo in poſteriori ſignificatione, vt ſignificat naturam, quæ in multis reperitur.

Hoc vero vniuerſum triplex à communi Dialecticorum & Metaphyſicorum ſchola conſtituitur, ante multa, in multis, & poſt multa, vt ex Ammonio in Commentariis in præfationem Porphyr. colligimus. Latini omnes hanc diuiſionem proponunt ſub aliis verbis in hunc modum. Vniuerſum aliud eſt ante rem, aliud in re, & aliud poſt rem, vt videre licet in beato Alberto Magno *tractatu 2. in Porphyr. cap. 3.* & in M. Soto *quæſt. 1. de rebus vniuerſis.* Vniuerſum ante multa, vel ante rem, dicitur imago, vel ſimilitudo, ad cuius exemplar ſunt aliqua opera confecta, vt eſt imago in mente artificis, & ideæ Platonis eſſent vniuerſæ in hac ſignificatione, ſi vera eſſet illius opinio in ſuperiori quæſt. confutata. Dicitur vero ante multa, quia antecedit opera confecta & naturam repræſentatam. Vniuerſum in multis, eſt natura, quæ reperitur in multis indiuiduis, & ſpeciebus, vt natura hominis, vel equi, nam hæ naturæ ſunt in multis. Vniuerſum vero poſt multa eſt ipſamet natura, quæ reperitur in multis ea ratione, qua eſt abſtracta a proprietatibus ſingularibus, vt natura Leonis, ea ratione, qua abſtrahitur a leonibus indiuiduis, eſt vniuerſum poſt multa.

Quidam hanc diuiſionem ita explicant, vt vniuerſum ante multa dicant eſſe vniuerſum in repræſentando, quales ſunt ſpecies intelligibiles. Vniuerſum in multis eſſe vniuerſum in prædicādo. Vniuerſum vero poſt multa eſſe ipſam rationem vniuerſi.

Beatus Albertus Magnus hanc eandem diuiſionem explicat in hunc modum. *D. Alberti M. explicatio* Vniuerſum ante multa, eſt principium & origo naturæ vniuerſæ. Vniuerſum in multis, eſt ipſamet ſubſtantia, & eſſentia naturæ vniuerſæ. Vniuerſum vero poſt multa, eſt qualitas quędam conſequens ſubſtantiam naturæ. Itaque proponit hāc diuiſionem, iuxta principium, ſubſtantiam, & qualitatem naturæ vniuerſæ. Ex his tribus generibus vniuerſi, prætermiſſo vniuerſo ante multa de aliis, in multis ſcilicet, & poſt multa erit diſputandum, illorumque diffinitiones tradendæ, quæ ſunt tres ex variis locis Ariſt. collectæ.

Prima eſt: Vniuerſum eſt illud quod ſuapte natura natum eſt eſſe in multis. Hæc petitur *ex libr. 7 Metaphyſ. cap. 13 & 1. de demonſtrat. cap. 8.*

Digitized by Google

*cap.*8. & eadem eſt hæc definitio cum illa qua definitur 1. *de partibus animalium cap.*4. vnum commune multis. In qua diffinitione conſulto dictum eſt, quod poteſt eſſe in multis, & non quod actu eſt in multis, vt annotat eo loco D. Thom. eo quod dantur multa vniuerſa, quæ actu tantum ſunt in vno, habent tamẽ aptitudinem, vt poſſint in multis reperiri, vt ſunt Sol, Luna, Mundus. Natura etenim Solis, tantum eſt actu in hoc vno Sole; habet tamen aptitudinem, vt poſſit in multis reperiri, ſi alii multi eſſent.

2. *Diffinitio.* Secunda diffinitio proponitur 1. *libr. de interpretatione cap.*5. Vniuerſum eſt illud, quod poteſt prædicari de multis, vt animal eſt vniuerſum, quia poteſt prædicari de homine, & leone. Adnotandum tamen eſt has diffinitiones eſſe ita inter ſe affectas, vt prima ſit eſſentialis, ſecunda vero deſcriptiua. Nam prima exprimit totam naturam & eſſentiam vniuerſi, quæ in eo ſita eſt, vt poſſit eſſe in multis. Secunda vero exprimit illius proprietatem, quæ eſt poſſe prædicari de multis. Præterea prima definitio traditur per cauſam, ſecunda vero per effectum: Nam eo aliquid poteſt de aliquo tanquam de ſubiecto prædicari, quia eſt in illo: vt albedo ex eo poteſt prædicari de pariete. Cum ergo prima diffinitio tradatur per poſſe eſſe in multis, ſecunda vero per poſſe prædicari de multis, prima tradetur per cauſam, & ſecunda per effectum.

3. *Diffinitio.* Tertia diffinitio deprompta eſt *ex ſecundo libr. de priori analyſi, cap. vlt. quæ ſic habet.* Vniuerſum eſt vnum in multis, & præter multa. Quam diffinitionem, vt explicemus, proponenda erunt diſcrimina inter vniuerſum, & ſingulare interuenientia, nam ex illis apertiſſime colligitur propoſita diffinitio. Primum eſt; Singularia ſunt numero infinita, vniuerſum vero tantum eſt vnum, verbi gratia homines ſingulares innumeri ſunt, homo vero vniuerſus tantum eſt vnus. Secundum: Singulare nulla ratione poteſt eſſe in multis, ſed in vno ſolo, vt Petrus non poteſt eſſe in multis hominibus, ſed continetur infra limites ſuæ naturæ indiuiduæ. Vniuerſum vero poteſt in multis reperiri, vt animal in multis animalibus, & homo in multis hominibus. Tertium: Singulare non poteſt vllo modo abſtrahi à proprietatibus indiuiduantibus, quia ſunt de ratione internæ illius: vniuerſum vero abſtrahitur beneficio vtriuſque intellectus a proprietatibus ſingularibus. Ex quibus diſcriminibus aperte explicatur diffinitio ad hunc modum. In prima particula dicimus vniuerſum eſſe vnum, quæ colligitur ex primo diſcrimine, nam cum ſint multa indiuidua, vniuerſum tantum poteſt eſſe vnum.

Obſeruatio. Animaduertendum eſt tamen vniuerſum vocari vnum nomine, & ratione. Nomine ita vt ſit vox ſimplex & vna, per quam partem ſeparantur à ratione vniuerſi orationes, & enunciationes, quæ ſunt voces compoſitæ. Ratione, quia debet habere vnam rationem communem omnibus inferioribus, per quam ſeparantur à ratione vniuerſi homonyma, quæ non habent vnam rationem in omnibus illis. Analoga vero, quia partim habent eandem, & partim diuerſam rationem, aliquando vocantur vniuerſa, & aliquando reiiciuntur a ratione illorum. Et ita ens, & vnum quæ ſunt analoga, vocantur ab Ariſtot. maxime vniuerſa *lib.* 3 *Metaphyſ. cap* 3 *&* 4. & 4. *lib. Metaphyſ. cap.* 2. *&* 1 *Ethic. cap.* 6 reiiciuntur à ratione vniuerſi. In ſecunda particula dicimus in multis, quæ colligitur ex ſecundo diſcrimine, nam ſingularia neque actu, neque aptitudine reperiuntur in multis, Vniuerſum vero in multis, aliquando actu, & aliquando aptitudine. Tertia particula eſt. Præter multa, quæ etiam colligitur ex tertio diſcrimine. Quia ſingularia ita ſunt circũſcripta propriis limitibus ſuarum proprietatum, vt non poſſint neque eſſe, neque concipi præter huiuſmodi proprietates. Vniuerſum vero, concipitur ab intellectu ſine proprietatibus ſingularibus, & ita eſt præter multa, id eſt, præter multa indiuidua, & multas proprietates ſingulares.

Sciendum eſt etiam ex D. Thom. 1. *part. quæſt.* 13. *art.* 9 duplex eſſe vniuerſum, vnum ſecundum rem, & rationem, & alterum tantum ſecundum rationem. Primum illud eſt, quando natura communis actu reperitur in multis, & ratio quoque illius multis eſt communis, qua ratione animal, & homo dicuntur vniuerſa, quia animal eſt in multis ſpeciebus, & homo in multis indiuiduis, & vtriuſque rationes ſuis inferioribus communicantur. Alterum vero eſt illud, quod tantum reperitur in vno, ratio vero multis poteſt eſſe communis, vt Sol, & Luna. Nam Sol tantum eſt in vnico indiuiduo, ratio tamen illius, multis poteſt eſſe communis.

1. *concluſ.* His animaduerſis ſit prima concluſio. Recte diffinitur vniuerſum vnum in multis, vel

vnum commune multis. Confirmatur ex auctoritatibus Ariſt. quas in prima deſinitione propoſuimus, in quibus ita eſt vniuerſum ab ipſo definitum. Præterea: Per hanc diffinitionem ſeparatur vniuerſum à ſingulari, etenim ſingulare ita eſt circumſcriptum ſuis proprietatibus ſingularibus, vt alteri conuenire nulla ratione poſſit. Vniuerſum vero cum ex ſe ſuapteque natura non includat huiuſmodi proprietates ſingulares, poterit eſſe commune multis. Erit igitur hæc legitima diffinitio. Accedit etiam ad hanc concluſionem confirmandam explicatio vltimæ definitionis, nam ex diſcriminibus ibi propoſitis, inter vniuerſum & ſingulare, eſſe rectam hanc definitionem, aperte ſatis conſtare poteſt.

2. concl. Secunda concluſio. Vniuerſum ſecundum rem & rationem, debet eſſe vnum in multis ſecundum actum. Hæc conſtat ex diffinitione propoſita huius vniuerſi. Nam diximus illud eſſe, cuius non ſolum ratio, verumetiam & natura ipſa in multis actu reperitur.

3. concl. Tertia concluſ. Vniuerſum ſecundum rationem non debet eſſe vnum in multis ſecūdum actum, ſed ſat eſt vt ſit in vno ſecundum actum, & in aliis ſecundum poteſtatem. Hæc etiam ex diffinitione huius vniuerſi conſtat, ita enim fuit definitū ex D.Tho. quod in vno tantum reperitur, ratio vero poteſt multis eſſe communis. Verum de his duabus vltimis concluſionibus plura *in cap. de Genere*, quærētes an illud poſſit conſeruari in vnica ſpecie explicabimus.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. Ad primum conſtat ex vlt. concluſ. quid reſpondere debeamus, nam Sol, & Luna ſunt vniuerſa ſecundum rationē, atque ita tantum erunt in vnico indiuiduo actu, & in alijs poteſtate.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondemus, naturam vniuerſam à parte rei non eſſe vnam in multis poſitiue, quaſi habeat vnam, eandemque rationem in multis. hoc enim tantum habet illa beneficio intellectus ſeparantis eam à proprietatibus ſingularibus: eſſe tamen vnam per conformitatem, in multis indiuiduis. Naturæ ſiquidem omnium indiuiduorum, quamuis ſint circumſcriptę proprietatibus ſingularibus, inter ſe maximam retinent conformitatem. Erit igitur ſenſus diffinitionis, vniuerſum eſt vnum in multis, vnum inquam per conformitatem. Quid tamen ſit hæc vnitas conformitatis, in quæſtione ſequenti explicabimus.

Ad 3. Ad tertium negandum eſt antecedēs. Nam diffinitio intelligi debet de vnitate communi multis ſecundum rationem, & non ſecundum numerum, vt ibidem D. Thom. in 2. arg. interpretatur: at vero natura diuina non eſt vna, & communis ſecundum rationem, ſed vna numero, & ſecundum rem in tribus perſonis diuinis, atque ita nō conueniet illi diffinitio propoſita vniuerſi.

QVÆSTIO III.

An natura vniuerſa à parte rei ſit vna vnitate communi.

Ex I quæſt. huius ſect. cōſtat dari naturam vniuerſam materialiter in rebus ipſis ſine vlla conſideratione intellectus, quare proximum erat vt ageremus de vniuerſo formali, num ſcilicet illud ſit in rebus ipſis, & à parte rei, vel conſtet ne ſola conſideratione intellectus. Verum quia hæc quæſtio intelligi non poteſt, niſi fuerit prius explicatum an detur in natura vnitas aliqua communis, quæ ſit minor vnitate numerica, citra omnem operationem intellectus, erit hæc quæſtio prius explicanda, quæ certe difficilis eſt, & ad diſputationem de rebus vniuerſis intelligendam omnino neceſſaria. Pro parte aiente dari ſcilicet vnitatem aliquam communem in ipſa natura à parte rei, & ſine vlla operatione intellectus, eſt primum argumentum. Ens & vnum reciprocantur ex Ariſt. 2. *Met. c.* 2. ſed natura vniuerſa à parte rei eſt ens, ergo à parte rei erit quoquē vna. 1. Argum.

Secundum Natura eſt indiuiſa à parte rei. Conſequens à eſt manifeſta, argumentamur enim à diffinitione ad rem diffinitam. Probatur antecedens. Si natura non eſſet indiuiſa, eſſet diuiſa, nam inter diuiſum, & indiuiſum, non datur medium, ergo ſi à parte rei non eſt indiuiſa, erit diuiſa, & ita aliam naturam humanam obtinebit Dominicus, & aliam Thomas, quare per aliam rationem Dominicus erit homo, & per aliam Thomas. 2. Arg.

Præterea: Omnis communitas ſequitur aliquam vnitatem, ſed Dominicus, & Thomas habent communem naturam humanam, & homo, & leo habent communem naturam animalis, ergo à parte rei dabitur vna natura humana, & vna natura animalis. 3. argum.

Item Idem, ſimile, & æquale reperiuntur à parte rei in natura; ſed hæc omnia fluunt ab vnitate naturæ, ex Ariſtot. 10. *Metaphyſ. cap.* 5. nam vnum in ſubſtantia facit idem, in quantitate ęquale, & in qualitate ſimile, ergo à parte rei datur vnitas in natura. 4. Argum.

Ad hæc: Si à parte rei non daretur aliqua 5. argum.

Digitized by Google

vnitas communis in natura, ſed omnia eſſent vnum numero, ſequeretur inter Platonem, & illum equum, non eſſe maiorem diſtinctionem, quam inter Platonem & Socratem, hoc autem eſt abſurdum, ergo præter vnitatem numericam, à parte rei datur vnitas communis. Confirm. propoſitio. Si à parte rei non daretur aliqua vnitas præter numericam, neque etiam daretur alia diſtinctio præter numericam, & ita inter Platonem, & illum equum tantum eſſet diſtinctio numerica, ſed inter Platonem & Socratem, eſt tantum diſtinctio numerica, ergo ſi tantum daretur vnitas numerica, non eſſet maior diſtinctio inter Platonem, & illum equum, quam inter Platonem & Socratem.

6. argum. Iterum arg. A parte rei datur relatio ſimilitudinis, ſed fundamentum relationis ſimilitudinis, eſt vnitas naturæ, ergo præter vnitatem numericam datur à parte rei vnitas naturæ multis communis. Aſſumptio eſt Ariſt. 5 *Metaphyſ. cap.* 17 confirm propoſitio: Omne generans generat ſibi ſimile in natura, ex Ariſtotel 2. *de anima cap.* 4. & 12. *Metaphyſic. cap.* 4 ergo datur à parte rei relatio ſimilitudinis.

7. argum. Septimo: Obiectum ſenſus eſt vnum vnitate communi, & vniuerſa, ſed obiectum ſenſus eſt à parte rei præter operationem intellectus, nam quemadmodum ſenſus eſt prior intellectu; ita etiam & obiectum ſenſus debet eſſe prius obiecto intellectus, & per conſequens prius actione ipſius intellectus, ergo à parte rei præter omnem operationem intellectus, datur in natura vnitas aliqua diſtincta ab vnitate numerica.

8. argum. Octauo arg. In vno quoque genere conſtituenda eſt aliqua natura, quæ ſit menſura cæterarum, quæ in tali genere ſunt comprehenſæ, ex Ariſtot. 10 *Metaph. c.* 1. ſed menſura debet eſſe vna, & ſimplex, atque indiuidua natura, ex eodem, *in eod. cap.* ergo præter vnitatẽ numericam, datur à parte rei in natura alia vnitas communis.

9. argum. Tandem. Vnitas naturæ vniuerſæ eſt perpetua, & incorruptibilis, ſed vnitas numerica corruptibilis eſt, nam omnia indiuidua quibus competit vnitas numerica obnoxia ſunt ortui, interitui, & corruptioni, ergo præter vnitatem numericam, à parte rei conſtituenda erit in natura, alia vnitas communis. Propoſitio ex eo poterit cõſtare, quia vniuerſum eſt perpetuum, ergo & eius vnitas perpetua quoque erit.

1. Opinio. In hac quæſt. Scotus 7. *lib. Metaph. q.* 18. & *in 2. diſt.* 3 *q.* 1 Antonius And. *in eodem lib. quæſt.* 16. Trombeta *ibid quæſt.* 8. Monlorius *in diſputatione de rebus Vniuerſis cap.* 5. (& omnes illi qui tuentur vniuerſum formale eſſe à parte rei, præter omnem operationem intellectus) opinantur, naturam vniuerſam habere a parte rei vnitatem quandam realem, minorem vnitate numerica, quæ ſit communis omnibus indiuiduis. Dicitur autem hæc vnitas minor vnitate numerica, quia eſt minus indiuiſa, numerica ſiquidem eſt indiuiſa in plura numero, hæc vero natura vniuerſa eſt in plura numero diſtributa, at quo aliqua vnitas fuerit minus indiuiſa, eo & quoque minor.

Contrariam tamen ſententiam ſequuntur grauiſſimi viri, & in Ariſt. diu, multumque exercitati, nimirum in natura vniuerſa, non dari vnitatem aliquam rei multis communem ante operationem intellectus, ſed omnem vnitatem rei eſſe numericam, vnde non erit conſtituenda aliqua vnitas rei extra intellectum, quæ ſit minor vnitate numerica. Sequuntur hanc ſententiam D. Thom. 4. *cap. de ente & eſſentia*, *& in duobus opuſculis à ſe editis de rebus vniuerſis.* D. Albertus Magnus *tract.* 2. *in Porph. cap.* 6. Auerroes, Auicenna, & Algazel, Arabes, vt ibi inquit Albertus. Petrus Niger *quæſt.* 21. *clypei*, Sonzinas 7. *Metaph. quæſt.* 41. Soncinas *quæſt.* 17. Sotus *quæſt* 3. *&* 4. & tandem (vt multos alios prætercam) Caietanus acutiſſimus, *in cap.* 4. *de ente & eſſentia quæſt.* 6. qui certe ita ſubtiliſſime totam hanc tractationem de rebus vniuerſis *in hoc cap.* abſoluit, vt nihil ſupra queat deſiderari. 2. Opinio.

Opuſc. 55. & 56.

Ad hanc igitur ſententiam explicandam, quam multo veriorem eſſe arbitramur, erunt nonnulla de ratione vnius, & illius formis explicanda. Vnum igitur vt ex Ariſt colligitur 5. *Metaph c.* 6. *&* 10 *cap* 1. in indiuiſione eſt conſtitutum, vnde tota eius ratio eſt eſſe indiuiſum.

Ex quibus locis ita fuit à nobis cum communi conſenſu diffinitum 3 *lib. Tranſcend. n.* Vnum eſt, quod eſt in ſe indiuiſum & diſtinctum à quolibet alio, vt vnus homo dicitur qui non eſt diuiſus in plures homines, & eſt diſtinctus à quolibet alio. Sunt autem vnius variæ formæ & ſpecies, ex quibus tres tantum proponemus noſtro inſtituto accommodatas, traditas ab Ariſtotele 5. *Metaphyſ. cap.* 6. & a nobis in loco ſuperiori *cap.* 5. Nam quædam ſunt vnum genere, alia ſpecie, & alia numero. Vnum genere vocantur, quæ habent communem naturam genericam, vt equus, 1. obſeruatio.

& leo. Vnum ſpecie dicuntur, quæ habent communem naturam ſpecificam vt Thomas & Dominicus. Vnum vero numero ſunt illa, quorum eſt vna mater a numero, vt Petrus eſt vnus numero, quia co ſtat vna materia numero, & accidentia omnia quæ ei inſunt, dicuntur vnum numero, quia ſunt in vna materia, id eſt, in vno ſubiecto numero. Colligit Caietanus 4. *cap. libelli de ente & eſſent. quæſt.* 6. hanc triplicem formam vnius ex triplici ratione diuiſionis: cum enim tot modis dicatur vnum contrarium, quot dicitur alterum, ſi itaque vnitas & diuiſio contrarie priuatiue, quot modis dicitur diuiſio, tot etiam erunt formæ illius. Quædam igitur eſt diuiſio formalis, & alia materialis, formalis eſt, quæ fit per diuerſa attributa formalia, qualis eſt diuiſio inter hominem, & leonem: nam illorum ſunt diuerſæ differentiæ eſſentiales. Rurſus hæc, quædam eſt formalis generica, quæ fit inter diuerſa attributa eſſentialia generica, vt eſt ea, quæ intercedit inter hominem & lapidem, & hæc diuiſio obtinet latitudinem, poteſt ſiquidem eſſe maior, vel minor, iuxta rationem diuiſionis generis ſupremi, intermedij, & infimi. Et alia formalis eſt ſpecifica, vt eſt illa, quæ interuenit inter duas ſpecies, vt inter bouem & leonem. Materialis vero eſt, quæ fit a diuerſis principiis materialibus, vt eſt illa, quæ intercedit inter diuerſa indiuidua eiuſdem ſpeciei, quæ diuerſis principiis materialibus (id eſt, diuerſis materiis ſignatis) inter ſe diſtinguuntur. Cum igitur ſint hæ tres formæ diuiſionis, tres quoque erunt ſpecies vnius, generica, ſpecifica, & numerica: generica eſt priuatio diuiſionis formalis genericę, ſpecifica eſt priuatio diuiſionis formalis ſpecificæ: numerica vero eſt priuatio diuiſionis formalis numericæ.

2. Obſeru. Iterum ſciendum eſt ex Diuo Thom. *opuſculo 42. de natura generis cap. 7.* duplicem eſſe vnitatem naturæ formalem, vnam rei extra omnem operationem intellectus, & alteram ſecundum rationem, conuenientem illi beneficio intellectus, denudantis eam a proprietatibus ſingularibus, & phantaſmatibus. Inter quas duas vnitates intereſt, quia per primam vnitatem rei, vel realem, natura non dicitur vniuerſa, nam eſt vnitas propria cuilibet indiuiduo, vt vnitas naturæ humanæ, quæ eſt in Petro, & quæ eſt in altero indiuiduo eſt etiam illi propria, at vnitas vniuerſi eſt vnitas communis. Cæterum per ſecundam vnitatem ſecundum rationem, dicitur natura vniuerſa, nam ea ratione qua eſt abſtracta a proprietatibus ſingularibus, conſequuta fuit quandam indifferentiam, vni formitatem, & habitudinem, eodem modo reſpicientem omnia indiuidua, ratione cuius eſt natura apta, & nata, vt ſit in multis.

Obſerua. Eſt etiam ex Caietano in loco ſuperiori, duplicem eſſe vnitatem, vnam poſitiuam, & alteram negatiuam. Poſitiua eſt vnitas naturæ, quæ indiuiſa manens reperitur in pluribus numero diſtinctis, quæ diuidi poteſt in poſitiuam numericam, ſpecificam, & genericam: Generica, vel ſpecifica, eſt vnitas naturæ communis, genericæ, vel ſpecificæ, quæ indiuiſa manens ſecundum genus, vel ſpeciem, reperitur in pluribus numero, vel ſpecie differentibus, & hac ratione dicunt aduerſarij in natura extra omnem operationem intellectus, dari vnitatem aliquam rei, id eſt, dari in natura indiuiſionem aliquam realem multis communem. Poſitiua numerica, eſt vnitas naturæ numericæ, quæ indiuiſa manens ſecundum numerum, reperitur in pluribus numero differentibus, qua ratione ſola natura diuina habet hanc vnitatem, nam ipſa ſola eſt, quæ indiuiſa manens ſecundum numerum, reperitur in tribus perſonis diuinis. Vnitas vero negatiua nihil eſt aliud, quam vnitas non appropriata vel applicata alicui ſuppoſito, ſi enim nominis Etymologiam contemplemur, vnitas negatiua, eſt vnitas quæ ſignificat aliquam negationem, & cum non poſſit eſſe niſi principiorum indiuiduantium, vnitas negatiua erit illa, quæ negat principia indiuiduantia, quod idem eſt, quam non eſſe appropriatam alicui indiuiduo, vel contractam per principia indiuiduantia: cumque natura ita ſumpta ſolitarie ſumatur (nam ſumitur denudata & expoliata a proprietatibus ſingularibus, & à conſortio indiuiduorum) natura vt eſt vna negatiue, erit natura vt ſolitarie ſumitur. Quemadmodum igitur dicimus materiam primam in ſua prima notione conſideratam, eſſe vnam negatiue: quia non eſt applicata, neque appropriata alicui naturæ, vt arbori vel elemento, neque contracta per aliquam differentiam ſpecificam, ita etiam dicimus in natura dari vnitatem negatiuam, quando contemplamur ipſam non appropriatam alicui ſuppoſito, neque contractam per alias differentias indiuiduales. 3. Obſeru.

His animaduerſis ſit prima concluſio. Vtraque 1. concluſ.

Digitized by Google

que vnitas tam formalis, quam numerica in naturis rei, eſt vnitas rei. Dictum eſt in naturis rei. quia in naturis rationis, vt in notione generica, ſpecifica, vel numerica, erit vnitas rationis: quemadmodum enim eſſe harum notionum eſt eſſe entis rationis, ita vnitas, quæ conſequitur eſſe, erit vnitas rationis. Intelligimus igitur concluſionem de vnitate naturæ rei, quam de vnitate numerica eſſe veram nulli eſt dubium, cum hæc vnitas ſit in rebus ante omnem operationem intel-

4. cap. de ent. & eſſent. lectus. De formali vero confirm. quia cum ens rei iuxta Caietanum, duobus modis ſumi poſſit. Primo vt eſt diuiſum contra ens rationis: & ſecundo vt eſt diuiſum contra ens in poteſtate, qua ratione ens tantum exiſtens vocatur ens rei, vtroque modo vnitas formalis vocari poteſt ens rei. Primo, quia non eſt ens rationis, cum ſit in rebus abſque vlla functione intellectus. Et ſecundo, quia eſt actu exiſtens in indiuiduis, & ſingularibus, vt vnitas formalis, quæ conſequitur attributa eſſentialia naturæ humanæ, exiſtit in ſingularibus Petro, & Ioanne. Præterea attributa quidditatiua, quæ conueniunt Thomæ, vel Vincentio, ſunt attributa rei, at vnitas formalis attributum eſt eſſentiale horum indiuiduorum, quemadmodum & eſſentia, quam conſequitur, quare erit vnitas formalis vnitas rei.

2. concl. Secunda concluſio. Hæ duæ vnitates formalis & numerica, non diſtinguuntur re ipſa. Sciendum eſt has vnitates poſſe duobus modis ſumi, primo ratione entitatis in qua fundantur, & ſecundo ratione diuiſionis quã priuant, nam vnitas formalis, eſt priuatio diuiſionis formalis, numerica vero, eſt priuatio diuiſionis numericæ, quæ duæ diuiſiones, re ipſa diſtinguuntur, cum poſſint inter ſe ſeparari, nam in Angelis datur diuiſio formalis in quibus non datur diuiſio numerica materialis. Concluſio igitur non eſt intelligenda hoc ſecũdo modo, nam ita hæ vnitates re ipſa diſtinguuntur, quemadmodum diſtinguuntur diuiſiones quas priuãt, ſed primo modo, qua ratione eſſe veram ita confirmatur. Petrus & homo non diſtinguuntur re ipſa; ergo neque vnitates vtrumque conſequentes, diſtinguũtur re ipſa, ſed vnitas formalis cõſequitur entitatem hominis numerica vero conſequitur entitatem Petri, ergo hæ duæ vnitates, non

3. concl. diſtinguentur re ipſa.

3. concl. Natura vnitatem formalem quã habet à parte rei, communicat ſuis indiuiduis. Confirm. Entitas naturæ communicatur à parte rei indiuiduis, ergo & vnitas formalis, quæ illam conſequitur, eidem quoque communicabitur. Præterea, attributa, quæ conſequuntur naturam ratione ſui, communicantur inferioribus, vt riſibilitas, quæ conſequitur hominem ratione ſui, communicatur Petro & Ioanni, ſed vnitas formalis conſequitur naturam ratione ſui, nam conſequitur attributa eſſentialia, ergo communicabitur illa indiuiduis naturæ. Iterum Petrus non tantum eſt indiuiſus materialiter, verũ etiam formaliter, hęc ſiquidem attributa formalia, animal particeps rationis, in illo indiuiſa continentur, ſed vnitas formalis eſt indiuiſio formalis, ergo in Petro erit vnitas formalis ſibi à natura ſpecifica communicata.

4. conel. Vnitas formalis, quæ competit naturæ à parte rei, nõ eſt indifferens, & communis multis indiuiduis. ſed eſt propria cuique indiuiduo, & multiplicatur ad multiplicationem ipſorum, vnde alia erit vnitas formalis naturæ humanæ Petri, & alia Thomæ. 4. concl. Quemadmodum itaque albedo multiplicatur ſecundum rem multiplicatis ſubiectis, ita hæc vnitas formalis, multiplicabitur, multiplicatis indiuiduis. Confirmatur primo: Natura, verbi gratia humana, communicat Petro riſibilitatem, re ipſa diſtinctam ab ea, quam communicat Thomæ, ergo vnitas formalis naturæ humanæ alia erit, & re ipſa diſtincta in Petro, & in Thoma, & alia in aliis indiuiduis, quare multiplicabitur ad multiplicationem indiuiduorum. Confirm. conſequentia. Quia quemadmodum riſibilitas cõſequitur naturam humanam ratione ſui, ita & vnitas formalis conſequitur eandem ratione ſui. Secundo: Natura reipſa multiplicatur multiplicatis indiuiduis, vt natura humana realiter multiplicatur multiplicato Thoma, & Vincentio, aliaque natura re ipſa diſtincta eſt in Thoma, & alia in Vincentio, ergo hæc vnitas formalis multiplicabitur ad multiplicationem indiuiduorum. Probatur conſequentia; Quia natura, & vnitas formalis, ſunt eadem ſecundum rem, ergo vno multiplicato, debet etiam aliud multiplicari. Ex hac concluſio. colligere poterimus attributa eſſentialia naturæ humanæ (& idem iudiciũ eſt de attributis aliarum naturarum) non eſſe communia à parte rei omnibus indiuiduis, neque habere vnam, & eandem rationem in omnibus illis, ſed alia attributa ſibi propria eſſe in vno indiuiduo, vt in Antonio. & alia ſibi quoque propria eſſe in alio indiuiduo, vt in Iacobo.

tentia abſoluta efficere: ſed intellectus creatus poteſt ſeparare naturam vniuerſam à ſingularibus, quando illuminat phantaſmata, & educit ſpecies intellectibiles, ergo poterit
2. Argum. hoc Deus efficere. Præterea poteſt Deus corrumpere potentia abſoluta omnes proprietates ſingulares remanēte natura vniuerſa, hoc enim nullam implicat contradictionem, ſed ſi ita fieret, eſſet natura ſeparata à ſingularib. ergo per potentiam Dei abſolutam hoc fieri poterit.

Ad 1. arg. Ad primum reſpond. falſam eſſe aſſumpt. Quia intellectus non ſeparat ſecundum rem naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, ſed tantum ſecundum rationem, intelligendo ipſam ſine ſingularibus, vel eandem manifeſtando per illuminationem, occultatis proprietatibus ſingularibus, quod certe multo melius poteſt efficere diuinus intellectus, poteſt enim ille intelligere naturam vniuerſam non intellectis ſingularibus. Quod ſi vrgeas, poteſt ſecundum rationem ſeparari natura à ſingularibus, ergo poterit ipſa per diuinam potentiam ſeparari ſecundum rem ab eiſdem. Neganda erit conſequentia, quia materia prima poteſt apprehendi per intellectum in prima ſui notione ſine forma, & relatio ſine fundamento, cum tamen ſit impoſſibile etiam per potentiam abſolutam, materiam primam eſſe à parte rei ſine forma, & relationem ſine fundamento.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondemus negando aſſumpt. Quia ſi Deus corrumperet proprietates ſingulares, etiam corrumperet exiſtētiam naturæ vniuerſæ, quę ſine proprietatibus ſingularibus non poteſt eſſe: vnde his corruptis, naturam vniuerſam corrumpi quoque eſſet neceſſe.

4. concluſ. 4. concl. Vniuerſum formale, vel quod idē eſt notio, quæ denominat naturam vniuerſam, non eſt à parte rei, ſed tantum habet eſſe
q. 4. huius ſect. beneficio, & ope intellectus. Hanc aſſertionem non eſt cur hoc loco confirmemus, cum poſtea in quæſtione de hac re proponenda, ſimus illam confirmaturi.

Ad arg. Supereſt vt ſatisfaciamus argumentis in principio propoſitis.

Ad 1. Ad 1. reſp. Ariſtot. eo in loco reprehendere ideas & vniuerſa ſeparata à rebus ſingularib. vt conſtituebat Plato, talia enim vniuerſa, nō ſunt à parte rei, ſed ſunt cantilenæ, & meræ nugæ.

Ad 2. Ad 2. reſp. duobus modis aliqua poſſe produci, vno modo primo, & per ſe, & altero modo ſecūdario, vel ad productionem aliorum, illa ergo, quæ primo & per ſe producuntur, ſingularia ſunt, quæ vero ſecundario producuntur, ſunt res vniuerſæ, nam productis ſingularibus illæ quoque producuntur, & ita argumētum tantum probat, ea quæ primo producuntur eſſe ſingularia, non autem probat ea quæ ſecundario producuntur eſſe ſingularia.

Ad 3. reſp. Quod eſt inuolutum ſecundum rem cum proprietatibus ſingularibus eſſe ſingulare, niſi fuerit multis commune, ſin minus non erit ſingulare: at natura vniuerſa multis eſt communis, quare quamuis ſit inuoluta à parte rei cum proprietatibus ſingularib. non erit ſingularis, de hac tamen communitate, qualis illa ſit, inferius agemus. Vel dicimus illud, quod eſt inuolutum cum his proprietatibus eſſe formaliter ſingulare, fundamentaliter vero vniuerſum, & ita natura, quæ eſt à parte rei, erit formaliter ſingularis, & fundamentaliter vniuerſa. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. Vniuerſa poſſe ſumi, aut ſecundum eſſentiam, aut ſecundum exiſtentiam, ſi primo modo ſumātur, ſunt ſempiterna negatiue, quia eſſentiæ rerum neque oriuntur neque intereunt, non enim vendicant ſibi certam aliquam temporis differentiā, quemadmodum eadem dicimus eſſe vbique negatiue eo quod non vendicant ſibi certum aliquem locum. Si ſumantur ſecundo modo, non ſunt perpetua, quia corruptis ſingularibus, corrūpuntur quoque vniuerſa ſecundario. Verum ſolutionem hanc, in quæſtionib. ſeqq. diffuſius proponemus. *Ad 4.*

Ad 5. reſpond. Inprimis falſam eſſe propoſitionem; nam rerum quidditates, & eſſentiæ ſunt à parte rei, quæ non ſenſu, ſed ſolo intellectu poſſunt apprehendi. Reſpond. deinde ad aſſumpt. quædam percipi à ſenſu per ſe, & alia per accidens. Ruſus, quæ percipiuntur per accidens, quædam percipiuntur primo, & alia ſecundario. Illa ergo, quæ per ſe, vel primo percipiuntur à ſenſu, ſingularia ſunt, illa vero, quæ ſecundario percipiuntur, ſunt vniuerſa, nam perceptis primo ſingularibus, ex conſequenti, & ſecundario percipiuntur vniuerſa. Et ita conſequentia nulla eſt, in qua colligimus omnia eſſe ſingularia. *Ad 5.*

QVÆST. II.

An Vniuerſum recte fuerit definitum Vnum in multis.

QVæſtionem an ſit vniuerſum, ſequitur hæc altera quid ſit illud, an ſcilicet ſit v-

num commune mul is, vt ab Ariſtotele ſæpe fuit diffinitum. Eſſe vitioſam hanc diffinitionem confirmo primo, Sol, Luna, & Mundus, ſunt naturæ vniuerſæ, ſed non ſunt in multis indiuiduis, nam in ſingulis ex his naturis, tantum eſt vnicum indiuiduum, ergo vniuerſum non eſt recte diffinitum vnum in multis.

3. argum. Secundo: A parte rei dantur naturæ vniuerſæ, vt conſtat ex quæſtione ſuperiori, ſed nihil quod ea a parte rei eſt vnum in multis, ergo vniuerſum non recte diffinitur vnum in multis. Confirmatur aſſumptio. Quidquid eſt a parte rei eſt appropriatum alicui in diuiduo, & circumſcriptum proprietatibus particularibus, ſed quod eſt appropriatum alicui in diuiduo, non poteſt eſſe in multis, ergo nihil quod eſt a parte rei poterit eſſe in multis.

3. Arg. Præterea; Alicui competit diffinitio, cui non diffinitum, ergo erit vitioſa diffinitio. Conſequentia nota eſt Confirmatur antecedens Natura diuina eſt vna in multis indiuiduis, & perſonis, ſed illa non eſt vniuerſa, vt author eſt D. Thom. *in 1. diſt. 19 quaſt. 4 art. 2.* ergo alicui competit definitio, cui non diffinitum.

1. Argum. Cum vniuerſum ſit vox ambigua variaſque habeat ſignificationes, iuxta illud, quod ſæpe ex Ariſt in Topic monuimus, erūt prius illæ proponendæ vt ex illis intelligamus (aliis reiectis) quam retinere debeamus, & definitionibus explicare. Sex igitur leguntur apud graues viros huius vocis ſignificationes. Nam primo ſignificat propoſitionem vniuerſam, affectam nota vniuerſa, vt eſt hæc propoſitio, omnis homo eſt animal. Significat ſecundo attributum vniuerſum, quod prædicatur de omni contento ſub ſubiecto, & dicitur primo & per ſe de illo, vt capax diſciplinæ eſt attributum vniuerſum hominis, nam prædicatur per ſe, primo, & de omni homine, & de hoc vniuerſo agebat Ariſtotel. 1. *lib. de poſterio ri analyſi cap. 4.* Significat tertio vniuerſum, cauſam vniuerſam, ſiue in eſſendo, vt eſt Deus, & ſuperiora corpora, ſiue in inſerēdo, vt ſunt principia demonſtrationis. Quarto ſignificat ſpeciem multa repræſentantem, vt eſt ſpecies hominis, vel equi, & hoc vniuerſum dicitur vniuerſum in repræſentando. Quinto ſignificat voces communes & vniuerſas, quæ ſignificant multa, vt ſunt hæ voces homo vel animal, quod vniuerſum dicitur in ſignificando. Significat ſexto naturam multis communem, quæ de multis nata eſt efferri, vt ſunt naturæ, hominis vel equi. Ex his igitur ſignificationibus aliis prætermiſſis agendum erit de illo in poſteriori ſignificatione, vt ſignificat naturam, quæ in multis reperitur.

6. Significa. vniuerſi.

Hoc vero vniuerſum triplex à communi Dialecticorum & Metaphyſicorum ſchola conſtituitur, ante multa, in multis, & poſt multa, vt ex Ammonio in Commentariis in præfationem Porphyr. colligimus. Latini omnes hanc diuiſionem proponunt ſub aliis verbis in hunc modum. Vniuerſum aliud eſt ante rem, aliud in re, & aliud poſt rem, vt videre licet in beato Alberto Magno *tractatu 2. in Porphyr. cap. 3.* & in M. Soto *quaſt. 1. de rebus vniuerſis.* Vniuerſum ante multa., vel ante rem, dicitur imago, vel ſimilitudo, ad cuius exemplar ſunt aliqua opera confecta, vt eſt imago in mente artificis, & ideæ Platonis eſſent vniuerſæ in hac ſignificatione, ſi vera eſſet illius opinio in ſuperiori quæſt. confutata. Dicitur vero ante multa, quia antecedit opera confecta & naturam, repræſentatam. Vniuerſum in multis, eſt natura, quæ reperitur in multis indiuiduis, & ſpeciebus, vt natura hominis, vel equi, nam hæ naturæ ſunt in multis Vniuerſum vero poſt multa eſt ipſamet natura, quæ reperitur in multis ea ratione, qua eſt abſtracta a proprietatibus ſingularibus, vt natura Leonis, ea ratione, qua abſtrabitur a leonibus indiuiduis, eſt vniuerſum poſt multa.

Quidam hanc diuiſionem ita explicant, vt vniuerſum ante multa dicant eſſe vniuerſum in repræſentando, quales ſunt ſpecies intelligibiles. Vniuerſum in multis eſſe vniuerſum in prædicādo. Vniuerſum vero poſt multa eſſe ipſam rationem vniuerſi.

Beatus Albertus Magnus hanc eandem diuiſionem explicat in hunc modum. Vniuerſum ante multa, eſt principium & origo naturæ vniuerſæ. Vniuerſum in multis, eſt ipſamet ſubſtantia, & eſſentia naturæ vniuerſæ. Vniuerſum vero poſt multa, eſt qualitas quædam conſequens ſubſtantiam naturæ. Itaque proponit hāc diuiſionem, iuxta principium, ſubſtantiam, & qualitatem naturæ vniuerſæ. Ex his tribus generibus vniuerſi, prætermiſſo vniuerſo ante multa, de aliis, in multis ſcilicet, & poſt multa erit diſputandum, illorumque diffinitiones tradendæ, quæ ſunt tres ex variis locis Ariſt. collectæ. *D. Alberti M. explicatio*

Prima eſt: Vniuerſum eſt illud quod ſuapte natura natum eſt eſſe in multis. Hæc petitur *ex lib. 7 Metaphyſ. cap. 13 & 1. de demonſtrat. cap. 8.*

*cap.*8. & eadem eſt hæc definitio cum illa qua definitur 1. *de partibus animalium cap.*4. vnum commune multis. In qua diffinitione conſulto dictum eſt, quod poteſt eſſe in multis, & non quod actu eſt in multis, vt annotat eo loco D. Thom. eo quod dantur multa vniuerſa, quæ actu tantum ſunt in vno, habent tamē aptitudinem, vt poſſint in multis reperiri, vt ſunt Sol, Luna, Mundus. Natura etenim Solis, tantum eſt actu in hoc vno Sole; habet tamen aptitudinem, vt poſſit in multis reperiri, ſi alii multi eſſent.

2. Diffinitio. Secunda diffinitio proponitur 1. *lib. de interpretatione cap.*5. Vniuerſum eſt illud, quod poteſt prædicari de multis, vt animal eſt vniuerſum, quia poteſt prædicari de homine, & leone. Adnotandum tamen eſt has diffinitiones eſſe ita inter ſe affectas, vt prima ſit eſſentialis, ſecunda vero deſcriptiua. Nam prima exprimit totam naturam & eſſentiam vniuerſi, quæ in eo ſita eſt, vt poſſit eſſe in multis. Secunda vero exprimit illius proprietatem, quæ eſt poſſe prædicari de multis. Præterea prima definitio traditur per cauſam, ſecunda vero per effectum: Nam eo aliquid poteſt de aliquo tanquam de ſubiecto prædicari, quia eſt in illo: vt albedo ex eo poteſt prædicari de pariete. Cum ergo prima diffinitio tradatur per poſſe eſſe in multis, ſecunda vero per poſſe prædicari de multis, prima tradetur per cauſam, & ſecunda per effectum.

3. Diffinitio. Tertia diffinitio deprompta eſt *ex ſecundo libr. de priori analyſi, cap. vlt quæ ſic habet.* Vniuerſum eſt vnum in multis, & præter multa. Quam diffinitionem, vt explicemus, proponenda erunt diſcrimina inter vniuerſum, & ſingulare interuenientia, nam ex illis apertiſſime colligitur propoſita diffinitio. Primum eſt; Singularia ſunt numero infinita, vniuerſum vero tantum eſt vnum, verbi gratia homines ſingulares innumeri ſunt, homo vero vniuerſus tantum eſt vnus. Secundum: Singulare nulla ratione poteſt eſſe in multis, ſed in vno ſolo, vt Petrus non poteſt eſſe in multis hominibus, ſed continetur infra limites ſuæ naturæ indiuiduæ. Vniuerſum vero poteſt in multis reperiri, vt animal in multis animalibus, & homo in multis hominibus. Tertium: Singulare non poteſt vllo modo abſtrahi à proprietatibus indiuiduantibus, quia ſunt de ratione internaillius: vniuerſum vero abſtrahitur beneficio vtriuſque intellectus a proprietatibus ſingularibus. Ex quibus diſcriminibus aperte explicatur diffinitio ad hunc modum. In prima particula dicimus vniuerſum eſſe vnum, quæ colligitur ex primo diſcrimine, nam cum ſint multa indiuidua, vniuerſum tantum poteſt eſſe vnum.

Obſeruatio. Animaduertendum eſt tamen vniuerſum vocari vnum nomine, & ratione. Nomine ita vt ſit vox ſimplex & vna, per quam partem ſeparantur à ratione vniuerſi orationes, & enunciationes, quæ ſunt voces compoſitæ. Ratione, quia debet habere vnam rationem communem omnibus inferioribus, per quam ſeparantur à ratione vniuerſi homonyma, quæ non habent vnam rationem in omnibus illis. Analoga vero, quia partim habent eandem, & partim diuerſam rationem, aliquando vocantur vniuerſa, & aliquando reiciuntur a ratione illorum. Ens ita eſt, & vnum quæ ſunt analoga, vocantur ab Ariſtot. maxime vniuerſa *lib.* 3 *Metaphyſ. cap* 3 *&* 4 & 4. *lib. Metaphyſ. cap.* 1. *&* 1 *Ethic. cap.*6 reiiciuntur à ratione vniuerſi. In ſecunda particula dicimus in multis, quæ colligitur ex ſecundo diſcrimine, nam ſingularia neque actu, neque aptitudine reperiuntur in multis, Vniuerſum vero in multis, aliquando actu, & aliquando aptitudine. Tertia particula eſt. Præter multa, quæ etiam colligitur ex tertio diſcrimine. Quia ſingularia ita ſunt circūſcripta propriis limitibus ſuarum proprietatum, vt non poſſint neque eſſe, neque concipi præter huiuſmodi proprietates. Vniuerſum vero, concipitur ab intellectu ſine proprietatibus ſingularibus, & ita eſt præter multa, id eſt, præter multa indiuidua, & multas proprietates ſingulares.

Sciendum eſt etiam ex D. Thom. *1. part. quæſt.* 13. *art.* 9 duplex eſſe vniuerſum, vnum ſecundum rem, & rationem, & alterum tantum ſecundum rationem. Primum illud eſt, quando natura communis actu reperitur in multis, & ratio quoque illius multis eſt communis, qua ratione animal, & homo dicuntur vniuerſa, quia animal eſt in multis ſpeciebus, & homo in multis indiuiduis, & vtriuſque rationes ſuis inferioribus communicantur. Alterum vero eſt illud, quod tantum reperitur in vno, ratio vero multis poteſt eſſe communis, vt Sol, & Luna. Nam Sol tantum eſt in vnico indiuiduo, ratio tamen illius, multis poteſt eſſe communis.

1. concluſ. His animaduerſis ſit prima concluſio. Recte diffinitur vniuerſum vnum in multis, vel

vnum

vnum commune multis. Confirmatur ex auctoritatibus Ariſt. quas in prima definitione propoſuimus, in quibus ita eſt vniuerſum ab ipſo definitum. Præterea: Per hanc diffinitionem ſeparatur vniuerſum à ſingulari, etenim ſingulare ita eſt circumſcriptum ſuis proprietatibus ſingularibus, vt alteri conuenire nulla ratione poſſit. Vniuerſum vero cum ex ſe ſuapteque natura non includat huiuſmodi proprietates ſingulares, poterit eſſe commune multis. Erit igitur hæc legitima diffinitio. Acceditetiam ad hanc concluſionem confirmandam explicatio vltimæ definitionis, nam ex diſcriminibus ibi propoſitis, inter vniuerſum & ſingulare, eſſe rectam hanc definitionem, aperte ſatis conſtare poteſt.

2. *concl.* Secunda concluſio. Vniuerſum ſecundum rem & rationem, debet eſſe vnum in multis ſecundum actum. Hæc conſtat ex diffinitione propoſita huius vniuerſi. Nam diximus illud eſſe, cuius non ſolum ratio, verumetiam & natura ipſa in multis actu reperitur.

3. *concl.* Tertia concluſ. Vniuerſum ſecundum rationem non debet eſſe vnum in multis ſecũdum actum, ſed ſat eſt vt ſit in vno ſecundum actum, & in aliis ſecundum poteſtatem. Hæc etiam ex diffinitione huius vniuerſi conſtat, ita enim fuit definitũ ex D.Tho. quod in vno tantum reperitur, ratio vero poteſt multis eſſe communis. Verum de his duabus vltimis concluſionibus plura *in cap. de Genere*, quærẽtes an illud poſſit conſeruari in vnica ſpecie explicabimus.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. Ad primum conſtat ex vlt. concluſ. quid reſpondere debeamus, nam Sol, & Luna ſunt vniuerſa ſecundum rationẽ, atque ita tantum erunt in vnico indiuiduo actu, & in alijs poteſtate.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondemus; naturam vniuerſam à parte rei non eſſe vnam in multis poſitiue, quaſi habeat vnam, eandemque rationem in multis, hoc enim tantum habet illa beneficio intellectus ſeparantis eam a proprietatibus ſingularibus: eſſe tamen vnam per conformitatem, in multis indiuiduis. Naturæ ſiquidem omnium indiuiduorum, quamuis ſint circumſcriptę proprietatibus ſingularibus, inter ſe maximam retinent conformitatem. Erit igitur ſenſus diffinitionis, vniuerſum eſt vnum in multis, vnum inquam per conformitatem. Quid tamen ſit hæc vnitas conformitatis, in quæſtione ſequenti explicabimus.

Ad 3. Ad tertium negandum eſt anteced ẽs. Nam diffinitio intelligi debet de vnitate communi multis ſecundum rationem, & non ſecundum numerum, vt ibidem D. Thom. in 2. arg. interpretatur: at vero natura diuina non eſt vna, & communis ſecundum rationem, ſed vna numero, & ſecundum rem in tribus perſonis diuinis, atque ita nõ conueniet illi diffinitio propoſita vniuerſi.

QVÆSTIO III.

An natura vniuerſa à parte rei ſit vna vnitate communi.

Ex I quæſt. huius ſect. cõſtat dari naturam vniuerſam materialiter in rebus ipſis ſine vlla conſideratione intellectus, quare proximum erat vt ageremus de vniuerſo formali, num ſcilicet illud ſit in rebus ipſis, & a parte rei, vel conſtet ne ſola conſideratione intellectus. Verum quia hæc quæſtio intelligi non poteſt, niſi fuerit prius explicatum an detur in natura vnitas aliqua communis, quæ ſit minor vnitate numerica, citra omnem operationem intellectus, erit hæc quæſtio prius explicanda, quæ certe difficilis eſt, & ad diſputationem de rebus vniuerſis intelligendam omnino neceſſaria. Pro parte aiente dari ſcilicet vnitatem aliquam communem in ipſa natura a parte rei, & ſine vlla operatione intellectus, eſt primum argumentum. Ens & vnum reciprocantur ex Ariſt. 2. *Met. c. 2.* ſed natura vniuerſa a parte rei eſt ens, ergo a parte rei erit quoque vna. *1. Argum.*

Secundum Natura eſt indiuiſa a parte rei. Conſequent a eſt manifeſta, argumentamur enim a diffinitione ad rem diffinitam. Probatur antecedens. Si natura non eſſet indiuiſa, eſſet diuiſa, nam inter diuiſum, & indiuiſum, non datur medium, ergo ſi a parte rei non eſt indiuiſa, erit diuiſa, & ita aliam naturam humanam obtinebit Dominicus, & aliam Thomas, quare per aliam rationem Dominicus erit homo, & per aliam Thomas. *2. Arg.*

Præterea: Omnis communitas ſequitur aliquam vnitatem, ſed Dominicus, & Thomas habent communem naturam humanam, & homo, & leo habent communem naturam animalis, ergo a parte rei dabitur vna natura humana, & vna natura animalis. *3. argum.*

Item Idem, ſimile, & æquale reperiuntur a parte rei in natura; ſed hæc omnia fluunt ab vnitate naturæ, ex Ariſtot. 10. *Metaphyſ. cap. 5.* nam vnum in ſubſtantia facit idem, in quantitate ęquale, & in qualitate ſimile, ergo a parte rei datur vnitas in natura. *4. Argum.*

Ad hæc: Si a parte rei non daretur aliqua *5. argum.*

vnitas

vnitas communis in natura, ſed omnia eſſent vnum numero, ſequeretur inter Platonem, & illum equum, non eſſe maiorem diſtinctionem, quam inter Platonem & Socratem, hoc autem eſt abſurdum, ergo præter vnitatem numericam, à parte rei datur vnitas communis. Confirm. propoſitio. Si à parte rei non daretur al qua vnitas præter numericam, neque etiam daretur aliad. ſtinctio præter numericam, & ita inter Platonem, & illum equum tantum eſſet diſtinctio numerica, ſed inter Platonem & Socratem, eſt tantum diſtinctio numerica, ergo ſi tantum daretur vnitas numerica, non eſſet maior diſtinctio inter Platonem, & illum equum, quam inter Platonem & Socratem.

6. *argum.* Iterum arg. A parte rei datur relatio ſimilitudinis, ſed fundamentum relationis ſimilitudinis, eſt vnitas naturæ, ergo præter vnitatem numericam datur à parte rei vnitas naturæ multis communis. Aſſumptio eſt Ariſt. 5 *Metaphyſ. cap.* 17 confirm propoſitio. Omne generans generat ſibi ſimile in natura, ex Ariſtotel 2. *de anima cap.* 4. & 12. *Metaphyſic. cap.* 4 ergo datur à parte rei relatio ſimilitudinis.

7. *argum.* Septimo; Obiectum ſenſus eſt vnum vnitate communi, & vniuerſa, ſed obiectum ſenſus eſt à parte rei præter operationem intellectus, nam quemadmodum ſenſus eſt prior intellectu, ita etiam & obiectum ſenſus debet eſſe prius obiecto intellectus, & per conſequens prius actione ipſius intellectus, ergo à parte rei præter omnem operationem intellectus, datur in natura vnitas aliqua diſtincta ab vnitate numerica.

8. *argum.* Octauo arg. In vno quoque genere conſtituenda eſt aliqua natura, quæ ſit menſura cæterarum, quæ in tali genere ſunt comprehenſæ, ex Ariſtot. 10 *Metaph. c.* 1. ſed menſura debet eſſe vna, & ſimplex, atque indiuidua natura, ex eodem, *in eod. cap.* ergo præter vnitatē numericam, datur à parte rei in natura alia vnitas communis.

9 *argum.* Tandem: Vnitas naturæ vniuerſæ eſt perpetua, & incorruptibilis, ſed vnitas numerica corruptibilis eſt, nam omnia indiuidua quibus competit vnitas numerica obnoxia ſunt ortui, interitui, & corruptioni, ergo præter vnitatem numericam, à parte rei conſtituenda erit in natura, alia vnitas communis. Propoſitio ex eo poterit cōſtare, quia vniuerſum eſt perpetuum, ergo & eius vnitas perpetua quoque erit.

1. *Opinio.* In hac quæſt. Scotus 7. *lib. Metaph. q.* 18. & *in* 2. *diſt.* 3 *q.* 1 Antonius And. *in eodem lib. quæſt.* 16. Trombeta *ibid quæſt.* 8. Monlorius *in diſputatione de rebus Vniuerſis cap.* 5. (& omnes illi qui tuentur vniuerſum formale eſſe à parte rei, præter omnem operationem intellectus) opinantur, naturam vniuerſam habere à parte rei vnitatem quandam realem, minorem vnitate numerica, quæ ſit communis omnibus indiuiduis. Dicitur autem hæc vnitas minor vnitate numerica, quia eſt minus indiuiſa, numerica ſiquidem eſt indiuiſa in plura numero, hæc vero natura vniuerſa eſt in plura numero diſtributa, at quo aliqua vnitas fuerit minus indiuiſa, erit quoque minor.

2. *Opinio.* Contrariam tamen ſententiam ſequuntur grauiſſimi viri, & in Ariſt. diu, multumque exercitati, nimirum in natura vniuerſa, non dari vnitatem aliquam rei multis communem ante operationem intellectus, ſed omnem vnitatem rei eſſe numericam, vnde non erit conſtituenda aliqua vnitas rei extra intellectum, quæ ſit minor vnitate numerica. Sequuntur hanc ſententiam D. Thom. 4. *cap. de ente & eſſentia*, *& in duobus opuſculis à ſe editis de rebus vniuerſis.* D. Albertus Magnus *tract.* 2. *in Porph. cap.* 6. Auerroes, Auicenna, & Algazel, Arabes, vt ibi inquit Albertus. Petrus Niger *quæſt.* 21. *clypei*, Sonzinas 7. *Metaph. quæſt.* 4. Soeſanus *quæſt.* 17. Sotus *quæſt* 3. & 4. & tandem (vt multos alios prætercam) Caietanus acutiſſimus, *in cap.* 4. *de ente & eſſentia quæſt.* 6. qui certe ita ſubtiliſſime totam hanc tractationem de rebus vniuerſis *in hoc cap.* abſoluit, vt nihil ſupra queat deſiderari. *Opuſc.* 55. & 56.

Ad hanc igitur ſententiam explicandam, quam multo veriorem eſſe arbitramur, erunt nonnulla de ratione vnius, & illius formis explicanda. Vnum igitur vt ex Ariſt colligitur 5. *Metaph c.* 6. & 10 *cap* 1. in indiuiſione eſt conſtitutum, vnde tota eius ratio eſt eſſe indiuiſum.

Ex quibus locis ita fuit à nobis cum communi conſenſu diffinitum 3 *lib. Transcenden.* Vnum eſt, quod eſt in ſe indiuiſum & diſtinctum à quolibet alio, vt vnus homo dicitur qui non eſt diuiſus in plures homines, & eſt diſtinctus à quolibet alio. Sunt autem vnius variæ formæ & ſpecies, ex quibus tres tantum proponemus noſtro inſtituto accommodatas, traditas ab Ariſtotele 5. *Metaphyſ. cap.* 6. & a nobis in loco ſuperiori *cap* 5. Nam quædam ſunt vnum genere, alia ſpecie, & alia numero. Vnum genere vocantur, quæ habent communem naturam genericam, vt equus, 1. *obſeruatio.*

que vnitas tam formalis, quam numerica in naturis rei, eſt vnitas rei. Dictum eſt in naturis rei. quia in naturis rationis, vt in notione generica, ſpecifica, vel numerica, erit vnitas rationis: quemadmodum enim eſſe harum notionum eſt eſſe entis rationis, ita vnitas, quæ conſequitur eſſe, erit vnitas rationis. Intelligimus igitur concluſionem de vnitate naturæ rei, quam de vnitate numerica eſſe veram nulli eſt dubium, cum hæc vnitas ſit in rebus ante omnem operationem intel-
cap. de ent. & eſſent. lectus. De formali vero confirm. quia cum ens rei iuxta Caietanum, duobus modis ſumi poſſit. Primo vt eſt diuiſum contra ens rationis: & ſecundo vt eſt diuiſum contra ens poteſtate, qua ratione ens tantum exiſtens vocatur ens rei, vtroque modo vnitas formalis vocari poteſt ens rei. Primo, quia non eſt ens rationis, cum ſit in rebus abſque vlla functione intellectus. Et ſecundo, quia eſt actu exiſtens in indiuiduis, & ſingularibus, vt vnitas formalis, quæ conſequitur attributa eſſentialia naturæ humanæ, exiſtit in ſingularibus Petro, & Ioanne. Præterea attributa quidditatiua, quæ conueniunt Thomæ, vel Vincentio, ſunt attributa rei, at vnitas formalis attributum eſt eſſentiale horum indiuiduorum, quemadmodum & eſſentia, quam conſequitur, quare erit vnitas formalis vnitas
2. concl. rei.

Secunda concluſio. Hæ duæ vnitates formalis & numerica, non diſtinguuntur re ipſa. Sciendum eſt has vnitates poſſe duobus modis ſumi, primo ratione entitatis in qua fundantur, & ſecundo ratione diuiſionis quã priuant, nam vnitas formalis, eſt priuatio diuiſionis formalis, numerica vero, eſt priuatio diuiſionis numericæ, quæ duæ diuiſiones, re ipſa diſtinguuntur, cum poſſint inter ſe ſeparari, nam in Angelis datur diuiſio formalis in quibus non datur diuiſio numerica materialis. Concluſio igitur non eſt intelligenda hoc ſecũdo modo, nam ita hæ vnitates re ipſa diſtinguuntur, quemadmodum diſtinguuntur diuiſiones quas priuãt, ſed primo modo, qua ratione eſſe veram ita confirmatur. Petrus & homo non diſtinguuntur re ipſa; ergo neque vnitates vtrumque conſequentes, diſtinguũtur re ipſa, ſed vnitas formalis cõſequitur entitatem hominis numerica vero conſequitur
3. concl. entitatem Petri, ergo hæ duæ vnitates, non diſtinguentur re ipſa.

3. concl. Natura vnitatem formalem, quã habet à parte rei, communicat ſuis indiuiduis. Confirm. Entitas naturæ communicatur à parte rei indiuiduis, ergo & vnitas formalis, quæ illam conſequitur, eadem quoque communicabitur. Præterea, attributa, quæ conſequuntur naturam ratione ſui, communicantur inferioribus, vt riſibilitas, quæ conſequitur hominem ratione ſui, communicatur Petro & Ioanni, ſed vnitas formalis conſequitur naturam ratione ſui, nam conſequitur attributa eſſentialia, ergo communicabitur illa indiuiduis naturæ. Iterum Petrus non tantum eſt indiuiſus materialiter, verũ etiam formaliter, hæc ſiquidem attributa formalia, animal particeps rationis, in illo indiuiſa continentur, ſed vnitas formalis eſt indiuiſio formalis, ergo in Petro eſt vnitas formalis ſibi à natura ſpecifica communicata.

4. concl. Vnitas formalis, quæ competit naturæ à parte rei, nõ eſt indifferens, & communis multis indiuiduis. ſed eſt propria cuique indiuiduo, & multiplicatur ad multiplicationem ipſorum, vnde alia erit vnitas formalis naturæ humanæ Petri, & alia Thomæ. Quemadmodum itaque albedo multiplicatur ſecundum rem multiplicatis ſubiectis, ita hæc vnitas formalis, multiplicabitur, multiplicatis indiuiduis. Confirmatur primo: Natura, verbi gratia humana, communicat Petro riſibilitatem, re ipſa diſtinctam ab ea, quam communicat Thomæ, ergo vnitas formalis naturæ humanæ alia erit, & re ipſa diſtincta in Petro, & in Thoma, & alia in aliis indiuiduis, quare multiplicabitur ad multiplicationem indiuiduorum. Confirm conſequentia. Quia quemadmodum riſibilitas cõſequitur naturam humanam ratione ſui, ita & vnitas formalis conſequitur eandem ratione ſui. Secundo: Natura reipſa multiplicatur multiplicatis indiuiduis, vt natura humana realiter multiplicatur multiplicato Thoma, & Vincentio, aliaque natura reipſa diſtincta eſt in Thoma, & alia in Vincentio, ergo hæc vnitas formalis multiplicabitur ad multiplicationem indiuiduorum. Probatur conſequentia; Quia natura, & vnitas formalis, ſunt idem ſecundum rem, ergo vno multiplicato, debet etiam aliud multiplicari. Ex hac concluſio. colligere poterimus attributa eſſentialia naturæ humanæ (& idem iudiciũ eſt de attributis aliarum naturarum) non eſſe communia à parte rei omnibus indiuiduis, neque habere vnam, & eandem rationem in omnibus illis, ſed alia attributa ſibi propria eſſe in vno indiuiduo, vt in Antonio, & alia ſibi quoque propria eſſe in alio indiuiduo, vt in Iacobo.

Ad 1. Arg. Et tamen contra argumentum. Petrus & Paulus ſunt vnum formaliter à parte rei, quia non ſunt diuiſi formaliter, ergo habebunt aliquam vnitatem formalem communem, & ita non multiplicabitur hæc vnitas formalis, ad multiplicationem horum indiuiduorum. Huic argumento reſpondet Caietanus Petrum & Paulum à parte rei non ita dici vnum

4. c. de ente & eſſent. formaliter, quaſi habeant vnam aliquam naturam à parte rei ipſis communem, ſed quia gaudent mutua negatione diuiſionis formalis, id eſt, quia non habent à parte rei vnde diuidantur formaliter, vel quod idem eſt, quia attributa formalia, quæ de vno dicuntur, ab alio non negantur, vt animal particeps rationis, quod eſt attributum formale Pauli, non negatur à Petro.

1. Solutio veterum Thomiſ. Veteres Thomiſtæ duplicem volebant eſſe vnitatem formalem, vnam communem multis, & indifferentem ad multa, & hanc tantum dicebant eſſe per intellectum, & alteram conformitatis, quæ nihil eſt aliud, quam indiuidua alicuius naturæ habere (non quidem tertiam aliquam naturam indiuiſam ipſis communem) ſed conformem naturam inter ſe. Quemadmodum faciem alicuius hominis, & eiuſdem ſplendentem in ſpeculo, dicimus eſſe vnam, nõ quia ſit aliqua tertia communis vtrique, ſed ratione conformitatis in figura, colore, & aliis. Igitur Petrus & Paulus à parte rei ſunt vnum formaliter, id eſt, habẽt naturam conformem in eiſdem attributis eſſentialibus, non tamen ſunt vnum formaliter, quaſi habeant vnam aliquam naturam communem & indiuiduam. De hac vnitate conformitatis legendi ſunt Herueus, *quodl. 1. q. 9.* & Niger *q. 22. clypei.*

6. concluſ. Sexta conc. Natura vniuerſa non eſt à parte rei vna vnitate negatiua. Hanc docet Caiet. *cap. 4. de ente & eſſent. quæſt. 6. concluſ. 2.* quicquid quidam dicant, ex mente illius, naturam à parte rei eſſe vnam negatiue, qui profecto, vel ipſum legerunt, vel illius mentem non fuerunt aſſecuti. Et confirmatur primo. Illud eſt commune, & vnum negatiue, quod nulli indiuiduo, vel ſuppoſito eſt appropriatũ: ſed omnis natura vniuerſa, vt exiſtit a parte rei, eſt appropriata alicui ſuppoſito, ergo nulla natura vniuerſa, vt eſt exiſtens a parte rei, erit vna, & communis negatiue. Secundo, quod eſt commune negatiue, ſumitur ſolitarie, i. e. denudatum à proprietatibus ſingularibus, vt expoſuimus in annotationibus, ſed natura, quæ exiſtit a parte rei, neque poteſt ſumi ſolitarie, neque denudari a proprietatibus ſingularibus, a quibus circumſcribitur, ergo natura, quæ eſt a parte rei, non erit vna vnitate negatiua. Tertio, quod eſt vnum & commune negatiue, non eſt diuiſum in inferiora, cum ex eo vnum dicatur negatiue, propter negationem diuiſionis in illa, ſed qualiber natura vniuerſa eſt, vt a parte rei, eſt diuiſa in ſua inferiora, ergo nulla natura vniuerſa vt eſt a parte rei erit vna vnitate negatiua.

Sciendum eſt tamen M. Sotum *quæſtio. 1. & 3 de rebus vniuerſis*, admittere naturam à parte rei eſſe vniuerſam negatiue, qui quamuis verbis videatur aduerſari huic noſtræ cõcluſioni, reuera tamen non aduerſatur: nam non intelligit nomine vniuerſi negatiui, illud quod nos intelligimus cum Caietano, intelligit enim hoc nomine, naturam cui non repugnat eſſe vniuerſam, quod certe competit naturæ, quæ eſt a parte rei: nos vero cum Caietano illud dicimus vniuerſum negatiue, quod non eſt alicui indiuiduo appropriatum, neque contractum per aliquas differẽtias indiuiduantes.

Septima concl. Nulla natura vniuerſa eſt vna & indiuiſa poſitiue numerice, in multis indiuiduis. Hæc eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Quia ſola natura diuina eſt, quæ indiuiſa manens poſitiue, & vna numero exiſtens, reperitur in tribus ſuppoſitis diuinis. *7. concl.*

Octaua concluſ. Natura vniuerſa ex ſe, & ſuapte natura, non eſt vna & communis poſitiue, ſed omnem vnitatem cõmunem, quam habet beneficio intellectus ipſam denudantis a proprietatibus ſingularibus habet. Hæc eſt aduerſus Scotum, & alios propoſitos in prima opinione, qui exiſtimant naturam ex ſe, & citra omnem operationem intellectus habere vnitatem aliquam communem ſpecificam, vel genericam. Confirmatur tamen his argumentis. Primum eſt petitum ex authoritate ſanctorum Patrum, & grauiſſimorum Philoſophorum. Nam diuus Auguſtin. *lib. 7 de Trinit. cap. 6.* confirmat naturam diuinam non eſſe genus neque ſpeciem, quia eſt vna a parte rei, nam vnitas generica, aut ſpecifica, (quæ eſt vnitas naturæ vniuerſæ) non eſt a parte rei, a parte enim rei (inquit) non eſt vnum animal in homine, & in equo, ſed ſunt duo animalia in ipſis inter ſe diſtincta. Et diuus Damaſcenus *lib. 1. fidei orthodoxæ, cap. 11.* ſtatuit hypoſtaſes, & indiuidua naturæ humanæ, vt ſunt Petrus, & Antoninus, a parte rei reipſa diſtingui, habereque com- *8. concluſio.* *1. Argum.*

munio-

munionem. & vnitatem in homine, per rationem & intellectum. Tum etiam Seuerinus Boetius in libello de duabus naturis in Christo docet omnia quæ ſunt à parte rei, per intellectum habere vnitatem, ergo à parte rei natura non eſt vna vnitate communi, quod non obſcure viſus eſt etiam indicaſſe D. Baſilius *epiſt. 43. ad Gregorium fratrem* de diſtinctione ſuppoſiti & naturę, & noſter Ariſt. 10 *lib. Metap. cap. 1.* poſtquam docuit eſſe aliqua vnũ ſecundum rationem, & eſſentiam, (quæ deinde diuidit in vnum genere ſpecie, & numero) ſubiungit, hãc vnitatem eſſe per intellectum, & animi perceptionem.

2. Arg. Secundum. Quidquid eſt à parte rei, vel eſt ſingulare, vel in ſingularibus exiſtit, ſed quidquid eſt ſingulare, vel quod exiſtit in ſingularibus, non poteſt eſſe à parte rei vnum commune multis, ergo natura non eſt vna à parte rei vnitate communi. Propoſitio eſt aperta. Confirmatur aſſumptio. Inprimis illud quod eſt ſingulare, non poſſe eſſe multis commune, nulli eſt dubium, quia ſingulare & commune, inter ſe maxime aduerſantur. Deinde quod eſt in ſingularibus non poſſe eſſe multis communia, hac ratione confirmo. Quidquid eſt in ſingulari circumſcriptum eſt proprietatibus ſingularibus, ſed repugnat illi quod eſt circumſcriptum proprietatibus ſingularibus, poſſe multis conuenire, ergo nihil quod eſt ſingulare, aut in ſingularibus, poteſt multis eſſe commune.

3. Arg. Tertium. Natura illa quæ ea ratione eſt tantum vna, qua ſeparatur à proprietatibus ſingularibus, tunc erit vna quando ab huiuſmodi proprietatibus ſeparabitur, ſed quælibet natura vniuerſa, vt ſit multis communis, debet ſeparari à proprietatibus ſingularibus, ergo tunc erit vna vnitate communi, quando erit ſeparata ab illis, at à parte rei non eſt ſeparata cum ſit cum eiſdem coniuncta, ergo non erit à parte rei vna vnitate communi.

4. Arg. Præterea. Res illa quæ requirit à parte rei eſſe auulſam à proprietatibus ſingularibus re ipſa, non eſt in rerum natura: quia iuxta Peripateticos, nihil poteſt conſtitui in rerum natura ſeparatũ reipſa ab indiuiduis, & proprietatibus ſingularibus: ſed ſi daretur à parte rei natura vna vnitate communi in omnibus indiuiduis, eſſet illa reipſa auulſa ab indiuiduis & proprietatibus ſingularibus, ergo nõ poterit eſſe à parte rei natura vna vnitate communi. Confirmatur aſſumptio. Illud, quod eſt à parte rei vnum, & commune multis, non eſt alicui ſolum proprium, neque eſt circumſcriptum proprietatibus ſingularibus, ſed quod neque à parte rei eſt alicui indiuiduo proprium, & quod non eſt circumſcriptum proprietatibus ſingularibus, eſt re ipſa auulſum ab illis, ergo quod eſt à parte rei vnum vnitate communi, erit re ipſa auulſum à proprietatibus ſingularibus.

Iterum: A parte rei natura vniuerſa eſt multiplex ſecundum entitatem, ergo à parte rei quoque erit multiplex ſecundum vnitatem, conſequentia eſt aperta, nam eo modo aliquid eſt vnum, quo eſt ens. Confirmatur antecedens: Natura humana aliam entitatem habet in Dominico, & aliam in Thoma, ergo aliam vnitatem habebit in Dominico, & aliam in Thoma, & ita non erit vna vnitate rei communi. *5. Arg.*

Vltimo: Proprietates rei conuenientes naturæ à parte rei dicuntur de eiſdem. de quibus prædicatur natura, quemadmodum riſibilitas, & capacitas diſciplinæ, quæ ſunt proprietates rei, prædicantur de Petro & Antonio, de quibus quoque prædicatur homo, ſed hæc vnitas rei communis, quæ competit naturæ, eſt proprietas illius ſecundum aduerſarios, ergo cum natura vniuerſa (vt humana) prædicetur de Petro & Antonio, illa vnitas communis prædicabitur quoque de illis: & ita Paulus erit vnus vnitate communi, quod certe quam ſit abſurdum, non eſt, qui non videat. Multa alia argumenta proponere poteramus, quæ ob breuitatem prætermittimus, conſulite illa apud auctores ſupra propoſitos. *6. Arg.*

Octaua concluſio: Natura vniuerſa à parte rei eſt vna per conformitatem in multis indiuiduis, & inferioribus. Hæc eſt aperta. Quia omnia indiuidua & inferiora alicuius naturæ vniuerſæ retinent inter ſe conformitatem eorundem attributorum eſſentialium, & mutuum earundem naturarum conſenſum, & quia ea, quæ ſunt inter conformia, ita ſunt affecta, vt attributa, quæ dicuntur de vno, non negentur ab altero, aſſerendum erit, naturam vniuerſam eſſe vnam, quia indiuidua illius fruuntur mutua negatione diuiſionis formalis, vt inquit Caietanus, vel apertius, quia attributa, quæ dicuntur de vno indiuiduo, non negantur ab altero, nam eſſe animal particeps rationis, quod dicitur de Petro, non negatur à Paulo, & hanc concluſionem confirmant fere omnia argumenta poſita in contrarium, fere enim omnia illa confirmant, dari à parte rei inter indiuidua conformitatem naturarum, *8. concluſ.*

non tamen dari vnitatem aliquam communem, & poſitiuam.

Ad 1. arg. Ad primum igitur reſpond. propoſitionem eſſe veram de vnitate tranſcendendi, vel formali, qua vnitate ens & vnum conuertuntur, falſam autem de vnitate communi, nam Petrus eſt ens, & non eſt vnus vnitate communi, vnde natura à parte rei erit vna vnitate formali, & tranſcendenti, non autem vnitate communi.

Ad 2. Ad ſecundum reſpond. inprimis negantes antecedens, & ad probationem negamus conſequentiam. Et quando ita argumentatis: Inter indiuiſionem, & diuiſionem non datur medium, negandum eſt antecedens, nam inter hæc datur medium, quod eſt non diuiſio, vnde inter diuiſum & indiuiſum datur medium, quod eſt non diuiſum, & ita natura à parte rei neque eſt diuiſa, ſi ſumatur ſecundum ſe, neque indiuiſa, cum vtrumque illi accidat, ſed eſt non diuiſa, quia nulli indiuiduo ſecundum ſe eſt appropriata, vel coarctata. Reſpond. ſecundo, admittentes totam argumentationem, vnde dicimus, Dominicum per aliam naturam numericam eſſe hominem, & Thomam per aliam, quæ duæ naturæ ex eo tantum poſſunt dici vnum, quia ſunt conformes in eiſdem attributis, & non quia in illis ſit aliqua communis natura indiuiſa à parte rei, vel ex ſua natura.

Ad 3. Ad tertium reſpond. propoſitionem veram eſſe de vnitate conformitatis, falſam vero de vnitate poſitiua, & ita à parte rei Dominicus & Thomas habent vnam & communem naturam humanam, quia habent humanitates conformes in eiſdem attributis eſſentialibus, non autem, quia in illis ſit aliqua natura indiuiſa à parte rei.

Ad 4. Ad quartum reſpon. ad aſſumptionem tria hæc fluere ab vnitate conformitatis, non autem ab aliqua communi & indiuiſa, vnde duo parietes affecti candore ſunt ſimiles, quia habent vnam qualitatem vnam, inquam, id eſt, conformem, vel vnam quia attributa vnius non negantur ab altera qualitate.

Ad 5. Ad quintum reſpond. diſtinctionem numericam habere latitudinem, nam quædam eſt maior, & alia minor, quo enim aliqua inter ſe minus conueniunt, erit maior diſtinctio numerica, & quo magis conueniunt, erit minor, vnde quamuis Plato, & ille equus differant numero, & Plato, & Socrates differant quoque numero, eſt tamẽ maior diſtinctio numerica inter Platonẽ, & equum, quam inter Platonem, & Socratem, quia minus conueniunt Plato & equus, quam Plato & Socrates.

Ad 6. Ad ſextum reſpond. ad aſſumptionem, fundamentum relationis ſimilitudinis eſſe vnitatem conformitatis, eo modo quo expoſuimus in ſolutione quarta.

Ad 7. Ad ſeptimum reſpond. inprimis falſam eſſe propoſitionem. Nam obiectum ſenſus, vt eſt illius obiectum, non eſt vnum vnitate communi, ſed ſingulari, eo ſiquidem differt ſenſus ab intellectu, quia ſenſus eſt rerum ſingularium, intellectus vero communium, & vniuerſalium, quamuis non ſit obiectum ſingulare aliquod certum, & determinatum, ſed ſingulare vagum, & indiffinitum. Vt obiectum viſus eſt color ſingularis, non hic, qui eſt in hoc pariete, neque ille qui eſt in illo pariete, ſed color quidam indiffinite, ſiue hic fuerit, ſiue ille. Reſpond. 2. admittentes, vnitatem ſenſus eſſe communem, & ita quoque vnitatem obiecti illius eſſe communem, non poſitiue, ſed per conformitatem obiectorum ſenſilium.

Ad 8. Ad octauum reſpond. vnitatem menſuræ aliquando eſſe numericam, vt quando res merita eſt vna numero, & aliquando ſpecificam, aut genericam, vt quando res merita eſt vna ſpecie, vel genere, hæc tamen vnitas à parte rei non eſt vnitas poſitiua, ſed conformitatis.

Ad 9. Ad nonum reſpond. vnitatem vniuerſi per ſe, & primo incorruptibilem eſſe, & perpetuam, ſecundario vero & per accidens, illam corrumpi, ſcilicet intereuntibus ſingularibus. Quemadmodum vniuerſa per ſe, & primo non oriuntur, ſed ſecundario, & per accidens, ſcilicet ad ortum indiuiduorum, hanc tamen perpetuitatem à parte rei habent naturæ vniuerſæ, quia nunquam illę interire poterunt per ſe, ſed ſi intereunt, per accidens, & ſecundario intereunt.

QVÆSTIO IV.

An vniuerſum formale ſit in rebus præter operationem intellectus?

SEquitur difficilior quęſtio de vniuerſo formali, ſitne illud in rebus ante omnem operationem intellectus, vel num ſola illius actione conſtet, nec ne? Et quidem eſſe in rebus citra omnem operationem intellectus, illi auctores, quos deinde proponemus, nituntur his argumentis (eorum iudicio efficaciſſimis) ſuadere.

1 Arg. Primum eſt petitum ex teſtimonio Ariſtot qui 1. *Peri herm. capit.* 4. diuidit rem omnem

in ſie-

in ſingularem, & vniuerſam; ſed natura, quæ eſt à parte rei, non eſt ſingularis, quia ita non eſſet communis multis, ergo erit formaliter vniuerſa. Quod ſi quis dicat, Ariſtotel. intelligendum eſſe de re vniuerſa fundamentaliter, & non formaliter, qua ratione fatemur, naturam eſſe vniuerſam, nihil tamen contra nos, qui tantum agimus de vniuerſo formali. Contra ita ago: Membra diuidentia debent ſumi eodem modo, ſed ſingulare, quod eſt membrum diuidens eius, quod eſt à parte rei, in propoſita diuiſione non ſolum eſt ſingulare fundamentaliter, ſed ſingulare formaliter, ergo vniuerſum, quod eſt alterum membrum diuiſionis, non ſolum erit a parte rei fundamentaliter, verum etiam erit formaliter. Confirm. argumentum: Poſito vno relato, debet aliud poni, ſed ſingulare & vniuerſum ſunt relata, ergo cum detur à parte rei ſingulare formaliter, dabitur quoque vniuerſum formaliter.

2. *Arg.* Secundum argum. Quidquid competit enti, vt ens eſt, competit illi præter intellectum, quia quæ hoc modo enti conueniunt, ſemper illi conueniunt, ea vero, quæ conueniunt rebus per intellectũ, nõ ſemper illis cõueniunt, ſed quando apprehenduntur ab intellectu, ſed genus & ſpecies (quæ ſunt vniuerſa) cõueniunt enti, vt ens eſt, ex Ariſt. 4. *Metaph. c. 2.* nam ſunt proprietates entis, ergo vniuerſum erit à parte rei, & præter intellectum.

3. *Arg.* Tertium: Vniuerſum eſt vnum commune multis, ex Ariſt. 1 *de partibus animalium, cap. 4. & 7. lib. Metaph. c. 13.* ſed natura à parte rei eſt vna, & communis multis, vt natura humana eſt à parte rei in multis indiuiduis, ergo natura erit vniuerſa à parte rei.

4. *Arg.* Quartum: A parte rei omnes homines ſunt eiuſdem ſpeciei, & omnia animalia eiuſdem generis, ſed genera & ſpecies ſunt vniuerſa, ergo datur à parte rei natura vniuerſa. Confirm. argum. ex cap. 1. Geneſ. Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, reptilia, beſtiaſque in ſpecie ſua, dantur ergo à parte rei genera, & ſpecies.

5. *Arg.* Quintum: Obiectum cuiuslibet potentiæ eſt prius illa, vt paſſim docet Ariſtoteles 2. *de anima*, ſed vniuerſum eſt obiectum intellectus, ex eodem Ariſt. 1. *Phyſic. c. 5.* ergo erit prius intellectu, quod ſi prius eſt, ergo non fiet beneficio illius.

6. *Arg.* Sextum: Scientiæ rei verſantur in ente rei, ſed obiectum illarum eſt vniuerſum, quia ſcientiæ reales non agunt de ſingularibus, ergo vniuerſum erit ens rei.

Septimum: Vniuerſa ſunt perpetua, ex Ariſt. 1. *de demonſtr. c. 24.* ſed quod fit ab intellectu, 7. *Arg.* non eſt perpetuum, cum ea, quæ fiunt ab intellectu, poſſint fieri, & non fieri, ergo vniuerſum non fiet beneficio intellectus.

Octauum: A parte rei dantur diffinitiones, 8. *Arg.* ſed diffinitiones ſunt rerum vniuerſarum, ex Ariſtot. 7 *Met. c. 15.* ergo à parte rei dantur vniuerſa.

Nonum Illud, quod tantum habet eſſe per 9. *Arg.* intellectum, eſt figmentum animi, ſed vniuerſum non eſt figmentum animi, igitur non habebit eſſe per intellectum.

Iterum: Obiectum ſenſus prius eſt intelle- 10. *Arg.* ctu, ſed obiectum ſenſus eſt quippiam vniuerſum, quamuis enim actio ſentiendi ſit rei particularis, ſenſus tamen verſatur circa rem vniuerſam, vt docuit Ariſt. 1. *de demonſtr. c. 24.* & 2. *c. vlt.* datur ergo vniuerſum ante actionem intellectus.

Præterea: Vniuerſum eſt, quod poteſt præ- 11. *Arg.* dicari de multis, ſed natura à parte rei poteſt prædicari de multis, eſt enim in multis, quod vero eſt in multis, aptum eſt prædicari de illis, ergo.

Ad hæc: Si vniuerſum fieret beneficio in- 12. *Arg.* tellectus, ex eo eſſet, quia ſeparatur natura à phantaſmatibus, ſed dantur multæ naturæ vniuerſæ, quę non habent phantaſmata, vt ſunt res ſpirituales, virtutes, & vitia, dantur ergo multæ naturæ, quæ non fiunt vniuerſæ per intellectum.

Item: In homine dormiente, vel nihil co- 13. *Arg.* gitante, dantur ſpecies repræſentantes naturam vniuerſam, ergo datur à parte rei natura vniuerſa repræſentata, ſed in homine dormiente nulla datur functio intellectus, ergo dantur à parte rei vniuerſa abſque functione intellectus.

Deinde: Quicquid fit à cauſa ſingulari, eſt 14. *Arg.* ſingulare, ſed notio vniuerſi fit ab intellectu, qui eſt cauſa ſingularis, ergo notio vniuerſi erit ſingularis, quare non fiet vniuerſum per intellectum.

Addimus: Illud, quod eſt ſeparatum à pro- 15. *Arg.* prietatibus ſingularibus, eſt vniuerſum, ſed natura à parte rei eſt ſeparata à proprietatibus ſingularibus, ergo. Probatur aſſumptio: Quia natura in ſua eſſentia, & à parte rei, non includit proprietates ſingulares.

Vltimo: Metaphyſicus ex eo ſeparatur à 16. *Arg.* Dialectico, quia diſputat de ente rei, Dialecticus vero de ente rationis, ſed Metaphyſicus diſputat de genere & ſpecie, quæ ſunt vniuerſa, auctore Ariſtot. 4. *Metaphyſic. cap. 2. in fine.*

ergo

Digitized by Google

ergo vniuerſum erit ens rei, & non habet eſſe per intellectum.

1. Opin. Horum & aliorum huiuſmodi argumentorum pondere nonnulli commoti, exiſtimant dari à parte rei citra omnē operationem intellectus vniuerſum formale, nimirum illud putant eſſe quandam proprietatem rei naturis conuenientem ad modum aliarum proprietatum. Animaduertunt tamen ipſi, hanc eſſe proprietatem entis, ex numero illarum quæ dicuntur cum diſiunctione, nā omne ens vel eſt vniuerſum, vel ſingulare, vt auctor eſt Ariſtoteles 1. *libr. de interpretatione*, *cap.* 4. Hanc opinionem ſequuntur Paulus Venetus in quæſtionibus Metaphyſicis, de rebus vniuerſis, Iulius Scaliger *in libru de ſubtilitate, exercitatione* 307. *numero* 22. Valeſius *in controuerſiis ad tyrones*, Monlorius *in opuſculo de rebus vniuerſis*. In qua etiam multos Pariſienſes extitiſſe ferunt: & ex noſtris Valentinis nonnulli olim illam ſequuti fuerunt.

2 Opin. Eſt tamen communis opinio huic ex diametro contraria, nimirum vniuerſum formale, vel notionem vniuerſi, non eſſe in rebus à parte rei, ſed tantum habere eſſe beneficio intellectus, denudantis naturam à proprietatibus ſingularibus. In qua ſententia extiterunt Græci, Arabes. & Latini; ex Græcis Alexander Aphrodiſeus 2. *libro quæſtionum naturalium, cap.* 14. Themiſtius & Philoponus *in capite* 1. *libri* 1. *de anima*, explicantes illa verba, Animal vniuerſum aut nihil, aut poſterius eſt. Ex Arabibus Auicenna 4. *capit. ſuæ Logicæ*, & Auerroes *in capit. libr.* 1. *de anima*, qui eiſdem verbis profitentur, intellectum efficere vniuerſalitatem in rebus. Ex Latinis Diuus Thomas *in duobus opuſculis à ſe editis, De rebus vniuerſis*, *& capite* 4 *libr. de ente & eſſentia*. D. Albertus Magnus *tractat.* 2. *in Porphyr. cap.* 6. Caietanus lattiſſime *in libr. de ente & eſſentia, cap.* 4 M. Sotus *quæſt.* 2 Petrus Niger *quæſt.* 21. *clypei, per diuerſas quæſtiones*, Toletus, & innumeri alii agentes de rebus vniuerſis, nam hanc extitiſſe olim communem opinionem Peripateticorum, D. Thomas loco citato profitetur.

Ex his opinionibus hanc ſecundam tanquam omnino veram amplectimur, ad quam explicandam erunt prius nonnulla, tanquam certiſſima futuræ diſputationis fundamenta proponenda.

1 Fundam. Primum eſt ex D. Thoma 4. *capit. de ente & eſſentia*, & ex D. Alberto in eodem loco adducto, naturam vniuerſam tribus modis ſumi poſſe: Primo, ſecundum ſe, ſecundo, vt habet eſſe in indiuiduis, & tertio, vt habet eſſe in intellectu; verbi gratia, natura humana ſumi poteſt, vel ſecundum ſe, qua ratione eſt ſubſtantia corporea, animata, ſentiens, particeps rationis, vel vt habet eſſe in Petro vel Paulo, vel vt apprehenditur ab intellectu, & ita iuxta hunc triplicem eſſendi modum naturæ conſtituendæ erunt tres rationes propriæ eatum. Quædam enim conſequuntur naturam ſecundum ſe aliæ vt habet eſſe in indiuiduis, & aliæ vt habet eſſe in intellectu, vt riſibilitas, & capacitas diſciplinæ conſequuntur naturam humanam ſecundum ſe, frigidum vero vel calidum, magnum, vel paruum, candidum, & atrum, conſequuntur illam, vt habet eſſe in indiuiduis, eſſe tamen ſpeciem, ſubiectum, vel attributum, competunt eidem, vt apprehenditur ab intellectu.

Animaduertendum eſt ſecundo ex D. Thoma 1. *ſentent. diſt.* 19 *quæſt.* 5. *art.* 1. eſſe tria genera rerum. Nam quædam iuxta omne eſſe quod habent, ſunt à parte rei, præter operationem intellectus, vt cœlum & elementa: aliæ verò è contrario, iuxta omne eſſe, tantum ſunt in intellectu (vt omnia figmenta animi) qualia ſunt monſtra, quæ mente fingimus. Sunt & aliæ mediæ res, quæ neque habent totum eſſe extra intellectum, neque totum in intellectu, ſed partim ſunt extra intellectum, & partim in illo: nam fundamentaliter, vel materialiter, ſunt extra intellectum, formaliter vero, & ſecundum eſſentiam ſunt in illo. Quemadmodum veritas propoſitionum formaliter tantum eſt in intellectu componente, fundamētaliter vero eſt in rebus ipſis: nam ex eo, quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera, vel falſa. In quo vltimo genere rerum continetur vniuerſum, illud enim, neque totum habet eſſe extra intellectum, neque totum in illo, ſed partim eſt extra intellectum, & partim in intellectu, materialiter enim vel fundamentaliter habet eſſe extra intellectum, formaliter vero & ſecundum eſſentiam in intellectu. Et hinc ortum habet communis illa diuiſio vniuerſi, in Logicum, & Metaphyſicum, dicitur Metaphyſicum, natura vniuerſa, quæ eſt nata eſſe fundamentum notionis vniuerſi, vt eſt natura ea ratione, qua eſt in intellectu agente, denudata à proprietatibus ſingularibus: vocatur vero hoc nomine, quia agere de huiuſmodi naturis rei, munus eſt Metaphyſici. Logicum vero eſt notio conſequens naturam abſtractam, nimirum vniformitas quædam rationis, & indifferentia naturæ, quæ ſequitur ipſam, vt eſt in intelle- *2. Fundam.*

ctu, quam

ctu, quam notionem dicimus vniuerſum, formale, & logicum: formale, quia eſt forma quædam, à qua dicitur natura vniuerſa. Logicum autem, quia agere de his notionibus ſpectat ad Logicum. Metaphyſicum præterea duplex eſt, vnum proximum, quale eſt iam explicatum, ad quod cõſequitur immediate notio vniuerſi, vt eſt natura exiſtẽs in intellectu agente: alterum vero remotum, ad quod nondum ſequitur in natura notio vniuerſi, hoc autem eſt natura eadem, quæ à parte rei eſt inuoluta cum proprietatib. ſingularibus, nam ad naturam exiſtentem in ſingularibus nondum ſequitur immediate notio vniuerſi.

2. Fundam. Sciendum eſt etiam, duobus modis aliqua eſſe in intellectu, vno modo tanquam in ſubiecto, vel ſubiectiue, vt ſunt quæ illi inhærent; & altero modo obiectiue, vt ſunt quæ ab illo cognoſcuntur. Verbi gratia; artes, ſcientiæ, & actiones intelligendi ſunt in intellectu tanquam in ſubiecto, quia illi inhærent, homo vero, vel arbor, ſunt obiectiue, quia nimirum ſunt obiecta cognita ab ipſo.

3. Fundam. Præterea: Annotamus, duplex eſſe vniuerſum, vnum in repræſentando, & alterum in prædicando, in repræſentando eſt ſpecies intelligibilis, ſiue expreſſa ſiue impreſſa, quę intellectui multa repræſentat. in pręedicando vero eſt natura, quæ dicitur de multis.

1. concluſ. His animaduerſis ſit prima concluſio: Natura ſecundum ſe neque eſt vniuerſa, neque ſingularis formaliter, ſed vtrumque illi accidit. Hæc eſt D. Thom. vbi ſupra, Alberti Mag. *tractatu 2. prædicabilium, cap. 3.* & Auicennæ 1. *capite ſua Logica.* & confirm. primo: Natura ex ſe tantum ſignificat naturam iuxta ſua attributa eſſentialia, nam hęc dictio, ex ſe, denotat attributa illa, quæ conueniũt naturæ ei cum ſcripto quocunque extrinſeco, & non eſſentiali, ſed notio vniuerſi non eſt attributum eſſentiale, ſed extrinſecum, & idem aſſerendum eſt de notione ſingularis, ergo natura ex ſe neque erit vniuerſa, neque ſingularis. Secundo: Attributa illa, quæ conueniunt naturæ ſecundum ſe, de eiſdem ſubiectis prædicantur, de quibus prædicatur natura: nam quidquid per ſe cõpetit ſuperiori, debet quoque per ſe conuenire inferiori ſub illo eſſentialiter cõtento, ſed notio vniuerſi non competit inferioribus, & indiuiduis contentis ſub natura vniuerſa, ergo non conueniet naturæ ſecundum ſe. Abſtrahit igitur natura ſecundum ſe à notione vniuerſi, & ſingularis, eritq; indifferens ad vtrumque, nec magis ſibi vnum quam alterum vendicabit, ſed iuxta varium eius ſtatum à parte rei in ſingularibus, vel in intellectu, erit ſingularis, vel vniuerſa, quod conſequentibus concluſionibus luce clarius fiet manifeſtum.

Secunda concluſ. Natura vt à parte rei eſt in ſingularibus, eſt ſingularis, itaque notio ſingularitatis tantum competit naturæ iuxta ſitum, & modum, quem habet in ſingularibus. Hæc eſt apertiſſima, quam nullus diffitetur, nam certum eſt, naturam tunc fieri ſingularem, quando circumſcribitur proprietatibus ſingularibus, at non alibi quam in illis, eſt huiuſmodi proprietatibus ſingularibus circumſcripta. *2. concluſ.*

Tertia concluſ. Natura non eſt à parte rei, & præter omnem operationem intellectus formaliter vniuerſa. Hæc eſt pro ſecunda, & communi opinione, & quia tota quęſtio quæ inter nos & aduerſarios agitatur, eſt in hac concluſ. conſtituta, confirmanda erit variis & (noſtro iudicio) non leuibus, ſed magni ponderis argumentis. Primum eſt petitum ex teſtimoniis Ariſtot. qui variis in locis hanc ſententiam aperriſſime profitetur, ex iis tria proponemus. Primus eſt ex 1. *libr. de anima. cap. 1.* vbi inquit, animal vniuerſum aut nihil eſſe, aut poſterius eſſe; loquebatur hoc loco de natura animalis in habitudine ad ſua inferiora, hominem, equum, & canem, inquitque, animal, quod his omnibus eſt commune, aut nihil eſſe præter has ſpecies à parte rei ſeparatum, aut ſi ſit, eſſe poſterius ipſis, per intellectum abſtrahentem communem notionem animalis à ſuis inferioribus, & ſpeciebus, in qua re reprehendit M. Platonem, qui volebat naturam animalis per ſuam ideam repræſentatam, priorem eſſe ſuis ſpeciebus, & re ipſa ſeparatam ab eis, quam ſententiam enim in innumeris fere locis reiiciat, & in hoc quoque loco oblata ſibi occaſione reiicit, dicens, animal vniuerſum, & commune, non eſſe prius, & ſeparatum ſecundum rem à ſuis ſpeciebus, ſed illud aut nihil eſſe à parte rei, aut ſi ſit eſſe poſterius, nimirum per intellectum ſeparantem ipſum à ſpeciebus, qua eadem ratione accommodans hæc inſtituto de anima, rogat ibi in quadam dubitatione, an ratio animæ ſit ita communis vegetanti, ſentienti, & intelligenti, vt ſit re ipſa prior & ſeparata ab ipſis ſpeciebus, vt volebat Plato, inquitque, non eſſe, quia anima, eo modo quo animal, aut nihil eſt à parte rei, præter ſpecies ſuas, aut ſi fuerit, eſt eiſdem poſterior, per intellectum ſcilicet ſeparãtem naturam animæ à ſuis ſpeciebus. Optime noui ab aduerſariis *3. concluſ.*

ſiniſtra quadam interpretatione hunc locum alio referri. Verum eum hanc noſtram proponant grauiſſimi viri, Græci, Arabes, & Latini, ex Græcis Alexander 1. *libr. de anima.* & 10. *libr. quæſtionum naturalium, cap.* 11 Philoponus, & Themiſtius, ex Arabibus Auerroes, ex Latinis D. Thomas, Albertus Mag. Ægidius, vt innumeros alios recentiores prætermittam in commentariis huius loci, non eſt, cur in recitanda, & refellenda illorum interpretatione immoremur, neque enim ex illorum cerebro, ſed ex horum grauiſſimorum Philoſophorum lucubrationibus, verum & legitimum Ariſt. ſenſum hauriendum eſſe putamus.

Secundus locus habetur apud Ariſtot. 2. *libro de anima. cap.* 5. in quo cum proponeret diſcrimen inter ſenſum & intellectum, inquit, eo differre has duas facultates, quod ſenſus indiget extrinſeco aliquo, & ſingulari obiecto, à quo moueatur: intellectus vero (vel ſcientia ipſi inhærens) non mouetur ab aliquo ſingulari & extrinſeco obiecto, ſed ab vniuerſali, & quod habeat eſſe in anima, nam inquit, vniuerſalia in ipſa quodammodo ſunt animà. Ecce quam aperte Ariſtot. profiteatur, vniuerſa non eſſe à parte rei, ſed in intellectu. Dixit autem, quodammodo, quia illa non ſunt in intellectu ſecundum totum ſuum eſſe, nam naturæ, quæ ſunt fundamenta notionis vniuerſi, à parte rei ſunt extra intellectum, ſed ſunt in anima ratione vniuerſalitatis. Nituntur aduerſarii huic argumento reſpondere, dicuntque, Ariſt. loquutum fuiſſe de vniuerſo in repræſentādo, id eſt, de ſpecie intelligibili impreſſa, quæ tantum habet eſſe in anima: & nō de vniuerſo in prædicando, de quo hic agimus, quod non in anima, ſed à parte rei habet eſſe. Puto tamen, hos auctores, quando hæc docebant, non conſuluiſſe Ariſt. Etenim ille conabatur proponere diſcrimen ratione obiecti, inter ſenſum & intellectum, inquitque, obiectum ſenſus eſſe extra ſenſum, & ſingulare, obiectum vero intellectus eſſe rem vniuerſam, & quæ habet eſſe in intellectu: at ſpecies intellectilis impreſſa non eſt obiectum intellectus, ſed vniuerſum in prædicando, quod per illam repræſentatur, vt eſt etiam tyronibus manifeſtum. Tum etiam, quia ſi de ſpecie intellectili loquutus fuiſſet Ariſt. diſcrimen propoſitum ab illo inter obiectum ſenſus, & intellectus, nullum eſſet, ait enim, obiectum ſenſus eſſe extra ſenſum: intellectus vero eſſe intra illum. Quemadmodum enim obiectum intellectus per ſpeciem intellectilem impreſſam eſt intra intellectum, ita etiam obiectum ſenſus, per ſpeciem ſenſibilem impreſſam ſenſibus, eſt intra ſenſus.

Tertius locus petitur ex 1. *lib. de demonſtrat. capite Vltimo*, vbi hanc propouit vniuerſi diffinitionem. Vnum in multis, & præter multa: ſed natura vniuerſa non eſt à parte rei præter multa ſingularia, hoc enim eſſet incidere in opinionem Platonis de ideis, qui faciebat illas vniuerſas à parte rei ſeparatas à ſingularibus: ergo à parte rei non erit natura formaliter vniuerſa. Reſpondent aduerſarii Ariſtot. in hac diffinitione tantum diffiniſſe vniuerſum coniunctum, vt ſunt theoremata, & propoſitiones vniuerſæ, quæ ſunt præter multas propoſitiones ſingulares: nam ex multis ſingularibus oritur propoſitio vniuerſa, vt ex eo, quod hoc totum eſt maius ſua parte, & illud quoque eſt maius ſua parte, & ſic de cæteris generatur hæc propoſitio vniuerſa. Omne totum eſt maius ſua parte. Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit argumento, nam quemadmodum ſeſe habet vniuerſum coniunctum ad ſua ſingularia, vt hoc theorema: Omne totum eſt maius ſua parte, ad theoremata particularia, vt hoc vel illud totum eſt maius ſua parte, ita quoque ſe habebit vniuerſum ſimplex ad ſua indiuidua & ſingularia, ergo ſi vniuerſum coniunctum eſt præter ſua ſingularia, & ſimplex quoque erit præter illa. Accedunt etiam ad hanc concluſionem confirmandam communia illa & protrita dicta Peripateticorum, intellectum eſſe, qui facit vniuerſalitatem in rebus, & ſingulare eſſe, dum ſentitur, vniuerſum vero, dum intelligitur, quæ communi cōſenſu Peripateticorum fuiſſe olim approbata, teſtatur D. Albertus in loco ſuperiori.

Secundum: Natura vt ſit vniuerſa formaliter, debet eſſe abſtracta à proprietatibus ſingularibus, ſed à parte rei nulla natura eſt ab illis abſtracta, ergo à parte rei nulla natura erit vniuerſa formaliter. Huic argumento ſatisfacit Monlorius, dicens, naturam ſecundum exiſtentiam non eſſe abſtractam à proprietatibus ſingularibus, eſſe tamē ſecundum eſſentiam, quia in ſua eſſentia non includit illas. Hanc tamen ſolutionem ita euertimus; Naturā eſſe abſtractam, & eſſe ſeparatam, eſt idem, quia abſtractio ſeparatio eſt: ſed natura non eſt à parte rei ſeparata à proprietatibus ſingularibus, vt eſt certiſſimum: ergo neque erit abſtracta ab illis, quāuis eas in ſua eſſentia non includat. Nam multum intereſt inter non includere in ſua eſſentia aliquod attributum, 2. *Arg.*

Digitized by Google

tum, & eſſe ſeparatum ab illo, homo enim in ſua eſſentia non includit riſibilitatem, à qua tamen à parte rei non eſt ſeparatus. Præterea: Si ex eo natura à parte rei eſſet ſeparata à proprietatibus ſingularibus, quia non includit illas, pari quoque ratione poſſemus dicere albedinem à parte rei eſſe ſeparatam à pariete, quia in ſua eſſentia nō includit parietem, hoc autem dicere eſt abſurdum, ergo non ex eo dicetur natura eſſe à parte ſeparata à proprietatibus ſingularibus, quia non includit illas.

3. *Arg.* Tertium: Natura ea ratione, qua repræſentatur per phantaſmata ſingularia, dicitur ſingularis, & ea ratione, qua repræſentatur per ſpeciem intellectilem, dicitur vniuerſa, quia phantaſmata referunt conditiones particulares, ſpecies vero intellectiles, naturam ſeparatam ab illis; ſed ſpecies intellectiles ſunt deductæ medio lumine intellectus agentis, vt dictum eſt in ſuperioribus, ergo natura erit vniuerſa formaliter per intellectum, & non à parte rei.

4. *Arg.* Præterea: Natura vniuerſa aut habet eſſe ſecundum ſe, aut in ſingularibus, aut in intellectu, vt annotatum fuit, ſed non eſt vniuerſa formaliter ſecundum ſe, vt probatum fuit in prima aſſertione, neque vt habet eſſe in ſingularibus, quia hoc modo affecta eſt proprietatibus ſingularibus: erit itaque vniuerſa vt habet eſſe in intellectu.

5. *Arg.* Iterum: Obiectum intellectus eſt actu intelligibile ſicut obiectum ſenſus eſt actu ſenſibile, ſed vniuerſum eſt obiectum intellectus, quemadmodum docet Ariſt. *3. Phyſic. cap. 5. in fine*, ergo vniuerſum erit actu intellectile: ſed nulla natura, quæ exiſtit à parte rei, eſt actu intellectilis, eſt enim quælibet natura exiſtens à parte rei affecta qualitatibus ſenſilibus, & accidentibus particularibus, atque materialibus, quæ omnia præſtant impedimentum naturæ, ne ſit illa actu intellectilis, nam accidentia materialia non poſſunt percipi ab intellectu, qui eſt facultas immaterialis, vt alio loco oſtendemus: ergo natura non erit formaliter vniuerſa à parte rei.

7. *Arg.* Ad hæc: Proprietates rei conſequentes naturam vniuerſam, conſequuntur etiam naturam particularem, cõtentam eſſentialiter ſub illa, vt riſibilitas, quæ conſequitur humanitatem in communi, conſequitur quoque hanc humanitatem, quæ eſt in Petro, ergo ſi not o vniuerſi eſt proprietas rei, naturæ vniuerſæ, conueniens etiam naturæ particulari, ſecundum eſſentiam contentæ ſub illa conueniet. & ita diceremus, naturam particularem eſſe vniuerſam formaliter, vt naturā Petri, quemadmodum dicimus naturam vniuerſam (vt humanitatem) eſſe vniuerſam formaliter: hoc autem eſt omnino falſum: nam quis, quæſo, fatebitur, humanitatem Petri eſſe actu & formaliter vniuerſam? ergo natura non erit vniuerſa formaliter à parte rei.

Item: Si notio vniuerſi eſſet ens rei, vel eſſet ſubſtantia, vel accidens, at neutrum poteſt dici, ergo notio vniuerſi non eſt ens rei. 8. *Arg.* Propoſitio eſt manifeſta: nam omne ens rei eſt diuiſum in ſubſtantiam & accidens. Confirmatur aſſumptio. Inprimis non eſt ſubſtantia, quia non ſubſiſtit per ſe. Deinde neque accidens, nam accidentia rei vel ſunt propria, vel communia, quæ vtraque conueniunt indiuiduis, quamuis diuerſo modo, quia accidentia propria prius conueniunt vniuerſis, & deinde ſingularibus, vt riſibilitas prius conuenit homini, & deinde Petro: communia vero prius conueniunt ſingularibus, & deinde accommodantur rebus vniuerſis, quemadmodum candor prius dicitur de Petro, & deinde de homine: ſed notio vniuerſi nulla ratione poteſt dici de ſingularibus & indiuiduis, alioquin ſingularia eſſent vniuerſa, ergo notio vniuerſi non eſt accidens rei.

Nonum arg. Dialecticus tantum agit de ente rationis, tanquam de proprio ſubiecto, vt probatum eſt in quæſtionibus procem. ſed agit de vniuerſo formali tanquam de obiecto, vt de genere, ſpecie, maiori, extremo, medio verbo, &c. ergo vniuerſum formale erit ens rationis, & ita non erit à parte rei. 9. *Arg.*

Deinde: Eo modo natura eſt vniuerſa formaliter, quo eſt communis multis, nam vniuerſum eſt vnum multis commune, ſed dantur multæ naturæ vniuerſæ, quæ à parte rei non ſunt multis communes, vt natura ſolis vel natura lunæ, ergo vniuerſum formale non erit à parte rei. 10. *Arg.*

Vltimo: Vniuerſum formale debet eſſe vnum vnitate communi, diffinitur enim ab Ariſtotele vnum in multis, ſed prout aiūmeſt in quæſtione ſuperiori, non datur à parte rei naturam aliquam multis communem, ergo vniuerſum formale non erit à parte rei. 11. *Arg.*

Quarta concluſ. Non dantur à parte rei extra operationem intellectus genera, vel ſpecies formaliter. Hæc eſt aduerſus M Sot. *q. 2. de Vniuerſis*, & Alfonſum à Vera-cruce *in ſuis quæſtionibus De rebus vniuerſis, quæſtione 2.* contrarium opinantes, quæ confirmantur primo Genus formaliter, eſt vniuerſum formaliter, eſt enim genus, ſpecies vniuerſi: ſed non 4. *concluſ.*

datur præter intellectum vniuerſum formaliter, vt probauimus: ergo neque dabitur genus formaliter præter intellectum. Item vbi eſt genus formaliter, eſt vnitas generica formaliter, ſed non datur à parte rei, & extra intellectum vnita generica formaliter, vt fatetur ipſemet M. Soto, noſque in ſuperioribus multis argumentis docuimus, non dari vnitatem aliquam communem in rebus extra operationem intellectus, ergo non dabitur genus formaliter extra intellectum. His accedit Genus formaliter, eſſe notionem ſecundũ formaliter, at exploratum eſt apud Dialecticos, maxime vero Thomiſtas, notionem ſecundam non habere eſſe præter intellectum.

5. concluſ. Quinta concluſ. Natura vniuerſa in prædicando eſt vniuerſa formaliter, vt habet eſſe obiectiue in intellectu. Confir. primo: Natura tribus modis ſumi poteſt, aut ſecundum ſe, aut vt eſt in indiuiduis, aut vt habet eſſe in intellectu: ſed probatum eſt, naturam neque ſecundum ſe, neque à parte rei, vt eſt in indiuiduis, eſſe vniuerſam, erit igitur à ſufficienti diuiſione ea ratione, qua eſt obiectum in intellectu. Secundo, Natura tunc eſt vniuerſa, quando eſt denudata à proprietatibus ſingularibus, nam quando eſt ſic denudata, obtinet indifferentiam quandam, & vnitatem rationis multis indiuiduis communem, in qua eſt ratio vniuerſi conſtituta: ſed vt eſt in intellectu obiectiue, eſt denudata à proprietaribus ſingularibus, hac igitur ratione erit formaliter vniuerſa. Sitne autem vniuerſa, vt eſt obiectiue in intellectu agente, vel patibili, in quæſtione ſequenti explicabimus.

6. concluſ. Sexta concluſ. Vniuerſum in repræſentando eſt in intellectu patibili ſubiectiue. Confir. Quia vniuerſum in repræſentando eſt ſpecies intellectilis, ſiue fuerit impreſſa, ſiue expreſſa, quæ repræſentat naturam vniuerſam, & abſolutam à proprietatibus ſingularibus: at vtraque ſpecies intellectilis, tam impreſſa, quam expreſſa, in intellectu patibili eſt tanquam in ſubiecto.

7. concluſ. Septima concluſ. Fundamentum remotum notionis vniuerſi, à parte rei eſt extra intellectum, proximum vero, vel (vt alii dicunt) vniuerſum Metaphyſicum proximum, tantum eſt obiectiue in intellectu. Primam partem confirmamus ex eo, quia fundamentum remotum eſt natura exiſtens à parte rei in indiuiduis, quam eſſe fundamentum nullus dubitat. Eſſe vero remotum conſtat, quia inter ipſam naturam à parte rei exiſtentem, & notionem vniuerſi, datur media actio intellectus denudantis naturam à proprietatibus ſingularibus: at vero illud dicitur fundamentum remotum, inter quod & effectum actio media intercedit. Partem alteram, nimirum fundamentum proximum tantum eſſe in intellectu obiectiue, ſuademus in hunc modum. Illud dicitur fundamentum proximum, ad quod immediate amotis impedimentis in natura ſequitur notio vniuerſi, ſed ad actionem intellectus ſiue denudantis naturam à proprietatibus ſingularibus, ſiue comparantis eam cum ſuis inferioribus, ſequitur immediate in natura notio vniuerſi: ergo fundamentum proximum huius notionis, tantum erit actio intellectus. Itaque quemadmodum in paternitate duo facimus illius fundamenta, remotum & proximum, primum illud eſt, potentia generandi, quæ eſt in patre, proximum vero eſt actio generandi: ita etiam fundamentum remotum notionis vniuerſi eſt natura ipſa, quæ à parte rei in multis reperitur: proximum vero eſt actio intellectus denudantis naturam à proprietatibus ſingularibus, vel conferentis eam cum ſuis inferioribus. neque enim nunc immorari volumus in explicanda illa dubitatione, num fiat natura vniuerſa per abſtractionem, vel per comparationem ad ſua inferiora, de qua in quæſtione ſequenti.

Æquum erat, vt poſt explicatam noſtram ſententiam, illico argumentis in principio propoſitis ſatisfaceremus, verum quia in hac re vtuntur paſſim Dialectici nonnullis propoſitionibus, explicandum erit ex illis, quænam ſint veræ, & quænam falſæ, ne ob illarum ignorantiam in errorem aliquem incidamus. Sunt igitur ſex propoſitiones in hac tractatione de rebus vniuerſis tanquam falſæ reiiciendæ. Prima: Natura ex ſe eſt vna vnitate communi. Secunda: Natura ex ſe eſt multiplex. Tertia: Natura ex ſe eſt determinata. Quarta: natura ex ſe eſt indeterminata. Quinta: Natura ex ſe eſt vniuerſa. Sexta: Natura ex ſe eſt ſingularis. Quæ omnes ſunt falſæ ob hanc nimirum rationem, quia ſi natura ex ſe eſſet vna, vel determinata, vel ſingularis, nunquam poſſet eſſe multiplex, vel indeterminata, vel vniuerſa: aut è conuerſo, ſi natura ex ſe eſſet multiplex, indeterminata, & vniuerſa, nunquam poſſet eſſe vna, determinata, & ſingularis. Nam quod competit naturæ ex ſe, vbicunque, vel in quolibet ſtatu illi competit, quod tamen eſt omnino falſum, cum natura, vt eſt in intellectu, ſit vna, & communis multis, indeterminata, & vniuerſa, & vt eſt à parte rei, ſit multiplex, determinata, & ſingu-

laris.

laris. Sex vero aliæ his prioribus contrariæ ſunt veræ, & in hac diſputatione retinendæ. Prima : Natura non eſt ex ſe vna. Secunda : Natura non eſt ex ſe multiplex. Tertia : Natura non eſt ex ſe determinata. Quarta : Natura non eſt ex ſe indeterminata. Quinta : Natura non eſt ex ſe vniuerſa. Sexta : Natura non eſt ex ſe ſingularis. Quæ omnes ex eo ſunt veræ, & concedendæ, quia vnitas vel multiplicatio, determinatio, vel indeterminatio, ſingularitas, vel vniuerſalitas, accidentia ſunt naturæ : at quæ naturæ accidunt, non poſſunt illi ex ſe & ſuapte natura vlla ratione conuenire.

1. Argum. Iam ad argumenta, quæ in initio propoſuimus, ad primum reſpond. diuiſionem propoſitam ab Ariſtot. intelligendam eſſe de vniuerſo, & ſingulari fundamentaliter, qua ratione hæc duo diuidunt id quod eſt, nam omne quod eſt affici poteſt notione vniuerſa, vel ſingulari. Dicimus etiam cum D. Tho. in commentariis illius loci, diuiſionem illam non eſſe abſolute intelligendam de rebus, vt ſunt, ſed de ipſis, vt nominibus vniuerſis, vel ſingularibus ſignificantur: vnde ſenſus erit, omne quod eſt, vel eſt vniuerſum, vel ſingulare, id eſt, omne quod nominibus ſignificatur, vel ſignificatur nominibus vniuerſis, vt homo, vel ſingularibus, vt Thomas. Et quia ſignificatio nominum dependet ex intellectu, nam nomina ſignificant res, vt cognoſcuntur ab intellectu, propterea hæc diuiſio conuenit rebus, ea ratione qua ſunt obiectiue in intellectu.

Ad primam confirmationem, & ſecundam iuxta hanc ſolutionem facilis eſt reſponſio, nam admittimus in hac diuiſione ſumi ſingulare formaliter, tum & vniuerſum: verum ſingulare ita ſumptum, non conuenit rebus à parte rei, ſed beneficio intellectus. Si tamen ſequamur primam ſolutionem, reſpondemus negandam eſſe aſſumptionem primæ confirmationis, nam quemadmodum extra intellectum non datur natura vniuerſa formaliter, ita neque ſingulare formaliter. Ad ſecundam confirmationem dicimus vniuerſum & ſingulare formaliter eſſe relata, non tamen fundamentaliter. Negamus tamen dari extra intellectum ſingulare formaliter, quare neque dabitur illius correlatum extra ipſum, quod eſt vniuerſum formaliter.

Ad 2. Ad ſecundum diſtinguenda eſt propoſitio: nam dictio illa vt ens, poteſt ſumi duob. modis reduplicatiue, & ſpecificatiue. Sumitur primo modo, vt ſignificat idem quod iuxta naturam & eſſentiam. Vſurpatur vero altero modo, vt ſignificat idem quod conceptum hoc, vel illo modo ab intellectu, verbi gratia, homini in quantum eſt homo reduplicatiue, competit eſſe animal, quia hoc attributum competit illi iuxta ſuam naturam : eidem tamen competit in quantum eſt homo, eſſe ſpeciem, ſi dictio in quantum ſumatur ſpecificatiue, nam homini conceptu generali concepto, & ſeparato à proprietatibus indiuiduantibus, competit eſſe ſpeciem. Si igitur dictio illa, vt ens, vel in quantum ens, ſumatur reduplicatiue, vera eſt propoſitio, quia quod ita competit enti ex ſua natura illi competit, & non ab intellectu, verum aſſumptio eſt falſa, Quia eſſe genus, vel ſpeciem formaliter, non competunt enti hac ratione ſumpto. Si vero hęc dictio ſumpta fuerit ſpecificatiue, neganda eſt propoſitio. Quia quod ita competit enti, non competit illi ex ſua natura, ſed ex intellectu concipiente, qua ratione competit enti in quantũ ens eſt eſſe Genus, vel ſpeciem formaliter, quia concipiens intellectus hoc, vel illud ens, in habitudine ad plura, vel ſpecie, vel numero diuerſa, tribuit enti notionẽ generis, vel ſpeciei.

Ad 3. reſpond. naturam à parte rei non eſſe vnam neq; communem poſitiue, ſed per conformitatem, vt diximus in quæſt. ſuperiori, at vt ſit vniuerſa formaliter, debet eſſe vna, atque communis poſitiue. Vrgebit tamen aliquis aduerſus hanc ſolutionem ad hunc modum. Si natura non eſſet a parte rei vna, & communis poſitiue, repugnaret ergo ſibi eſſe vnam & communem, & ita fieret vt neq; per intellectum poſſet eſſe vna, & communis poſitiue: quia quæ repugnat rei, neque per intellectum poſſunt illi adaptari. Reſpond negando ſequelam. Quia naturæ ex ſe, neque conuenit eſſe vnam & communem poſitiue, neque repugnat, ſed abſtrahit natura ab vtroque, indifferenſque eſt, vt hanc vnitatem poſitiuam obtinere poſſit, aut non obtinere, iuxta varium illius modum eſſendi, a parte rei, vel in intellectu. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. Ad propoſitionem, omnes homines eſſe eiuſdem ſpeciei a parte rei, ſumpta ſpecie fundamentaliter, vel pro natura ſpecifica, non autem pro notione: & eodem modo omnia animalia à parte rei ſunt eiuſdẽ generis, ſumpto genere eadem ratione fundamentaliter, vel pro natura animalis, & nõ pro notione generis, quo etiam modo intelligenda eſt auctoritas propoſita ex Geneſi, nã eo loco *Ad 4.*

per genus, & ſpeciem, intelligendę ſunt naturæ generiææ, & ſpecificæ, & non notiones.

Ad 5. Ad 5. reſp. cum Caietano, inprimis diſtinguendam eſſe propoſitionem, nam poteſt intelligi de potentia actiua ſui obiecti, vel de potentia contemplatiua, ſi de actiua intelligatur, falſa eſt propoſitio, ſi vero de contemplatiua, eſt omnino vera, & ita ſi vniuerſum referatur ad intellectum patibilem, cum ſit ille potentia contemplatiua, prius erit intellectu: ſi vero referatur ad intellectum agentem, erit poſterius, quia intellectus agens efficit vniuerſum, cauſa vero efficiens, prior eſt ſuo effectu.

2. Solutio. Reſp. deinde ad aſſump in vniuerſo duo reperiri, naturam vniuerſam, & notionem, quæ eſt vniformitas eiuſdem naturæ, inter quæ hoc intereſt, quia natura eſt obiectum, quod percipitur a mente, notio vero, modus eſt, vel conditio obiecti, ſine qua non poteſt natura ſe intellectui offerre. Vniuerſum ergo, id eſt, natura vniuerſa, obiectũ eſt intellectus, notio autem, modus eſt illius, at non eſt neceſſe modum præcedere potentiã, ſed obiectum, & ita natura, quæ eſt obiectum prior eſt intellectu, notio vero vniuerſi, quæ eſt modus, poſterior erit.

Arg. Scoti. Scotus tamen aduerſus primam ſolutionẽ ita inſurgit. Intellectus agens, & patibilis, ſunt idem intellectus, ſed vniuerſum eſt prius intellectu patibili, ergo erit quoque prius intellectu agente.

Solutio. Reſp. falſam eſſe propoſitionem, nam intellectus agens, & patibilis, re ipſa differunt. Etenim apud Ariſt 6. *Metaphyſ.* potentia actiua, & paſſiua, re ipſa differunt, intellectus enim agens, eſt potẽtia actiua, patibilis vero eſt potentia paſſiua Deinde intellectus agens, nõ cognoſcit, ſed illuminat, patibilis vero non illuminat, ſed cognoſcit, quare erunt intellectus re ipſa diſtincti.

Ad 6. Ad 6. reſp. ad aſſumptionẽ: Vniuerſum pro natura eſſe obiectum ſcientiarum rei, non autem vniuerſum pro notione, nam hoc tãtum eſt conditio obiecti, in omnibus ſcientiis rei, & ita vniuerſum pro natura eſt à parte rei, non autem pro notione.

Ad 7. Ad 7. reſp. vniuerſum pro notione non eſſe perpetuũ, & hoc ſit ab intellectu pro natura vero perpetuum eſſe negatiue eo quod natura vniuerſa non vendicat ſibi certam temporis differentiam in qua ſit, hoc vero non ſit ab intellectu, neq; de illo loquimur hoc loco.

Ad 8. Ad octauum reſpondeo. falſam eſſe propoſitionem de diffinitionibus formalibus, nam hæ actiones ſunt intellectus. Vel dicimus ad aſſumptionem diffinitiones eſſe rerum vniuerſarum pro natura non pro notione.

Ad 9. Ad 9. reſp. veram eſſe propoſitionem, ſi illud quod fit ab animo nullum habeat fundamentum, vt eſt chimera: falſam autem ſi illud habeat fundamentum in re, vt veritas propoſitionum non eſt figmẽtum, quamuis formaliter tantum habeat eſſe per intellectum, habet enim fundamentum in rebus. Vnde cum vniuerſum habeat fundamentum in rebus, vt in principio quæſtionis annotauimus ex D. Tho. non erit figmentum animi.

Ad 10. Ad 10. reſp multũ intereſſe inter hoc, quod eſt eſſe vniuerſum, vel ſum in vniuerſum obiectum; nam vniuerſum indicat naturam, vniuerſitatis notione affectam; obiectum vero vniuerſaliter ſumptum, ſignificat naturam ſingularem, ſumptam vage, & indiffinite: vnde obiectũ ſenſus eſt ſingulare vniuerſaliter ſumptum, vt obiectum viſus eſt color, non hic determinatus, vel ille, ſed color ſingularis, vage & indiffinite ſumptus, non eſt autem obiectũ illius vniuerſum, quia vniuerſum à ſola mente poteſt apprehendi. Ariſt. itaq; locutus eſt de vniuerſo primo modo, non autem ſecundo modo

Ad 11. Ad 11. reſp naturam à parte rei poſſe prædicari de multis poteſtate tantum remota, non autem proxima, niſi ea ratione qua ſeparatur per intellectum à proprietatibus ſingularib. at vero vt ſit vniuerſum, debet eſſe in proxima poteſtate ad prædicandum, & non ſolum in remota.

Ad 12. Ad 12. reſp naturas illas, quæ habent phantaſmata, fieri vniuerſas per abſtractionem à phantaſmatibus, medio lumine intellectus agentis, illas vero quæ ipſis carent, fieri vniuerſas ab intellectu patibili, abſtrahente naturã communem à ſingularib. & indiuiduis vt ab hac iuſtitia ſingulari, quę eſt in Petro, & ab illa, quæ eſt in Paulo, abſtrahitur per intellectũ patibilem ratio vniuerſa iuſtitiæ.

Ad 13. Ad 13. reſp. duplex eſſe vniuerſum formale in actu, & in habitu: in actu eſt quando actu ſit, vel conſideratur ab intellectu; in habitu vero, quando repræſentatur per ſpeciem intelligibilem, quæ eſt quidam habitus repręſentans, & ita quamuis nõ ſit vniuerſum actu in homine dormiente, eſt tamen vniuerſum habitu in eo, repræſentatum habitualiter per ſpeciem.

Ad 14. Ad 14. reſp. notionem vniuerſi expreſſam aut per ſpecies intelligibiles, aut per naturã illuminatam in phantaſmatibus, poſſe ſumi duobus modis, aut ſecundum ſuum eſſe, aut ſecundum repræſentationem. Secundum ſuũ

eſſe

Digitized by Google

eſſe eſt ſingularis, quia fit à cauſa ſingulari, at ſecundum repræſentationem vel prædicationem, eſt vniuerſa, quia repræſentat naturam communem, & quæ poteſt dici de multis.

Ad 15. Ad 15. reſp. falſam eſſe aſſumptionem, & ad probationem dicimus, latum eſſe diſcrimen inter hoc, quod eſt aliquid non includere aliquod attributum, & eſſe ſeparatum ab illo, nam homo in ſua eſſentia, non includit riſibilitatem, à qua tamen non eſt à parte rei ſeparatus, quare quamuis natura vniuerſa non includat in ſua eſſentia proprietates ſingulares, non propterea ſecundum rem erit ſeparata ab illis.

Ad ult. Ad ult. reſp. Inprimis falſam eſſe propoſitionem; nam Metaphyſicus non ſolum agit de ente rei, verum etiam diſputat de ente rationis, quamuis alio conſilio, quam dialecticus: Dialecticus enim agit de illo, vt denominat primas notiones: Metaphyſicus vero vt habet naturam & eſſentiam, vt docuimus in *quaeſt. de obiecto dialectica*. Iterum *reſp. ad aſſumptionem*. Metaphyſicum agere de genere, & ſpecie, non quidem formaliter, ſed fundamentaliter. id eſt, agit de naturis, quæ denominantur genera vel ſpecies.

QVÆSTIO V.

An natura fiat vniuerſa per abſtractionem vel potius per comparationem.

CVm ſit in nobis duplex intellectus, vnus agens, & alter patibilis, & in patibili ſint tres operationes ſimplicium apprehenſio, compoſitio, & diuiſio, ac ratiocinatio, ſit que multis argumentis confirmatum in quæſtio. ſuperiori naturam vniuerſam fieri per intellectum, ſupereſt quæſtio explicanda, fiat ne talis per intellectum agentem, an potius per patibilem; & ſi per hunc, an in prima eius operatione, quæ eſt abſtractio naturæ vniuerſæ à differentiis & proprietatibus, an vero in ſecunda eius functione, quæ eſt compoſitio, & diuiſio, compoſitio ſcil. vnius cum alio, vel comparatio vnius ad aliud. Quærimus ergo an natura (v.g. humana) ſit actu, & formaliter vniuerſa per abſtractionem intellectus à proprietatibus ſingularibus, quæ fit per illuminationem intellectus agentis, vel num per comparationem illius ad Dominicum, Thomam & alia indiuidua quæ fit in ſecunda operatione intellectus patibilis. Et quidem non fieri per abſtractionem intellectus agẽtis, ſed patibilis, aut per comparationem his argumentis confirm.

1. Vniuerſum eſt vnum in multis, ſed eſſe vnum in multis eſt comparari ad multa, ergo vniuerſum non fieri per abſtractionem, ſed per comparationem. *1 Argum.*

2. Vniuerſum eſt, quod prædicatur de multis: ſed prædicatio eſt actio intellectus patibilis comparantis ſubiectum cum attributo, ergo vniuerſum fiet per comparationem. *2. Argum.*

3. Vniuerſum eſt ſecunda notio obiectiua, ſed ſecunda notio tantum habet eſſe per intellectum patibilem. Tum primo, quia eſt ens rationis, & hoc tantum habet eſſe per intellectum patibilem: tum ſecundo, quia omne ens diuiſum eſt in illud, quod eſt à parte rei, & quod habet eſſe cognitum: quare cum ſecunda notio non habeat eſſe à parte rei, habebit eſſe cognitum, ergo vniuerſum tantum habebit eſſe per intellectum patibilem. *3. argum*

Præterea natura fit vniuerſa per abſtractionem, ſed abſtractio eſt actio intellectus patibilis, ergo natura fit vniuerſa per abſtractionem intellectus patibilis. Cõfirmatur aſſumptio. Abſtractio eſt cognitio vnius, non cognito altero ſibi vnito, at cognitio eſt actio intellectus patibilis, ergo abſtractio eſt actio intellectus patibilis. *4. Arg.*

Iterum: Vniuerſum eſt vnum vnitate poſitiua, ſed nõ poteſt natura eſſe vna vnitate poſitiua per intellectum agentem, ergo erit per intellectum patibilem. Confirmatur aſſumptio. Natura per intellectum agentem abſtracta, eſt adhuc ſub ratione quantitatis poteſtque diuidi in plura numero diuerſa, ſed quod poteſt diuidi in plura numero diuerſa, non eſt vnum vnitate poſitiua, ergo natura non poteſt eſſe vna vnitate poſitiua, per intellectum agentem. *5. Arg.*

Ad hæc: Illa eſt cuiuſque rei natura, quæ exprimitur per illius eſſentialem diffinitionem, ſed per diffinitionem generis, & ſpeciei, exprimitur habitudo ad inferiora, fiet ergo genus per comparationem ad inferiora, & non per abſtractionem. Confirm. aſſumpt. Genus diffinitur, quod dicitur de multis ſpecie differentibus. Species vero, quæ de multis numero diuerſis enunciatur, ſed dici de multis, eſt quædam comparatio, & habitudo ad multa, ergo per diffinitionem generis, & ſpeciei, exprimitur habitudo ad inferiora. *6. argum.*

Deinde: Nulla res poteſt ab alia diſtingui penes illud, in quo cum ea conuenit, idem enim non poteſt eſſe principium conuenientiæ, & diſtinctionis, ſed omne vniuerſum fit per abſtractionem, ergo non poterit vnũ vni- *7. argum.*

uerſum

uerſum ab alio per abſtractionem diſtingui, quare genus non diſtinguetur ab ſpecie per abſtractionem, quod ſi non diſtinguitur, ergo neque conſtituitur in eſſe generis per abſtractionem, eadem namque ſunt principia conſtituendi, & diſtinguendi.

8. Arg. Item: Vbi non eſt genus non eſt ſpecies, ſunt enim relata, vt docet Porphyr. *in cap. de ſpecie*, hæc autem eſt relatorum vis & natura, vt vno non exiſtente, nec alterum etiam exiſtat, ſed quam primum natura ſpecifica eſt abſtracta à phantaſmatibus, & proprietatibus ſingularibus beneficio intellectus agentis, nondum eſt natura generica genus, vel vniuerſa, ergo neque natura ſpecifica erit ſpecies, vel vniuerſa. Confirmatur aſſumptio. Quam primum natura ſpecifica eſt abſtracta a proprietatibus ſingularibus lumine intellectus agentis, nondum exiſtit actio intellectus patibilis, huius enim actio eſt poſterior actione intellectus agentis, ſed genus fit vniuerſum per intellectum patibilem, vt oſtendemus, ergo quando intellectus abſtrahit naturam ſpecificam a proprietatibus ſingularibus, nondum eſt natura generica actu vniuerſa.

9. Arg. Ad extremum: D.Thom. *opuſcul* 48.*c.*10.*opuſc.*55.& *in lib. de ente & eſſent.c.*4. apertiſſimis verbis profitetur, naturã fieri vniuerſam per comparationem, non igitur fiet vniuerſa per abſtractionem.

1. Opinio. In hac quæſtione diuerſæ ſunt Philoſophorum ſententiæ. Prima eſt Scoti *2.lib.ſent. diſtinct. 3.quæſtio.1.in ſolutione 1.* Antonii Andreæ 7. *Metaphyſ.quæſt.16.concluſ.1* & aliorum Scotiſt. qui putant notionem vniuerſi per quam natura eſt vniuerſa formaliter eſſe quandam relationem rationis, & quia relationes huius generis tantum habent eſſe per intellectum referentem vnum extremum ad alterum propterea volunt naturam fieri vniuerſam per comparationem intellectus patibilis & non per abſtractionem agentis. Neq; deſunt ex recentioribus, quibus hæc opinio Scoti placeat, quamuis illam explicent alio modo, nam conſtituunt duplex vniuerſum, obiectiuum & formale. Obiectiuum vocant naturam, quæ eſt ſeparata a proprietatibus ſingularibus, quod communi nomine vniuerſum Metaphyſicum nuncupatur, formale vero eſt notio, quæ afficit naturam abſtractã, ipſamque denominat vniuerſam, quod Logicum appellatur. Dicunt igitur vniuerſum obiectiuum, fieri per abſtractionem intellectus agentis, formale vero per intellectum patibilem, quam ſententiam ita explicatam, docet eſſe Caietani. Immerito tamen, cum ipſe cõtrariam ſententiam apertiſſime profiteatur 4. *c. de ent. & eſſent. q.* 6. & 7.

Secunda opinio eſt D.Thom. *opuſcu.55.1.p. q.85.art.1.ad 1 art.2.ad 2.art.3 ad 1.* Caietani *in loco ſuperiori*, Capreoli *in 3 diſtinct. 5.quæſt.3 in ſolutionibus argumentorum*, Durandi *in 2.diſt. 3.quæſt.7 & in 1.diſtinct 3 quæſt.5.* Soncinatis 4. *lib. Metaph q 3.in ſolutione 3. argumenti*, Aſtudillo 1. *Phyſicorum q 3* Soti *q.3. de rebus vniuerſis* Toleti *q.2. de notionibus*, & multorum aliorum naturam fieri formaliter vniuerſam per abſtractionem intellectus agentis, denudantis illam a phantaſmatibus, & proprietatibus ſingularibus. *2. Opin.*

Tertia eſt quorundam recentiorũ, qui cenſent aliud eſſe loqui de natura vniuerſa, vt eſt vniuerſa & aliud de eadem, vt eſt tale vniuerſum nimirũ genus, vel ſpecies, iſtæ enim duæ rationes maxime inter ſe differunt, quemadmodum in homine alia eſt ratio illius, vt eſt animal, & alia vt eſt tale animal, quod eſt par tiem rationis: vnde dicunt, naturam fieri vniuerſam per abſtractionem intellectus agẽtis, fieri tamen genus, vel ſpeciem, per comparationem intellectus patibilis ad inferiora; Genus quidem, per comparationem ad ſpecies Speciem vero, per comparationem ad indiuidua. *3. Opinio.*

Quarta opinio eſt aliorum arbitrantium non fieri omnem naturam vniuerſam formaliter per actionem intellectus agentis, neque omnem per actionẽ intellectus patibilis, ſed quaſdam naturas fieri vniuerſas per intellectum agentem & alias per intellectum patibilem, non quidem per comparationem vt opinatus fuerat Scotus, per abſtractionem a proprietatibus ſingularibus, & indiuiduis. Quæ opinio ſemper mihi placuit neque puto illam alienam eſſe à mente & placitis D. Tho atque ita ad illam explicandam nonulla animaduertemus. *4. Opin.*

Primum rerum, quæ exiſtunt à parte rei, quaſdam eſſe, quæ percipiuntur aliquo ſenſu externo, vt homo, & leo, qui percipiuntur viſu, & alias quæ nequeunt alio ſenſu apprehendi, ſed a ſolo intellectu, vt actiones intelligendi, ſcientiæ, virtutes, Deus, ſubſtantiæ, ſeparatæ, & ipſe intellectus. Inter quas hoc intereſt, quia res, quæ percipiuntur ſenſibus, habent phantaſmata, in phãtaſia repræſentantia, vt homo, & leo, illæ vero, quæ ſolo intellectu cognoſcuntur, non habent phantaſmata, quia hæ & materialia ſunt, & natu- *1. obſeruatio.*

ram

Digitized by Google

ram referunt materialem, at illa, quæ ſolo intellectu percipiuntur, ſunt immaterialia.

1. obſeruatio. Animaduertendum eſt etiam intellectum agentem ſolum verſari circa phantaſmata, illa illuminando, nullaque ratione poſſe actionem ſuam exercere in res ſpiritales, & immateriales, quales ſunt omnes, quæ ſolo intellectu percipiuntur, illudq; ob duas cauſſas. Prima, quia inter potentias ſubordinatas, poſterior tantum poteſt exercere actionem ſuam in obiectum propoſitum ſibi à potentia priori, vt vis imaginandi, tantum exercet ſuam actionem in obiectum oblatum ſibi à ſenſu communi, & voluntas in obiectũ ſibi oblatum ab intellectu: vnde cum intellectus agens, & phantaſia ſint potentiæ eſſentialiter ſubordinatæ, tantum poterit intellectus agens exercere vim in phantaſmata, quę ſibi proponuntur à Phantaſia. Secunda, quia ob hanc ſolam cauſſam conſtituitur ab Ariſt. intellectus agens, vt reddat naturam materialem, & ineptam, immaterialem, & aptam ad intelligendum, quare res immateriales cũ ex ſua natura ſint ad intelligendum accommodatę, non erunt obiectum circa quod verſetur intellectus agens, ſed ſola phantaſmata, quæ repręſentant naturam materialem, & ineptam ad intelligendum, erunt huius facultatis obiectum.

2. obſeruatio. Iterum ſciendum eſt eodem modo ſe habere naturam genericam ad ſpecies intellectibiles ſuarum formarum, quo modo ſe habet natura ſpecifica ad phantaſmata ſuorum indiuiduorum, vt quemadmodum ſe habet homo ad phantaſmata Dominici vel Thomæ, eodem prorſus modo ſe habet animal, ad ſpeciem intellectibilem hominis, vel equi; quemadmodum enim natura hominis coarctatur per proprietates ſingulares, quæ relucent in phantaſmatibus, vt per hanc figuram Petri, vel illum candorem Pauli, quæ repræſentantur in phantaſmatibus ipſorum: ita etiam natura generica (verbi gratia animalis) coarctatur per differẽtias, & proprietates ſpecificas, repræſentatas per ſpecies intellectibiles, vt per riſibilitatem, vel rationalitatem, quæ repręſentantur per ſpeciem intellectibilem hominis.

3. obſeruatio. Poſtremo animaduertimus cognoſcere rẽ aliquam eſſe talem, & efficere illam talem, eſſe inter ſe multum diuerſa; nos enim cognoſcimus cœlum eſſe figuræ ſphericæ, qui tamẽ non efficimus illud huius figuræ, aliud itaq; eſt efficere naturam vniuerſam, & aliud cognoſcere illam eſſe vniuerſam; & pati etiam ratione aliud erit efficere naturam vniuerſam & aliud imponere nomen naturæ vniuerſæ, quia nominis impoſitio ſequitur naturæ cognitionem.

Sit iam prima concluſio: Natura ſpecifica cuius indiuidua percipiuntur ſenſu aliquo externo, & obtinent phantaſmata, cuiuſmodi eſt natura hominis, vel equi, fit vniuerſa per abſtractionem intellectus agentis à proprietatibus ſingularibus, actu formaliter, & eſſentialiter. Confirm. his argumentis. Primum; Natura contrario modo fieri debet vniuerſa, quo antea erat ſingularis, ſed antea erat ſingularis, quia natura, & vnita erat cum proprietatibus ſingularibus, ergo fiet vniuerſa per abſtractionem ab huiuſmodi proprietatibus, ſed per intellectum agentem denudatur natura ab illis, ergo per illum fiet formaliter vniuerſa. *1. concl.* *1. Argum.*

2. Quidquid eſt, vel eſt ſingulare, vel vniuerſum, ſed natura ſeparata à proprietatibus ſingularibus eſt, & non eſt ſingularis, cum ſint ab ea remotæ omnes proprietates ſingulares, ergo erit vniuerſa. *2. Argum*

3. Obiectum potentiæ contemplatiuæ antecedit eam; ſed vniuerſum formale eſt obiectũ intellectus patibilis, qui eſt potentia contemplatiua, ergo vniuerſum erit prius intellectu patibili non ergo per illius actionem fiet, ſed intellectus agentis. *3. argum.*

Præterea: Vniuerſum formale eſt illud, quod eſt in potentia proxima natum dici de multis: ſed natura ſpecifica, vt eſt abſtracta per intellectum agentem, nata eſt proxima potẽtia dici de multis indiuiduis; ergo erit formaliter vniuerſa per illum. Confirmatur aſſumptio. Potentia proxima eſt illa, inter quam & actum nullum intereſt medium, ſed inter abſtractionem intellectus agentis, & actualem prædicationem naturæ effectam per intell. patibilem, nullum intereſt mediũ, poteſt enim intellectus patibilis, vt huiuſmodi natura ita abſtracta, ad actualem prædicationem, ergo natura ita abſtracta nata eſt potẽtia proxima dici de multis. *4. Argum.*

Adhæc: Omne agens diſponens vltimo materiã ad aliquam formam recipiendam, producit illam formam, quemadmodum ignis, qui producit in ligno calorem, & ſiccitatem, quæ ſunt diſpoſitiones ignis, producit formam ignis in eodem, ſed intellectus agens vltimo diſponit naturam, vt fiat vniuerſa, igitur ipſe efficiet eam vniuerſam formaliter. Confirm. aſſumpt. Vltima diſpoſitio formæ eſt immotio contrarii, & omniũ impedi- *5. argum.*

mentorum, ſed per intellectum agentem a mouentur omnia impedimenta naturæ vniuerſæ, hæc enim ſunt proprietates ſingulares, à quibus ſeparatur natura lumine intellectus agentis, ergo intellectus agens vltimo diſponet naturam, vt fiat vniuerſa.

6 argum. Item: Naturam ſecundum diuerſum modum eſſendi diuerſas ſortitur proprietates, vt natura humana ſecundum ſe ſer...ut capacitatē di...e plures, vt eſt in indiuiduis eſſe magnam vel paruam, candidam vel atram, ergo & ſecundum modum eſſendi in intellectu a...gēte ſortietur quoq; aliquas proprietates, quæ autem non poſſunt aliæ quam vniformitas, & notio vniuerſi, ergo natura erit vniuerſa per intellectum agentem.

7. argum. Tertium: Vniuerſ. eſt vnum in multis, & præter multa, ſed natura abſtracta per intellectū agentem, eſt vna in multis, & præter multa, ergo natura ita abſtracta erit actu, & formaliter vniuerſa. Confir. maſſumpt. Inprimis natura abſtracta per intellect. agentem, eſt vna in multis, cum repræſentetur vna ſpecie intelligibili, & apprehendatur vna notione animi. Deinde eſt prater multa. Quia ſeparatur à multis indiuiduis, ergo erit vna in multis, & præter multa, per intellectum agentem.

Solutio quorundam. Probe noui aduerſarios his argumentis reſpondere. Illa tantum concludere de vniuerſo metaphyſico, quod habet eſſe per abſtractionem à proprietatibus ſingularibus, & non de vniuerſo Logico, quod cum ſit relatio quædam rationis tantum habebit eſſ. per intellectum patibilem comparantem. Verum

Confut. hæc ſolutio nullo modo ſatisfacit argumentis. Quia natura per intellectum agentem ſortitur eo... nmunitatem quandam rationis, vniformitatem, & indifferentiam ad plura, at communitas rationis, vniformitas, & indifferentia, ſunt vniuerſum formale Logicum. Et confirm. poteſt argument. Hæc vniformitas, & communitas, vel ſunt formaliter entia rei, vel rationis, ſed nō ſunt entia rei, cū non habeant eſſe præter intellectum, ergo erunt entia rationis, ſed non poſſunt eſſe formaliter aliud genus entis rationis, quam vniuerſum formaliter, cum non ſunt negationes aut priuationes, ergo.

2 concl. 2. concl. Natura ſpecifica cuius indiuidua non apprehenduntur ſenſu aliquo externo, ſed per ſolum intellectum, non fit vniuerſa formaliter per agentem, ſed per patibilem intellectum, cum natura...d eſt natura ſpeciei intelligibilis...ſtimet à intellectus, actiones ... lgendi. Et confirmatur intellectus agens vt annotatum, & probatum fuit, tantum poteſt vim ſuam in phantaſmata exercere, quæ repræſentant naturas materiales, ſed ſpecies illæ quarum indiuidua à ſolo intellectu concipiuntur, ſunt immateriales, ergo non poterunt illæ reddi vniuerſæ ab intellectu agente, fient itaque à patibili. Ceterum non fient per comparationem ad inferiora, & indiuidua, ſed per abſtractionem à ſingularibus, vt quæ...plurima ex argumentis in ſuperiori cō...clu...ſione effectis confirm. verbi gratia ſpecies intellectibilis fit ita vniuer. Intellectus patibilis ab hac ſpecie intellectibili, quę eſt in Petro, vel ab illa, quæ eſt in Paulo, abſtrahit cōmunem notionem ſpeciei vniuerſæ, quæ eſt præter ſpecies particulares, quę notio eſt ratio formalis ſpeciei intellectibilis vt fit illa vniuerſum ſpecificum.

3. concl. Natura generica, tam materialis euiuſmodi eſt natura animalis, quam expers materiæ, vt eſt natura ſpiritualis fit actu, & formaliter vniuerſa, per intellectum patibilem, abſtrahentem illam a differentiis, & proprietatibus ſpecificis, & non fit per agentem. *3. concl.* Confir. Natura generica vniuerſa per abſtractionem ab ſpeciebus intelligibilibus, quē ad nodum ſpecifica per abſtractionē à phantaſmatibus, ſed intellectus agens non poteſt vllo modo agere in ſpecies intellectibiles, igitur non ipſe efficiet naturam genericam vniuerſam. Propoſitio eſt manifeſta, eodem enim modo quo ſe habet natura ſpecifica ad phantaſmata ſuorum indiuiduorum, ſe etiam habet natura generica, ad ſpecies intellectibiles ſuarum formarum, quemadmodum itaque natura ſpecifica efficitur vniuerſa per abſtractionem a proprietatibus ſingularibus & phantaſmatibus, ita etiam & natura generica per abſtractionem ab ſpeciebus intellectibilibus, confir. aſſumpt. Intellectus agens non poteſt verſari circa res immateriales, ſed ſpecies intellectibiles ſunt immateriales, ergo non poterit verſari circa illas.

Quorundam opinio. Quidam tamen contrarium aſſerunt, dicunt enim naturam genericam fieri actu vniuerſam per abſtractionem intellectus agentis, qui ſic explicant. Intellectus agens illuminando phantaſmata, non ſolum abſtrahit naturam a proprietatibus ſingularibus, quæ eſt ſpecifica, verum etiam & quę eſt generica, eo quod vtraque erat inuoluta cum proprietatibus ſingularibus, cumque ad hoc, quod aliqua natura ſit actu vniuerſa ſufficiat illam eſſe ſeparatam a proprietatibus ſingularibus,

natura

natura generica erit actu, & formaliter vniuerſa. ſicuti ſpecifica, per intellectum agentem. Vnde negant propoſitionem argumenti a nobis propoſiti, in qua dictum eſt naturam genericam fieri vniuerſam per abſtractionem ab ſpeciebus intelligibilibus, ſed fiet per abſtractionem a phantaſmatibus illuminatis.

Confutatio. Hanc tamen ſolutionem ita refutamus, vt natura generica ſit actu, & formaliter vniuerſa, non ſolum debet abſtrahi a proprietatibus ſingularibus indiuiduorum, ſed etiam a differentiis ſpecificis ſuarum formarum, ac eiuſdem proprietatibus, ſed intellectus agens nō poteſt circa illas verſari, ſunt enim illę immateriales, & quæ ſolo intellectu patibili apprehendi poſſunt, ergo intellectus agens non efficiet vniuerſum genericum. Confirmatur propoſitio, vt aliqua natura ſit vniuerſa, debet abſtrahi ab omnibus contrahentibus, & multiplicantibus illam, ſed non ſolum proprietates indiuiduorum, quin etiam & differentiæ ſpecificæ, & proprietates contrahunt naturam genericam & multiplicant illam in formas varias & ſpecies, ergo vt ſit illa vniuerſa non ſatis erit abſtractam eſſe a proprietatibus indiuiduorum per intellectum agentem, ſed neceſſario debet etiam abſtrahi a differentiis, & proprietatibus ſpecificis per intellectum patibilem.

Obſeruatio. Ex quo colligimus ad efformationem vniuerſi generici duplicem requiri abſt actionem primam a proprietatibus indiuiduorum, ſecundam a differentiis & proprietatibus ſpecificis. Prima fit per intellectum agentem, ſecunda vero per patibilem. Præterea in prima tantum eſt inchoatio quędam vniuerſi generici, in ſecunda vero eſt finis & abſolutio illius, vnde in ſecunda & non in prima ſita erit tota ratio & natura vniuerſi generici.

Obſeruatio. Animaduertendum tamen erit naturam genericam poſſe abſtrahi, & ab indiuiduis ſuarum ſpecierum, & ab indiuiduo quodam vago ſibi, & non ſpeciebus proprio, verbi gratia natura animalis poteſt abſtrahi, vel a Socrate, & illo leone, aut ab vtriuſque phantaſmatibus, vel a quodam animali vago, & indiffinite. Poteſt enim quis videns a longe aliquod animal, non indicans quale illud ſit, a phantaſmate ab illo animali vago impreſſo per illuſtrationem intellectus agentis abſtrahere notionem quandam & ſpeciem vniuerſam animalis generici, omnibus animalibus communem, vt eſſe ſubſtantiam corpoream animatam, ſeſe ipſam loco mouentem, quæ certe communis notio eſt omnibus animalibus. Quando igitur in hac conclusione profitemur vniuerſum genericum non fieri per intellectum agentem, intelligi debet quando fit vniuerſum per abſtractionem a proprietatibus indiuiduationibus indiuiduorum ſuarum ſpecierum: nam ita præter illuminationem intellectus agentis, qua illuminantur phātaſmata horum indiuiduorum, nece ſſaria eſt alia intellectus patibilis, vt illius beneficio abſtrahatur natura generica, a differentiis ſpecificis, & proprietatibus earundem ſpecierum. Verum quando natura generica fit vniuerſa per abſtractionem a ſuo proprio indiuiduo vago, tunc per intellectum agentem, & non per patibilem, fiet vniuerſa, vt in eodem exemplo, quando fit animal vniuerſum per abſtractionem a quodam animali, quod a longe videmus non a patibili, ſed ab agente fiet vniuerſum, quod ita eſſe in hunc modum poſſumus confirmare. Ex phantaſmate illius cuiuſdam animalis per illuminationem intellectus agentis abſtrahitur aliqua ſpecies intelligibilis: quia ex omni illuſtratione oritur aliqua ſpecies intelligibilis, ergo ex hac illuſtratione aliqua ſpecies intelligibilis orietur: atqui illa non poteſt eſſe alia quam animalis generici, ergo ex illuſtratione intellectus agentis orietur ſpecies repræſentans animal genericum. Quare per hunc intellectum animal fiet vniuerſum genericū. Et certe cum in hac hypotheſi animal tantū apprehendatur, vt contractum (non quidem per differentias ſpecificas) ſeu per numericas & indiuiduantes indiuidui vagi a quibus abſtrahitur per intellectum agentem, per hunc intellectum erit illud actu & formaliter vniuerſum.

4. concl. Natura vniuerſa non ſolum eſt actu vniuerſa per abſtractionem vel intellectus agentis, vel patibilis, eo modo quo ſuit explicatum in concluſionibus ſuperioribus, verum etiam actu, & formaliter eſt genus, vel ſpecies, per hanc abſtractionem, ſine vlla cōparatione intellectus patibilis ad inferiora: Hæc eſt aduerſus tertiam opinionē, quæ confirm his argumentis. Primum: Quicquid cōtinetur ſub aliquo genere debet etiam contineri ſub aliqua ſpecie illius generis, ſed natura humana (verbi gratia) per abſtractionē intellectus agentis, eſt actu vniuerſa, vt etiam hi auctores fatentur, ergo continebitur ſub aliqua ſpecie vniuerſi, quæ cum ſint quinque voces communes, & non ſit illa genus, vel differentia, vel proprium, vel accidens, erit formaliter ſpecies.

Verum aduerſarii huic argumento reſpondent, falſam eſſe propoſitionem. Embrio enim (dicunt) actu eſt animal, quod tamen nõ continetur ſub aliqua ſpecie illius. Cæterum hæc ſolutio nulla eſt. Inprimis, quia multi Philoſophi negant & (fortaſſis veri) in embrione dari animam ſentientem vt oſtendemus *in lib. de anima.* Deinde embrio non eſt genus ad animal, ſed diſpoſitio ad illius formam introducendam, vniuerſum vero, nõ eſt diſpoſitio ad notionem generis, vel ſpeciei, ſed eſt verum genus harum notionum, nulla igitur eſt inſtantia propoſita.

2. Natura per abſtractionem eſt actu vniuerſa, ergo & actu prædicabilis, vniuerſum enim diffinitur, quod poteſt dici de multis, ſit ergo hęc natura humana quæ per abſtractionem poſſit dici de multis; certe cum nõ poſſit dici de multis ſpecie differentibus, poterit de multis numero differentibus, at quod poteſt dici de multis numero differentibus, eſt actu ſpecies, ergo natura humana, & quælibet alia per abſtractionem intellectus agẽtis, ſiue patibilis, nõ ſolum erit vniuerſa, ſed etiam actu, genus, vel ſpecies.

Vlt. concl. Vltima concl. Quamuis natura non fiat vniuerſa genus, vel ſpecies, per comparationẽ intellectus patibilis, vt tamen agnoſcatur eſſe vniuerſa, genus, vel ſpecies, debet cognoſci ab intellectu patibili per comparationẽ ad multa. Confirm. Non poſſumus intelligere naturam eſſe vniuerſam, genus vel ſpeciem, niſi intelligamus illam eſſe multis communem ſed non poteſt intelligi eſſe communis multis niſi intelligamus illius comparationem ad multa, ergo non poterit intelligi natura eſſe vniuerſa genus vel ſpecies, niſi intelligamus eam per comparationem intellectus patibilis ad multa.

Ad 1. arg. Ad argumenta in principio propoſita ad primum reſpond. duplicem eſſe comparationem, vnam ſecundum actum & alteram ſecũdum poteſtatem, vt natura ſit vniuerſa debet referri & comparari poteſtate ad multa, nomine vero comparationis non intelligimus relationem, ſed actionem intellectus comparantis, hanc comparationem ſecundum poteſtatem obtinet natura medio lumine intellectus agentis, nam eo ipſo quo natura eſt denudata per intellectum agentem à proprietatibus ſingularibus, eſt data in proxima diſpoſitione, vt poſſit comparari ad multa: quare ad argumẽtum reſp. veram eſſe aſſumptionem de comparatione ſecũdum poteſtatem, falſam vero de cõparatione, ſecũdum actum.

Ad 2. Ad 2. reſp. eodem modo Prędicationem actu fieri per intellectum patibilem, prædicationem vero poteſtate, etiam fieri per intellectum agentem: cæterum vt natura ſit vniuerſa non eſt neceſſe vt prædicetur actu, cum ſufficiat prædicari poteſtate. Vnde Ariſt. diffiniuit vniuerſum, non quod actu effertur, ſed quod poteſt efferri.

Ad 3. Ad 3. reſp. falſam eſſe aſſumptionem, & ad primam probationem dicimus falſum etiam eſſe ens rationis tantum habere eſſe cognitum in intellectu patibili, nam iuxta multorum opinionem, parietem eſſe viſum, eſt ens rationis formaliter, quod tamen non fit per intellectum patibilem, ſed per facultatem videndi. Vnde ens rationis diffinitur proprietas conſequens naturam vt habet eſſe in intellectu, vel agente, vel patibili. Ad alteram vero confirmationem reſp. etiam eſſe vitioſam diuiſionem illam entis in illud, quod eſt à parte rei, & in illud, quod habet eſſe cognitum, neque Ariſt. vnquam talem propoſuit diuiſionem, ſed hanc. Quicquid eſt, vel habet eſſe extra animam, ſeu a parte rei, vel habet eſſe in anima, per animam non ſolum intellectum patibilem, verum etiam & agentem intelligens, quare ſecunda notio neque erit à parte rei, neque habebit eſſe cognitum, ſed habebit eſſe in intellectu agente.

Poſſumus etiam reſp. duplex eſſe ens rationis, alterum fictitium, & alterum quod habet fundamẽtum in re, illud quidem tantum habet eſſe per intellectum, vt ſunt monſtra, & figmenta animi, finguntur enim illa à mente. Secundum vero non à ſolo intellectu patibili, ſed ab intellectu agente fieri poteſt, cum itaque vniuerſum habeat fundamentum in re fieri poterit ab intellectu agente.

Ad 4. Ad 4. reſpon. falſam eſſe aſſumptionem. Ad probationem dicimus illam non eſſe diffinitionem abſtractionis in communi, ſed ſolus intellectus patibilis: nam abſtractio in communi diffinitur, vnius rei ab alia ſeparatio, ſiue fiat per cognitionem, ſiue per illuminationem.

Ad 5. Ad 5. reſpond. falſam eſſe aſſumptionem, & ad probationem dicimus falſam eſſe etiam aſſumptionem, fieri enim optime poteſt, vt aliquid ſit vnum vnitate poſitiua, & vt illud poſſit diuidi in plura: nam lignum eſt vnum vnitate poſitiua, quod tamen in innumeras poteſt diuidi partes. Quamuis ergo natura per intellectum diuidi poſſit in plura numero diuerſa, optime tamen poterit eſſe vna vnitate poſitiua, nãque quæ ſunt multa numero per

intel-

Digitized by Google

intellectum agentem, ſunt vnum ſpecie per intellectum paribilem, vnitate poſitiua.

Ad 6. Ad 6. reſpond. Comparationem vel habitudinem ſecundum actum, non exprimi per diffinitionem eſſentialem generis, ſed ſolam habitudinem poteſtate. Genus enim non eſt, quod actu dicitur de multis, ſed quod natum eſt dici de multis. Hæc autem habitudo poteſtate conuenit generi, & ſpeciei (vt ſæpe admonuimus) per abſtractionem intellectus, vel agentis, vel patibilis, & non per comparationem.

Ad 7. Ad 7. reſpond. genus & ſpeciem conuenire in abſtractione communi & in genere, diſtingui tamen in propriis & ſpecificis abſtractionibus. Genus enim abſtrahitur à ſpeciebus intellectilibus: at ſpecies ab Indiuiduis & phantaſmatibus, quæ duæ abſtractiones ſpecie differunt, licet ergo in abſtractione in communi conueniant: in abſtractionibus tamen propriis & ſpecificis diſtinguuntur.

Ad 8. Ad 8. reſpond. in ſpecie duplicem eſſe habitudinem, vnam ad ſuperiora, & alteram ad inferiora, vt homo, & refertur ad animal tanquam illius ſubiectum, & refertur ad Petrum, & Paulum, tanquam ſpecies, & attributum illorum, vnde dicimus, per abſtractionem ſpeciei à phantaſmatibus, naturam ſpecificam non eſſe vniuerſam, neque habere habitudinem ad ſuperiora, vt argumentum probat, recteque concludit: eſſe tamen vniuerſam, & habere habitudinem ad inferiora, à quibus eſt abſtracta.

Ad 9. Ad 9. reſpond. inprimis D. Thom. loquutum fuiſſe de comparatione, poteſtate, non tamen actu. Reſpondemus deinde loquutum fuiſſe de vniuerſo in repræſentando, & non de alio in prædicando, de quo nunc loquimur, ſpecies enim intellectilis, quæ eſt imago rei, quam repræſentat, referri debet ad rem imaginatam, eſt itaque vniuerſa per comparationem.

QVÆSTIO VI.

An natura vniuerſa ſit in intellectu ſecundum rem, nec ne?

Cum duobus modis poſſit aliquid eſſe in aliquo vel ſecundum rem, vt candor eſt in pariete candido, vel ſecundum ſimilitudinem, vt facies eſt in ſpeculo, conſtitutumque ſit in ſuperioribus, naturam tantum eſſe vniuerſam, vt eſt in intellectu, iure optimo quærimus, ſitne illa in intellectu ſecundum rem, an potius ſecundum ſolam ſimilitudinem.

Quidam enim cenſent, naturam vniuerſam, non ſecundum ſolam ſimilitudinem, verum etiam ſecundum realem præſentiam eſſe in intellectu, quamuis enim (inquiunt) hic vel ille lapis non ſit in intellectu ſecundum rem, natura tamen lapidis communis ſecundum rem eſt in illo. Quæ ſententia confirmatur his argumentis. *1. Opin.*

Primum eſt: Forma denominans, & natura denominata ſunt ſimul, ſed notio vniuerſi eſt forma denominans naturam vniuerſam, ergo notio vniuerſi & natura vniuerſa erunt ſimul, ſed notio eſt ſecundum rem in intellectu, ergo & natura vniuerſa erit etiam ſecundum rem in illo. *1. Arg.*

Secundum: Quando duæ cauſæ concurrunt ad eundem effectum producendum, ſunt ſimul, & vna alteri dicitur eſſe præſens, ſed natura vniuerſa, & intellectus ſunt cauſæ, quæ concurrunt ad intellectionem producendam, ergo natura, & intellectus erunt ſimul, erit igitur natura vniuerſa ſecundum rem in intellectu. *2. Arg.*

Alii vero dicunt, naturam non eſſe in intellectu ſecundum realem præſentiam, & ſecundum ſe, ſed ſecundum ſolam imaginem, & ſimilitudinem. *2. Opin.*

Cæterum, in explicatione huius quæſtionis animaduertendum eſt, quaſdam eſſe naturas vniuerſas, quarum indiuidua ſunt ſecundum rem in intellectu, vt ſcientia, ſpecies intellectiles, actiones intelligendi, & ipſemet intellectus, ac tandem omnes habitus ipſius, indiuidua namque harum naturarum vniuerſarum ſunt in intellectu ſecundum rem: nam hæc & illa ſpecies intellectilis, quæ ſunt indiuidua naturæ ſpeciei intellectilis, ſecundum rem inhærent intellectui. Alias vero eſſe, quarum indiuidua non ſunt intellectu ſecundum rem, ſed tantum ſecundum ſimilitudinem, vt lapis, roſa, & plantæ, nam hæc roſa ſingularis non eſt in intellectu ſecundum rem, ſicuti neque hic lapis, ſed ſpecies illius. *Obſeru.*

Hoc animaduerſo cum Petro Nigro *quæſt. 29. clypei*, his concluſionibus propoſitæ quæſtioni ſatiſfacimus. Sit prima: Illæ naturæ, quarum indiuidua non ſunt in intellectu ſecundum rem, neq; ſunt ipſæ in eodem ſecundum rem, ſed tantum obiectiue, vel in eſſe cognito, aut ſecundum ſimilitudinem. Conſtat. *1. concluſ.* Quia lapis, vt inquit Ariſt. *1. de anima.* non eſt in intellectu, ſed ſpecies lapidis, & *3. de anim. cap. 8.* idem docet, animam eſſe omnia, non ſecundum rem, ſed ſecundum ſimilitudinem, quia ſcilicet poteſt rerum omnium ſimilitu- *1. Arg.*

d nibus informari, ergo naturę vniuerſę, quarum indiuidua non erunt in intellectu ſecundum rem, neque ipſæ quoque erunt.

Secundo: Illud, in quo eſt natura vniuerſa ſecundum rem (v.g roſæ) ſecundum nomen & ſecundum eſſentiam eſt roſa, prædicatur enim roſa, nomine & diffinitione de ſuis ſubiectis, vt de hac, vel illa roſa, ſed intellectus neque nomine neq ratione eſt roſa, non igitur roſa erit in intellectu ſecundum rem, ſicuti neque alia quælibet natura vniuerſa huius generis.

Præterea: Naturæ vniuerſæ non poſſunt eſſe re ipſa ſeparatæ à ſingularibus, & indiuiduis, vt eſt confirmatum in ſuperioribus quæſtionibus, ſed ſi illæ ſecundum rem eſſent in intellectu, eſſent à ſingularibus ſeparatæ, ergo naturæ, quarum indiuidua non ſunt in intellectu ſecundum rem, neque ipſæ erunt in eodem. Confir. aſſumpt. Singularia non ſunt in intellectu ſecũdum rem, vt eſt manifeſtum, ergo ſi naturæ vniuerſæ ſecundum rem ſunt in intellectu, ſunt quidem illæ ab indiuiduis re ipſa ſeparatæ, cum ſint, vbi non ſunt indiuidua. Quod ſi non ſint hæ naturæ in intellectu ſecundum rem, erunt in illo ſecundum imaginem, & ſimilitudinem, cuius beneficio poſſit ferri intellectus in res ipſas intuendas, vnde dicũtur eſſe in intellectu obiectiue, quia ſunt obiecta ab illo percepta, vt apertiſſime profitetur Ariſt. in loco ſuperiori.

1.concluſ. 2. concluſ. Naturæ illæ, quarum indiuidua ſunt in intellectu ſecundum rem, ipſæ etiam ſecundum rem ſunt in eodem, vt natura vniuerſa ſpeciei intellectilis, ſcientiæ, vel artis, & aliorum habituum, hæ, inquam, omnes ſecundum realem præſentiam ſunt in intellectu. Confirm. Quando aliqua ſunt eadem ſecũdum rem, & eſſentiam, vbi eſt vnum, debet & aliud eſſe, ſed naturæ vniuerſæ, & ſingularia, ſunt idem ſecundum rem, & ſecundum eſſentiam, ergo vbi eſt vnum, debet eſſe & aliud, ſed hæc ſpecies intellectilis, & illa, hæc ſcientia, & illa, hic habitus intellectus, & ille, ſunt indiuidua, quæ ſunt in intellectu ſecundum rem, ergo & naturæ vniuerſæ ſpecierum intellectilium, ſcientiarum, & habituum ſecundum rem erunt in intellectu. Ex quibus colligimus, tam eos, qui dicunt, omnes naturas vniuerſas eſſe extra intellectum ſecundum rem, quam eos, qui aſſerunt, omnes eſſe in intellectu, errare omnino, nam neque omnes ſunt extra intellectum neque omnes in illo, ſed quædam intra, & aliæ extra ipſum continentur.

Ad argum. igitur ad primum reſpond. notionem vniuerſi non eſſe in intellectu inhæſiue, ſed obiectiue: inhærere enim proprietas eſt accidentium rei, eſſe autem in intellectu obiectiue, commune eſt omnibus entibus rationis, vt eſt notio vniuerſi. Pari ratione dicimus naturam vniuerſam eſſe in intellectu obiectiue, non autem inhæſiue, aut iuxta realem præſentiam. *Ad 1.*

Ad ſecundum reſpond. falſam eſſe propoſitionem. Nam in efformatione fœtus non ſunt ſimul vir & fœmina, à quibus tamen efformatio, tanquam à vera & legitima cauſa dependet. Sed iaculato ſemine a generante, fœmina illius vi, & facultate intra ſe fœtum efformat. Eodem modo in intellectione & generatione verbi (in qua obiectum, vel natura vniuerſa habet locum viri, & intellectus fœminæ, intellectio vero, vel verbum, fœtus) non erunt ſimul natura vniuerſa, & intellectus, ſecundum realem præſentiam, ſed intellectus, iaculata prius intra ſe ſpecie intellectili, à natura vniuerſa, quæ ſplendet in phantaſmatibus illuſtratis, veluti quodam ſemine illius vi, & facultate, in ſe ipſo generabit intellectionem, & verbum, tanquam quendam fœtum à ſe editum. *Ad 2.*

QVÆSTIO VII.

An Vniuerſum verius eſſe habeat in ſe, quam in intellectu, & ſingularibus.

SÆpe in ſuperioribus cum D. Thom. docuimus, naturam vniuerſam tribus modis ſumi poſſe ſecundum ſe in intellectu, & in indiuiduis. Quod igitur quærimus, eſt ex his tribus, vbi verius eſſe habeat natura vniuerſa.

Habere illam eſſe verius in intellectu confirmatur, quia veritas tantum eſt in intellectu, & non in ipſis rebus: ergo natura verius eſſe habebit in intellectu, quam in ſe, vel in indiuiduis. *1. Arg.*

Secundo confirmatur habere eſſe verius in indiuiduis. Verum eſt proprietas entis, ſed natura vniuerſa in indiuiduis eſt magis ens, quam in ſe, vel in intellectu: nam in indiuiduis eſt ens, ſecundum eſſentiã & exiſtentiam, in intellectu vero, & in ſe tantum eſt ens ſecundum eſſentiam; ſecundum ſe enim tantum exprimit attributa eſſentialia, & vt eſt in intellectu, tantum habet eſſe obiectiue, qui modus eſſendi abſtrahit ab omni exiſtentia, ergo verius eſſe habebit in indiuiduis, quam in ſe, vel in intellectu. *2. Arg.*

Diuerſæ ſunt in hac quæſtione explicandæ Philoſophorum ſententiæ: Prima eſt Pauli *1. Opin.*

Vene-

Digitized by Google

In comment. ſup. Porphyr.

Veneti *quæſtione 4. de rebus Vniuerſis*, qui putat, naturas vniuerſales verius eſſe habere in ſe, quam in indiuiduis, & in indiuiduis, quam in intellectu. Ratio primi eſt, quia in ſe habet locum actus, & formæ, in indiuiduis vero locum materiæ, nam continentur in illis modo materiali: at verius eſſe, eſt eſſe per modum actus & formæ, quam eſſe per modum materiæ. Secundi vero ratio eſt, quia in indiuiduis habet eſſe reale, in intellectu vero intentionale, verius autem eſſe, eſt eſſe reale, quam intentionale.

2. Opin.

Secunda eſt Ægidii Romani, vt idem Venetus refert; Vniuerſum ſumi poſſe, vel pro notione, vel pro natura illi ſubiecta. Primo modo, verius eſſe habet in intellectu, quam in ſe, aut in indiuiduis, imo tantum habet eſſe in intellectu. Etenim notio vniuerſi tantum ſequitur rem, vt eſt obiectiue in intellectu. Secundo vero, verius eſſe habet in indiuiduis, quam in intellectu, in illis ſiquidem eſt ſecundum eſſe reale, in intellectu ſecundum eſſe intentionale. Verum ſimpliciter & abſolute loquendo, verius eſſe habet in intellectu, quam in ſingularibus: Quia veritas magis dependet à forma, quam à materia, quare cum notio ſecunda quæ eſt forma vniuerſi, ſit in intellectu ſimpliciter & abſolute loquendo, verius eſſe habebit in intellectu, quam in ſingularibus.

3. Opin.

Tertia eſt B. Alberti Magni *tractatu 2. in Porphyrium, cap. 6.* veritatem ſumi poſſe: aut pro puritate naturæ, qua ratione dicimus aurum verum, id eſt, purum, nullam alterius metalli e contineos permixtionem, aut pro perfectione eiuſdem. Si primo modo loquamur, natura in ſe verius eſſe habet, quam in anima, quia in ſe eſt pura natura, in anima vero iam permiſcetur cum accidentibus rationis. Et in anima, quam in indiuiduis: nam in illa tantum permiſcetur cum accidentibus rationis, quæ minimã efficiunt mutationem: in indiuiduis vero permiſcetur cum accidentibus rei, quæ maxime ab ipſa amouent puritatem. Si vero ſermo ſit de veritate pro perfectione, verius eſſe habebit in indiuiduis quam in intellectu. Etenim indiuiduis communicat nomen, & rationem, quod certe maximam dignitatem præ ſe ferre videtur, non autem intellectui.

4 Opin.

Quarta eſt Petri Nigri *1. part. clypei quæſtione 27* qui de notione vniuerſi aſſerit, verius eſſe habere illam in intellectu, quam in indiuiduis, quia notio tantum eſt in intellectu. De natura vero, inquit, poſſe illam ſumi; vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem. Primo modo, nimirum, ſecundum rem, non habet (inquit) eſſe verius in ſe, quam in intellectu, aut in intellectu, quam in indiuiduis: nam idẽ ſecundum rem, non habet verius eſſe ſe ipſo: at natura in ſe, & in intellectu, & in indiuiduis eadem eſt ſecundum rem. Secundum rationem vero, verius eſſe habet in ſe, quam in indiuiduis, & in his, quam in intellectu. Nam natura concepta, vt in ſe eſt, purior eſt, quare & verior. & concepta ea ratione, quæ eſt in indiuiduis, confert nomen, & eſſentiam per identitatem, quod non confert intellectui.

Recenſitis igitur his opinionibus, æquum eſt, vt ſentẽtiam noſtram proponamus. Quod vt præſtemus, nonnulla prius obſeruabimus.

1. Obſeru.

Primum eſt: in hac quæſtione non agi de veritate propoſitionum, hanc enim certum eſt, non eſſe formaliter in natura, neque vt eſt in ſe neque vt eſt in indiuiduis, ſed vt eſt in intellectu, in quo ſolo hanc veritatem reperiri docuimus *lib. 4. Tranſcen. cap 9.* ſed agi de veritate rei, quæ nihil eſt aliud, quam puritas quædam naturæ, quæ omnem permixtionem alterius naturę à ſe excludit, qua ratione aurum obrizum vocamus verum, quia præter naturam auri nullam aliam ſecum habet naturam permixtam, aurichalcum vero non dicimus verum aurum, quia hanc naturæ puritatem non habet.

2 Obſer.

Sciendum eſt etiam, hic nomine intellectus tantum eſſe intelligendum intellectum humanum, & non diuinum, in quo qua ratione veriori modo rerum naturæ, quam in ſe ipſis aut in indiuiduis contineantur, explicare munus eſt Theologorum, quod præſtat D. Thom. *1 part. q. 18. art. vltimo. ad 3 & quæſt. 4. de Veritate, art. 6.*

3. Obſer.

Illud etiam animaduertendum erit, naturam vniuerſam ſumi poſſe, aut ſecundum actum primũ, qui eſt habere eſſe eſſentiæ ſuorum attributorum eſſentialiũ aut iuxta ipſius actum ſecundum, qui eſt in indiuiduis de quibus prædicatur, nomen, & rationem per identitatem conferre.

1 concluſ.

Prima concluſ. Natura vniuerſa eadem eſt ſecundum eſſentiam, in ſe, in intellectu, & in indiuiduis, differens tantum ſecundum eſſe, vel ſecundum diuerſum modum eſſendi. Prima pars, nimirum eſſe eandem ſecundum eſſentiam, eſt aperta, quia eadẽ attributa eſſentialia, quæ conſequuntur naturam ſecundum ſe, conſequuntur eandem, vt eſt in intellectu, & in indiuiduis. Altera vero, differre ſcilicet ſecundum modum eſſendi, ita confirmatur: Natura vt eſt in ſe, eſt ſimplex ſecundum modum,

dum, in ſingularibus eſt ſecundum eſſe materiale, in intellectu vero ſecundum eſſe intentionale, vel obiectiue, ſed hi ſunt varii, & inter ſe multum diuerſi modi eſſendi eiuſdem naturæ, ergo, &c.

2 concluſ. Secunda concluſ. Natura vniuerſa ſecundum rationem prior eſt ſecundum ſe, quam in indiuiduis. & in his, quam in intellectu. Eſſe priorem, vt in ſe, quam vt eſt in indiuiduis, ex eo confirmatur, quia attributa eſſentialia priora ſunt ſecundum rationem, ſubiectis, de quibus prædicantur, at natura ſecundum ſe denotat ipſam iuxta ſua attributa eſſentialia, indiuidua vero ſubiecta ſunt, de quibus huiuſmodi attributa efferuntur. Eandem etiam, vt eſt in indiuiduis, eſſe priorem, quam vt eſt in intellectu, probari poteſt: Quia natura ipſa non eſt in intellectu, niſi quia abſtrahitur à ſingularibus, nam vt eſt in intellectu, eſt indifferens, & vniformis, quæ duo non poſſunt niſi naturę ſeparatæ à proprietatibus ſingularibus conuenire.

3 concluſ. 3. concluſ. Vniuerſum ratione notionis ſecundæ, verius eſſe habet in intellectu, quam in indiuiduis. Hæc eſt communis, & aperta, quia notio vniuerſi tantum habet eſſe in intellectu. Quare tota controuerſia eſt de natura ſubiecta huic notioni, quæ, qua ratione verius eſſe habeat in ſe, aut in intellectu, aut in indiuiduis, his concluſionibus explicamus.

4. concluſ. 4. concluſ. Quoad actum primum, verius eſſe habet natura in ſe quam in indiuiduis, vel in intellectu. Confirm. Quia natura in ſe ſumpta purior eſt, quam in ſingularibus, aut in intellectu: nam in ſe tantum denotat pura attributa eſſentialia, abſque vlla permixtione accidentium, in ſingularibus vero eſt cum variis accidentibus permixta, vt cum quantitate, candore, figura, & aliis accidentibus rei, in intellectu vero permiſcetur cum accidentibus rationis. verius igitur eſſe habebit in ſe, quam in indiuiduis, vel in intellectu: nam puritas naturæ, & veritas in hac re pro vna & eadem re vſurpantur.

5. concluſ. 5. concluſ. Quoad eundem actum primum, natura verius eſſe habet in intellectu, quam in indiuiduis. Contrarium docet Niger in loco ſuperiori, concluſ. 5. Confirmatur tamen concluſio: Ibi eſt maior veritas, vbi eſt maior puritas naturę, ſed in intellectu eſt maior puritas, quam in indiuiduis: nam in indiuiduis cum innumeris fere accidentibus permiſcetur, eſtque in illis variis commutationibus obnoxia, in intellectu vero tantum permiſcetur cum accidentibus rationis, quæ in natura minimam efficiunt mutationem. ibiq; nullas ſubit ipſa, diuerſarum naturarum commutationes, erit igitur quoad actum primum purior, & veriori modo habebit eſſe, quam in indiuiduis. Neque argumentum, quo nititur Niger, vllius eſt ponderis, nam ita ait: Natura eſt in indiuiduis intrinſece, & per identitatem, in intellectu vero extrinſece, & ſine huiuſmodi identitate: nam in intellectu tantum habet eſſe obiectiue ſed vbi natura eſt veriori modo, vbi eſt intrinſece, & per identitatem, ergo verius eſſe habebit in indiuiduis, quam in intellectu. Cui argumento dicimus aſſumptionem eſſe veram, de veritate naturæ quoad actum ſecundum, qui eſt ſe aliis communicare, falſam tamen de veritate quoad actum primum, qui eſt puritas naturæ. nam ita non eſt veriori modo, vbi habet eſſe per identitatem, ſed vbi cum paucioribus accidentibus permiſcetur, quod certe magis habet natura in intellectu, quam in indiuiduis. *Solut.*

6. concluſ. 6. concluſ. Si loquamur de veritate naturæ quoad actum ſecundum, qui eſt tribuere rationem, & denominationem per identitatem, verius eſſe habet illa in indiuiduis, quam in ſe, vel in intellectu. Confirmatur: Inprimis verius eſſe habere in indiuiduis, quam in ſe. Natura ſibi neque nomen, neque rationem communicat: nam communicatio eſt ad alterum, ergo ratione huius communicationis per identitatem verius eſſe habebit in indiuiduis, quibus communicatur, quam in ſe ipſa. Præterea verius eſſe habere in indiuiduis, quam in intellectu, fere eadem ratione confirmatur. Natura intellectui neque nomen, neque rationem communicat, vt roſa, quæ concipitur à mente, neq; nomen, neque rationem roſæ illi communicat. & hęc omnia communicat ſuis indiuiduis, ergo quoad actum ſecundum, natura verius eſſe habebit in indiuiduis, quam in intellectu.

Ad 1. arg. Ad argumenta ex his, quæ diximus, facilis eſt ſolutio. Ad primum iam reſpondimus in prima obſeruatione, in hac quæſtione nos nō agere de veritate propoſitionis, quæ tantum eſt in intellectu, ſed de veritate rei, quæ puritatem & permixtionem naturæ cum aliis accidentibus ſignificat.

Ad 2. Ad 2. reſpond. nos in hac quæſt. non diſputare de veritate tranſcendendi, ſed de ea vt ſignificat puritatem, & impermixtionem naturæ, qua ratione diximus illam verius eſſe habere quoad actum primum in ſe, quam in indiuiduis.

Digitized by Google

QVÆSTIO VIII.

An peremptis ſingularibus pereant naturæ vniuerſæ?

HAnc quæſtionem nonnulli proponunt in Categoriis in capit. de ſubſtantia, explicantes illa verba: Peremptis primis ſubſtantiis, nullus locus ſupereſt ſecundis. Libuit tamen cum aliis in hoc loco illam pertractare, & quia tota quæſtio dependet ex illa; num eſſentiæ rerum ſint perpetuæ, nec ne? nam ſi non fuerint, peremptis rebus ſingularibus, debent quoque naturæ vniuerſæ, quæ ſunt de eſſentia ſingularium, perire: ſi vero fuerint ad interitum ſingularium, nullo modo interibunt, propterea erit hæc quæſtio in hoc loco explicanda. Eſſe itaque perpetuas rerum eſſentias, his argumentis confirmo.

1. *Arg.* Primum: Ex communi illo dicto omnium Philoſophorum, quo vno ore profitentur, naturas vniuerſas liberas eſſe ab omni ortu & interitu, ab omni loci & temporis differentia, vt ab hic & nunc, ſemperq; & vbique eſſe, quod admittitur à D. Th. 1. *part. q. 46. art. 2.* quæ certe omnia æternitatem denotant.

2. *Arg.* 2. Scientiæ agunt de rebus perpetuis ex Ariſtotel. *6 Ethicorum, cap. 4.* & 1. *de demonſtrat. cap. 4.* ſed ſcientiæ agunt de rerum naturis, & eſſentiis, vt ſcientia de roſa, diſputat de illius eſſentia, nam explicat quænam attributa ſecundum eſſentiam illi conueniant, & quæ proprietates ab ipſa fluant, ergo rerum eſſentiæ erunt perpetuæ.

3. *Arg.* 3. Quæcunque continentur in categoriis, ſunt entia rei, ſed eſſentiæ rerum continentur in categoriis, antequam fiant, nam hæc ſeries attributorum, roſa eſt flos, eſt corpus, eſt ſubſtantia, antequam illa fiat, continetur in categoria ſubſtantiæ, ergo eſſentiæ, antequam fiant, erunt entia rei. Quare eſſentiæ rerum erunt perpetuæ.

4. *Arg.* 4. Quæ ſunt vnum, & idem, habent eandem entitatem, ſed natura vniuerſa, antequam producatur, & eadem, poſtquam eſt producta, eſt vna, & eadem, nam eadem eſt roſa, quæ in hyeme poteſt produci, & in vere eſt actu producta, ergo eſſentia naturæ vniuerſæ antequam producatur, & poſtquam eſt producta, eſt vna, & eadem, ſed non eſt eadem ſecundum exiſtentiam, quia nihil exiſtit, antequam fiat, ergo erit eadem ſecundum eſſentiam, ac proinde erit eſſentia rei vniuerſæ perpetua.

5. *Arg.* 5. Proprietas non poteſt eſſe ſine ſuo ſubiecto, niſi aliquod miraculum interueniat, ſed verum eſt proprietas entis, ergo non poterit eſſe ſine ente, atqui hæc propoſitio, homo eſt animal, eſt vera ab æterno, ergo & entitas hominis & animalis erunt ab æterno ſed non ſunt ab æterno, vt ens ſignificat exiſtentiam, ergo erunt vt ſignificat eſſentiam: quare eſſentiæ erunt ab æterno.

6. Obiectum potentiæ æternæ debet eſſe æternum, ſed potentia creandi in Deo eſt æterna, ergo obiectum illius erit æternum, at obiectum eſt creatura, & non eſt illa æterna ſecundum exiſtentiam, erit ergo æterna ſecundum eſſentiam. Confirmatur argumentum: Creatura antequam producatur, eſt producibilis, ſed omnis producibilitas fundatur in aliqua entitate, ergo antequã creatura producatur, habebit aliquam entitatem, quam cum non poſſit habere ſecundum exiſtentiam, habebit ſecundum eſſentiam. 6. *Arg.*

1. *Opin.* Propter hæc argumenta fuit vetus quorundam opinio, rerum eſſentias, naturaſque vniuerſas iuxta earum quidditatem eſſe perpetuas, in aliquo gradu entis præter Deum illaſque neque oriri, neque interire, ſed ſemper manere, quamuis omnia indiuidua intereãt. Hanc opinionem confirmabant argumentis propoſitis: Soncinas *9. Metaph. q. 4.* illam tribuit quibuſdam veteribus Thomiſtis. Niger vero *q. 1. part. 2.* Clypei Maironi in conflatu, & quibuſdam aliis Scotiſtis, & Capreol *in 2. diſt. 2. quæſt. 1.* Alberto Magno *in categoriis, cap. de ſubſtantia,* illam ſequutus fuit Scotus *in 1. diſt. 35. quæſtione vnica,* qui cum conſtituat quædam inſtantia naturæ, inquit, in primo Deum cognouiſſe eſſentiam ſuam, abſque vlla cognitione creaturarum, & in ſecundo cognouiſſe creaturas, illaſq; in quodam eſſe cognito, vel obiectiuo produxiſſe, quod eſſe non poteſt eſſe exiſtentiæ, hoc enim in tempore per creationem aſſequuntur, quare erit eſſe eſſentiæ, ac proinde iuxta Scot. eſſentiæ rerum erũt ab æterno, quamuis in eſſe quodam diminuto, & imperfecto, quia tale eſſe cognitum diminutum eſſe eſt, & imperfectum. Ex horum igitur opinione aperte ſequitur, peremptis ſingularibus remanere res vniuerſas ſecundum eſſentiam.

2. *Opin.* Plato non ſolum voluit, peremptis ſingularibus manere res vniuerſas ſecundum eſſentiam, ſed manere quoque ſecundum exiſtentiam: conſtituebat enim res vniuerſas eſſe ideas, ſecundum rem ab indiuiduis ſeparatas, quæ cum habeant eſſe fixum, & permanens, etiamſi omnia ſingularia euaneſcãt, remanebunt naturæ vniuerſæ, peremptis omnibus

Digitized by Google

ſingularibus Hanc eandem ſententiam, poſ ſe ſcilicet manere naturam vniuerſam ſine ſingularibus, docuit Georgius Venetus *Problemate 29. tomo* 1. ſi credimus Sixto Senenſi *libro 6. Bibliotheca ſancta, anno* 29. Nam opinatus fuit, in prima rerum conditione Deum produxiſſe naturam humanam ſpecificam, antequam indiuiduum aliquod eius produxiſſet, & deinde ex illa, tanquam ex quadam maſſa, omnia indiuidua effinxiſſe.

3. *Opin.* Eſt tamen tertia eaque veriſſima opinio, peremptis ſingularibus, nullo modo manere eſſentias, aut res vniuerſas, neque ſecundum eſſentiam, neque ſecundum exiſtentiam, ſed illis interemptis, illico, funditus, & omnino eſſentias euaneſcere, neque manere in aliquo gradu entis præter Deum, neque ab æterno in tali gradu fuiſſe. Hanc amplectuntur D. Tho 1 *p. q* 10. *art* 3. *ad* 3 & *de potentia, q. 3. art. 5. ad* 2. vbi hæc verba habet: Quidditas creati ante quam eſſe habeat, nihil eſt, niſi forte in intellectu creantis, vbi non eſt creatura, ſed creatrix natura, & eſſentia. Nihil, inquit, eſt, ante quam eſſe habeat in indiuiduis. Henricus *quodlib.* 11. *quaſt.* 1. aſſerit, res, antequam fiant, non eſſe actu ſecundum eſſentiam, ſed eſſe in potentia, vt ſint tam ſecundum eſſentiam, quam ſecundum exiſtentiam: idem Soncinas, Niger, & Capreol. in locis ſuperioribus; & ex recentioribus M. Bannes, & Cumel 1. *p. q.* 10 *art.* 3. Monlorius *in opuſculo de rebus vniuerſis, cap. vltim.* Vincentius Montanneſius *q* 13. *in commentariis in Porphyr.* & innumeri alii, quos non recenſeo

Duo breuit. obſeruand. Hanc igitur ſententiã vt explicemus, quam veriorem multo putamus, animaduertimus: Primo ex D. Thom. 1. *p. quaſt* 3 *art.* 4. *ad* 2. dari triplex eſſe vnum; quod ſignificat eſſentiam, alterum, quod denotat exiſtentiam, & tertium, quod veritatem exprimit propoſitionum. Illud etiam animaduertimus, eſſentiam rerum vniuerſarum ſumi poſſe, aut vt ſunt in facultate ſuarum cauſarum, maxime vero in facultate primæ cauſæ, in qua & virtute, tanquam effectus in cauſa, & exemplariter per ideas, & rationes rerum fiendarum, continentur.

1. *conclus.* 1. concluſ. Natura vniuerſæ, & eſſentiæ earundem, peremptis rebus ſingularibus adhuc remanẽt: primo in virtute ſuarum cauſarum: ſecundo in exemplaribus diuinis: & tertio in intellectu tam angelico, quam humano, ſecundum ſpeciem intellectilem, ſiue impreſſam, ſiue expreſſam. Primam partem remanere illas in virtute ſuarum cauſarum, confir. Quia quamuis in aliqua ſpecie omnia eius indiuidua pereant, & ex conſequenti tota natura ſpecifica euaneſcat, adhuc remanet in cauſis naturalibus vis quædam iterum alia indiuidua intra eandem ſpeciem producendi. Vt quamuis in hyeme omnes roſæ pereant, adhuc tamen remanet in planta facultas iterum producendi roſam. Secunda pars, remanere in exemplaribus mentis diuinæ, ſatis eſt aperta, cum in Deo ab æterno ſint exemplaria, in quibus rerum omnium naturæ repræſentantur. Et tandem vltima, remanere in intellectu angelico, & humano, per ſpeciem intellectilem, eſt etiam notiſſima. Quia quamuis omnia indiuidua alicuius naturæ pereant, adhuc ſuperſunt in his intellectibus ſpecies repræſentantes naturam vniuerſam, vel à rebus petitæ, vt ſunt illæ, quæ ſunt in intellectu humano, vel à natura congenitæ, vt ſunt aliæ, quæ in mente angelica continentur.

2. concluſ. Peremptis rebus ſingularibus pereunt res vniuerſæ ſecundum exiſtentiam. *2. conclus.* Hanc manifeſte profitetur Ariſtoteles *in categoriis, in capit. de ſubſtantia*, in quo loco ait, peremptis primis ſubſtantiis, funditus, & omnino perire ſecundas, nihilque loci generibus, & ſpeciebus remanere. Confirmaturque: Quæ habent exiſtentiam à ſingularibus, & in ſingularibus, non poſſunt exiſtere ſine ſingularibus, ſed naturæ vniuerſæ habent exiſtentiam à ſingularibus, & in ſingularibus, exiſtere enim tanquam eius, quod exiſtit, primo eſt ſingularium, & ſuppoſitorum, & deinde rerum vniuerſarum, vt dicebamus 2. *libro Tranſcendentium, capite* 4. ergo peremptis rebus ſingularibus, neceſſe eſt omnino perire res vniuerſas Vnde conſtat, inanem eſſe Georgii Veneti relatam opinionem, naturam humanam ſpecificam extitiſſe aliquo tempore ſine ſuis indiuiduis, cum ratione exiſtentiæ habeat ad indiuidua intimam habitudinem, & dependentiam, quare hoc erit infactibile, vt probatum eſt de rebus vniuerſis *ſupra in quaſtion.* 1. *concluſ.* 3. *huius ſectionis*.

3. concluſ. Naturæ vniuerſæ non ſunt perpetuæ ſecundum eſſentiam poſitiue, vnde neque fuerunt ab æterno in aliquo gradu entis ſecundum eſſentiam extra Deum, neque *3. conclus.* remanent peremptis ſingularibus, ſed funditus, & omnino euaneſcunt, & vt verbis vtar D. Tho nihil ſunt, ſi ſingularia pereant. Hæc eſt contra Scotum & alios auctores, quos in prima opinione propoſuimus: illam tamen profitentur grauiſſimi viri, quos in tertia recenſui-

cenſuimus. Confirmatur primo: Quicquid eſt præter Deum, dependet ab ipſo, tanquam à primo efficiente, vt docet Ariſtoteles 12. *Met. cap. Vltim.* & indicant illa verba Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Tum etiam, quia quæ ſunt per participationem in aliquo genere, dependent à primo, & ab eo, quod eſt per eſſentiam in ipſo, Deus autẽ in genere entis eſt primum ens, & per eſſentiam: creaturæ vero ſunt entia per participationem, ſed quidquid dependet a Deo, tanquam à primo efficiente, eſt ab eo creatum, ergo rerum eſſentiæ erunt ab illo creatæ, ſed iuxta fidem nihil creatum eſt ab æterno, ergo rerum eſſentiæ non erunt ab æterno. Secundo: Quæcunque conſeruantur à Deo, ſunt ab eodem creata, ſed Deus conſeruat tam eſſentias quam exiſtentias rerum ergo tam eſſentiæ, quam exiſtentiæ erunt ab ipſo creatæ: quare cum nihil creatum ſit æternum, neque eſſentiæ erunt ab æterno. Tertio: Si rerum eſſentiæ eſſent perpetuæ, nihil poſſet à Deo creari, hoc autem eſt abſurdum, ergo. Confirmatur propoſitio: Creatio eſt productio totius entis iuxta omnes illius gradus, at ſi eſſentia (verbi gratia) roſæ eſſet perpetua, quando Deus produceret illam, non crearet eam ſecundum omnes illius gradus, quia non crearet eſſentiam, quæ eſt æterna, ſi igitur rerum eſſentiæ eſſent perpetuæ; nihil poſſet creari à Deo. Præterea ſi naturæ vniuerſæ eſſent æternæ, cum humanitas ſit natura hominis, humanitas quoque erit æterna, ſed illa conſtat ex corpore, & anima, ergo corpus & anima erunt æterna, hoc autem falſum eſt, & repugnans Concilio Lateranenſi *in c. firmiter, de ſumma Trinit.* vbi diffinitum eſt, vtramque creaturam corpoream, & ſpiritualem, non ab æterno, ſed in principio temporis à Deo conditam eſſe, ergo naturæ vniuerſæ non erunt æternæ. Legenda ſunt alia argumenta apud Soncin. & Nigrum *Vbi ſupr.*

4. concluſ. 4. concluſ. Naturæ vniuerſæ ſunt perpetuæ negatiue. Hanc profitetur D. Thomas 1. *part. quæſt. 16. art. 7. ad 2.* & Caietan. 1. *lib. de demonſtrat. cap. 9.* quæ confirmatur primo: Illud, quod eſt incorruptibile negatiue, eſt quoque perpetuum negatiue, ſed naturæ vniuerſæ ſunt incorruptibiles negatiue, ergo erunt perpetuæ quoque negatiue. Propoſitio eſt aperta, nam corruptibile & perpetuum nomina ſunt ſynonyma. Confirmatur aſſumptio: Illud, quod ex ſe non habet aliquod principium, quo corrumpatur, eſt incorruptibile negatiue, quia negat à ſe omne principium corruptionis & interitus, ſed naturę vniuerſæ ex ſe non habent aliquod principium corruptionis: quia hæc principia ſunt ſingularia, vnde tantum experimur ſingularia oriri & interire, eo quod ipſis inſint principia interitus, omniſque corruptionis, naturæ vero vniuerſæ à ſe excludunt principia ſingularia, ergo erunt perpetuæ negatiue. Præterea ratione loci, & temporis idem confirmatur. Hæ naturæ non vendicant ſibi certum aliquod & diffinitum tempus, cum in diuerſis temporibus reperiantur, neque certum aliquem & diffinitum locum, ergo erunt æternæ, & vbique negatiue. Confirmatur hoc argumentum. Ex eo diximus in ſuperioribus, naturam eſſe vnam negatiue quia non eſt appropriata alicui indiuiduo, ſed natura vniuerſa non appropriat ſibi certam aliquam temporis, & loci differentiam, ergo erit perpetua negatiue: Itaque hæ naturæ de facto oriuntur, & intereunt ad ortum & interitum indiuiduorum, tamen quia in ſe non includunt principium aliquod interitus, & non appropriant ſibi certam aliquam temporis, vel loci differentiam, dicentur perpetuæ negatiue. Quod ſi quis dicat, indiuidua ſunt perpetua ſucceſſione, ergo & naturæ vniuerſæ erunt eadem ratione ſucceſſione perpetuæ poſitiue. Reſpond. falſum eſſe antecedens, nam iuxta fidem ſucceſſio indiuiduorum, & ortum habuit in tempore, & aliquando etiā finem habitura.

Iam ad argumenta: ad 1. reſpond. illud tantum confirmare eſſe naturas vniuerſas perpetuas negatiue, quia ſcilicet non appropriant ſibi aliquam temporis, vel loci differentiam, non tamen eſſe perpetuas poſitiue, quod ſcilicet nunquam principium habuerint, neq; ſint vnquam finem habituræ. Ad 1. arg.

Ad 2. reſpondemus, eodem modo ſcientias eſſe de rebus perpetuis non poſitiue, ſed negatiue. Vel eſſe de rebus perpetuis per ſe, corruptibilibus tamen per accidens, nam res vniuerſæ per ſe incorruptibiles ſunt, cum non habeant ex ſua natura principium aliquod intrinſecum corruptionis, ſunt tamen corruptibiles per accidens, ad corruptionem ſcilicet indiuiduorum. Hæc ſolutio eſt D. Thom. *quæſt. 1. de Veritate art. 5. ad 15.* Legenda eſt alia ſolutio in D. Thoma in hoc loco, ex mente Ariſt. & Auicennæ propoſita. Ad 2.

Ad 3. reſpond. diſtinguendam eſſe aſſumptionem, quia vel intelligitur de actu, vel de poteſtate. Si primo modo intelligatur, eſt neganda, nam antequam producantur, eſt penitus nihil in ſe, vt ex D. Tho. diximus *quæſt. 3. d. po-* Ad 3.

tentia, quæſt. 3. articulo 5. ad 2. ſi vero intelligatur ſecundum poteſtatem, vera eſt, & admittenda aſſumptio, ex tertum illa poteſtas, non ſignificat aliquam entitatem in ſe, & præter Deum, ſed dicitur eſſe poteſtate in categoriis, per potentiam extrinſecam, ſcilicet per diuinam, quia potuit Deus ab æterno producere has naturas intra limites proprios ſuæ categoriæ. Vel continentur, antequam exiſtant in categoriis, ratione exemplarium diuinorum: non erunt itaque hæ naturæ in categoriis, antequā fiant formaliter, ſed repræſentatiue, quia repræſentāt huiuſmodi exemplaria has naturas eſſe in categoriis: vnde illa ſeries propoſita in argumento eſt æterna non in ſe, ſed in exemplaribus mentis diuinæ, vt in quæſtione ſequenti explicabimus.

Ad 4. Ad 4. diſtinguimus propoſitionem, quia aut illa ſunt vnum & idem poſitiue, aut negatiue. Si poſitiue, vera eſt propoſitio, nam in Petro corpus, & anima ex eo habent eandem entitatem, quia in ipſo ſunt vnum poſitiue, neganda tamen eſt aſſumptio. Etenim natura, antequam fiat, & poſtquam eſt effecta, non ſunt vnum poſitiue, ſed negatiue, quia ſc. non ſunt duæ naturæ, non autem, quod habeant eandem entitatem, natura enim, antequā fiat, cum nō ſit, quam rogo entitatem poterit habere? Si vero intelligatur propoſitio de vnitate negatiua, falſa eſt, & neganda, nam materia prima eſt vna, & eadem in omnibus, quæ oriuntur, & intereunt, negatiue, quæ tamen non habet in omnib. eandem entitatem: nam aliam entitatem habet in homine, & aliam in equo.

Ad 5. Ad 5. admittimus dari ab æterno entitatem, in qua fundetur veritas æterna illius propoſitionis, homo eſt animal, verum hæc entitas non eſt creata extra Deum, ſed entitas exemplarium diuinarum, quæ repræſentat in ſe, neceſſariam connexionem & perpetuam inter hominem & animal. Verum de hac re in quæſtione ſequenti.

Ad 6. Ad 6. reſpond. Obiectum potentiæ æternæ eſſe æternum, non actu, ſed poteſtate, id eſt, eſſe poſſibile, vt illud fiat, non per poſſibilitatem in ſe, ſed per poſſibilitatem vel potentiam actiuam, quæ ſit in alio, ſcilicet per potentiam actiuam, quæ eſt in Deo, vnde creaturæ ſunt producibiles ab æterno, non per aliquam potentiam in ſe, ſed quia poſſunt à Deo produci. Legendus eſt de his ſolutionibus Soncinas *9. Metaph. quæſt. 3. & 4.*

QVÆSTIO IX.

An peremptis ſingularibus, pereant res vniuerſæ, quoad veritatem enuntiationum.

QVod quærimus, eſt, dentur ne aliquæ propoſitiones perpetuæ veritatis, ita vt quamuis omnia indiuidua intereant, ſint illæ ſemper veræ, vt an hæc enuntiatio, roſa eſt flos, fuerit ſemper vera, & ſit ſemper futura, etiamſi omnia indiuidua roſæ intereant, & idem rogamus de illis enuntiationibus, in quibus attributum eſt de eſſentia ſubiecti, an ſint illæ perpetuæ veritatis. Partem negantem ita ſuadeo.

Primo: Ex eo, quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio, vera vel falſa. ex Ariſt. *in categor. cap. de ſubſtantia, & in poſt-categoriis, cap. 9.* ſed neque ſecundum eſſentiam, neque ſecundum exiſtentiā ſunt ab æterno, vt conſtat ex quæſt. ſuperiori, ergo nulla erit propoſitio perpetuæ veritatis. *1. Arg.*

2. Si hæc propoſitio, v. g. roſa eſt flos, eſſet perpetuæ veritatis, eſſet propter connexionem neceſſariam extremorum, quia hæc extrema abſolute neceſſario, & perpetuo inter ſe vniuntur, atqui hæc ratio nulla eſt. Primo, quia connexio non poteſt eſſe ſine extremis connexis, ergo ſi illa eſt æterna, & extrema connexa erunt æterna, ſed ab æterno, neque fuit roſa, neque flos, ergo connexio non fuit ab æterno. Secundo: Vel hæc connexio eſt aliquid ab æterno, vel nihil, ſi aliquid, ergo dabitur aliquid æternum præter Deum, ſi vero nihil, ergo nō erit æternæ veritatis, nam quod eſt nihil, non poteſt eſſe verum. *2. Arg.*

3. In omni propoſitione verbum debet eſſe indicantis modi, & temporis præſentis, vt docent omnes Dialectici, *1. de interpretation.* agentes de verbo, & oratione, ergo in hac propoſitione linea eſt quantitas, in qua attributum eſt de eſſentia ſubiecti, verbum, eſt, erit indicantis modi, & temporis præſentis, ſed quod ſignificat cum tempore præſenti, non poteſt ſignificare veritatem ab æterno, ergo hæc propoſitio, & aliæ eſſentiales non erunt veræ ab æterno. *3. Arg.*

4. Ariſtoteles *2. de interpretat. cap. 2.* inquit, hanc conſequentiam non eſſe optimam, Socrates eſt homo mortuus, ergo Socrates eſt homo: quia eſſe mortuum repugnat homini, ſed hæc enuntiatio, Socrates eſt homo, eſt eſſentialis, ergo mortuo, vel non exiſtente Socrate, illa erit falſa, & ex conſequenti non erit perpetuæ veritatis. *4. Arg.*

Ad hæc: Huiuſmodi enuntiatio, homo eſt *5. Arg.*

viuens,

Digitized by Google

viuens, eſt eſſentialis, ſed illa non eſt æternæ veritatis, ergo enunciationes eſſentiales, non erũt æternæ veritatis Confi. aſſumpt. Primo, quia in omni viuente, anima eſt corpori vnita, ſed in homini non fuit ab æterno anima vnita corpori, ergo non fuit viuens ab æterno. Secundo: Viuens opponitur mortuo, ſed homo aliquando eſt mortuus, ergo non eſt ſemper, & ab æterno viuens.

6. Arg. Sexto, Hęc enunciatio, Chriſtus eſt homo, eſt eſſentialis, at hæc non eſt perpetuæ veritatis, ergo enuntiationes eſſentiales non erunt perpetuæ veritatis. Confirm. aſſumpt. In triduo mortis Chriſtus non fuit homo, vt docent omnes Theologi in *3. diſt.* 22. & D. Tho. *3. part q. 50. art.* 4. ergo in illo triduo hæc propoſitio non erat vera, Chriſtus eſt homo, ac proinde hæc propoſitio non erit æternæ veritatis, cum aliquando non fuerit vera.

Multorum opinio. In hac quæſt. multi exiſtimant has enuntiationes de quibus agimus in quæſtione, nõ eſſe æternæ veritatis actu, ſed ſola poteſtate, vnde tantum erunt veræ quando res exiſtent, quibus non exiſtentibus ſola poteſtate erunt illæ veræ, quia ſcil. poſſunt res ſignificatæ per ipſas exiſtere. Itaque hæc enuntiatio roſa eſt flos, non fuit ab æterno vero actu, ſed ſola poteſtate, eo quod potuit exiſtere roſa per hanc propoſitionem ſignificata, & illa euaneſcente in hyeme, tantum erit vera poteſtate, vel data hypotheſi, quod aliquando ſit ſecundum actualem exiſtentiam, ipſa futura. Amplectitur hanc opinionem D. Bonauentura in *3. diſtinct.* 22. *quæſt. 1.* in quo loco cum proponeret tres gradus enuntiationum, inquit, in ſecundo gradu contineri illas propoſitiones, quæ ſunt veræ ſolà poteſtate, vt eſt hæc propoſitio roſa eſt flos, quæ tantum (inquit) eſt vera, quando roſa exiſtit. Gabriel *in eod. 3. diſtinct. 22. quæſt. vnica*, ſequitur hanc eandem opinionem, idem aſſerunt Herueus *quodlib. 1. quæſt. 10.* & Ocham. *quodlib. 4 quæſt.* 37. Zumel. *1. part. quæſtio. 10. artic. 3 quæſt. vnica, concluſio. 2.* inquit, ſibi aliquando contrariam opinionem placuiſſe, ſcilicet has propoſitiones actu eſſe ab æterno veras, re tamen melius inſpecta, mutaſſe ſententiam, & non ſatis ſibi probabile videri dari propoſitiones æternæ veritatis. Vtitur ad hanc opinionem ſuadendam duobus argumentis à nobis in principio huius quæſtionis effectis.

Aliorum opinio & verior. Eſſe tamen has propoſitiones æternæ, perennis & firmiſſimæ veritatis, in quibus attributum eſt de eſſentia ſubiecti, ſiue res exiſtant, ſiue non exiſtant, docent percelebres Philoſophi, D. Thom. *1. part quæſt 10 artic 3. ad 3.* Diuus Albertus Magnus *in libello de cauſis cap.* 8. qui pro hac opinione citat Arabes, Auicennam, Algazelem, & Alpharabium, & *in poſt categorias cap. 9.* Capreolus *in 1. diſtinctio. 8. quæſt. 1 concluſ. 1.* Soncinas *9. Metaphyſ. quæſt. 5.* Niger *1. part clypei quæſtio. 48.* M. Soto *2 libr. Sũmularum, cap. 2. & 10.* M. Bannes *1. part. quæſtio. 10. art. 3.* M. Vincentius Iuſtinianus *in ſuis inſtitutionibus Dialecticis, lib. 7 cap. 8* & Caietanus acutiſſimus *1. libr. de demonſtratione cap. 9.* Accedit etiam pro hac opinione teſtimoniũ Iulii Scaligeri Philoſophi meo iudicio eruditiſſimi, qui primo libro de plantis ita loquitur.

Duę ſunt ergo quæſtiones quas ſubiiciam, vna eſt, an ſublatis omnibus hominis indiuiduis, hominis remaneat ſpecies. Negandum eſt. Altera an ſublatis omnibus animalibus vera ſit hæc, homo eſt animal. Vera Non enim poteſt fieri, vt homo non ſit animal Et hæc eadem opinio ſemper nobis placuit, magiſque nunc placet, quam licet expoſuerimus 4 *lib. Tranſcendentium cap.* 11. nunc tamen erit illa luculentius multo explicanda, quod vt rectius efficere poſſimus, erunt nonnulla prius animaduertenda.

Primum eſt: Veritatis eſſentiam in adęquatione ad intellectum eſſe conſtitutam, vnde veritas nihil aliud erit, quam adęquatio rei ad intellectum, vt in *lib. 4. Tranſcendentium c.* 1. expoſuimus. *1. obſeruati*

2. Obſeru. Annotandum eſt etiam, in hac quæſt. tantum inſtitui diſputationem de veritate propoſitionis, & non de veritate tranſcendenti nam hæc, cum ſit proprietas entis, non fuit ab æterno, quemadmodum neque aliquod ens (præter Deum) fuit ab æterno. Altera vero ſumi poteſt, vel formaliter, vel fundamentaliter, formaliter eſt tantum in intellectu, nã ſignificat veram rei comprehenſionem, vt ſcilicet, ita ab intellectu res comprehẽdatur, quo eſt à parte rei, quæ ſecundum formam in ſolo intellectu poteſt reperiri: vnde hæc veritas tantum eſt æterna in intellectu æterno, quare reſpectu intellectus creati, non poterit eſſe formaliter æterna. Fundamentaliter vero eſt in rebus ipſis, nam ex eo quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, vt ſæpe repetit Ariſt.

3. Obſeru. Sciendum eſt iterum hanc veritatem fundamentalem, vel ratione rei ſignificatæ conſtitutam eſſe in habitudine, & connexione extremorum, vt docet Ariſtotel. *9. Metaphyſ. cap. vltimo*, quæ certe connexio in identi-

tate ſubiecti cum attributo fundatur, vel eſſentiali, quando attributum eſt de eſſentia ſubiecti, vel accidentaria quando attributum eſt accidens illius, vt hæc attributio, homo eſt animal, innititur connexioni eſſentiali, quia animal eſt de eſſentia hominis, hæc vero altera, homo eſt capax diſciplinæ, innititur connexioni accidentariæ, quia capacitas diſciplinæ eſt accidens hominis. Præterea hæc identitas duplex eſt, vna poſitiua, & altera negatiua, poſitiua eſt vnitas duarum entitatum, quarum vna eſt de eſſentia alterius, ſi fuerit identitas eſſentialis, vel quarum vna accidit alteri, ſi fuerit accidentaria. Negatiua vero eſt negatio diuerſitatis inter aliqua extrema, vel non diuerſitas inter illa, vt inter hominem & animal datur identitas negatiua præter aliam poſitiuam, quia non habent naturam diuerſam. Intercedit autem inter has duas identitates diſcrimen, quia poſitiua tunc eſt quando extrema exiſtunt à parte rei, vt tunc homo, & animal ſunt idem eſſentiale, & poſitiua identitate, quando exiſtunt à parte rei. Negatiua vero tunc erit, quando non erunt extrema negata, nam ſequitur legem aliarum negationum, quæ tunc temporis eſſe dicuntur, quando abſunt formæ contrariæ, vt tunc homo dicitur non videns, quando abeſt ab illo facultas videndi, quare ſi extrema negata abfuerint ab æterno, vel impoſſibile ſit, quod illa aliquando vniantur, hæc identitas negatiua ab æterno quoque erit, ac proinde identitas negatiua inter hominem & animal, erit ab æterno quia diuerſitas eſſentialis, quam negat, neque eſt, neque fuit, neque vnquam erit cum impoſſibile ſit ipſam eſſe.

conclusio. His animaduerſis ſit prima concluſio Illæ enunciationes, in quibus attributum eſt de eſſentia ſubiecti, vt ſunt omnes illæ, quæ ſunt in primo modo dicendi per ſe, ſunt æternæ veritatis, ita vt earum veritas, neque incepit aliquando, neque vnquam erit finem habitura. Confirm. primo ex Diuo Auguſtino, qui variis in locis illam profitetur 2. *lib. de libero arbitrio cap.* 8. ait, hanc enuntiationem, tria & ſeptem, ſunt decem, ſemper fuiſſe, & futuram eſſe veram. 4 *de gener. ad literam*
1. Arg. *cap.* 7. ait ſenarium eſſe numerum ſuis partibus abſolutum, etiam ſi mundus nunquam eſſet futurus, faciliuſque multo poſſe cœlum, & terram perire, quam ſenarium non eſſe numerum ſuis partibus abſolutum, & 2. *lib. ſoliloquiorum ſtatuit*, dari quaſdam enunciationes ita veras, vt etiam ſi tota mundi moles conciderer, ſemper tamen ipſæ veræ permanerent, vt eſt hæc enunciatio, veritas eſt. Idem aſſerit Diuus Anſelm. *in dialogo de Veritate, & in Monologion cap.* 18. vt quilibet, qui hæc loca legerit poterit intelligere, in his ſiquidem locis, nihil aliud inſtituit docere, quam harum enunciationum veritatem, ita eſſe perpetuam, & conſtantem, vt neque initium aliquod habuerit, neque finem ſit vnquam habitura. Accedit etiam auctoritas Porphyr. *in cap. de communitatibus & differentiis generis, & differentiæ*, vbi profitetur ſublatis è medio participibus, & expertib. rationis, adhuc poſſe intelligi, hominem eſſe animal, non ergo dependet veritas huius propoſ. ex rerum exiſtentia.

Secundo confirmatur eadem concl. Hæ enunciationes, homo eſt animal, roſa eſt flos, & triangulum eſt figura, vel ſunt veræ ab æterno, vel non ſunt veræ, ſi fuerint veræ, igitur dantur ab æterno aliquæ enunciationes veræ Si vero non fuerint, ergo verum erit dicere has enunciationes non eſſe veras, quare dabitur iam aliqua enunciatio ab æterno vera, hæc ſc. quæ indicat huiuſmodi propoſitiones recenſitas non eſſe veras. 2. Arg.

Tertio: Ex duabus enunciationibus contradicentibus, ſiue res exiſtat, ſiue non exiſtat, ſemper vna eſt vera, & altera eſt falſa, vt auctor eſt Ariſtoteles in poſt categoriis. *cap. de contrariis*; ſed hæ duæ enuntiationes ſunt contradicentes, omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal, ergo ex his etiam homine pereunte, & non exiſtente, vna erit vera, & altera falſa. Si aiens fuerit vera, iam ergo veritas enuntiationis non dependebit ab exiſtentia rerum, & ita erit perpetuo vera. Si fuerit falſa, & negans vera, ergo hæc etiam erit vera, aliquis homo non eſt animal particeps rationis, nam quod non eſt animal, neque eſt animal particeps rationis, & rurſus hæc quoque erit vera, aliquis homo non eſt homo, etenim à quo negatur diffinitio negatur quoque diffinitum: quare ſi ab aliquo homine negamus eſſe animal particeps rationis, ab eodem quoque negabimus eſſe hominem, cũ igitur hæc omnia ſint abſurdiſſima, veritas huius enuntiationis, homo eſt animal conſtans erit, atq; perpetua. 3. argum.

Quarto: Propoſitiones neceſſariæ ſunt ſemper veræ: ex eo enim ſeparantur propoſitiones neceſſariæ à contingentibus, quod contingentes aliquando poſſunt eſſe veræ, aliquando falſæ, neceſſariæ vero ſemper ſunt veræ, quia ſemper eodem modo ſeſe habent, 4. Arg.

ſed

ſed illæ propoſitiones, in quibus attributum eſt de eſſentia ſubiecti, ſunt neceſſariæ, vt auctor eſt Ariſtoteles 1. *de demonſtratio. cap.* 6. ergo erunt illæ ſemper veræ. Confirmatur hæc ratio. Propoſitiones ex quibus conflatur demonſtratio ſunt infallibiles, & ſemper veræ, quia demonſtratio verſatur in rebus perpetuis, & infallibilis veritatis, vt profitetur Ariſtotel. 1. *lib. de demonſtrat. cap.* 7 ſed demonſtratio conflatur ex propoſitionibus, in quibus attributum eſt de eſſentia ſubiecti, ex his ſcilicet, quæ ſunt in primo modo dicendi per ſe, ergo erit illa perpetuæ veritatis. Quod ſi cum aduerſariis dicas has enuntiationes eſſe ſemper veras, non actu, ſed poteſtate, quando ſcilicet res exiſtent, neque argumentum effectum aliquid aliud concludere. Contra ita argumentor. Si hoc ita eſſet, ſequeretur has enuntiationes eſſe contingentes, & non neceſſarias; quia exiſtentia competit omnibus creaturis contingenter, cum illæ aliquando exiſtant, & aliquando non exiſtant; et qui hoc eſt omnino falſum, vt neque etiam iidem aduerſarii diffitebuntur, ergo falſum quoque erit, illas eſſe veras ſola poteſtate, quando ſcil. naturæ ſignificatæ nominibus ſubiecti, & attributi exiſtent.

5. argum. Ad extremum: Omnis propoſitio hypothetica, quæ ſemper eſt vera, obtinet aliquam ſimplicem, vel categoricam, cui innitatur, ſemper veram. Quemadmodum hæc propoſitio hypothetica, ſi homo volat habet alas, quæ ſemper eſt vera, innititur huic categoricæ ſemper veræ, omne quod volat habet alas, ſed hæc propoſitio hypothetica, ſi homo eſt, animal eſt, eſt ſemper vera: cum conſequens ipſius, ſequatur neceſſario, & intrinſece ad antecedens, animal enim, quod eſt conſequens, conſequitur intrinſece ad hominem, ergo innitetur alicui categoricæ ſemper veræ; atqui nulla alia poteſt eſſe cui innitatur, niſi hæc, omnis homo eſt animal, erit igitur hæc propoſitio perpetuæ veritatis, & ita erunt aliquæ propoſitiones ſemper veræ.

Supereſt tamen explicemus qua ratione hæ propoſitiones ſint æternæ veritatis; nam cum ſumi poſſint, vel vt commenſurantur alicui intellectui, vel ratione rei quam ſignificant, inueſtigandum adhuc ſupereſt, num vtroque modo, vel altero tantum, ſint ab æterno veræ. Hoc igitur his concluſionibus explicamus.

1. concluſio. Hæ propoſitiones tantum ſunt formaliter æternæ veritatis, vt ſunt intellectui diuino commenſuratæ Haec D. Thom. 1. *part. q.* 10. *art.* 3. *ad* 3 *q.* 16. *art.* 7. *&* *q.* 1 *de veri. art.* 2. Alex. Alenſ. 1. *p. q.* 15. *membr.* 7. Ægidius in 1 *diſt.* 19. *q.* 12 & M. Bannes 1 *p. q.* 10. *art.* 3. *concl.* 3. quæ confirmatur apertiſſimo argumento Hæ propoſitiones ſunt formaliter veræ, vt ſunt in intellectu, ſed nullus alius intellectus (præter diuinum) fuit ab æterno, ergo illæ tantum erunt formaliter veræ, vt ſunt in intellectu diuino

Ad arg. Contra tamen dicet aliquis. Si hæ propoſitiones tantum ſunt veræ formaliter, vt ſunt in intellectu diuino, ergo & propoſitiones contingentes, vt hæc, Thomas eſt ſapiens, erunt quoque formaliter veræ ab æterno, quia ab æterno ſunt in intellectu diuino, atque ita nullum erit diſcrimen inter enuntiationes contingentes & neceſſarias. Huic reſpond. *Solutio.* admittentes reſpectu intellectus diuini veraſque & neceſſarias, & contingentes enuntiationes eſſe æternas, & in hac re nullum eſſe diſcrimen inter illas. Eſſe tamen ratione rei ſignificatæ latum diſcrimen, quia extrema ſignificata per enuntiationem neceſſariam, inter ſe ſunt ab æterno connexa, ſaltim negatiue. vt ſtatim explicabimus, alia vero ſignificata per contingentem, non ſunt ab æterno cōnexa, cum poſſint, vel potuerint non connecti. Et hoc eſt, quod dicebamus ſub aliis vocibus 4. *transcendentium, cap.* 11. eſſe diſcrimen inter hæc duo genera enuntiationum, quoad veritatem intrinſecam, quæ neceſſario eſt haurienda ex intrinſeca, & neceſſaria habitudine terminorum, quia in contingentibus enuntiationibus, termini non habent eſſentialem & intrinſecam connexionem inter ſe, vt in enuntiatione propoſita Thomas, & ſapientia, non connectuntur neceſſario & eſſentialiter, at in neceſſariis, termini neceſſario, & eſſentialiter inter ſe connectuntur, vt in hac enuntiatione, homo eſt animal, homo, & animal neceſſario, & eſſentialiter inter ſe connectuntur. Quamuis igitur, quoad veritatem extrinſecam, quæ petitur ex eo quod propoſitio eſt in hoc, vel illo intellectu diuino, vel humano, hæ enuntiationes non differant, ſed ſint æternæ in intellectu diuino, differunt tamen quoad veritatem intrinſecam, quæ in eſſentialibus eſt perpetua, non autem in contingentibus.

Tertia concl. Si agimus de iis enuntiationibus ratione rei ſignificatæ, non ſunt illæ æternæ veritatis poſitiue, i. e. ſubiecta & attributa ſignificata per has enuntiationes, neque *3. concluſ.*

ſunt

Digitized by Google

ſunt vnita, neque ſunt eadem ab æterno poſitiue, vt homo, & animal, ex quibus homo eſt ſubiectum, animal vero attributum huius enuntiationis, homo eſt animal, ſuntque naturæ ſignificatæ per illam, non ſunt idem ab æterno poſitiue. Confirmatur. Quia ſi eſſent idem vel eſſent idem ſecundum eſſentiam vel ſecundum exiſtentiam, at nullo ex his modis poſſunt eſſe idem: non ſecũdum exiſtentiam, cum neque homo, neque animal extiterint ab æterno. neque ſecundum eſſentiam, quia vt probatum eſt in quæſt ſuperiori, rerum eſſentiæ non æternæ, in aliquo gradu entis extra Deum, ergo homo & animal non erunt idem ab æterno poſitiue. Præterea idemptitas eſt proprietas entis, ſed homo, & animal, neque ſecundum eſſentiam, neque ſecũdum exiſtentiam, fuerunt ab æterno entia poſitiua cum in ſe nullo modo fuerint, ergo neq; fuerunt ab æterno idem poſitiue.

4. concluſ. Quarta concluſio. Eædem enunciationes ratione rei ſignificatæ ſunt veræ ab æterno negatiue, id eſt, extrema per has enuntiationes ſignificata non extiterunt ab æterno diuerſa, vt in eodem exemplo homo, & animal non habuerunt ab æterno quo inter ſe differant. Confirm. Illa propoſitio dicitur vera negatiue, quæ ſignificat non diuerſitatem, vel non diſtinctionem extremorum, ergo illa enuntiatio erit vera ab æterno negatiue, quæ ſignificabit extrema non diuerſa, vel non diſtincta ab æterno; ſed omnes enuntiationes, quę ſunt in primo modo dicendi per ſe, ſignificant non diuerſitatem, vel non diſtinctionem extremorum ab æterno, etenim in illis extrema ab æterno, neque fuerunt, neque eſſe potuerunt diuerſa, ergo hæ enuntiationes erunt veræ ab æterno negatiue. Et idem aſſerimus de aliis in quibus proprietates quarto modo prædicantur de ſuis ſubiectis, quæ ſiunt in ſecundo modo dicendi per ſe, illas ſcilicet eſſe æternæ veritatis negatiue, vel quod idem eſt idemptitate negatiua, non tamen eſſe æternas poſitiue vel idemptitate poſitiua.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta, quæ initio propoſuimus ad primum reſpon. Ariſt. intelligendum eſſe de eſſe, quod ſignificat veritatem fundamentalem, vel connexionem aut idemptitatem inter ſubiectum & attributum: itaque ex eo oratio dicitur vera vel falſa, quia inter ſubiectum & attributum illius, datur idemptitas, aliquando poſitiua, quando extrema exiſtunt à parte rei, & aliquando negatiua, quã do non exiſtunt à parte rei, quare hæ enuntiationes ſunt ab æterno veræ, ſecundum idemptitatem negatiuam, & in tempore (quando extrema exiſtunt) ſecundum idemptitatem poſitiuam.

Ad ſecundum admittimus propoſitionem & negamus aſſumptionem, & ad primam illius confirmationem reſp. connexionem ſecundum idemptitatem poſitiuam, non poſſe eſſe ſine extremis connexis, quia hęc idemptitas ſupponit realem exiſtentiam extremorum. connexionem vero ſecundum idemptitatem negatiuam, poſſe eſſe ſine extremis connexis, quia hæc (vt diximus) neque ſupponit, neque requirit realem exiſtentiam extremorum, ſed innititur ſoli negationi diuerſitatis inter illa extrema, quæ profecto negatio, non requirit, quod extrema ſint, ſed quod non ſit diuerſitas, aut exiſtat ſecundum realem exiſtentiam inter illa, vt in eodem exemplo ſæpe propoſito, idemptitas negatiua inter hominem, & animal, non requirit, vt ſint homo, & animal, ſed vt non exiſtat à parte rei, realis diuerſitas, inter huiuſmodi extrema, per quam negationem diuerſitatis, dicuntur eſſe idem ab æterno negatiue. Ad ſecundam confirmationem reſpond. hanc connexionem vt ſignificat connexionem extremorum negatiuam, eſſe æternam, vt autem ſignificat idemptitatem poſitiuam, eſſe in tempore, quare admittimus libenter, aliquid præter Deum negatiue eſſe ab æterno, quod certe admittere non tantum nullum eſt incommodum, verum etiam eſt omnino neceſſarium, cum enim ad non exiſtentiam contrariæ formæ vel habitus, debeat neceſſario ſequi negatio illius formæ, vt ad non exiſtentiam viſus, in homine, neceſſario ſequitur negatio viſus in eodem, & diuerſitas eſſentialis, inter hæc extrema, neque extiterit, neque eſſe potuerit ab æterno, propterea negatio diuerſitatis inter illa, debet eſſe æterna. Et certe inter attributa diuina datur ab æterno hæc negatio diuerſitatis, non ob aliam cauſſam, niſi quia diuerſitas neque eſt, neque eſſe potuit ab æterno inter illa, quare cum inter alia attributa, & ſubiecta eſſentialia, neque ſit, neque eſſe potuerit diuerſitas ab æterno, neceſſario debet eſſe ab æterno hæc negatio diuerſitatis, inter illa. Quam ſolutionem ſi animaduertiſſet Zumel, propter hoc argumentum, non deſeruiſſet in loco ſuperiori veram, communemque de æternitate propoſitionum opinionem. Ad 2.

Ad 3. Ad 3. reſpon. cum Soto *lib. 2. Sumulariũ in cap. de verbo, & de ſuppoſitione*, in hac, & in

aliis

Digitized by Google

aliis huius generis enunciationibus, verbum non ſignificare cum tempore, ſed abſtrahere ab omni differentia temporis, tantumq; deſignare connexionem interuenientem, inter ſubiectum, & attributum. Et hoc eſt quod docebant veteres Dialectici, in his enunciationibus, verbum eſt, abſolui à tempore, id eſt, impediri ab extremis, ne aliquam differentiam temporis ſignificet. Itaq. verbum ex ſe cum aliqua differentia temporis ſignificat, impeditur tamen aliquando illius ſignificatio, ex neceſſaria connexione, attributi cum ſubiecto, ne vllam differentiam temporis ſignificet.

Ad 4. Ad 4. reſpond. aliud eſſe loqui de rectitudine conſequentiæ, & aliud de veritate conſequentis, quia ſi de rectitudine loquamur, illa conſequentia nulla eſt, Socrates eſt homo mortuus, ergo Socrates eſt homo, argumentamur ſiquidem, à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter, nam eſſe hominem mortuum, eſt eſſe hominem ſecundum quid: eſſe vero hominem, eſt eſſe ſimpliciter: quæ argumentatio eſt ſimilis huic alteri. Imago Cæſaris eſt homo pictus, ergo imago Cæſaris eſt homo, in qua argumentamur quoque eadem ratione, ſcilicet à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Si vero loquamur de veritate conſequentis, hoc conſequens eſt etiam verum Socrate mortuo, Socrates eſt homo. Siue enim ille fuerit, ſiue non fuerit, ſemper eſt vera hæc propoſitio. Ariſt. igitur in hoc teſtimonio, non eſt locutus de veritate conſequentis, ſed de rectitudine conſequentiæ, nos vero non de rectitudine, ſed de veritate loquimur.

Ad 5. Ad 5. reſp. viuens poſſe ſumi duobus modis Phyſice, & Metaphyſice. Phyſice ſumitur pro compoſito naturali, ex corpore & anima conſtituto. Metaphyſice vero vſurpatur pro attributo quodam eſſentiali, quod rei viuentis naturam declarat. Quemadmodum etiam ſentiens ſumi poteſt, aut pro attributo eſſentiali animalis, aut pro compoſito quodam naturali, ex corpore & anima ſentiente. Si viuens ſumatur Phyſice, hæc attributio, homo eſt viuens, non eſt perpetua, quia vnio corporis & animæ, non eſt perpetua. Si vero altero modo vſurpetur, erit illa perpetua, quia hoc attributum viuens perpetuo prædicatur de homine, non minus quam ſentiens de animali. Ad argu. igitur dicimus falſam eſſe aſſumptionem. Ad primam confirm. reſp. viuens Phyſice denotare vnionem animæ cum corpore, Metaphyſice vero non ſignificare illam, ſed attributum eſſentiale. Ad ſecundam reſp. mortuum non opponi viuenti, vt denotat attributum eſſentiale, ſed vt ſignificat vnionem Phyſicam corporis & animæ, & ita per mortem, non auferetur veritas perpetua huius enunciationis, homo eſt viuens.

Ad 6. Ad 6. reſp. cum Scoto q. 1. illius diſtin. Theologos docentes Chriſtum in triduo non fuiſſe hominem, non inſpexiſſe rigorem Dialecticum & Metaphyſicum, iuxta quem hic docemus propoſitiones eſſentiales eſſe æternæ veritatis: ſed tantum attendiſſe ad vnionem Phyſicam & naturalem corporis & animæ, iuxta quam Phyſice, & naturaliter dicimur homines, & quia hæc vnio fuit vere per mortem diſſoluta, propterea dicunt in triduo mortis non fuiſſe hominem verum. De hac re plura dicere, eſt extra inſtitutum Dialecticorum.

QVÆSTIO X.

An propoſitiones æternæ veritatis habeant cauſam.

QVærunt etiam Dialectici, an hæ propoſitiones (de quibus egimus in quæſt. ſuperiori) habeant ſuæ æternitatis cauſam necne, vt num hæc propoſitio, roſa eſt flos, habeat cauſam aliquam connectentem & vnientem roſam cum flore. Quidam tuentur partem negantem, vt Soncinas 5. *Metaph. q.* 10. & Ferra. 2. *contra gent. cap.* 52. 1. Opin.

Nobis vero contraria opinio cum Herueo *quodlib.* 1. *qu.* 10. & Nigro. *qu.* 48. *clypei*, videtur multo verior. 2. Opin.

Quæ confirmari poteſt primo. Roſa & flos dependent à Deo tanquam à cauſa efficiente, ergo & vnio interueniens inter hæc extrema, & quæ exprimitur per hanc propoſitionem, roſa eſt flos, dependebit ab eodem tanquam à cauſa efficiente. Antec. eſt apertum. Confir. conſ. q. Quando aliquod ſubiectum dependet ab aliquo tanquam à cauſa efficiente, & illius proprietates ab eodem dependebunt, ſed vnio eſt quædam proprietas conſequens entita[tes] roſæ & floris, ergo cum hæ entitates dependeant à Deo, tanquam à cauſa efficiente, & vnio quoq; ipſarum ab eodem dependebit. 1. Argum.

2. Hæc vnio denotat aliquã entitatem rei, ergo vel erit creator, vel creatura: nã omne ens rei, eſt in hæc duo membra diuiſum: at non eſt creator, erit igitur creatura, qua re cum omnis creatura dependeat à Deo tanquã à cauſa efficiente, & hæc vnio ab eodem quoque dependebit. 2. Argum.

3. Roſam eſſe florẽ repræſentatur in ideis mẽtis diuinæ, ſed quidquid in ideis diuinis repræſentatur, dependet à Deo tanquam à cauſa efficiente, quia Deus poteſt efficere, quæcunq; in ideis repræſentantur, ergo hæc propoſitio dependebit à Deo tanquam à cauſa efficiente. 3. Argum.

Digitized by Google

Argum. Quod ſiquis dicat: Neceſſaria non habent cauſam liberam à qua dependeant, ſed hæc propoſitio, roſa eſt flos, eſt neceſſaria, Deus autem eſt cauſa libera, ergo non dependebit illa à Deo. Reſp. duplicem eſſe neceſſitatem, vnam abſolutam, & alteram ex hypotheſi, quam alii neceſſitatem connexionis appellant: quę ſunt neceſſaria primo modo, vt Deum eſſe à nulla cauſa dependent: cæterum quæ ſunt neceſſaria altero ſecundo modo, dependēt à cauſa libera, quemadmodum neceſſarium ex hypotheſi eſt, vt ſi quis currit, moueatur, quæ certe neceſſitas dependet à cauſa libera, nimirum à voluntate currentis: Pari ratione, neceſſitas inter roſam & florem, eſt ex hypotheſi: nam ſuppoſito, quod ſit roſa, neceſſe eſt ipſam eſſe florem, ac proinde dependebit illa à Deo, tanquam à cauſa efficiente. Hæc breuiter de propoſita quæſtione propoſui, quæ certe nō propoſuiſſem, cum ſit quæſtio pure Metaphyſica, quæ agitari ſolet 5. *Metaph. ca. 5.* niſi vt tempori morem gererem: nam à multis hoc loco pertractatur, plura addere non eſt animus, quæ ex auctoribus propoſitis peti poterunt.

SECTIO III. DE REBVS VNIVERSIS, IN QVA de ente rationis diſputatur.

ARGVMENTVM.

DVo ſunt genera notionis vniuerſi, vnum proximum, & alterum remotum; proximum eſt notio ſecunda, vel intentio; remotum vero ens rationis Logicum. Poſtquam igitur de ſpecie (nimirum vniuerſo) egimus, non erit alienum a noſtro inſtituto, vt de generibus diſputemus: Quare in his duabus ſectionibus ſequentibus de ente rationis, & notionibus ſecundis diſputabimus, prius tamen de ente rationis, cuius diſputationem in 5. quæſt. diſtribuemus, prima eſt.

QVAESTIO I. QVID SIT ENS RATIONIS?

HANC diſputationem à natura & eſſentia entis rationis auſpicandam eſſe iudicauimus. Quærimus igitur primo, quænam ſit huius entis natura: num ſcilicet ens rationis ſit illud, quod conſequitur rem, vt habet eſſe obiectiue in intellectu, v.g ad hominem, vt habet eſſe obiectiue in intellectu, ſequitur vniformitas, indifferentiaq; quædam naturæ, & habitudo ad ſua indiuidua, quærimus, an ens rationis ſit hæc habitudo, vel vniformitas naturæ, necne?

1. *Argum.* Partem negantem ita cōfirmo. Primo. Quicquid eſt productum à cauſa rei, per actionem rei, eſt ens rei, ſed quod conſequitur rem vt eſt obiectiue in intellectu, eſt productum à cauſa rei, ſcilicet ab intellectu, & per actionem realem quæ eſt intelligere, ergo illud erit ens rei, quare non erit ens rationis.

2. *Argum.* 2 Quicquid eſt, aut exiſtit per ſe, aut in alio tanquam in ſubiecto, nam eſſe per ſe, & in alio, ſunt duo modi generales, ambientes quicquid eſt, ſed omne quod eſt per ſe, vel in alio, eſt ens rei, nam ens per ſe eſt ſubſtātia, quæ eſt ens rei, & ens in alio, eſt ens alteri inhærens, inhærentia reali, quæ inhærentia tantum competit accidenti rei, ergo quicquid eſt, erit ens rei: quare illud quod conſequitur rem, vt habet eſſe obiectiue in intellectu, erit quoque ens rei, & non rationis.

3 Si ens rationis eſſet illud quod conſequitur rem vt habet eſſe obiectiue in intellectu, ſequeretur actionem intelligendi, eſſe ens rationis, nam illa conſequitur rem vt habet eſſe obiectiue in intellectu, ex eo ſiquidem quia arbor ſeſe obiicit intellectui cōſideranda, ſequitur in illo actio qua ipſam poteſt intelligere, atqui hoc dici non poteſt, cum actio intelligendi ſit ens rei, in categoria qualitatis comprehenſa, vt infra in categoria actionis oſtendemus, ergo. *3. Argum.*

4. Quæcunq; ſunt in intellectu, vel ſunt habitus, vel ſpecies intellectiles, vel actiones intelligendi, aut verbum ab eis genitum, ſed hæc omnia ſunt entia rei, cum inhæreant intellectui inhærentia reali, ergo nullum erit hoc genus entis rationis. *4. Argum.*

5. Quicquid eſt in intellectu obiectiue, cognoſcitur ab illo, ſed ens rationis non poteſt cognoſci ab intellectu, cum nullam habeat ſpeciem repræſentantem, nullum ſiquidem habet phantaſma, à quo tantum educi poſſunt ſpecies intellectiles repræſentantes, ergo ens rationis non erit obiectiue in intellectu. *5. Argum.*

Vt recta methodo in hac quæſt. progrediamur, antequam diuerſas de hac quæſt. opinio-

nes pro-

nes proponamus, erit prius multiplex huius vocis ſignificatio explicanda ne nominis varia ſignificatione perturbari poſſimus. Tum etiam, vt reiectis à noſtro inſtituto alienis ſignificationibus, illam tantum quæ noſtro inſtituto ſit accommodata, retinere valeamus. Ens igitur rationis ſignificat primo mentem ipſam, & rationem. Significat ſecundo illa omnia, quæ inhærent menti, tanquam ſubiecto, vt ſunt ſcientiæ omnes, artes, & habitus intellectus, & hæc entia communi nomine vocantur entia rationis ſubiectiua. Significat tertio, illud quod eſt genitum, & productum à ratione, vt ſunt actiones intelligendi, verbum mentis, & locutio interior, quæ vulgo dicuntur entia rationis ſecundum cauſam, eo quod horum entium ſit cauſa ratio, & intellectus. Significat quarto illud omne quod conſequitur rem, vt eſt obiectiue in intellectu, tam agente, quã patibili, vt ſunt ſubiectum, & attributum, genus, vel ſpecies: inter quas ſignificationes hic ordo reperitur, vt à prima ſignificatione entis rationis, aliæ tres ſint deriuatæ, etenim hoc nomen primo fuit inditũ ad exprimendam mentem, & rationem: deinde vero translatum fuit ad ſignificanda illa omnia quæ quauis ratione referuntur ad intellectum, vel tanquam ad ſubiectum, vel tanquam ad cauſam, vel tanquam ad facultatem cognoſcentem, vel illumanantem. Vnde quædam ſunt entia rationis, quia ſunt in intellectu tanquam in ſubiecto, & alia quia fiunt ab illo tanquam à cauſa, & alia denique, quia ſunt in ipſo obiectiue. Cæterum, quia vſu ſæpe euenire ſolet, vt nomina ſignificent alia quam illa ad quæ ſignificanda fuere impoſita, vt hoc nomen lapis impoſitum fuit à læſione pedis, quam tamen non ſignificat, ita quoque quamuis hoc nomen impoſitum fuerit à ratione, tamen ex communi conſenſu Dialecticorum, non illam, ſed alia genera entis ſignificabit. Quare prætermiſſa huius nominis prima ſignificatione, iuxta quam ſignificat intellectum, in hac quæſtione tantũ rogamus de aliis tribus poſterioribus ſignificationibus, quænam ex illis ſit ens rationis Logicum, de quo eſt in arte diſſerendi inſtituenda diſputatio.

Sunt enim in hac quæſtione explicanda, variæ opiniones, prima eſt illorum qui auferenda omnino eſſe putant huiuſmodi entia rationis, docent enim hæc entia nihil aliud eſſe quam ipſum nihilum, & mera animi figmenta, vt ſunt

1.Opin. monſtra, & chimeræ ab illo conficta, quæ nullum fundamentum obtinent in re. In hac ſententia extitit Franciſcus Mayronis in ſuo conflatu, Iandunus, quemadmodum de illis, & de aliis quibuſdam refert Sueſanus *6. lib. Metaph. quæſt. vltima.* Valleſius *controuerſia 10* Phyſica ad tyrones, & Mirandulanus, *in diſputatione, an categoria* ſint partes Logicæ, necne?

2. Opinio eſt multorum veterum conſti- 2.Opin.
tuentium, ens rationis iuxta ſecundam ſignificationem, eſſe illud quod eſt in intellectu tanquam in ſubiecto, vnde colligebant ſcientias, habitus intellectus, & artes, ſolum debere vocari entia rationis, eo quod ſolum hæc ſint in intellectu ſubiectiue. Sententiam hanc referunt Durandus 1. *lib. ſentent. diſtinct. 19 quæſt. 5.* & Herueus quodlibeto 3. *quæſt. 1. artic. 1.*

3. Opinio eſt etiam vetus, vt refert idem Her- 3.Opin.
ueus, In qua extitiſſe quoſdam Dialecticos auctor eſt Sueſanus in loco citato, quæ conſtituit ens rationis iuxta tertiam ſignificationem, eſſe illud quod eſt genitum à mente tanquam à cauſa efficiente, vnde docebant actionem intelligendi, loquutionem interiorem, & verbum per illam productum eſſe entia rationis.

4. Eſt quorundam arbitrantium, ens ratio- 4.Opin.
nis neque eſſe illud quod eſt in intellectu tanquam in ſubiecto, neque illud quod eſt productum ab ipſo, ſed eſſe illud quod conſequitur rem, vt eſt obiectiue in intellectu, vt ſunt genus, ſpecies, ſubiectum, & attributum, & alia huiuſmodi, nam hæc non competunt rebus à parte rei, ſed vt ſunt illæ obiectiue in intellectu, ſiue agente, ſiue patibili. In hac opinione extitit vbiq. D. Thom. Durandus, Herueus, & Sueſanus locis citatis, Iauellus *in diſputatione de Tranſcendentibus diuiſio* 1 Soncinas *6. lib. Metaph. q. 18.* Petrus Niger. *quæſt. 4. clypei* M. Soto *quæſt. 3* de rebus vniuerſis, Franciſcus à Toleto in ſuis quæſtionibus de notionibus, & multi a Philoſophi.

His opinionibus propoſitis, animaduerten- 1.Opin.
dum eſt primo, ens prima ſui diuiſione, diuiſum eſſe in ens rei, & in ens rationis, *vt in lib. 1. Tranſcen. cap 5.* oſtendimus. Ens rei illud dicitur quod habet eſſe extra intellectum, vt ſunt Deus, cœlum, & elementa, vel quod eſt productum ab aliqua cauſa rei, vt ſunt actiones intelligendi, & verbum mentis, quæ omnia oriuntur à mente, tanquã à cauſa efficiente: vel quod eſt in intellectu tanquam in ſubiecto, vt ſunt ſcientiæ, artes, & omnes habitus intellectus, nã hæc omnia inhærent menti tanquam ſubiecto. Hanc diffinitionem entis rei tradit Iauellus in diſputatione de tranſcendentibus cap 1. Ens vero rationis diffinitur illud quod conſequi-

tur rem, vt eſt obiectiue in intellectu, vt ſunt ſubiectum & attributum, genus, & ſpecies, quæ non competunt homini, v.g. vt eſt à parte rei, ſed ea ratione qua eſt in intellectu agente, ſeparante illum à proprietatib. ſingularibus, quemadmodum inferius explicabimus.

bſeru. Sciendum eſt etiam ens rationis duplex eſſe, nam vnum eſt quod nullum habet fundamentum in re, ſed tantum habet eſſe per intellectũ, vt ſunt omnia monſtra, & chimeræ, quæ à mente finguntur, aliud vero eſt quod habet fundamentum, in re, quod eſt diuiſum à D Thom. *quaſt. 21. de veritate artic. 1. in corpore, & in ſolutione ſecundi*, in negationem, & relationem. Verum quia negatio diuiſa eſt in negationem proprie dictam, & priuationem, diuiſum eſt ens rationis à poſterioribus Thomiſtis, in hæc tria membra, negationem, priuationem, & relationem. Negatio eſt, vt non homo, priuatio vt cæcitas, vel tenebræ, & relatio vt dextrũ, vel ſiniſtrum in columna, aut ſubiectum, & attributum, in homine, quæ omnia habent fundamentum in re, nam negatio formę, innititur contrariæ entitati, quæ cum forma negata non poteſt cohærere, vt non homo in lapide, innititur formæ lapidis, quæ cum forma, negata hominis, non poteſt cohærere. Priuationes innituntur ſubiectis aptis, & natis, recipere formas priuatas, vt cęcitas innititur animali, quod natum eſt habere viſum. Relationes tandem innituntur actionibus intellectus, ad quas ſtatim illæ conſequuntur, vt vniuerſalitas in homine (quæ relatio quædam eſt) innititur actioni intellectus agentis, denudantis ipſam à proprietatibus ſingularibus. & ſic de aliis huiuſmodi.

ncluſ. 1. Concluſ. Ens rationis quod nullum habet fundamentum in re, eſt purum nihil. Confirmatur quia hoc genus entis, non habet à parte rei cui innitatur, & euaneſcente actione intellectus, illico quoq; ipſum euaneſcit: vnde chimeræ monſtra animi, & figmenta intellectus, à parte rei nihil erunt, nullumque aliud eſſe habebunt, quam eſſe confictum, vel apprehenſum ab intellectu.

oncluſ 2. Concluſ. Ens rationis quod habet fundamentum in re, non eſt à parte rei purum nihil, ſed eſt aliquid, confirmatur aduerſus primam opinionem Primo duę contradicentes non poſſunt vere affirmari de vna, & eadem re, ſed hæ duæ enunciationes ſunt contradicentes, habere fundamentum in re, & non habere fundamentum in re, ergo non poterunt illæ de vna, & eadem re vere enunciari, ſed de ente rationis enunciamus habere fundamentum in re, de nihilo vero non habere fundamentum, ergo ens rationis non erit nihil. 2. Relatio rationis eſt ens rationis, ſed relatio rationis non eſt nihil, quia nihil non denominat ens reale, relatio vero rationis denominat ens rei, nam relationes creatoris & domini, denominant Deum creatorē, & Dominum, quæ tamen ex ſententia D. Auguſt. *5. lib. de Trinitate c. 15.* & D. Tho. 1. *p. q. 13. art. 7. & 2. contra g. cap. 12. & 13.* ſunt entia rationis, ergo ens rationis non eſt nihil. Tertio nulla ars, nulla ſcientia, vel diſciplina, verſatur in nihilo, nam quod nihil eſt, quam eſſentiam, & quas proprietates explicandas obtinere poterit? ſed multæ artes, & diſciplinæ verſantur in explicanda natura entis rationis, vt Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, ergo ens rationis non erit nihil.

3. Concluſ. Ens rationis non eſt illud quod *3. Concluſ.*
eſt in intellectu ſubiectiue, vnde neque ſcientiæ, neque artes, neque habitus, qui inhærent menti tanquam ſubiecto, vocandi ſunt entia rationis, quidquid dicant auctores ſecundæ opinionis. Cõfirmatur his tribus argumentis. Primum. Inhærere alicui tanquam ſubiecto (vt deinde oſtendemus) eſt proprietas accidentis rei. ergo quæ inhærebunt menti tanquam ſubiecto, erunt accidentia rei, quod ſi ſunt accidētia rei, ergo non erunt entia rationis. Secundum. Accidentia quæ inhærent menti, ſunt longe nobiliora his quæ inhærent corpori, quemadmodum ens eſt multo præſtantior corpore, ſed accidentia inhærentia corpori, vt candor, & attor, frigus, & calor, propter ipſorum excellentiam ſunt accidentia rei, ergo & illa accidentia quæ menti inhærebunt, erunt quoque vocanda accidentia rei, & non rationis Tertium quęcunque continentur per ſe, & directe in categoriis, ſunt entia rei, ſed ſcientiæ, & alii habitus intellectus, qui in illo ſunt tanquam ſubiecto, continentur per ſe, & directe, in categoria qualitatis, ſub prima ſpecie, quæ eſt habitus, ergo accidentia inhętentia intellectui erunt entia rei, & non rationis.

4. Concluſ. Actiones intelligendi, & verbum *4. Concluſ.*
mentis, non ſunt entia rationis, vt conſtituunt auctores tertiæ opinionis, quæ concluſio confirmari poterit primo. Quia actio intelligendi producitur à mente, quæ eſt cauſa rei, at omne quod fit à cauſa rei, certum eſt eſſe ens rei. Secundo quia actio intelligendi inhæret menti, quemadmodum actio videndi viſui, inhærere autem eſt proprietas accidentis rei Tertio quia hæ actiones continentur in categoria qualitatis, in qua tantum comprehenduntur entia rei.

5 Concl Ens rationis eſt illud, quod conſe- *5. Concluſ.*
quitur rem, & habet eſſe obiectiue in intellectu

Pro explicatione ſciendum eſt, tria genera attributorum conuenire naturæ, nam cum ſumi poſſit tribus modis in ſe, vel iuxta ſua attributa eſſentialia, in indiuiduis, & in intellectu, tria genera attributorum illi conueniunt, quædam vt in ſe ſumitur, qua ratione illi conueniunt attributa eſſentialia, alia vt eſt in indiuiduis, qua ratione illi conueniunt attributa accidentaria, vt calidum & frigidum, magnum & paruum, (quæ duo genera attributorum ſunt attributa realia, quamuis prima ſint eſſentialia, alia vero accidentaria) & alia, vt habet eſſe in intellectu, qua ratione illi conueniunt attributa quædam rationis, vt (verbi gratia) homini iuxta modum, quem habet in intellectu, conueniunt eſſe vniformem, & indifferentem ad ſua indiuidua, ſubiectum, vel attributum. Hæc igitur attributa poſterioris generis, quæ ſequuntur res, vt habent eſſe obiectiue in intellectu, ſunt entia rationis, quia nimirum iuxta ſtatum vel modum, quem habent in ratione & intellectu, illis conueniunt. Confirm. inprimis ex communi conſenſu omnium Dialecticorum, & Metaphyſicorum, vt D Thom. Durandi, Scoti, Heruei, & aliorum, quos in vltima opinione recenſuimus. Secundo. Quia entia rationis, vt ex ipſa nominis etymologia conſtat, ſunt quæ ex ratione rei conueniunt, at hæc non ſunt alia, quam quæ conſequuntur rem, vt obiicitur intellectui, nam quæcunque præter hæc rei conueniunt, à parte rei, & non per rationem illi adaptantur. Tertio. Quia ens rationis vocatur ab Ariſtot. *6. Metaphyſ. cap. vlt.* ens in anima, aut (quod idem eſt) ens, quod habet eſſe in intellectu, vel ergo erit illud, quod habet eſſe in anima, tanquam in ſubiecto, aut tanquam in cauſa, aut tanquam obiectum cognitum, aut conſequens obiectum cognitum, quia pluribus modis non poteſt aliquid eſſe in intellectu, ſed probatum eſt, illud non eſſe, quod habet eſſe in intellectu, tanquam in ſubiecto, neque tanquam in cauſa, remanet igitur eſſe illud, quod eſt obiectiue, vel quod conſequitur rem, vt eſt obiectiue in intellectu.

Animaduertendum eſt tamen, nomine intellectus non eſſe tantum intelligendum intellectum patibilem, vt multi putant, ſed etiam agentem, nam ad illuminationem agentis ſequitur in natura vnitas rationis poſitiua, aut vniformitas, aut illius indifferentia ad plura: quæ ſane vnitas eſt ens rationis, cum non competat naturæ à parte rei. Præterea, cum in intellectu patibili ſint varia munera, & tres operationes, ad omnes illas conſequitur in natura ens rationis. Nam ad primam conſequitur genus & ſpecies, ſubiectum & attributum, & alia. Ad ſecundam oratio & enuntiatio, & ad tertiam, antecedens & conſequẽs, maior & minor ſyllogiſmus, & aliæ ſpecies argumentationis. Quare in propoſita definitione, quando dicimus, ens rationis eſſe illud, quod conſequitur rem, vt habet eſſe obiectiue in intellectu, nomine intellectus vtrumque, & agentem & patibilem intelligere debemus, & patibilem iuxta tres eius operationes.

Iam ad argum. Ad primum dicimus, veram eſſe maiorem propoſitionem de eo, quod primo & directe a cauſa rei producitur, falſam autem de eo, quod ſecundario, & quaſi per accidens producitur: at ens rationis non producitur primo & directe ab intellectu, ſed ſecundario, & quaſi per accidens: nam quod primo producitur ab intellectu, eſt intellectio, aut illuminatio, ad quam ſecundario, & quaſi per accidens ſequitur extrinſeca quædam denominatio in rebus ipſis, qua aut intellectæ aut illuminatæ dicuntur, ad quam illuminationem, aut cognitionem paſſiuam, vel extrinſecam conſequuntur, ſecundario tanquam ad proximum fundamentum, relationes, aut alia entia rationis. *Ad 1. argum.*

Ad 2. reſpon. diuiſionem illam entis, quod eſt in ens per ſe, & in alio, non eſſe entis in communi, & tranſcendentis, ſed entis, quod eſt per ſe diuiſum in decem categorias: at vero ens rationis non continetur per ſe in categoriis, ſed vel reductiue, vt priuationes & negationes, vel conſtituit nouam & vndecimam categoriam, ſi fuerit relatio rationis, vt in antecategoriis in peculiari quadam de hac re quæſtione oſtendemus. *Ad 2.*

Prima ergo diuiſio entis eſt in ens in anima, & extra illam, & deinde altera entis extra illam, in ens per ſe, & in alio, ſub quarum prima diuiſione, ſub membro entis in anima continetur ens rationis. De his tamen diuiſionibus conſulenda ſunt, quæ docuimus *lib. 1. tranſcendent. cap. 4. & 5.*

Ad 3. reſp. falſam eſſe propoſitionem: nam aliud eſt conſequi rem, & aliud conſequi intellectum: ens rationis conſequitur rem, vt obiicitur intellectui, vt notio ſpecifica hominis conſequitur hominem cognitum ab intellectu: at actio intelligendi non conſequitur rem, ſed intellectum, quare non erit ens rationis. *Ad 3.*

Ad 4. reſpon. Hæc, quæ in argumento recenſentur, eſſe illa, quæ ſunt in intellectu, tanquam in ſubiecto, & tanquam in cauſa: verum *Ad 4.*

præter hos modos eſſendi in intellectu, eſt alius eſſendi obiectiue, qui competit enti rationis, nam conſequitur rem, vt eſt obiectiue in intellectu.

5\. Ad 5. dicimus, ens rationis cognoſci ab intellectu, nam eſt ens, & per conſequens intelligibile: num autem per propriam, aut per alienam ſpeciem entis rei cognoſcatur, in quæſt. 5. huius ſectionis abunde ſati. explicab.mus.

QVÆSTIO II.

An aliquod ens rationis habeat eſſe formaliter a parte rei, & extra operationem intellectus.

EXplicemus tamen oportet, num omni enti rationis, vel alicui tantum conueniat, habere tantum eſſe ab intellectu, ita vt nullo modo hoc genus entis extra ipſum, & a parte rei eſſe poſſit. Et quidem poſſe aliquod ens rationis eſſe a parte rei extra intellectum, confirmatur primo de priuatione.

gum. Secluſa quauis operatione intellectus, Petrus, v.g. eſt cœcus, ergo ante operationem intellectus cœcitas eſt in Petro. Confirmatur cõſequentia, quia non poteſt eſſe ſubiectum denominatum ab aliqua forma, quin ſit in illo forma denominans, at cœcitas eſt ens rationis, quod eſt priuatio, ergo ante operationem intellectus dabitur ens rationis.

rgum. 2. Proprietates entis conueniunt enti extra operationem intellectus, ſed vnum eſt proprietas entis, ergo conueniet illi extra operationem intellectus, atqui vnum formaliter includit priuationem diuiſionis, quæ eſt ens rationis, ergo ens rationis erit extra operationem intellectus.

gum. 3. Poſtquam aliquis inſpexit parietem, alio modo ſe habet paries ad videntem, quam antea ſe habebat, nam nunc eſt viſus, qui antea non erat: ergo cum hic modus alio modo ſeſe habendi, non poſſit eſſe aliud, quam ordo quidam, & relatio inter parietem viſum, & videntem, ante operationem intellectus dabitur relatio parietis viſi ad videntem: at hæc non poteſt eſſe relatio rei, vt eſt omnibus manifeſtum, erit igitur rationis, ac proinde nullo intellectu conſiderante dabitur relatio rationis. Confirmatur. Poſito fundamento proximo relationis & termino, illico ſequitur relatio: ſed fundamentum proximum relationis parietis viſi ad videntem, eſt viſio paſſiua parietis viſi, & terminus illius eſt videns, quæ duo ſunt ante omnem operationem intellectus: ergo hæc relatio rationis parietis viſi erit ante operationem intellectus.

4\. Relatio filiationis Chriſti Domini ad beatam Virginem, eſt ante omnem operationem intellectus, ſed hæc relatio eſt rationis: vt auctor eſt D. Thom *3 part. q. 35. artic. 5.* ergo erit relatio rationis extra operationem intellectus. Confirmatur maior propoſitio. Chriſtus Dominus ante omnem operationem intellectus eſt vere filius Virginis: ergo cum non poſſit eſſe filius ſine filiatione, ante operatio nem intellectus erit in illo relatio filiationis ad Virginem. *4. Argum.*

5\. Creator & creatura referuntur adinuicem. ſed ante intellectum creatura refertur ad creatorem, ergo ante eundem intellectum creator referetur ad creaturam: ſed relatio, qua refertur creator, eſt rationis, ergo ante operationem intellectus erit relatio rationis. *5. Argum.*

6 Quando partes alicuius totius ſunt à parte rei extra ipſum intellectum, & ipſum totum eodem modo erit extra intellectum, ſed partes alicuius entis rationis ſunt extra intellectum: ergo aliquod ens rationis erit quoque extra intellectum. Confirmatur aſſumptio. Chimera (vt mons aureus, verbi gratia,) eſt ens rationis, ſed partes illius ſunt extra operationem intellectus, nam partes ſunt mons & aurum, quæ duo non dependent ab intellectu, neque illius operationem conſequuntur: ergo partes alicuius entis rationis ſunt extra operationem intellectus. *6. Argum.*

7\. In hac enuntiatione, roſa eſt flos, roſa eſt formaliter ſubiectum, & flos formaliter attributum: ſed hæc duo ſunt ante operationem intellectus: ergo cum ſubiectum & attributum ſint entia rationis, erit ens rationis ante operationem intellectus. Confirmatur aſſumptio. Quando intellectus hanc propoſitionem enuntiat, tantum cogitat de natura roſæ, & floris, nihil cogitans de natura ſubiecti & attributi, ergo hæ notiones ſubiecti & attributi erunt in rebus ante conſiderationem intellectus. *7. & ult. argum.*

Diuerſæ ſunt in hac quæſtione explicanda grauiſſimorum virorum ſententiæ. Soncinas *10. Metaphyſ. quæſt. 15.* refert quorundam ſententiam, inter entia rationis negationes & priuationes eſſe à parte rei extra operationem intellectus, relationes vero rationis non eſſe, ſed tantum habere eſſe illas per intellectum. Ducebantur autem in hanc opinionem, quia putabant, ſolas relationes eſſe entia rationis, negationes vero & priuationes vere & proprie non eſſe. *Prima opinio.*

Alij, de quorum numero ſunt M. Medina *3. p. q. 35. art. 5. 1. p. q. 13. art. 7.* & M. Bannes *in commenta-* *2. Opinio.*

menta-

menteriis huius loci primæ partis, in ea ſunt opinione, vt exiſtiment inter entia rationis, negationes & relationes, quas dicimus ſecundas notiones, non habere eſſe, niſi per operationem intellectus, priuationes vero, & alias relationes rationis, quæ non ſunt ſecundæ notiones, habere eſſe a parte rei extra ipſius operationem, quia, inquiunt, entia rationis huius poſterioris generis, quod præcipuum io ſe habent, eſt fundamentum proximum, quod cum ſit in rebus extra operationem intellectus, illico hæc entia erunt a parte rei extra intellectum. Vnde dextrum & ſiniſtrum in columna, cum fundetur in dextro & ſiniſtro in animali, poſito hoc fundamento, ſtatim ſequitur talis relatio dextri & ſiniſtri in columna ante operationem intellectus.

Opinio. Iauellus 10. *Metaph. q. 10.* opinatur, negationes & priuationes non habere eſſe formaliter extra operationem intellectus, pleraſque vero relationes rationis habere eſſe extra illum, quæ opinio eſt ex diametro oppoſita primæ opinioni recenſitæ.

Opinio. Accedit quarta opinio Scoti *in 1. diſtinct. 45.* dari ens rationis præter intellectum, per actiones aliarum potentiarum, quæ ſunt natæ vnum alteri comparare, ad quod ex ſua natura non comparabatur, vt per actiones voluntatis & facultatis imaginandi, vt ex actione voluntatis, qua medium refertur ad finem, v. g. potio amara ad valetudinem, ſequitur in medio relatio quædam rationis, qua refertur ad illam.

Opinio. Quinta opinio eſt, quam fere omnes ſequuntur, nullum ens rationis formaliter ſumptum, habere eſſe extra operationem intellectus, hanc amplectitur Caiet. 1. *p. q. 28. artic. 1.* Torres & Perez *ibidem*. M. Soto *q. 3. de rebus vniuerſis*, & Soncinas 6. *Metaphyſ. q. 18.* & fere communis Schola. Quamuis inter Caiet. & Soncinat. ſit adhuc diſſenſio, quia Soncinas putat, ſat eſſe, vt ſit formaliter ens rationis, quod illius fundamentum cognoſcatur actu ab intellectu, & non vt ipſummet ens rationis actu apprehendatur, vt in hac propoſitione, candor eſt patibilis qualitas, vt ſit notio ſubiecti in cãdore & attributi in qualitate, ſufficit vt natura candoris & qualitatis apprehendantur ab intellectu, & non eſt neceſſe, vt notiones ſubiecti & attributi actu fuerint apprehenſæ. Caietanus vero arbitratur, neceſſarium eſſe, vt ipſummet ens rationis apprehendatur ab intellectu, & non ſat eſſe, vt fundamentum apprehendatur.

Obſeruat. Pro explicatione huius quæſtionis reuocanda ſunt ad memoriam, quæ diximus in ſuperiori quæſtione, tria eſſe genera entis rationis, negationem, priuationem, & relationem, quæ habent fundamentum in rebus ipſis, ratione cuius ſeparantur a figmentis animi, quæ nullum habent fundamẽtum. Addimus nunc, in negationibus non eſſe hoc in vniuerſum de omni negatione intelligendum, nam quædam applicantur non enti, vt quando dicimus, chimeram eſſe non hominem, in qua attributione negatio hominis applicatur chimeræ, quæ non eſt ens: aliæ vero applicantur alicui enti, vt quando de lapide dicimus, eſſe non hominem, nam hæc negatio, non homo, applicatur lapidi, qui eſt ens. Negationes primi generis nullum habent fundamẽtum, quia accommodantur ei, quod non eſt, alterius vero habent fundamentum, nam applicantur rei, quæ eſt. Eſt autem in his fundamẽtum, entitas formæ, quæ cum forma negata in eodẽ eſſe nullo modo poteſt, vt in eodem exemplo, entitas formę lapidis, eſt fundamentum non hominis, quia forma lapidis non poteſt ſimul cum forma hominis (quæ negatur) cohærere.

Iterum ſciendum eſt ex Caietano 1. *p. q. 28. artic. 1.* & ex Soncinate 10. *Metaphyſic. quæſt. 15.* ens rationis duobus modis ſumi poſſe, formaliter, vel fundamentaliter, quod alij dicunt, ſecundum habitum, aut ſecundum actum. *2. Obſer.* Tunc eſt formaliter, vel ſecundum actum, quando concipitur ab intellectu, tunc vero eſt fundamentaliter, vel habitualiter, quando exiſtit proximum illius fundamentum. Vt in ſimilitudine hanc eandem diſtinctionem aperriſſime poſſumus intueri, nam aliquando aliqua ſunt ſimilia formaliter, & aliquando habitualiter, ſunt formaliter, quando fundamentum proximum ponitur, nimirum candor, & ponitur terminus illius, ſcilicet aliud album. Sunt vero aliquando habitualiter, vel fundamentaliter, vt ſi Deus à duobus albis ſepararet relationem ſimilitudinis, etenim tunc temporis remanerent in illis duobus duæ albedines, quæ ſunt fundamenta relationis ſimilitudinis.

Adnotanda eſt etiam celebris quædam doctrina Caietani 1. *p. q. 48. art. 2.* priuationem (vt *3. Obſer.* malum, verbi gratia, de quo ibi agebat Diuus Thom.) poſſe duobus modis ſumi, vno modo in propria & peculiari ratione formali, altero modo in ratione entis, nam priuatio in propria ratione non eſt ens, imo eſt non ens, eſt ſiquidem amotio entis, vt cæcitas eſt amotio viſus, & tenebræ amotio luminis, quæ duo, viſus & lux ſunt entia. In propria igitur & for-

mali ratione, nihil aliud erit, quam amotio alicuius formæ vel entis, a ſubiecto, quæ ſane amotio formaliter eſt extra intellectum, nam in homine cæco eſt formaliter amotio viſus, & media nocte in aere formaliter eſt amotio luminis. Si vero ſumatur in ratione entis, tantum habebit eſſe beneficio intellectus, nam priuatio nullum aliud eſſe habet, quam eſſe cognitum, ſiue eſſe ſumatur pro eſſentia ſiue pro exiſtentia, etenim in vtroque ens rationis dependet ab intellectu, vt poſtea oſtendemus. Quare intellectus apprehendens priuationem per formam contrariam, vt cæcitatem per viſum, confert illi quandam intelligibilitatem, vel eſſe cognitum, a quo tota eius natura & eſſentia in genere entis eſt haurienda.

.Concluſio His ſtatutis, ſit prima concluſio. Inter entia rationis, negationes, quæ nullum habent fundamentum in re, non ſunt extra intellectum fundamentaliter, vel habitualiter: aliæ vero, quæ habent fundamentum, erunt extra ipſum habitualiter. Hæc concluſio ex his, quæ annotauimus, eſt ſatis aperta, nam tunc dictum eſt, ens rationis habere eſſe habituale, vel fundamentale, quando exiſtit illius fundamentum, quod ſi non extiterit, nullum tale eſſe habebit, iam igitur negationes, quarum eſt a parte rei fundamentum, erunt extra intellectum habitualiter, aliæ vero, quarum nullum eſt fundamentum, nullum eſſe habituale habebunt.

:Concluſio. 2. Concluſio. Priuationes ſunt extra intellectum fundamentaliter, vel habitualiter. Hæc eſt aperta, quia a parte rei & extra intellectum datur in animali fundamentum cæcitatis, & in aere fundamentum tenebrarum.

.Concluſio. 3. Concluſio. Relationes rationis, quæ non ſunt ſecundæ notiones, ſunt quoque extra intellectum fundamentaliter, aliæ vero, quę ſunt ſecundæ notiones, neque extra intellectũ ſunt fundamentaliter. Prima pars explicatur in relatione dextri & ſiniſtri in columna, & in relatione parietis viſi, ad videntem, nam extra intellectum ſunt fundamenta a parte rei harum relationum, etenim fundamentum dextri & ſiniſtri in columna, eſt dextrum & ſiniſtrum in animali: fundamentum vero relationis viſi ad videntem, eſt viſio paſſiua rei viſæ, quæ certe duo extra intellectum ſunt. Alteram vero partem de notionibus ſecundis confirmamus, quia fundamentum illarum eſt actio intellectus, vel illuminantis, vel cognoſcentis, vt fundamentum relationis ſpecificæ in homine, eſt abſtractio intellectus agentis, qua illum abſtrahit a proprietatibus ſingularibus. Ex his conſtat, qua ratione negationes, priuationes, & relationes, quæ ſunt entia rationis, habeant eſſe habitualiter vel fundamentaliter extra intellectum. Supereſt explicemus, num aliquod ex his entibus rationis formaliter ſit, & ſecundum eſſentiam extra intellectum, vel num totum eſſe & quidditas ab intellectu dependeat, quod ſequentibus concluſionibus erit explicandum.

4. Concluſio. Relationes rationis non habent eſſe formaliter extra operationem intellectus. Hanc profitentur Caietanus, Soncinas, & alij auctores traditi in vltima opinione, & præterea Soncinas *4. lib. Metaphyſ. q. 21. & 10. q. 15.* & Ferrarienſis *2. cõtra gentes, cap. 11.* quam quia in Categoria relationis ſumus abunde ſatis confirmaturi, nunc breuiter illam ita confirmamus. Relatio eſt habitudo quædam, aut comparatio vnius ad alterum, igitur vel ex natura rei eſt huiuſmodi comparatio, vel per intellectum comparantem, ſed relatio rationis nõ eſt ex natura rei comparatio vnius ad alterum, nam ita eſſet relatio rei, ſequeretur enim rem ex propria natura fundamenti, ergo eſt comparatio per intellectum, quare formaliter tantum erit beneficio & ope intellectus. *4. Concl.* Quod ſi quis dicat cum Scoto non tantum intellectum, ſed etiam voluntatem eſſe comparatiuam vnius ad alterum, atque ita relationem rationis non tantum eſſe formaliter per intellectum, verum etiam per voluntatem. Contra ita ago. Comparatio eſt cognitio, & non quælibet, ſed cum diſcurſu: ſed cognitio non ſpectat ad volũtatem, ſed ad intellectum, ergo & comparatio ad eundem quoque ſpectabit. Ex quo etiam argumento colligere poſſumus, neque per actus aliarum potentiarum, vt ſenſuum, poſſe dari relationem rationis. Hæ facultates non diſcurrunt, ergo neq; comparant, nam comparare eſt per diſcurſum vnum cum altero conferre, quare cum relatio rationis ſit comparatio quædam vnius ad alterum, non poterit habere eſſe per actus aliarum facultatum ab intellectu. Vnde colligimus, a parte rei nõ dari relationem creatoris ad creaturam, neque rei viſæ ad videntem, aut aui voliti ad voluntatem, ſed dari tantum fundamenta harum relationum, quæ ſunt vel actiones ſenſuum, vel voluntatis. Et certe miror, qua ratione viri grauiſſimi, & M. noſtri eruditiſſimi Medina & Bannes aſſeruerint, dari aliquas relationes rationis formaliter extra operationem intellectus, cum hoc expreſſe aduerſetur D. Thomæ, hanc noſtram aſſertionem apertiſſime profitenti *1. part. q. 13. art. 7.* vbi agens de

rela-

relatione ſcibilis & ſenſibilis, inquit, in his non eſſe aliquam relationem realem ad ſcientiam & ſenſum, ſed ſecundum rationem vel intellectum apprehendentem hæc, vt terminos ſcientiæ & ſenſus, nam per hanc apprehenſionem, deinde refert intellectus ſcibile & ſenſibile ad ſcientiam & ſenſum. Et 1. *part. quæſt.* 28. *art.* 1. apertius hoc idem profitetur, agens enim de relationibus rationis, inquit, eſſe tantum in apprehenſione intellectus conferentis vnum alteri. Et certe in his locis non agebat D. Tho. de relationibus rationis, quæ ſunt notiones ſecundæ, nam relatio ſcibilis & ſenſibilis non ſunt notiones ſecundæ, quare iuxta illum non tantum relationes, quæ ſunt notiones ſecundæ, verum etiam quæcunque aliæ, non habebunt eſſe formaliter præter operationem intellectus.

5. Concl. 5. Concluſio. Priuationes in propria & peculiari ratione formali, ſunt à parte rei extra operationem intellectus. Hæc eſt Caiet. *in loco citato*, ex 1. *p. q.* 48. *art.* 2. & Iauel. 10. *Metaphyſ. q.* 10. Quæ conſir. Priuatio formaliter nihil aliud ſignificat, quam carentiam formæ in ſubiecto apto nato, ſed à parte rei datur carentia formæ in ſubiecto apto nato, nam à parte rei in animali cæco datur carentia viſus, & in aere in nocte eſt carentia luminis: ergo à parte rei extra intellectum erit priuatio. Et certe ſi quis optime inſpexerit naturam priuationis, nulla ratione poterit de hac concluſione dubitare, nam priuatio, vt obſeruauimus, eſt amotio alicuius entis, & ex conſequenti eſt formaliter nō ens, at amotio entis, & non ens, extra intellectum reperiuntur.

6. Concl. 6 Concluſio. Priuatio in ratione entis non habet eſſe formaliter extra operationem intellectus, ſed totam entitatem, quam habet, obtinet ab intellectu. Hæc eſt eiuſdem Caiet. *ibid. & in principio libelli de ente & eſſentia.* Confirmatur. Priuatio nullam aliam entitatem habet, quam entitatem rationis, ſed hæc entitas eſt ab intellectu & ratione, ergo priuatio in ratione entis tantum habebit eſſe ab intellectu. Præterea tota entitas priuationis eſt intelligi, nam eſt entitas minima, quæ in genere entis poteſt reperiri, quæ eſt entitas ſecundum rationem intelligibilis, vt auctor eſt D. Thomas 4. *Metaphyſ. lect.* 1. ergo in ratione entis dependebit ab intellectu. Addo, priuationem nullam entitatem ponere in ſubiecto, vt cæcitas nullam entitatem ponit in homine, eſt enim non habere viſum, at non habere viſum, non eſt aliquam entitatem habere, ſed non habere entitatem viſus, quam antea habebat ſubiectum, ergo ſi aliquam entitatem habet priuatio, habebit illam beneficio intellectus, nam quod alicui competit, & non à parte rei debet illi beneficio intellectus conuenire. Vtramque aſſertionem perſpicuis verbis profitetur D. Th *q.* 1. *de ma. ar.* 1. cuius verba ſunt, quæ ſequuntur. *Ad vigeſimum dicendum, quod malum quidem eſt in rebus, ſed vt priuatio, non autem vt aliquod ens, ſed in ratione eſt, vt aliquid intellectum: & ideo poteſt dici, quod malum eſt ens rationis, & non rei, quia in intellectu eſt aliquid, non autem in re, &c.* In qua auctoritate aperte profitetur D. Tho. malum in ratione priuationis, id eſt, formaliter eſſe à parte rei, in ratione tamen entis tantum eſſe in intellectu.

Obiect. Quod ſi quis dicat: Priuatio in ratione formali eſt ens: ſed vt eſt ens, non habet eſſe præter intellectum, vt conſtat ex hac concluſione: ergo neque in ratione formali erit extra operationem intellectus, ac proinde non recte dictũ eſt in alia concluſione, priuationem formaliter eſſe extra intellectum.

Solutio. Reſpondemus negando maiorem propoſitionem, quia priuatio, vt obſeruauimus, formaliter non eſt ens, imo eſt non ens: nam eſt amotio & carentia entis, quod ſi habet entitatem aliquam, hæc eſt diminuta & imperfecta, tantum ſecundum eſſe intelligibile, ac proinde alia & diuerſa ratio erit eius, vt eſt ens, & alia, vt habet propriam naturam. Nam propria eius natura non eſt, vt ſit ens, ſed vt ſit non ens.

7. Concl. 7 Concluſio. Idem aſſerendum eſt de negationibus, quod de priuationibus, nimirum illas formaliter eſſe extra operationem intellectus, in ratione tamen entis tantum eſſe in intellectu. Confirmatur ex ſuperiori aſſertione. Priuatio formaliter eſt à parte rei, in ratione tamen entis tantum eſt per intellectum, ſed negatio ſecundum eſſentiam non differt à priuatione, tantum enim differunt negatio & priuatio penes connotatum extrinſecum, quia priuatio connotat ſubiectum aptum natum, quod non connotat negatio, ergo negatio formaliter erit a parte rei, & in ratione entis habebit eſſe beneficio intellectus.

Supereſt, vt argumentis propoſitis ſatisfaciamus.

Ad 1. argum. Ad primum reſpond. cæcitatem eſſe in oculo ante operationem intellectus, in ratione priuationis, non tamen in ratione entis.

Ad 2. Ad 2. reſp. eodem modo priuationem nomine vnius ſignificatam in ratione priuationis formaliter eſſe a parte rei, in ratione tamen entis tantum eſſe beneficio intellectus. Quamuis negandum omnino ſit vnum in

formali ratione ſignificare priuationem, nam in illa in recto tantum includitur entitas, indiuiſio vero in obliquo, & ſecundario nominevnius exprimitur, tanquam quædam limitatio entitatis, vnde vnum erit ens indiuiſum, ens quidem in recto, indiuiſum vero in obliquo, vt *lib. 3. Tranſcen. cap. 9.* luculenter oſtendimus.

Ad 3. Ad 3. reſpon. parietem viſum poſt viſionem aliter ſe habere, quam antea, non relatiue, ſed terminatiue, id eſt, non quod referatur ad videntem per aliquam relationem, per quam antea nō referebatur, ſed quia terminat actionem videndi, quam antea non terminabat. Ad confirm. reſpond. in relationibus rei cum illæ ſequantur ex natura fundamenti, poſito fundamento & termino, neceſſario debere illas poni, verum cum relationes rationis non conſequantur naturam fundamenti, ſed actionem intellectus, quamuis ponantur fundamentum & terminus, nondum tamen ponitur relatio, niſi aduenerit actio intellectus, à qua ipſa relatio ſecundum eſſentiam & exiſtentiam dependet.

Ad 4. Ad 4 reſpon. cum D. Thoma in eodem loco, quo citatur in argumento, Chriſtum Dominum ante operationem intellectus eſſe filium beatæ Virginis, non relatiue, ſed terminatiue. Quia ante operationem intellectus non refertur per aliquam relationem filiationis, ſed terminat relationem maternitatis ad ſe, poſt operationem vero & terminatiue & relatiue dicitur filius, quia & terminat relationem maternitatis, & refertur ad matrem per relationem ab intellectu apprehenſam.

Ad 5. Ad 5 reſp. eodem modo. Ante operationem intellectus Deum eſſe creatorem, non relatiue, quia referatur ad creaturas, ſed terminatiue, quia terminat relationem creaturarum ad ſe. Legendus eſt Ferrarienſis *2. contra gentes, cap 11*

Ad 6. Ad 6 reſp. in partibus, quæ ſunt vere partes, verum eſſe ipſis poſitis, inter ſeſeque vnitis, ſecundum rationem actus & poteſtatis, debere poni totum, vt vnitis materia & forma, ponitur totum naturale, verum mons & aurum, vel partes alterius figmenti, non ſunt vere partes illius, ſed beneficio intellectus inter ſe connectuntur, cuius hæc eſt vis, vt poſſit ea, quæ ſunt inter ſe maxime diuerſa, ſecundum eſſe quoddam intelligibile poſſit copulare, quare quamuis partes figmenti ſint à parte rei, non inde ſequitur, hoc genus entis rationis eſſe à parte rei.

Ad vlt. Ad vlt. ſi ſequamur opinionem Soncinatis explicatam in quinta opinione huius quæſtionis, dicimus, quando intellectus enuntiat hanc propoſitionem, roſa eſt flos, cognita natura roſæ & floris, ſequi per naturalem reſultantiam notionem ſubiecti in roſa, & attributi in flore, quia ad exiſtentiam harum notionum non eſt neceſſe, vt actus intellectus directe terminetur ad ipſas notiones, ſed ſat eſt, vt terminetur ad illarum fundamenta, vel ſubiecta denominata. Neque hinc fit dari ens rationis extra operationem intellectus, etenim quamuis actio intellectus, quando profert dictam propoſitionem, directe nullo modo terminetur ad notiones, terminatur tamen ad illarum fundamenta, ad quorum cognitionem illico per naturalem reſultantiam ipſæ ſequuntur. Si vero amplectamur alteram ſententiam Caietani ibidem recenſitam, reſpondendum erit, negādum eſſe, quando intellectus profert hanc enuntiationem, roſa eſt flos, cognita tantum natura roſæ & floris, iam eſſe ſubiecti & attributi notiones formaliter. Nam illæ, vt ſint, debent apprehendi ab intellectu, per actum ad eas terminatum, vnde tantum erunt, antequā intellectus illas apprehendat fundamentaliter, quia roſa & flos ſunt fundamenta harum notionum. Verum ex his opinionibus, quænam ſit verior, in quæſt. ſeq. explicabimus.

QVÆSTIO III.

An ens rationis habeat eſſentiam & exiſtentiam realem.

INprimis habere exiſtētiam realem, ita confirmo. Exiſtentia, quæ competit rei ante operationem intellectus eſt realis, ſed exiſtentia entis rationis illi competit ante operationem intellectus, ergo erit realis. Confirmatur aſſumptio, nam propoſitio eſt aperta Omne obiectum præcedit ſuam facultatem ſecundum aliquam exiſtentiam, ſed ens rationis eſt obiectum intellectus, etenim ens commune, analogum enti rei & rationis, eſt obiectum adæquatum intellectus, ergo ens rationis præcedit intellectum, ſecundum aliquam exiſtentiam. *1. Argum.*

2. Cauſa realis debet producere effectum ſecundum exiſtentiam realem, nam influit aliquid in effectum à ſe editum, at influxus ſemper fit ſecundum aliquam entitatem realem, ſed ens rationis habet cauſam realem, nimirū intellectum, ergo habebit exiſtentiam realem. *2. Argum.*

3. Quidquid reuocatur de non eſſe ad eſſe, à cauſa reali, debet exiſtere exiſtentia reali, ſed ens rationis reuocatur de non eſſe ad eſſe, & à cauſa reali, ergo habebit exiſtentiam realem. *3. Argum.*

4. Argum. 4. Ante operationem intellectus dantur in rebus ipſis priuationes, vt cæcitas, tenebræ, & malum, ſed priuationes ſunt entia rationis, ergo ante operationem intellectus erit aliqua exiſtentia entis rationis.: ſed omnis exiſtentia, quæ eſt ante operationem intellectus, eſt realis, ergo ens rationis exiſtet exiſtentia reali.

5. Argum. 5 Confirmo habere eſſentiam realem. Quæ à nullo dependent, ſunt entia rei, vt eſt perſpicuum, ſed eſſentia entis rationis à nullo dependet. nam eſt perpetua, quemadmodum & eſſentiæ aliarum rerum, at perpetua à nullo dependent, ergo ens rationis habebit eſſentiam realem.

In hac quæſtione explicandum erit inprimis, an ens rationis habeat eſſentiam & exiſtentiam. deinde a quo ſint in illo hæc duo petenda, tertio neque eſſentiam, neque exiſtentiam eſſe realem, & tandem, num exiſtentia dependeat ab actione intellectus per ſe & directe ad ens rationis terminata, vel ad ſuum fundamentum, necne? Quæ omnia ſequentibus concluſionibus explicabimus.

1. Concluſio. Prima concluſio. Entia rationis veram habent & legitimam eſſentiam. Confirmatur primo. Quidquid eſt præter nihil, habet eſſentiam, quemadmodum & eſſe, ſed ens rationis eſt præter nihil, ergo habebit veram eſſentiam. Secundo. Eſſentia eſt illud, quod exprimitur per eſſentialem diffinitionem, ſed ens rationis diffinitur eſſentiali diffinitione, illud quod cõſequitur rem, vt eſt obiectiue in intellectu, vt expoſuimus in prima quæſtione, ergo ens rationis habebit veram eſſentiam. Et tertio, ens rationis obtinet multas proprietates, quas de illo concludimus in Dialectica, ſed proprietates fluunt ab eſſentia rei, ergo ens rationis habebit eſſentiam.

2. Concl. 2. Concluſio. In eiſdem entibus rationis datur vera exiſtentia. Confirmatur primo ex communi omnium cõſenſu, qui vt eſſentiam, ita etiam & exiſtentiam his entibus concedũt. Secundo, quia exiſtentia eſt terminus intrinſecus, & actus eſſentiæ, ſed entia rationis habent veram eſſentiam, ergo habebunt veram exiſtentiam.

Tertio. Ad omnem naturam integram ſequitur exiſtentia eiuſdem generis & rationis, ſed natura entis rationis eſt natura integra, cum nullius alterius naturæ ſit pars, ergo ad illam ſequetur exiſtentia eiuſdem generis & rationis, quare ens rationis habebit exiſtẽtiam.

A quo tamen ſint illa, & eſſentia petenda, nondum eſt exploratum. Quidam exiſtimant, petendam eſſe à denominatione ſubiecti, vel *1 Opin. quorundam.* entis rei, eſſentiam petendam eſſe ab eo, quod eſt poſſe denominare, exiſtẽtiam vero ab actu denominandi. Vnde quemadmodum accidẽtia rei tam eſſentiam, quam exiſtentiam habẽt, ex habitudine ad ſubiectum, eſſentiam ex inhærentia aptitudinali, exiſtentiam vero ex actuali, ita quoque accidentia rationis, ex habitudine ad ſubiectum, tam eſſentiam, quam exiſtentiam conſequentur, eſſentiam ex denominatione ſecundum aptitudinem, exiſtẽtiam vero ex denominatione ſecundum actum. Ego vero ſemper in ea extiti opinione, nõ a ſubiecto, ſed ab intellectu, totam eſſentiam & exiſtentiam entis rationis eſſe hauriendam, quam vt explicem, hanc concl. ſubiungo.

3. Concluſio. In entibus rationis eſſentia ex *3. Concl.* potentiali quadam, & habituali relatione ad intellectum eſt deptomenda: exiſtentia vero ex relatione ſecundum actum ad eundem intellectum. Quare vt accidentia rei per habitudinem potentialem ad ſubiectum obtinent eſſentiam, & per actualem exiſtentiam: ita quoque entia rationis ex potentiali habitudine ad intellectum conſequentur eſſentiam, & ex actuali exiſtentiam. Hæc concl. ex his, quæ in quæſtionibus ſuperioribus docuimus, ſatis ſupereſt confirmata, in illis ſiquidem docuimus, totam entitatem & naturam huius entis eſſe a ratione & intellectu. Et quidem cum illa ſit alicuius rei natura, quæ per illius definitionem exprimitur, & per diffinitionem entis rationis, non habitudo ad ſubiectum, ſed ad intellectũ exprimatur: nam diffinitur, quod conſequitur rem, vt habet eſſe obiectiue in intellectu, illius natura non ex habitudine ad ſubiectum, ſed ad intellectum erit petenda.

4. Concluſio. Entia rationis non poſſunt *4. Concl.* habere eſſentiam realem, ſed illam habent ab intellectu dependentem. Hæc ſequitur ex ſuperiori, & præterea confirmatur. Primo. Accidentia rei non poſſunt habere eſſentiam rationis, ergo neque accidentia rationis habere poterunt eſſentiam rei. Secundo, ex nominis etymologia, quia ens rationis eſt, quod a ratione & intellectu dependet. Tertio, quia alioquin entia rationis eſſent entia rei, illud ſiquidem, quod habet eſſentiam rei, eſt ens rei.

5. Concluſio. Entia rationis non poſſunt *5. Concl.* habere exiſtentiam realem, ſed illam habẽt ab intellectu. Primo. Actus & potentia in eodem genere continentur, ſed eſſentia entis rationis, quæ ſe habet veluti potentia ad actum, reſpectu exiſtentiæ eſt rationis, ergo & exiſtentia erit quoque rationis, & non rei. Secundo

Eſſentia entis rei non poteſt terminari, aut actuati, ab exiſtentia rationis, ergo neque eſſentia entis rationis terminari, aut actuari poterit ab exiſtentia reali. Sequeretur, etiamſi eſſet realis, vt idem eſſet ens rei & rationis, rei propter exiſtentiam realem, quam haberet, rationis vero propter eſſentiam rationis, quod ſane admittere maximum eſſet abſurdum.

6.Concl. 6 Concluſio. Exiſtentia entis rationis perfecta dependet ab actione intellectus directe ad entia rationis terminata: imperfecta vero ab eadem actione ad ſolum fundamentum, vel ad ſubiectum denominatum terminata. Iam diximus, litem eſſe inter Caietan. & Soncinat. in hac re, quia Caietanus putat, exiſtentiam entis rationis dependere ab actione intellectus ad ſe terminata. Soncinas vero ab actione intellectus terminata ad fundamẽtum, vel ad ſubiectum denominatum. Ego vero mediam quandam ſententiam, tanquam veriorem eligendam eſſe exiſtimaui, in eſſe imperfecto, aut (vt dicunt) inchoatiue dependere ab actione terminata ad fundamentum, in eſſe tamen perfecto, aut (vt aiunt) completiue, dependere ab actione ad ipſa terminata: quæ ſententia, quamuis ſemper mihi placuerit, nũc multo magis placet. Quam vt explicem, ſciendum eſt, in accidentibus rei aliquando dari imperfectam quandam & inchoatam exiſtentiam, & aliquando perfectam & abſolutam, vt in calefactione, qua media ignis generatur, calor habet exiſtentiam imperfectam & inchoatam, etenim quemadmodum ibi eſt calor inchoatus & imperfectus, pari quoque ratione debet eſſe inchoata quædam & imperfecta exiſtentia eiuſdem: at vero poſtquam genitus eſt ignis, idem calor iam habet perfectam & abſolutam exiſtentiam, cum iam habeat perfectam rationem caloris. Pari ratione, quãdo intellectus cognoſcit fundamentum alicuius entis rationis, vt v. g. quando intellectus cognoſcit roſam, quæ ſubeſt flori, qui eſt ipſius attributum, iam habet inchoatam quandam & imperfectam exiſtentiam, notio ſubiecti, quæ eſt ens rationis, & a qua roſa denominatur ſubiectum: verum quando deinde idem intellectus cognoſcit actu reflexo notionem ſubiecti, illamque comparat notioni attributi, tunc eadem notio conſequitur perfectam & abſolutam entis rationis exiſtentiam. Et ratio eſt: quia cognitio fundamenti eſt (vt ſic loquar) inchoata quædam generatio entis rationis: cognitio vero eiuſdem entis rationis eſt abſoluta eiuſdem generatio, vt calefactio eſt inchoata generatio caloris, productio vero ignis eſt abſoluta eiuſdem generatio, at quando forma aliqua habet inchoatam generationem, habet quoque inchoatam exiſtentiam, quando vero illius generatio fuerit abſoluta, & abſolutam quoque retinebit exiſtentiam. Ex his ſatis, ni fallor, ſupereſt noſtra aſſertio explicata, quæ poteſt confirmari in hunc modum Primoque cognito fundamento exiſtere imperfecte & inchoatiue. In relationibus rei, poſito proximo fundamento, iam eſt inchoata quædam exiſtentia relationis: nam relatio a fundamento habet exiſtentiam in ſubiecto, ac proinde poſito fundamento, debet neceſſario poni inchoata relationis exiſtentia, ergo & in entibus rationis poſito fundamento proximo, poni debet inchoata quædam illorum exiſtentia, cum in vtriſque accidentibus par & æqualis ratio eſſe videatur, ſed cognitio paſſiua ſubiecti entis rationis, eſt fundamentum proximum ipſius, ergo ad hanc paſſiuam ſequetur inchoata eiuſdem exiſtentia. Secundo, non habere perfectam & abſolutam exiſtentiam, niſi per actionem ad ipſum terminatam, confirmatur inprimis, quia hæc entia dicuntur ab Ariſt. entia in anima Deinde quia a D. Tho. *lect.* 2. *lib.* 4. *Metaphyſ.* expreſſe habemus, hæc entia non eſſe, aut quod idem eſt, non exiſtere, niſi quando intellectus aliquid negotiatur circa illa, quod intelligi neceſſario debet de exiſtẽtia perfecta. Et tertio, quia eadem eſt ratio in hac re quorundam & aliorum entium rationis, at relationes rationis non exiſtunt perfecte, niſi per actionem intellectus, ad ipſas terminatam, nam non referuntur ad ſuum terminum, niſi per intellectum ipſas referentem, ergo & in omnibus aliis perfecta exiſtentia ab huiuſmodi actione intellectus dependebit.

Ex his colligimus, exiſtẽtiam entis rationis ſuſcipere incrementa, nam aliquando eſt maior, aliquando minor, aliquãdo perfecta, & aliquando imperfecta, nam eſt minor & imperfecta, quando eſt inchoata, eſt autem maior & perfecta, quando fuerit abſoluta. Poſſumus etiam ex hac noſtra opinione conciliare Caieta. cum Soncinat. ſi dicamus, Soncinat. intelligendum eſſe de exiſtentia inchoata & imperfecta, Caiet. vero de altera perfecta & abſoluta. *Conſectariũ.*

Iam ad argumenta propoſita. Ad primum reſpon. negando minorem propoſ. Ad confirm. dicimus in potentiis ſpeculatiuis, vel quæ habẽt modum illarum, obiectum præcedere potentiam, ſecundum aliquam exiſtentiam, in practicis vero, aut in his, quæ habent modum practicarum, hoc non eſſe verum. Intellectus autem, reſpectu entis rationis, modum *Ad 1.argum.*

habet

habet potentiæ practicæ, cum ſua actione illud conficiat, ac proinde, ens rationis non antecedet intellectum ſecundum aliquam exiſtentiam, quin potius illud ſubſequetur. Vel dicimus obiectum quod primo, & per ſe percipitur ab intellectu, debere eſſe prius illo ſecundum aliquam exiſtentiam, quod vero percipitur ſecundario, quodque conſequitur ſubiectum primarium, vt percipitur ab intellectu, non debere eſſe prius, ſed poſterius, cum conſequatur actionem intellectus. At obiectum quod primo & per ſe percipitur ab intellectu eſt ens rei, nam ens rationis tantum percipitur per ſpeciem entis rei vt quęſt 5. huius ſectionis oſtendemus, ens vero rationis, conſequitur ens rei, vt percipitur ab intellectu, quare ens rei antecedet intellectum ſecundum aliquam exiſtentiam, ens vero rationis nequaquam.

Ad 2. Ad 2. reſpon veram eſſe maiorem propoſitio. De effectu, primo & directe producto ab intellectu, at ens rationis ſecundario, & indirecte producitur, nam quod primo, & directe fit ab intellectu eſt intellectio, & verbum ab ea genitum, verum quia ad intellectionem ſequitur habitudo quædam rationis in rebus, vel ſubiecti, vel attributi, vniuerſi, vel ſingularis, propterea hæc habitudo indirecte, & ſecundario producitur, quare neq; in ipſam aliquid reale influet intellectus, hoc enim modo, tantum influit in actionem intelligendi, cui communicat eſſe rei categoriæ qualitatis. Ad confir. eodem modo reſpond. veram eſſe maiorem propoſitio. de illo quod primo, & directe reuocatur de non eſſe ad eſſe, falſam vero de illo quod reuocatur ſecũdario, & indirecte, qua ratione ens rationis reuocatur ab intellectu de non eſſe ad eſſe, legendus eſt M. Sotus. *q. 3. de rebus vniuerſis* Sonci. *6. Metaph. qu.* 18. qui explicant num ens rationis habeat cauſam ſibi conferentem eſſe necne.

Ad 3. Ad 3. reſpond. dari à parte rei priuationes, in eſſe formali priuationis, non tamen in ratione entis, quare neganda eſt conſequentia, dantur priuationes à parte rei, ergo dabitur à parte rei exiſtentia entis rationis, quia priuationes, vt ſunt entia, vel vt exiſtunt, non ſunt à parte rei; ſed in intellectu, vt expoſuimus in quæſtione ſuperiori.

Ad 4. Ad 4. reſpond Negando aſſumpt. ad confir. dicimus, quod quamuis admitteremus (quod non admittimus) perpetua poſitiue à nullo dependere, de perpetuis tamen negatiue. eſt hoc omnino negandum, qua ratione eſſentię rerum omnium tam rei, quam rationis dicuntur perpetuæ, vt ſupra explicuimus. Vel dicimus etiam de perpetuis poſitiue falſum eſſe à nullo dependere, quia veritas cõcluſio. in demonſtrationis, eſt perpetua poſitiue, quæ tamen dependet à veritate principiorum, & iuxta Ariſtot. intelligentiæ, & orbes cæleſtes, ſunt perpetui poſitiue, qui tamen dependent à Deo in genere cauſæ efficientis.

QVÆSTIO IV.

An entia rationis inhæreant alicui tanquam ſubiecto.

ESſe in aliquo tanquã in ſubiecto, vel vt dicunt inhæſiue his argumentis confirmo.

1. Forma denominans inhærere debet ſubiecto denominato, ſed ens rationis eſt forma denominans ens rei, ergo inhærebit enti rei, propoſitio eſt aperta, confirmatur aſſumtio, quia genus, & ſpecies, quæ ſunt entia rationis, denominant animal, & hominem, qui ſunt entia rei. *1. Argum.*

2. Omne quod eſt, aut eſt per ſe aut in aliquo tanquam in ſubiecto, nam eſſe per ſe, & in alio, ſunt duo modi generales, ambientes omne ens, ſed ens rationis non eſt ens per ſe, nam eſſet ſubſtantia, ergo erit in alio tanquam in ſubiecto: *2. Argum.*

3. Diffinitio, diuiſio, & argumentatio, ſunt entia rationis, ſed hæc ſunt in intellectu tanquam in ſubiecto, ergo ens rationis erit in aliquo tanquam in ſubiecto. *3. Argum.*

4. Cœcitas, tenebræ, & aliæ huiuſmodi priuationes, ſunt entia rationis, atqui illæ inhærent alicui ſubiecto, ergo, cõfir. aſſumtio quia tenebræ ſunt in aere, & cœcitas in oculo, quæ duo eſſe ſubiecta harum priuationum, nulli poteſt eſſe dubium. *4. Argum.*

Vltimum. Accidens quod non eſt in aliquo tanquam in ſubiecto, nullibi eſt. nam proprius modus eſſendi accidentis, eſt eſſe in, ergo ſi ens rationis non eſt in aliquo tanquam in ſubiecto, (cum ſit accidens,) nullibi erit, quod certe admittere eſt abſurdum. *5. Argum.*

In hac quæſtione eſt opinio Scoti. *q. 9. in Porphy* ens rationis eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto, loquebatur ille in illa quæſt. de vniuerſalitate, vel de notione vniuerſi, quæ eſt ens rationis, & inquit, illam in rebus eſſe tanquam in ſubiecto, & in intellectu tanquam in cauſa efficiente vniuerſalitatem, vel tanquam in cognoſcente ipſam. Confirmat hanc opinionem argu. primo à nobis propoſito. Nos in illius patrocinium alia argum. addidimus. Hanc eandem acerrime tuetur Carolus Billeus in ſua diſputatione de notionibus ſecundis. *1. Opin.*

Secunda opinio, & noſtro iudicio multo verior, eſt ens rationis non eſſe in aliquo tanquam *2. Opin.*

In ſub-

in ſubiecto, ſed tantum conſequi rem vt eſt obiectiue in intellectu, conſequi quidem, nõ quod in re reſultet aliquod accidens ſibi inhærens, ſed quia extrinſeca quadam denominatione, ex eo quod res eſt ſic obiecta intellectui, eſt ſubiectum, vel attributum, vel quidpiam huiuſmodi ſpecierum entis rationis. Hanc ſequuntur D. Thom. *opuſculo 48. tractatu 2. cap. 1. & opuſculo. 56.* Niger *q. 4. Clypei* & M. Sotus *q. 3. de rebus vniuerſis*, Soncin. *6. Metaphyſ. q. 16.* & Iauellus *in diſputatio. de Tranſcendentibus diuiſione. 1. dubitat. vnica.* Herueus *Quodlib. 3. q. 1.*

Concluſio. Sit prima concl. Ens rationis non eſt in intellectu tanquam in ſubiecto. Hanc docet D. Th. in loco ſuperiori, Herueus quodlibeto citato, Durandus *in primo diſtinctione 19. q. 5.* Imo Scotus vbi ſupra idem ſentit. Et confirmatur, quia ens rationis non denominat intellectum, neque enim intellectus (vt eſt facultas cognoſcens) eſt genus, vel ſpecies, vel aliud genus entis rationis, ſed omne accidens alicui inhærens, denominat illud cui inhęret, ergo ens rationis non inhærebit intellectui.

Concluſio. 2. Concl. Ens rationis non eſt in rebus, vt in arbore (verbi gratia) vel animali, tanquam in ſubiecto. Hæc eſt aduerſus Scotum, & Billeum, & confirmatur primo. Quidquid eſt in aliquo tanquã in ſubiecto, eſt à parte rei, quemadmodum & ſubiectum cui inhæret, eſt quoq. à parte rei, ſed ens rationis non eſt à parte rei, cum tantum habeat eſſe beneficio intellectus, vt conſtat ex ſuperioribus, ergo non erit in rebus tanquam in ſubiecto. Secundo cui conueniunt proprietates entis rei, eſt ens rei, ſed inhærere eſt proprietas accidentis rei, ergo ſi ens rationis alicui ſubiecto inhæreat, erit ens rei, hoc autem implicat contradictionem, ergo ens rationis nulli ſubiecto inhærebit. Tertio accidentia quæ ſubiecto inhærent, tam eſſentiam, quam exiſtentiam habent ab illo: nam accidentis eſſe, eſt ineſſe, vt inquit Ariſtot. *7. Metaph. cap. 1.* ſed entia rationis ab intellectu, & non à ſubiecto, habent eſſentiam, & exiſtentiam, vt conſtat ex quæſtione ſuperiori, ergo. Præterea in accidentibus exiſtentia ex inhærentia eſt petenda, vt oſtendimus *2. lib. Tranſcen. ca. 10* ergo ſi ens rationis inhæret naturis quæ ſunt à parte rei inhęrentia reali, vt alii volunt, ens rationis habebit exiſtentiam realem, vnde fieret ens rationis, eſſe ens rationis, & non eſſe, eſſe quidem quia habet naturam rationis, non eſſe vero, quia non habet exiſtentiam rationis, ſed realem, quod certe cum implicet contradictionem, ens rationis non inhærebit alicui ſubiecto.

3. Concluſio. Tertia concluſio. Ens rationis tantum habet eſſe obiectiue in intellectu, vel conſequitur rem, vt eſt obiectiue in illo: vnde hoc genus entis, nullum aliud eſſe in aliquo habebit, quam eſſe obiectiuum. Hæc abunde ſatis in ſuperioribus fuit explicata. & quia eſſe obiectiue in intellectu, eſt quædam extrinſeca denominatio, qua res ab actione intellectus, dicuntur cognitæ, vniuerſæ, vel ſingulares, genera, vel ſpecies, hæc entia nihil ponent in re à parte rei, ſed ſolam extrinſecam denominationem denotabunt, quemadmodum parietem eſſe viſum, quod eſt quoddam genus entis rationis, nihil ponit in illo, ſed extrinſece dicitur viſus, à viſione, quæ eſt in oculo, vt columnam eſſe dexteram, nihil ponit in illa, præter extrinſecam denominationem, qua denominatur dextera, legendus eſt M. Soto, *vbi ſupra.*

Ad argumenta. Ad primum dicimus, in denominationibus quæ petuntur ab intrinſeco, formam denominantem, debere eſſe in ſubiecto denominato, vt paries denominatur albus, ab albedine ſibi inhærente: in denominationibus vero quæ petuntur ab extrinſeco, non erit hoc verum, nam corpus dicitur locatum à loco, non ſibi, ſed corpori ambienti inhærente, & agens dicitur agens ab actione, quæ inhæret paſſo: quare cum denominatio entis rationis ſit ab aliquo extrinſeco petita, vt nunc proxime in vltima concluſio. dicebamus, non inhærebit illud ſubiecto denominato. *Ad 1. arg.*

Ad 2. reſp. illam diuiſionem entis, in ens per ſe, & in alio eſſe diuiſionem ſolius entis rei, vt oſtendimus 1. lib. Tranſcen. *cap. 4. & 5.* quare nihil mirum cum ens rationis non ſit ens rei, quod non contineatur ſub his membris diuidentibus per ſe, vel in alio. *Ad 2.*

Ad 3. dicimus, diffinitionem, diuiſionem, & argumentationem, poſſe ſumi, aut pro actionibus diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, aut pro notionibus, à quibus hæ actiones denominantur diffinitiones, diuiſiones, & argumẽtationes. Primo modo ſunt entia rei, & inhærent intellectui. Secundo vero ſunt entia rationis, & illi non inhærent, ſed habent eſſe obiectiuum in ipſo. *Ad 3.*

Ad 4. Sæpe in ſuperioribus diximus, cæcitatem, & alias priuationes à parte rei non eſſe entia, ſed non entia & amotiones entium, quare à parte rei nulli ſubiecto inhærebunt, quia inhærere eſt modus quidam entis. *Ad 4.*

Ad 5. reſpon. cum D. Thom. *opuſc. 48. tract. 2. cap. 1.* ens rationis nullibi eſſe ſubiectiue, eſſe tamen alicubi obiectiue, ſcilicet, in intellectu. Neque verum eſt illud quod in argumento proponebatur, proprium modum accidentium eſſe *Ad 5.*

ſubie-

ſubiecto inhærere: hoc enim verum eſt de accidentibus rei, & non rationis, quorum proprius modus eſt eſſe obiectiue in intellectu.

QVÆSTIO V.

An ens rationis cognoſcatur per ſpeciem entis rei.

QVærimus vltimo, de modo quo cognoſcitur ab intellectu ens rationis, num ſcilicet per propriam, vel per alienam ſpeciem entis rei cognoſcatur. Et quidem non cognoſci per ſpeciem entis rei, his argumentis poteſt confirmari.

Argum. Primum. Ens rationis nullo modo poteſt cognoſci, ergo neq; per propriam, neq; per alienam ſpeciem entis rei, cognoſcetur. Conſequentia eſt aperta, confirmatur antecedens. Omne obiectum eſt prius (ſaltim natura) facultate, quæ verſatur in ipſo, vt ſæpe repetit Ariſt. 2. *lib. de anima cap. 3. & 4 & aliis*, ſed ens rationis non eſt prius facultate intelligendi, ſed poſterius: nam habet eſſe per intellectum, ergo non poterit eſſe illius obiectum, & ex conſequenti non poterit cognoſci ab illo. Et confirmatur. Obiectum intellectus non poteſt eſſe minoris entitatis & perfectionis, quam ſit intellectio, ſed intellectio eſt ens rei, ergo cum ens rationis ſit minoris entitatis & perfectionis, quam ens rei, non poterit illud ab intellectu apprehendi.

Argum. Secundum. Omnis cognitio debet fieri per aliquam ſimilitudinem, ſed ſpecies entis rei nullam habet ſimilitudinem cum ente rationis, ergo non poterit per illam cognoſci. Confirmatur minor. Quæ genere differunt non poſſunt habere eandem ſimilitudinem, ſaltim quæ propria vtriuſque repræſentet, ſed ens rei, & rationis genere differunt, ergo non poterunt habere aliquam ſimilitudinem, quæ vtrunque repræſentet: at ſpecies entis rei eſt ſimilitudo entis rei, ergo non poterit ens rationis cognoſci per ſpeciem entis rei.

Argum. Præterea. Magis differunt ens rei, & ens rationis, quam homo & equus: vel ferrum, & aurum: ſed per ſpeciem hominis, vel ferri, non poſſumus cognoſcere equum, vel aurũ, ergo neq; per ſpeciem entis rei, poterit cognoſci ens rationis.

Argum. Vltimo. Ens eſt homonymum à conſilio ad ens rei, & rationis, vel vt alii dicunt, eſt analogum ad vtrunque, vt lib. 1. Transcen. *cap. 7. & aliis* diſputabamus, ergo ſi per eandem ſpeciem entis rei poſſet vtrunque cognoſci, daretur intra mentem homonymia, vel æquiuocatio, quod omnium Dialecticorum placitis aduerſatur. Omnes ſiquidem vno ore profitentur, intra mentem nullam poſſe dari æquiuocationem, ergo non poterit ens rationis cognoſci per ſpeciem entis rei.

1. Opin. Duæ ſunt in hac quæſtione Philoſophorum ſententiæ. Prima eſt ens rationis cognoſci per propriam ſpeciem, & non per ſpeciem entis rei, quæ non eſt educta à phantaſmatibus, neque per actum directum intellectus, ſed per reflexum ex ente rei, vt illud eſt obiectiue in intellectu, ad hunc modum. Species intellectilis entis rei (v.g. hominis) repræſentat naturam humanam ſeparatam à proprietatibus vniformẽ, indifferentem, & vniuerſam, cuius vniformitatem (quæ eſt ens rationis) per actum reflexum cernens deinde intellectus, ex illa vel vniuerſalitate, elicit ſpeciem quandam intellectilem, quæ ipſam repræſentet, & per quam tanquam per propriam ſimilitudinem, intellectus ipſummet ens rationis apprehendit. Probabilis ſane opinio.

2. Opin. probabilior. Multo tamẽ probabilior eſt alia ſecunda, quæ conſtituit ens rationis tantum cognoſci per ſpeciem intellectilem entis rei, non primo, & per ſe, ſed ſecundario, & ex conſequenti: nam ſpecies entis rei, primo & per ſe, repræſentat ens rei, ſecundario vero, & ex conſequenti, ens rationis, vt ſpecies intellectilis hominis primo, & per ſe repræſentat naturam humanam, verum quia illa ita repræſentata, auulſa eſt à proprietatibus ſingularibus, vniformis & vniuerſa, ſecundario & ex conſequenti hanc vniformitatem, & notionem vniuerſi repræſentat.

Pro explicatione aduertimus primo. Duplicem eſſe ſpeciem intellectilem, vnam impreſſam, quæ lumine intellectus agentis elicitur à phantaſmatibus illuſtratis: & alteram expreſſam, quæ generatur à mente, ad rem in actu ſecundo repræſentandam, quæ conceptus, vel verbum genitum à mente nuncupatur.

Secundo annotamus, inter ea quæ cognoſcuntur ab intellectu, quædam eſſe illi proportionata, & alia improportionata. Prioris generis ſunt naturæ rerum materialium, vt inquit D. Tho. 1. *p. q* 88. *art.* 7. Secundi vero ſunt diſtributa in duas partes, nam quædam ſunt improportionata propter minimam, & alia propter maximam entitatem. Entia rationis ſunt improportionata propter minimã entitatem: Deus vero & ſubſtantiæ ſeparatæ, improportionantur propter maximam entitatem. Commune tamen eſt vtriſque, vt cognoſcantur per ſpeciem alienam, illius ſcilicet entis, quod eſt proportionatum intellectui, & ita Deus cognoſcitur, per ſpeciem creaturarum. *Legẽda ſunt quæ ab Ariſt. & Metaph. traduntur. 2. Metaph. c. 2. maxime à D. Thoma, & Sueſan. in Cõmenta.*

Illud etiam ſciendum erit, duobus modis poſſe aliquid cognoſci, vno in ſe, quando ni-

mirum cognoſcitur per propriam, & adæquatam ſpeciem, vt quando roſa cognoſcitur per propriam ſpeciem roſæ: alio modo in alio, quando ſcilicet per alienam, vel non adæquatam ſpeciem intelligitur, vt quando partes cognoſcuntur per ſpeciem totius. Tandem cum ſint tria genera entium rationis, negationes, priuationes, & relationes, primo explicandum erit in communi, per quam ſpeciem cognoſcantur, deinde vero de ſingulis ſigillatim, & ſeorſum erit idem tradendum.

Concluſio. His animaduerſis, ſit prima concluſio. Ens rationis eſt cognoſcibile. Hanc nullus diffitetur, eſt enim apertiſſima. nam ens rationis poteſt definiri, & ſciri: poſſe diffiniri cõſtat ex definitione ipſius propoſita in ſuperioribus, & ex definitione generis & ſpeciei, quæ ſunt entia rationis: poſſe vero ſciri, confirmatur. Quia Dialectica (quæ eſt ſcientia) in illo explicando tanquam in proprio obiecto verſatur: at quæ habent definitionem, & ſubiacent alicui ſcientiæ, ab intellectu ſunt nata apprehendi.

Concluſ. 2 Concluſ. Ens rationis non cognoſcitur per propriam ſpeciem intellectilem impreſſam quæ ſit educta à phantaſmatibus. Hæc etiam eſt ſatis aperta. Quæ confirmatur, quia ens rationis nulla habet phantaſmata, nam illa ſunt ſenſilia, affecta ſcilicet qualitatibus ſenſibilibus, vt calore, frigore, humiditate, ſiccitate, & aliis. at ens rationis non eſt aliquid ſenſile. Et præterea, quia ſpecies huius generis prius extiterunt in ſenſu, quam in intellectu, quia nihil eſt in intellectu, quin prius extiterit in ſenſu, ex t. de demonſtr. *cap. 14.* verum ens rationis nunquam exiſtit in ſenſu, neque exiſtere vlla ratione poteſt in eo,

Concluſio. 3. Concluſio. Ens rationis non poteſt cognoſci per propriam ſpeciem impreſſam, à ſeipſo eductam. Prima quia ſpecies intellectilis eſt ens rei: nam eſt qualitas in prima ſpecie ſub habitu contenta, ſed ens rei non poteſt ab ente rationis ſaltim propria virtute produci (vt produceretur, ſi ſpecies intellectilis oriretur ab ipſomet ente rationis) ergo non poterit ab illo produci. Secundo, quia materia prima eſt magis ens, quam ens rationis, cum ſit ens rei, & ſubſtantia, quæ tamen non cognoſcitur per propriam aliquam ſpeciem, ſed per formam, quæ nobis materiam latentem manifeſtat: vnde cognoſcitur per analogiam ad formam, vt inquit Ariſtoteles *1. Phyſicorum cap 7.* ergo neque ens rationis cognoſcetur per propriam ſpeciem.

Concluſ. 4. Concluſ. Ens rationis cognoſcitur per ſpeciem impreſſam entis rei. Confirmatur à ſufficienti diuiſione. Ens rationis debet cognoſci per aliquam ſpeciem, ſed non cognoſcitur per propriam, ergo cognoſcetur per alienam entis rei. Tum etiam quia quæ non ſunt proportionata intellectui, non poſſunt ab illo alio modo quam per ſpeciem entis proportionati cognoſci, nam ob hanc cauſam Deus in hac vita non cognoſcitur per propriam ſpeciem, ſed creaturarum, quia eſt obiectum improportionatum, creaturæ vero ſunt proportionatæ intellectui, vt egregie explicat Ferrarienſis *1. contra gent. cap. 55.* ſed ens rationis eſt obiectum improportionatum intellectus, propter minimam ipſius entitatem, ergo non cognoſcetur niſi per ſpeciem entis rei, tantum enim hoc genus entis eſt proportionatum intellectui. Cognoſcetur itaque ens rationis per hanc ſpeciem, quæ primo & per ſe repræſentabit ens rei, ſecundario vero, & ex conſequenti, ens rationis, vt explicabamus in ſecunda opinione.

5. Concluſ. Si loquamur de ſpecie expreſſa, & de conceptu, vel verbo mentis, ens rationis non cognoſcitur per ſpeciem entis rei, ſed per propriam & peculiarem ſpeciem. Confirmatur. Primo. Quia alioquin daretur intra mentem homonymia, vel æquiuocatio, idem ſiquidem conceptus repræſentaret plura, vt plura genere, & categoria diſtincta: nam repræſentaret ens rei, & rationis, quæ differunt genere categoriæ. Secundo. Quia ens rationis cognoſcitur per cognitionem diſtinctam à cognitione entis rei, ſed cuilibet cognitioni aſſignari debet ſuum proprium & peculiare verbum, ſuaque ſpecies expreſſa, ergo ens rationis cognoſcetur per propriam ſpeciem. *5. Concluſ.*

Verum dices ab vna ſpecie tantum poteſt oriri verbum vnius rationis, ſed ſpecies entis rei eſt vna, ergo ab ea tantum poterit verbum vnius rationis oriri: non ergo ab ipſa orietur verbum quo cognoſcimus ens rei, & quo cognoſcimus ens rationis, nam hæc verba ſunt ratione diuerſa, qua re per verbum entis rei cognoſcetur ens rationis. *Obiect.* Reſp. veram eſſe propoſitionem de ſpecie adæquata, & non de excedente, vel inadæquata, qualis eſt ſpecies entis rei, nam per ſpeciem domus producimus conceptus diuerſę rationis, fundamenti, parietum, & aliarum partium, eo quod hæc ſpecies eſt inadæquata ſingularum partium. *Solutio.* Eodem modo ſpecies entis rei eſt illi inadæquata, cum præter ipſum repræſentet ens rationis, atq. ita poterit ab illa prodire conceptus repræſentans ens rei, & alius qui repræſentet ens rationis. Producimus autem per ſpeciem entis rei conceptum entis rationis, ad hunc modum. Cum hæc ſpecies referat ens rei, & illius modum, qui eſt ens rationis, vt ſpe-

cies

cies hominis repræſentat hominem, & notionem vniuerſi, quæ eſt quidā modus illius, quando vult intellectus intelligere ens rationis (pro inſita ſibi libertate) vtitur huiuſmodi ſpecie ad intelligendum ens rationis, & non rei, atque ita producit verbum quod repræſentet ens rationis, & ſit illius imago, & ſimilitudo in actu ſecundo. Quemadmodum quando architectus vult producere verbum parietis, vtitur pro ſua libertate ſpecie domus, ad parietem, & non ad fundamentum intelligendum.

6. Concluſio. 6. Cōcl. Inter entia rationis negationes cognoſcūtur per ſpeciē impreſſam affirmationis ad hūc modum, ſi fuerit negatio in propoſitione, vel cōiuncta cognoſcetur per ſpeciē ſubiecti, & attributi propoſitionis contrariæ aientis, vt hæc propoſitio negās, homo non eſt candidus, cognoſcitur per ſpeciem ſubiecti, & attributi huius affirmantis, homo eſt candidus, ſi vero fuerit negatio ſimplex, cognoſcetur per ſpeciē impreſſam rei ſimplicis negatæ, vt hæc negatio non candidū cognoſcitur per ſpeciem candoris, qui eſt res negata. Ita Metaph. Sonci. Flandren. Iauel. Aqua. Sueſſa. Zerbi. Iandu. Andræas. & alii docēt. 4. *Metaph.* quærentes, an negatio habeat propriam rationem formalem, diſtinctam ab affirmatione. Confirmatur ex communi omnium ſententia, omnes ſiquidem vno ore profitentur negationem cognoſci per contrariam affirmationem. Et certe cum debeat illa cognoſci per aliquam ſpeciem, & non cognoſcatur per propriam, cum non habeat illam non videtur per quam aliam quam per ſpeciem contrariæ affirmationis poſſit cognoſci.

Concluſ. 7. Concl. Priuationes intelliguntur per ſpeciem impreſſam habituum, vel formarum quarum ſunt priuationes: vt cæcitas cognoſcitur per ſpeciem viſus, & ſurditas per ſpeciem auditus. Hæc eſt à D. Tho. ſæpe repetita: nam 1 *p. q. 15. art. 3. ad primum* de malo agens quod eſt priuatio boni, inquit illud cognoſci à Deo per rationem, & ſpeciem boni, *& q. 14. art. 10. ad 4* docet, malum non eſſe per ſe cognoſcibile neque definibile niſi per bonum, *& quaſt. 48 art.* 1. inquit tenebras cognoſci per lumen, & vnum ex oppoſitis cognoſci per alterum. Et Ariſt. 9 *Metaph c* 2 aperte hoc profitetur, & cum ipſo in illo loco Alex. Auer. & D. Th. Inquit enim Ariſt. per ſpeciem vnius contrarii poſſe ipſum, & contrarium cognoſci, vt per ſpeciem valetudinis, ipſam, & ægritudinem.

Concluſio. 8. Concl. Relationes rationis cognoſcuntur per ſpeciem ſui fundamenti, vel ſubiecti, ab eis denominati, vt notio Generis in animali cognoſcitur per ſpeciem animalis, & notio ſpeciei in homine per ſpeciem hominis. Confirmatur quia hæ relationes rationis illæ præſertim, quæ ſunt notiones ſecundę, ſunt modi quidam entium rei, in quibus ipſæ fundantur, at modus rei, per eandem ſpeciem cognoſcitur, per quam cognoſcitur res, cuius eſt modus. Præterea quia in relationibus rei, relationes non per aliam ſpeciem, quam ſui fundamenti cognoſcuntur, ergo relationes rationis quoq; per ſpeciem ſui fundamenti cognoſcentur, cum non ſit maior ratio harum quam illarum.

Iam ad argumenta. Ad primum reſp. in potentiis ſpeculatiuis, vel in illis quæ habent modum ſpeculatiuarum, obiectum antecedere potentiam: in his tamen quæ ſunt practicæ, vel habent modum practicarum hoc non eſſe verum: imo in illis obiectum eſt poſterius potentia, cum obiectum dependeat à potentia, & non potentia ab illo, & hac ratione ſe habet intellectus reſpectu entis rationis, habet ſiquidē modum potentiæ practicæ, nam ſua actione efficit illud, quamuis non primo, ſed ſecundario, vt in ſuperioribus ſæpe diximus. Vel dicimus in diuerſo genere cauſæ, obiectum & eſſe prius, & eſſe poſterius (in his inquam potentiis, quæ habent modum factiuarum) nam in genere cauſæ finalis, prius eſt obiectum, cum terminet actionem intelligendi: in genere tamen cauſæ efficientis, potentia eſt prior obiecto, quia efficit illud. Vnde ens rationis erit prius in genere cauſæ finalis potentia intelligendi, & poſterius in genere cauſæ efficientis. Ad confirmationem reſpon. falſam eſſe propoſitionē, nam ſi de entitate loquamur, relatio rei minoris eſt entitatis, quam actio intelligendi, eſt enim relatio minoris entitatis quam qualitas (vt eſt actio intelligendi) quę tamen eſt obiectum actionis intelligendi. Si vero agamus de perfectione, res materiales imperfectiores ſunt, vt qualitates ſenſiles, calor, & frigus, quam actio intelligendi, quæ tamen ſunt obiectum huius actionis. *Ad argum*

Ad 2 reſp. negando minorem. Ad confirmationem reſpon. quæ genere differunt, non poſſe habere vnam & eandem ſimilitudinem, quæ ex equo vtrumque repræſentet, bene tamen poſſe habere ſimilitudinem, quæ vnum repræſentet per ſe, & primo, & alterum ſecundario, vel ex conſequenti, tanquam modum prioris: & hac ratione ſpecies entis rei, repræſentat illud, & ens rationis. Ens rei primo, & per ſe, rationis vero ſecundario, vel ex conſequenti, & quaſi modum entis rei. *Ad 2.*

Ad 3. reſp. negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, quia quamuis in genere entis, magis differant ens rei, & rationis, quam homo *Ad 3.*

& equus: tamen homo non eſt modus aliquis equi, vel equus hominis, ens tamen rationis, eſt modus quidam entis rei, quare cũ res, & modus eius cognoſcantur per eandem ſpeciem, propter hanc cauſam ens rei, & rationis, cognoſcentur per eandem ſpeciem, homo vero, & equus, non cognoſcentur per eandem.

Ad 4. Ad 4. reſpon. negando conſequentiam, quia homonymia tunc eſt in mente, quando aliquid vnum, ex equo plura, vt plura ſunt repræſentat, non tamen quando vnum primo, & alterum ex conſequenti repræſentat. At ſpecies entis rei, non repræſentat ex equo illud, & ens rationis, ſed ens rei primo & per ſe, & ens rationis ſecundario.

SECTIO IV. DE REBVS VNIVERSIS, IN QVA de ſecundis notionibus diſputatur.

ARGVMENTVM.

Poſt explicatam naturam entis rationis, ſequitur vt de quadam illius ſpecie, nimirum notione ſecunda, qua eſt relatio rationis, in hac ſectione diſputemus. Quæ ſane diſputatio quantum ſit Dialecticis vtilis, ex eo conſtare poterit, quia ſecunda notiones ſunt in quibus explicandis tanquam in ſubiecta materia verſatur Dialectica. Diuidemus hanc ſectionem in duas partes pracipuas, in quarum prima agemus de natura, & eſſentia tam prima quã ſecunda notionis, in ſecunda vero de mutua pradicatione primarum, & ſecundarum notionum, tam in concreto, quam in abſtracto. Egit de hac re ſubtiliſſime vt de reliquis omnibus Herueus Brito vir acerrimi ingenij, & ſingularis eruditionis, in opere quodam a ſe edito de ſecundis notionibus & Quodlib 3 q. 2. Prodijt etiam ſuperioribus diebus liber ſub hac eadem inſcriptione Caroli Billet, de qua etiam egit M. Sotus q. 3. Veracruce. quæſt. 4. de rebus vniuerſis. Niger quaſt. 4. & in ſequentibus in 1. p. Clypei, & Capreolus in 1. diſtinct. 23. quaſt. 1. Caiet. cap. de Genere, & Iauellus in tract. de Tran. diuiſione 1. & multi alij quos ob breuitatem non recenſeo.

QVAESTIO I. IN QVA EXPLICATVR QVID ſit prima, & ſecunda notio.

EXordientes igitur diſputationem à definitione primæ & ſecundæ notionis, æquum erit prius quid nomẽ notionis ſignificet explicare. Fere ab omnibus Latinis notiones dictæ ſunt intentiones, nõ vt hoc nomen ſignificat actum voluntatis circa finem aſſequendum, de quo agit D. Tho. 12. qu. 12. ſed vt ſignificat actionem intellectus, qui eſt attentio illius circa res cognitas, vel tendentia in eaſdem cognoſcendas. Communi tamen nomine, magiſq; accommodato vocantur notiones, nam cum hæ ſint quędam cognitiones intellectus, magis nomine notionis, quam intentionis exprimentur. Nam cognitio intellectus à grauiſſimis viris, & Latinæ linguæ Anteſignanis, nomine notionis ſæpe exprimitur. Cicero enim, & Seuerinus Boetius notionem pro cognitione intellectus vſurpant. Etenim Cicero 1. de legibus ita inquit. Inter cæteraanimalia, ſoli homini eſt notio diuinitatis tributa. & Boetius lib. 3. commentatiorum in Topica Ciceronis, notionem definit quendam intellectum, & ſimplicem mentis cognitionem, quia intellectus in res multum diuerſas ferri poteſt. Et ſacri Theologi in hac eadem ſignificatione nomine notionis vtuntur. Nam notionem diffiniunt, rationem cognoſcendi vnam perſonam, vt diſtinguitur ab alia, vt videre licet in D. Th. *1. p. q. 32. art. 2. & 3.* In noſtro igitur inſtituto notio nihil aliud erit quam quædam cognitio intellectus, qua in res ſibi obiectas fertur.

Cæterum quia ſæpe euenit, vt obiecta eodem nomine inſigniãtur, quo actiones quę verſantur in illis, poſteriores Dialectici, nomen hoc tranſtulerunt ad ſignificandas res cognitas per intellectum. Quamuis ad auferendam homonymiam optime notionem in ſubiectiuam, vel formalem, & obiectiuam diuiſerunt. Subiectiuam, vel formalem vocant actionem intellectus, obiectiuam vero res ipſas per huiuſmodi actionem intellectas. Præterea vtramq; in duo alia membra partiti fuerunt, ſcil. in primam, & ſecundam, vnde notio ſubiectiua quædam erit

prima, & alia ſecunda, & obiectiua quædam etiam erit prima & alia ſecunda. *Obſeru.* Quam diuiſionem, vt recte intelligere poſſimus, ſciendum eſt, ex attributis quæ rebus poſſunt conuenire, quędam eſſe quæ illis conueniunt à parte rei, & citra omnem operationem intellectus, vt homini conuenit eſſe animal particeps rationis, capacem diſciplinæ, candidum, & magnum: & alia eſſe quæ illis conueniunt tantum beneficio, & ope intellectus, vt eidem homini conuenit eſſe ſpeciem, & ſubiectum: eſſe ſpeciem per intellectum abſtrahentem ipſum à proprietatibus ſingularibus, ſubiectum vero per intellectum conferentem eundem cum ſuperioribus. Notio igitur prima formalis, eſt cognitio illorum attributorum quæ conueniunt rebus à parte rei. Secunda vero eſt cognitio aliorum attributorum quæ eiſdem conueniunt beneficio intellectus. Præterea notio prima obiectiua eſt ipſamet res cognita iuxta attributa quæ ſibi conueniunt à parte rei. Secunda vero eſt ipſamet, iuxta alia attributa quæ ſibi conueniunt beneficio intellectus.

Dubita. Ex his facillimum erit proponere diffinitiones vtriuſque notionis primæ, & ſecundæ, tam ſubiectiuæ quam obiectiuæ. Notio prima ſubiectiua, ita eſt diffinienda. Cognitio intellectus, qua in illa attributa quæ rebus à parte rei conueniunt, fertur. Prima vero obiectiua diffiniri debet. Res cognita iuxta illa attributa quæ ſibi conueniunt à parte rei. Præterea ſecunda ſubiectiua diffinienda eſt. Cognitio intellectus, quæ in attributa quæ rebus conueniunt per intellectum fertur. Obiectiua vero diffiniri debet. Res cognita iuxta illa attributa, quæ ſibi conueniunt beneficio intellectus.

Ex hac diuiſione notionis in primam, & ſecundam, ortum habet celebria illa diuiſio nominum, in nomina primæ & ſecundæ notionis, de qua agunt Dialectici 1. *lib. Perhyer in cap. de nomine*, & M. Sotus, Mercado, Veracruce initio Sumularum, in diſputatione de terminis. Nomina primæ notionis dicuntur illa quæ ſignificant primas notiones, vt ſunt hæc nomina homo, arbor, elementum, Secundæ vero ſunt quæ ſignificant ſecundas notiones, vt ſubiectum, attributum, genus, ſpecies, antecedens, & conſequens.

Dubita. Quod ſi quis inquirat quęnam ſit hęc diuiſio *Solut. 1.* notionis in primam & ſecundam. Reſpondendū erit primo. Si loquamur de prima & ſecūda ſubiectiua, eſſe diuiſionem accidentis in accidentia: nam res diuiſa eſt cognitio, quæ eſt accidens intellectus, membra vero diuidentia ſunt prima & ſecunda cognitio, quę profecto ſunt accidentia cognitionis in communi: accidit ſiquidem cognitioni, eſſe de primis, vel de ſecundis attributis. Secundo reſp. erit. Si loquamur de notione *Solut. 2.* prima, & ſecunda obiectiua, eſſe diuiſionē analogi in analogata, nā eſt diuiſio entis in ens rei, & rationis, eſt enim prima notio ens rei, vt poſtea oſtendemus, ſecunda vero ens rationis, at vero diuiſio entis in ens rei, & rationis eſt analogi in analogata, vt docuimus 1. lib. Tranſc. c. 8

Obiect. Obiiciet tamen aliquis in omni optima diuiſione res diuiſa non debet contineri ſub membris diuidentibus, ſed in hac diuiſione notionis, in primam & ſecundam, res diuiſa continetur ſub aliquo ex membris diuidentibus, nam continetur ſub notione prima, eſt ſiquidem notio in communi, quę diuiditur, res quę habet ex ſe, ſuapteq. natura, ſua attributa eſſentialia, quod proprium eſt primæ notionis, ergo non erit hæc optima diuiſio notionis in primam & ſecundā. *Solutio.* Reſpon negando minorem quia notio in communi, quæ eſt res diuiſa, abſtrahit tam à prima quam à ſecunda: quemadmodum & ens quod eſt diuiſum in ens rei, & rationis, abſtrahit ab vtroq. quare neq. erit rei neq. rationis, ſed communia ſecundum analogiam, neq; continebitur ſub aliquo ex membris diuidentibus. Ex his igitur duobus generibus notionem primarum & ſecundarum, ſiue obiectiuarum, ſiue ſubiectiuarum, prætermiſſis notionibus tam primis quam ſecundis ſubiectiuis, quarum cōſideratio alterius eſt artificis, nimirum Philoſophi naturalis in lib. de anima, ad quem in eo loco ſpectat agere de actionibus mentis, & conceptibus ab eis prodeuntibus, agendum tantum erit de notionibus, tam primis quam ſecundis obiectiuis, quamuis primo & propter ſe de ſecundis: ſecundario vero & propter ſecundas de primis, de quibus tantum agimus, vt vel ſunt fundamenta, vel ſubiecta denominata à notionibus ſecundis.

QVÆSTIO .II.

An prima & ſecunda notio ſint formaliter relationes rationis.

EX his quæ in ſuperiori quæſtione diximus, nōdum ſatis ſupra eſt explicata natura notionum ſecundarum. Vnde equum eſt, vt eandem tractationem in hac quæſt. proſequentes explicemus in illa vberius multo, quid ſint hæ ſecundæ notiones, num ſcilicet ſint relationes rationis necne? ita vt earum genus proximum, ſit hoc genus entis rationis. Et certe non eſſe relationes rationis ſecundas notiones, his argumentis poſſumus confirmare.

1 *Argum.* Primum eſt petitum ex teſtimoniis D. Th. & Auicennæ, D. Thom. *in 1. diſt. 2. art. 2.* expreſſe profitetur intentionem eſſe in anima tanquam in ſubiecto, & Auicenna 3 *Metaph. c. 7.* inquit intētiones eſſe accidentia intellectus, ſed relationes rationis non ſunt in aliquo tanquam in ſubiecto, vt ſupra eſt ſatis confirmatum in ſectione ſuperiori quæſt. 4. ergo intentio, vel notio ſecunda non erit formaliter relatio rationis.

2 *Argum.* 2. Quidquid fit ab intellectu, vel eſt ſpecies intellectilis, vel actio intelligendi, vel verbum ab ea genitum: ſed notio ſecunda fit ab intellectu, fit ſiquidem ab aliqua cauſa (non eſt enim ens incauſatum) quæ nulla alia eſſe poteſt præter intellectum: ergo vel erit ſpecies intellectilis, vel actio, vel verbum: At ex his quodeunque conceſſerimus, eſt ens rei, neque ex illis aliquod eſt relatio rationis, cum tria illa in Categoria qualitatis contineantur, ergo notio ſecunda non erit formaliter ens rationis.

3. *Argum.* 3. Si notio ſecunda eſſet formaliter relatio rationis, hauddubie eſſet relatio ſecundum eſſe: atqui omnis relatio ſecundum eſſe continetur in categoria relationis, nam totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere, quod eſt propria ratio categoriæ relationis, ergo ſi notio ſecunda eſſet relatio rationis contineretur illa in categoria relationis: hoc autem eſt contra communem ſententiam Dialecticorum, qui in categoriis ſola entia rei collocanda eſſe cenſent, vt in ſuo loco explicabimus, ergo notio ſecunda non erit formaliter relatio rationis.

4. *Argum.* 4 Argumentatio eſt notio ſecunda, ſed illa non eſt relatio rationis, ergo notio ſecunda non erit relatio rationis. Propoſitio eſt perſpicua, confirmatur aſſumtio. Argumentatio non eſt alicuius argumentatio, neque enim dicimus argumentationem, eſſe alicuius argumentationem, vt dicimus patrem eſſe filii patrem, & magiſtrum eſſe diſcipuli magiſtrum, ergo non erit relatio rationis, nam relatio, id quod eſt, alterius eſſe dicitur, vt inquit Ariſt. in Categoria relationis.

Variæ opiniones Herueus in ſua diſputatione *de notionibus ſecundis*, Niger 1 *part. clypei, qu. 4.* & Carolus Billeus *in opere de ſecundis intentionibus* à ſe ædito, varias de hac re recenſent veterum ſententias. Nam quidam exiſtimant notionem ſecundam eſſe actionem intelligendi. Alii eſſe verbum per intellectionem genitum. Alii formam quandam (vt dicunt) ſpecularem in qua tanquam in ſpeculo intellectus naturas ſibi obiectas contemplatur. Et alii eſſe relationem quandam rationis, quæ conueniat rebus ope & beneficio intellectus, vel denudantis naturam vniuerſam à proprietatibus ſingularibus, vel eandem cum ſuis inferioribus, aut ſuperioribus comparantis. De prima etiam nonnulli aſſerunt eſſe formaliter relationem quandam rationis, qua media natura iuxta ea attributa, quæ ſibi conueniunt à parte rei, dicitur cognita ab intellectu. Alii vero eandem eſſe putant ens rei, & non relationem rationis. Ex quibus omnibus opinionibus, quæ magis veritatem accedant his aſſertionibus explicamus.

Prima concluſ. Notio prima non eſt formaliter relatio rationis, ſed natura rei. Hanc profitemur aduerſus ſubtiliſſimum Herueum, *in tractatu de ſecundis notionibus*, qui vt ferunt (nam hoc opus ob illius penuriã, ad meas manus deuenire nunquam potuit) exiſtimat, notionem primam eſſe relationem quandam rationis, qua media natura, quæ eſt à parte rei (vt plantæ v. g.) dicitur cognita iuxta ea attributa, quæ ſibi conueniunt ex ſua natura, & cuius ope refertur ad intellectum cognoſcentem. Hæc tamen noſtra aſſertio eſt Caieta *in cap. de ſpecie*, M. Soto *quæſt. 3. de rebus vniuerſis*, Veracrucee *quæſt. 4. de eiſdem rebus vniuerſis*, & Toleti *quæſt. 1. de notionibus*. Et certe eſt apertiſſima ſententia D. Th. in 1. in loco ſupra indicato, in quo expreſſe inquit, aliquando conceptum intellectus eſſe ſimilitudinem rei extra animam exiſtentis, vt eſt conceptus de homine, quando concipimus illum eſſe animal particeps rationis, nam ille eſt ſimilitudo rei quæ competit homini extra animam. Ex qua auctoritate ita argumentor, perfacili ſatis, & aperto argumento. Huic cōceptioni (quam primam notionem ſubiectiuam communi nomine dicimus) reſpōdet aliqua prima obiectiua: ſed illud quod huic conceptioni reſpondet, vt teſtatur D. Tho. competit rei extra animam: ergo prima notio obiectiua conueniet rei extra animam: quare erit ens rei, nam ens extra animam, & ens rei nomina ſunt ſynonyma. Et idem etiam profitetur *opuſc. 42. de natura generis cap. 4.* vt multa alia loca quæ opponi poterant, interim prætermittam. Confirmatur etiam. Ex nominibus ſignificātibus, in naturas ſignificatas poſſumus deuenire, ſed nomina quæ ſignificant primas notiones, non ſunt nomina relata, ſed abſoluta, vt hæc nomina homo, arbor, & leo, quæ ſignificant primas notiones, nomina ſunt abſoluta, ergo notio prima formaliter erit aliquid abſolutū & non relatio rationis. Poteſt etiam ex cōmuni conſenſu omnium Dialecticorū, & Metaphyſ. ſuaderi, omnes ſiquidem vno ore profitentur, eo diſtingui notionem primam, à ſecunda, quia prima ſignificat rem conceptam iuxta at- 1. *Concluſ.*

tribu-

Digitized by Google

tributa, quæ ſibi conueniunt à parte rei, ſecunda vero ſignificat eandem, iuxta ea attributa, quæ ſibi conueniunt beneficio intellectus, ergo notio prima non erit relatio rationis.

Conſect. Vnde colligendum erit cum D. Thom. *in 1. ſentent.* vbi ſupra, notionem primam ſubiectiuam, vel conceptionem primam intellectus, habere fundamentum in re, nam fundatur in attributis, quæ rei conueniunt extra omnem operationem intellectus: notionem vero ſecundam ſubiectiuam, vel ſecundam cõceptionem intellectus, non habere aliquod fundamentum in re, fundatur enim illa in relationibus rationis, quæ tantum conueniunt rei beneficio intellectus.

2. Concluſio. 2. Concluſio. Notio ſecunda neq; eſt actio intelligendi, neque conceptus mentis, aut verbum genitum, neque aliqua ſpecies intellectilis, aut, vt alij dicebant, forma ſpecularis. Hæc eſt aduerſus authores citatos, quæ accurate ſatis a Nigro in loco ſuperiori confirmatur. Eſt etiam aduerſus Capreolum *in 1. diſtinct. 23. quæſt. 1. concluſ. 1.* qui putat, notionem ſecundam eſſe conceptum, vel verbum mẽtis, quod mens intra ſeipſam efformat, quando intelligit ea attributa, quæ rei conueniunt beneficio intellectus. Confirm. tamen concluſ. Primo. Hæc omnia ſunt entia rei, nam continentur in categoria qualitatis, in qua ſola entia rei collocantur, ſed notio ſecunda eſt ens rationis omnium iudicio, ergo notio ſecunda nihil horum eſſe poterit. Secundo. Dialectica, vt ſumitur pro tota arte (qua ratione idem denotat, quod Logica) verſatur in notionibus ſecundis, tanquam in propria materia, & obiecto, ſed non verſatur illa in actionibus intellectus, aut in conceptibus ab eis genitis, vt ſunt actiones, vel conceptus, nam de illis ita agere, munus eſt Philoſophi naturalis, ergo notiones ſecundæ nihil horum erunt. Vltimo confirm. ex Diuo Thom. qui *4. Metaphyſ. lect. 4. & in opuſc. 42. de natura generis, cap. 4.* expreſſe ait, ens rationis eſſe genus notionum ſecundarum, quod ſi fuerit illud genus harum notionum, ergo illæ non erunt entia rei, ſed omnia, quæ recenſuimus, ſunt entia rei, non igitur erunt notiones ſecundæ, aut actiones intelligendi, aut verbum mentis, aut quippiam huiuſmodi. Legenda ſunt plura apud Carolum Billeum in loco ſuperius indicato.

3. Concluſio. 3 Concluſio. Notio ſecunda eſt relatio rationis, quæ conſequitur rem cognitam, vt eſt obiectiue in intellectu, v. g. ad actionem intellectus abſtrahentis naturam animalis à differentiis hominis & bruti, ſequitur in illo relatio quædam, qua refertur ad ipſos relatione generis ad ſpecies, vel attributi ad ſubiecta, dicimus notionem ſecundam eſſe hanc relationem generis, vel attributi. Hanc profitetur Caietan. *in cap. de genere*, M. Soto, Veracruce, & Toletus, *vbi ſupra*, imo Scot. hoc aperte docet, *q. 9. ſuper Porphyr. & 1. ſent. diſt. 25. & diſt. 45. in 4. diſt. 1. & Quodlib. 1.* in quibus locis docet, notionem ſecundam eſſe relationem vel comparationem vnius ad alterum, cuius ſententiam accurate ſatis explicat Billeus in eo opere, quod ſæpe propoſuimus. Confir. Notiones ſecundæ ſunt entia rationis, vt ex D. Thom. *4 Metaph. lect. 4. & opuſc. 42. de natura generis, cap. 4.* diximus, ergo vel erunt priuationes, vel negationes, vel relationes, nam in has tres partes à D. Tho. & à communi Schola eſt ens rationis diſtributum, ſed neque ſunt negationes, neque priuationes, vt eſt omnibus exploratum, erunt itaque relationes. Iam relatio eſt forma quædam referens vnum extremum ad alterum, ſed notio ſecũda eſt huiuſmodi, etenim notio ſpeciei refert hominem ad animal, & notio generis, animal ad hominem: notio antecedentis refert primam partem argumentationis ad conſequens, & notio conſequentis poſteriorem ad antecedẽs, & ſic de aliis, ergo notio ſecunda erit formaliter relatio quædam rationis.

4. Concluſio. Hæc relatio, quæ ſecundum eſſentiam dicitur de notione ſecunda, eſt relatio ſecundum eſſe. Suadetur perfacili argumento. Relata ſecundum eſſe ſunt illa, quorum tota vis & natura eſt, ad aliud ſe habere, ex Ariſt. *in Catego. relationis*, ſed tota vis & natura harum notionum ſecundarum, eſt ſe habere ad aliud, nam tota natura generis eſt ſe habere ad ſpeciem, & tota ſpeciei ſe habere ad genus, tota ſubiecti ſe habere ad attributum, & tota attributi ſe habere ad ſubiectum, & ſic de aliis, erunt ergo notiones ſecundę relata ſecundum eſſe. *4. Concl.*

Eſt tamen dubitatio: cum in omni relatione ſit conſtituendus terminus, in quem ipſa feratur, quis eſt terminus huius relationis; num intellectus, vel quippiam aliud ab eo diuerſum? M. Soto *q. 3. de rebus vniuerſis*, & fere omnes recentiores putant, terminum non eſſe intellectum, ſed aliquid ab eo diſtinctum. Vt in relatione notionis genericæ, terminus non eſt intellectus, ſed ſpecies. Mihi cum diſtinctione huic dubitationi ſatisfaciendum eſſe videtur, quia vel hæ notiones ſumi poſſunt in communi ratione entis rationis, vel in propria & peculiari cuiuſque relationis, qua diſtinctione propoſita, ſit quinta concluſio. *Dubita. optim.* *Noſtra opin.*

Concl. Hę relationes in communi ratione entis rationis, referuntur ad intellectum. Probatur primo. Quia in diffinitione entis rationis, quæ eius naturam declarat, exprimitur habitudo & relatio ad intellectum, nam diffinitur illud, quod conſequitur rem, vt habet eſſe obiectiue in intellectu. Secundo. In analogis attributionis, analoga minus præcipua, denotant habitudinem ad analogum magis præcipuum, vt in analogia ſanitatis, vrina, medicamenta, & dieta, denotant habitudinem ad ſanitatem animalis, quæ huius analogiæ eſt membrum magis præcipuum, ſed ens rationis dicitur ſecundum analogiam attributionis de ratione & intellectu, de actionibus intelligendi, quæ ſunt illius effectus, de habitibus, qui illi tanquam ſubiecto inhærent, & de notionibus ſecundis, quæ conſequuntur rem, vt habet eſſe obiectiue in intellectu, in qua membrum præcipuum eſt intellectus, vt diximus *in quaſt. 1 ſectionis ſuperioris*, ergo notiones ſecundæ denotabunt habitudinem ad intellectum. Præterea eandem habitudinem denotant notiones ſecundæ ad intellectum, & omnia entia rationis, quam denotant accidentia rei ad ſubiectum, vt in ſectione ſuperiori expoſuimus: ſed omnia accidentia rei in communi ratione accidentis, denotant habitudinem ad ſubiectum, nam accidentis eſſe eſt in eſſe, 7. *Metaph. cap.* 1. ergo omnia entia rationis, & notiones ſecundæ, in communi ratione denotabunt relationem ad intellectum. Licet hæc habitudo non ſit vocanda prædicamentalis, ſed tranſcendens, quia non refertur ad intellectum, tanquam ad terminum, ſed tanquam ad cauſam. Quemadmodum in accidentibus rei, relatio ad ſubiectum, non eſt prædicamentalis, ſed tranſcendens, eo quod non refertur ad illud, tanquam ad terminum, ſed tanquam ad cauſam finalem, materialem, & efficientem.

6. Concl. 6. Concluſio. Notiones ſecundæ in propria & peculiari ratione tantum ſignificant relationem expreſſam ad ſuos terminos, & non ad intellectum. Hæc eſt nota ſatis: Quia notio ſubiecti expreſſe ad attributum, & non ad intellectum refertur, & notio antecedentis ad conſequens refertur, & non ad rationem. Dictum eſt expreſſe, quia implicite etiam hac ratione referuntur notiones ad intellectum. Ens ſiquidem rationis eſt incluſum in conceptu vltimo harum notionum, quare cum ens rationis denotet habitudinem ad intellectum, hę notiones ita ſumptæ, ſaltem implicite denotabunt habitudinem ad intellectum.

Iam ad argum. quæ in initio propoſuimus ſupereſt vt ſatisfaciamus. Ad primum reſpon. Ad 1. argum. D. Thom. & Auicen locutos fuiſſe de ſecunda notione ſubiectiua, quæ cum ſit actio quędam intellectus aut verbum genitum erit in intellectu, tanquam in ſubiecto. Et certe D. Tho. de hac locutum fuiſſe, eſt apertum, nam vt conſtat ex illius verbis, agebat de notione, quæ repræſentat rerum quidditates, & naturas, hæc autem notio eſt ſecūda ſubiectiua, vel verbum mentis, cuius eſt rerum naturas (tanquam naturalis quædam ſimilitudo) repræſentare. At nos hic non de ſecunda ſubiectina, ſed de altera obiectiua diſputamus, & hanc dicimus eſſe ens, & relationem rationis.

Ad 2. reſp. Veram eſſe maiorem propoſit. de eo, quod per ſe & primo fit ab intellectu, quod enim ita fit, vel eſt ſpecies intellectilis, vel actio intelligendi, vel verbum: cæterum notio ſecūda non fit primo & per ſe ab intellectu, ſed ſecundario, vt de ente rationis diximus ſæpe in ſect. ſuperiori. Et profecto non habet tantas vires hoc argum. vt propter illud eruditiſſimus Capreolus, prætermiſſa communi opinione, docuerit notiones ſecundas non eſſe formaliter entia & relationes rationis. Ad 2.

Ad 3. reſp. Non omnem relationem ſecundum eſſe contineri in categoria relationis, ſed ſolam realem, nec tamen omnem, ſed ſolam illam, quæ innititur tanquam fundamento alicui accidenti abſoluto, vt quantitati, qualitati, actioni, vel paſſioni, vt in illa categoria explicabimus. Relationes vero rationis propriam conſtituunt categoriam, quemadmodum in Antecategoriis oſtendemus. Ad 3.

Ad 4. reſp. Argumentationem ſumi poſſe vel ſub nomine argumentationis, vel ſub nomine antecedentis & conſequentis, quæ ſunt partes illius. Primo modo non denotat aliquam relationem, vt recte confirm. argumentum. Secundo tamen denotat illam, nam antecedens eſt conſequentis antecedens, & conſequens antecedentis eſt conſequens: quemadmodum dominus eſt ſerui dominus, & ſeruus eſt domini ſeruus, vt autem habeat argumentatio eſſe relatum, ſufficit, vt hac ratione illius partes mutuo & adinuicem referantur. Ad 4.

QVÆSTIO III.

In qua ad quaſtiones futuras intelligendas nonnulla iaciuntur fundamenta.

Æquum eſt ea inprimis præfari, ſine quibus, quæ ſequuntur, intelligi probe nequeunt, quare cum in ſequentibus crebro agere debeamus de concretis & abſtractis, de attributione & de diſtinctione attributi à ſubiecto,

De nominibus concretis & abſtractis, quæ ſint, & quomodo ab inuicem diſtinguantur.

ĉto, vel identitate, hæc omnia erunt in hac quæſt. explicanda. Vt igitur à concretis & abſtractis nominibus auſpicemur, ſciendum erit, nominum quædam eſſe, quæ ſignificant formas veluti abluſas, & ſeparatas à ſubiecto, vt albedo, iuſtitia, ſapientia, & alia eſſe, quæ ſignificant formas coniunctas cum ſubiecto, vt album, iuſtum, & ſapiens. Nomina prioris generis ſunt abſtracta, ſignificant enim formas ab omni ſubiecto ſeparatas, poſterioris vero concreta nuncupantur, eo quod ſignificant formas, vt concretas & applicatas eidem. Intercedūt inter hæc nomina tria diſcrimina. Primum eſt petitum ex Pico Mirandulano *in libello de ente & vno, cap. 4.* abſtracta ſunt talia per ſeipſa, vt albedo per ſeipſam eſt albedo, concreta vero ſunt talia per abſtracta, vt album eſt album per albedinem. Secundum eſt ex D. Tho. in commentariis in libellum Boetii de hebdomadibus. Abſtracta denotant formas ſimplices, puras, & impermixtas, vt albedo ſolam albedinem ſignificat, ſine permixtione alterius qualitatis. Concreta vero ſignificant formas cum variis qualitatibus permixtas, vt album ſignificat albedinem in ſubiecto, in quo etiam reperiuntur calor, magnitudo, & alia accidentia. Tertium collectum eſt quoque ex D. Tho. *1. p. q. 3. art. 3. & 3. p. q. 2. art. 2.* Abſtracta ſemper ſumuntur vt partes, concreta vero vt tota, nam abſtracta partes ſunt formales concretorum, verbi gratia, albedo, quæ eſt forma abſtracta, pars eſt hominis albi, album vero, quod eſt concretum, totum eſt conſtitutum ex corpore & albedine, ex corpore, tanquam ex materia, & ex albedine, tanquam ex forma. Legenda ſunt, quæ de his nominibus diximus *lib. 1. tranſcen. cap. 3.*

Quid, & quotuplex ſit attributio.

Secundo loco agendum eſt de attributione, quid illa ſit, & in quas partes ſit diſtributa. Attributio diffinitur oratio, in qua quædam de aliis dicuntur, vel aiendo, vel negando, vt hæc oratio candor eſt qualitas, eſt attributio, quia in illa qualitas dicitur de candore. Diuiditur autem attributio à M. Soto *quæſt. vlt. de rebus vniuerſis*, à Ioan. Arboreo *in commentariis in præfationem Porphyr.* in identicam, diſparatam, & medio modo ſeſe habentem. Identica attributio eſt illa, in qua idem enuntiatur de ſeipſo, vt eſt hæc, Petrus eſt Petrus. Diſparata dicitur, in qua vna natura, quæ non poteſt cum altera vniri, prædicatur de illa, vt eſt hæc attributio, equus eſt arbor. Medio vero modo ſeſe habens vocatur, quæ neque eſt identica, neque diſparata, diuiſaque eſt in directam & indirectam. Directa dicitur, in qua illud, quod ex ſua natura eſt ſubiectum, habet locum ſubiecti, & quod ex ſua natura eſt attributum, habet locum attributi, vt eſt hæc, homo eſt animal. Indirecta vero vocatur illa, in qua illud, quod ex ſua natura eſt ſubiectum, fit attributum, & quod eſt attributum, fit ſubiectum, vt eſt hæc attributio, animal eſt homo, animal enim ex ſua natura eſt attributum hominis, quod in hac attributione fit ſubiectum, & homo ex ſua natura eſt ſubiectum animalis, qui in hac attributione fit illius attributum. Præterea attributio directa diuiſa eſt in eſſentialem, & accidentariam. Eſſentialis eſt, in qua attributum eſt de natura ſubiecti: Accidentaria vero dicitur, in qua attributum eſt accidens ſubiecti, quæ diuiſa eſt in attributionem accidentis proprij, vt eſt hæc, homo eſt capax diſciplinæ & accidentis communis, vt eſt hæc, homo eſt albus. Eſſentialis vero diuiditur in attributionem in quid, & attributionem in quale. Genus & ſpecies efferuntur in quid de ſuis inferioribus, Differentia vero in quale.

Tres difficultates.

Offerunt ſe tamen aduerſus hæc tres difficultates de tribus generibus enuntiationum, aut attributionum, de quibus eſt dubium, ſintne directæ, vel indirectæ. Prima eſt hæc, animal eſt rationis particeps. Secunda, candidum eſt dulce. Tertia, hoc animal (oſtenſo Thoma) eſt homo. De his, inquam, tribus eſt apud Dialecticos difficultas, ſintne directæ vel indirectæ diſtributiones, necne?

Solut. 1.

Ad primam Caieta. *in cap. de ſpecie*, reſpondet, eſſe directā, nam rationis particeps, quod eſt attrib. habet ſe vt forma reſpectu animalis, quod eſt ſubiectum, & quamuis ſit forma inadæquata, non propterea deſinet eſſe directa, etenim hæ attributiones ſunt directæ, numerus eſt par, & naſus eſt ſimus, in quibus attributa ſunt formæ inadæquatæ ſubiectorum, de quibus dicuntur. M. Soto *quæſt. vlt. de rebus vniuerſis*, contrarium putat, arbitratur ſiquidem, eſſe hanc indirectam attributionem, ex eo nimirum, quia attributum eſt inferius ſubiecto, quamuis ſe habeat vt forma reſpectu illius: nam vt aliqua attributio ſit directa, non ſolum attributum debet habere locum formæ, ſed etiam debet eſſe ſuperius, vel æquale ſubiecto, de quo prædicatur, vt inquit Porphyrius *in cap. de ſpecie*, at rationale neque eſt ſuperius, neque æquale animali. Ex his poterit quiuis eligere, quam voluerit, ſententiam, nam noſtram *2. lib. de demonſtrat. cap. 4.* abunde explicabimus.

2. Solut.

Ad ſecundam, Canterus *in præfatione ſuper*

Por-

Digitized by Google

Porphyr. putat, illam nullo modo eſſe directam, ſed diſparatam. Nō directam, quia in illa dulcedo, quæ nomine attributi exprimitur, nō habet ſe veluti forma reſpectu candoris, qui ſignificatur per ſubiectum, eſſe tamen diſparatam, quia hæ duæ qualitates nullam ex ſe ſuapteque natura vendicant inter ſe connexionem. Alij vero putant, eſſe directam. Reſpondere tamen poſſumus, poſſe illam ſumi aut ſecundum formam, aut ſecundum materiam, vel quod idem eſt, ratione rei ſignificatæ per ſubiectum & attributum, vel ratione eius, pro quo ſumuntur. Res ſignificata per ſubiectum eſt candor, per attributum vero dulcedo: res vero, pro qua ſumuntur, eſt lac, in quo dulcedo & albedo connectuntur. Si igitur hæc attributio ſumatur ratione rei ſignificatæ, eſt diſparata propter rationem aſſignatam, ſcilicet, quia duæ hæ formæ non habent inter ſe neceſſariam habitudinem, vel connexionem. At ſi ſumpta fuerit ratione eius, pro quo ſumuntur ſubiectum & attributum, erit attributio directa, nam in illa voces pro vna & eadem re ſumuntur, & attributum habet ſe, vt forma reſpectu ſubiecti, eſt enim illud dulcedo, quæ eſt forma lactis, pro quo ſumitur candidum, quod eſt ſubiectum.

o ult. 3. Ad tertiam reſpondet M. Soto in eodem loco, hanc attributionem eſſe directam, ſi nomine huius animalis indicemus Thomam, nam illa eſt eadem cum hac altera, Thomas eſt homo, quæ certe eſt directa attributio. Animaduertendum ſiquidem eſt, in huiuſmodi attributionibus, in quibus ſubiectum eſt vox aliqua ſingularis, non eſſe inſpiciendam ſignificationem, ſed ſuppoſitionem, atque ita quamuis hoc animal ſignificet animalitatem, quæ multis ſpeciebus eſt communis, quia tamen in hac attributione ſupponit pro Thoma, iudicanda illa erit vera & directa attributio.

Quotuplex ſit diſtinctio

Proponenda erunt tertio loco genera diſtinctionum, de quibus alio loco aduerſus Scotiſtas (qui in ſuis formalitatibus ſeptem faciunt diſtinctiones) luculenter diſſeruimus. Nunc breuiter Thomiſtarum, & communem opinionem ſequentes, duo genera diſtinctionis conſtituimus, rei & rationis, vnde quædam erit diſtinctio rei, & alia rationis, quam diuiſionem tradunt Durandus *in 1. diſtin. 2. q. 2.* Herueus *Quodlib. 3. quaſt. 3.* Caiet. 1 *part. q. 3. art. 3.* vbi M. Bannes, & alij interpretes, Soncinas 7. *Metaph. quaſt. 36* Niger 1. *part clypei, quaſt. 42.* Iauellus *in tractat. Tranſcendent.* M. Soto *q. 5. de rebus vniuerſis*, & innumeri alij, quos ob breuitatem prætermitto. Nam apud veteres Philoſophos, ante Scotum, nullus vnquam aliam diſtinctionem, præter rei & rationis agnouit. Quam quidem eſſe accommodatam, ita ſuademus. Tot ſunt genera diſtinctionum, quot ſunt genera entis, ſcilicet ens rei, & ens rationis, ex Ariſt. 6 *lib. Metaph. cap. vlt.* diuidente omne ens in illud, quod habet eſſe in anima, & in illud, quod habet eſſe extra animam: ergo tantum erunt duo genera diſtinctionum, rei ſcilicet & rationis. Cōfirmatur propoſitio. Diſtinctio eſt proprietas entis, nam idem & diuerſum, ſub quibus continetur diſtinctio, ex Ariſt. 5. & 10. *lib. Metaphyſicor.* ſunt proprietates entis, ſed proprietates non poſſunt latius patere, quam earum ſubiecta, ergo tot erunt genera diſtinctionum, quot ſunt genera entis.

Subdiuiduntur tamen à Thomiſtis hæc genera in alias partes. Nam diſtinctio rei diuiditur in diſtinctionem rei, quæ eſt inter rem & rem, qualis eſt diſtinctio, quæ eſt inter Petrum & Ioannem, hominem & equum: & in diſtinctionem rei inter ea, quæ ſubiecto vel materia ſunt vnum numero, differunt tamen eſſentialibus diffinitionibus, quæ diſtinctio reperitur inter actionem, & paſſionem, ſunt enim eadem ſubiecto, idem enim motus eſt actio, & idem eſt paſſio, differunt tamen diffinitionibus, alia enim eſt diffinitio paſſionis, & alia actionis. Hanc diſtinctionem multi vocant diſtinctionem rei formalem, Caiet. 1. *p. q 3. art. 3.* diuidit in diſtinctionem rei, inter rem & rem, vt inter Petrum & Ioannem, & inter includens & incluſum intrinſece, vt inter hominem & animal, nam homo includit intrinſece rationalitatem, quam non includit animal: & inter includens & incluſum extrinſece, vt inter ſuppoſitum & naturam, Petrum ſcilicet & humanitatem, nam ſuppoſitum includit extrinſece accidentia, vt magnitudinem, & candorem, quæ non includit natura.

Præterea diſtinctio rationis duplex quoque eſt. Nam vna dicitur rationis ratiocinantis, quæ eſt, quando aliqua diſtinguuntur ſolo intellectu, nullo exiſtente fundamento illius diſtinctionis in re, vt eſt diſtinctio eiuſdem à ſeipſo, cuiuſmodi eſt diſtinctio, v g. Petri ab eodemmet Petro. Alia vero eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, quæ intercedit inter illa, quæ actu ſolo intellectu diſtinguuntur, eſt tamen in ipſis rebus fundamentum illius diſtinctionis. Qua diſtinctione diſtinguuntur in homine attributa eſſentialia illius, ſcilicet corpus, corpus animatum, & animal, nam hæc actu ſolo intellectu diſtinguente vnum ab altero differunt, cæ-

terum

Digitized by Google

terum intellectus in ipſis attributis habet fundamentum, quo illa inter ſe ſeparet, & effingat de eiſdem diuerſos conceptus, nam alius eſt conceptus corporis, & alius eſt conceptus corporis animati, & alius animalis.

QVÆSTIO IV.

An primæ notiones in concreto de ſeinuicem prædicentur.

Acta ſunt in ſuperiori quæſt. fundamenta futurarum diſputationum, in quibus eſt inſtituenda diſputatio de mutua prædicatione primarum & ſecundarum notionum, inprimiſque, qua ratione primæ de primis, ſecundo, qua ratione ſecundæ de primis, & tertio, qua ratione ſecundæ de ſecundis efferantur. Verum quia in his attributionibus poſſunt vel abſtracta vel concreta prædicari de ſubiectis, ita nos geremus in his quæſtionibus, vt primo diſputemus de concretis, num ſcilicet concretum dici poſſit de concreto, ſecundo de abſtractis, an abſtractum de concreto dici queat, & tertio de eiſdem abſtractis, num abſtracta de abſtractis vere poſſint enuntiari. Primo igitur hæc omnia in primis notionibus explicabimus, & deinde in ſecundis. A concretis igitur auſpicantes, quærimus primo, num illæ enunciationes, in quibus concreta efferuntur, de concretis ſint veræ, necne?

1. *Argum.* Et quidem non eſſe veras, his argum. confirmo. Primum eſt. In omni vera attribu. attributum continere debet omnia, quæ in ſubiecto reperiuntur, ſed quando concretum prædicatur de concreto, attributum non continet omnia, quæ in ſubiecto reperiuntur, vt exempli cauſa, animal, quod prædicatur in concreto de homine, non continet omnia, quæ ſunt in homine, ergo notio prima in concreto non poterit de alia in concreto prædicari. Confir. aſſumpt. quia homo continet rationalitatem, quam nō continet animal. Confirmari etiam poteſt hoc argumentum. Ex eo natura non poteſt prædicari de ſuppoſito, vt humanitas de homine, quia aliquid continet ſuppoſitum, quod non continet natura, nam ſuppoſitum continet exiſtentiam, & multa alia accidentia, quæ non continentur in natura, ergo pari ratione, cum homo contineat rationalitatem, quam non continet animal, non poterit animal vere de homine prædicari.

2. *Argum.* 2. eſt. Illa eſt falſa attributio, in qua pars prædicatur de ſuo toto, nam hæc eſt falſa, homo eſt caput, ſed attributio, in qua cōcretum prædicatur de concreto, vt animal de homine, eſt in qua pars prædicatur de ſuo toto, nam animal pars eſt, cum vna cum rationis participe illum conſtituat, ergo illa attributio, in qua concretum prædicatur de concreto, erit falſa.

Præterea. Si concretum poſſet prædicari de concreto, ex eo eſſet, quia vnum ex illis, nimirum illud, quod eſt ſuperius, continet cōfuſe, quidquid eſt in concreto inferiori, vt in eodem exemplo, animal continet confuſe, quidquid eſt in homine, nam hæc eſt ratio propoſita à D. Tho. *c.3. libell. de ente & eſſentia*, atqui hæc ratio nullius eſt momenti, quod ita confirmo, quia in toto compoſito naturali materia prima continet confuſe, quidquid eſt in illo, etenim cum in illo tantū ſint duæ partes, materia & forma, certum eſt, materiam continere propriam entitatem, cōtinere vero entitatem futuræ confuſa ratione, docēt omnes Philoſophi, qui vno ore fatentur, formas (excepta vna anima rationis compote) educi de poteſtate materiæ, quod nihil aliud eſt, quam eſſe confuſa quadam & perturbata ratione in potētia materiæ primæ, vt 1. *Phyſ. in diſputat. de principiis rerum naturalium ſect. 3.* (Deo fauente) oſtendemus, cum tamen materia prima non prædicetur de toto naturali, neq; enim dicimus, arborem eſſe materiam primam, ergo quamuis concretum ſuperius contineat confuſe, quidquid eſt in inferiori, non propterea poterit de concreto inferiori prædicari. 3. *Argum.*

1. *Obſer.* Vt hanc quæſt. explicemus ſciendum eſt ex quæſt. ſuperiori, eo differre concretum ab abſtracto, quia abſtractum ita ſignificat puram & impermixtam formam, vt præter illam nihil aliud neq; cōfuſe, neq; diſtincte ſignificet: cōcretum vero ita ſignificat gradum ſuæ naturæ, vt ex vi & modo ſuæ ſignificationis ſignificet confuſe, quidquid poteſt illum gradum participare, v.g. animalitas, quæ eſt forma abſtracta, ita ſignificat ſeſolam, putā, & impermixtam, vt nullam aliam naturam neq; diſtincte, neq; confuſe ſignificet: at vero animal, quod eſt cōcretum, ita ſignificat animalitatem, vt etiam denotet, quidquid poteſt illam participare, eſt enim animal, quod habet animalitatem, ſub qua dictione, quod habet, continentur cōfuſe homo & brutum, poſſunt enim habere animalitatem. Et quia poſſe obtinere naturā aliquam fundatur in identitate, ob hanc rationē concretum ſuperius idem erit cum inferiori, quia poteſt inferius naturam ſuperioris obtinere, idem, inquam, ſecundum eſſentiam, ſi fuerit participatio per ſe, & eſſentialis, qua ratione homo participat naturam animalis, vel ſecundum accidens, vt cygnus participat naturam candoris.

Obſer. Adnotandum eſt etiam, duplicem eſſe identitatem, vnam diſtinctam, & alteram confuſam. Diſtincta eſt, quando aliquid eſt idem ſibiipſi, confuſa vero eſt, quando ſuperius in concreto efficitur idem cum inferiori. Ad veritatem igitur enuntiationis debet eſſe identitas inter ſubiectum & attributum, nam debet eſſe vnitas, & ex conſequenti identitas, quæ ab vnitate deriuatur, aliquando quidem identitas eſſentialis, aliquando vero accidentaria.

Concluſio. His animaduerſis ſit concluſio. Illæ enuntiationes, in quibus concretum prædicatur de concreto, ſunt omnino veræ, & admittendæ, vt hæ, homo eſt animal, & planta eſt corpus viuens. Hanc profitetur diſertiſſime D. Thomas *in libello de ente & eſſentia, cap. 3.* Caietanus acutiſſimus *in Commenta. illius loci.* Capreolus *in 1. diſtinct. 4. quæſt. 1.* M. Sotus *quæſt. 3. de rebus vniuerſis*, Mercado *in cap. de genere*, & multi alij. Quæ confirmatur. Primo. Illa attributio eſt vera, in qua attributum eſt idem cum ſubiecto, de quo prædicatur, ſed in attributione, in qua concretum prædicatur de concreto, attributum eſt idem cum ſubiecto, de quo prædicatur, vel identitate eſſentiali, ſi attributum fuerit de eſſentia ſubiecti, de quo prædicatur, vel accidentali, ſi attributum fuerit accidens ſubiecti, ergo attributio, in qua concretum prædicatur de concreto, erit vera. Secundo. Illa attributio eſt vera, in qua attributum continet, quidquid in ſubiecto reperitur, ſed attributio, in qua concretum ſuperius prædicatur de inferiori, eſt huiuſmodi, nam in illa attributum continet, quidquid in ſubiecto reperitur, ergo erit illa vera attributio. Confirmatur aſſumptio. Eo differt concretum ab abſtracto, quia concretum ſignificat naturam præciſam ab omni participante: concretum vero eandem, vt poteſt participari ab inferioribus, ſed illud attributum, quod non præſcindit ab inferioribus, & poteſt ab eis participari, continet quidquid eſt in illis, ergo in illa attributione, in qua concretum prædicatur de concreto, attributum confuſe continebit, quidquid eſt in ſubiecto.

Obiect. Dicet aliquis, ſi hæc vera ſunt, ergo illa attributio, in qua concretum accidentis prædicatur de ſubiecto, erit falſa, vt hæc, homo eſt candidus, etenim in illa attributum non continet, quidquid eſt in ſubiecto, nam candor non continet animalitatem, & rationalitatem, quæ in homine reperiuntur. Reſpondemus negando conſequentiam, quia candidum confuſe continet, quidquid in ſubiecto reperitur, denotat enim illud, quod habet candorem, ſub qua profecto dictione, quod habet candorem, comprehenduntur homo, cygnus, & quæcunque in ipſis continentur, nam hæc omnia habent candorem, quare hæc attributio vera erit, & non tantum intelligi debet concluſio de attributionibus eſſentialibus, verum etiam & de accidentariis. Solutio.

Ad argumenta. Ad primum reſpond. falſam eſſe aſſumptionem, ad cuius confirmationem dicimus, animal poſſe ſumi vel cum præciſione, vt denotat ſua attributa eſſentialia, præſcindendo ab omni participante, vel vt eſt totum quoddam confuſe continens ſua inferiora, ea ratione, qua poteſt ab eis participari. Primo modo animal non continet rationalitatem, nam ſumitur, vt ab ea præſcinditur vel ſeparatur per intellectum. Altero tamen continet rationalitatem, eſt enim animal, quod poteſt habere animalitatem, ſub qua particula, quod poteſt habere, confuſe comprehenditur rationalitas, & quæcunque alia, quæ quouis modo poſſunt obtinere animalitatem. Ad confirmationem eiuſdem argumenti reſpond. eſſe latum diſcrimen inter ſuppoſitum & naturam, & inter concretum ſuperius & inferius, nam natura ſumitur cum præciſione ab iis, quæ in ſuppoſito continentur, vt humanitas ſumitur cum præciſione à magnitudine, frigore, & candore, quæ dicuntur de homine, nam ita præciſe principia eſſentialia hominis ſignificat, vt præter illa nihil aliud ſignificet. Vnde fieri nullo modo poterit, vt natura contineat confuſe, quæcunque in ſuppoſito continentur. At vero attributum, quod in concreto prædicatur de aliquo ſubiecto, non ſumitur cum præciſione, ſed vt illius natura poteſt participari à ſubiecto, ac proinde continebit confuſe, quicquid in ſubiecto reperietur, quare natura non poterit vere dici de ſuppoſito, concretum vero de altero vere dici poterit. Ad I. argum.

Ad ſecundum reſpond. duplicem eſſe partem, vnam Phyſicam, & alteram Metaphyſicam. Phyſica ita eſt pars, vt non ſit totum, & ita infra limites ſuæ naturæ continetur, vt re ipſa differat ab alia parte, vt in homine caput ita eſt pars, vt non ſit totum, re ipſaque differt à pedibus. Metaphyſica vero ita eſt pars, vt etiam totum eſſe poſſit, & non differt re ipſa ab alia parte: nam poteſt ſumi illa aut cum præ- Ad 2.

ciſione

Digitized by Google

ciſione, aut ſine illa, cum præciſione eſt pars, & non totum, ſine illa vero eſt totum, & non pars, vt animal præſcindendo à rationis participe & experte, eſt pars, & non totum: non præſcindendo vero eſt totum, & non pars, neque differt illud re ipſa ab his differentiis propoſitis, quæ vna cum eo ſpecies, quæ ſuo ambitu continentur, componit. Itaque pars Phyſic. non poteſt prædicari de ſuo toto, quia ita eſt pars, vt non ſit totum. Metaphy. vero poterit prædicari, cum præter rationem partis rationem quoque totius contineat.

Ad 3. Ad tertium reſpond. rationem propoſitam ex D. Thom. eſſe egregiam, ad cuius impugnationem dicimus, differre maxime continentiam materiæ à continentia attributi concreti, quia materia prima continet confuſe formas, tanquam pars totius compoſiti naturalis, attributum vero concretum continet ea, quæ ſunt in ſubiecto (vt differentias eſſentiales, & alia) tanquam totum quoddam reſpectu ſubiecti, de quo dicitur, atque ita concretum poterit prædicari de concreto, materia vero prima de toto compoſito naturali dici nullo modo poterit.

QVÆSTIO V.

An notio prima in abſtracto de prima in concreto dici poſſit.

EXplicata ſuperiori quæſtione, in qua de attributione concreti de concreto egimus, ſequitur, vt de attributione abſtracti de concreto, vel concreti de abſtracto diſputemus. Quærimus igitur, an hæ attributiones, homo eſt humanitas, & humanitas eſt homo, & aliæ huius generis, ſint veræ, necne? Eſſe veras, his argum. confirm.

1. Argum. Primum. In his attributionibus, ens eſt entitas, vnum eſt vnitas, in quibus abſtracta prædicantur de concretis, & hæ, entitas eſt ens, vnitas eſt vna, in quibus concreta prædicantur de abſtractis, ſunt veræ, & conceſſæ ab omnibus Metaphyſ. & à D. Thom. 12. *quæſt. 55. artic. 4. ad 1. & quæſt. 21. de veri. art. 4. ad 4.* ergo illæ attributiones, in quibus abſtracta de concretis, vel econuerſo, concreta de abſtractis prædicabuntur, erunt veræ.

2. Argum. Secundum. Hæ attributiones, Deus eſt Deitas, & econtra, Deitas eſt Deus, ſunt veræ, & conceſſæ ab omnibus Theologis, à D. Dionyſio *cap. 2. de diuinis nominib.* & à D. Thom. 1. *par. q. 3.* & eſt ratio ſatis aperta, quia nihil includitur in Deo, quod non includatur in Deitate, & in hac, quod non includatur in Deo: ſed in his propoſitionibus, in vna earum abſtractum prædicatur de concreto, & in altera concretum de abſtracto, ergo, &c.

3. Argum. 3. In his attributionibus, linea eſt quanta, extremitas eſt quanta, concretum prædicatur de abſtracto, atqui hæ attributiones ſunt veræ, & conceſſæ ab omnibus Dialecticis, vt in Categoria quantitatis explicabimus, ergo illæ attributiones, in quibus concretum prædicatur de abſtracto, erunt veræ.

Obſeruat. 1. Vt hanc quæſt. explicemus, obſeruandum eſt primo, ex attributis quædam eſſe communia & generalia, vt ſunt tranſcendentia, ens, vnum, verum, bonum: & alia eſſe priuata, & particularia, vt homo, linea, & candor. Generalia illa, in rerum omnium conceptibus ſunt incluſa, nulla eſt enim natura, quæ poſſit ſubterfugere entis, vnius, veri, & boni rationem. Priuata vero propriis ſuæ categoriæ liminibus comprehenduntur, neque in rerum omnium conceptibus includi vllo modo poſſunt.

2. Obſer. Iterum obſeruandum eſt, quædam eſſe concreta, quæ præter formam abſtractam nullam aliam rationem aut entitatem includunt, & alia eſſe, quæ præter illam multa alia in ſe continent. Prioris generis ſunt Deus & Deitas, nam nihil continetur in Deo, quod non contineatur in Deitate, aut in hac, quod non comprehendatur in Deo. Idq; propter ſummam & infinitam diuinæ naturæ ſimplicitatem: nam cũ ſit infinite ſimplex, nihil poterit cõtinere concretum, quod non cõtineat abſtractum. Poſterioris vero generis ſunt naturæ omnes creatæ, in quibus ſuppoſitum differt à natura, nam aliquid includitur realiter in ſuppoſito, quod in natura nulla ratione poteſt includi. Vt in homine, v.g. includuntur magnitudo, candor, & frigus, quæ in humanitate nullo modo includuntur. Etenim humanitas (& quæuis alia natura) tantum, & præciſe ſignificat principia eſſentialia, quibus homo eſt homo, excludendo quæcunque alia, quæ non attinent ad rationem horum principiorum, homo vero præter hæc principia multa alia includit: nam ſignificat illud, quod habet humanitatem, ſub qua particula, quod habet, confuſe comprehẽduntur magnum, paruum, candidũ, & atrum, quibus poteſt humanitas communicari.

1. Concluſio. His animaduerſis, ſit prima concluſio. In attributis generalibus & vniuerſis, abſtracta poſſunt prædicari de concretis, & hæc de abſtractis: vnde hæ attributiones erunt veræ, ens eſt entitas, & entitas eſt ens: vnum eſt vnitas, & vnitas eſt vna. Hanc docet D. Thom. 12. *q. 55. art. 4. ad 1. quæſt. 21. de veritate, artic. 4. ad 4. &*

Digitized by Google

in 2. diſt 27. quæſt 1. artic. 2. ad 1. Capreolus *in* 1. *diſt* 4 *q* 2. *concluſ*. 1. & eſt communis. Confirmaturque in hunc modum Conceptus, quem primo de re aliqua concipimus, & quæcunq; ei neceſſario & inſeparabiliter inſunt, in rerum omnium conceptibus includuntur: ſed conceptus entis eſt, quem primo de re aliqua concipimus, & tranſcendentia vnum, verum, bonum, ſunt proprietates, quæ illi neceſſario & inſeparabiliter inſunt, ergo conceptus entis, & harum proprietatum, in rerum omnium conceptibus includuntur. Quare includentur in conceptu abſtractorum, ac proinde poterunt de abſtractis prædicari, & econuerſo abſtracta de concretis.

Concluſio. 2 Concluſio. In Deo Opt. Max. etiam abſtracta poſſunt dici de concretis, & concreta de abſtractis: vnde hæ erunt veræ, Deus eſt Deitas, & Deitas eſt Deus. Hæc etiam eſt D. Tho. 1. *par. q.* 3. *art.* 3. & 3. *par. q.* 2. *art.* 2. & cōfirmatur perfacili argumento. Nihil continetur in concreto, vt in Deo, quod non contineatur in abſtracto, vt in Deitate, ergo poterunt Deus & Deitas de ſe inuicem prædicari. Confirmatur conſequentia, quia tunc aliqua poſſunt vere & de ſe inuicem prædicari, quando quidquid includitur in conceptu vnius, includitur quoque in conceptu alterius. Antecedens vero in hunc modum poteſt ſuaderi. Si concretum, vt Deus aliquid includeret in ſuo cōcep u, quod non includeret Deitas, vel illud ſpectaret ad eſſentiam, vel ad accidentia Dei, non ad eſſentiam, quia in Deo præter Deitatem nulla eſt eſſentia, neque ad accidentia, quia in Deo nulla ſunt accidentia: ergo nihil includit concretum nimirum Deus, quod in conceptu Deitatis non includatur.

Concluſio. 3 Concluſio In rebus aliis creatis, & in priuatis attributis, vt ſunt homo, arbor, cœlum, abſtracta nullo modo poſſunt prædicari de concretis, vnde hæc enuntiatio, homo eſt humanitas falſa erit. Profitetur illam D. Tho. in locis propoſitis in ſuperiori concluſione, & *cap.* 3. *libell. de ente & eſſentia*, Caietan. *in commentariis horum locorum*, Capreol *in* 1. *diſt.* 4. *q* 2 *concluſ* 2 M Sotus *quæſt* 3. *de rebus vniuerſis*, M Bannes 1. *part. quæſt.* 3 *articul.* 3. & eſt fere apud omnes communis. Quæ confirmatur inprimis. Nulla pars poteſt prædicari in recto de ſuo toto, nulla, inquam, pars, quæ ita eſt pars, vt non ſit totum reſpectu eius, de quo dicitur: ſed abſtractum (vt humanitas, v. g.) ita eſt pars hominis, vt nulla ratione poſſit eſſe totum, reſpectu ipſius, ergo non poterit vere & in recto de homine prædicari. Secundo. In omni vera attributione debet attributum continere confuſe, quidquid eſt comprehenſum in ſubiecto, ita vt non denotet naturam ſuam præciſam ab inferioribus, ſed vt illis communicabilem: ſed humanitas non continet confuſe, quæcunque in homine continentur: non enim continet magnitudinem, candorem, vel atrorem, quæ homo complectitur: ita ſiquidem ſignificat pura & ſola principia formalia hominis, vt à ſuo cōſortio omnia alia accidentia excludat, ergo humanitas non poterit vere de homine prædicari. Præterea. Inter ſubiectum & attributum debet eſſe identitas realis, nam debet eſſe vnitas realis, & ex conſequenti identitas, quæ conſequitur vnitatem: ſed humanitas realiter differt ab homine & omne abſtractum à ſuo concreto: ergo non poterit abſtractum vere de concreto prædicari. Confirmatur aſſumptio. Concretum, vt homo, aliquid reale includit, quod non includit humanitas, ſcilicet magnitudinem, figurā, candorem, & atrorem: ſed illa realiter differūt, ex quibus vnum includit aliquid reale, quod alterum non includit: ergo abſtractum & concretum realiter diſtinguentur.

4. Concl. Quarta concluſio In eiſdem attributis, & naturis priuatis, non poteſt concretum prædicari de abſtracto, vt homo de humanitate. Hæc ſuaderi poteſt. Primo ex eo, quod nullum totum in recto & vere poteſt efferri de ſua parte formali, ſed concretum eſt totum, abſtractum vero eſt pars formalis illius: ergo non poterit de illo concretum prædicari. Secundo. Propter rationem effectam in concluſione ſuperiori. Concretum re ipſa differt ab abſtracto, cum aliquid reale includat, quod abſtractum non includit: ergo non poterit de abſtracto prædicari.

Obſer. Animaduertendum tamen eſt, quod quamuis in attributis tranſcendentibus, & in Deo Opt. Max. concreta & abſtracta de ſe inuicem efferantur, non tamen dicere poſſumus in his, concretum eſſe rationem abſtracti, non enim Deus eſt ratio Deitatis, vel ens eſt ratio entitatis, ita vt ratione horum, formæ abſtractæ rebus conueniant. Ratio eſt, quia eſſe rationem, formis tantùm poteſt conuenire, vel rebus ſignificatis per modum formæ: etenim forma & ratio apud Ariſtot. ſunt vnum & idem, diffinitur enim ab illo ratio quod quid erat eſſe rei, 2. *Phyſic. cap.* 3. & 5 *Metaphyſ. cap.* 2. at concreta vel non ſunt formæ, vel ſaltem non ſignificantur per modum formæ, abſtracta vero vel ſunt, vel ſignificantur per modum illius. Quare concreta non poterunt eſſe rationes abſtra-

Digitized by Google

abſtractorum, quamuis prædicentur de illis.

Ad 1. arg. Ad argumenta, ad primum reſpon. ex prima concluſio. in his attributis communiſſimis, & abſtracta de concretis, & concreta de abſtractis poſſe prædicari. *Ad 2.* Ad *ſecundum* reſpon. ex concluſione, in Deo attributiones abſtractorum, de concretis, & concretorum de abſtractis, eſſe veras, quia nihil concluditur in conceptu vnius, quod in conceptu alterius non includatur: nam quando concreta, & abſtracta ita ſunt inter ſe affecta, vt quidquid vnum includit, alterum includat, bene poſſunt illa de ſe inuicem prædicari, quemadmodum in eadem concluſione diximus.

Ad 3. Ad *tertium* reſpon: in hac attributione, linea eſt quantitas. & in alia extremitas eſt quantitas, lineam, & extremitatem, non ſumi pro formis abſtractis, ſed pro concretis: ex eo ſiquidem dicimus hæc eſſe quanta, quia poſſunt ab alia mẽſura extrinſeca menſurari, vt linea ab alia linea; extremitas ab alia extremitate, quemadmodum linea panni; mẽſuratur à linea vlnæ, & extremitas locati, ab extremitate corporis locantis, at quando quantitas ſumitur vt menſura, non ſumitur vt menſura, quemadmodum in categoria quantitatis latius oſtendemus.

QVÆSTIO VI.

An primæ notiones in abſtracto poſſint de aliis in abſtracto prædicari.

GRauis ſeſe offert explicanda difficultas de primis notionibus in abſtracto. num ſcilicet poſſit vna de altera vere prædicari, vt num hæ attributiones; humanitas eſt animalitas, rationalitas eſt ſenſibilitas, ſint veræ necne? Non eſſe veras his argumentis demonſtro. Primum petitum eſt ex authoritate Auicennæ, qui vt refert D. Thom *cap. 3. de ente* inquit equinitatem tantum eſſe equinitatem, quod ſi equinitas non eſt aliud quam equinitas, ergo non erit animalitas, ac proinde hæc erit falſa, equinitas eſt animalitas. *1. Argum.*

2. Argum. 2. Animalitas eſt pars humanitatis, conflatur ſiquidem ex animalitate, & rationalitate; ſed nulla pars vere, & in recto dici poteſt de ſuo toto, ergo animalitas non prædicabitur de humanitate. Confirmatur argumentum, ex eo dximus in quæſt. ſuperiori attributionem illam in qua abſtractum prædicatur de concreto eſſe falſam, vt hanc, homo eſt humanitas, quia nulla pars (vt eſt abſtractum) poteſt prædicari de ſuo toto, ergo cum animalitas ſit pars humanitatis, non poteſt prædicari de illa.

3 Argum. 3. Humanitas, & animalitas reipſa diſtinguuntur, ſed illa attributio in qua attributum reipſa differt à ſubiecto eſt falſa, ergo falſum erit humanitatem eſſe animalitatem. Confirmatur propoſitio. Illa reipſa differunt ex quibus vnum includit aliquam entitatem, quam aliud non includit, ſed humanitas includit rationalitatem (quæ ſignificat entitatem rei) quam non includit animalitas, ergo humanitas, & animalitas reipſa diſtinguuntur.

4. Argum. 4. Animalitas eſt illud quo animal eſt animal, humanitas vero illud quo homo eſt homo, ſed illud quo animal eſt animal, non eſt illud quo homo eſt homo, nam ſi eſſet, brutum eſſet homo, cum in ſe contineat illud quo animal eſt animal, ergo.

5. Argum. 5 Ratio vnius non poteſt de ratione alterius prædicari, neq. enim dicere poſſumus in tranſcendentibus, rationem vnitatis, eſſe rationem veritatis, quamuis dicamus vnum eſſe verum, ſed humanitas eſt ratio per quam homo eſt homo, animalitas vero eſt ratio, per quam animal eſt animal, ergo quamuis verum ſit hominem eſſe animal, non tamen erit verum humanitatem eſſe animalitatem. Confirmatur. Inter attributa diuina eſt maior identitas, quam inter humanitatem, & animalitatem, ſed ratio vnius attributi non eſt ratio alterius, vt ratio ſapientiæ, non eſt ratio bonitatis, ergo neque ratio hominis, erit ratio animalis, ſed humanitas eſt ratio hominis, animalitas vero animalis, ergo humanitas non erit animalitas.

6. Argum. 6. Si humanitas eſſet animalitas, ergo rationalitas quoque eſſet animalitas, nam in humanitate includitur rationalitas: ſed hoc eſt falſum, quod ita confirmo: Animalitas, & rationalitas ſunt partes, ex quibus componitur humanitas, ſed vna pars non poteſt prædicari de altera, ergo neq. animalitas prædicari poterit de rationalitate.

7. Argum. Vltimum. Si animalitas poſſet prædicari de humanitate ex eo eſſet, quia hæc duo extrema ſunt idem realiter; atqui hæc ratio nulla eſt, quia actio, & paſſio ſunt idem realiter, & tamen hæc eſt falſa, actio eſt paſſio, ergo & hæc quoq; falſa erit, humanitas eſt animalitas.

Propter hæc argumenta (quæ certe non ſunt leuia) multi grauiſſimi viri arbitrantur, has attributiones in quibus abſtracta prædicantur de abſtractis, eſſe falſas. In qua ſententia extitiſſe videtur (quamuis non aperte) D. Tho. *cap. 1. de ente*, Scotus vt inquit M. Soto, *in 1. diſ. 2. quæſtio 7. & diſ. 5. quæſt. 1.* & multi alii. Contrariam tamen ſententiam ſequuntur, idem M. Sotus *quæſt. 3. de rebus vniuerſis.* Mercado in caput de Genere; & plerią; ex recentioribus: quæ ſententia noſtro iudicio eſt multo probabilior.

Digitized by Google

Atque ita vt facilius illam explicare poſſimus, animaduertendum eſt, quod quemadmodum concretum (vt animal) ſumi poteſt, vel vt eſt totum confuſe continens ſua inferiora, vel vt eſt pars quædam, tantum denotans ſua attributa, cum præciſione aliorum attributorum, ita abſtractum ſumi poteſt, vel vt eſt totũ quoddam confuſe continens ſua inferiora, vel vt eſt pars quædam, quæ in ſuo conceptu præſcindit à conceptu cuiuſcunque alterius partis. Vt exempli cauſa, animalitas ſumi poteſt, vel vt eſt totum quoddam confuſe in ſe continens humanitatem, & equinitatem, vel vt eſt quædam pars ſeparata à rationalitate, & quæ vna cum illa conſtituit humanitatem. Quod ſi quis dicat non poſſe animalitatem ſumi vt totum quoddam confuſe continens inferiora, certe hoc eſſe falſum, conſtare poterit ex eo, quia quam habitudinem habet animal ad hominem, eandem habet animalitas ad humanitatem, quare quemadmodum animal eſt totum quoddam confuſe continens quidquid eſt in homine, ita etiam animalitas, erit totum quoddam confuſe continens quidquid eſt in humanitate.

1. Concluſio. Hoc animaduerſo ſit prima concluſio. Si abſtractum vt animalitas, ſumatur ea ratione, qua eſt totum quoddã confuſe continens quidquid eſt in humanitate, vere poterit de illa prædicari: vnde attributiones in quibus abſtractum ſuperius ita ſumtum prædicatur de inferiori erunt veriſſimæ formaliter. Confirmatur. Illæ attributiones ſunt veræ, in quibus attributum confuſe continet quidquid eſt in ſubiecto, vt auctor eſt D. Tho. *cap 3. de ente*, ſed animalitas continet confuſe quidquid eſt in humanitate, ergo vere poterit de illa prædicari. Secundo confirmatur. Partes definientes vere prædicantur de re definita: ſed animalitas eſt pars definiens humanitatem, ergo vere prædicabitur de illa. Propoſitio eſt perſpicua. Confirmatur aſſumtio. Si quis diffiniat humanitatem, diffiniet illam, animalitatem, & rationalitatem, quemadmodum hominem diffinimus animal rationale, iam ergo animalitas eſt pars definiens humanitatem. Et confirmatur. Hæc eſt vera, humanitas eſt rationalitas, eo quod rationalitas eſt pars diffiniens humanitatem, ergo cum animalitas ſit quoque pars diffiniens eandem, animalitas vere de humanitate prædicabitur. Tertio, vt ſe habet cõcretum, ad concretum, ita abſtractum ad abſtractum, nam vtrinſque eſt eadẽ ratio, & analogia: ſed attributio in qua concretum dicitur de concreto, eſt vera, vt hæc, homo eſt animal: ergo attributio in qua abſtractum prædicabitur de abſtracto, vt hæc, humanitas eſt animalitas, erit quoque vera. Quarto. Hæ omnes attributiones ſunt veræ, albedo eſt color, linea eſt quantitas, anima rationis compos eſt anima, in quibus omnibus abſtracta prædicantur de abſtractis, ergo attributio in qua abſtractum prædicatur de abſtracto, erit vera. Quinto. Ab humanitate, & equinitate poteſt abſtrahi aliqua ratio vtriq; ſecundum eſſentiam communis & quæ de vtroq; prædicetur, quemadmodum ab homine, & equo poteſt abſtrahi animal vtrique ſecundum eſſentiam commune: ſed nihil proxime ab his abſtrahi poteſt quã animalitas, vel ſenſibilitas, quæ ſunt formæ abſtractæ, ergo poterit abſtractum vere de abſtracto prædicari. Vltimo confirmatur. Differentia ſuperior in abſtracto ſignificata, prædicatur de inferiori, vt pedalitas quæ eſt differentia ſuperior, in abſtracto ſignificata prædicatur de ſciſſione pedum, vt inquit Ariſt. 7 *Metaph.c.12.* iam igitur abſtracta vere de abſtractis enunciari poterunt.

2. Concl. Si abſtractum ſumatur, vt eſt pars quædam, cum præciſione omnium aliorum, ea nimirum ratione qua ſolum gradum proprium abſq; habitudine ad alium exprimit, nulla ratione poterit de abſtracto prædicari: vt ſi animalitas ſumatur ea ratione qua præſcinditur, ſeu abſtrahitur à rationalitate, denotatque tantum ſenſibilitatem, abſque vlla habitudine ad rationalitatem, nullo modo poterit de humanitate prædicari. Confirmatur his argumentis. *2. Concluſ.*

1. Nam eſt maior ratio abſtracti, quam concreti, ſed ſi concretum vſurpetur ea ratione qua eſt pars, & cum præciſione, non prædicatur de concreto, vt diximus in quæſtione ſuperiori, ergo ſi abſtractum hac eadem ratione ſumatur, non poterit prædicari de abſtracto. *1. Argum.*

2 Nulla pars poteſt prædicari de ſuo toto, ſed abſtractum ita ſumtum eſt pars alterius abſtracti, vt animalitas eſt pars humanitatis, quæ vna cum rationalitate conſtituit illam, ergo hac ratione non poterit prædicari de humanitate. Et confirmatur ex D. Tho. qui ex eo negat (vbi ſupra) hanc propoſitionem, homo eſt humanitas, quia humanitas eſt pars hominis, ſed animalitas eſt pars humanitatis: ergo neganda erit propoſitio, in qua prædicabatur de humanitate. *2. Argum.*

3 Illa attributio eſt falſa, in qua ſubiectum ſeipſa differt ab attributo, ſed humanitas ſeipſa differt ab animalitate, ergo non poterit animalitas prædicari de illa. Confirmatur aſſumtio. Humanitas includit rationalitatem quæ eſt aliqua entitas realis, quam non includit animalitas ita ſumta, ſed quando aliquid includit aliquam entitatem realem, quam aliud non in- *3. Argum.*

Digitized by Google

cludit,reipſa differt ab illo,vt conſtat ex quæſt.3. huius ſect.ergo humanitas reipſa differt ab animalitate.

Ad 1.arg. Iam ad argumenta. Ad primum reſp.intelligendum eſſe Auicennam de animalitate cum præciſione, & vt eſt pars, & non vt eſt totum. Itaq; animalitas hac ratione non dicitur de equinitate, neq; equinitas eſt animalitate. Qua etiam eadem ratione interpretari poſſumus graues Philoſophos D. Th. Capreolum, Caiet. Ferrarien. Soncinatem, & alios qui aliquando videntur docere has attributiones eſſe falſas, equinitas eſt animalitas, humanitas eſt animalitas, intelligendi enim ſunt de animalitate cum præciſione, & vt obtinet rationem partis. Vel reſpondere poſſumus ad Auicennam, equinitatem tantum eſſe equinitatem, id eſt, neque eſſe ſingularem neq; vniuerſam, quia equinitas ex ſe tantum indicat attributa eſſentialia equi, & non vniuerſalitatem, aut ſingularitatem.

Ad 2. Ad 2. reſp. eſſe totum illud admittendum de animalitate, vt pars quædam eſt, & vt ſumitur cum præciſione. verum nihil colligit aduerſus nos, qui tantum agimus de animalitate, vt eſt totum quoddam confuſe continens humanitatem, & non de illa ea ratione qua eſt pars.

Ad 3. Ad 3.reſpon. falſum eſſe loquendo de animalitate, vt eſt totum quoddam confuſe continens humanitatem, reipſa diſtingui ab illa, ſed ea ratione qua eſt pars, & vt præſcindit ab humanitate erit ab ea reipſa diſtincta. Vnde primo modo nullam entitatem realem includet humanitas, quam animalitas confuſe non contineat: altero tamen modo continebit humanitas aliquid, ſcilicet, rationalitatem, quam non continet animalitas, & ita primo modo non diſtinguetur humanitas ab animalitate, diſtinguetur tamen ſecundo modo.

Ad 4. Ad 4.reſp.animalitatem præciſam à rationalitate tantum eſſe illud, quo animal eſt animal: eandem vero, vt eſt totum confuſe continens rationalitatem, eſſe etiam rationem qua homo eſt homo, nam continet & ſe, & rationalitatem, ex quibus ratio hominis, ob quam homo eſt id quod eſt, conflatur.

Ad 5. Ad 5. eodem modo reſp.animalitatem, vt ſumitur præciſè nõ eſſe rationem totalem, & adæquatam ob quam homo ſit homo: eandem vero, vt eſt totum quoddam confuſe continens quidquid eſt in humanitate, eſſe rationem propter quam homo ſit homo. Nam ſignificat & proprium naturę gradum diſtinctè, & rationalitatem cõfuſe, ex quibus duobus integra, & adæquata ratio hominis coaleſcit. Ad confirmationem vero de attributis diuinis reſpon. etiam in illis rationem formalem vnius eſſe rationem formalem alterius, vt rationem formalem bonitatis, eſſe rationem formalem ſapientiæ, idq; propter ſummam & infinitam naturæ diuinæ ſimplicitatem: verum non dicimus attributum bonitatis eſſe attributum ſapientiæ, quia attributum præter rem ſignificatam quam exprimit, denotat habitudinem ad intellectum noſtrum, & quia ille alio modo concipit ſapientiam, & alio bonitatem, propterea aliud erit attributũ ſapientiæ, & aliud bonitatis. Legendus eſt D.Th. *1.par. quæſt.32.art.3.ad 3.*

Ad 6.diſtinguenda eſt propoſit. Vel identice, vel formaliter: primo modo idem ſunt animalitas, & rationalitas, ſunt enim in homine eadem humanitas: & hac ratione nimirum identica attributione animalitas de rationalitate prædicatur. Ad impugnationem dicimus vnam partem non prædicari de altera formaliter, bene tamen identice. Formaliter vero dicimus animalitatem diſtingui à rationalitate, & hanc attributionem formaliter eſſe falſam. rationalitas, eſt animalitas, cuius ratio eſt. Quia animalitas, & rationalitas ſunt duæ partes quę ad conſtitutionem alicuius totius (ſcilicet, humanitatis) concurrũt vna ad modum potentiæ, vt animalitas, & altera ad modũ actus, ſ.rationalitas, ob quam cauſam vna eſt ab altera abſtracta abſtractione formali, eo modo quo actus abſtrahitur ſecundum formam à poteſtate, vt forma à materia, ac proinde nullo modo poterit vnum de altero, neque rationalitas de animalitate, neque animalitas de rationalitate formaliter prædicari. *Ad 6.*

Ad vltimum reſpon. Rationem aſſignatam in argumento non eſſe totam, & adæquatam cauſam, ob quam animalitas dicatur de humanitate, quia nimirum ſint idem ſecundum rem: hæc ſiquidem cauſa tantum eſt accommodata prædicationi identicæ, & probat animalitatem prædicari attributione identica de humanitate, quia ſunt idem realiter. Nihil tamen confirmat de attributione formali: quare cauſa ob quam animalitas prædicatur de humanitate formaliter eſt, quia continet vt totum confuſa ratione, quidquid in humanitate continetur. At actio, & paſſio non ſunt ita inter ſe affecta, quæ licet realiter ſint vnus, & idem numero motus, formaliter tamen diſtinguuntur, quia vnum eorum neque eſt ſuperius ad alterum, neq; continet confuſe quidquid in altero continetur, atque ita hæc attributio, actio eſt paſſio, identice erit vera, formaliter vero erit omnino neganda, altera vero humanitas eſt animalitas, & identice, & formaliter, erit admittenda. Atque hæc de attributione mutua primorum notio- *Ad vlt.*

Digitized by Google

num tam in concreto quam in abſtracto dicta fuerint ſatis.

QVÆSTIO VII.

An notiones ſecundæ prædicentur de primis.

HActenus de his quæ ad primas notiones ſpectant diſſeruimus, conſequens eſt, vt de ſecundis diſputemus, tam in habitudine ad primas, quam in habitudine ad ſeipſas, prius tamen agendum erit de illis in habitudine ad primas, & quia hę ſumi poſſunt vel in concreto, vel in abſtracto, de ipſis, eorumq; attributione, tam in concreto, quam in abſtracto, ſuſcipienda erit diſputatio. In cuius explicationem illud ſemper præ oculis habendum eſt, notiones ſecundas eſſe cognitu difficilimas, idque propter minimam earum entitatem, vnde quemadmodum in rebus aliis, quæ ſunt cognitu difficiles euenire ſolet, vt earum naturam in rebus facilioribus explicemus, ita etiam & in hac re, naturã horum accidentium ex natura aliorum accidẽtium rei, inueſtigare debemus. Quare quemadmodum accidentia rei ſeſe habebunt, vel inter ſe, vel reſpectu ſubiecti, ita etiam accidentia rationis ſe habebunt vel inter ſe, vel in habitudine ad ſubiectum denominatum. Hoc ergo tanquam firmiſſimo iacto fundamento, ad explicandam hanc, quam propoſuimus quæſtionem, ſit prima concluſio. *Obſeru.*

.Concluſio. Notiones ſecundæ in concreto, prædicantur de primis in concreto. Hæc eſt communis, & veriſſima. Primo. Quia hæ attributiones homo eſt ſpecies, animal eſt genus, ſunt in quibus ſecundæ notiones in cõcreto prædicantur de primis in concreto, atqui hæ ſunt veriſſimæ, iam igitur ſecundæ notiones in concreto, prædicari poterunt de primo in concreto. Secundo. In accidentibus rei, concretum prædicatur de ſubiecto in concreto, nam hæ ſunt veræ, homo eſt ſapiens, nix eſt candida, & coruus eſt niger, ergo & in accidentibus rationis (vt ſunt ſecundæ notiones) concretum ſecundæ notionis, poterit de concreto primæ prædicari.

.Concluſ. 2. Concl. Secundæ notiones in abſtracto non poſſunt de primis in concreto prædicari, vnde hæ attributiones, animal eſt genereitas, homo eſt ſpecieitas, erunt falſæ (Liceat tamẽ mihi per politioris linguæ ſtudioſos, his nominibus Genereitas, & ſpecieitas, & aliis huiuſmodi vti, vt rem de qua eſt ſuſcepta diſputatio facilius multo intelligere poſſimus, neque enim hæc nomina, & alia quæ in vſu Dialecticorum verſantur, quamuis minus Latina, ſunt faſtidioſe contemnenda, dũ tamen ex illis quod cupimus, intelligere poſſimus. Neq enim (vt D. Aug. 4. de doc. c. 11. verbis vtar) obeſt clauis lignea, ſi pereã, nobis, id quod volumus aperire liceat.) Ad inſtitutum igitur vt regrediamur, propoſitas enunciationes eſſe falſas confirmatur. Primo. In accidentibus rei illę attributiones in quibus abſtracta prædicantur de ſubiectis in concreto, ſunt falſæ: nam hæ ſunt falſæ, nix eſt albedo, coruus eſt nigredo, & homo eſt ſapientia, ergo & in accidentibus rationis, illæ quoque attributiones erunt falſæ in quibus abſtracta accidentiũ prædicabuntur de primis notionibus in concreto. Secundo. Quando accidentia ſumuntur in abſtracto, ſumuntur vt auulſa, & vt præciſa ab omni ſubiecto, ergo ita ſumta non poterunt de illo prædicari. Antecedens eſt perſpicuum, conſequentia confirmatur ex eo quod in attributione, attributum ſumitur vt coniunctum, & vt cum ſubiecto copulatum, ſi igitur vſurpetur vt auulſum, & vt ab omni ſubiecto ſeparatum, non poterit de illo prædicari, ergo notiones ſecundæ in abſtracto non poterunt de primis in concreto prædicari.

3. Concluſ. Notiones ſecundæ in abſtracto nullo modo poſſunt de primis in abſtracto dici: vnde hæ erunt falſæ, humanitas eſt ſpecieitas, & animalitas eſt Genereitas. Confirmatur primo. In accidentibus rei forma abſtracta nõ prędicatur de ſubiectis in abſtracto, neq; enim dicimus humanitatem eſſe ſapientiam, neq; animalitatem candorem, ergo neq; in accidentibus rationis poterũt formæ abſtractæ prædicari de notionibus primis in abſtracto. Deinde quælibet forma in abſtracto ſignificata, abſtrahitur ab alia, vel ſumitur cum præciſione alterius formæ, ſed vbi intercedit abſtractio formalis ſubiecti ab attributo, illa attributio eſt falſa: etenim in attributione, attributum vnitur cum ſubiecto, & non abſtrahitur ab illo, ergo illa attributio in qua abſtractum ſecundæ notionis, dicitur de abſtracto primæ, erit falſa. *3. Concluſio.*

Eſt tamen dubitatio, an illæ attributiones in quibus concretum ſecundæ notionis prædicatur de abſtracto primæ ſint veræ necne? vt num hæ attributiones animalitas eſt genus, humanitas eſt ſpecies, & rationalitas differentia, ſint veræ necne? Nam eſſe veras, oſtendere poſſumus primo, Quia hæ notiones ſecundæ in concreto, accommodari poſſunt naturis ſignificatis vt quædam tota, nam ex eo Genus dicitur de animali, quia eſt quoddam totum, ſed animalitas, & humanitas ſunt quædam tota, vt conſtat ex quæſtionibus ſuperioribus, ergo notiones ſecundæ in cõcreto poterunt de primis in abſtracto prædicari. Secũdo. Animalitas v. g. abſtrahi poteſt per intellectum ab humanitate, & equi- *Dubia.* *1. Argum.* *2. Argum.*

nitate,

alitate, quemadmodum animal poteſt abſtrahi ab homine, & equo, ſed ad omnem abſtractionem conſequitur aliqua notio ſecunda in concreto, ergo & ad animalitatem aliqua notio conſequetur, hæc autem nulla alia eſſe poteſt, quã notio Generis, ergo animalitas erit Genus.

4. Concluſio. His tamen non obſtantibus ſit 4. concl. Illæ attributiones in quibus concreta notionum ſecundarum prædicantur de abſtractis primarum in ſubſtantiis ſunt falſæ, & reiiciendæ, vnde illæ propoſitiones quas propoſuimus animalitas eſt Genus, & humanitas eſt ſpecies, nullo modo erunt admittendæ. Hanc profitetur D. Tho. *cap. 3. libelli de ente & eſſentia*, Caietanus ibi, Auicenna propoſitus à D. Thom. qui inquit rationalitatem non eſſe differentiam, ſed principium differentiæ, & humanitatem non eſſe ſpeciem, ſed eſſe principium ſpeciei, & animalitatem non eſſe Genus, ſed principium Generis. Et ratio eſt aperta, quia Genus, & ſpecies, denotant naturas integras, & quædam tota: at abſtracta notionum primarum, vt animalitas, & humanitas, non denotant naturas integras, nam ſunt partes concretorum, vt in qu. 3. huius ſect. docuimus. Humanitas enim eſt pars hominis, & animalitas animalis, quare non poterunt hæc abſtracta, eſſe Genera, vel ſpecies Et certe ſi eſſent Genera, & ſpecies, per ſe, & directe, poſſent collocari in Categoriis, in quibus per ſe, & directe, Genera & ſpecies collocantur: quod tamen eſſe falſum, in Anteategoriis oſtendemus, in quibus demonſtrabimus, ſaltim in Categoria ſubſtantiæ, per ſe, & directe, ſola concreta contineri.

Animaduerſio. Diffiteri tamen nequaquam poſſumus, habere hæc abſtracta, formam quandam, & modum Generis, & ſpeciei, eo quod dicuntur de pluribus vel numero, vel ſpecie differentibus, in quid, vt animalitas, dicitur de equinitate, & humanitate, quæ ſpecie differunt in quid, & humanitas, de humanitate Thomæ, & Dominici, quæ numero differunt, & in quid: verum quia non ſunt hæ naturæ integræ, & completæ, Genera, & ſpecies vere, & proprie, nulla ratione dici poterunt: Quemadmodum anima, quæ dicitur de vegetante, ſentiente, & intelligente, quæ ſpecie differunt, non eſt Genus, vt poſtea queſt. 2. cap. de Genere oſtendemus, quia non eſt natura integra, ſed pars alterius, ſcilicet corporis animati.

5. Concluſ. 5. Concluſ. In accidentibus, attributiones in quibus concreta notionum ſecundarum prædicantur de abſtractis primarum ſunt veræ, & concedendæ. Confirmatur quia hæ attributiones ſunt veræ, albedo eſt ſpecies, color eſt genus, qualitas eſt Genus ſupremũ, in quibus omnibus concreta notionum ſecundarum, vt Genus, vel ſpecies, prædicãtur de albedine, colore, & qualitate, quæ ſunt notiones primæ abſtractæ. Quod ſi quis dicat. Nõ eſt maior ratio huius rei in ſubſtantiis quam in accidentibus, ſed in ſubſtantiis concretum notionis ſecundæ non prędicatur de abſtracto notionis primæ, vt conſtat ex ſuperiori concluſ. ergo neq; in accidentibus concretum prædicari poterit de abſtracto: *Ob. cit.* Reſpondemus eſſe latum diſcrimen inter ſubſtantias, & accidentia, quia in ſubſtantiis, abſtracta tantum ſunt id, quibus alia ſunt, & non ſunt id quod ſunt, vt humanitas tantum eſt id, quo homo eſt homo, & non eſt id quod eſt, vel homo, vel quidpiam huiuſmodi: In accidentibus vero, abſtracta non tantum ſunt id quo ſubiecta ſunt talia, verum etiam ſunt id quod ſunt, vt albedo non tantum eſt id, quo aliquid eſt album, verum etiam eſt id quod eſt, nam eſt color, patibilis qualitas, & qualitas. Vnde fit vt abſtracta in ſubſtantiis non ſint naturæ integræ, & completæ, ſed partes, & principia concretorum: In accidentibus vero, abſtracta ſunt naturæ completæ, & integræ, & non tantum principia, & partes concretorum. Fit etiam vt in ſubſtantiis abſtracta non contineantur per ſe, ſed reductiue in Categoria ſubſtantiæ, tanquam principia illius, in accidentibus vero, abſtracta per ſe, & non reductiue, contineantur, vt in Anteategoriis, agentes de his quæ continentur in categoriis, explicabimus. Hæ igitur notiones ſecundæ in concreto cum ſignificent naturam integram, & id quod eſt, non poterunt dici de abſtractis ſubſtantiarum, quæ neque ſunt naturæ integræ, neque ſunt id quod ſunt: poterunt tamen dici de abſtractis accidentium, quæ & ſunt id quod ſunt, & naturæ integræ atque completæ. *Solutio.*

1. Argum. Ex his non eſt difficile diſſoluere argumenta propoſita. Nam ad primam reſp. animal ex eo eſſe Genus, quia indicat naturam integram, & abſolutam, & quæ non ſit ex ratione, qua eſt Genus, alterius pars: at animalitas non eſt natura integra, ſed pars animalis, eo modo quo alia abſtracta ſunt partes concretorum.

2. Argum. Ad 2. admittimus ex humanitate, & equinitate abſtrahi poſſe animalitatis naturam, quæ ſecundum eſſentiam de vtroq; prædicetur: verum ad illam ita abſtractam non ſequetur notio Generis, cum non ſit natura integra, ſed aliquid habens modum illius. Quemadmodum anima abſtrahi poteſt à vegetante, ſentiente, & intelligente, ad quam ita abſtractam non ſequetur notio Generis cum non ſit natura integra, ſed aliquid referens modum, & formam Generis.

QVÆSTIO VIII.

An ſecundæ notiones, de ſecundis poſſint prædicari.

MOnuimus iam in qu. ſuperiori, accidentia rationis (vt ſunt notiones ſecundæ) eſſe cognitu difficillima, propter minimam ipſorum entitatem, ac proinde eorum latentem naturam ex accidentibus rei, quorum eſt ad intelligendum natura multo facilior, eſſe inueſtigandam. Statuta igitur diuiſione nominum, in concreta, & abſtracta, quæ in his ſecundis notionibus locum etiam habet.

ſform.

Animaduertendum eſt, in accidentibus rei, quædam eſſe quæ ex ſe ita pugnant, vt eidem ſubiecto conuenire ſimul nulla ratione poſſint. Huius generis ſunt candor, & ator, caliditas, & frigiditas, dulcedo, & amaritudo. Et alia eſſe, quæ nullo modo pugnant, non tamen inter ſe denotant neceſſariam vnionem in ſubiecto, poſſunt tamen eidem ineſſe, qualia ſunt caliditas, & humiditas, dulcedo, & albedo. & alia multa huius generis: & tandem alia eſſe, quæ ab alijs tanquam quædam proprietates dimanant, vt caliditas & raritas in igne, & in homine admiratio, & facultas ridendi, nam à caliditate fluit in igne raritas, & ab admiratione facultas ridendi. Eadem ratione in ſecundis notionibus, quædam ſunt quę inter ſe ita pugnant, vt eidem ſubiecto conuenire nullo modo poſſint, huius generis ſunt notio ſpeciei vltimæ, & generis, vel notio generis, & differentiæ. Fieri enim nullo modo poteſt, vt aliquid ſimul ſit genus, & ſpecies atoma, vel genus, & differentia, idque propter diuerſam rationem fundamenti in his ſecundis notionibus, nam fundamentum notionis genericæ eſt natura per diuerſas differentias ſpecificas, & eſſentiales contrahibilis: fundamentum vero notionis ſpecificæ, eſt natura ita iam contracta per differentias eſſentiales, & ſpecificas, vt nulla ratione ſit contrahibilis ab huiuſmodi differentiis, ſed a ſolis indiuiduantibus, & materialibus. Præterea Fundamentum notionis differentiæ, eſt natura quæ habet rationem actus contrahentis, & limitantis: fundamentum vero generis, eſt natura quæ habet rationem potentiæ, contrahibilis, & illimitati, quæ ſane fundamenta ita inter ſe pugnant, vt eidem conuenire nullo modo poſſint. Aliæ ſunt quæ nullam habent inter ſe repugnantiam, neque neceſſario inter ſe connectuntur: poſſunt tamen eidem conuenire, huiuſmodi ſunt notiones ſpeciei, & ſubiecti: generis, & ſpeciei intermediæ, proprii & ſpeciei infimæ, & aliæ multæ huius generis: nam notio ſubiecti, & ſpeciei, homini conueniunt, qui eſt ſubiectum ſuperiorum, & ſpecies prædicabilis reſpectu inferiorum, notiones vero generis & ſpeciei interiectæ conueniunt eidem animali, quod eſt ſpecies ſuperiorum, & genus inferiorum: notiones tandem proprii & ſpeciei infimæ, conueniunt eidem capacitati diſciplinæ, quæ reſpectu ſubiecti (vt hominis) dicitur proprietas reſpectu vero huius, & illius capacitatis, denominatiue dicitur ſpecies: Aliæ deniq; ſunt notiones quæ habent ſe veluti ſubiectum, & proprietas, quæ ita ſunt inter ſe colligatæ, vt vna ab altera diuelli nulla ratione queat huiuſmodi ſunt notiones vniuerſi, & prædicabilis, nam prædicabile proprietas eſt fluens à natura vniuerſi, & ita cum illa vnitur, vt non poſſit eſſe natura vniuerſa, quin ſit etiam prædicabilis.

His ſtatutis accedamus ad inſtitutum explicandum, qua ſcilicet ratione notiones ſecundæ, tam in concreto quam in abſtracto de ſe inuicem prædicentur. In cuius rei explicationem ſit prima concluſio.

Ex notionibus ſecundis, vna poteſt eſſe fundamentum alterius. Confirmatur primo. Omne obiectum intellectus patibilis, eſt fundamentum alicuius notionis ſecundæ, quia ad cognitionem paſſiuam cuiuſcunque obiecti, ſequitur in illo relatio aliqua rationis, vel ad intellectum, vel ad alios terminos, quæ ſane relatio eſt formaliter ſecunda notio: ſed quælibet notio ſecunda poteſt eſſe obiectũ intellectus patibilis, ergo poterit quælibet eſſe fundamentum alterius notionis ſecundæ. *Præterea.* Inter notiones ſecundas dantur genera, & ſpecies, ſed natura quæ denominatur genus, eſt fundamentum genereitatis (vt concipitur ab intellectu abſtracta à differentiis eſſentialibus contrahentibus, vt natura animalis concepta, vt abſtracta à rationis participe, & experte eſt fundamentum notionis generis.) Et natura ſpecifica concepta, vt abſtracta à differentiis indiuiduãtibus, eſt fundamẽtum notionis ſpeciei: ergo vna notio ſecunda poterit eſſe fundamentum alterius. *1. Concluſio.*

Contra tamen dicet aliquis primo. Si hæc vera ſunt, poterit igitur dari in notionibus ſecundis progreſſus in infinitum. etenim ſi quælibet notio cognita, vel vt eſt obiectum intellectus, eſt fundamentum alicuius notionis, cum illa alia notio quæ fundatur, poſſit eſſe cognita, poterit quoque eſſe fundamentum alterius notionis, & cum hæc tertia quoque poſſit eſſe cognita, poterit quoq; eſſe fundamentum alterius quartæ notionis, & ſic progredi poterimus in infinitum. Secundo Fundamentum eſt maioris entitatis, quã ſit res, quæ in illo fundatur, *Duæ obiectio.*

ſed vna notio nõ eſt maioris entitatis quã altera: ergo vna non poterit eſſe fundamentũ alterius.

Ad 1. arg. Ad primum reſpon. cum Herueo *quaſt. 3. de notionibus* admittentes talem progreſſum in infinitum, quod certe admittere nullum eſt abſurdum, imo dixerim neceſſarium, nam cum hæ notiones ſecundæ conſequantur actiones intelligendi, & in his actionibus concedi debeat progreſſus in infinitum, qualibet ſiquidem actione data poſſumus nos illam intelligere, & alia data poſſumus quoq; per actũ reflexum illam intelligere, & ſic in infinitum, certe in notionibus ſecundis concedi debet huiuſmodi progreſſus in infinitum. *Ad 2.* Ad ſecundum reſp falſam eſſe in omnibus propoſitionem, nam materia prima eſt fundamentum formæ, & quantitas qualitatis, cum tamen, & forma ſit maioris entitatis, quam materia, & qualitas quantitate. Non igitur propterea non poterit vna notio eſſe alterius fundamentum, quia non eſt maioris entitatis quam altera.

2. Concluſ. 2. Concl. Vna notio ſecunda in concreto poteſt de altera in concreto prædicari, dum tamen nullo modo pugnet cum illa. Vnde hæ attributiones, Genus eſt ſpecies intermedia, Proprium eſt ſpecies infima, ſpecies eſt attributum, vniuerſum eſt prædicabile, & aliæ huiuſmodi ſunt veræ, & concedendæ. Confirma. Primo ex ſuperiori aſſertione. Relatio in concreto vere prędicatur de fundamento cui innititur, ſed notionibus vna eſt fundamentum alterius, ergo poterit vna de altera in concreto prædicari. Secundo. Quia eadem eſt ratio in accidentibus rationis quæ in accidentibus rei: ſed in accidentibus rei, illud quod non pugnat cum altero, poteſt de illo in concreto prædicari, nam dicimus album eſſe dulce, & atrum eſſe magnum, ergo & in Accidentibus rationis poterit vnum de altero in concreto prædicari.

3. Concluſio. 3. Concl. Si hæ notiones inter ſe pugnant, non poterit vna de altera in concreto prædicari. Ratio eſt aperta in accidentibus rei quãdo vna forma pugnat cum altera, non poteſt de illa in concreto prædicari, vt quia albedo pugnat cum nigredine, & dulcedo cum amaritudine, non poſſumus dicere album eſſe nigrum, vel dulce amarum: ergo neque in accidentibus rationis, ſi vna notio pugnat cum altera, non poterit de illa in concreto prædicari. Vnde colligimus has attributiones, Genus eſt ſpecies infima, vel Genus eſt differentia, eſſe falſas, quia notiones Generis, & ſpeciei infimæ, vel Generis & differẽtiæ, ita inter ſe pugnant, vt eidem ſubiecto conuenire nulla ratione queant.

4. Concluſio. 4. Concluſ. Non poteſt notio ſecunda in abſtracto, prædicari de ſecunda in concreto Confirmatur. Quia in accidentibus rei abſtractum non prædicatur de concreto, vt non dicimus album eſſe albedinem, ergo neq; in accidentibus rationis abſtractum prædicabitur de concreto. Præterea. Pars non prædicatur de ſuo toto, at abſtractum pars eſt concreti, ergo non prædicabitur de illo. Vnde hæ attributiones falſæ erunt, Genus eſt Genereitas, & ſpecies ſpecieitas.

5. Concluſio. In eiſdem notionibus poteſt aliquando concretum vere de abſtracto prædicari, non tamen ſemper. Aliquando enim ratio, quæ nomine attributi exprimitur, poteſt ſubiecto accommodari, & aliquando non poteſt. Quando poterit tunc vera erit attributio, quando vero non poterit erit falſa, quare hæc enunciatio vera erit, Genereitas eſt ſpecies, & hæc altera ſpecieitas eſt ſpecies, quia ratio nomine ſpeciei ſignificata, accommodari poteſt genereitati, & ſpecieitati: nam eſt illa poſſe dici de multis numero differentibus in quid, quæ profecto his duabus notionibus adaptatur. Nam Genereitas dicitur in quid, de hac, & illa genereitate, quæ numero differunt, & ſpecieitas de hac & illa ſpecieitate quæ numero quoque differunt. Verum hæc altera, genereitas eſt Genus, & hæc rurſus ſpecieitas eſt Genus, falſæ erunt, quia ratio nomine attributi ſignificata, quæ eſt poſſe eſſe in multis ſpecie differentibus, genereitati, & ſpecieitati, nullo modo poteſt conuenire, quæ ſub ſe nulla habent inferiora quæ ſpecie differant. Confirmari poteſt hæc aſſertio in hunc modum. Inter ſubiectum, & attributum debet eſſe aliqua idemptitas realis, ſed quando ratio nomine attributi ſignificata adaptari poteſt ſubiecto, inter ipſum, & attributum, eſt idemptitas realis, quando vero non poteſt, non intercedit talis idemptitas, ergo quando ratio nomine attributi ſignificata poterit ſubiecto conuenire, illa attributio erit vera, quando vero non poterit erit falſa. *5. Concluſio*

6. Concl. Si vtraq; notio vſurpetur in abſtracto, & vna eſt ſuperior ad alteram bene poterit quæ ſuperior fuerit de inferiori prædicari, dũ tamen vſurpetur vt totum quoddam confuſe continens quidquid in inferiori continetur: vnde hæc erit vera attributio. Genereitas eſt vniuerſalitas, & hæc altera. Vniuerſalitas, eſt relatio rationis, in quibus ſuperius in abſtracto de inferiori prædicatur. Confirmatur hæc ex his quæ ſupra diximus, de notionibus primis, nimirum notionem primam in abſtracto ſi ſuperior fuerit poſſe de prima prædicari, vt totum quoddam confuſe cõtinens quidquid eſt in inferiori. Eſt ſiquidem eadem ratio ſecundum analo- *6. Concluſ.*

giam n tionum primatum, & ſecundarum. Dictum eſt ſi fuerit ſuperior, nam ſi non fuerit, attributiones in quibus abſtracta prædicatur de abſtractis, ſimpliciter & abſolute falſæ erunt, ac proinde erunt hæ falſæ, genereitas eſt ſpecieitas, & ſpecieitas, eſt Genereitas, quia attribu. harum enunciationum, non ſunt ſuperiora, ſed inter ſe diſparata.

7. concl. 7. Concluſ. Notiones ſecundæ vniuerſæ, tantum prædicari poterunt de primis vniuerſis in concreto, & notiones ſecundæ ſingulares, tantum poterunt prædicari de notione prima ſingulari. Hanc optime explicat, & confirmat M. Soto, *quaſt. 3. de rebus vniuerſ.* Quare notio Generis (quæ eſt natura vniuerſa) tantum poterit prædicari de animali, vel lapide, qui ſunt naturæ vniuerſæ, & notio indiuidui, vel ſingularis, tantum poterit prædicari de Petro, vel illo equo, qui ſunt naturæ quædam ſingulares. Confirmatur. Notio ſecunda dicitur de prima medio conceptu, quem de re in mente formamus: ſed non poſſumus concipere rem vniuerſam conceptu ſingulari, neque ſingularem conceptu vniuerſo, non enim homo poteſt concipi ſine habitudine ad multa, neque Petrus cum huiuſmodi habitudine: ergo notiones ſecundæ vniuerſæ, tantum dici poterunt de primis vniuerſis, & non de ſingularibus, & notiones ſecundæ ſingulares, tantum dici poterunt de primis ſingularibus, & non de primis vniuerſis.

Dubium. Rogabit tamen aliquis an notiones ſecundæ dici poſſint de primis ſingularibus, non quidem abſolute, ſed addita hac particula in quantum, vt an (v. g.) Petrus in quantum homo, ſit ſpecies.

1. Opin. Mag. Sotus in quæſt. ſæpe tradita ad ſecundum principale reſpon. diſtinctione quadam adhibita, nam vel dictio in quantum ſumitur reduplicatiue vel ſpecificatiue Si primo modo ſumatur erit falſa attributio, diſſoluitur enim illa in duas categorias in has ſcilicet, Petrus eſt ſpecies, & ratio ob quam eſt ſpecies eſt, quia eſt homo, ex quibus, prima eſt falſa. Si vero ſignificatiue vſurpetur, erit vera, nam reddit hũc ſenſum, Petrus conceptus conceptu vniuerſo hominis, eſt ſpecies, quæ certe propoſitio vera eſt, vt hæc altera, homo conceptus conceptu vniuerſo, eſt ſpecies. Hanc ſententiam plerique ex recentioribus profitentur.

2. Opin. Mihi tamen, vt ingenue profitear quod ſentio, non placet. Vnde exiſtimo hanc attributionem eſſe falſam, Petrus in quantum homo eſt ſpecies, non tantum reduplicatiue (vt etiam illi fatentur) ſed ſpecificatiue quoque. Quod ita eſſe in hunc modum demonſtro. Fieri nulla ratione poteſt vt Petrus concipiatur conceptu generali & vniuerſo, nam impoſſibile eſt ipſum abſtractum eſſe à proprietatibus ſingularibus, per quas neceſſario definiri deberet, ſi poſſet definiri, ergo neq. conceptus conueniens homini vt concipitur conceptu vniuerſo poterit Petro conuenire, quare neque erit ſpecies in quantum eſt homo, quia ratio ſpeciei de nullo poteſt dici, quod non concipitur conceptu generali, & vniuerſo. Atque hæc de mutua prædicatione notionum ſecundarum, imo & de tota diſputatione de notionibus ſecundis dicta fuerint ſatis.

SECTIO V. DE REBUS VNIVERSIS, IN qua de numero vocum communium, de Genere earum, de ſubiecta materia huius operis Porphyr. & de aliis diſputatur.

ARGVMENTVM.

PLus nimio fortaſſis in diſputationibus ſuperioribus de rebus vniuerſis, ente rationis, & notionibus ſecundis immorati fuimus, boni tamen illud conſulere debet ſtudioſus lector ſciendi cupidus difficilium rerum, & ſubtilium indagator, cum ad res Dialecticas percipiendas, intelligat hæc omnia prorſus eſſe, & abſolute neceſſaria. Quibus luculenter ſatis explicatis, ſequitur vt in hac vltima ſectione de rebus vniuerſis, de numero vocum communium, & prædicabilium, num ens ſit genus ad illas, de ſubiecta materia huius libri diſſeramus. Et vt tandem tribus illis quæſtionibus a Porphyrio in præfatiuncula propoſitis ſatiſfaciamus, quibus abſolutis finem toti huic diſputationi de rebus vniuerſis imponemus.

QVÆSTIO I.

Sintne tantum quinque voces communes, & vniuerſa.

ADuerſus numerum harum quinque vocum præd cabilium, duo genera argume͂torum proponemus. Ptimum erit ad confirmandum, p ura eſſe quam quinque prædicabilia: alterum vero ad confiımandum eſſe multo pauciora. Confirmo inprimis, plures eſſe quam quinque voces prædicabiles.

1. Argum. Ptimo. Ens eſt vox prædicabilis, & vniuerſa, ſed illud neque eſt genus, vt teſtatur Ariſt. 3. *Metaphyſ. cap* 3. neque ſpecies, quia non habet ſupra ſe genus, neq; differentia, quia non prædicatur in quale, ſed in quid. Neque proprium & commune accidens, quia non eſt extra rei naturam & eſſentiam, ergo plutes erunt quam quinque voces vniuerſæ. Confirmatur argumentum. Exiſtentia eſt attributum quoddam generale, quod de rebus omnibus prædicatur: ſed illa neque eſt genus, neque ſpecies, cum in rebus creatis non ſit attributum eſſentiale, vt ſæpe repetit D. Tho. Genus vero & ſpecies attributa ſunt eſſentialia, neque differentia, propter eandem cauſam, quia eſt attributum eſſentiale, neque proprium, quia primo competit rebus vniuerſis, exiſtentia vero primo competit ſingularibus, neque accidens commune, quia exiſtentia non poteſt adeſſe & abeſſe rei abſque illius interitu: ergo plures erunt quam quinque voces vniuerſæ.

2. Argum. 2. Anima, punctum, manus, & aliæ partes, ſunt voces vniuerſæ, nam prædicatur de multis, at non ſunt genus, neque aliud ex his quinque vocibus, quia non indicant naturam aliquam integram, quæ ſola ſub his vocibus poteſt comprehendi, ergo multo plures erunt voces vniuerſæ.

3. Argum. 3 Idem confirmatur de indiuiduo vago, de diffinitione, quæ prædicatur de pluribus, vt quidam homo de Petro & Ioanne: & diffinitio hominis, quæ eſt animal particeps rationis, dicitur de omnibus indiuiduis naturæ humanæ, quæ duo tamen ſub nulla ex his quinque vocibus continentur, ergo plures erunt voces vniuerſæ.

4. Argum. 4. Tot ſunt partes vniuerſi, quot ſunt partes entis, vt auctor eſt Ariſt 4. *Metaphyſ. cap.* 2: ſed partes entis (quæ ſunt Categoriæ) ſunt decem, ergo decem quoque erunt voces vniuerſæ. Confirmatur. Tot modis dicitur vnum contrarium, quot dicitur & alterum ex Ariſt. 1. *Topic. cap.* 12. ſed ſubiicibile & prædicabile ſunt oppoſita: vel ſingulare & vniuerſum, & ſingularia ſunt numero infinita, iam igitur prædicabilia & vniuerſa erunt numero infinita, quare non poterunt ſub quinario numero comprehendi.

Vlt. argum. Vltimum. Hæ attributiones, album eſt corpus, animal eſt rationale, ſunt alicuius attributi vniuerſi, ſed illæ non continentur ſub aliqua ex his vocibus vniuerſis, quia corpus neque eſt genus, neq; ſpecies albi, &c. & idem iudicium eſt de rationali reſpectu animalis: ergo plures erunt quam quinque voces vniuerſæ.

Prætetea eſſe pauciores quam quinque, his aliis argumentis demonſtro.

1. Argum. Primum. Voces vniuerſę ſunt quædam attributa, quæ de pluribus prædicantur: ſed tantum ſunt duo modi prædicandi, in quid, & in quale, vel ſecundum eſſentiam, & ſecundum accidens: ergo tantum erunt duæ voces vniuerſæ, quarum vna prædicetur in quid, & ſecundum eſſentiam, & altera in quale, vel ſecundum accidens.

2. Argum. 2. Voces vniuerſæ ſunt quædam attributa Dialectica, quæ de pluribus dicuntur: ſed tantum ſunt quatuor attributa, vel problemata Dialectica, generis, diffinitionis, proprii, & cõmunis accidentis, ex Ariſtot 1. *Top. cap.* 4. ergo tantum erunt quatuor voces vniuerſæ.

3. Argum. 3. Quemadmodum ſe habent differentia vltima, & interiecta: ita ſe habent genus & ſpecies, etenim quemadmodum differentia vltima dicitur de multis numero differentibus, & interiecta de multis ſpecie differentibus, ita ſpecies infima dicitur de multis numero differentibus, genus vero de multis ſpecie differentibus: ſed differentia infima & interiecta non conſtituunt duas voces vniuerſas: ergo neque genus & ſpecies conſtituent duas voces vniuerſas. Et confirmatur etiam de proprio infimo, vt de riſibilitate in homine, & de interiecto, vt ſenſibilitate in animali, quæ duo propria non conſtituunt duas voces prædicabiles: ergo neque genus, & ſpecies, cum ita ſe habeant, vt hæc duo genera propriorum, conſtituent duas voces prædicabiles.

4. Argum. 4. Voces vniuerſæ diſtingui debent per immediatam de ſuis inferioribus prædicationẽ: ſed iuxta immediatam prædicationem, differentia vltima, & proprium, non ſunt voces vniuerſæ: ergo pauciores erunt, quam quinque hæ voces. Propoſitio eſt perſpicua, quia genus & ſpecies de indiuiduis prædicantur ſecũdum quid, non tamen differunt, quia genus prædicatur mediate, ſpecies vero immediate, imo propterea dicunt omnes, genus non eſſe ſpeciem,

Digitized by Google

quamuis prædicetur de multis numero differentibus, quia non prædicatur immediate, ſed mediate. Confirmatur aſſumptio. Vniuerſum eſt vnum in multis, ſed differentia & proprium per immediatam prædicationem non ſunt in multis, ſed in vno, vt differentia tantum dicitur de vna ſpecie, quam conſtituit, vt rationis particeps de homine, & proprium de illa vna ſpecie, à cuius natura fluit, vt capacitas diſciplinæ de eodem homine, ergo.

. Argum. 4. Omne accidens vel eſt genus, vel ſpecies, nam continetur illud in categoriis accidentium, in quibus ſola genera, ſpecies, & indiuidua collocantur. Præterea genus comprehenditur ſub ſpecie, nam eſt ſpecies vniuerſi, imo & omnes quoque ſunt ſpecies vniuerſi, ergo pauciores erunt, quam quinque, imo & omnes poterunt ſub vnica nimirum ſpecie comprehendi. Et confirmatur hoc in peculiari de accidente. Accidens non prædicatur ſynonyme, ſed denominatiue, ergo non erit vox vniuerſa.

Concluſio. Sit tamen veriſſima, & ab omnibus Philoſophis recepta concluſio. Tantum ſunt quinque voces vniuerſæ & prædicabiles, genus, ſpecies, differentia, proprium, & commune accidens. Hanc profitetur Porphyrius *in præfatiuncula, & in cap. de genere*, illamque optime confirmant D. Albertus Magnus *tractat. 2. in Porphyr. cap. 9.* Auicenna *cap. 6. ſuæ Logicæ, in fine*, M. Sotus *quæſt. vlt. de rebus vniuerſis*, Scotus *quæſt. 12. in Porphyr.* Toletus *quæſt. vlt. de rebus vniuerſis*, M. Iuſtinianus *2. lib. Inſtitutionum, cap. 10.* Legendi ſunt etiam Alexander, Sueſſanus, & alij interpretes, *cap. 3. & 4. lib. 1. Topic.* Quam antequam confirmemus, præfanda erit definitio vocis communis & vniuerſæ, quæ ita habet. Vox vniuerſa, eſt vox omnino ſimplex, quæ de multis ſynonyme nata eſt dici: in qua definitione tres particulæ continentur. Prima eſt vox omnino ſimplex, quæ intelligi debet tam voce, quam ſignificatione: vnde voces compoſitæ, vt orationes, diffinitiones, & aliæ excludi debent à ratione vocis vniuerſæ. Secunda eſt ſynonyme, per quam excluduntur voces omnes homonymæ, à ratione vniuerſi. Tertia eſt, nata eſt dici de multis, quæ indicat non eſſe de ratione vniuerſi dici actu de multis, ſed poſſe dici de multis. Qua propoſita diffinitione, eſſe has quinque voces vniuerſas, & non plures, neque pauciores, his argumentis confirmo.

Definitio vocis communis.

. Argum. ex Porphyr. Primum eſt propoſitum à Porphyrio, *in cap. de genere*, & ab Ammonio, & ab aliis interpretibus, in commentariis illius, ex variis modis prædicandi petitum. Quidquid prædicatur de aliquo, vel prædicatur in quid, vel in quale: ſi in quid, vel de multis ſpecie vel numero differentibus: ſi in quale, vel in quale ſecundum eſſentiam, vel ſecundum accidens, præterea ſi ſecundum accidens, aut fluit à principiis ſpeciei, aut non fluit. Si prædicatur de multis ſpecie differentibus, eſt genus, ſi de multis numero differentibus eſt ſpecies, ſi in quale ſecundum eſſentiam eſt differentia, ſi in quale ſecũdum accidens, & fluit à principiis eſſentiæ rei, eſt proprium, ſi vero non fluit, eſt commune accidens, ergo quinque erunt voces vniuerſæ.

2. Argum. ex B. Albert. Magno. Secundum eſt propoſitum a B. Alber. Mag. in loco ſuperiori ex variis modis eſſendi in aliquo collectum. Omne, quod eſt in multis, aut eſt in illis ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum accidens, ſi fuerit ſecundum ſubſtantiam, aut erit ratione actus, aut ratione potentiæ, ſi ratione actus, aut ratione actus perficientis, aut perfecti, ſi fuerit ratione potentiæ, eſt genus, quod eſt totum quoddam potentiale, & confuſe continens multas differentias: ſi vero fuerit ratione actus perficientis, eſt differentia, quæ eſt perfectio & pulchritudo quædam generis, ſi vero ratione actus perfecti, erit ſpecies, quæ eſt totum quoddam perfectum, ex genere & differentia conſtitutum. Præterea ſi fuerit in multis ſecundum accidens, aut eſt in illis ſecundum accidens naturæ communis, quæ primo naturæ, & deinde ſuis indiuiduis conueniat, aut ſecundum accidens indiuiduorum, quod ſcilicet primo indiuiduis, & deinde naturæ vniuerſæ adaptetur. Si fuerit accidens, primo modo eſt proprium, quod primo dicitur de natura vniuerſa, & deinde de indiuiduis: ſi vero fuerit ſecundo modo, eſt commune, nam illud primo competit naturæ ſingulari, & deinde vniuerſæ, erunt igitur quinque voces vniuerſæ, genus, ſpecies, &c. Ex his duabus rationibus hæc ſecunda eſt a priori, nam traditur per eſſe in multis, quod rei vniuerſæ naturam & eſſentiam declarat, prima vero eſt a poſteriori, nam traditur per poſſe prædicari, quod eſt quædam proprietas a natura vniuerſa promanans.

3. Argum. ex M. Soto, & aliis. 3. Argum. Compoſitio ſpeciei Metaphyſ. ſimilis eſt compoſitioni totius naturalis, ſed in compoſitione naturali hæc quinque reperiuntur, totum ipſum compoſitum, pars quæ habet locum potentiæ, altera quæ habet locum actus, proprietates ab vna vel altera parte fluentes, & accidentia communia, quæ toti inſunt, & a principiis indiuiduantibus deriuan-

uan-

Digitized by Google

uantur, vt in homine, ipſe eſt totum compoſitum, materia habet locum potentiæ, forma vero actus, proprietates fluentes a forma, vt capacitas diſciplinæ, & accidentia communia, vt candor & ator, quæ a principiis indiui duantibus dimanant: ergo & in compoſitione metaphyſ. hæc eadem quinque reperientur, ſpecies, quæ eſt totum conſtitutum, genus, quod in illa habet locum potentiæ & materiæ differentia, quæ habet locum actus, & formæ, accidentia propria, quæ fluant a natura, & primo ipſi conueniant, & communia, quæ a principiis materialibus deriuentur, & primo conueniant indiuiduis, erunt igitur hæ quinque voces vniuerſæ. Hac ratione vtitur M. Sotus, vbi ſupra.

4. Argum. Vltimo confirmari poteſt ex duplici genere abſtractionis. Nam duplex eſt abſtractio, vna formalis, & alia vniuerſalis, formalis eſt, qua forma abſtrahitur a materia, vniuerſalis vero, qua totum abſtrahitur a ſuis partibus, ſed vniuerſalis præbet nobis tres voces vniuerſas, genus, ſpeciem, & differentiam, ex quibus genus confundit ſub ſe multas naturas ſpecificas, ſpecies multa indiuidua, differentia vero vnam naturam immediatam, de qua effertur: Formalis præterea ſuppeditat nobis proprium & commune accidens, quorum ſignificata formalia (ſumpta formaliter) ſunt abſtracta ab his, de quibus prædicantur, eo modo, quo forma eſt abſtracta a materia, erunt igitur hæ quinque voces, genus, ſpecies, &c.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta, quæ in principio propoſuimus. Ad primum reſp. ens eſſe analogum, ac proinde non eſſe naturam vniuerſam, quæ debet eſſe ſynonyma, & non analoga. *Solut. Scotiſt.* Nonnulli Scotiſtæ, vt Antonius Andreas in Porphyr. & Ioannes Anglicus ſuper quæſt. Scoti de rebus vniuerſis, quæſt. 9. agentes de numero prædicabilium, reſpondent, ens non eſſe vniuerſum, non quia non ſit natura ſynonyma, ſed quia eſt natura late patens, infinita quodam modo, & illimitata: at vniuerſum debet eſſe certa & limitata natura. Prima tamen ſolutio verior eſt, & communior. Ad confirmationem de exiſtentia reſpondet Toletus, vbi ſupra, ad tertium illam non eſſe aliquod attributum, præter verbum ſubſtantiuum, ac proinde neque erit vox vniuerſa, cum omnis illa ſit attributum vniuerſum. Fallitur tamen, quia in his attributionibus, homo eſt ens, homo eſt exiſtens, exiſtentia eſt attributum, a ratione verbi ſeparatum. Quare alij reſpondent, exiſtentiam eſſe analogam, cum prius dicatur de ſubſtantia, quam de accidentibus & de ſubſtantiis primis, quam de ſecundis, ac proinde non poſſe eſſe naturam vniuerſam, quæ neceſſario debet eſſe natura ſynonyma, & non homonyma, vel analoga. Reſpondere tamen poſſumus, (& verius fortaſſe) exiſtentiam ex eo non eſſe naturam vniuerſam, quia non eſt natura integra & completa; ſed modus quidam & actus vltimus naturæ, at vt ſit aliquid vniuerſum, debet eſſe natura integra & completa. *De hac re multa diximus 2. lib. transcend.*

Ad 2. Ad 2. eodem modo reſp. illa omnia, quæ in argum. recenſentur, quamuis dicantur de pluribus, non eſſe vniuerſa, quia non ſunt naturæ integræ & completæ.

Ad 3. Ad 3. inprimis de diffinitione reſp. non eſſe ipſam vocem vniuerſam, quamuis dicatur de multis, quia non eſt natura ſimplex, qualis neceſſario eſſe debet vox omnis vniuerſa. *De indiuiduo vago.* De indiuiduo vero vago dicimus primo, illud eſſe commune multis ſecundum analogiam, vt in cap. de ſpecie de illo agentes oſtendemus, nam alia ratione Petrus eſt quidam homo, & alia Ioannes, at vox vniuerſa non debet eſſe analoga. Vel ſecundo poſſumus reſpondere, indiuiduum vagum eſſe vocem compoſitam ſignificatione, vt in cap. de ſpecie dicemus, nam ſignificat multa, nō quidem per modum congregationis, ſed per modum diſiunctionis, vt quidam homo ſignificat Petrum, Ioannem, & alia indiuidua naturæ humanæ per modum diſiunctionis, nam idem ſignificat, quod vel Petrus, vel Ioannes, vel Dominicus, at vero ad rationem vniuerſi requiritur omnino, vt ſit natu ſimplex. Vel tandem dicere poſſumus, indiuiduum vagum neque in quid, neq; in quale prædicari, ſed in cuiuſmodi, vt poſtea in cap. de ſpecie oſtendemus, ex doctrina Caiet. in eodem loco, ac proinde non eſſe vocem vniuerſam, quæ neceſſario debet prædicari, vel in quid, vel in quale.

Ad 4. Ad quartum reſp. Ariſt. intelligendum eſſe de vniuerſo materiali, vel de naturis vniuerſis, cuius tot ſunt formæ, quot ſunt partes entis, vel categoriæ, nam quælibet natura vniuerſa ſub limitibus alicuius categoriæ comprehenditur: nos vero hic tantum agimus de numero notionis vniuerſæ in concreto, & dicimus, illam in has quinque formas eſſe diſtributam, ſub quibus denominatiue continentur omnes naturæ vniuerſæ, & quæcunque in categoriis ſunt comprehenſæ. Neque ex numero categoriarum colligere licebit numerum prædicabilium, quia categoriæ ex diuerſis modis eſſendi per ſe, & in alio (qui poſſunt eſſe decem) colliguntur. Prædicabilia vero ex diuerſis modis prædicandi in quid, vel in

quale. Ad confirm. reſp. cum Sco. *vbi ſup. ad 2.* aliud eſſe loqui de oppoſitis, aliud de ſuppoſitis, primo modo intelligi debet Ariſtotel. quia quot ſunt ſignificationes vnius ex oppoſitis, tot debent eſſe alterius, non tamen intelligi debet de ſuppoſitis, nam album & nigrũ ſunt oppoſita, non tamen ſunt tot ſuppoſita nigri, quot ſuppoſita albi. Eadem ratione quamuis vniuerſum & ſingulare opponantur, non hinc fit, vt ſi ſuppoſita ſingularia ſint infinita, debeant naturæ vniuerſæ eſſe infinitæ.

Ad 5. Ad quintum & vltimum reſpondemus, illas attributiones eſſe indirectas, ac proinde attributa illatum non eſſe voces vniuerſas, nam vt ſit aliqua vox vniuerſa, debet eſſe nata dici de multis directe, eſſe vero indirectas, conſtat, quia in vtraque, quod habet locum ſubiecti, fit attributum, & quod habet locum attributi, fit ſubiectum.

I argu. ſecũdi generis. Ad 1. Ad argumenta vero ſecundi generis reſpon. Ad primum in genere, & in communi, tantum eſſe duas attributiones, ſecundum eſſentiam, & ſecundum accidens: verum hæ deinde ſubdiuiduntur in alias formas & ſpecies. Nam attributio ſecundum quid, quædam eſt de pluribus ſpecie, & alia de pluribus numero differentibus, & ſic de aliis, vt ſæpe diximus. At vero numerus harum vocum vniuerſarum non eſt petendus ex illis duabus attributionibus generalibus, ſed ab aliis quinque priuatis & ſpecialibus.

Ad 2. Ad 2. reſp. Scot. *q. 12. in Porphyr. ad primum*, eſſe diſparem rationem inter problemata Dialect. & voces vniuerſas, nam problemata Dialectica diſtinguẽda ſunt per prædicari in quid, vel in quale, conuertibiliter, vel inconuertibiliter, genus & diffinitio prædicantur in quid, genus inconuertibiliter, diffinitio vero conuertibiliter: proprium vero & commune accidens prædicantur in quale proprium conuertibiliter, accidẽs vero inconuertibiliter. Attributa vero Dialectica tantũ ſunt diſtinguenda per prædicari in quid, vel in quale, abſtrahendo à prædicari conuertibiliter, & inconuertibiliter, nihil enim attinet ad rationem vocum vniuerſarum, quod efferatur de ſuis ſubiectis conuertibiliter, aut inconuertibiliter, & quia dici in quid vel in quale, conuertibiliter, aut inconuertibiliter, tantum euenit quatuor modis: prædicari vero in quid, vel in quale abſolute quinque modis, propterea erunt quatuor problemata Dialect. & quinque voces vniuerſæ Vel reſp. poſſumus, voces vniuerſas eſſe attributa, quæ de ſubiectis dicuntur ſimpliciter & abſolute, problemata vero Dialectica eſſe attributa, quę de aliquo ſubiecto in quęſt. inueſtigãtur, & quia quatuor poſſunt de quolibet ſubiecto inueſtigari, nimirum, an aliquid ſit genus ſubiecti, vel definitio, quæ duo ſunt intra eſſentiam, vel proprium, vel commune accidens, quæ ſunt extra illam, propterea tantum erunt quatuor problemata Dialect. Prætermiſit autem Ariſtot. in illo loco ſpeciem & differentiam, quia ſpecies (vt quidam dicunt) ſub genere comprehenditur. Vel rectius multo, quia ſpecies eſt ſubiect. quæſt. de quo illa quatuor problemata inueſtigantur: differentia vero ad diffinitionem eſt reuocanda. Verum quia illa, quę ſimpliciter de aliquo ſubiecto dicuntur, quinario numero ſunt comprehenſa, iuxta quinque formas attributionis diuerſas, propterea quinque erunt voces vniuerſæ.

Ad 3. reſp falſam eſſe propoſitionem, & ratio diſcriminis eſt, quia genus & ſpecies immediate prædicãtur de pluribus ſpecie vel numero differentibus, ac proinde habent diuerſam rationem attributi vniuerſi, propter varias habitudines ad plura vel ſpecie vel numero diuerſa. At vero differentia infima & interiecta, immediate & proxime non dicuntur de pluribus vel ſpecie vel numero differẽtibus, ſed immediate & proxime de vno (de ſpecie ſcilicet, quam conſtituunt) ſiue illud conſtitutum obtineat ſub ſe multa, vel ſpecie, vel numero diuerſa, ſiue non obtineat, vnde hæ duę differentiæ eandem prorſus habitudinem denotabunt ad ſpecies, quas immediate cõſtituunt, ac proinde nõ erunt diſtinctæ voces vniuerſæ, quamuis genus & ſpecies ſint diſtinctæ propter diuerſam habitudinem ad plura, vel ſpecie, vel numero diſtincta. *Ad 3.*

Ad 4. Ad confirmationem reſp. admittentes proprium, & differentiam non eſſe naturas vniuerſas per prædicationem immediatam, vt optime confirm. argum. nam ita tantum dicuntur de vno (ſi de ſpecie, quam vel immediate conſtituunt, vel à cuius natura fluunt) conſtitui tamen in ratione vniuerſi, propter mediatam prædicationem de inferioribus, quæ ſub ſpecie, de qua dicuntur, immediate continentur. Neque enim eſt de ratione naturæ vniuerſæ dici de multis immediate, ſed quod dicatur de multis immediate, vel mediate, abſtrahit ſiquidem illa à mediata vel immediata prædicatione, vt recte fuit animaduerſum à Toleto in hac quæſt. 1. in qua quærit, ſi vniuer. ſit genus ad quinque voces, in ſolut. 2. argum.

Ad 5. reſp. inprimis de accidente poſſe illud ſumi, vel in habitudine ad ſubiect. denominatum, vel in habitudine ad inferiora eſſentialia, *Ad 5.*

quæ

quæ ſub illo continentur, vt albedo ſumi poteſt vel in habitudine ad corpus, quod denominat, vel in habitudine ad hãc vel illam albedinem. Primo modo retinet naturam accidentis, nam poteſt adeſſe & abeſſe ſubie. denominato abſque illius interitu, qua ratione neq; eſt genus, neq; ſpecies, ſed conſtituit 5. vocem prædicabilem. Altero vero modo eſt genus vel ſpecies, habet enim inferiora eſſentialia ſpecie vel numero diuerſa, de quibus efferatur, qua ratione nullo modo continetur ſub 5. voce prædicabili, ſed ſub 1. vel ſub 2. Ad aliam confir. quam in eodem arg. proponebamus, genus ſcil. & alias voces contineri ſub ſpecie, quia omnes ſunt ſpecies vniuerſi. Reſp. has voces cum ſint notiones quædam ſecundæ, inſtar aliarum notionum poſſe de ſe inuicem prædicari in cõcreto, dum tamen vna cũ altera nullo modo pugnẽt, iuxta ea, quæ de notionibus ſecundis docuimus. (*q. 8.*) Vnde ſpecies ſubiicibilis in cõcreto poterit de aliis prædicari. Neq; tamẽ hinc fit, omnes voces ſub ſpecie ſecũda voce prædicabili comprehendi, quia hanc ſecundam vocem nõ conſtituit ſpecies ſubiicibilis, quæ non habet certum locum, ſed ſe inſtar tranſcen. per omnes voces diffundit, ſed ſpecies prædicabilis, qua ratione aliæ voces non ſunt, neq; dicuntur ſpecies. (*Ad 3. confir.*) Ad 3. & vlt. confir. reſp. duplicem eſſe ſynonymiam, vel vniuocationem, vnam eſſentialẽ, & aliam accidentariam. Eſſentialis eſt, quando nomen & natura ſignificata per illud ſecundũ eſſentiam dicitur de aliquo, tanquam de ſubiecto. Accidentaria vero eſt, quando nomen & ratio ſignificata per illud, dicuntur de aliquo, non tamen ſecundum eſſentiam; ſed ſecũdum accidens: Igitur quamuis accidens non prædicetur ſynonyme primo modo, prædicatur tamen altero ſecundo: neque ad rationem vocis vniuerſæ neceſſe eſt, vt prædicetur ſynonyme eſſentialiter, ſed ſufficit, vt vel hoc, vel ſynonyme accidentario de ſuis ſubiectis efferatur.

QVÆSTIO XI.

An vniuerſum ſit genus ad quinque voces prædicabiles.

EXplicatum ſupereſt in quæſt. ſuperiori voces communes & vniuerſas quinario numero comprehendi: ſequitur, vt de earum genere in hac quæſtione diſputemus. Et quidem vniuerſum non eſſe genus, his argumentis confirmamus.

(*1. Argum.*) 1. Nullum genus eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum, vt auctor eſt Ariſt. *3. Metaphyſ. cap. 3.* ſed vniuerſum eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum harum quinque vocum: ergo vniuerſum non erit genus illarum. Confirmatur aſſumptio. Vltimæ differentiæ conſtituentes has quinque voces, non ſunt ſingulares (vt vltima differentia conſtituens genus, & ſeparans illud ab ſpecie, differentia, & aliis, non eſt ſingularis,) ergo erunt vniuerſæ: nam quidquid eſt, vel eſt ſingulare, vel vniuerſum, ex *1. lib. de interpretatio. cap. 5.* iam igitur vniuerſum erit incluſum in conceptu harum vltimarum differentiarum.

2. Nullum genus poteſt ſub ſua ſpecie contineri, nam latius patet illa, & ita animal non continetur ſub homine, neque color ſub candore: ſed ſi vniuerſum eſſet genus, ad has quinque voces contineretur ſub aliqua ex ſuis ſpeciebus, nimirum ſub genere, non igitur erit genus harum quinque vocum. (*2. Argum.*) Quod ſi quis dicat, veram eſſe propoſitionem de continentia eſſentiali, & non de denominatiua, qua ſecunda ratione vniuerſum continetur ſub genere; nam denominatur genus à notione generis eo modo, quo animal vel arbor ab eadem denominantur genera, hæc enim eſt communis ſolutio. (*Solutio.*) Aduerſus tamen illam ita argumentor. (*Replic.*) Si vniuerſum denominatiue continetur ſub genere, ergo aliquo modo erit inferius ad illud, eo modo, quo nix, quæ à candore denominatur candida, eſt inferior ad candorem: tunc ita argumentor. Quando aliquod attributum dicitur de aliquo ſecundum eſſentiam, ſi illud, de quo dicitur, dicatur de aliquo ſubiecto ſecundum accidens, & tale attributum dicetur quoque ſecundum accidens, quemadmodum omnes Dialectici docent in Antecategoriis cap. 5. de regulis: vt quia color dicitur ſecundum eſſentiam de candore, & candor dicitur denominatiue de niue, & color quoque dicetur de eadem denominatiue: ſed vniuerſum dicitur ſecundum eſſentiam de genere, & genus dicitur denominatiue de ipſo: ergo & vniuerſum de ſeipſo quoque dicetur denominatiue: quod certe quam abſurdum ſit, non eſt qui non videat: quare vniuerſum non continebitur ſub genere denominatiue.

(*3. Argum.*) 3. Suprema genera non poſſunt ſupra ſe habere aliud genus: ſed ſi vniuerſum eſſet genus quinque vocum, haberent ſupra ſe aliud genus, ergo non erit genus ad illas. Propoſitio eſt aperta, confirmatur aſſumptio. Genera ſuprema continentur ſub prima voce prædicabili, ergo ſi prima vox habet ſupra ſe aliquod genus (nimirum vniuerſum) genera ſuprema haberent quoque ſupra ſe aliud genus.

(*4. Argum.*) 4. Si vniuerſum eſſet genus, ergo hæ quin-

Digitized by Google

que voces eſſent illius ſpecies, iam igitur ſpecies, quæ eſt ſecunda vox, de omnibus prædicaretur, hoc autem fieri nulla ratione poteſt, nam cum omnes ſpecies ſint contrariæ, vnum contrarium de altero prædicaretur, non igitur vniuerſum erit genus ad has quinque voces.

5. Argum. 5. Quemadmodum ſe habet ens rei ad entia rei, ita & ens rationis ad entia rationis: ſed ens rei non eſt genus, ſed analogum ad entia rei, vt *1. lib. Tranſcend.* luculenter diſſeruimus: ergo neque ens rationis erit genus ad entia rationis: at vniuerſum formaliter ſumptum eſt ens rationis, & hæ voces formaliter quoque ſumptæ ſunt entia rationis: ergo vniuerſum non erit genus ad quinque voces.

6. Argum. Iterum Ratio generis ex æquo participatur à ſuis formis, ſed ratio vniuerſi non ex æquo participatur ab his quinque vocibus: ergo vniuerſum non erit genus ad illas. Confirmatur aſſumptio. Prædicari de multis mediate, vel immediate, non eſt ex æquo participare naturam vniuerſi, ſed ex his vocibus quædam (vt genus & ſpecies) prædicantur de pluribus immediate, differentia vero & proprium tantum dicuntur de pluribus mediate, ſcilicet mediante ſpecie, vel quam conſtituunt, vt differentia, vel à cuius natura fluunt, vt proprium: ergo ratio vniuerſi non ex æquo participatur ab his quinque vocibus.

7. Argum. Ad hæc. Nullum genus dicitur de ſuis ſpeciebus, ſecundum magis & minus, nam ſi diceretur, non eſſet natura ſynonyma, ſed analoga, ſed vniuerſum dicitur magis de genere, quam de ſpecie, vel quam de differentia, aut proprio ſpecifico, ergo non erit genus. Confirmatur aſſumptio. Vniuerſum eſt vnum commune multis, ſed hæc ratio magis dicitur de genere, quam de ſpecie, differentia, vel proprio ſpecifico: nam genus eſt pluribus communis, quam ſpecies, & aliæ duæ voces recenſitæ, vt animal communius eſt homine, rationis participe, & capacitate diſciplinæ, nam communicatur omnibus indiuiduis naturæ humanæ, quibus hæc tria communicantur: & præterea communicatur omnibus brutis, quibus hæc communicari nullo modo poſſunt, ergo vniuerſum magis de genere, quam de his tribus vocibus dicetur.

8. Argum. Vltimo. Natura generis non habet eſſe nobilius in vna, quam in altera ſpecie, ſed natura vniuerſi nobiliori modo reperitur in vna ex his vocibus, quam in altera, ergo non erit genus ad illas. Confirmatur aſſumptio. Prædicari de multis, nobiliori modo reperitur in genere, ſpecie, & differentia, quam in proprio & communi accidente, etenim tres illæ priores voces prædicantur ſecundum eſſentiam, proprium vero, & commune accidens, dicuntur ſecundum accidens, nobilius autem multo eſt prædicari ſecundum eſſentiam, quam ſecundum accidens. Præterea prædicatio in quid, nobilior eſt prædicatione in quale, at genus & ſpecies prædicantur in quid, differentia vero in quale, ergo nobiliori modo prædicabitur ratio vniuerſi, & reperietur in quibuſdam ex vocibus vniuerſis, quam in aliis.

Hæc quæſtio anceps eſt & dubia apud Dialecticos, in qua explicanda ſunt tres opiniones **1. Opinio.** Prima, quæ tuetur vniuerſum non eſſe genus, ſed analogum ad has quinq; voces. Confirmatur his argumentis, quæ propoſuimus, quæ certe videntur illam probabilem maxime reddere. In hac ſententia extiterunt Boetius & Ammonius *in cap. de genere*, explicantes illius diffinitionem, vbi dicunt, genus (quod eſt prima vox vniuerſa) non poſſe ſupra ſe habere aliquod genus, B. Albert. Mag. *tract. 2. in Porphy. cap. 9.* Niger *2. p. clypei, q. 16.* Bruxellenſis *q. 2. ſuper Porph.* Canterus *in Antecategoriis, cap. 4.* & multi alij ex recentioribus.

2. Opinio. Secunda opinio profitetur eſſe vniuerſum genus, ad has quinq; voces prædicabiles. Amplectuntur hanc Scotus *q. 8. in Porph.* Ioannes Anglicus *in explicatione huius quæſt.* Antonius Andreas, & alij Scotiſtæ, Louanienſes *in c. de proprio*, Aiala *q. 2.* M. Sotus *q. 4. de rebus vniuerſis, concluſ. 3. & q. vnica de genere, ad 1. arg.* Toletus *q. 2. de ſubiecto huius libri*, & ex recentioribus complures.

3. Opinio. Eſt tertia aliorum opinio, qui putant, illud eſſe genus ad duas primas voces prædicabiles, nimirum ad genus & ſpeciem, ad has tamen duas, & tres poſteriores, differētiam, proprium, & commune accidens, non eſſe genus, ſed naturam analogam, reſpectu differentiæ & proprij ex eo, quia genus & ſpecies immediate dicuntur de multis, differentia vero & proprium mediate, quæ duæ ſunt diuerſæ rationes vniuerſi, reſpectu vero earundem, & accidentis, ob hanc cauſam, quia genus & ſpecies prædicantur ſecundum ſubſtantiam, accidens vero ſecundum accidens, quæ ſane rationes prædicandi ſunt diuerſæ formæ vniuerſi.

1. Obſeruat. Verum vt hanc quæſt. explicemus, animaduertimus primo, vniuerſum ſumi poſſe duobus modis. Primo, vt eſt diuiſum contra ſingulare, ita vt quidquid non eſt ſingulare, dicatur vniuerſum, quæ ſignificatio eſt late patens, ambit enim illa non ſolum vniuerſum, quod

eſt in-

eſt integrum & abſolutum, verum etiam differentias, partes, & proprietates illius, quæ non ſunt ſingulares. Secundo ſignificat vniuerſum naturam integram & completam, quæ neq; eſt pars, neq; differentia alicuius, quæ ſignificatio anguſta eſt, & contracta huius vocis, nam non continet differentias & partes vniuerſi, quia illæ non ſunt naturæ integræ & abſolutæ, ſed tantum continet totum ipſum, quod eſt vniuerſum. Eodem quoq; modo dicemus in categoria ſubſtantiæ poſſe illam ſumi in quadam late patente ſignificatione, vt ambit omnia, quæ non ſunt accidentia, tam ſubſtantias integras, quam etiam partes, ac differentias, & in compreſſa quadam ſignificatione, vt tantum denotat ſubſtantiam integram contentam in recta ſerie, ſc. genera, ſpecies, & indiuidua, non autem differentias, quæ continentur ad latus.

2. Obſer. Sciendum eſt etiam, vniuerſum ſumi poſſe vel pro natura ſubiecta notioni vniuerſi, vt eſt animal, vel arbor, vel pro notione ipſa vniuerſi. Ad hæc cum duplex ſit genus, vnum ſupremum, & alterum intermedium, de vtroque genere explicanda eſt quæſtio propoſita, & inueſtigandum erit, quodnam ſit ſupremum, & quod intermedium genus harum quinque vocum.

1. Concluſio. Sit prima concluſio. Vniuerſum pro natura ſubiecta notioni, non eſt genus harum quinq; vocum. Confirmatur primo. Quod ſi aliqua natura eſſet genus illarum, haud dubie illa eſſet natura entis, quia ſub his quinq; vocibus continentur tam ſubſtantiæ, quam accidentia, quibus ſola natura entis poteſt eſſe communis: atqui ens neque eſt, neque poteſt eſſe genus, ergo natura ſubiecta notioni vniuerſi, nõ erit genus harum quinque vocum. Secundo. Sub his vocibus continentur genera ſuprema, ſed genera ſuprema non poſſunt ſupra ſe habere naturam ad quam rei quæ ſit genus, nam ſi haberent, neque eſſent primo diuerſa, & haberent differentias, quibus inter ſe diſtinguerentur, ergo natura ſubiecta notioni vniuerſi non erit genus harum quinque vocum.

2. Concluſio. Secunda concluſio. Notio vniuerſi in late patente illa ſignificatione, vt denotat, quidquid non eſt ſingulare, non eſt genus ad has quinque voces. Confirmatur. Vniuerſum ita ſumptum includitur in differentiis, & modis internis harum quinque vocum, ſed omne genus eſt extra rationem ſuarum differentiarum; ergo notio vniuerſi ita ſumpta non erit genus. Et confirmatur argumentum. Ex eo ens non eſt genus, quia eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum, vt docet Ariſt. *3. Metaphyſ. cap. 3.* ergo cum notio vniuerſi ſit incluſa in conceptu differentiarum harum quinque vocum, (etenim illæ non ſunt ſingulares, cum conſtituant notionem vniuerſam, generis ſcilicet vel ſpeciei) non poterit eſſe genus. Ad hæc ſubſtantia, quæ eſt diuiſa contra accidens, non eſt genus, ſed natura quædam analoga, propter eandem rationem, quia ita ſumpta eſt incluſa in vltimis differentiis, ergo neque vniuerſum, vt eſt diuiſum contra ſingulare poterit eſſe genus, quia eadem eſt analogia ſubſtantiæ ad accidentia, quæ vniuerſi ad ſingularia.

3. Concl. Tertia concluſio. Notio vniuerſi in altera ſignificatione contracta eſt verum genus proximum & immediatum harum quinq; vocum. Confirmatur in primis. Vniuerſum ita ſumptum prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid (ſcilicet de his quinque vocibus, quæ ſpecie differunt) ita vt neque ſit incluſum in vltimis differentiis, neque dicatur per prius & poſterius, ergo erit verum genus. Conſequentia eſt perſpicua. Confirmatur antecedẽs. Primoq; prædicari de his vocibus in quid, eſt notiſſimum, quia interroganti, quid ſit genus, apte reſpondemus, eſſe vniuerſum, & eodem modo interroganti, quid eſt ſpecies, vel differentia. Deinde non eſſe incluſum in vltimis differentiis & modis internis, conſtat ex eo, quod vniuerſum hac ratione vſurpatum, eſt natura integra: at differentiæ & modi interni non ſunt naturæ integræ. Præterea non dici per prius & poſterius, confirmatur, quia hæ quinque notiones prædicabiles ſunt quinque formæ accidentariæ, quarum vna ab altera nõ dependet, ſed ſunt veluti quædam accidentia diſparata, quæ nullum ordinem prioris & poſterioris inter ſe retinent, vt ſunt dulcedo, candor, calor, frigus, &c. ergo notio vniuerſi non prędicabitur per prius & poſterius de his quinque vocibus.

Secundo confirmatur eadem concluſio. Si vniuerſum non eſſet genus ad has quinq; voces, aut natura ſynonyma eſſet natura analoga, vt aduerſarij profitentur, atqui hoc dici nulla ratione poteſt, erit igitur natura ſynonyma, & verum genus. Confirmatur aſſumptio. Primo, quia natura analoga non habet vnam & eandem rationem ſimpliciter in ſuis inferioribus, at vniuerſum vnam & eandem rationem habet in his quinque vocibus, nam eſſe vnum in multis, abſtrahendo ab immediate vel mediate in quid, vel in quale, eſt ratio vniuerſi, quæ eadẽ eſt & ex æquo in omnibus his quinque vocibus reperitur. Secũdo Quia omnes h

quinq; voces poſſunt diffiniri per vniuerſum, vt conſtat ex diffinitionibus traditis à Porphyr. ſed in diffinitionibus non ſunt analoga proponenda, vt docet Ariſtot. *6. Topicorum, cap. 2.* ergo vniuerſum non erit analogum, ſed ſynonymum. Tertio. Quia ſi eſſet analogum, vel eſſet attributionis, vel proportionis, at neque eſt attributionis, neq; proportionis, ergo non erit analogum. Confirmatur aſſumptio. Inprimis non eſſe analogum attributionis, quia in hoc genere analogiæ analogata minus præcipua diffiniuntur per illud, quod eſt magis præcipuum, vt in analogia ſanitatis medicamenta, vrina, & dieta diffiniuntur per ſanitatem animalis, quæ huius analogiæ eſt magis præcipuum analogatum, at vero ex his vocibus vniuerſis vna non diffinitur per aliam. Deinde non eſſe proportionis, confirmo, quia in his analogis natura ſuperior includitur in conceptu vltimo ſuorum inferiorum, vt conſpicimus in analogia entis ad ſubſtantiam, & accidentia, in qua ens eſt incluſum in conceptu vltimo ſubſtantiæ, & accidentium, at vniuerſum ita ſumptum non eſt incluſum in differentiis, vel modis internis harum quinque vocum, nam ita denotat naturam integram & completam, quam non denotant differentiæ & modi interni, non igitur erit vniuerſum natura analoga.

Concl. Quarta concluſio. Vniuerſum eſt genus proximum & immediatum harum quinque vocum. Confirmatur breuiter, quia inter illud & quinque voces nullum aliud genus medium intercedit, at illud dicitur genus proximum & immediatum alicuius, inter quod & ſpeciem nullum aliud genus medium intercedit. Verum hæc concluſio ex ſequenti facilius multo intelligetur.

Concl. Quinta concluſio. Ens rationis Logicum eſt genus remotum, & ſupremum illarum. Animaduertendum eſt ad hanc aſſertionem intelligendam, idque breuiter (nam de hac re diffuſius in Antecategoriis, in quæſt. An detur vndecima Categoria entium rationis, diſputabimus) ens rationis Logicum eſſe ſupremum genus categoriæ entium rationis, eſſeque in hunc modum diuidendum, in vniuerſum, & in non vniuerſum. Prætermiſſo non vniuerſo, quod licet explicetur nomine negatiuo, denotet naturam aliquam poſitiuam, & ſub quo contineatur diffinitio, diffinitum, antecedens, conſequens, propoſitio, aſſumptio, ſingulare, indiuiduum, & alia multa: vniuerſum diuiditur in has quinque voces, tanquam in quinque ſpecies atomas, & indiuiduas, per has differentias, quæ ſunt eſſe in pluribus ſpecie vel numero differentibus mediate, vel immediate, quæ deinde diuiduntur per differentias materiales in varia indiuidua, quæ ex diuerſis fundamentis, vel ſubiectis denominatis ab his de notionibus petuntur, vt notio generis diuiditur in notionem, quæ denominat animal, & arborem, per differentias materiales, quæ petuntur ab animali, & arbore. Quo animaduerſo, confirmatur concluſio. Primo. Illud eſt genus ſupremum, quod ita eſt genus, vt nullo modo poſſit eſſe ſpecies, ſed ens rationis Logicum ita eſt genus ipſius notionis vniuerſi, & notionis non vniuerſi, vt non poſſit eſſe vlla ratione ſpecies, ergo erit genus ſupremum. Secundo confirmo illud eſſe genus remotum harum quinque vocum. Illud eſt genus remotum, inter quod & ſpeciem intercedit aliud genus, ſed inter ens rationis Logicum, & quinque voces, intercedit aliud genus, ſcilicet vniuerſum, ergo erit illud genus remotum.

Obiiciet tamen aliquis. Ens rationis Logicum eſt incluſum in vltimis differentiis harum vocum, ergo non erit illud genus. Conſequentia eſt aperta. Confirmatur antecedens. Quia differentiæ vltimæ harum vocum ſunt entia, & cum non ſint entia rei, erunt entia rationis. *Obiectio.* Reſpond. ens rationis poſſe bifariam ſumi, primo in late patente ſignificatione, vt eſt diuiſum contra ens rei, & ſecundo in alia anguſtiori, vt tantum denotat naturam aliquam integram & completam, cuius tota natura ſit habere eſſe ab intellectu. *Solutio.* Primo modo non eſt natura ſynonyma, ſed analoga, vnde ita ſumptum, non erit genus ſupremum, quia eſt incluſum in vltimis differentiis. Altero vero modo erit natura ſynonyma, & genus ſupremum, qua ratione negandum eſt, illud eſſe incluſum in vltimis differentiis, nam vltimæ differentiæ ſunt naturæ partiales, & incompletæ, ens vero rationis ita ſumptum ſignificat naturam integram & completam.

6. Concl. Sexta, & vltima concluſio. Hæ quinque voces ſpecie differunt, ita vt vna ſub alia contineri nullo modo poſſit. Ad hanc explicandam illud erit obſeruandum, has voces vniuerſas tres habere habitudines, vnam ad vniuerſum, cuius ſunt ſpecies, ſecundam ad indiuidua, & inferiora eſſentialia, de quibus prædicantur, & tertiam ad ſubiecta denominata. Vt v.g. notio generis ſumi poteſt vel in habitudine ad vniuerſum, quod eſt genus illius, vel in habitudine ad hanc, & illam notionem, quæ denominat animal vel arborem genus, vel ad ipſa ſubiecta denominata animal & arborem. Primo

& ſe-

Digitized by Google

& ſecundo modo, omnes continētur ſub ſecunda voce vniuerſa, nimirum ſpecie, nam cum illa habeat duplicem rationem, vnam ſubiicibilis & alteram prædicabilis de pluribus numero differentibus, hæ voces primo modo ſumptæ, continentur ſub ſpecie ſubiicibili, altero vero ſub ſpecie prædicabili: vnde concluſio non erit intelligenda de his vocibus vniuerſis hac ratione ſumptis, ſed tantum de illis, vt tertio modo vſurpantur, vt ſcilicet ſunt id quo naturæ denominatæ ſunt genera, vel ſpecies, &c. Quare notio generis ſpecie differt ab aliis, quia eſt ratio propter quam animal fit in multis & dicatur de multis ſpecie differentibus, ſpeciei vero differet ab aliis ſpecie, quia eſt ratio & forma ob quam homo ſit, & dicatur de multis numero differentibus. Confirmatur igitur concluſio ita explicata. Ex effectu formali & ſpecifico colligere licebit diſtinctionem formalem, & ſpecificam accidentium, vt quia in accidentibus rei, formalis effectus candoris, qui eſt diſgregare viſum, ſpecie differt ab effectu atroris qui eſt illum congregare: colligimus candorem & atrorem, ſpecie differre: ſed effectus formales & ſpecifici harum notionum, ſpecie differunt. etenim formalis effectus notionis genericæ eſt reddere naturam animalis prædicabilem de pluribus ſpecie differentibus, effectus vero formalis notionis ſpeciei, eſt reddere naturam humanam prædicabilem de pluribus numero differētibus: ergo ex his effectibus colligere licebit, has notiones ſpecie differre. Quare cum illi petantur ex habitudine ad ſubiecta denominata hæ notiones ita ſumptæ ſpecie different, neque vna ſub alia comcomprehendi vllo modo poterit.

Ad 1. arg. Ad argumenta. Ad primum reſp. ex ſecunda concluſione hoc vniuerſum quod eſt incluſum in vltimis differentiis, non eſſe genus, ſed analogum, ſed illud eſſe genus quod denotat naturam integram, & completam, quæ non eſt in vltimis differentiis incluſa.

Ad 2. Ad 2. reſp. vniuerſum (ſumptum pro notione, qua ratione hic agimus) ſumi poſſe, vel vt eſt id quod, vel vt eſt id quo: nam ſumi poteſt in ordine ad ſua inferiora eſſentialia, genus ſcilicet, ſpeciem, &c. qua ratione eſt id quod eſt vel in ordine ad naturas denominatas, vt animal, vel arborem, qua ratione eſt id, quo hæ naturæ ſunt in multis ſpecie, vel numero differentibus. Primo modo hæc notio eſt vniuerſa ſecundum eſſentiam, nam eſt ipſamet forma vniuerſi, quemadmodum in accidentibus rei, albedo per eſſentiam eſt albedo. Altero vero eſt vniuerſa denominatiue, & accidentaria ratione, eo quod à notione vniuerſalitatis denominatiue habet quod ſit in multis. Quemadmodũ natura animalis denominatiue, & accidentaria ratione habet quod ſit in multis. Vnde notioni vniuerſi ſecundum eſſentiam competit eſſe formam ratione cuius naturæ quæ ſunt vniuerſæ, ſint in multis: accidentario vero, & denominatiue, eidem competit eſſe id, quod eſt vnum in multis, & per conſequens eſſe genus. In forma igitur ad argumentum reſpondemus optimam eſſe ſolutionem ibi traditam. Ad confutationem reſp. admittentes quemadmodum genus, ita & vniuerſum dici denominatiue de notione vniuerſi, vt eſt id quod eſt, & ea ratione qua eſt genus, vt conſtat exiis, quæ nuper dicebamus. Quod eſſe veriſſimum colligere quiſquè poterit, qui rem hanc attenta mente perſpexerit: etenim quidditas, & eſſentia notionis vniuerſi, tantum eſt eſſe formam ratione cuius aliqua natura eſt vna in multis, & non vt ſit id quod eſt in multis, ſed hoc quod eſt eſſe in multis, eſt extra quidditatem illius & eſſentiam. Et quemadmodum primo modo non eſt vniuerſa, ita neque genus, ſed altero ſecundo, vt eſt id quod.

Et hac ſolutione colligemus ſolutionem alterius argumenti quod nonnullos male torſit. *Obiect.* Quidquid competit ſuperiori ſecundum eſſentiam competit inferiori: ſed vniuerſo competit ſecundum eſſentiam eſſe vnum in multis ſpecie differentibus (nam diximus eſſe genus) ergo hæc ratio conueniet quoq; inferioribus ſub eo contentis: atqui ſpecies continetur ſub vniuerſo, ergo ſpecies erit in multis ſpecie differentibus, quod cum ſit abſurdum, falſum erit vniuerſum eſſe genus ad has quinque voces. Cui reſpon. *Solutio.* vel nos loqui de notione vniuerſi, vt eſt id quo, vel vt eſt id quod. Si primo modo vniuerſum eſt vnum in multis, id eſt, ratio ob quam aliqua natura ſit vna in multis, cæterum hoc modo notio non eſt genus. Si vero altero modo agamus, falſum eſt notioni vniuerſi conuenire ſecundum eſſentiam eſſe vnam in multis ſpecie differentibus: hoc enim accidentario illi competit, vt animali, vel plantæ, ac proinde non conueniet ſpecies eſſe vnum in multis ſpecie differentibus.

Ad 3. Ad 3. reſp. genera ſuprema non poſſe ſupra ſe habere communem aliquam naturam genericam eſſentialem, & ſynonymam, bene tamen poſſe habere naturam aliquam genericam accidentariam, vel denominatiuam, hoc enim nihil repugnat ſupremæ illorum rationi, quemadmodum illud primum, atque ita poterunt habere communem notionem genericam vniuerſi

uerſi, à qua accidentatio, & denominatiue, vniuerſa & genera dicantur. Quod intelligi debet de generibus ſupremis pro naturis, qua ratione dicuntur ſuprema, & non habens ſupra ſe naturam aliquam genericam ſuperiorem, & non pro notione, nam ita non ſunt ſuprema, cum habeant ſupra ſe notionem aliam ſuperiorem, nimirum notionem vniuerſi, quæ eſt ſuperior ſecundum eſſentiam, & genus ad notionem generis ſupremi, intermedii, & alias notiones vniuerſas.

Ad 4. Ad 4. admittimus vnam ſpeciem bene poſſe prædicari de alia in concreto, & denominatiue, vt album prædicatur de dulci, & dulce de albo: & in notionibus ſecundis idipſum docuimus in Sectione ſuperiori, agentes de mutua prædicatione earundem. Ad impugnationem vero dicimus, has quinq. voces eſſe contrarias, & diſtingui ab ſpecie in habitudine ad ſubiecta denominata, vel vt ſunt formæ quædam ratione quarum ſubiecta quædam ſunt, & dicuntur de multis ſpecie, & numero differentibus, non eſſe autem contrarias vel diſtinctas ab ſpecie in habitudine ad ſuperiora, vel ad inferiora, nam in habitudine ad ſuperiora, ſcilicet ad vniuerſum, & ens rationis Logicum, omnes ſunt ſpecies ſubiicibiles, in habitudine vero ad inferiora eſſentialia, omnes ſunt ſpecies prædicabiles.

Ad 5. Ad 5. reſpond. falſam eſſe propoſitionem, quia inter entia rei datur ordo prioris, & poſterioris: cauſæ, & effectus, nam ſubſtantia prior eſt, & cauſa accidentium, & Deus prior eſt, & cauſa creaturarũ, qui profecto ordo euertit omnino rationem generis: verum inter has quinque voces vniuerſas, neq. datur ordo prioris, & poſterioris: neq cauſæ, & effectus, nam vna notio non eſt prior alia, neque cauſa illius, vt eſt perſpicuum, ac proinde ens rei non poterit eſſe genus ad entia rei, bene tamen poterit ens rationis eſſe genus harum quinque vocum.

Ad 6. Ad 6 reſpon. falſam eſſe aſſumptionem: nam ratio vniuerſi non eſt prædicari mediate vel immediate, in quid vel in quale, ſed eſſe vnum in multis, vel prædicari de multis abſtrahendo à mediate, vel immediate, in quid, vel in quale, quæ tantum ſunt rationes quædam, vel differentiæ huius, vel illius vniuerſi, & non vniuerſi in communi, quæ certe ratio ex æquo competit omnibus his quinque vocibus, omnes ſiquidem, & ſunt in multis, & dicuntur de multis.

Ad 7. Ad 7. reſponde negando aſſumptionem, nam aliud eſt eſſe maius, & aliud magis vniuerſum, etenim illud dicitur maius, quod plura ſub ſe continet, illud vero dicitur magis vniuerſum, cui magis ratio vniuerſi, (quæ eſt eſſe vnum in multis) nata eſt conuenire. Eſt igitur genus maius vniuerſum, quam ſpecies, differentia, vel proprium ſpecificum, quia plura complectitur: non tamen erit magis, quia non magis eſt vnum in multis, vel de multis, quam ſint hæ tres formæ vniuerſi recenſitæ: Quam eandem diſtinctionem in numeris apertiſſime intuemur, in quibus aliud eſt eſſe magis numerum, & aliud maiorem numerum. Senarius etenim eſt maior quaternario, cum plures complectatur vnitates, non tamen dicimus eſſe magis numerum, quam ſit quaternarius, quia non magis participat naturam numeri quam quaternarius.

Ad vltimum reſpon. falſam eſſe propoſitionem, imo è contrario quælibet natura generica nobilius eſſe habet in vna quam in altera ſpecie: nam cum ſpecies omnes ſint inæquales ſecundum perfectionem, genus in ſpecie perfectiori, nobilius eſſe habebit, quam in ſpecie minus perfecta, vt animal in homine, nobilius eſſe habet, quam in bruto, quare nobilius eſſe habere in vno quam in altero non aufert rationem generis, aut ſynonymiæ, ac proinde quamuis vniuerſum nobilius eſſe habeat in vna quam in alia ex vocibus prædicabilibus, non propterea amittet rationem genericam, aut ſynonymam. *Ad vlt.*

QVÆSTIO III.

An vniuerſum ſit materia ſubiecta huius libri quinque vocum.

Partem negantem ita confirmo. Primo alia eſt ratio vniuerſi, & alia prædicabilis, iuxta D. Thom *opuſculo 48 cap 1.* ſed Porphy. in hoc opere diſputat de his quinque vocibus ſub ratione prædicabilis, cum omnes earum diffinitiones tradat per hoc quod eſt dici vel prædicari de multis, ergo obiectum huius libri non erit vniuerſum ſed prædicabile. *1. Argum.*

Deinde. Obiectum in quauis arte conſtituitur illud per quod illa ſeparatur ab aliis, ſed liber hic non ſeparatur ab aliis per vniuerſum, quia omnes ſcientiæ agunt de rebus vniuerſis, ergo obiectum huius libri non erit vniuerſum. *2. Argum.*

Præterea. Proprietates ſunt minoris entitatis, quam ſubiectum, ſed vniuerſum non poteſt obtinere proprietates quæ ſint minoris entitatis quam ſit ipſum, quia vniuerſum eſt ens rationis, & quidquid eſt minus ens ente rationis, eſt nihil, ergo vniuerſum non poterit eſſe obiectum huius libri, cum nullas poſſit obtinere proprietates. *3. Argum.*

Rur-

Digitized by Google

4. Argum. Rurſus ſi vniuerſum eſſet obiectum huius libri, de illo concluderentur aliquæ proprietates, quia obiectum dicitur illud, de quo concludimus proprietates, ſed de vniuerſo non poſſunt concludi vllæ proprietates, ergo non poterit vniuerſum eſſe obiectum huius libri Confirmatur aſſumptio. Proprietates ſunt partes, & æquales ſubiecto, ſed proprietates non poſſunt eſſe æquales vniuerſo, quia vniuerſum non ſolum dicitur de proprio, ſed de genere, ſpecie, differentia, & communi accidente, ergo non poterit vniuerſum eſſe obiectum huius libri.

Vlt. arg. Vltimo Obiectum debet omnia continere, quæ in aliqua ſcientia pertractantur, ſed vniuerſum non continet omnia quæ tractantur in his quinque vocibus, nam non continetur indiuiduum, de quo agit Porphy. *in cap. de genere, & in c. de ſpecie*, ergo vniuerſum non erit materia ſubiecta huius libri.

Cum vniuerſum & prædicabile ſe habeant eo modo, quo ſubiectum, & proprietas, nam vniuerſum eſt ſubiectum, cuius eſſentia eſt eſſe in multis, proprietas vero eſt prædicabile, quæ ab hac eſſentia dimanat, ex eo ſiquidem aliquid eſt prædicabile, quia eſt in multis: quidam exiſtimant obiectum huius operis eſſe prædicabile, & non agi de vniuerſo ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum quandam eius proprietatem, quę eſt prædicabilitas, quod ex eo confirmant, quia Porphy. definitiones harum vocum tradidit per prædicari de multis, & non per eſſe in multis. Alii vero putant obiectum eſſe vniuerſum, & non prædicabile, & agi de vniuerſo iuxta eius eſſentiam, quæ eſt eſſe in multis, non iuxta illius proprietatem, quæ eſt dici de multis: Verum quia ex proprietatibus facile deuenimus in naturam latentem tanquam ex facilioribus nobis ad cognoſcendum, ob hanc cauſam Porphy. has voces in ſuis proprietatibus & non per ſuam eſſentiam explicatas nobis propoſuit. Amplectuntur hanc ſententiam B. Alb Mag. *Tract. 2. in Porph cap. 9.* Niger *q 16 clypei*, Scotus *qu. 7. in Porph* M. Soto *qu. 4. de rebus vniuerſis*, & M. Iuſtinianus *2. lib. Inſtit. cap. 4.* & Toletus *qu. 1. de ſubiecto huius lib.*

Verum cum vniuerſum tribus modis ſumi poſſit, aut pro natura ſubiecta notioni vniuerſi, aut pro ipſa notione ſecunda aut pro aggregato ex natura & notione, quæſt propoſitam his concluſionibus definimus. Sit prima.

1. Concluſ. Si vniuerſum ſumatur in tertia ſignificatione pro aggregato ex natura & notione, vniuerſum non eſt obiectum huius libri. Confirmatur. Vniuerſum aggregatum ex natura & notione eſt ens per accidens cum conſtet ex rebus diuerſarū categoriarum, imo ex rebus quæ differunt Genere categoriæ, ſed ens per accidens non poteſt ſciri ab aliqua ſcientia neque eſſe obiectum alicuius diſciplinæ, vt profitetur Ariſt *6. Metaph. cap. 3.* ergo vniuerſum pro aggregato ex natura, & notione, non erit obiectum huius libri.

2. Concl. Obiectum huius libri non eſt vniuerſum ſumtum pro natura vniuerſa quæ ſubeſt notioni vniuerſi. Confirmatur. Obiectum *2. Concluſio.* huius libri debet cōtineri ſub obiecto Dialecticę, quemadmodū liber continetur ſub Dialectica, ſed obiectum Dialecticæ eſt ens rationis, vt docuimus Sect 1. Proœmia. quæſt. 13. ergo obiectum huius libri erit ens rationis: ſed natura vniuerſa non eſt ens ratiōis, ſed rei, ergo obiectum huius libri non erit natura vniuerſa. Secundo. Eo ſeparatur Dialectica ab aliis ſcientiis, quod aliæ agunt de naturis vniuerſis, & communibus, Dialectica vero de ipſa vniuerſalitate, vel communitate, à qua naturæ dicuntur vniuerſæ, vt vno ore omnes Dialectici profitentur cum D. Tho. *1. lib. de demonſtrat. lect. 20.* ergo in hac parte Dialecticæ non erit ſubiectum natura ſubiecta notioni.

3 Concluſ. Subiectum huius libri eſt vniuerſum formale vel notio vniuerſi, & non prædica- *3. Concluſio.* bile. Confirmatur primo. Quia de vniuerſo in hoc opere concludimus proprietates; nam dici de multis ſecundum eſſentiam, vel ſecundum accidens, in quid, vel in quale, proprietates quædam ſunt vniuerſi, quas de illo concludimus in hoc opere, at in qualibet ſcientia illud eſt ſubie. de quo concluduntur proprietates. Et certe de prædicabili non concludimus has proprietates, imo ipſum eſt proprietas, quare non erit illud ſubiectum huius libri. Præterea in hoc opere explicamus partes & ſpecies vniuerſi, ſcilicet genus, ſpeciem, differentiam, &c. quare cum in quauis ſcientia illud ſit obiectum, cuius partes explicantur, in hoc opere obiectum erit vniuerſum.

Ad argumenta quæ in initio propoſuimus. *Ad 1. arg.* Ad primum reſpon. falſam eſſe aſſumtionem, nam quamuis Porph. tradat diffinitiones harum vocum per prædicari, non inde colligitur prædicabile eſſe obiectum, ſed ex eo has diffinitiones tradidit per prædicari, quia ratio vniuerſi, facilius cognoſcitur in prædicatione, quam in eo quod eſt eſſe in multis.

Ad 2. reſp. falſam eſſe aſſumtionem, nam a- *Ad 2.* liæ ſcientiæ non diſputant de vniuerſo formali ſed de materiali, de naturis ſcilicet vniuerſis, at vero liber hic agit de vniuerſo formali, & non de materiali, ob quam cauſam ſeparatur ab.

aliis

Digitized by Google

Ad 3. alius ſcientiis. Ad 3. reſpon. ens rationis ſumi poſſe, vel in communi, vel pro tali ente rationis in particulari, quod eſt ſubiectum, vel attributum, vel vniuerſum. Vnde quamuis illud, quod eſt minus ens ente rationis in communi, ſit nihil: cæterum illud, quod eſt minus ens ente rationis in particulari, non eſt nihil. Nam ens rationis habet latitudinem in eſſendo, ita vt quædam entia rationis ſint magis, & alias minus entia: & ita proprietates vniuerſi erunt minus entia rationis, quam ſit ipſum vniuerſum, quemadmodum & in entibus rei, non ſunt omnia æqualis entitatis, ſed quædam ſunt magis, & alia minus entia, etenim ſubiectum eſt magis ens quam eius proprietates.

Ad 4. Ad. 4. reſpondemus falſam eſſe aſſumtionem. Et ad probationem dicimus, proprietatem ſumi poſſe, aut ſecundum eſſentiam, aut ſecundum modum. Vnde quamuis proprietas ſecundum eſſentiam (ita nude, & præciſe, abſq; vllo modo ſumta) non conuertatur cum vniuerſo, attamen proprietates illius ſecundum modum, ea ſcilicet ratione qua habent eſſentiam, & modum proprietatis, conuertuntur cum vniuerſo, vt eſt v. g. hæc proprietas poſſe prædicari de multis, nam quarta vox prædicabilis, vt refertur ad vniuerſum non habet modum proprietatis, ſed ſpeciei illius, & ita non conuertitur cum vniuerſo.

Ad 5. Ad 5 reſpondemus, in quauis ſcientia obiectum ſeſe diffundere ad ea quæ per ſe in illa pertractantur, non autem ad ea quæ per accidens, & quaſi obiter in illa traduntur. Quare cum tractatio indiuidui ſit in hac diſputatione per accidens ſuſcepta. Primo, vt ex diſcrimine inter ipſum, & vniuerſum interueniente, facilius multo intelligere poſſimus quid ſit vniuerſum, atq. ita in cap. de Genere inquit Porph. Indiuiduum eſſe quod de vno tantum dicitur, vt ita colligeremus genus ab illo ſeparari per illam particulam, quod dicitur de multis. Secundo, quia indiuiduum eſt correlatum vniuerſi, & quia eiuſdem eſt agere de relato, & correlato, ob hanc cauſam egit etiam de indiuiduo. Tum etiam quia ſubeſt ſpeciei, & de quo ſpecies dicitur immediate, & hoc conſilio ductus Porphyrius egit de illo in capite de ſpecie. Propterea vniuerſum non ſe diffundet ad illud.

QVÆSTIO IV.

In qua explicantur quaſtiones propoſita a Porphyr. in præfatione.

Poſt longam, & diffuſam ſatis diſputationem de rebus vniuerſis, ſequitur tandem vt ſatisfaciamus tribus quæſtionibus propoſitis à Porphyrio in præfatiuncula.

1. Quæſt. Prima erat, an vniuerſa ſint à parte rei, vel conſtent ne ſola actione intellectus. Cui ex his quæ in ſuperioribus diximus reſpondemus, vniuerſum pro ratione conſtare ſola actione intellectus, pro natura vero eſſe à parte rei. Vel aliis verbis dicimus, vniuerſum formaliter eſſe per intellectum, materialiter vero, vel fundamentaliter eſſe in rebus ipſis.

2. Quæſt. Secunda erat an naturæ vniuerſæ ſint corporeæ, vel incorporeæ, cui breuiter reſpondemus (ſumto corpore in late patente ſignificatione, vt eſt diuiſum contra incorporeum, & non ita anguſta, vt tantum ſignificat corpus categoriæ ſubſtantiæ, aut trinam dimenſionem quæ in categoria quantitatis continetur) vniuerſum pro notione eſſe ita corporeum, nulla enim afficitur quantitate, pro natura vero, aliquod eſſe corporeum, vt homo, arbor, & elementa, & aliquod incorporeum, vt angelus, virtus, & habitus intellectus.

3. Quæſt. Tertia erat, an vniuerſum eſſet reipſa à ſingularibus ſeparatum. Cui reſpondemus illud reipſa eſſe coniunctum cum ſingularibus, cogitatione vero, aut ratione eſſe ab eis ſeparatum, vt ſupra Sectione 1. quæſtio 1. aduerſus Platonicos oſtendimus.

4. Quæſt. Addunt alii quartam, ſitne vniuerſum ſubſtantia, vel accidens. Cui reſpondemus vniuerſum pro notione eſſe accidens rationis, pro natura vero aliquod eſſe ſubſtantiam, vt homo, arbor, & equus, & alia quæ in categoria ſubſtantiæ continentur, & aliquod eſſe accidens rei, vt linea, extremitas, calor, & frigus, & denique quæcunque in categoriis accidentium rei ſunt comprehenſa. Legendi ſunt de his quæſtionibus B. Albert. Magn. *tractat. 2. in Porphyrium*, Niger *quaſt. 24. 25 & 26. clypei*, & Venetus *in præfationem Porphyrij.*

Hactenus igitur de rebus vniuerſis in communi, ſequitur vt de illius ſpeciebus nimirum genere, ſpecie, differentia, proprio, & communi accidente, ſigillatim & ſeorſum cum Porphyrio diſputemus, à genere initium ſumentes, cuius tractationem in hunc modum auſpicatur Porphyrius.

DE GENERE, CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

TRia præſtat in hôc cap. Porph. In prima parte proponit tres ſignificationes generis, eaſq; confert inter ſe, in ſecunda proponit illius definitionem: & in tertia duobus argumentis eſſe illam accuratam confirmat.

GEnus & ſpecies non vno modo dicuntur. Nam genus dicitur aliquorum, & qui ad vnum quiddam, & qui inter ſeſe quodammodo affecti ſunt, & cognatione quadam coniuncti, multitudo. Qua quidē ſignificatione Heraclidarum genus ex vnius Herculis collatione appellatum eſt, multorumque hominum inter ſe affectione, qui inter ſe coniuncti ſunt ea cognatione, qua ab illo ducta eſt: qua appellatione ab aliis generibus diſtinguitur. Dicitur etiam alio modo genus, vnde alicui ortus principium eſt, ſiue ab eo qui genuit ſiue ab eo loco in quo quiſque ortus eſt. Sic enim & Oreſtem a Tantalo, & Hylum ab Hercule duxiſſe genus dicimus: Itemq; Pindarum Thebanum genere. Platonem Athenienſem. Dat enim vt pater, ſic patria ortus cuique initium. Quæ mihi quidem prima videtur occurrere ſignificatio. Nam & Heraclidæ dicuntur ij, qui ex Herculis genere ducti ſunt: & Cecropidæ ij, qui ex Cecropis, & qui eos agnatione attingunt: primumq; certe vocatum id genus eſt, quod cuique dat ortus cauſam & initium: deinde multitudo eorum, qui ab vno principio, vt ab Hercule manarunt. Quam quidem multitudinem ſegregamus ac ſeiungimus a cæteris, cum vniuerſam multitudinem quæ ab Hercule fluxit, Heraclidarum genus nominauimus. Iam alio etiā modo genus appellatur, id cui ſubijcitur ſpecies: quæ ſimilitudine ex illis ducta videtur appellatio. Nam & initium quoddam eſt genus huiuſmodi, eorū quæ ei ſubiecta ſunt, & videtur vniuerſam multitudinem quæ ipſi ſubiecta eſt, continere. Cum ergo tribus modis dicatur genus, de tertio apud Philoſophos tantum oratio eſt. Idque hoc modo deſcribunt. Quod de multis, ac ſpecie differentibus dicitur, cum quid res ſit quæritur, vt animal. Eorum enim quæ dicuntur, partim de vno tantummodo dicuntur, velut indiuidua, cuiuſmodi eſt Socrates, hic homo, hæc res: partim de multis, vt genera, vt ſpecies, vt differentiæ, vt propria, vt accidētia ea quæ communiter in multis, non proprie in vno inſūt. Eſt aūt genus, vt animal ſpecies, vt homo: differentia, vt rationis particeps: proprium, vt aptū ad riſum: accidens, vt quod album eſt, quodq; nigrum, & ſedere. Ac genera quidē ab iis differunt, quæ in vno ſolum dicuntur, quod in multis ipſa dicuntur. Ab iis item quæ de multis dicuntur hoc modo: a ſpecie quidem, quod ſpecies, & ſi de multis illa quidem dicatur, ſed tamen ſpecie minus differentibus, verum numero. Homo enim cum ſpecies ſit, de Socrate & Platone dicitur: qui nō ſpecie, ſed numero ſolum inter ſe differunt. At vero animal cum nomen generis obtineat, de homine, boue, equoq; dicitur: qui ſpecie etiam, non ſolum numero differunt. Porro autem genus a proprio hoc differt, quod propriū de vna modo ſpecie, cuius proprium eſt, dicitur, iiſq; indiuiduis quæ ſpecies continet: vt ridens de ſolo homine, ſingulisq; hominibus dicitur. Genus autem non ſolum de vna ſpecie dicitur, ſed de multis, iiſq; differētibus. Poſtremo genus, a differentia, & communibus accidentibus hoc diſtinguitur, quod & ſi de multis etiam ſpecie differentibus, & differentiæ dicantur, & communia accidentia, non tamen in quæſtione dicūtur ea, qua quid ſit, ſed in ea qua quale ſit, quæritur. Siqui enim rogent, quidnam ſit illud tandem, quo de hæc dicantur omnia, genus reſpōdemus: quippe cum hæc de re dicantur, nō in quæſtione qua quid ſit, ſed qua quale ſit, quæritur. Nam & cū qualis ſit homo quærit aliquis, rationis eum participem: & cum rogamur, qualis ſit coruus, nigrum eſſe reſpondemus. Quorum rationis particeps differentia eſt: niger autē accidens. At cum interrogamur quid ſit homo, animal reſpondemus, quod genus eſt. Quamobrem genus hoc ipſo quod in multis dicitur, ab indiuiduis ſeparatur, quæ de vno tantummodo dicuntur: quod de ſpecie differentibus, ab aliis quæ vt ſpecies dicuntur, aut propria. Quod vero in quæſtione dicitur, qua quæritur quid ſit, & a differentiis ſecernitur, & ab accidentibus communibus, quæ non in quæſtione qua quid ſit quæritur, ſed aut quale ſit, aut quomodo affectum ſit, dicuntur omnia de iis, de quibus quicque dicitur. Nihil igitur redundans, nihil parum explicatum continet, quæ generis notioni conſtituta eſt deſcriptio.

COMMENTARIA.

SIgillatim, & ſeorſum, de his quinq; vocibus agit Porphy. à genere tanquam ab ea voce, quæ ordine naturæ, & doctrinæ, cæteras antecedit, initium ducens. Quia tamen præceptum

 eſt ab

Digitized by Google

eſt ab Ariſt. in Topicis voces ambiguas eſſe prius diſtinguendas, quam definiēdas, ne illarum homonymia perturbemur, hoc præceptum ad vnguem obſeruans, fere in ſingulis vocibus explicandis, prius homonymiam illarum patefacit vt multo facilius deinde definitiones proponere poſſit, quare ſtatim in principio huius capitis tres tradit generis ſignificationes.

A *Genus & ſpecies non vno modo dicuntur, &c.* Neq; enim inquit. Genus & ſpecies ſunt de numero illarum vocum, quæ vno modo dicuntur vt ſunt voces ſynonymæ, ſed de numero aliarum, quæ multas habent ſignificationes, vt ſunt voces homonymæ.

Pars capit. B *Nam genus dicitur aliquorum, &c.* In hac prima parte cap. tres proponit generis ſignificationes. Prima eſt in qua denotat multitudinem aliquorū, qui inter ſe ſunt aliqua affinitate coniuncti, & qua media ad vnum & idem principium, à quo omnis illa multitudo dimanauit, referuntur. Et ita dicimus Heraclydarum genus, illorum hominum multitudinem, qui inter ſe erant aliqua affinitate coniuncti, & qui ab Hercule tanquam à primo fonte dimanarunt.

C *Dicitur etiam alio modo genus, &c.* Secunda ſignificatio eſt, in qua ſignificat principium generationis & ortus, ſiue illud ſit parēs, ſiue patria. Iuxta primum Tantalū appellamus genus Oreſtis, Tantalus enim genuit Pelopem, Pelops Atræum, Atræus Agamemnonem, & Agamemnon Oreſtem Et Herculem dicimus genus Hili; fuit namq; Hilus ab Hercule progenitus. Iuxta ſecundum ſcil patriam dicimus Platonem eſſe genere Athenienſem, Pyndarum Thebanum, & Ariſt. Stagirytam. In qua ſignificatione quoſdam dicimus eſſe genere Hiſpanos, alios Italos, alios Gallos, & alios Germanos, quia quidam in Hiſpania, alii in Italia, alii in Gallia, & alii in Germania orti fuerunt.

D *Primumq; certe, &c.* Confert hanc ſecundam generis ſignificationem cū priori, inquitq; eſſe illam priorem natura prima ſignificatione. Nam prima ſignificat collectionem multorum, qui inter ſe ſunt aliqua affinitate coniuncti: ſecunda vero denotat huius collectionis principium, & originē. At principiū prius eſt natura iis, quę ab illo demanant, quemadmodum fons eſt prior riuulo, & ſol ſplēdore à ſe per aerē diffuſo.

E *Item alio modo, &c.* Tertia ſignificatio eſt in qua ſignificat illud, cui ſubiectæ ſunt ſpecies, vt animal dicitur genus, ſunt enim illi ſubiectæ variæ ſpecies, ſcilicet homo, leo, & equus. Quæ ſignificatio à duabus prioribus ortum habet obtinetque cum illis maximam ſimilitudinem. Quemadmodum enim genus in ſecunda ſignificatione ſignificat principium multitudinis, ita etiam illud cui ſubiectę ſunt ſpecies ſignificat illarum principium, animal ſiquidē quod genus eſt hominis, & bruti, vtriuſq; eſt principium, & origo. Et quemadmodum genus in prima ſignificatione collectionem indicat, & multitudinem, ita etiam illud cui ſubiectæ ſunt ſpecies, collectionem, & multitudinem quandam indicat ſpecierum. Quemadmodum (vt in eodem exemplo perſiſtamus) animal quod genus eſt hominis, & bruti, innumeras propemodum ſuo ambitu complectitur ſpecies. Cum itaque ſint hæ tres ſignificationes generis propoſitæ, duabus prioribus prætermiſſis, de tertia tantum erit ſermo inſtituendus, eo quod illa ſola ad inſtitutum Dialecticum pertinere videatur.

F *Quod de multis ac ſpecie differentibus, &c.* In hac ſecunda parte capitis tradit Porph. diffinitionem generis, in hac tertia ſignificatione. Ea ſic ſe habet. Genus eſt illud quod dicitur de multis ſpecie differentibus, in quæſt. qua quærimus quid res ſit, vt animal eſt genus hominis, & bruti, nam dicitur de ipſis tanquam de multis ſpecie diuerſis, in quæſtione qua quærimus quid ſit vtrumque, nam roganti quid ſunt homo, & brutum apte reſpondemus eſſe animalia. Quæ definitio tres continet particulas. Prima eſt, quod dicitur de multis, quæ continet locum generis, idem namque pollet, quod vniuerſum, vel prædicabile, vniuerſum autem genus eſſe ad quinq; voces aſſeruimus quæſt. 2. ſect. 5. de rebus vniuerſis. Secunda eſt, ſpecie differentibus, quæ locum habet differentiæ, ſicque intelligenda eſt, ſpecie differentibus, id eſt, differentibus eſſentiali diffinitione, nam ſimpliciter, & abſolute, ſolæ ſpecies poſſunt hoc genere definitionis diffiniri. Tertia particula quæ eſt, in quæſt qua quærimus quid res ſit, habet etiam locum differentiæ, quæ ita eſt intelligenda. Si quis interroget quid ſit aliqua res, genus illico eſt proponendum, vt ſi quis roget quid eſt homo, ſtatim reſpondemus eſſe animal. Vnde ad interrogationem effectam per quid, genus reſpondere debemus, idque docet Ariſt. 1. Topico. cap. 4. *2. Pars capit.*

G *Eorum enim quæ dicuntur, &c.* In hac tertia parte cap. contendit probare Porph. hanc diffinitionem propoſitam eſſe accuratam. Vt autem id commodius præſtet generalem quandam eorum quę dicuntur proponit diuiſionem Quędam enim de vno (inquit) tantum dicuntur, vt indiuidua v.g. Petrus, & Ioannes, Petrus enim de ſe ipſo tantum dicitur, & idem iudicium eſt de cæteris: Alia vero prædicantur de multis, genus ſcilic. ſpecies, differentia, proprium, & commune accidens, genus vt animal, ſpecies vt ho- *3. Pars capit.*

mo, dif-

mo, differentia vt rationis particeps, proprium vt capax diſciplinæ, & commune accidens, vt ſedere, ſtare. Hac cõſtituta diuiſione inſtitutum ſuum probat Porphyrius ad hunc modum. Primo. Illa eſt accurata definitio, quæ ſeparat definitum à quolibet alio, at propoſita diffinitio eſt huiuſmodi, erit igitur illa accurata. Probatur aſſumptio. Per primam particulam ſeparatur genus ab indiuiduis quæ de vno ſolum dicuntur, per ſecundam ab ſpecie, & proprio, quæ non efferuntur de multis ſpecie, ſed numero tantum diſtinctis, illa immediate, vt homo v.g. de Petro, & Ioanne, hoc vero vt capax diſciplinæ mediante alio ſcilic. homine, qui eſt ſpecies, (de quo immediate effertur) de eiſdem dicitur. Tandem per vltimam particulam ſeparatur genus à differentia, & a communi Accidente, genus enim in quæſt. quid res ſit dicitur, at tam differẽtia quã commune accidens, In quæſt. qualis res ſit prædicantur, ſi enim rogemus quale animal ſit homo, reſpondemus rationis particeps, & ſi quale animal ſit coruus, reſpondemus atrum, licet inter hæc duo maximum interſit diſcrimen, cum dicatur differentia in quale ſecundum eſſentiam, & accidens in quale ſecundum accidens. Hanc rationem diffuſe ſatis tractat Porphyrius.

H *Nihil igitur redundans, &c.* Secundo confirmatur. Iuxta leges optimæ diffinitionis illa eſt optima diffinitio, quæ nihil obtinet redundans, vel diminutum, hæc autem diffinitio propoſita generis eſt huiuſmodi, vt ex his quæ hactenus explicata fuerunt conſtare cuique poterit, erit igitur illa optima, & accurata quæ notioni generis tradita eſt deſcriptio.

SCHOLIA IN CAPVT *de Genere.*

A 1 Non tantum apud Dialecticos, verum etiam apud alios artifices nomen generis ambiguum eſt & habet varias ſignificationes. Nam Grãmatici vnum genus faciunt maſculinum, aliud fœmininum, aliud neutrum, &c. Rhetores etiam in cauſis forenſibus tria genera faciunt, demonſtratiuum, ſuaſorium, & iudiciale. Iuriſperiti ſæpiſſime genus ſumunt pro ſpecie, vt teſtatur Petrus Gregorius Iuriſperitus eruditus *tomo 1. Commentariorum, in Syntaxim artis mirabilis lib. 2. c. 8.* Imo & Ariſt. *in lib. de longi. & breuit. vitæ*, in hac ſignificatione vtitur nomine generis, cum inquit hominum genus longiorem vitam ducere, equorum genere, id eſt, ſpeciem humanam longius propagari & diuturniori tempore viuere, ſpecie equorum. Verum quia hæ ſignificationes parum deſeruiunt inſtituto Dialecticorum, fuerunt hoc loco prætermiſſæ à Porphyrio, & tantum ſunt illæ recenſitæ, quæ cum genere Dialectico affinitatem aliquam habere videntur.

A 2. Ariſt. *5 lib. Metaph. ca. 28.* agens de genere quatuor proponit ipſius ſignificationes, ex quo loco has hauſiſſe videtur Porph. Prima qua ſignificat continuatam propagationem eorum quæ intra eandem ſpeciem continentur, vt genus hominum dici poteſt continuata propagatio humanæ naturæ. Secunda eſt qua ſignificat principium originis aliquorum, qua ratione Romulum vocare poſſumus genus Romanorum, eo quod Romani ab ipſo tanquam à proprio principio traxerint originẽ. Tertia eſt iuxta quam ſignificat ſubiectum aliquod quod in plures differentias diuidi poteſt, quo modo dicimus id quod planum eſt eſſe genus figurarum planarum, & ſolidarum. Quarta eſt qua ſignificat illud quod in diffinitionibus primum ineſt, & quod dicitur de re in quæſt. qua quæritur quid illa ſit, cuiuſq; differentiæ dicuntur eſſe qualitates. Quæ ſignificationes tertia prætermiſſa eædem ſunt cum his propoſitis à Porph. nam prima & ſecunda Ariſt. eadem eſt cum prima & ſecunda Porph. & quarta Ariſt. cum tertia Porph. vt conſtare poterit attento animo ſingulas percurrenti. 2. Obſeru.

A 3. Boetius, & Argyropilus ita hæc prima verba tranſtulerunt. *Videtur autem neq; Genus, neq; ſpecies ſimpliciter dici.* In quibus interpretes tria annotant. Primum dictionem illam, videtur, poſſe ſumi, vel pro eo quod apparet, & non eſt qua ratione ſumitur ab Ariſt. 1. Elencho. ca 1. & 2. cum inquit. Sunt quidam Syllogiſmi, qui videntur, & non ſunt. Vel videm denotat quod apertum, & manifeſtum; qua ratione ſumitur hoc loco quaſi vellet dicere Porphyrius, apertũ eſt omnibuſq. notiſſimum genus non ſimpliciter dici neque vnam habere ſignificationem. Ita Ammonius, Mathiſius, Canterus, Toletus, & Acriſius, ac Montaneſius Valentini, Villalpandus putat Porphyrium hac voce fuiſſe vſum morem Ariſt. ſequens, & Peripateticorum, qui res etiam certiſſimas nolunt audacter nimis affirmare: atque ita vtuntur hac voce, videtur, quæ formidinem quandam præſeferre videtur. Vel fortaſſis ſic eſt loquutus modeſtiæ gratia, dum in rebus notiſſimis voce dubietatem aliquam exprimente vti voluerit. Secundo annotant vocem illam ſimpliciter, quatuor modis ſumi apud Ariſtot. Primo, vt idem ſignificat quod vniuerſe, vel in totum, qua ratione ſumitur 1. lib. Prior cap. 2. vbi inquit enunciationem vniuerſam negantem ſimpliciter conuerti, id eſt, in totum, vel in vniuerſum. Secundo, vt idem 3. Obſeru.

Digitized by Google

denotat quod proprie in qua ſignificatione ortus ſubſtantiæ vocatur ortus ſimpliciter (*vt lib. 5. Phy. c. 1.* tum etiam, *& lib. 1. de ortu c. 3.*) id eſt, proprie ortus Tertio, vt idem valet quod temere, & ſine vlla ratione, qua ratione dicere ſolemus herum iniquum ſimpliciter verberare ſeruum innocentem, id eſt temere, & abſque vlla cauſa. Quarto, vt ſignificat idem quod vnius ſignificationis, vel ſynonymum, & minime perplexum, in qua ſignificatione ſumitur. 2. lib. Topic. c. 4. Itaque Porphyrius vſus eſt hac voce in poſtrema ſignificatione. Vnde ſenſus illius erit, videtur autem neque genus, neque ſpecies ſimpliciter dici, id eſt, videntur hæ duæ voces non habere vnam, ſed multas ſignificationes, quæ profecto verba clarius & apertius multo tranſlata fuerunt à Perionio in hunc modũ. Genus & ſpecies non vno modo dicuntur. Adnotant tertio Porphyrium tantum feciſſe mentionem generis, & ſpeciei, vel vt inquit Ammonius, quia ſunt relata, eſtq; hæc vis relatorum, vt vno poſito, & aliud quoque poni debeat. Aut vt putat Boetius breuitatis cauſa hoc fuit effectum, vt intelligeremus idipſum etiam exiſtimandum eſſe de aliis vocibus, illas ſcilicet homonymas eſſe variaſque habere ſignificationes.

bſeruat. 4. B. 1. Hæc prima generis ſignificatio in vſu eſt apud ſacros & prophanos authores. In ſacris literis *Actuum* 17. Apoſtolus homines vocat genus Dei. Ipſius enim (inquit) genus ſumus Genus ergo cum ſimus Dei, &c Vbi nomen generis ſignificat hominum multitudinem, quæ à Deo opt. max. tanquam à perenni fonte dimanauit. Legimus etiam genus Abrahæ, & genus Dauid, pro multitudine illorum qui ab Abrahamo, vel Dauide deſcenderunt. Et inter prophanos authores Virgilius Italos vocat genus Iouis, genus ſumens in hac ſignificatione.

Italiam quæro patriã & Genus a Ioue ſummo.

Obſeru. B. 2. Quatuor ſunt neceſſaria vt aliquid ſit genus in hac ſignificatione. Primo vt ſit collectio multorum vnde improprie vna ſola perſona dici poteſt genus, & ita raro pro vna perſona legitur apud probatos auctores niſi apud Virgilium.

Ipſumque Æacidem, Genus armipotentis Achillis.

Legendi ſunt Louan & Villalp. Secundo neceſſaria eſt habitudo plurium ad vnum totius ſ. collectionis ad principium à quo fluxit & ab hac potiſſime nomen generis fuit deriuatum. Tertio vt qui in illa collectione continentur inter ſeſe ſint aliqua affinitate coniuncti, iuxta quam quidam ſint Filii, alii Patres, alii Proaui, alii Fratres &c. Quemadmodum enim in exercitu (vt optime adnotat Iauellus in ſua Logica tractatu 4. cap. 2.) reperitur multitudo hominum inter ſe ordinata ſecundum varia munera & officia, nam quidam ſunt duces, alii milites, alii Decuriones, alii Centuriones, &c: Ita etiam genus in hac ſignificatione debet multa continere inter ſe ordinata & affinitate aliqua coniuncta, qui certe ordo ita neceſſarius eſt ad rationem generis, vt ſi eſſet multitudo ſine ordine, nõ magis poſſet dici genus, quam dicatur aceruus lapidum, in quo multi lapides ſine vllo ordine continentur, quemadmodum cũ Iauello recte animaduertit M. Soto. Quarto requiritur iuxta eundem M. Soto, Matyſium, Mercado (licet Louanienſes hæreant) vt collectio illa per huiuſmodi habitudinem ad ſuum principium, differat ab alia collectione, quæ denotat diuerſam habitudinem ad diuerſum principium à quo dimanauit. Et ita dicimus aliud eſſe genus Moncadarum, & aliud Borgiarum, quia collectio Moncadarum aliam longeq; diuerſam habitudinem denotat ad ſuum principium, quam denotet collectio Borgiarum. Et quidem hoc requiri ad genus in hac ſignificatione aperte ſatis exprimit Porphy. qui poſt traditam hanc ſignificationem hæc verba ſubiungit. *Qua appellatione ab aliis Generibus diſtinguitur.* In quibus verbis non obſcure innuit, ad genus in hac ſignificatione requiri, vt collectio illa differat per habitudinem ad ſuum principium ab alia, quæ diuerſam denotat habitudinem.

C. 1. Hæc etiam ſecunda ſignificatio in vſu eſt apud Poetas, vt apud Ouidium qui ex Vlyſſe ita ait. 6. Obſeru.

Nã Genus & Proauos & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

In quibus carminibus ſumpſit genus pro patre, auo, aut proauo. In duas partes diuiſit Porphyrius genus in hac ſignificatione in Patrẽ, & Patriam. Vbi nomine patriæ, vel loci in quo quiſque natus eſt, non debemus intelligere locum Mathematicum, intimam ſcil. ſuperficiem corporis ambientis, ſed naturalem, qui eſt vis quædam, & facultas à natura tributa, ad producenda corpora naturalia, vel eadem conſeruanda. Eſt ſiquidem in diuerſis partibus, & regionibus mundi diuerſa multiplexque facultas ratione cuius in quibuſdam regionibus quædam corpora, & in aliis alia generantur. Quod elegantiſſime his verſibus expreſſit Virgilius:

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ
Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina. Nõne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur; molles ſua thura Sabæi &c.

Eſt tamen breuis dubitatio an genus in hac

ſignificatione ſumi debeat pro ipſo parente, & patria, vel pro initio ortus aliquorum, ſiue illud fuerit ſemen, ſiue quæuis alia vis naturalis. Auerroes putat, ſumendum eſſe pro parente & patria. Exiſtimo tamen cum Caietano & Toleto, ſumendum eſſe pro principio aliquo ortus & originis, id eſt, pro vi aliqua & facultate à patre vel patria deriuata, quæ alicui hominum collect oni dedit originem.

7. Obſer. § 2. Quæſtio tamen eſt inter interpretes, ſitne hæc ſecunda generis ſignificatio potior, magisque præcipua priori. Ammonius, Villalpandus, Canterus, & Montaneſius exiſtimant, priorem eſſe potiorem, magis præcipuam, magisque in vſu Dialecticorum. *Prima opinio* Quod confirmant primo, quia Porphyr. priorem primo loco propoſuit, quod certe non effeciſſet, niſi quia prior eſt potior & nobilior. *1. Argum.* *2. Argum.* Secundo, quia prior eſt notior nobis, ac proinde erit magis vſitata apud Dialecticos. *3. Argum.* Tertio quia videtur illa habere maiorem affinitatem cum genere Logico, quam ſecunda: nam ſignificat collect onem multitudinis, quemadmodum genus Logicum col ectionem ſpecierum. *4. Argum.* Quarto Quia genus in ſecunda ſignificatione complectitur patrem & patriam, quæ certe impropriè & minus vſitate genera dicunt, quare genus in prima ſignificatione magis proprie potiorique iure debet dici genus, quam in ſecunda.

Contraria ſent. verior. Cæterum contrariam ſententiam ſequuntur Boetius, Caietanus, Louanienſis, Soto, Mercado, & Toletus, qui (noſtro iudicio) veriſſime docent, hanc ſecũdam ſignificationem potiorem, nobiliorem, magisque in vſu eſſe priori. Et quamuis res ſit nõ multum difficilis, nec momenti, vt illam explicemus, aſſerimus primo, genus in ſecunda ſignificatione vt amplectitur patrem & patriam, non eſſe tam proprie & vſitate vocandum genus ſicuti in priori, in qua re omnes tam primæ, quam ſecundæ opinionis conueniunt, etenim minus proprie dicimus patrem ac patriam eſſe genus alicuius, minusque eſt in vſu, hæc duo genera vocare. Aſſerimus ſecundo, genus in ſecunda ſignificatione, vt ſignificat principium ortus & originis, eſſe magis proprie, magisq; accommodate vocandum genus, quam in prima. Quod confirmamus primo, quia quando nomen natum eſt cauſæ & effectui conuenire magis proprie, magisque accommodate dicitur de cauſa, quam de effectu, vt quia nomen entis & boni nata ſunt dici de Deo & creaturis, magis proprie & accommodate dicuntur de Deo, quam de creaturis, quia de Deo dicũtur, tanquam de cauſa, de creaturis vero, tanquam de effectibus: ſed nomen generis dicitur de genere in prima & in ſecunda ſignificatione, & dicitur de ſecunda, tanquam de cauſa, de prima vero, tanquam de effectu, nam ſecunda ſignificat principium & originem collectionis, prima vero ipſam collectionem, ergo nomen generis magis proprie magisque accommodate dicetur de ſecunda, quam de prima ſignificatione. Secundo, genus in ſecunda ſignificatione maiorem affinitatem habet cum genere Logico, quam in prima, ergo magis accommodate & proprie dicetur genus in ſecunda, quam in prima. Conſequentia eſt perſpicua, confirmatur antecedens, quia eſſe principium ſpecierum inſeparabile eſt a genere Logico, colligere vero multas ſpecies, ſeparari poteſt ab eo, nam vt plerique putant, non repugnat generi in vnica ſpecie conſeruari, quod ſi fieret, non colligeret plures ſpecies, quare cum genus in ſecunda ſignificatione ſignificet principium & orig nem, in prima vero collectionem multorum, ſecunda ſignificatio affinior erit generi Logico, quam prima. Verum non eſt, cur in hac re confirmanda plurimum immoremur, cum pro nobis adſit Porphyr. apertiſſime, qui poſtquam trad dit ſecũdam ſignificationem, hæc verba ſubiungit iuxta Perionium. *Quæ mihi quidem prima occurrere videtur ſignificatio.* Iuxta Argylopilum vero ita habet. *Hoc autem ſignificatum vſurpatius eſſe videtur.* In qua authoritate nihil clarius pro hac noſtra opinione dici poterat, nam inquit, genus eſſe prius, & hanc ſecundam ſignificationem eſſe magis vſurpatam. Et certe velle referre hæc verba ad primam ſignificationem, vt nonnulli referunt ex his, qui primam opinionem ſequuntur, eſt aperte ipſi Porphyr. repugnare, & mentem illius omnino euertere.

Ad 1. argum. Ad argumenta igitur, quæ in patrocinium ſententiæ aliorum propoſuimus, reſp. Ad primum reſpon. non ex eo priorem eſſe propoſitam prius, quia eſt potior & nobilior, ſed quia eſt nobis genus in prima quam in ſecunda ſignificatione cognitu facilius: nam multitudo facilius à nobis cognoſcitur, quam principiũ, à quo dimanat. Et profecto ſi hoc argumentum aliquid colligeret, poſſemus etiam colligere, primam ſignificationem ſpeciei, in qua ſignificat decorem & venuſtatem potiorem & nobiliorem eſſe ſecunda, in qua ſignificat illud, quod ſub aſſignato genere continetur. Quod certe nullus aſſerere audebit.

Ad 2. Ad 2. reſp. admittentes priorem eſſe notiorem nobis, verum genus in ſecunda eſt etiam

ſatis notum nobis, & ex alia parte eſt notius natura, nam eſt principium, principia vero eſſe notiora natura, profitetur Ariſt. 1. *Phyſicor. cap.* 1. Quare potius erit ſecunda ſignificatio nobilior, & magis accommodata, quam prima, quia nobilitas magis eſt ex priori ſecundum naturam, quam ex priori ſecundum noſtrum modum cognoſcendi haurienda.

13. Ad 3 reſp. falſum eſſe, genus in prima ſignificatione habere maiorem affinitatem, quam in ſecunda cum genere Logico, imo econtra maiorem habet affinitatem in ſecunda, quam in prima, vt oſtendimus in ſecundo argomento ſecundæ noſtræ aſſertionis. Et certe quamuis genus Logicum ſignificet collectionem ſpecierum, vt genus in prima ſignificatione, diuerſa tamen ratione colligit genus ſpecies, quam colligat multa genus in prima ſignificatione, etenim genus Logicum ita colligit plures ſpecies, vt de ſingulis poſſit prædicari, vt animal ita colligit hominem & brutum, vt de homine & bruto dici poſſit: genus vero in prima ſignificatione non poteſt dici de ſingulis, quæ colligit, vt multitudo Moncadarum non poteſt dici de Hieronymo, vel Franciſco, quos intra ſe colligit.

14. Ad 4. iam diximus in ſecunda aſſertione, genus in ſecunda ſignificatione ſi ſumatur pro patre & patria, minus proprie dici, quam in prima: ſi vero ſumatur pro principio generationis (vt nos hic agimus) magis proprie dici, quam in prima. Neque putet aliquis, idem eſſe principium generationis, quod pater vel patria, hoc enim eſſe falſum, iam diximus in Scholio ſuperiori cum Caietano, vbi principium generationis diximus eſſe vim quandam immiſſam à generante, & vnitā cum re genita.

...de colle-rit Porph. ...finitionē ...poſitam ...neris. ...Obſer.

F Hanc diffinitionem collegit Porphyr. ex Ariſt. 1. *Topic. cap. 4. lib. 4. cap. 1. & 2. & 5. Metaphyſ. cap.* 28. in quibus locis Ariſtotel. eodem modo, quo Porphy. diffinitionem generis nobis propoſuit, cuius particulæ, quia iam ſunt à nobis in Commentariis explicatæ, non eſt cur à nobis in hoc loco iterum explicentur. Dubitationes vero, quæ ſeſe poſſunt aduerſus illam offerre, in quæſt. 2. proponentur, in qua etiam tradēmus diffinitiones alias, quæ ab Stoicis & Cicerone de genere proponuntur. Illud tamen ſilentio inuoluendum eſſe non putaui, iniuſtam eſſe, nimiſque liberam reprehenſionem Villalpandi *q. 1. huius cap.* in qua reprehendit Porph. eo quod confirmarit, hanc diffinitionem eſſe accuratam, ſeparatur quia per eam genus ab aliis vocibus vniuerſis, & ab indiuiduo, nam diffinitio (inquit) per ſe ſatis nota eſſe debet, neque indiget explicatione aliqua, vt optima eſſe cenſeatur. Reprehendendus tamē eſt ille, tanquam immemor legum, quas Dialectici vno ore de diffinitione proponunt: omnes ſiquidem hanc legem obſeruandam eſſe perſcribunt, vt diffinitionem aliquam accuratam eſſe intelligamus, nimirum vt ſeparet illa diffinitum à quauis alia re, quemadmodum in Poſtcategoriis agentes de diffinitione oſtendemus. Et quamuis diffinitio debeat tradi per ea, quæ ſunt notiora natura, non tamen ſemper debet tradi per ea quæ ſunt notiora nobis, ſed interdum explicari debet per illa, quæ nobis ſunt cognitu faciliora & notiora, quam rem obſeruans Porphyr. ex diſcrimine inter genus & alias voces, interueniente tanquam ex re nobis cognitu faciliori, illam eſſe accuratam confirmauit.

G Separans Porphy. genus à proprio, inquit, eo diſtingui has duas voces, quia genus dicitur de multis ſpecie differentibus, proprium vero de vnica tantum ſpecie, quod intelligi debet de proprio ſpecifico, vt eſt in homine capacitas diſciplinæ, non autem de generico, aut generis ſupremi, aut intermedij: nam hæc propria de pluribus etiam ſpeciebus dicuntur, quemadmodum & ſubiecta vel genera, de quibus prædicantur. Quamuis eo differant, quia genera immediate dicuntur de pluribus ſpeciebus, proprium vero mediate mediis ſcilicet generibus. Inquit etiam in eadem explicatione diffinitionis, differentias illud habere commune cum genere, vt dicantur de pluribus ſpecie differentibus, quod intelligi debet de differentiis interiectis, & non de atomis, quæ tantum dicūtur de vna ſpecie immediate, & de pluribus differentibus numero mediate. Vel fortaſſis hoc docuit Porph. tanquam putans omnes differentias eſſe interiectas, & nullam dari atomam, & indiuiduam, vt poſtea *in cap. de differentia* explicabimus. *8. Obſer.*

DISPVTATIO DE GENERE IN DVAS ſectiones diſtributa.

ARGVMENTVM.

Vt facilius multo & clarius has quæſtiones, quas de genere tradēmus, intelligere poſſimus, viſum

ſum eſt illas in duas ſectiones diſtribuere: in quarum prima quæſt. eas proponemus, quæ ad illius diffinitionem attinent; in altera vero alias, quibus illius facultas & potentia, reſpectu ſpecierum exprimitur, explicabimus.

SECTIONIS PRIMÆ QVÆSTIO I.

An Porphyrius optima methodo progreſſus fuerit, diſputans prius de Genere, quam de aliis vocibus vniuerſis.

1. Argum. NOn fuiſſe recte progreſſum, confirmo his argum Primum. Species, quæ diuidunt aliquod genus, ſunt ſimul natura, authore Ariſtot. *in Poſtcategoriis, cap. de ſimul*, ſed hę voces prædicabiles ſunt ſpecies vniuerſi, ergo vna nõ erit altera prior, vnde neq; genus erit prius aliis vocibus.

2. Argum. 2. Relata ſunt ſimul natura, ſed genus & ſpecies ſunt relata, ergo erunt ſimul natura, & ita genus non erit prius ſpecie, ac proinde non erat prius agendum de genere, quam de illa.

3. Argum. 3. Illa ſunt priora, quæ ſunt nobiliora, ſed differentia eſt nobilior genere; ergo erit prior

4. Argum. genere 4. Prius eſt agendum de parte, quam de toto, ſed differẽtia eſt pars ſpeciei, ergo prius

5. Argum. agendum erat de illa, quam de ſpecie. 5. Ea, quæ ſunt communiora, ſunt priora, & ita priori loco tradenda, vt author eſt Ariſt. *1. lib. Phyſ. cap. 1. & 1. lib. de partib. cap.* 1. ſed proprium eſt communius genere, nam non ſolum conuertitur cum genere, verũ etiam cum ſpecie atoma & indiuidua, ergo proprium erat priori loco tradendum ante genus. 6. A facilioribus

6. Argum. eſt inchoandum, ſed accidentia ſunt faciliora, cum ſubiiciantur ſenſibus, ergo ab accidente erat exordiendum, & non à genere.

De hac quæſt. legi poterunt Ammonius, D. Seuerinus Boetius editione 2. D. Alber. Magnus, Arboreus, Montaneſius, & alij, in commentariis huius loci. Quam vt rectius pertractemus, repetenda ſunt ea, quæ traduntur ab Ariſt. de Priori *in Poſtcategoriis, cap.* 8. vbi conſtituit duobus modis eſſe aliqua priora primo tempore, & ſecundo natura. Illa dicũtur priora tempore, quæ ſunt antiquiora, vt pater tempore eſt prior filio. Priora vero natura dicuntur etiam duobus modis. Primo ſecundum cauſam, quando vnum eſt cauſa alterius, vt homo eſt prior natura riſibilitate, quia eſt cauſa illius. Et altero modo quia ab vno ad aliud non valet ſtatus conſequentiæ, vt animal eſt prius natura homine, quia ab animali ad hominẽ non eſt legitima conſequentia, non enim recte ſequitur, animal eſt, ergo homo eſt.

1. Concluſio. Prima concluſ. Genus eſt prius natura proprio & communi accidente. Confirmatur. Attributio ſecundum eſſentiam, prior eſt attributione ſecundum accidens, ſed genus prædicatur ſecundum eſſentiam, proprium vero & accidens prædicantur ſecundum accidens, ergo genus eſt prius natura proprio & communi accidente. Præterea. Subſtantia eſt prior natura accidente, ex Ariſt. *7. lib. Metaph cap.* 1. ſed genus ſpectat ad ſubſtantiam rei, proprium vero & commune accidens ad accidentia, ergo erit genus prius illis.

2. Concl. Genus eſt prius natura differentia. *2. Concluſio.* Confirmatur. Primo, quia attributio ſecundum eſſentiam, & in quid, eſt prior attributione in quale: ſed genus prædicatur in quid, differentia vero in quale, ergo genus erit prius differentia. Secundo. Genus obtinet locum materiæ, differentia vero locum formæ: ſed materia eſt prior forma, vt lignum eſt prius ſtatua Mercurij, ergo gen' erit prius differẽtia.

3. Concluſio. Genus eſt prius natura ſpecie. *3. Concl.* Confirm. Primo, quia illa ſunt priora natura, à quibus non valet ſtatus conſequentiæ, ſed à genere ad ſpeciem non valet ſtatus conſequẽtiæ, non enim recte ſequitur, animal eſt, ergo homo eſt: ergo genus erit prius natura ſpecie. Secundo. Illa ſunt priora natura, quæ poſſunt eſſe ſine aliis, & alia non poſſunt eſſe ſine ipſis, ex Ariſt. *5. lib. Metaph. cap.* 11. ſed genus poteſt eſſe ſine ſpecie, vt animal ſine homine, & ſpecies non poteſt eſſe ſine genere, ergo genus erit prius ſpecie. Tertio. Quælibet pars, quæ effertur in quid de ſuo toto, eſt prior illo, ſed genus eſt pars ſpeciei, & effertur in quid de ſpecie, ergo erit prius ſpecie.

Vltima concluſio. Optima methodo pro- *Vlt. concl.* greſſus eſt Porphyr. in explicandis his vocibus vniuerſis. Confirmatur. Attributio ſecundum eſſentiam eſt prior attributione ſecundum accidens, ſed genus, ſpecies, & differentia prædicantur ſecundum eſſentiam, proprium vero, & commune accidens prædicantur ſecundum accidens: ergo prius agendum eſt de his vocibus, quam de proprio & communi accidente. Præterea, inter attributiones eſſentiales attributio in quid eſt prior natura attributione in quale, ſed genus & ſpecies prædicantur in quid, differentia vero in quale, ergo agendum eſt prius de genere & ſpecie, quam de

diffe-

differentia. Ad hæc genus prius eſt, & vniuerſalius ſpecie, ergo agendum eſt prius de genere, quam de ſpecie, nam vniuerſaliora ſunt priori loco pertractanda. Vltimo, proprium magis accedit ad rei naturam, quam accidens commune, ergo prius agēdum eſt de proprio, quam de communi accidente. Optimam ergo methodum obſeruauit Porphyr. in explicandis his vocibus, agens prius de genere, quam de ſpecie, & de ſpecie, quam de differentia, & de differentia, quam de proprio, & de proprio, quam de communi accidente.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. Ad primum reſp. Species alicuius generis ſumi poſſe vel vt conferuntur cum genere quod diuidunt, vel vt cōferuntur inter ſe. Si primo modo ſumantur, ſunt ſimul natura, nam omnes ex æquo diuidunt genus, ſi vero ſecundo modo vſurpentur, vna eſt prior altera. Et ita ſi hæ voces prædicabiles conferantur ad vniuerſum, quod diuidunt, ſunt ſimul natura: ſi vero conferantur inter ſe genus eſt prius omnibus illis.

Ad 2. Ad 2. reſp. notionem generis & ſpeciei ſumi poſſe vel ſecundum eſſentiam, vel vt denominant naturas. Si primo modo ſumantur, ſunt ſimul natura, ſunt enim relationes quædam rationis. Si vero ſecundo modo vſurpentur, non ſunt ſimul natura, ſed illa notio erit prior, quæ denominat naturam priorem, & illa poſterior, quæ denominat naturam poſteriorem. Vnde cum notio generis denominet naturam genericam, vt naturam animalis, quæ eſt prior natura hominis, quam denominat altera notio ſpeciei genus erit prius ſpecie. Et quia agimus de his notionibus in habitudine ad ſubiecta denominata, quemadmodum de ente rationis, quod eſt illarum genus, vt diximus *in quæſtionibus proœmialibus ſect. 1. q. 13.* propterea notio generis prior erit notione ſpeciei, ac proinde priori loco agendum erit de genere, quam de ſpecie.

Ad 3. Ad 3. reſpond. propoſitionem eſſe veram de priori dignitate, falſam autem de priori natura, quo modo nos hic loquimur. Vnde quamuis differentia nobilitate ſit prior genere, genus tamen eſt prius natura illa. Videndus eſt Boetius.

Ad 4. Ad 4. reſpondemus, differentiam ſumi poſſe aut vt conſtituit ſpeciem, aut vt eſt quoddam attributum, quod prædicatur in quale. Primo modo differentia prior eſt ſpecie, ſecundo vero modo eſt poſterior, nam ſpecies prædicatur in quid, differentia vero in quale, attributio vero in quid, prior eſt attributione in quale. Quare cum hoc loco agamus de differentia non ſub ratione partis, ſed ſub ratione attributi, non erit prius agendum de illa, quam de ſpecie.

Ad 5. reſp. duobus modis aliqua eſſe communiora, primo ſecundum eſſentiam, qua ratione animal eſt communius homine. Secundo, ſecundum accidens, vt color eſt communior animali. Quæ ergo ſunt communiora ſecundum eſſentiam ſunt priora, illa vero, quæ ſunt communiora ſecundum accidens, non ſunt priora, nam accidentia non ſunt priora eſſentia rei. Quare cum proprium tantum ſit communius genere ſecundum accidens, non erit prius illo, neq; ab eo erit progrediendum. Ad 5.

Ad 6 inprimis reſp. falſam eſſe propoſitionem, non enim à facilioribus eſt ſemper exordiendum, ſed ab his, quæ ſunt priora natura, iuxta methodum compoſitionis, quam in hoc loco retinemus. At genus eſt prius natura communi accidente. Iterum reſpon. ad aſſumptionem, cognitione ſenſus accidentia eſſe priora, & faciliora cognitu, cognitione vero intellectus, vniuerſaliora eſſe priora, & faciliora, vt docet Ariſt. 1. *Phyſic. cap.* 1. Et ita cum in hac re non ſenſum, ſed intellectum ſequamur, agendum erit prius de genere, quam de aliis vocibus vniuerſis. Ad 6. 1. Solut. 2. Solut.

QVÆSTIO II.

An ſit optima diffinitio propoſita generis.

EXaminemus iam, num recte fuerit genus diffinitum à Porphyr. Illud quod dicitur de multis ſpecie differētibus in quæſt qua quærimus, quid res ſit, necne? Et quidem eſſe vitioſam, his argum. poſſumus confirmare. Primum. Hæc diffinitio competit alteri à re diffinita, ergo erit vitioſa. Conſequentia nota eſt. Confir. antecedens, diffinitio non eſt genus, atqui illa prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid, vt diffinitio animalis, quæ eſt, ſubſtātia corporea, animata, ſentiens, prædicatur de homine & bruto in quid, ergo hæc diffinitio competit alteri à re diffinita. 1. Argum.

2. Ens dicitur de multis ſpecie differentibus in quid, nam dicitur de homine & equo, qui differunt ſpecie, & in quid, etenim roganti, quid eſt homo, apte reſpondemus, eſſe ens, ſed ens non eſt genus, iudicio Ariſt. 3 *lib. Metaphy. cap.* 3. ergo genus non eſt illud, quod dicitur de multis differentibus ſpecie in quid. 2. Argum.

3. Anima dicitur de anima vegetante, ſentiente, & intelligente, quæ differunt ſpecie, in quæſt. qua quæritur, quid res ſit, nam rogati, quid eſt anima ſentiens, recte reſpōdemus, eſſe 3. Argum.

animam

Digitized by Google

animam : ſed anima non eſt genus , quia categoria ſubſtantiæ (vbi illa continetur) genera & ſpecies per ſe & directe continentur in recta ſerie, anima vero cum ſit pars rei animatæ, nõ continetur per ſe & directe in recta ſerie, ergo non eſt accommodata diffinitio generis, cum conueniat animæ, quæ non eſt genus.

4. Argum. 4. Genus tantum eſt in vna ſpecie, vt animal in homine, ergo genus tantum prædicabitur de vna ſpecie, & non de multis ſpecie differentibus. Confirmatur. Quod eſt totum in vno, non poteſt eſſe in alio, ſed animal eſt totum in homine, ergo non erit in leone, aut in equo.

5. Argum. 5. Differentia generis prædicatur in quid de differentiis ſpecierum, vt ſentiens prædicatur in quid de rationis participe, & experte, ſed differentia generis non eſt genus, cum ſit differentia alia vox vniuerſa diſtincta à genere, ergo diffinitio generis non erit accommodata.

6. Argum. 6. Nulla pars poteſt in recto prædicari de ſuo toto, vt caput non prædicatur in recto de homine, ſed genus eſt pars ſpeciei, cum vna cum differentia conſtituat ſpeciem, ergo genus non prædicabitur de ſpecie. Et ita non recte dictum fuit à Porphyrio, genus eſt, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus.

7. Argum. 7 Subſtantiæ ſecundæ ex Ariſtot. *in Categoriis, cap. de ſubſtantia*, prædicantur in quale quid, ſed genera ſunt ſubſtantiæ ſecundæ, ergo prædicabuntur etiam in quale quid, & non tantum in quid, vt voluit Porph.

8. Argum. 8. Genus ex eo prædicatur de ſpeciebus in quid, quia eſt de eſſentia illarum : ſed differentia non eſt minus de eſſentia ſpecierum, quam ſit ipſum genus : ergo differentia prædicabitur quoque de ſpeciebus in quid, & ita per hanc particulam in quid non diſtinguetur genus à differentia, vt docuit Porphy.

Quorundã reprehenſio propoſita deſin. ſatis leuis. Hæc ſunt argumenta, quibus propoſita generis diffinitio labefactari videtur : quorum pondere (primo maxime) oppreſſus Laurentius Valla (vt Louanienſes *in hoc cap.* Matthæus Phriſemius, Scholiaſtes Rodolphi Agricolæ *lib. 1. de inuent. Dialect. cap. 5.* referunt.) contemnit, reiicit, & libere nimis ipſam reprehendit. Nunneſio etiam *in Commentariis de conſtitutione Dialectica*, non multum arridet, eo quod, inquit, tradita fuerit per quandam generis proprietatem, quæ eſt prædicari de multis. Quaſi vero non ſint optimæ diffinitiones, quæ per rerum proprietates traduntur. Horum igitur cenſuram negligentes, æquum eſt prius audiamus, quas diffinitiones viri graues de genere propoſuerint, vt deinde facilius Porph. & Ariſt. tradere poſſimus.

Diffinitio generis dita ab Stoicis. Stoici, vt auctor eſt Diogenes *in Zenone, lib.* 7. ita illud diffinierunt, *Genus eſt plurium cogitationum, quæ auferri non poſſunt, conceptio, vt cum dico animal, hoc enim cuncta per ſpecies comprehendit animalia. Cogitatio eſt imaginatio mentis, neque aliquid exiſtens, neque aliquid faciens, vt dum cogitatur equus non præſens eſſe.* *Diffinit. C* Cicero 1. *de Inuentione*, his verbis illud definit. *Genus eſt, quod plures partes complectitur.* Quam eandem tradit Petrus Gregorius 2. *lib. Syntaxis artis mirabilis, cap.* 10 Et *lib. 1. de Oratore*, hanc diffinitionem proponit. *Alia eiuſ diffinitio.* *Genus eſt, quod ſui ſimiles coniunctione, ſpecie autem differentes, duas aut plures complectitur partes* Et eandẽ vna vel altera voce mutata, Nunneſ. *in loco indicato* (Ariſt. & Porph. reiecta) ſcribit, ita enim illud diffinit. *Genus eſt notio communis, quæ plures formas ſui ſimiles complectitur, vt animal hominem & equum.* Nomine notionis vniuerſum intelligit, quaſi diceret, genus eſt vniuerſum, quod plures formas ſui ſimiles in natura complectitur. Legitima tamẽ diffinitio eſt, quam hoc loco tradit noſter Porphy. Genus eſt, quod dicitur de pluribus ſpecie differentibus in quæſt. qua quærimus, quid res ſit, quam collegit ex Ariſt 1. *Topic. cap.* 4. & 5. *Metaphyſ. cap.* 28. in quo loco ita diffinitur, Genus eſt, quod in diffinitionibus primum ineſt, & quod in quæſt. qua rei natura quæritur, dicitur, cuiuſque differentiæ ſunt qualitates. Eandemque diffinitionem tradunt, & laudant omnes Dialectici in Commentariis huius loci, & 1. *Topic. cap.* 4. & qui de arte diſſerendi libros conſcriptos reliquerunt. Titelmanus, Petronius, Iauellus, Pachimerius, Trapezuntius, & D. Damaſcenus, cuius & apud Theologos & Philoſophos debet eſſe maxima auctoritas, propter eximiam illius eruditionem, eandem proponit *cap. 2. ſuæ Dialectica.*

Ad 1. argu Iam ad argumenta. Ad primum, vt illud diſſoluamus, animaduertendum eſt ex Caiet. *in commentariis huius loci*, ex Louanienſibus, & ex Rodolpho Agricola 2. *lib de inuentio. cap.* 7. particulam illam, prædicari in quid, ſumi poſſe duobus modis Primo ita vt exprimat totam rei naturam & eſſentiam, qua ratione ſola diffinitio prædicatur in quid, nam ſola illa eſt, quæ totam rei naturam poteſt exprimere, ſecundo vero modo, vt tantum particula illa indicet partem eſſentiæ, habẽtem ſe per modum materiæ & ſubſtantiæ, qua ratione genus prædicatur in quid, habet ſe enim vt materia, differentia vero vt forma. In propoſita ergo diffi-

Digitized by Google

nitione generis, prædicari in quid, non eſt intelligendum primo, ſed ſecundo modo, & ita non competet hæc particula vllo modo definitioni, ſed ſoli generi. Vel reſpondere poſſumus, in diffinitione generis ſubintelligendam eſſe hanc vocem, vniuerſum, per illud nomen relatum, quod, ita vt ſenſus ſit, Genus eſt vox vniuerſa, quæ dicitur de multis, &c. At diffinitio non eſt vox vniuerſa, eum ſit compoſita nomine, vt explicatum eſt in ſuperioribus.

Ad 2. Ad 2. arg. reſp. ens poſſe ſumi vel vt ſignificat eſſentiam, vel vt denotat exiſtentiam, ſi loquamur ſecundo modo, certum eſt, ens neque eſſe, neque poſſe eſſe genus, quia genus prædicatur in quid de ſuis ſpeciebus, & attinet ad rei naturam & eſſentiam, at exiſtentia in omnibus rebus creatis eſt extra rei naturam & eſſentiam, vt *2. lib. tranſcen.* c. 17. luculenter oſtendimus. Si vero ſumatur altero modo, vt ſignificat eſſentiam, quamuis prædicetur de multis ſpecie differentibus in quid, non proinde erit genus: tum quia eſt natura analoga, & genus debet eſſe natura ſynonyma: tum etiam, quia eſt actus rerum omnium, natura vero generica eſt potentialis, & contrahibilis. Legenda ſunt, quæ diximus ſupra ſect. vltima, de rebus
1. Argum. vniuerſis, quæſt. 1. in ſolutione cuiuſdam argumenti, & quæ dicentur deinde in Anteprædicamentis, quando agemus de ſynonymia vel vniuocatione entis.

Ad 3. Ad 3 Gregorius Areiſius *in quæſt. huius cap ad 17. arg* admittit animam genus eſſe ad vegetantem, ſentientem, & intelligentem. Errat tamen, quia genus eſt natura integra, anima vero non eſt natura integra, cum ſit pars alterius. Quare reſpondemus, hanc diffinitionem non conuenire animæ, eſt enim intelligenda de natura integra, ita vt ſenſus ſit, Genus eſt, quod prædicatur, id eſt, eſt natura integra, quæ prædicatur. Habebit itaque anima modum generis, quia prædicatur vt genus de multis habentibus modum ſpeciei, non tamen erit genus, quia non eſt natura integra, neque de quibus prædicatur, ſunt naturæ integræ.

Ad 4. Ad 4. reſpond. falſum eſſe antecedens. Et ad confirmationem dicimus, eſſe duo genera totius, quorum vnum eſt integrum, vel ſecundum quantitatem, & alterum eſt eſſentiale. Totum prioris generis, ſi eſt in vna parte, non poterit eſſe in alia, vt aqua, quæ eſt in aliquo vaſe, non poterit eſſe ſimul in alio, at vero totum ſecundum eſſentiam, quamuis ſit totum in aliqua re, poteſt etiam eſſe totum ſimul in alia, vt eſſentia albedinis tota eſt in vna parte parietis, & tota eſt in alia, & anima rationis particeps tota eſt ſecundum eſſentiam in capite, & tota in pedibus. Et ita cum genus ſit totum ſecundum eſſentiam, poterit eſſe totum in vna ſpecie, & totum in altera. Videndus eſt D. Tho. de diſcrimine interueniente inter hæc duo genera totius, *1. p. q. 8. art. 2. ad 3. arg.*

Ad 5. reſpond. falſam eſſe propoſitionem, vt abunde ſatis oſtendemus in cap. de differentia, quando diſputabimus, an differentiæ generum prædicentur de differentiis ſpecierum. *Ad 5.*

Ad 6 reſp. partes eſſe in duplici differentia, nam quædam ſunt naturales, vt materia & forma, ſub quibus continentur integræ, vt caput & pedes, & aliæ ſunt eſſentiales, vel metaphyſicæ, vt ſunt genus & differentia, nam hæ duæ partes conſtituunt eſſentiam cuiuslibet rei. Propoſitio ergo vera eſt de partibus naturalibus. Falſa autem de partibus eſſentialibus, nam hæ partes ſunt [illegible] quædam. Et ita poterunt prædicari [illegible]. Quare cum genus ſit pars eſſentialis, optime poterit prædicari in recto de ſpeciebus. Cæterum qua ratione prædicetur, an vt totum, an vero vt pars quædam eſt, deinde diſputabimus in ſect. 7. huius cap. *Ad 6.*

Ad 7. reſpon. ſubſtantias ſecundas duo in ſe continere, primum eſt eſſe de natura & eſſentia inferiorum: alterum vero eſt, eſſe attributa quædam communia vt animal, quod eſt ſubſtantia ſecunda, eſt de eſſentia hominis & equi, & attributum quoddam commune illorum. Ratione primi ſubſtantiæ ſecundæ prædicantur in quid: ratione vero ſecundi, prædicantur in quale, quia omnia attributa ſignificant qualitatem ſubiectorum, vt dictum eſt: Et ita hunc locum interpretantur D. Thom. & Alexander Aphrodiſeus *in cap. 13. lib. 7. Metaphyſ.* Cæterum ſi particula, in quale, ſumatur, vt eſt quædam nota interrogationis, ſubſtantiæ ſecundæ non prædicantur in quale, neque ita eſt loquutus Ariſt. *Ad 7.*

Ad 8. in quæſt ſequenti ſatisfaciemus. *Ad 8.*

QVÆSTIO III.

An genus differat a differentia per prædicari in quid.

EX hoc vltimo argumento deſumpta occaſione, quærendum eſt, an genus differat à differentia, per vltimam particulam, quæ eſt prædicari in quid. Non diſtingui, confirmatur primo ex Ariſt. qui variis in locis docet, differentiam prædicari in quid. Loca ſunt *1 Prior. c. 28 2. & 7. Topic. c. 3 lib. 4. cap. 6. & 2. de poſteriori analyſi, cap. 14.* *1. Argum.*

2. Illud dicitur in quid, quod ſignificat eſ- *2. Argum.*

ſentiam

ſentiam & quidditatem, ſed differentia eſt huiuſmodi, ergo, &c. Confirmatur aſſumptio. Diffinitio eſſentialis ſignificat rei eſſentiam & quidditatem, nam ita diffinitur: Oratio, quæ explicat rei naturam ambitu quam breuiſſimo, ergo & partes eiuſdem quoque ſignificabunt. at differentia eſt pars illius, ſignificabit igitur rei naturam & eſſentiam.

3. Argum. 3. Nobiliori attributo nobilior prædicandi modus debet concedi, ſed differentia eſt nobilius attributum genere: tum quia eſt rei magis intima & propria: tum etiam, quia eſt perfectio, & actus generis, erit itaque illi concedendus nobilior modus prædicandi: ſed prædicari in quid, eſt modus longe nobilior, quam in quale, ergo differentia prædicatur in quid.

Vlt. argum. Vltimo confirmatur ex octauo argumento quæſtionis ſuperioris. Ex eo genus prædicatur in quid, quia ſpectat ad rei quidditatem, & naturam: ſed differentia non minus, imo multo magis ſpectat ad rei eſſentiam & quidditatem, cum illa vltimo rei naturam actuet, atque abſoluat: ergo differentia prædicabitur in quid.

Laurentius Valla 1. *lib. quæſt. Dialectic. cap.* 20. adeo putat eſſe firma & efficacia nonnulla ex his, quæ propoſuimus argumenta, vt propter illa non vereatur Ariſtotelem, Porphynum, cæteroſque Dialecticos reprehendere, eo quod ita diffinierint genus, conceſſerintque generi dici in quid, & differentiæ hoc concedere nullo modo voluerint. Satius tamen ille ſibi honorique ſuo conſuluiſſet, ſi prætermiſſis rebus Dialecticis, intra Grammaticæ limites, intra quos conſenuerat, ſeipſum continuiſſet. Cenſura igitur illius neglecta, vt quæſt. diſſoluamus, explicandum erit, quid ſit prædicari in quale, quid in quid, & quid in quale quid.

Inprimis hæc dictio, quale, tribus modis ſumitur, in anguſta, lata, & latiſſima ſignificatione. In anguſta tantum ſumitur pro categoria qualitatis, differtque quale à quanto, relato, &c. In lata omnes categorias accidentium ſignificat, nam omnes illæ ſunt modi quidam, & qualitates ſubſtantiæ. In latiſſima non tantum hæc, verum etiam & differentias amplectitur, nam ita ſignificat, quidquid ſe habet per modum actus & formæ, quod competit accidentibus in habitudine ad ſubiecta, & differentiis in habitudine ad genera & ſpecies conſtitutas.

Præterea altera particula, in quid, ſumi poteſt, vel vt eſt nota quædam peculiaris interrogandi, vel vt exprimit rei naturam & eſſentiam. Primo modo ſignificat illud, quod reſpond. ad interrogationem factam per quid. Secundo vero modo adhuc ſumi poteſt, vel ſecundum rem tantum, & non ſecundum modum, vel ſecundum rem ſimul & modum. Itaque ex his, quæ ſignificant rei eſſentiam, quædam ſunt, quæ ſignificant illam ſecundũ rem, non tamen habent modum illam ſignificandi. Alia vero ſunt, quæ ſecundũ rem illam ſignificant, habentq; modum eandem ſignificandi. *Legendus Lem. ſ. 2. Paradox. cap. 17.*

Ad hæc altera vox, quale quid, tribus modis ſumi poteſt. Primo, vt idem denotat, quod aliquid, ſiue fuerit ſubſtantia, ſiue accidens. Secundo ſumitur pro quali quidditatino, id eſt, pro quali eſſentiali, vel ſubſtantiali, pro illo ſcilicet, quod eſt de rei eſſentia, ita tamen, vt ſignificet illam per modum cuiuſdam actus, & formæ qualificantis. Tertio vſurpatur pro attributo quolibet ſubſtantiali qualificato, vel quod poteſt qualificari a ſubiecto, de quo effertur, & hac ratione Ariſtot. in categoria ſubſtantiæ, inquit, genera & ſpecies illius categoriæ prædicari in quale quid.

Sit prima concluſio. Si agamus de prædicatione in quid ſecundũ rem, prædicari in quid, non tantum generi, verum etiam differentiæ, imo & diffinitioni conueniet. Confirm. Quia omnia hæc ſignificant quidditatem eorum, de quibus prædicantur, at quæ ſpectant ad quidditatem, prædicantur in quid de his, de quibus prædicantur. Quamuis hæc tria diuerſa ratione prædicentur in quid de ſpecie, nam diffinitio ita prædicatur, vt expreſſe ſignificet totam quidditatem illius, genus vero & differentia tantum ſignificant expreſſe vnum gradum, vel vnam partem quidditatis ſpeciei: alteram vero partem confuſe & implicite. Genus partem materialem, & habentem ſe ad modum ſubſtantiæ clare & expreſſe: formalem vero, & habentem ſe ad modum qualitatis, implicite, & confuſe. Vt animal, quod dicitur de homine, expreſſe & diſtincte ſignificat animalitatem, quæ in homine habet ſe vt pars materiæ, & ad modum ſubſtantiæ: rationalitatem vero, quæ in eodem homine ſe habet ad modum qualitatis & formæ, implicite & confuſe ſignificat. Animal ſiquidem dicitur, quod habet animalitatem. Et quia rationale eſt huiuſmodi, propterea confuſe exprimet rationalitatem. Econtra vero differentia denotat diſtincte partem habentem ſe per modum qualitatis & formæ, alteram vero habentem ſe per modum materiæ, implicite & confuſe ſignificat. Vt rationis particeps, in homine (de quo effertur) diſtincte ſignificat *1. Concluſ.*

Digitized by Google

rationalitatem, confuſe vero animal, cuius eſt qualitas & modus.

Concl. 2. Concluſio. Soli generi competit prædicari in quid ſecundum rem & modum, differentiæ vero nullo modo, diffinitioni antē tantum ea ratione, qua in illa genus continetur. Con-

Argum. ſi matur primo ex Porphy qui in hoc cap. in c. de differentia, & in cap. de communitatibus generis & differentiæ, eo ſeparat genus à differentia, quia genus prædicatur in quid, differentia vero in quale, & Ariſt. 1. *Topic. cap. 4. lib. 4. cap 1. & 2 & 5. Metaphyſ. cap. 28.* diffinit genus per prædicari in quid de pluribus ſpecie differentibus, & in hoc vltimo loco ex 5. *Metaphyſ.* inquit de differentiis, eſſe qualitates generis, quaſi diceret, differentias non prædicari in quid, eo modo quo genus, ſed in quale. Et idē profitentur omnes Dialectici & Metaphyſici, vno excepto Valla.

2. Argum. Confirmatur 2. Illud prædicatur in quid ſecundum rem & modum, quod dicitur per modum ſubſtantiæ, at genus dicitur per modum ſubſtantiæ, differentia vero per modum accidentis, ergo genus tantum prædicabitur in quid ſecundum rem & modum. Confirmatur aſſumptio. Illud, quod denotat aliquid per modum rei abſolutæ, prædicatur per modum ſubſtantiæ, nam proprium eſt ſubſtantiæ, ſignificare naturam abſolutam: at genus ſignificat aliquid per modum rei abſolutæ, quare dicetur per modum ſubſtantiæ. Præterea differentiam prędicari per modum accidentis, conſtat, quia habet modum connotatiui, ſignificat enim aliquid de materiali, & aliquid de formali, vt ſunt nomina connotatiua. Rationale ſiquidem ſignificat de materiali animal, & de formali rationalitatem, eſt enim illud animal, quod poteſt vti ratione: at vero omnia, illa, quæ referunt formam nominis connotatiui, prædicantur per modum accidentis.

Argum. 3. Compoſitio ſpeciei ex genere & differentia habet affinitatem, & præ ſe fert quandam ſpeciem compoſitionis rerum, quæ arte conſtant: ſed in iis, quæ arte conſtant, pars, quæ habet locum materiæ, prædicatur in quid de toto compoſito, illa vero, quæ habet locum formæ, prædicatur in quale: vt in cathedra, lignum, quod eſt eius materia, de ipſa prædicatur in quid, figura vero quadrata vel ſphærica prædicatur in quale. Roganti enim, quid eſt cathedra, reſpondemus, eſſe lignum, roganti vero, quale lignum, reſpondemus, eſſe figuratum hac vel illa figura quadrata, vel ſphærica: ergo genus, quod habet locum materiæ, prædicabitur in quid ſecundum modum de ſpecie: differentia vero, quæ habet locum formæ, prędicabitur de ea in quale.

4. Ex his duabus interrogationibus in quid & in quale, interrogatio in quid, prior eſt altera, in quale, ergo illud reſpondendum eſt ad interrogationem effectam per quid, quod eſt prius in ſpecie, ſed genus prius eſt origine in ſpecie, quam differentia, ergo ad interrogationem effectam per quid, reſpondendum erit, genus, & non differentia. Genus igitur tantum erit illud, quod prædicabitur de ſpecie in quid ſecundum rem & modum. *4. Argum.*

Diximus autem in concluſione, diffinitionem prædicari quoque hoc modo, idque non ratione ſui, ſed ratione generis. Quod quidem ita eſſe, confirmari poteſt. Quia quod competit diffinitioni, debet ſibi ratione alicuius partis conuenire, aut ratione vtriuſque partis ſimul ſumptæ, at prædicari in quid de ſpecie, nō competit diffinitioni ratione alterius partis, quæ eſt differentia, cum illa non prædicetur in quid: neque ratione vtriuſque, quia quod competit toti ratione vtriuſque partis, vtrique parti eſt tribuendum, at vero prædicari diffinitionem in quid de ſpecie, non eſt tribuendum vtrique parti, cum non poſſit tribui differentiæ: quare conueniet diffinitioni ratione generis ſolius.

5. Concluſio. Propria ratio prædicationis differentiæ eſt prædicari in quale. Hanc profitentur Porphyr. & Ariſt. in locis traditis in ſecunda concluſ. Verum cum ſint tres propoſitæ ſignificationes qualitatis, differentia in ſola tertia prædicabitur in quale. Nam iuxta primam & ſecundam certum eſt non prædicari. Prima ſiquidem tantum accommodatur categoriæ qualitatis, quæ de ſubſtantia dicitur in quale. Secunda vero, competit omnibus categoriis accidentium, ſub quarum limitibus certum eſt non eſſe differentias ſubſtātiales comprehenſas, quare tantum prædicabitur in quale tertio modo, vt ſcilicet denotat illud, quod ſe habet ad modum actus & formæ. Confirmatur primo. Differentia reſpectu generis limitat, qualificat, & coercet indiffinitam & illimitatam potentiam illius, habebit ſeitaque veluti actus quidam, & qualitas reſpectu generis, ac proinde proprius eius modus erit prædicari in quale. Secundo. Ad interrogationem effectam per quale reſpon. differentiam, ergo illa prædicabitur in quale. Conſequentia nota eſt, confirmatur antecedens. Roganti, quid eſt homo, genus proponimus, nam dicimus, illum eſſe animal. Roganti vero deinde, quale animal ſit homo, tradimus differētiam, *5. Concl.*

reſpon.

reſpon. ſiquidem eſſe particeps rationis, ad interrogationem igitur effectā per quale, proponenda erit differentia. Et certe Ariſt. 5 *lib. Metaph c.28.* apertiſſime hanc aſſertionem profitetur. nam poſtquam dixerat genus eſſe quod in differentibus primū ineſt, & quod prædicatur in quid ſtatim hæc verba addit: *Et cuius qualitates differentiæ nuncupantur.* Quæ verba vt interpretatur Alex. Aphrod indicant propriam rationem differentiæ hanc eſſe, vt illi ſubſit genus, eo modo quo in rebus naturalibus materia ſubeſt formæ, & quia illud cui aliquid ſubeſt, effertur in quale de eo quod ſubeſt, vt eandem cui ſubeſt partes, prædicatur de illo in quale, propterea propria prædicatio differentiæ erit hæc, nimirum prædicari in quale. Et in eodem 5. *lib. Metaph. c.14.* inter ſignificationes quas ibi proponit qualitatis prima eſt, qua ſignificat differentiam ſubſtantialem, ex quibus verbis perſpicue ſatis intelligere poterimus differentiam prædicari in quale.

Lege Iandunum 5. Metaph. qu 22.

4. *Concluſio.* 4. Concl. Differentia non ſolum in quale, verum etiam in quid prædicatur de ſpecie quam conſtituit, vnde integra, & adæquata ratio illius erit prædicari in quale quid. Sciendum eſt enim differentiam duplicem habere habitudinem, vnam ad genus, & alteram ad ſpeciē, ratione primi dicitur qualitas, eo quod limitat, & qualificat potentiam generis: ratione vero ſecundi, ad quidditatem ſpectat, nam differentiæ ſunt de quidditate ſpecierū. Hæc ergo ratio prædicationis differentiæ in quale quid, exprimit hanc duplicem habitudinem. Prima in quale, habitudinē ad genus, ſecunda vero in quid habitudinē ad ſpeciem. Confir. imprimis teſtimonio Porph. *in c. de differ.* vbi inquit propriam rationem differentiæ eſſe prædicari in quale quid: & ex cōmuni conſenſu omnium Dialecticorū. Confirmatur ſecundo, quia differentia & eſt actus generis, & eſt de eſſentia ſpecierum, ſed illud attributum quod habet locū actus, & eſt de eſſentia ſubiecti de quo prædicatur, dicitur in quale quid, in quale ea ratione qua eſt actus, in quid vero ea, qua eſt de eſſentia ſubiecti, ergo differentia prædicabitur in quale quid. Et vltim. Quia prædicari in quale, commune eſt differentiæ cum proprio & communi accidente, vt igitur ab illis ſeparetur, debet addi hæc particula quid, vt ita intelligamus non prædicari in quale accidentarium, eo modo quo proprium & accidens commune, ſed in quale quod ad rei quidditatem, & eſſentiam ſpectat. Legendus eſt D. Th 5. *Metaph lectio.16.*

Obſeru.

Cæterum cum dictum ſit tribus modis vſurpari poſſe hanc vocem quale quid, ſecundo modo erit propriū differentiæ prædicari hac ratione, nam primus modus omnibus entibus eſt communis: tertio vero prædicari in quale quid competit etiam ſecundis ſubſtantiis, generibus, & formis, vt expoſuimus in ſolutione vltimi argumenti quæſt. ſuperioris, quare prædicabitur in quale quid ſecundo modo, quia ſ. habet ſe per modum actus & formæ.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. Ad 1. reſpon omnia illa loca intelligenda eſſe de prædicari in quid ſecundum rem, non autem ſecundum modum.

Ad 2. Ad 2. eodem modo reſp. differentiam prædicari in quid ſecundum rem, & non ſecundum modum: & quamuis diffinitio prædicetur ſecundum rem, & modum in quid de re diffinita, non tamen ſequitur vt omnes illius partes ita prædicentur, nam hoc non competit diffinitioni ratione ſui, ſed ratione alterius partis generis ſcilicet, ac proinde tantum generi & non differentiæ poterit conuenire.

Ad 3. Ad 3 reſp. Genus & ſpeciem poſſe ſumi aut in ratione proprii gradus quem exprimunt, aut in ratione attributi. Primo modo, differentia nobilior eſt quam genus, quia exprimit gradum nobiliorem, exprimit ſiquidem gradum habentem ſe per modum actus & formæ: genus vero gradum habentem ſe ad modum materiæ, & potentiæ, actus vero nobilior multo eſt poteſtate. Secundo vero modo genus nobilior eſt differentia, nam genus eſt attributum in quid, differentia vero in quale, at attributum in quid nobilius eſt attributo in quale. Ad argum. igitur in forma, diſtinguenda eſt aſſumptio, quia vel loquimur de differentia ratione gradus, vel ratione attributionis: primo modo eſt admittenda, neganda tamen eſt conſequentia, quia nobilitas prædicationis non conſequitur nobilitatem gradus, ſed nobilitatem attributi. Secundo vero modo eſt neganda, quia, vt diximus, Genus vt attributum, nobilius eſt differentia.

Ad vlt. Ad vltim. reſpondemus, non ex eo tantum genus prædicari in quid, quia ſpectat ad rei quidditatem, & eſſentiam, ſed quia cum hac ratione prædicatur per modum ſubſtantiæ, & materiæ, vt luculenter ſatis in quæſt. expoſuimus.

QVÆSTIO IV.

An propoſita Generis diffinitio ſit eſſentialis, necne?

1. Argum. Partem aientem in hunc modum demonſtro. Primo. Illa eſt diffinitio eſſentialis, quæ conſtat vero Genere, & legitimis differentiis, ſed diffinitio tradita à Porphyr. eſt huiuſmodi, nam imprimis illa particula, quod dicitur de

multis, habet locum generis, deinde vero conſtat illis duabus particulis, ſpecie differentibus, & in quid, per quas Porphyr. in cap. ſeparat Genus ab aliis vocibus vniuerſis, ergo erit hæc diffinitio eſſentialis.

.Argum. 2. Diffinitio qua vnum relatum diffinitur per alterum, eſt eſſentialis, ſed in hac diffinitione diffinitur genus per ſpeciem, quæ eſt ſuum correlatum, ergo erit eſſentialis.

.Argum. 3. Si hæc diffinitio tradita à Porphyr. non eſſet eſſentialis, fuiſſet ille diminutus in tradenda diffinitione generis, cum tradita diffinitione accidentaria, prætermiſiſſet eſſentialem, quod certe tanto viro non eſt tribuendum, quare erit illa eſſentialis.

.Opin. Propter hęc & alia huiuſmodi argumenta, extitit opinio Scoti *qu. 15. ſuper Porph.* Antonii Andreæ *in caput de Genere*, Ioannis Anglici, & aliorum Scotiſtarum, hanc diffinitionem eſſe eſſentialem, conſtateque vero genere, quod exprimitur per illam particulam quod dicitur de multis, & veris differentiis, quæ exprimuntur per duas alias particulas ſpecie differentibus, & in quid.

:Opin. Eſt tamen ſententia contraria (nimirum eſſe illam deſcriptiuam, & non eſſentialem diffinitionem) communior multo. Quam ſequuntur D. Thom. *opuſc. 48 c. 2.* Ammonius & Boetius *in c. de Genere*, B. Alber. Mag. *tract. 3. cap. 3. ſua Logica*, M. Soto *quaſt. vnica de genere ad finem*, Niger *quaſt. 38. clypei*, Tole. *quaſt. 2.* Villalpandus *qu. 3.* Arcifius, Monraneſius, & multi alii. Quamuis inter hos ſit etiam diſceptatio, num poſſit Genus diffiniri eſſentiali diffinitione, necne? Nam plerique hoc poſſe fieri incunctanter affirmant: At Ammonius, Boetius, Alber. & Villalpan. maxima animi contentione id negant, quorum ſane opinio his tribus argumentis poteſt fulciri.

.Argum. 1. Sub hac prima voce vniuerſa continentur genera ſuprema, ſed genera ſuprema non poſſunt diffiniri eſſentiali diffinitione, ergo genus nulla ratione poterit eſſentiali diffinitione diffiniri.

2. Argum. 2. Quæcunque diffiniuntur eſſentiali diffinitione habent ſupra ſe naturam aliquam genericam, & ſynonymam, per quam poſſint diffiniri: ſed genus non habet ſupra ſe naturam aliquam genericam, per quam poſſit definiri: ergo genus nulla ratione poterit diffiniri eſſentiali diffinitione. Confirmatur aſſumtio. Sub genere continentur genera categoriæ ſubſtantiæ, & genera accidentium: ſed ſubſtantiæ, & accidenti non poteſt dari aliqua natura ſuperior ſynonyma, ergo non poterit ſupra genus dari aliqua natura ſuperior, per quam eſſentialiter diffiniatur.

3. Argum. 3. Argum. eſt Boetii. Solæ ſpecies poſſunt diffiniri eſſentiali diffinitione, genera vero, ea ratione qua ſunt genera, cum ſuper ſe non habeant aliud genus, non poterunt diffiniri eſſentiali diffinitione, ſed genus non eſt ſpecies cum differat ab illa, ergo non poterit diffiniri eſſentiali diffinitione.

Obſeru. Cæterum vt hanc quæſtionem explicemus, erit illud animaduertendum. Prædicari de multis ſpecie differentibus, nulla ratione poſſe eſſe differentiam maxime propriam, & procreatricem generis, ſed eſſe proprietatem quarto modo ab eius eſſentia fluentem: quemadmodum neq; prædicari de multis eſt differentia maxime propria vniuerſi, ſed proprietas quædam ab eius natura dimanans Quod ita eſſe in hunc modũ poſſumus ſuadere. Fieri nulla ratione poteſt, vt ſpecies intelligatur quin prius origine intellecta fuerit differentia maxime propria illius cõſtitutiua, etenim ſpecies ſine ſuis attributis eſſentialibus intelligi nullo modo poteſt (at differentia maxime propria attributum eſt eſſentiale ſpecierum) ſed poteſt intelligi natura generis abſq; eo quod intelligamus illam dici de multis ſpecie differentibus: quam primum ſiquidem intelligimus eſſe ipſam vnam in multis, iam intelligimus totam, & integram ipſius rationem, non igitur hæc poterit eſſe differentia maxime propria. Quare alia differentia erit illi aſſignanda, quæ eſt eſſe in multis ſpecie differentibus, nam hanc diximus eſſe naturam vniuerſi, vnum in multis, vnde & generis quod eſt vniuerſum ſecundum eſſentiam, erit hæc eadem natura, contracta tamen per differentiam, quæ eſt eſſe in multis ſpecie differentibus.

1. Concluſ. Hac igitur re animaduerſa ſit prima concluſio aduerſus Scotum. Definitio propoſita generis non eſt eſſentialis, ſed accidentaria. Confirmatur in primis authoritatibus Porph qui hanc diffinitionem nõ eſſentialem, ſed deſcriptiuam, vel accidentariã vocat. Nam cum in cap. propoſuiſſet tres ſignificationes generis, docuiſſetque de tertia eſſe tantum inſtituendam diſputationem, hæc verba ſubiungit. *Idq; hoc modo deſcribunt quod de multis &c.* Et in poſtremis verbis cap. ita habet. *Nihil igitur redundans, nihil parum explicatum continet qua generis notioni cõſtituta eſt deſcriptio.* Ergo erit diffinitio hæc propoſita accidentaria. Confirmatur ſecundo. Illa diffinitio eſt accidentaria quæ traditur per proprietates rei definitæ, ſed definitio generis traditur per proprietates illius, traditur enim per prędicari de multis ſpecie differentibus, quod eſt

Proprietas generis, nam cum genus ſit vniuerſum. & prædicari de multis ſit proprietas vniuerſi, erit quoque proprietas generis, ergo non erit eſſentialis diffinitio.

2. Concluſio. 2 Concluſ Genus poteſt eſſentiali diffinitione diffiniri. Confirmatur aduerſus Ammonium, Boeti. & Albertum. Omnis ſpecies poteſt eſſentiali diffinitione diffiniri, ſed genus eſt ſpecies vniuerſi, vt conſtat ex quæſt. 2. ſect. 5. de rebus vniuerſis: ergo poterit eſſentiali diffinitione diffiniri. Præterea. Quidquid habet naturam, quę poteſt aliqua oratione declarari, poteſt diffiniri, nam diffinitio eſt oratio quæ rei naturam explicat ambitu quam breuiſſimo, ſed genus habet naturam, quæ poteſt aliqua ratione declarari, vt conſtabit ex ſequenti concluſione. ergo poterit diffinitione aliqua eſſentiali diffiniri.

3. Concluſio. 3. Concl. Hæc oratio vnum in multis ſpecie differentibus in quid, eſt eſſentialis diffinitio generis, exprimens totam illius naturam & eſſentiam, confirmatur. Primo. Quæ eſt natura ſuperiorum, eſt quoq; natura inferiorum, contracta tamen, & limitata per differentias eſſentiales, ſed eſſe vnum in multis eſt natura vniuerſi quod eſt ſuperius eſſentialiter ad genus, ergo hæc natura contracta per has differentias ſpecie differentibus & in quid, erit natura, & eſſentia generis, ac proinde hæc diffinitio, Genus eſt vnum in multis ſpecie differentibus in quid, erit eius diffinitio. Secundo. Illa diffinitio quæ exprimit rei naturam per genus & differentiam, eſt eſſentialis. Atqui hæc eſt huiuſmodi. ergo erit eſſentialis. Confirmatur aſſumtio. Imprimis in hac diffinitione continetur vniuerſum, expreſſum per ſuam diffinitionem, vnum in multis: deinde continetur illa particula ſpecie differentibus, quæ ſeparat eſſentialiter genus ab ſpecie, & à proprio ſpecifico, quæ tantum ſunt in multis numero differentibus, continetur tandem illa particula in quid, per quam ſecundum eſſentiam ſecernitur à differentia, & à communi accidente, quæ prædicantur in quale, ergo propoſita diffinitio conſtat vero genere, & legitimis differentiis.

Ad 1. arg. Ad argumenta. Ad primum reſpon. falſam eſſe aſſumtionem, & ad probationem dicimus primam illam particulam, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus, non eſſe differentiam eſſentialem, ſed proprietatem generis, per quam ſeparat Porphyr. illud ab ſpecie, & à proprio, nam ſæpe res ſeparantur inter ſe per proprietates, vt homo non ſolum ſeparatur à leone, per rationis particeps, ſed etiam per participes riſus, quod eſt proprietas illius, at vero eſſentialis diffinitio debet cōſtare differentia eſſentiali.

Ad 2. reſpon. propoſitionem eſſe veram ſi referatū referatur ad aliud ſecundum eſſentiā, at ſi referatur ſecundum proprietatem eſſe falſam, & ita cum genus in propoſita diffinitione referatur ad ſpeciem ſecundum ſuam proprietatem, non erit illa eſſentialis diffinitio, ſed quæ proponitur à nobis in qua genus ſecundum eſſentiam refertur ad ſpeciem, per hoc quod eſt eſſe in multis ſpecie differentibus. *Ad 2.*

Ad 3 reſpon. Porphyr. iuxta rationem inſtitutionis diſſeruiſſe de his vocibus vniuerſis, & quia ratio inſtitutionis poſtulat, vt tradātur diffinitiones faciliores, quales ſunt accidentariæ, ob hanc cauſam propoſuit accidentarias diffinitiones harum quinque vocum, prætermittens eſſentiales. *Ad 3.*

Præterea ad alia argumenta ſecundæ opinionis quibus conabamur ſuadere genus non poſſe eſſentiali diffinitione diffiniri, ita ſatisfacimus. Ad primum reſpondemus genera ſuprema ſumi poſſe duobus modis, primo vt naturæ quędam ſunt, ſecundo vero vt afficiuntur ſecundis notionibus. Si primo modo conſiderentur genera ſuprema, non diffiniuntur eſſentiali diffinitione, quia ſupra ſe nullum habent genus per quod poſſint diffiniri. Si vero ſumantur ſecundo modo diffiniri poſſunt eſſentiali diffinitione, quia notiones ſecundæ quibus afficiuntur, obtinent ſupra ſe vniuerſum, quod eſt verum genus illatum. *Ad 1. arg.*

Ad 2. reſpon. falſam eſſe aſſumtionem, & ad probationem dicimus ſubſtantiam, & accidentia ſumi poſſe vel in propriis naturis, vel vt denominantur genera, aut ſpecies. Si primo modo ſumantur, non habent ſupra ſe naturam aliquam ſynonymam, per quam poſſint diffiniri, ſi vero vſurpentur ſecundo modo, ſupra ſe habent vniuerſum, per quod poſſint tanquam per verum genus diffiniri. *Ad 2.*

Ad 3. reſpon diſtinguentes aſſumtionem, genus enim poteſt comparari vel cum natura quā denominat, vt cum natura animalis, vel arboris, vel cum vniuerſo cui ſecundum eſſentiā ſubeſt. Si primo modo ſumatur, non habet ſupra ſe genus, neque eſt ſpecies, ſi vero ſumatur ſecundo modo habet ſupra ſe vniuerſum tanquam genus, & eſt vera ſpecies vniuerſi, per quod poterit eſſentiali diffinitione diffiniri. *Ad 3.*

QVÆSTIO V.

Quid habeat locum generis in diffinitione generis.

NOn ſatis conſtat inter Dialecticos de genere huius diffinitionis, ſitne illud vniuerſum,

ſum, vel prædicabile, vel natura quæ afficitur notione ſecunda generis. Primoq; non eſſe vniuerſum confirmatur.

Argum. Quia per primam particulam quod dicitur de multis iam intelligimus vniuerſum, nam vniuerſum ita fuit ab Ariſt. diſfinitum *cap. 5. lib. 1. de interpretatione*, ergo non debet hæc diffinitio tradi per vniuerſum ita vt dicamus, genus eſt vniuerſum quod dicitur de multis &c. alioquin enim committeremus manifeſtam, & apertam negationem, nam bis idem, & in eadem diffinitione repeteremus.

Argum. 2. Diffinitum, & diffinitio poſſunt abſque vitio in aliqua diffinitione ſimul proponi: ſed ſi vniuerſum eſſet genus, diffinitum, & diffinitio, ſimul in eadem diffinitione proponerentur, nam ſi ita diffinimus genus, vniuerſum quod dicitur de multis &c. In hac diffinitione proponimus diffinitionem vniuerſi, quæ eſt dici de multis, proponimus etiam ipſum vniuerſum, quod eſt diffinitum in prima particula quando dicimus genus eſt vniuerſum, ergo vniuerſum non poterit habere locum generis in hac diffinitione.

Argum. 3. Quia ſi vniuerſum eſſet genus in hac diſfinitione, fieret vt idem per duas particulas eiuſdem diffinitionis, ſepararetur à re diffinita, quod certe dici nullo modo poteſt, cum ſufficiat vna differentia ad ſeparandum diffinitum vna & eadem ratione à quolibet alio. Quod vero ſequatur ita confirmo. Indiuiduum ſeparatur à genere (quod eſt definitum) per illam particulam quod dicitur de multis, nam indiuiduum de vno ſolo dicitur, & ſi vniuerſum contineretur tanquam genus in hac diffinitione, ſepararetur quoque genus ab indiuiduo per hanc particulam vniuerſum. Etenim indiuiduum non eſt vniuerſum, & genus non eſt indiuiduum, quia illud eſt vniuerſum, iam igitur ſi vniuerſum eſſet genus diffinitum per duas particulas eiuſdem diffinitionis ſepararetur ab indiuiduo.

Argum. 4. Confirmatur naturam quæ prædicatur in hac diffinitione poni loco generis, & non vniuerſum. In diffinitionibus accidentium in concreto, ſubiectum ponitur loco generis, vt author eſt D. Tho. c. 7. de ente, quemadmodum quando diffinimus ſimum diffinimus illud, naſum curuum, in qua diffinitione naſus qui eſt ſubiectum ſimitatis, habet locum generis: ſed in hac diffinitione diffinitur notio generis in concreto, nam diffinitur genus quod eſt concretum genereitatis, ergo in illa, natura quæ prædicatur habebit locum generis.

Opin. De hac quæſt. eſt prima ſententia in hac diffinitione, naturam quæ prædicatur de multis differentibus ſpecie habere locum generis, quæ certe confirmatur argumento vltimo, quo multi & grauiſſimi viri ex recentioribus conuicti illam mordicus ſibi defendendam ſuſceperunt, illam olim ſecutus fuit Paulus Venetus *in cap. de genere* explicans illius diffinitionem: & eandem amplexus eſt Philoſophus clariſſimus Iauellus in cap. de genere.

2. Opin. Secunda eſt prædicabile in communi, vel (quod idem eſt) poſſe dici de multis habere locum generis. Hæc ſententia placuit Auicennæ *cap. 6 ſua Logica*, Caieta. *in ca. de genere*. Toleto *q. 3.* Villalp. *q. 3.* & multis aliis.

3. Opin. Tertia eſt quæ tenetur vniuerſum eſſe, quod habet locum generis in propoſita diffinitione. Hanc docens M. Soto *quaſt. vnica de genere ad 5. & in cap. de proprio*, Louanien. *in cap. de genere, & de proprio*. Titelmannus *tractat. de prædicabilibus cap. 7.* Mercado *in c. de proprio, folio 24.* & Scotus ſi attente legatur idem aſſerit *quaſt. 15.* Sunt qui vtrunque & vniuerſum, & prædicabile putant poſſe habere locum generis, parumque referre ſiue hoc, ſiue illud primum fuerit genus conſtitutum. Ita Niger *q. 39.* & Arciſius in explicatione huius diffinitionis.

1. Obſeru. Nos vero vt quæſt. explicemus animaduertimus primo genus poſſe diffiniri aut in concreto quando nomine generis diffinitur quod nomen eſt concretum: aut in abſtracto, vt ſi genereitatem diffinitemus, quæ eſt forma abſtracta illius. Si primo modo diffiniatur, debet per ſubiectum tanquam per genus diffiniri, eo modo quo alia accidentia rei diffiniuntur per ſubiectum quod habeat locum generis, vt quando ſimitatem diffinimus in concreto, diffinimus illam per naſum qui eſt ſubiectum, & qui habet locum generis, nam ita dicimus: Simum, eſt naſus curuus. Si vero diffiniatur in abſtracto debet per proprium genus diffiniri, quemadmodum in eiſdem accidentibus rei, ſi diffiniantur in abſtracto, deffiniri debent per proprium eorum genus, nam quando diffinimus ſimitatem, dicimus eſſe curuitatem naſi, in qua diffinitione curuitas, quæ eſt verum genus, habet locum generis. Et quia genus notionis generis, eſt notio vniuerſi, hac ratione per notionem vniuerſi debet diffiniri eo modo quo in 3. concluſi. diſfinietur.

2. Obſeru. Sciendum eſt etiam ex Ariſt. *in Topicis 2. lib.* In omni definitione licitum eſſe loco diffiniti collocare diffinitionem illius, nam licitum eſt loco animalis in diffinitione hominis collocare illius diffinitionem, quæ eſt ſubſtantia corporea, animata, ſentiens, & ita hominem diffinire. Subſtantia corporea animata ſentiens parti-

ceps

ceps rationis. Quare licitum fuit Porph. loco vniuerſi, quod eſt genus, collocare illius diffinitionem, quę eſt, quod dicitur de multis. Vnde hæc prima particula in propoſita diffinitione eſt, quæ habet locum generis, denique valet, quod vniuerſum; ac ſi ita diceremus, genus eſt vniuerſum de multis ſpecieb. differentibus in quid. Quare ſi illa particula, quod dicitur de multis propoſita fuerit in diffinitione nõ debet in eadem collocari vniuerſum, ſuperflue enim collocaretur. Si vero non fuerit propoſita, collocari debet vniuerſum abſque illa particula, & ita eſt diffiniendum, vt propoſuimus.

1. concluſ. 1. concluſ. Prædicabile non poteſt habere locum generis in propoſita diffinitione. Cõfirmatur aduerſus Auicennam, & alios in ſecunda opinione recenſitos. Primo: Vel hæc diffinitio eſt eſſentialis, vel accidentaria, ſed quodcunque admiſſum fuerit, nõ poteſt prædicabile habere locũ generis, ergo nullo modo erit, neque habebit locum illius. Confirmatur aſſumptio. Diffinitio eſſentialis conſtare debet vero genere, aut eo quod vicem generis locum habeat, & legitimis differentiis; accidentaria vero genere, aut eo, quod habeat locum generis, & proprietatibus, vel accidentium collectione; ſed prædicabile neq; eſt genus, neque habet locum illius, genus etenim, vel habens locum illius, eſt de eſſentia rei diffinitæ: at prędicabile non eſt de eſſentia generis, cum ſit illius proprietas, vt omnes dicunt, quare in propoſita diffinitione locum generis habere non poterit. Secundo; Vtor argumento quo hi auctores vtuntur aduerſus eos, qui dicunt vniuerſum non eſſe genus. Quia inquiunt fieret, vt diffinitio, & diffinitum intra eandem diffinitionem collocarentur, vt oſtendebamus in 2. arg. huius quæſt. at hæc ratio fortior multo eſt aduerſus illos, ſequitur enim apertius multo, ſi prędicabile eſſet, vel haberet locum generis, vt diffinitio, & diffinitum intra eandem diffinitionem collocarentur, ita enim eſſet genus diffiniẽdum, prędicabile quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quid, in qua collocatur dici de multis poteſt, te, vel natum eſſe dici de multis, quod eſt diffinitio prædicabilis, & collocatur idem prædicabile, quod eſt diffinitum, igitur ſi prędicabile eſſet genus intra eandem diffinitionem diffinitio, & diffinitum collocarentur.

2. concl. 2. concl. Si genus fuerit diffinitum in concreto, & hæc diffinitio tradita, de genere in concreto fuerit intelligenda, debet per ſubiectum, & naturam, quæ de multis dicitur diffiniri, & in propoſita diffinitione huiuſmodi natura, quę exprimitur per illam particulam, quod dicitur de multis, habebit locum generis. Hanc cum Iauello, Venero, & pleriſque ex recentioribus profitemur, & certe argum 4. effectum ita meo iudicio vrget, vt de hac tõ... ſic ne ullã poſſe ſuboriri apud viros peritos dubitationem, exiſtimem. Et ſiquidem natura accidentium rationis, ex natura accidentium rei inueſtiganda, vt docuimus *ſect. 4. de reb. vniuerſ quæſt. 7. & 8.* At in accidentibus rei quando illa diffiniuntur in concreto, ſubiectum habet locum generis, vt quando diffinimus ſimum, naſum curuum, naſus qui eſt ſubiectum habet locum generis, ergo in acci dentibus rationis (vt eſt genus) quando illa diffinita fuerint in concreto, ſubiectum habebit quoque locum generis. Quare ſubiectum, id eſt quod afficitur notione generis, vel natura denominata genus, habebit locum generis in propoſita diffinitione. Quod ſi quis inquirat quænam ſit hæc natura, quæ habet locum generis, num natura, quæ ſit ens rei, vel natura, quæ ſit ens rationis, nam in vtroque genere entis, dantur genera, & vtraque natura poteſt affici notione generis? Reſpon. Per contra. eſſe naturam in generali, & quæ eſt communis ad ens rei, & rationis, communis inquam, Reſpon. non communitate ſynonymiæ, aut vniuocationis, quia ente rei, & rationis nihil poteſt eſſe ita commune ſed communitate ſecundum analogiam, & proportionem, quæ certe communitas ſufficit, vt talis natura in diffinitionibus locum generis poſſit obtinere.

Quod ſi dicas genus debet eſſe natura ſynonyma, vt diximus *ſect. 8. de reb. vniu. quæſt. 1.* ergo illud, quod eſt commune tantum ſecundum analogiam non poterit in diffinitione habere locum generis. Reſp. negando conſeq. quia aliud eſt eſſe genus, & aliud habere locum illius. Genus quidem debet eſſe natura ſinonyma, at quod habet locum illius nõ debet eſſe, ſed ſatis fuerit, vt ſit de eſſentia multorum, quę ſpecie differunt, eo modo quo genus. Nam animam diffinit Ariſt. 2. *de anima c. 1.* actum corporis organici potentia vitam habentis, in qua diffinitione, actus habet locum generis, qui nõ eſt natura ſynonyma ſed analoga. Quamuis igitur natura, quæ affici poteſt notione generis in communi ſit analoga, recte poterit in propoſita diffinitione locum generis obtinere. Obiectio. Solutio.

3. concluſ. Si genus diffinitum fuerit in abſtracto, fueritq; propoſita diffinitio de ipſo in

abſtracto intelligenda. nimirum de genericitate, debet per vniuerſum, quod eſt verum genus illius diffiniri. Itaque in hunc modum erit diffiniẽdum. Genereitas eſt notio vniuerſi illius quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quid. Et hac ratione intelligẽdi ſunt auctores, quos in tertia opinione propoſuimus, quorum ſane opinio eſt veriſſima & cõfirmari poteſt. Quia quando accidentia definiuntur in abſtracto per proprium, & legitimum genus debent definiri, vt docent Ariſt. *7. Metaph. c. 5.* & D. Thom. *c. 7 de ente.* Diffinimus enim ſimitatem curuitatem naſi, in qua diffinitione curuitas, quæ eſt verum genus, habet locum illius: ergo quando diffiniemus genus in abſtracto per verum & legitimũ genus, quod eſt vniuerſum erit diffiniendum. Secundo; Quia in habentibus verum genus, diffinitio per illud eſt tradenda: at genus ſupra ſe continet verum genus, quod eſt vniuerſum: ergo genus ita ſumptum per vniuerſum erit definiendum.

Conſectariũ. Vnde colligimus in definitione generis propoſita à Porph. particulam illam, quod dicitur de multis, habere locum vniuerſi, eſt enim illa definitio vniuerſi. at in definitionib. licitum eſt loco definiti collocare illius definitionem. Neque putandum eſt præter illam particulam proponendum eſſe vniuerſum, ita vt dicamus, genus eſt vniuerſum, quod dicitur de multis, &c. vt aduerſarii intelligũt, hoc enim ineptum eſſet, ſed tota hæc particula ſumi debet pro vniuerſo, ita vt ſi non collocetur vniuerſum ipſa locum teneat illius, & ſi propoſitum fuerit, debeat quoque à diffinitione deleri. Quare ſi volumus vniuerſum per genus expreſſe definire, hac particula ſublata erit ita definiendum. Vniuerſum de multis ſpecie differentibus.

1. arg. Ex his non eſt difficile diſſoluere argumẽta propoſita. Ad 1. dicimus vniuerſum habere locum generis, quod in hac diffinitione per ſuam diffinitionem continetur, nam licitum eſt in diffinitione loco definiti collocare diffinitionem: vnde illud non debet proponi in definitione, ſi illa particula proponitur, quod dicitur de multis. Si tamen non fuerit propoſita, debet expreſſe vniuerſum in diffinitione collocari, vt nuper dicebamus.

Ad 2. Ad 2. iam diximus non poſſe ſimul vtrumque, & vniuerſum, & particulam illam in diffinitione contineri, ſed ſi vnum fuerit contrarium, debere alterum auferri neceſſario. Quare non continebuntur diffinitum, & diffinitio ſimul, intra eandem diffinitionem.

Ad 3. reſp. falſam eſſe propoſitionem, nam per illam particulam, quod dicitur de multis quæ habet locum generis ſeparatur genus ab indiuiduis, neque ſeparatur expreſſe ab indiuiduis per vniuerſum, quia illud non collocatur expreſſe vt diximus ſæpe, ſi hæc particula in definitione fuerit retenta. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. illud nihil contra nos colligere, ſed confirmare ea, quæ in 2. conol. à nobis dicta fuerunt. *Ad 4.*

QVÆSTIO VI.

An diffinitum in hac diffinitione generis ſit ſecunda notio necne?

IN ſuperioribus quæſtionibus legimus de hac diffinitione ſitne illa optima, num ſit deſcriptiua, & quid in ea obtineat locum generis, conſequens eſt vt de illius diffinito diſputemus, an ſcilicet ſit notio ſecunda, vel natura illi ſubiecta necne? Et quidem eſſe naturam, & non notionem, his argumentis poſſumus ſuadere..

1. Porph. *in hoc c.* & Ariſt. *1. Top. c. 4.* poſt traditam diffinitionẽ generis ſtatim ſubiungunt exemplum de animali, ſed animal non eſt ſecunda notio, ſed natura ſubiecta notioni, ergo diffinitum huius diffinitionis erit natura ſubiecta notioni. *1. Argum.*

2. Illud diffinitur in hac diffinitione, quod prædicatur de multis ſpecie differẽtib. at notio nõ prędicatur de multis, ſed natura, neque enim dicimus notionem generis prædicari de homine, vel equo, ſed naturam animalis, ergo diffinitum huius diffinitionis nõ erit notio, ſed natura. Et cõfirmatur. Illud eſt diffinitũ in qualibet diffinitione, de quo prædicatur diffinitio, vt perſcribũt leges optimæ diffinitionis, & accuratæ, ſed defin. generis nõ prædicatur de notione, nam notio non prædicatur de multis ſpecie differentibus, ſed natura illi ſubiecta vt natura animalis, ergo notio non erit diffinitum huius diffinitionis. *2. argum.*

3. Diffinitũ debet habere partes, quæ correſpondeant partibus, quarum vna habeat locum generis, & materiæ, altera vero locum formæ, ergo & diffinitum quoq; debet conſtare eiſdem partib. ſed pars quæ habet locum materię ipſa eſt natura, quę habet locum formę notio, ergo diffinitum huius diffinitionis erit natura ſubiecta notioni. *3. Argum.*

4. Modus diffiniendi conſequitur modum conſiderandi, ſed dialecticus conſiderat naturas ſubiectas ſecundis notionibus, ergo definit naturas ſubiectas ſecundis notionibus. *4. Argum.*

5. Illud

5. Argum. 5. Illud prædicatur de multis ſpecie differentibus, quod eſt in illis, nam prædicari in eſſe fundatur, ſed notio generica non eſt in multis ſpecie differentibus, vt notio generica animalis, non eſt in homine, equo, & boue, nam ſi eſſet, homo, & alia propoſita vocarentur genera, ergo non prædicabitur notio generica formaliter de multis ſpecie differentibus.

6. Argum. 6. Si ipſa ſecunda notio eſſet diffinitum huius diffinitionis vel eſſet vt ſumitur in concreto, vel vt vſurpatur in abſtracto, at ex his vtrumque eſt falſum, ergo diffinitum non erit notio ſecunda. Confirmatur aſſumpt. inprimiſque diffinitum non eſſe notionem ſecundam vt ſignificatur in abſtracto conſtat, quia dialecticus non agit de notionibus ſecundis niſi vt denominant primas, vel vt inquit Auicenna vt explicantur primis, hoc autem formis abſtractis conuenire nullo modo poteſt. Deinde neque poſſe eſſe diffinitum vt ſignificatur in concreto patet, eo quod ita notio ſecunda eſt ens per accidens, nam ſignificat aggregatum ex ſubiecto, & notione, at diffinitū non poteſt eſſe ens per accidens, quia eſt vnū per ſe, quare diffinitum non erit notio ſecunda.

1. Opinio. In hac quæſtione prætermiſſa Nominaliū opinione, (qui exiſtimant diffinitum huius diffinitionis eſſe, hanc vocem genus) tanquā ab omnibus ſcholis merito reiecta. Prima opinio eſt, quam ſequitur Chryſoſtomus Iauellus *in ſua dialectica, in cap. de genere*, Toler. q. 1. *huius cap.* Montaneſius in *Commentariis in hoc idem cap.* Soncinas *in ſua Dialectica*, vt idem Montan. refert, & plerique recentiores in manuſcriptis commentariis huius loci, & quam Martinus Aiala D. Tho. & Thomiſtis tribuit, naturam ſubiectam notioni eſſe diffinitum, quod in hac diffinitione diffinitur, & non notionem ſecundam.

2. Opinio. Secunda eſt, quam ſequūtur grauiſſimi viri, diffinitum eſſe notionem ſecundam generis, quam ſequuntur Caiet. *in commentariis huius cap. & 4. c. de ente & eſſent.* M. Sotus q. *vnica de genere*, Niger q. 38. *dypti.* Mercado q. *vnica*, Scot. q. 14. Arboreus, & Daniel Barbarus, Villalpan. *q. 1. ad vlt. arg.* Arciſius q. *vnica huius ca.* & innumeri alii, qui omnes in eo conueniunt diffinitum, quod ſignificatur per diffinitionem eſſe notionem ſecundam, licet de diffinito pro quo ſupponit diffinitio, vel de quo vere illa affirmatur, ſit adhuc diſſenſio inter Caiet. & M. Sotum; quia Sotus putat diffinitum eſſe ſolam naturam, quæ ſubeſt notioni, Caieta. vero arbitratur diffinitum eſſe & naturam, & notionem, diuerſa tamen ratione. Nam cum duobus modis aliquid de aliquo prædicetur vel formaliter & eſſentialiter, vel denominatiue, natura erit diffinitum huius diffinitionis denominatiuum, vel quæ prædicatur de multis ſpecie differentibus denominatiue, notio vero erit diffinitum eſſe tale, vel formale, vel quod prædicatur de multis ſpecie differentibus formaliter, & eſſentialiter.

Verum vt quæſtionem explicemus adnotamus primo, genus quod definitur eſt in concreto, duo denotare, vnum tanquam materiam, & alterum tanquam formam, nam habet ſe ad modum accidentium rei, in quibus (in concreto ſumptis) datur aliquid tanquam materia, & aliquid tanquam forma, vt album tanquam materiam ſignificat corpus, tanquam formam vero albedinem. Ita & genus tanquam materiam ſignificabit naturam quæ poteſt dici de multis ſpecie differentibus, tanquam formam vero genereitatem, quæ eſt ratio formalis, ob quam natura dicatur de multis. 1. obſeruati

Iterum ſciendum eſt in diffinitionibus accidentium rei aliud eſſe illud quod ſignificatur per diffinitionem, & aliud pro quo ſumitur diffinitio, vel aliud eſſe ſignificatum diffinitionis, & aliud in quo exercentur partes in diffinitione comprehenſæ, vt quando candidum diffinimus corpus diſgregans viſum, diffinitum quod ſignificatur per hāc diffinitionem eſt candor, diffinitum vero pro quo ſumitur diffinitio, vel in quo exercetur diſgregare viſum, eſt corpus affectum candore. Et idem iudicium eſt in omnibus aliis accidentibus in concreto. Pari ratione in hac diffinitione generis aliud erit diffinitum, quod ſignificabitur per illam, & aliud diffinitum pro quo ipſa ſumitur, vel in quo exercetur dici de multis ſpecie differentibus. 2. Obſeru.

Illud etiam obſeruandum erit cum Caie. in locis ſupra indicatis duob. modis aliquid de aliquo prædicari, formaliter vel eſſentialiter, & denominatiue. Illa prædicantur eſſentialiter, quorum eſſentia eſt prædicari, illa vero prædicantur denominatiue, quæ afficiuntur aliqua forma cui ſecundum eſſentiam competit prædicari, quemadmodum in accidentibus rei, vt in albedine, verbi gratia, aliud eſt diſgregare viſum eſſentialiter, & aliud denominatiue, diſgregare eſſentialiter competit ipſi albedini, cuius hæc eſt ſola eſſentia & natura, diſgregare vero denominatiue cō- 3. Obſeru.

Digitized by Google

petit par eti, vel ꝰgno, qui afficiuntur cando re. Igitur prædicari eſſentialiter, tantum po teſt conuenire notiori ſecundæ, quæ præter hanc nullam aliam habet naturam, prædicari vero denominatiue conuenit animali vel arbori, quæ afficiuntur notione ſecunda.

1. concluſ. His animaduerſis ſit 1. cócl. diffinitum hu ius d ffinitionis, neque eſt natura, nude ſumpta, neque aggregatum ex natura & notione. Hanc profitemur cum Caietano. Primoque non eſſe naturam nude ſumptam confirm. Quia natura ita ſumpta, non continetur ſub obiecto dialecticæ, at diffinitiones dialecticæ ſtatum ſignificant illud, quod ſub obiecto illius comprehenditur. Tum etiam, quia diffinitum eſt illud, quod prædicatur, natura vero nude ſumpta nullo modo prædicatur. Præterea neque eſſe diffinitum aggregatum ex natura, & notione confirmatur. Quia huiuſmodi aggregatum eſt ens per accidens, nam cóflatur ex rebus diuerſarum categoriarum, ſcilicet ex natura & notione, quæ eſt ens rationis, at diffinitum in quauis diffinitione eſt ens per ſe, quare aggregatum ex natura, & notione non erit diffinitum.

2. concl. 2. concl. Diffinitum quod ſignificatur per hanc diffinitionem eſt notio ſecunda generis, & non natura ſubiecta notioni, confirmatur his argumentis. Primum; In diffinitionibus accidentium diffinitum, quod ſignifica ur eſt forma accidentaria, vt in hac diffinitione album eſt corpus diſgregans viſum, ſignificatú illius eſt albedo, nam album qualitatem ſignificat ex Ariſt. *in cap. de ſubſtan.* ſed diffinitio generis eſt diffinitio accidentis ſumpti in cócreto, nam eſt genus, eſt quoddam accidens rationis, ergo diffinitum huius diffinitionis erit forma generica, ſed notio ſecunda eſt forma generica, ergo diffinitum huius diffinitionis erit notio ſecunda. Secundum; illud eſt d ffinitum huius diffinitionis, quod commune eſt omnibus generibus ſupremis, nam ſub hac prima voce prædicabili omnia genera ſuprema continentur. ſed ge neribus ſupremis præter notionem nihil poteſt eſſe commune ſynonyme, ergo quod in hac diffinitione diffinitur eſt ſecunda notio. Iterum; illud eſt d ffinitum huius diffinitionis, quod refertur ad ſpeciem, vt aperte indicat Porphyr. *in cap de ſpecie*, ſed quod refertur ad ſpeciem non eſt natura, ſed notio ſecunda, ergo diffinitum erit notio ſecunda. Præterea diffinitiones dialecticæ ſignificare debent illud quod continetur ſecundum eſſentiam ſub obiecto formali illius, ſed notio ſola eſt, quæ continetur ſecundum eſſentiam ſub obiecto dialecticæ, nam illa eſt ſecundum eſſentiam ens rationis, quod eſſe obiectum illius iam ſupra docuimus, ergo, &c. Et hanc aſſertionem indicare videntur verba illa Porphyr. in calce capitis, quæ iuxta interpretationem Petionii ita loquitur: *Nihil igitur reddidans nihil parum explicatum continet, qua generis notio ni conſtituta eſt deſcriptio.* In quibus verbis non obſcure profitetur in hac d ffinitione diffinitam eſſe notionem. Quod ſi quis contendat nomine notionis Porphyr. non id quod nos intelligimus, ſed ipſam conceptionem mentis intellexiſſe Hoc certe alienum eſſe à mente, & inſtituto Porphyr. in hunc modum conſtabit. Cum conceptio duplex ſit, vna ſubiectiua, quæ denotat actionem intellectus, & altera obiectiua, quæ ſignificat illud, quod per hanc actionem repræſentatur. Non intellexiſſe Porphyr. nomine notionis, notionem ſubiectiuam colligi poterit, quia Porph. non tradidit diffinitionem actionis noſtræ mentis, neque de actionibus agit. Quare hoc nomine intellexit notionem obiectiuam, quam nos notionem ſecúdam generis appellamus.

3. concl. 3. concl. Diffinitú pro quo ſumitur diffinitio, vel in quo exercetur materialiter, & denominatiue præd. cari de multis ſpecie differentibus, tanquam id quod prædicatur, eſt natura ſubiecta notioni. Confirm. Primo, quia id quod prędicatur de homine, & equo, qui ſpecie differunt, eſt animal, & non notio generica, & ita Porphy. poſt traditam diffinitionem generis illico ſubiungit exemplum de animali, eo quod illud ſit d ffinitum, in quo exercetur ratio prædicationis de multis ſpecie differentibus. Secundo; In accidentibus rei illud pro quo ſumitur ratio ſignificata per d ffinitioné, vel in quo exercetur diffinitio, eſt ſubiectum denominatum, vt diſgregare viſum, quod ſignificatur per diffinitionem candoris, exercetur in corpore, quod afficitur candore. Igitur cum ſit eadem fere ratio in accidentib. rationis (inter quæ continetur notio generis) diffinitum in quo exercebitur prædicari de multis, erit natura ſubiecta notioni, & non ſola notio.

4. concl. 4. concl. Diffinitum pro quo ſumitur diffinitio, vel quod exercet formaliter, & eſſentialiter actum prædicádi de multis ſpecie differentibus, táquam id quod eſſentialiter prædicatur, eſt notio ſecunda generis Hanc profitemur cum Caietano, quam eſſe veriſſimam ita confirmo. Illud exercet eſſentialiter actum prędicandi de multis ſpecie differentib.

cui eſt eſſentiale prædicari, ſed ſoli notioni eſt eſſentiale prædicari, ergo ſola notio erit diffinitum eſſentiale huius generis. Confirmatur aſſumptio (nam propoſitio ſatis eſt perſpicua.) Prædicari de multis ſpecie differentibus alicui competit ſecundum eſſentiam: atqui hoc non competit naturæ, vt animali, v.gr. quia illi non eſt eſſentiale dici de multis ſpecie differentibus, ſed accidit iuxta ſtatum, quem habet in intellectu, eſſentia ſiquidem ipſius eſt eſſe ſubſtantiam corpoream animatam, ſentientem: ergo conueniet notioni ſecundæ generis, nam nulli alteri videtur poſſe conuenire.

Obiect. 1. Obiiciet tamen aliquis: Illud prædicatur ſecundum eſſentiam de ſpecie, quod eſt de eſſentia ſpeciei: ſed notio non eſt de eſſentia ſpeciei: ergo non prædicabitur eſſentialiter de illa, ac proinde exercitium prædicationis de multis ſpecie differentibus, non conueniet eſſentialiter notioni.

Obiect. 2. Addo, prædicari eſſe actionem quandam, at actiones, vt eius, cuius tanquam ſuppoſiti, non ſunt accidentium (vt eſt notio ſecunda) quare illi non conueniet ſecundum eſſentiam prædicari.

Solut. 1. Ad primam obiectionem dicimus, latum eſſe diſcrimen inter prædicari eſſentialiter, & eſſe de eſſentia alicuius, nam prædicari eſſentialiter, nihil aliud eſt, quam habere naturam in prædicatione conſtitutam, eſſe vero de eſſentia, eſt eſſe incluſum in intimis attributis rei, vel eſſe illud, quod exprimitur per eſſentialem diffinitionem rei diffinitę: & quia notio ſola eſt, quæ habet eſſentiam in prædicatione conſtitutam, naturæ vero hoc non competit, ſed eſt illud, quod exprimitur per eſſentialem definitioně ſpeciei propterea notioni competet eſſentialiter dici, naturæ vero non conueniet. Vnde neganda eſt propoſitio. falſum ſiquidem eſt, illud prædicari eſſentialiter, quod eſt de eſſentia ſpeciei, ſed illud, cui eſt eſſentiale prædicari, quamuis non ſit de eſſentia ſpeciei.

Solut. 2. Ad 2. reſpond. Quod quando dicimus, actiones eſſe ſuppoſitorum, vel ſubſtantiarum, intelligi debet denominatiue, vel materialiter, nam eſſent alter etiam ſunt formarum, imo tantum ſunt illarum, quod intelligi debet de formis in concreto, vel applicatis ſubiecto. Itaq; prædicari denominatiue, vt quod tantum conueniet naturis, quæ habent ſe ad modum ſuppoſitorum: prædicari vero eſſentialiter, vt quod conueniet ſecundæ notioni in concreto ſignificatæ, vel vt applicatur naturis, quemadmodum diſgregare viſum, vt quod denominatiue, & materialiter competit corpori, diſgregare vero vt quo eſſentialiter competit albedini, vt applicatur corpori, vel in concreto ſumptæ.

Conſectarium. Vnde colligo (quod memorię maxime commendari cupio) notionem ſecundam generis, eſſe id quo, & id quod prædicatur, diuerſa tamen ratione, nam eſt illud, quo aliquid prædicatur denominatiue, eſt tamen illud, quod eſſentialiter prædicatur, quæ certe duo inter ſe nullo modo pugnant, quemadmodum neque in albedine pugnant hæc duo, eſſe id, quo paries denominatiue diſgregat viſum, & eſſe id, quod eſſentialiter diſgregat viſum. Quod ſi quis dicat albedinem non eſſe illud, quod diſgregat viſum etiam eſſentialiter, ſed tantum eſſe id quo corpus hoc pręſtat. Profecto quam aberret hic à veritate, cõſpiciet quiſque apertiſſime, qui intelligat hanc eſſentiam, quæ eſt diſgregare viſum, alicui conuenire eſſentialiter, vt quod, illud autem nõ eſt ſubiectum, cui hoc conuenit accidentario, quare neceſſario debet eſſe ipſa albedo: & eadem ratione prædicari de multis eſſentialiter, debet alicui, vt quod conuenire, hoc autem non eſt natura ſubiecta notioni (vt natura animalis) cum ita prædicari illi conueniat accidẽtario, vnde debet eſſe ipſamet ſecunda notio. Quare errant, vel ſaltem non ex omni parte veritatem aſſequuntur, qui dicunt, diffinitum huius diffinitionis, tanquam quod dicitur, eſſe naturam ſubiectam notioni, diffinitum vero quo mediante dicitur, eſſe notionem ſecundam: nam ſi loquamur de prædicatione denominatiua, vel accidentaria, verum eſt, notionem eſſe id quo, & naturam illi ſubiectam eſſe id quod dicitur. Si tamen agamus de pręddicatione eſſentiali, notio non eſt id quo, ſed id quod dicitur, imo ſola illa eſt, quæ dici poteſt eſſentialiter, tanquam id quod.

Ad 1. arg. Ad argum. igitur. Ad primum reſpond. propterea Ariſt. & Porphyr. poſt traditam diffinitionem tradidiſſe exemplum de animali, quia ſumitur diffinitio generis pro illo, vel quia prædicari de multis ſpecie differentibus exercetur in animali denominatiue, & in qualibet alia natura ſubiecta notioni.

Ad 2. Ad 2. reſpond. diſtinguendam eſſe aſſumptionem, de prædicatione eſſentiali, vel denominatiua: ſi de prima loquamur, falſum eſt notionem non prædicari de multis ſpecie differentibus: ſi vero agamus de denominatiua, admittenda eſt aſſumptio, neganda tamen eſt conſequentia, quia diffinitum huius diffini-

Digitized by Google

tionis, non tantum eſt illud, quod prædicatur denominatiue, verum etiam illud, quod prædicatur eſſentialiter. Et eodem modo ſatisfacimus confirmationi, dicimus enim, hanc diffinitionem denominatiue tantum conuenire naturis ſubiectis notioni, eſſentialiter vero de ipſa ſecunda notione dici. Vel reſpond. poſſumus hoc arg. ſi quid concludit, tantum concludere de diffinito, pro quo ſumitur diffinitio, non autem de illo, quod ſignificatur per ipſam, nam diffinitum, quod ſignificatur, non eſt id, quod prædicatur (intelligendum eſt denominatiue) ſed illud, cuius natura per diffinitionem declaratur.

Ad 3. Ad 3. reſp. verum eſſe, diffinitum huius diffinitionis conſtare duabus partibus, quarum vna habest locum materiæ, altera vero locum formæ, hoc enim certiſſimum eſt, verum hæ partes non ſunt natura ſubiecta notioni, quæ correſpondest materię, & notio ſecunda, quę correſpōdest formæ, ſed genus diffiniti, quod eſt vniuerſum, eſt pars, quæ habet locum materiæ: differentiæ vero, quæ ſunt dici de multis ſpecie differentibus, & in quid, ſunt partes, quæ habent locum formæ. Quemadmodum in quauis alia compoſitione metaphyſ. genus totius compoſiti habet locum materię, differentia vero locum formæ.

Ad 4. Ad 4. reſp. negandam eſſe aſſumptionem, quia Dialecticus non contemplatur naturas ſubiectas notionibus, hoc enim contemplantur alii artifices, ſed tantum contemplatur notiones ſecundas, vt denominant primas.

Ad 5. Ad 5. reſpond. veram eſſe propoſitionem de illo, quod prædicatur denominatiue, nam debet illud eſſe in his, de quibus prædicatur, vt animal eſt in homine, falſam autem de illo, quod prædicatur eſſentialiter, etenim illud non debet eſſe in iis, de quibus dicitur, ſed debet referri ad illa. Atque ita non ex eo colligi debet, notionem eſſe in his, de quibus prædicatur eſſentialiter, quia prædicatur de illis, ſed tantum colligendum erit, notionem in concreto ſumptam eſſe illud, quod refertur ad ſpeciem, de qua genus prædicatur.

Ad 6. Ad 6. reſpond. in hac diffinitione diffiniri notionem ſecundam in concreto, nimirum genus, quod eſt concretum genericitatis. Neque tamen hinc ſequitur, diffinitum eſſe ens per accidēs, quia hoc ens debet ex æquo vtrūque, & ſubiectum, & naturā ſignificare, at genus non ſignificat ex æquo naturam & notionem, ſed notionem primo, & per ſe, naturam vero ſecundario, quemadmodum album per ſe ſignificat albedinem, ſecundario vero corpus, quod illa eſt affectum.

SECTIO II.

DE HIS, QVÆ CONVENIVNT GENERI IN habitudine ad ſpecies.

ARGVMENTVM.

GEnus & ſpeciem eſſe correlata, in capite ſequenti aperte teſtatur Porphyr. quare non erit alienum à noſtro inſtituto, ſi in his diſputationibus, in quibus naturam, & eſſentiam generis nitimur explicare, ea etiam inueſtigemus, quibus genus ad ſpeciem referatur, vt illis perſpectis, probeque intellectis, naturam generis cognitam habere poßimus. Has igitur quaſtiones in hac ſecunda ſectione proponemus, quibus explicatis, nihil (noſtro iudicio) ad naturam generis intelligendam ſupererit explicandum.

QVÆSTIO I.

An genus poßit in vnica ſpecie conſeruari?

1. Arg. POſſe conſeruari in vnica ſpecie, confirmatur primo: Eadem eſt habitudo generis ad ſpecies, quæ ſpeciei ad ſua indiuidua, ſed ſpecies poteſt conſeruari in vnico indiuiduo, vt natura ſolis in hoc vno ſole, & mundi in hoc vnico mundo: ergo genus poterit in vnica ſpecie conſeruari.

2. Arg. 2. Non poteſt dari ſpecies ſine genere, quia genus & ſpecies ſunt relata, ſed poteſt conſeruari ſpecies in vnico indiuiduo, ergo poterit quoque genus conſeruari in vnico indiuiduo, ergo poterit quoq; in vnica ſpecie conſeruari. Confirmatur conſequentia, quia vbi eſt vnicum indiuiduum, vnica tantum eſt ſpecies.

Digitized by Google

3. *Arg.* 3. Quamlibet abſtractionem ſequitur aliqua ſecunda notio, ergo abſtractionem animalis ab homine poſt diẽ iudicii (in quo tantum erit animal) ſequetur aliqua ſecunda notio: ſed hæc nõ poteſt eſſe notio ſpeciei, quia animal non eſt ſpecies infima, neq; differẽtiæ, quia non prædicatur in quale, ſed in quid, neque proprii, vel communis accidentis, quia animal non prædicatur ſecundum accidens de homine. ergo à ſufficienti diuiſione erit notio generica, & ita animal, quamuis ſit in vnica ſpecie, erit verum genus.

4. *Arg.* 4. In relato, cuius ſunt multa correlata, quamuis omnia illa intereant, ſi vnicum tantum ſuperſit, adhuc remanet illius relatio, vt ſi ſit aliquis pater, habens decem filios, ſi nouem illorum pereant, & vnus tantum remaneat, adhuc remanebit relatio paternitatis ad illum filium, ſed genus (vt animal) refertur ad multas ſpecies, tanquam ad ſua correlata, vt ad hominem, equum, & bouem, ergo quamuis omnes illæ pereant, ſi tamen vna ſuperſit, adhuc obtinebit relationem ad illam, ſed hæc relatio eſt notio generica, ergo genus poterit conſeruari in vnica tantum ſpecie.

5. *Arg.* 5. Remanente animali in ſolo homine, hæc attributio, homo eſt animal, eſt vera, ergo erit alicuius vocis vniuerſę, non ſpeciei neque differentiæ, neque proprii, neq; accidentis, vt probatum eſt in tertia ratione, ergo erit attributio generis de ſpecie, & ita remanebit genus in vnica ſpecie.

6. *Arg.* 6. Si natura generis in aliqua ex ſuis ſpeciebus tantum remaneret, vt ſi natura animalis tantum & ſolum eſſet in homine, quemadmodum fiet poſt diem iudicii, illa ſpecies poſſet definiri, ſed definitio conſtat genere & differentia, ergo in huiuſmodi ſpecie eſſent genus & differentia. Confirmatur argumentum ex Ariſt. qui *5. lib. Metaph. cap* 28 de genere inquit, eſſe illud, quod in definitionibus primum ineſt, ergo in hac definitione ſpeciei primum quoq; inerit genus, quare poterit illud in vnica ſpecie conſeruari.

1. *Opin.* Horum argumentorum pondere nonnulli conuicti, in ea ſunt ſententia, vt exiſtiment, poſſe genus in vnica ſola ſpecie conſeruari, quemadmodum poteſt ſpecies conſeruari in vnico indiuiduo. Profitentur hanc ſententiam B. Alb. Mag. *tract. 3. in Porph. c. 3.* licet *c. 2.* contrarium innuere viſus fuerit. Chryſoſtomus Iauellus *tractatu 4. ſua Logica, cap.* 2. Scotus *quaſtione 18. in Porphyrium*, quamuis dein in fine quæſtionis contrariam ſententiam tanquam probabilem ſequi videtur, idem Ioannes Angl. *q. 15. in prædicabilia Scot.* & compluies ex recentioribus.

Contrariam tamen opinionem ſequuntur graues Philoſophi, D. Thom. *1. lib. de demonſtr. c. 5. lect. 12. 1. ſentent. dist. 19. quaſt. 4. artic. 2.* Boetius *in caput de ſpecie, & in libello de diuiſionibus.* M. Sotus, & Toletus *quaſt. vnica, in cap. de ſpecie.* Flandren. *1. de demonſtrat. quaſtione 17. art. 2.* Niger *quaſt. 44. clypei.* Venetus *in hoc cap.* & multi alii, qui omnes vno ore profitentur, fieri nullo modo poſſe, vt genus in vnica ſpecie conſeruetur. 2. *Opin.*

Hanc igitur quæſt. vt explicemus quædam erunt priori loco animaduertenda: Primum: genus in metaphyſicum & logicum eſſe diſtributum. Metaphyſicum eſt natura. quæ ſubeſt notioni. & habet ſuam quidditatem, & attributa eſſentialia. vt natura animalis ea ratione, qua eſt ſubſtantia corporea animata ſentiens, dicitur genus metaphyſicum. Alii illud vocant genus materialiter, pro ſubſtrato, vel vt eſt totum diffinibile, aut actuale. Logicum vero dicitur, vniformitas, indifferentiaque naturæ ad multa ſpecie diuerſa, ex qua ortum habet potentia quædam in genere, qua ſuo ambitu multa complectitur, confuſa quadam, & perturbata ratione, & aptitudo quædam eſſendi in pluribus ſpecie diuerſis, & contrahibilitas, qua hæc potentia ita confuſa, & illimitata, coerceri poteſt, & limitari à differentiis ad certam aliquam, & diffinitam ſpeciem, qua ratione ſumitur genus, vt eſt totum quoddam potentiale, & vniuerſum, nam hæc omnia, quæ propoſuimus, propria ſunt huius totius. 1. *Obſeru.*

2. Sciendum eſt, eo differre naturam genericam à ſpecifica, quod generica eſſentialiter perficitur à differentibus contrahentibus ſuarum ſpecierum, neque putandum eſt, naturam genericam eſſe omnino, & abſolute eſſentialiter perfectam, quouſque ab huiuſmodi differentiis fuerit contracta, & quodammodo informata. Quemadmodum materia prima perficitur eſſentialiter à formis ſubſtantialibus, neque eſt omnino eſſentialiter perfecta, niſi quando aliquam earum ſuo ſinu receperit. Et ratio eſt perſpicua, quia potentia ab actu eiuſdem generis, & categoriæ eſſentialiter perficitur, at materia eſt potentia quædam, forma vero actus: tum etiam genus eſt potentia quędam reſpectu differentiarum, differentiæ vero ſunt actus quidam eiuſdem generis, & categoriæ. Cæterum natura ſpecifica eſt omnino & abſolute perfecta, & vltimo eſſentialiter actuata, neque eſt in po- 2. *Obſer.*

tentia,

rentia, vt ab aliquo eſſentialiter, vel formaliter actuetur, ſed tantum accidentario, & materialiter per principia materialia & proprietates ſuorum indiuiduorum contrahi poterit, & actuari.

3. Obſer. Iterum obſeruandum erit duplicem eſſe potentiam, phyſicam vel naturalem, & logicam (ſub qua complectimur ſupernaturalem vel metaphyſ.) Prima illa naturalis, quædam eſt actiua, & alia paſſiua. Actiua eſt principium aliquid agendi, vel tranſmutandi ſecundum naturam, vt eſt potentia ignis ad calefaciendum. Paſſiua vero eſt potentia recipiendi actum aliquem, vel formam naturalem ab agente naturali, vt eſt potentia ligni, qua recipit ab igne calorem. Altera vero logica eſt nõ repugnantia extremorũ, id eſt, poſſe aliqua extrema ita inter ſe vniri, vt ex tali vnione nulla colligatur repugnãtia, qua ratione dicimus poſſibile eſſe hominem eſſe animal, quia hæc duo extrema, homo, & animal, ita inter ſe connectũtur, vt ex tali vnione nulla ſequatur repugnantia.

4. Obſer. Prætereа reuocanda eſt ad memoriam diſtinctio illa vniuerſi, in vniuerſum ſecundum rem, & rationem, & in vniuerſum ſecundum rationem, non tamẽ ſecundum rem, quam ex D. Thom. propoſuimus *ſect. 2. de reb. vniuer. q. 2.* Nam eadem debet generi accõmodari, ita vt quoddam ſit genus ſecundum rem, & rationẽ, & aliud ſecundum rationem, non tamen ſecundum rem. Primum illud erit, quando non tantum ratio generis, verum & natura actu in pluribus reperitur, vt eſt animal, vel arbor. Alterum vero erit, ſi natura animalis (v. gr.) tantum actu eſſet in vna ſpecie, nam tunc temporis ratio animalis poſſet eſſe cõmunis, ipſum vero animal actu in vnica illa ſpecie tantum reperiretur. Tandem ne hanc quæſt. iterum in c. de ſpecie repetamus, erit prius in genere, & deinde in ſpecie explicanda.

1. concluſ. His animaduerſis ſit 1. concl. Genus metaphyſicum poteſt ſecundum ſuam eſſentiam in vnica ſpecie conſeruari, poteſtate logica & ſupernaturali, id eſt, non repugnat naturæ generis, in vnica tantum ſpecie reperiri, vt non repugnat naturæ animalis in ſolo homine reperiri. Hæc eſt communis & notiſſima. Quia genus metaphyſicũ ſignificat naturã aliquam genericam, ſumptam iuxta ſua attributa eſſentialia: at attributa eſſentialia in vnica ſpecie poſſunt reperiri, vt attributa eſſentialia animalis, nimirũ ſubſtantia, corpus viuẽs, & ſentiens, etiãſi omnia bruta intereant in ſolo homine poſſunt reperiri. Prætereа nunc de facto omnia huiuſmodi attributa reperiũtur in homine, ergo cum exiſtentia illius non dependeat ab exiſtentia brutorum, quamuis omnia bruta pereant, in eodem poterunt conſeruari. Et tandem poſt diem iudicii natura animalis in ſolo homine reperietur. poterit igitur per potentiam ſupernatur. cõſeruari in vn. ſpecie.

2. concl. Idem genus metaphyſ. non poteſt per potẽtiam naturalem eſſe in vnica tantum ſpecie. Itaque natura non poterit efficere, vt eſſentia, v. gr. animalis ſit tantum, vel in homine, vel in equo. Confirm. his argumentis: *2. concluſ.*

Primum eſt ex Porph. & Ariſt. de promptũ. Porph. in hoc c. de gen. r. & in c. de commun. generis & proprii, tradit inter has duas voces illud diſcrimen, nimirum proprium tantum dici de vna ſpecie, de ratione autẽ generis eſſe de pluribus ſpeciebus prædicari. Et Ariſt. 3. *lib Meta. c. 3.* apertius multo hoc docet, inquiens, fieri nulla ratione poſſe, vt genus ſit ſine ſuis formis, & multitudine ſpecierum, & idem repetit 4. *Top. c. 5.* Secundum: Omne genus diuidi debet per contrarias differentias, vt auctor eſt Ariſt. 6. *Top. c. 3.* & 10. *M t. c. 6.* vt color diuiditur per contrarias differentias albi & nigri, & patibilis qualitas per cõtrarias differentias calidi & frigidi, humidi & ſicci, ſed vbi ſunt contrariæ differentiæ, debent eſſe multæ ſpecies, quia illę non poſſunt ſimul eidem ſpeciei conuenire, quemadmodum neque quælibet alia contraria poſſunt ſimul eidem ſubiecto ineſſe: ergo non poterit genus hac ratione in vnica ſpecie conſeruari. Prætereа: Ex Ariſtotele 2. *de cælo, cap. 3.* Si vnum ex contrariis fuerit in rerum natura, non poteſt aliud non eſſe in eadem per facultatem, & potentiam naturalem: neque enim eſt maior ratio, quare natura vnum contrarium magis, quam alterum producat; ſed ſpecies ſub aliquo genere comprehenſæ ſunt contrariæ propter contrarias differentias: ergo ſi vna fuerit in rerum natura, debet quoque per facultatem naturalem, & alia eſſe, ac proinde non poterit genus ita ſumptum in vna ſpecie conſeruari. Iterum: illud tribuendum eſt facultati naturæ, quod ad ornatum, & decorem vniuerſi ſpectat, etenim natura huiuſmodi ornatum maxime inſtituit, ſed ad decorem & ornatum vniuerſi ſpectat multitudo ſpecierum ſub aliquo genere: ergo non poterit natura generica per potentiam naturalem in vnica ſpecie conſeruari.

3. concluſ. Neque per potentiam logicam, vel metaphyſicam, poterit idem genus metaphyſicum quoad totam illius perfectionem eſſentialem in vnica tantum ſpecie reperiri. *3. concluſ.*

Digitized by Google

riri. Bene quidem poterit genus poteſtate logica, aut ſupernaturali in vnica tantum ſpecie reperiri, vt diximus in prima concluſione. Verum quod in illa habeat totam (& vt dicũt omnimodam) eſſentialem perfectionem, hoc dicimus eſſe prorſus impoſſibile. Vt optime poteſt animal poteſtate logica & ſupernaturali eſſe in homine ſolo, tamẽ quod in illo habeat totam perfectionẽ eſſentialem, fieri nullo modo poterit. Confirmatur primo: Tota perfectio potentiæ ex actu ſibi adæquate reſpondente peti debet, ſed vnica ſpecies non continet actum adæquate reſpondentem generi: etenim vnica ſpecies tantum continet vnam differentiam eſſentialem atomam, quæ non poteſt adæquate reſpondere toti potẽtiæ generis, cum per alias differentias poſſit etiam perfici & ornari, ergo non poterit quoad omnem perfectionem genus in vnica ſpecie conſeruari. Secundo eadem eſt habitudo generis ad differentias ſpecificas, quæ materiæ ad formas naturales, ſed materia non poteſt quoad omnem eius perfectionem eſſe ſub vnica tantum forma, ergo neq; genus poterit quoad omnem eius perfectionem eſſe ſub vna differentia ſpecifica, & ex conſequenti neque poterit hac ratione in vnica tantum ſpecie conſeruari.

4. concluſ. 4. concluſ. Impoſſibile prorſus eſt genus logicum in vnica tantum ſpecie conſeruari, vel ſub aliis vocibus. Potentia generis logici non poteſt ab vnica differentia ſpecifica exhauriri: nulla ſiquidem eſt differentia, quæ totam eius capacitatem poſſit adimplere, & hoc eſt, non poſſe in vna ſpecie conſeruari. Confirm. Genus logicum denotat potentiam & aptitudinem eſſendi in multis ſpecie differentibus, ſed hæc aptitudo ab vnica tantum ſpecie exhauriri nullo modo poteſt, nullius ſiquidem ſpeciei differentia poteſt adimplere totam potentiam, & aptitudinem generis eſſendi in pluribus, cum quælibet ſit actus inadæquatus illius potentię tam late patentis, & illimitatæ. ergo genus logicum in vnica tantum ſpecię reperiri nullo modo poterit. Præterea, genus logicum eſt contrahibile per contrarias differentias ſpecificas, at hæ contrariæ differentiæ ſpecificæ nequeunt in vnica tantum ſpecie reperiri. Itaque quamuis natura aliqua generica (vt animalis) poſſit in ſolo homine reperiri, ſi tamẽ per intellectum abſtraheretur à differentiis & proprietatibus hominis, conſequeretur quandam vniformitatem, indifferentiam, & relationem ad plura ſpecie diuerſa, ita vt ſi talem rationem ad plura non haberet, illico totam naturam generis logici amitteret. Hactenus de genere, agamus iam de ſpecie.

5. concluſ. Species metaphyſica, quoad omnem perfectionem eſſentialem, poteſt ſola facultate naturali in vnico indiuiduo conſeruari. Hæc eſt aperta in ſole, luna, aliis aſtris & mũdo, nam hæ omnes ſpecies in vnico tantum indiuiduo conſeruantur, idque abſque vllo miraculo, per ſolam facultatem naturalem. Diximus, quoad omnem perfectionem ipſius eſſentialem, quia ſpecies à ſolis principiis materialibus, & differentiis accidentariis, & indiuiduantibus, eſt contrahibilis, quæ certe nihil attinent ad perfectionem eſſentialem ſpecificam: vnde ſpecies eſt ita eſſentialiter contracta à differentiis eſſentialibus, vt ſit prorſus incõtrahibilis ab huiuſmodi principiis, ac proinde quoad totam eius perfectionem eſſentialem, poterit in vnico indiuiduo conſeruari. *5. concluſ.*

6. concluſ. Species logica non poteſt in vnico tantum indiuiduo conſeruari. Dicere volumus, totam potentiam, & aptitudinem eſſendi in pluribus numero differentibus, ab vnica proprietate indiuiduante exhauriri nullo modo poſſe. Hanc docet Niger vbi ſupra, & confirm. apertiſſime. Hæc ſpecies denotat poteſtatem eſſendi in pluribus numero diuerſis, at hæc potentia tam late patens, & illimitata, ab vno indiuiduo exhauriri nullo modo poteſt, quare neque ita poterit in vnico indiuiduo conſeruari. Et præterea quia ita ſe habet ſpecies ad proprietates indiuiduantes, quo genus ad differentias ſpecificas; ſed impoſſibile eſt genus logicũ ab vnica tantum differentia contrahi, vt conſtat ex 4. concluſ. ergo impoſſibile quoque erit ſpeciem ab vnico principio indiuiduante contrahi, quare impoſſibile erit ſpeciem in vnico indiuiduo conſeruari. Vnde colligo, ſolem, & lunam non eſſe ſpecies logicas, quia in vnico tantum ſole reperiuntur, aut luna, ſed ex eo, quia hæ naturæ ſpecificæ per intellectum à principiis indiuiduantibus ſeparatæ, indifferentes ſunt, & vniformes ad plura, quæ potentia logica, & metaphyſica ſub huiuſmodi ſpeciebus poſſunt eſſe comprehenſa: & ſi non haberent habitudinem ad hæc plura, quæ poſſunt eſſe indiuidua, naturam ſpeciei logicæ omnino amitterent. *6. concluſ.*

Colligo etiam genus, & ſpeciem, vt conſeruantur in vnica ſpecie, aut indiuiduo, poteſtate logica, aut metaphyſica (eo modo, quo expoſuimus) eſſe quidem genera, & ſpecies,

2.*Arg.* 2. Genus, vt genus prædicatur de ſpecie, vt conſtat ex illius definitione, ſed genus, vt genus, eſt pars, nam genus ita ſumptum ingreditur diffinitionem, quam non poteſt ingredi, niſi in ratione partis, ergo genus vt pars prædicabitur de ſpecie.

3.*Arg.* 3. Si genus prædicaretur vt totum, ſequeretur illud continere infinitas perfectiones, quod certe dici nullo modo poteſt: hoc enim tantum ſpectat ad illimitatam, & infinitam naturam, qualis non poteſt eſſe generica. Quod vero ſequatur, ita confirmo: Omne totum, quod de aliquo prædicatur, continet perfectiones eorum, de quibus prædicatur, ergo ſi genus prędicatur vt totum de ſuis ſpeciebus, continebit perfectiones illarum, ſed perfectiones ſpecierum poſſunt eſſe infinitę quia ſpecies vt numeri poſſunt augeri in infinitum, ergo ſi genus prædicaretur vt totum, contineret illud perfectiones infinitas.

4.*Arg.* Præterea, Vel animal (quod prædicatur de homine tanquam genus) eſt idem cum illo, vel diuerſum: ſi eſt idem, ergo hæc propoſitio erit identica, homo eſt animal: ſi vero fuerit diuerſum, ergo non poterit de illo prædicari: nam prædicatio identica identitati, & non diuerſitati innititur, quare genus neque vt totum, neque vt pars prædicabitur de ſpecie.

Obſ. ad quæſtionē explicandam. Explicatio huius quæſtionis dependet ex iis, quæ nos ſæpe propoſuimus *ſectione 4. de rebus vniuerſis, quæſt.* 4 & 5. ex D. Thom. & Caietano 4. *cap. de ente & eſſentia.* genus ſumi poſſe vel cum præciſione, aut ſine illa. Sumitur cum præciſione, quando ſignificat tantum, & præciſe ſua attributa, abſque vlla habitudine ad inferiora, quibus illa poſſunt conuenire. Sumitur vero ſine illa, quando ſumitur, vt poteſt ſuis inferioribus hæc attributa communicare, vel vt confuſa ratione continet, quidquid in inferioribus reperitur. Primo modo dicitur totum actuale, vel definibile, quia ſumitur vt totum actu, habens attributa eſſentialia, quæ per definitionem eſſentialem explicantur: altero vero vocatur totum vniuerſum, vel poteſtate, quia ſumitur in habitudine ad plura, quæ ſub illo in potentia vel confuſa ratione continentur. Sit exemplum de animali, quod ſumi poteſt vel vt tantum ſignificat attributa ſua eſſentialia, nimirum eſſe ſubſtantiam, corpoream, animatam, ſentientem, præſcindendo à rationis participe, & experte, vel vt confuſe continet, quidquid in homine & bruto reperitur. eſt enim animal, quod habet animalitatem, ſub qua particula, quod habet, homo, & brutum, & quæcunque eis inſunt, confuſa ratione deſignantur. Primo modo dicitur totum actuale, eſſentiale, vel diffinibile, ſecundo vero modo vocatur totum vniuerſum, vel poteſtate. Præterea genus ſumptum ſine præciſione, vel vt eſt totum vniuerſum, adhuc poteſt ſumi duobus. Primo, vt eſt iam contractum per differentiam ad aliquam ſpeciem, altero modo, vt eſt indifferens, nondumque contractum per aliam differentiam ad ſpecies, vt in eodem exemplo animal ſumi poteſt, vel vt eſt contractum ad hominem per particeps rationis, vel vt nondum eſt contractum, & indifferens ad particeps, & expers rationis.

Hoc iacto fundamento, ſit prima concluſio: Genus non continetur in diffinitione, vt eſt totum confuſe continens, quidquid eſt in ſpecie, ſed vt eſt pars, & vt præciſe denotat attributa eſſentialia. Confirmatur primo: Genus ea ratione continetur in diffinitione, qua denotat naturam habentem ſe ad modum materiæ, & potentiæ, ſed vt eſt quoddam totum, non habet ſe ad modum materiæ & potentiæ, nam ita actum ſignificat multa ſuo ambitu continentem, ergo genus hac ratione non continebitur in diffinitione. Secundo: Genus ea ratione continetur in diffinitione, qua denotat gradum quēdam diſtinctum à gradu, quem denotat differentia, ex his ſiquidem duobus gradibus fit vnum diffinitum, ſed vt eſt totum, non denotat gradum diſtinctum à gradu, quem denotat differentia, ita enim continet illam, nam continet, quidquid eſt in ſpecie, ergo genus hac ratione non continebitur in diffinitione. Præterea: Si genus vt totum contineretur in illa, ergo cum genus ita ſumptum non tantum denotet gradum ſuæ naturæ, verum etiam differentias ſuarum ſpecierum, fieret, vt in definitione aliquam nugationem committeremus, nam bis idem repeteretur, differentia nimirum, nam ſemel nomine generis proponeretur, cum genus vt totum illam contineat, & iterum nomine proprio repeteretur, at in definitionib. nulla admitti debet nugatio, quare neq; continebitur in illa genus hac ratione. *1. concluſ.*

2. concluſ. Genus vt ſumitur cum præciſione ſuorum attributorum (qua ratione habet locum partis) non prædicatur de ſpecie. Hanc docent D. Thom. & Caietan. *cap. 3 de ente* M. Sot. *quæſtione vnica de genere* & Scotus *q. 16. in Porphyr. ad* 1. quæ confirm. Nulla pars vt habet rationem partis, cōtinere poteſt quidquid in toto cōtinetur, ergo genus, vt eſt pars ſpeciei, *2. concluſ.*

non contin.ebit, quidquid eſt in illa, at in omni vera prædicatione aiente debet attributum continere, quidquid in ſubiecto reperitur, ergo genus in ratione partis non poterit de ſpecie prædicari. Addo, genus ita ſumptum ſumi cum præciſione ſuorum attributorum, abſque additione vlla noui gradus, & perfectionis: ſed attributo, quod prædicatur de ſpecie, addi neceſſario debet nouus gradus, & perfectio differentiæ ſpecificæ, ergo genus in ratione partis non poterit de ſpecie prædicari.

3. concluſ. 3. concluſ. Genus vt contractum per differentiam aliquam eſſentialem ad ſpeciem, non poteſt de illa in recto prædicari. Hæc colligitur ex prima; Genus vt contractum per differentiam, eſt genus, vt continetur in diffinitione, ſed genus ita ſumptum non prædicatur in recto de ſpecie, ergo neque contractum de illa prædicabitur. Præterea: Prædicatio generis de ſpecie, eſt maioris de minori, ſed genus contractum non eſt maius, ſed æquale, quemadmodum differentia contrahens non eſt maior, ſed æqualis ſpecies, ergo hac ratione non poterit de ſpecie prædicari.

4. Arg. 4. concluſ. Genus vt eſt totum quoddam vniuerſum, confuſe continens, quidquid in ſpecie reperitur, prædicatur de illa. Hæc etiam eſt D. Th. Caietani, Soti, & Scoti, vbi ſupra. Quæ confirmatur primo, quia genus aliquo modo prædicatur de ſpecie: at non prædicatur in ratione partis, & vt præciſe denotat ſua attributa eſſentialia, prædicabitur igitur ea ratione, qua eſt totum, & vt confuſe continet, quidquid in ſpecie reperitur. Secundo: Illa attributio eſt vera, in qua attributum eſt idem cum ſubiecto, ex D. Thom. 1. *par. q.* 13. *art.* 12. ſed quando genus prædicatur de ſpecie, genus continet, quidquid in illa reperitur, nam inprimis continet proprium gradum ſuæ naturæ, & deinde continet gradum, quem exprimit differentia, vt animal hac ratione deuorat animalitatem expreſſe, & continet etiam rationalitatem (quæ certe apertam indicant identitatem inter genus & ſpeciem) ergo genus hac ratione vſurpatum vere poterit de ſpecie prædicari.

Ad 1. arg. Ad argumenta: Ad primum reſpond. partes diffinitionis prædicari de re diffinita, non vt partes, ſed vt tota quædã, quæ confuſe continent, quidquid in diffinito reperitur, qua ratione intelligi debet Ariſt. & non de partibus, vt partes ſunt.

Ad 2. Ad 2. reſpond. falſum eſſe genus, vt genus eſſe partem ſpeciei, ſed vt ſumitur cum præciſione ſuorum attributorum. Genus enim vt genus totum quoddam eſt, confuſe continens, quidquid in ſpecie reperitur.

Ad 3. reſpond. duobus modis intelligi poſſe genus continere perfectiones ſuarum ſpecierum. Primo actu, & formaliter, vel eſſentialiter, ita vt ſint attributa eſſentialia generis: ſecundo modo poteſtate, vel vt coniungitur cũ his differentiis. Primo modo non continet genus perfectionis ſuarum ſpecierum, quia differentiæ, quibus ſpecies perficiuntur, non ſunt de eſſentia generis. Verũ altero modo per modum cuiuſdam coniunctionis, & vnionis, continet illas, quia vnitur cum ipſis in ſpeciebus ſibi ſubiectis qua ratione nullum eſt incommodum aſſerere continere infinitas perfectiones poteſtate. *Ad 3.*

Ad 4. reſpond. animal, quod prædicatur de homine, non eſſe illud, quod eſt contractum per illius differentiam, quæ eſt rationis particeps, vt in quæſt. diximus: ſed animal, vt eſt totum vniuerſum, & per intellectum eſt ſeparatum, & differens ab homine, confuſe continens, quidquid in eo reperitur, prædicatur de illo, vt ex his, quæ ſuperſunt, explicata apertiſſime conſtat. *Ad 4.*

QVÆSTIO III.

An ſola ſpecies ſit, in quam, tanquam in ſuum terminum referatur genus?

Hanc quæſtionem, quamuis à pleriſque prætermiſſam eſſe videam, animus fuit propter ſubtilitatem, & difficultatem hoc loco inter eas quæſtiones, quæ de genere in habitudine ad ſpeciem pertractantur, agitare Et quidem cum duplex poſſit eſſe terminus alicuius relationis, vnus proximus, & immediatus, nõ tamen adæquatus, & alius adæquatus: conſir. terminum immediatũ, in quem fertur genus, non eſſe ſpeciem, ſed naturam aliquam ſubiicibilem, cõmunem ſpeciei & indiuiduo.

Primo: Tam ſpecies, quam indiuiduũ ſubiiciuntur generi, quamuis eo differant, quod ſpecies ſubiicitur illi immediate, indiuiduum autem mediate: ſed ſubiici mediate, vel immediate, non auferre aliquam naturam communem ſynonymam, ab his, quæ ſubiiciuntur: ergo ſpeciei, & indiuiduo aſſignari debet aliqua natura ſubiicibilitatis communis, & ſynonyma, quæ ſit primus & immediatus terminus relationis generis. Confirmatur aſſumptio: Nam propoſitio eſt aperta: Inprimis eadem ratio eſt ſubiicibilitatis, quæ prædicationis: ſed ei, quod pdicatur mediate, *1. Arg.*

& quod

Digitized by Google

& quod prędicatur immediate dari poteſt natura aliqua communis ſynonyma, etenim generi ſupremo & intermedio datur communis natura ſynonyma generis, ex quibus genus intermedium prædicatur immediate de ſpeciebus, ſupremum vero mediate, ergo ſubijcibili mediato & immediato, aſſignari debet aliqua ratio ſubijcibilis ſynonyme communis. Deinde; Homo ſubijcitur immediate capacitati diſciplinę, Petrus vero mediate, cũ tamen capacitas diſciplinæ ſit attributum commune, & ſynonymum his duobus ſubiectis; iam igitur ſubijcibile mediate & immediate poterunt habere naturam aliquam ſubijcibilis communem.

2. Argum. 2. confirmatur idem. Nulli eſt dubium, tã ſpeciem quam indiuidua referri ad genus relatione ſubijcibilitatis, vel igitur referuntur ad illud eadem numero relatione, vel diuerſis: eadem numero referri non poſſunt, quia eadem numero relatio nõ poteſt eſſe in duobus extremis diuerſis: referuntur igitur diuerſis numero relationibus, vel ergo hæ relationes ſolo numero differunt, aut ſpecie, aut numero. Specie & numero differre non poſſunt, quia correlatum, nimirum genus eſt vnũ ſpecie, & quod fuerit vnum ſecundum ſpeciem, non poteſt primo referri ad correlata ſpecie diuerſa, erunt igitur ſolo numero differentes; ſed quæ differunt numero, conueniunt in aliqua natura ſpecifica communi, ergo ſpecies, & indiuidua habebunt communem aliquam naturam ſpecificam ſubijcibilitatis, quæ primo terminet relationem generis.

3. argum. 3. Dantur multæ ſpecies in quibus tantũ eſt indiuiduum, & in quibus ſpecies & indiuiduum à parte rei ſunt, vnum & idem, vt ſunt omnes ſpecies angelorum, ergo ſaltim in his terminus immediatus erit indiuiduum, & non tantum ſpecies.

4. argum. Præterea: Terminus immediatus generis eſt quod differt ſpecie ab alio, vt conſtat ex illius diffinitione, quæ exprimit notionem genericam, ſed dantur indiuidua, quæ ſpecie differant vt Petrus, hic equus & ille leo, ergo correlatum immediatum relationis generis, erunt indiuidua, & non tantum ſpecies.

1. Opinio. Louanienſes in caput de genere, referunt quorundam opinionem, qui putãt immediatum correlatũ generis non eſſe ſpeciem, neq; indiuidua, ſed ſubijcibile in quid, quod eſt commune ſubijcibilitati ſpeciei, & indiuiduorum. Hanc ſententiam confirmant argumenta, quæ propoſuimus, maxime vero duo priora.

Iidem tamen Louanienſes ſecũdam a iam ſententiam ſequuntur, putant enim correlatum immediatum, & adæquatum generis eſſe ſolam ſpeciem, ita vt hæc relatio ad ſolam ipſam, & non ad aliquod ſubijcibile commune, vel ad indiuidua terminetur, & reſpectu indiuiduorum non dici genus, ſed attributũ quoddam innominatum cui hactenus nullũ fuit inditum nomen. Verum hanc opinionem hoc loco prętermittimus, quia de illa in quæſt. ſeq. diſputabimus. *2. Opin*

Eſt igitur tertia eaq; veriſſima opinio, Ammonij, Boetij, Auicennæ, B. Alberti M. Caietani, & fere omnium recentiorum in cõmentarijs (*quidam in cap. de genere, & alij in cap. de ſpecie*) correlatum immediatum generis eſſe ſpeciem, adæquatum tamen non eſſe illam ſolam, ſed eam vna cum indiuiduis. Itaque ſpecies eſt, quæ primo terminat relationem generis; verum hæc relatio ad plura ſe extendit, quam ad ſpeciem, nimirum ad indiuidua. *3. Opinio*

Quid ſit terminus immediatus, & quid terminus adæquatus explicatur. Ne tamen ex ignorantia nominum in errorem aliquem incidamus, erunt hæ duæ voces terminus immediatus, & terminus adæquatus explicandæ. Terminus immediatus dicitur ille, qui ratione ſui, & nõ alterius terminat relationem, vt in viſione, lumẽ eſt terminus immediatus, nam illud ratione ſui terminat actum videndi. Mediatus vero dicitur, qui ratione alterius terminat relationem vt in eodem exemplo, color eſt terminus mediatus viſionis, nam ratione luminis terminat illam.

Terminus adæquatus dicitur ille, qui ſolum terminat relationem, & ita adæquat illã, vt ad alium terminum ſe extẽdere nullo modo poſſit, qua ratione color eſt terminus adęquatus viſionis, quia nihil poteſt viſus cernere, quod non fuerit aliquo colore affectum. Inadæquatus vero ille erit, qui quamuis terminet non tamen ſolus, vt candor eſt terminus inadæquatus viſionis, nam quamuis terminet illam ad atrorem intuẽdum ſeſe etiam poteſt extendere.

1. concl. Sit igitur 1. concl. Genus vnica relatione refertur ad omnes ſpecies. Confirm. In omnibus ſpeciebus eſt vnica ſecundum ſpeciem ratio terminandi relationem generis, ſcil. ratio ſubijcibilitatis in quid, & ſecundum eſſentiã, quæ vna eſt in omnibus ſpeciebus: ergo vnica quoque erit in genere relatio, qua refertur illud ad ſpecies. Confirm. conſequentia, quia ſi eſſet multiplex; eadem relatio ſecundum ſpeciem, eademq; ratione poſſet terminare plures relationes ſpecie diuerſas. Præterea: Rela-

Digitized by Google

tio generis ad ſpecies eſt relatio principij ad principiata, nam genus principium eſt ſ[illegible]a rum ſpecierum, vt a t Porphyr. in hoc, ſed in principio tantum eſt vnica relatio, qua refertur ad omnia principiata, quæ habent eandé rationem principiati, vt in patre tantum eſt vnica relatio, qua refertur ad omnes filios ergo genus vnica tantum relatione ſecundum ſpeciem refertur ad omnes ſpecies, quia omnes illæ habeant eandem rationem ſubijcibilitatis.

2. concl. 2 concl. Correlatum immediatum generis non eſt ſubijcibile commune ſpeciei. & indiuiduis. Hæc eſt aduerſus auctores primæ opinionis, quæ confirmatur primo. Quia relatum per ſuum primum & immediatum correlatum definiri debet, peccat enim, qui alio modo relata diffiniuerit, vt auctor eſt Ariſt. 6. *Topic. cap. 2.* ſed genus non fuit definitum per relationem ad ſubijcibile commune, ſed ad ſpeciem, vt conſtat ex definitione à Porph & ab Ariſt. tradita, in qua definitur illud, quod dicitur de multis ſpecie differentibus: ergo primum & immediatum correlatum generis, non erit aliquod ſubijcibile commune, ſed natura ſpecifica Præterea: Si daretur aliquod ſubijcibile commune ſpeciebus, & indiuiduis, quod primo terminaret relationem generis, ergo etiam daretur aliquod prædicabile commune generi, & ſpeciei, quod primo terminaret relationem inferiorum, nimirum indiuiduorum, quod certe nullus hactenus admiſit, quare non dabitur tale ſubijcibile commune ſpeciei & indiuiduis.

concluſ. 3. concl. Correlatum primum & immediatum generis eſt ſpecies. Confirmatur primo ex illius definitione, quę indicat aperte genus & ſpeciem primo referri, & ex his, quæ docet Porphyr *in cap. de ſpecie*, vbi inquit, genus & ſpeciem eſſe ad inuicem definita, quia ſunt relata. Secundo; Correlata prima, & immediata generis ſunt illa, quæ ſpecie differunt, ſed quæ primo & immediate ſpecie differunt, ſunt ipſæ ſpecies, nam indiuidua ſi ſpecie differunt non differunt primo, ſed propter ſpecies; ergo ſpecies erunt prima & immediata correlata generis. Et tandem, quia huic relationi generis eſt aliquod primum & immediatum correlatum aſſignandum, at illud nõ poteſt eſſe indiuiduum, quod non ratione ſui, ſed ratione ſpeciei ſubeſt generi; ergo correlatum primum, & immediatum generis erit ſpecies.

4. concl. 4. concl. Species non eſt adæquatum, & totale correlatum generis. Confirmatur: Genus de pluribus prędicatur, quam de ſpecieb. nam prædicatur de indiuiduis, ſed relatio generis eſt relatio prædicabilis, & vniuerſi, ergo genus ad plura, quã ad ſpecies refertur: quare illę non erunt termini adęquantes relationem genericam.

5. concl. 5. concl. Indiuidua ſunt termini mediati, & ſecundarij relationis genericæ. Hæc etiam notiſſima eſt, quia indiuidua ſecundario, & mediate differunt ſpecie, eo quod continẽtur ſub naturis ſpecie diuerſis: ſed aliquid eo modo terminat relationem generis, quo ſpecie differt ab altera: ergo indiuidua erunt termini immediati & ſecundarij generis. Quod ſi quis dicat hoc argumentum tantum probare de indiuiduis diuerſarum ſpecierum, non autem de illis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & quæ ſolo numero differũt, eſſe etiam aſſertionem de his indiuiduis intelligendam hoc argumẽto ſuadeo. Relatio generis ad indiuidua, eſt relatio prædicabilis, ad ſubijcibile, ergo eo modo indiuidua terminabũt relationem generis, quo illi ſubijciuntur; ſed indiuidua, quæ intra eandem ſpeciem continentur, non ſubijciuntur generi immediate, ſed ſecundario, & mediate, ſcilicet mediante ſpecie, ergo erunt illa mediata, & ſecundaria correlata generis.

Dubium. Quod ſi quis quærat, qua ratione ſpecies terminet relationem generis, num pro notione ſecunda tãtum, vt pro natura ſubiecta notioni. Solutio. Reſpondendum erit, ſi loquamur de termino eſſentiali, notionem ſumptam in concreto eſſe terminum illius, nam etiam genus pro notione ſumpta in cõcreto, eſt quod refertur ad ſpeciem. Si tamen agamus de termino denominatiue, & materialiter, terminus erit natura ſubiecta notioni; nam idem iudicium eſt huius rei, quod de definito definitionis generis, quod eſſentialiter diximus eſſe notionem ſumptam in concreto, denominatiue vero, & materialiter, naturam ſubiectam notioni.

Ad 1. arg. Iam ad argum quæ propoſuimus. Ad primum dicimus, ſubijci mediate, vel immediate, ita vt vnum tantum propter alterum ſubijciatur, auferre naturam al quam communem & vniuocam ſubijcibilis, non tamẽ prædicabilis quemadmodum in ſpecie, & indiuiduis ſubijci ſpeciem immediate proprio, & indiuidua mediate, aufert aliquod ſubijcibile commune vtrique, quia indiuidua media ſpecie illi ſubijciuntur, non tamen aufert communem rationem prædicabilis, proprium ſiquidem commune eſt his duobus

ſubijci-

ſubijcibilibus. Eodem modo cum indiuidua tantum ſubijciantur generi propter ſpecies, quamuis mediate ſubijciantur, & ſpecies immediate, non propterea aſſignanda erit aliqua ratio cõmunis ſubijcibilis, licet aſſignetur idem prædicabile commune, nimirũ genus. Ad primam confirm. reſpond. generi ſupremo, & intermedio, non dari communem aliquam naturam, ſed ſolam notionem generis, & eodem modo dicimus, ſubijcibili mediato & immediato, non dari communem aliquam naturam, bene tamen communem notionem ſubijcibilis, hoc enim nos non diffitemur. Ad ſecundam confirm. dicimus falſum eſſe, ſpeciei & indiuiduo reſpectu proprij dari aliquod ſubijcibile commune, vt nuper dicebamus.

Ad 2. Ad 2. arg. reſp. Speciem, & indiuidua vna eademque relatione ſubijcibilis referri ad genus; nam vbi vnum propter alterum ibi non ſunt duo, ſed vnum, quæ vt eſt ſpeciei, eſt immediata, vt vero eſt indiuiduorum, eſt mediata relatio. Quemadmodum lumen & color, eadem numero viſibilitate referuntur ad viſum, quæ vt eſt luminis eſt immediata, vt autem eſt coloris, eſt mediata relatio, vt omnes Philoſophi docent. Et quamuis eadem relatio non poſſit eſſe in duobus extremis immediate, in vno tamen mediate, & in altero immediate, optime poteſt reperiri, vt conſtat de relatione viſibilis in colore, & luce.

Ad 3. Ad 3. reſp. In huiuſmodi natus terminum immediatum eſſe naturam, non vt eſt indiuiduum, eſſe terminum mediatum.

Ad 4. Ad vlt. reſp. indiuidua non differre ſpecie immediate, ſed mediate, & ex conſequenti, neque erunt correlata generis immediata, ſed mediata.

QVÆSTIO IV.

An genus collatum ad indiuidua veram rationem generis obtineat.

EXpoſuimus in ſuperioribus quæſtionibus ea quæ conueniunt generi in habitudine ad ſpecies, ſequitur vt agamus de eodem in habitudine ad indiuidua, & ad differentiam, primoque ad indiuidua, & deinde in habitudine ad differentias. Quærimus igitur primo, an genus collatum ad indiuidua veram generis rationem obtineat necne.

1. Argum. Non obtinere his duobus argumentis confirmo. Primum, Relatum tantum obtinet naturam in ordine ad ſuum correlatum, ſed relatum generis eſt ſpecies, vt inquit Porphyr. in *cap. ſequenti de ſpecie*, ergo tantum erit genus in habitudine ad ſpeciem, quare collatum ad indiuidua generis rationem obtinere nullo modo poterit.

2. Genus eſt illud, quod dicitur de multis ſpecie differentibus, ſed indiuidua eiuſdem ſpeciei non differunt ſpecie, vt ſunt indiuidua humanæ naturæ, ergo genus collatum ad illa rationem generis obtinere nullo modo poterit. *2. argum.*

Louanienſes in *c. de gen.* arbitrantur genus in habitudine ad indiuidua non poſſe genus, ſed eſſe attributum quoddam innominatum, à genere, & ab alijs vocib. vniuerſis diſtinctũ, quorum opinio his duobus argum. propoſitis poteſt confirmari. Verum quamuis hi auctores in pleriſque ſatis recte, feliciterque progrediatur, in hac tamen re errarunt maxime, quod certe mirum eſſe non debet, cum aliquando bonus dormitet Homerus. Quare illorum opinio prætermiſſa, communemque dialecticorum ſententiam amplectentes, animaduertimus eſſe duo genera indiuiduorum, nam quædam ſunt, quæ continentur ſub eadem ſpecie, vt Petr. & Anton. alia vero ſunt, quę continentur ſub diuerſis ſpeciebus, vt Petrus, hic leo, & ille equus. *1. Opinio.* *2. Opin.*

Sit 1. concl. Genus collatum ad indiuidua diuerſarum naturarum, obtinet rationem veri; & legitimi generis, vt animal collatum ad Petrum, & hunc leonem, habet locum veri generis. Confirm. Genus eſt, quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quid, atqui indiuidua diuerſarum naturarum differũt ſpecie; tum quia continentur ſub diuerſis ſpeciebus; tum quia differunt diffinitionibus eſſentialibus, ergo cum prædicetur genus de illis in quid, ratione illorum habebit locum veri generis. *1. concluſ.*

2. concl. Genus collatum ad indiuidua eiuſdem ſpeciei habet locum veri generis, vt animal collatum ad Petrum, & Antonium habet locum veri generis. Confir. Primo: Quia genus collatum ad indiuidua eiuſdem naturę eſt attributum vniuerſum, ergo debet eſſe aliqua ex quinque vocibus vniuerſis, ſed non eſt ſpecies, quia prædicatur de ſpecie, & ſpecies tantum prædicatur de indiuiduis, neque differentia, quia non prædicatur in quale, neque commune accidens, vel proprium, quia non prædicatur accidentario, ergo erit genus, nam quod inquiunt Louanienſes eſſe illud, attributum quoddam vniuerſum innominatum, eſt prorſus ridiculum, & tantis doctoribus indignum. Secundo: Eo modo *2. concl.*

prædica-

Digitized by Google

prædicatur genus de ſpecie, quo prædicatur de indiuiduis, & è conuerſo, eo modo prædicatur de indiuiduis, quo prędicatur de ſpecie: ſed prædicatur de ſpecie ea ratione, qua eſt genus, ergo prædicabitur quoque de indiuiduis ea ratione, qua erit genus. Aſſumptio eſt aperta, confirmatur propoſitio. Genus prę licatur de indiuiduis media ſpecie, ergo eadem ratione qua præ ſicabitur de ſpecie, prædicabitur quoque de indiuiduis. Et tandem, quia ſi genus collatum ad indiuidua eſſet attributum quoddam innominatum, & non genus, vel alia aliqua ex his vocibus vniuerſis, fuiſſet Porph. diminutus in hac diſputatione prętermittens vocem aliquam vniuerſam ſimplicem, & ſynonymam, quæ ſub his vocibus non contineatur.

Ad 1. arg. Ad argumenta. Ad 1. reſpond (ex his quæ diximus in ſuperiori quæſtione) correlatum generis non tantum eſſe ſpeciem, verumetiam indiuidua, quamuis in eo differāt, quod ſpecies ſit correlatum proximum, & immediatum, indiuidua vero ſint correlata remota, & mediata.

Ad 2. Ad 2. reſp. Genus immediate, & proxime tantū dici de ijs, quæ ſpecie differunt, remote tamen, etiam dici de iis, quæ ſolo numero diſtinguuntur. Vel dicimus aliud eſſe loqui per quid genus conſtituatur in eſſe generis, & aliud an genus conſtitutum in ſuo eſſe reſpectu huius, vel illius veram generis rationem obtineat. Si primo modo loquamur, genus tantum conſtituitur in eſſe generis per habitudinem ad ſpeciem, quemadmodum quodnis aliud relatum tantum conſtituitur in ſuo eſſe per habitudinem ad ſuum primum, & immediatum correlatum: ſi tamen agamus alio modo, dicimus illud non tantū obtinere hoc eſſe in habitudine ad ſpeciem, verum etiam in habitudine ad indiuidua, quemadmodum in alijs relatis, eſſe non tantum conuenit illis in habitudine ad primum, verum etiam in habitudine ad ſecundum correlatum. Itaque quamuis genus non conſtituatur in ſuo eſſe per habitudinem ad indiuidua, non tamen amittit per huiuſmodi habitudinem, naturam & eſſentiam generis.

QVÆSTIO V.

An genus per ſe prædicetur de differentiis.

PRæter habitudinem generis ad ſpecies, & indiuidua, datur etiam in illo alia habitudo ad differentias ipſum diuidentes, & ſpecies conſtituentes: nam cum ſumi poſſit, vel vt ēſt totum quoddam vniuerſum, vel vt eſt pars quædam vna cum differentia conſtituēs ſpeciem, vt eſt totum vniuerſum, denotat habitudinem ad ſpeciem, & indiuidua: vt autem eſt pars, refertur ad differentiam, eo modo quo potentia refertur ad actum. Cum igitur ad differentiam referatur, quærimus an ita referatur ad illam, vt per ſe & non accidentario de illa efferatur. Efferri accidentario, & non per ſe, his argumentis demonſtro.

Primo: Subſtantia eſt genus ſupremum, ſed ſubſtantia per ſe prædicatur de differentiis diuidentibus, ergo genus per ſe prædicabitur de differentiis diuidentibus. Confirm. aſſumpt. Corporeum & incorporeum ſunt differentiæ diuidentes ſubſtantiam: ſed ſubſtantia prædicatur de illis, nam hæ differentiæ ſunt entia, & cum non ſint accidentia, erunt ſubſtantiæ; ergo ſubſtantia per ſe prædicabitur de ſuis differentiis diuidentibus. *1. Argum.*

2. Hæc eſt optima & legitima conſequentia, omnis homo per ſe eſt animal, omnis homo per ſe eſt rationalis, ergo aliquod rationale per ſe eſt animal, ſed in illa genus in concluſione per ſe prædicatur de differentia, nimirum animal de rationali, ergo genus per ſe poterit de differentijs prædicari. *2. argum.*

3. In attributione accidentaria ſubiectum poteſt eſſe ſine attributo, vt in hac attributione, homo eſt candidus, homo qui eſt ſubiectū poteſt eſſe ſine candore; ſed differentiæ diuidentes aliquod genus non poſſunt eſſe ſine illo, vt particeps, & expers rationis, quæ diuidunt animal, non poſſunt eſſe ſine animali: ergo genus non prædicabitur accidentario de differentijs. *3. Argum.*

4. Quæ vniuntur accidentario non efficiunt vnum per ſe, vt ex homine, & candore, qui accidentario vniuntur, non fit vnum per ſe; ſed ex genere & differentia, fit per ſe vna ſpecies, ergo hæc duo non vniuntur accidentario, quod ſi non vniuntur, neque vnum de altero accidentario prædicabitur, quare genus per ſe prædicabitur de ſpecie. *4. Argum.*

Præterea: Quidquid competit ſuperiori ſecundum accidens, competit quoque inferiori; ergo ſi genus accidētario prædicatur de differentijs, cum differentię ſint ſuperiores ſpeciebus, ſunt enim attributa illarum eſſentialia, etiam genus accidentario prędicaretur de ſpeciebus, quod cum dici nullo modo poſſit, neque genus accidentario prædicabitur de differentijs. *5. Argum.*

Iterum: Quod competit rei per ſuam formam, competit illi per ſe, vt auctor eſt Ariſt. 5. *Metaphyſ. c.* 18. ſed rationale eſt animal per ſuā *6. Arg.*

formam,

formam, non enim quia habet talem materiam, ſed quia habet talem formam dicitur eſſe animal, ergo rationale per ſe eſt animal: ſed rationale eſt differentia, & animal genus, ergo genus per ſe poterit de differentiis prædicari.

De hac quæſt: ſunt tres Philoſophorū ſententiæ.

1. *Opinio.* Prima Ianduni 3. *Metaph.q.12.* genus per ſe, & non accidentario de ſuis differentijs prædicari, cu us ſententiam pleraq; ex argumentis, quæ propoſuimus, confirmant.

2. *Opin.* 2. Sententia eſt Alex. Aphrodiſei fidiſſimi Ariſt. interpretis *in comment.in c.3 li.3. Metaph.* exiſtimantis genera intermedia non prędicari per ſe de differentijs diuidentibus, ſuprema vero prædicari. Vnde animal quod genus eſt intermedium, per ſe non prędicabitur de participe, & experte rationis: ſubſtantia verò quæ eſt genus ſupremum per ſe prædicabitur, de illis, & de omnibus aliis differentijs illius categoriæ. Hanc ſententiam confirmat arg. primo, quod propoſuimus.

3. *Opinio.* 3. Sententia eſt cōmunis fere apud omnes Peripateticos, genus ſiue illud fuerit ſupremum, ſiue intermedium, nullo modo poſſe per ſe de differentijs diuidentibus prædicari. Hanc ſequitur D.Thom. *in c.3.lib.3. Metaphyſ.* Scotus *in eod.lib.q vnica*, Iauellus, Sueſſanus, Antonius Andreas, *q.2.* Aquarius *q.6.* Flandrēſis *q.6.art.4.eiuſd.lib.* & Soncinas *4 lib.Metaph. quæſt 20.*

1. *obſeruatio.* Hanc igitur ſententiam tanquam veriorē, vt explicemus ſciendum erit primo hanc vocē per ſe eſſe homonymam variaſque habere ſignificationes, quas recenſet Ariſt. *1.de demon. c.4 & 5.lib. Metaph.c.18* Ex quibus alijs prætermiſſis hęc particula ea ratione, qua poteſt inſtituto noſtro deſeruire, duobus modis ſumi poteſt. Primo, quando attributum eſt de eſſentia, & natura ſubiecti. Secundo è conuerſo quando ſubiectum eſt de natura, & eſſentia attributi, qui modi ſunt ē 10 priores ab Ariſt. *1.de dem.recenſiti.* Itaque quod quærimus eſt, an genus ſit de eſſentia differētiarum, vel differentiæ de eſſentia generis; vel an conceptus generis ſit intimè incluſus in conceptu differentiarum, vel conceptus differentiarum in conceptu generis.

2. *Obſeru.* Cæterum vt hāc rem facilius multò intelligamus adnotandum iterum erit, duplicem eſſe (vt ita loquar) per ſeitatem vnam Logicam, & alteram Metaphyſicam. Logica in attributione eſt cōſtituta, eſtque illa in qua attributum eſt de conceptu eſſentiali, & quidditatiuo ſubiecti, vel econtra, ſubiectū eſt de conceptu attributi, quæ duo primum & ſecū dum modum dicendi per ſe ſuo ambitu comprehendunt. Metaph. vero in entitate cernitur, eſtq; quando aliqua res eſt talis ſecundum ſuam naturam, & non alterius beneficio ſeu participatione, qua ratione Deum dicimus eſſe per ſe ens, & ſolem per ſe ſplendidū, quia Deus per ſuam eſſentiam habet entitatē & ſol ſplendorem: at creaturæ non ſunt entia hac ratione, nec alia aſtra ſunt ita ſplendida, quia creaturæ beneficio Dei ſunt entia, & aſtra beneficio ſolis ſunt ſplēdida. Tandem reuocanda ſunt ad memoriam, quæ ſupra *ſect.4. de reb.Vniuerſ.q.3.* diximus dupl cem eſſe attributionem vnam identicam, & alterā formalem. Identica eſt in qua eadem res per ſubiectum & attributum declaratur. Formalis vero dicitur, in qua attributum eſt de conceptu formaliter ſubiecti.

His animaduerſis ſit prima concluſio. Attributione identica genus per ſe prædicatur de differentiis diuidentibus, & eadem ratione differentiæ diuidentes de genere dici poterunt. Vnde hæ attributiones identicæ erunt veræ, rationis particeps eſt animal, & animal eſt rationis particeps Confirmatur. Illæ attributiones ſunt veræ identicæ, in quibus ſubiectum & attributum ſignificant rem vnam, & eandem, ſed genus, & differentia ſignificant rem vnam, & eandem, nimirum eandem naturam ſpecificam à qua proxime, & immediate genus & differētia poſtulantur, ergo & genus de differentia, & hæ de genere attributione identica vere dici poterunt. 1. *concluſ.*

2. concl. Si agamus de per ſe Metaphyſico genus per ſe competit differentiæ. Confirm. quia differentia non alterius beneficio, ſed ſe ipſa immediate cū genere vnitur, atqui quando entitas alicuius immediate vnitur cū alio, illud cum quo vnitur dicitur per ſe ſeitatem, vel per ſe tatem Metaphyſicā vt auctor eſt Ariſt. *5.Metaph.c.18.* ergo per ſeitatem Metaphyſ. genus poterit de differentiis prædicari. Et confirm. Hæc attributio extremitas eſt candida, eſt per ſe, perſeitate Metaph vt Ariſt. *in eod.loco* docet, eo quod extremitas immediate vnitur cum cādore, ſed differentia immediate vnitur cum genere, vt rationis particeps cum animali, ergo genus prædicari poterit per ſe de differentia hac ratione. 2. *concl.*

3. conel. Si agamus de per ſe logico, genera ſuprema nulla ratione poſſunt prædicari, per ſe de ſuis differentiis diuidentibus. Hæc eſt aduerſus Alexandrum. Et confirm primo. 3. *concl.*

Si ens eſſet genus, non poſſet eſſe aliud quam ſupremum, ſed ſi genus non eſſet incluſum in vltimis differentiis, vt apertiſſime profitetur Ariſt. 3. *Metaphyſ. cap. 3.* & per conſequens non poſſet de illis per ſe prædicari perſeitate logica: ergo genera ſuprema non poterunt per ſe prædicari de differentiis diuidentibus. Iterum ſi genus ſupremum in conceptu ſuarum differentiarum eſſet incluſum, non poſſet vna cum eis aliquam compoſitionem efficere: etenim ex eo ens, & vnum, nullam poſſunt efficere compoſitionem, neque in diffinitionibus adhiberi, quia in rerum omnium conceptibus includuntur, vt docet Ariſt. 8. *Metaph. cap. 6* ſed genera ſuprema vna cum differentiis diuidentibus efficiunt compoſitionem vt ſubſtantia vna cum corporeo, conſtituit lapidem, & cum incorporeo, angelum, ergo genera ſuprema non poterunt per ſe de ſuis differentiis prædicari.

4. concl. 4. concl. Neque genera intermedia poſſunt per ſe de differentiis diuidentibus prædicari. Hanc aduerſus Iandunum profitemur cum D. Tho. Scoto, Soncinate, Ianello, Flandrenſi, & aliis in tertia opinione propoſitis. Quæ confirmatur primo ex Ariſtot. qui variis in locis illam apertiſſime profitetur 3. *Metaph. cap. 3.* docet ens non eſſe genus, quia eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum, nam genus inquit extra conceptum differentiarum debet eſſe, *& lib. 7. cap. 12.* inquit, neque genus participare naturam differentiarũ neque differentias naturam generis. Et apertius multo idem teſtatur 4. *Topic. c. 2.* & 6. *c.* 3. Secundo confirmatur argumento quo vtitur in hoc loco Ariſtot. Si genus per ſe prædicaretur de ſuis differentiis, fieret inde in diffinitionibus committi nugationem, at hoc vitium eſt à diffinitionibus omnino reijciendum, ergo genus non prędicabitur per ſe de differentiis. Confir propoſitio. Sumamus diffinitionem hominis animal particeps rationis, vel eſt idẽ animal (quod eſt genus in hac diffinitione) quod prædicatur de rationis participe (quod eſt differentia) & quod continetur in prima parte diffinitionis, vel diuerſum; ſi diuerſum, ergo homo eſſet multa animalia, ſcilicet animal, quod exprimitur per primam partem, & illud quod eſt incluſum in rationis particip e Si vero non fuerit diuerſum ſed idem, ergo bis animal collocaretur in diffinitione ſemel quando dicimus animal, & iterum quando dicimus particeps rationis, ſed quando in ea dem oratione bis idem reperitur, committitur vitiũ nugationis, ergo ſi genus per ſe prędicaretur de differentiis diuidentibus, in definitionibus committeretur nugatio. Tertio vtor argumento propoſito à D. Thom. vbi ſupra, ſi genus per ſe prædicaretur de differẽtijs diuidentibus, vel prædicaretur de illis in primo, vel in ſecundo modo dicendi per ſe, at neque in primo, neque in ſecundo dici poteſt, non in primo, quia differentiæ non participant naturam generis, neque eſt genus de eſſentia earum, neque in ſecundo, quia genus non diffinitur per differentias, vt in ſecundo modo dicendi per ſe attributum diffinitur per ſubiectum, ergo genus non prædicabitur per ſe de ſuis differentijs. Quarto: Quæ ſunt primo diuerſa non poſſunt in aliqua natura ſynonyma conuenire, ſed differentiæ ſunt primo diuerſæ, ergo non poterunt in aliqua natura ſynonyma conuenire; at ſi genus per ſe prædicaretur de illis conuenirent in aliqua natura ſynonyma, nimirum in natura generis, quæ eſt ſynonyma, ergo genus non poterit per ſe prædicari de differentijs. Quod ſi per ſe non prædicatur, accidentariũ prædicabitur, non quidem vt accidens denotat illud, quod poteſt ſubiecto inhærere, vel non inhærere, nam neque genus differentiis, neq; differentiæ generi inhærent; ſed vt ſignificat illud, quod non eſt de eſſentia, vel conceptu alicuius eſſentiali, quia genus, neque eſt de eſſentiâ, neque de conceptu eſſentiali differentiarum.

5. concl. Differentiæ diuidentes non poſſunt per ſe in primo modo de generibus prædicari bene tamen in ſecundo. Primam partem profitetur his verbis Ariſtot. 7. *Metaphyſ. cap. 12. Genus enim differentiarum non videtur eſſe particeps.* Et confirmatur ratione ibi ab ipſo propoſita. Contraria non poſſunt per ſe de eodem ſubiecto prædicari: nam cũ ſe mutuo interimant, eidem ſubiecto ſimul ineſſe nequeunt, ſed differentiæ diuidentes aliquod genus ſunt contrariæ, ergo non poterunt per ſe de genere prædicari. Præterea, ſi per ſe prædicarentur de genere, vt de animali, particeps & expers rationis, cum quidquid per ſe conueniat ſuperiori, conueniat quoque inferiori ſub illo eſſentialiter contento, profecto homini conuenieret eſſe participem, & expertem rationis, quod quam ſit abſurdum non eſt, qui non videat, quare hac ratione non poterunt differentię de genere prędicari. Alteram partem nimirum prædicari in ſecundo modo ex eo poterimus demonſtrare, quia ſecundus modus eſt in quo attributum ſubiectum definitur, at differentiæ diuidentes genus, per 5. concl.

ipſum genus diffiniuntur, nam particeps rationis diffinimus animal, quod poteſt vti ratione, quare differentiæ per ſe poterunt in ſecundo modo de genere prædicari. Hoc autem intelligi debet de omnibus differentijs diuidentibus cum disiunctione, & non de vna, vel altera, vt inquit Ariſt. 6 *Topicorum cap.* 3. nam vna, vel altera eſt minor genere: omnes vero ſimul ſumptæ totum illius ambitum, & facultatem adæquant, quare non poterit vna per ſe, ſed omnes ſimul de genere prædicari. Et certe cum omnes differentiæ ſint veluti quædam proprietates cum diſiunctione à natura generis profluentes, poterunt ita per ſe prædicari in ſecundo modo de genere, quia ſecundus modus eſt in quo proprietates de ſuo ſubiecto prædicantur. Vnde hæc erit per ſe in ſecundo modo, animal vel eſt particeps vel expers rationis, quemadmodum hæ aliæ numerus eſt par vel impar, & linea vel eſt recta vel inflexa.

6. concl. 6. concluſ. Species non prædicatur per ſe de ſuis differentijs conſtituentibus. Hanc docet Ariſt. 3. *Metaphyſ. cap.* 3 ſub his verbis: *Fieri autem non poteſt, vt vel ſpecies generis de propriis differentiis dicatur.* &c Suaderique poteſt Species, neque in primo neque in ſecundo modo dicendi per ſe dicitur de differẽtijs, ergo nullo modo per ſe de eis dicetur. Confirmatur antecedens. Inprimis non dicitur primo modo, quia in illo attributum eſt de eſſentia ſubiecti, at ſpecies non eſt de eſſentia ſuarum differentiarum. Deinde neque in ſecundo, quia in illo attributum eſt proprietas ſubiecti, vel habet ſe ad modum proprietatis: ſpecies vero neque eſt, neque habet modum proprietatis in ordine ad ſuas differ. Et deinde, quia in ſecundo modo, quod eſt vere attributum, habet locum veri attributi, at in attributione qua ſpecies prædicatur de ſuis differentijs, quod eſt vere attributum nõ habet locum illius, nam differentia eſt vere attributum ſpeciei, quæ in hac attributione, in qua ſpecies prædicatur de illa, non habet locum attributi, ſed ſubiecti, non igitur poterit ſpecies per ſe prædicari de ſuis differentijs.

Ad 1. arg. Æquum eſt iam vt argumentis in initio propoſitis ſatisfaciamus. Ad 1. reſp. ſubſtantiam, quæ dicitur de ſuis differentijs, non eſſe illam, quæ eſt genus ſupremum, ſed aliam communiorem, & magis late patentem, quæ eſt diuiſa contra accidens, ambitque non tantum naturas integras, verumetiam, & modos internos, quę certe ſubſtantia eſt natura quędam analoga, & non ſynonyma, ac proinde neque genus. Legendus eſt Flandrenſis vbi ſupra in ſolutionibus argumentorum.

Ad 2. Ad 2. reſp. Negando conſequentiam, primo cum Iauello, quia in propoſitionibus hęc dictio per ſe, ſumitur Logice & in attributione, nam vtraque eſt in primo modo dicendi per ſe, etenim in prima attributum eſt genus, & in ſecunda eſt differentia hominis, qui eſt ſubiectum, at in concluſ. ſumitur Metaphyſice, vel entitatiue. quare cum alio modo ſumatur in præmiſſis, & alio in concluſione, nulla erit conſequentia, quamuis conſequens ſit verum, nam verum eſt rationale per ſe eſſe animal, vſurpando dictionem per ſe Metaphyſice, & entitatiue. Secundo neganda eſt eadem conſequentia, quia non eſt neceſſe vt extrema tantum vnionem habeat inter ſe, quantam habent cum medio, & ita quamuis animal, & particeps rationis vniantur eſſẽtialiter, & per ſe, per ſeitate Logica, nõ proinde hac perſeitate vnientur inter ſe, ſed ſola Metaph.

Ad 3. Ad 3. reſp. Prædicationem accidentariam eſſe duplicem, vnam in qua attributum eſt verum accidens ſubiecti illi inhærens, vt eſt hæc attributio, homo eſt candidus, & alteram in qua attributum non eſt verum accidens ſubiecto inhærens, ſed ex eo dicitur accidentaria, quia attributum non eſt de ratione & conceptu quidditatiuo ſubiecti. Si fuerit accidẽtaria prioris generis, poterit ſubiectum exiſtere ſine attributo, vt homo poteſt eſſe ſine cãdore; ſi vero fuerit accidentaria altero modo, nõ eſt neceſſe vt ſubiectum poſſit eſſe ſine attributo, qua ratione genus accidentario prædicatur de differentiis, quia nimirum, non eſt de conceptu quidditatiuo earũ, & proinde nõ colligitur vt poſſint differẽtię eſſe ſine genere.

Ad 4. Ad 4. reſp. Veram eſſe propoſitionem de vnione accidentaria accidentis veri, & inhærẽtis cum ſubiecto, nam ex vnione vtriuſq. non poteſt fieri vnum per ſe, falſam autem ſi nomine accidentis intelligamus, id quod nõ eſt de conceptu alterius. nam ex his bene poteſt fieri vnum per ſe: etenim neque materia eſt de conceptu formæ, neque forma de cõceptu materię ex quibus tamen fit vnum per ſe ſcil. totum compoſitum naturale.

Ad 5. Ad 5 reſp. Quando ſuperius eſt cauſſa vt attributum conueniat inferiori verum eſſe illud, quod accidentario dicitur de ſuperiori accidentario quoque dici de ſubiecto, vt quia homo & capax diſciplinę dicũtur de Petro, & capax diſciplinæ dicitur de illo, quia homo dicitur de illo, propterea qui accidentario dicitur de homine, accidentario quoq;

2. *Arg.* 2. Genus, vt genus prædicatur de ſpecie, vt conſtat ex illius definitione, ſed genus, vt genus, eſt pars, nam genus ita ſumptum ingreditur diffinitionem, quam non poteſt ingredi, niſi in ratione partis, ergo genus vt pars prædicabitur de ſpecie.

3. *Arg.* 3. Si genus prædicaretur vt totum, ſequeretur illud continere infinitas perfectiones, quod certe dici nullo modo poteſt: hoc enim tantum ſpectat ad illimitatam, & infinitam naturam, qualis non poteſt eſſe generica. Quod vero ſequatur, ita confirmo: Omne totum, quod de aliquo prædicatur, continet perfectiones eorum, de quibus prædicatur, ergo ſi genus prædicatur vt totum de ſuis ſpeciebus, continebit perfectiones illarum, ſed perfectiones ſpecierum poſſunt eſſe infinitæ quia ſpecies vt numeri poſſunt augeri in infinitum, ergo ſi genus prædicaretur vt totum, contineret illud perfectiones infinitas.

4. *Arg.* Præterea, Vel animal (quod prædicatur de homine tanquam genus) eſt idem cum illo, vel diuerſum: ſi eſt idem, ergo hæc propoſitio erit identica, homo eſt animal: ſi vero fuerit diuerſum, ergo non poterit de illo prædicari: nam prædicatio identica identitati, & non diuerſitati innititur, quare genus neque vt totum, neque vt pars prædicabitur de ſpecie.

Obſ. ad quæſtionē explicandam. Explicatio huius quæſtionis dependet ex iis, quæ nos ſæpe propoſuimus *ſectione 4. de rebus vniuerſis, quæſt.* 4 *&* 5. ex D. Thom. & Caietano 4. *cap. de ente & eſſentia.* genus ſumi poſſe vel cum præciſione, aut ſine illa. Sumitur cum præciſione, quando ſignificat tantum, & præciſe ſua attributa, abſque vlla habitudine ad inferiora, quibus illa poſſunt conuenire. Sumitur vero ſine illa, quando ſumitur, vt poteſt ſuis inferioribus hæc attributa communicare, vel vt confuſa ratione continet, quidquid in inferioribus reperitur. Primo modo dicitur totum actuale, vel definibile, quia ſumitur vt totum actu, habens attributa eſſentialia, quæ per definitionem eſſentialem explicantur: altero vero vocatur totum vniuerſum, vel poteſtate, quia ſumitur in habitudine ad plura, quæ ſub illo in potentia vel confuſa ratione continentur. Sit exemplum de animali, quod ſumi poteſt vel vt tantum ſignificat attributa ſua eſſentialia, nimirum eſſe ſubſtantiam, corpoream, animatam, ſentientem, præſcindendo à rationis participe, & experte, vel vt confuſe continet, quidquid in homine & bruto reperitur, eſt enim animal, quod habet animalitatem, ſub qua particula, quod habet, homo, & brutum, & quæcunque eis inſunt, confuſa ratione deſignantur. Primo modo dicitur totum actuale, eſſentiale, vel diffinibile, ſecundo vero modo vocatur totum vniuerſum, vel poteſtate. Præterea genus ſumptum ſine præciſione, vel vt eſt totum vniuerſum, adhuc poteſt ſumi duobus. Primo, vt eſt iam contractum per differentiam ad aliquam ſpeciem, altero modo, vt eſt indifferens, nondumque contractum per aliam differentiam ad ſpecies, vt in eodem exemplo animal ſumi poteſt, vel vt eſt contractum ad hominem per particeps rationis, vel vt nondum eſt contractum, & indifferens ad particeps, & expers rationis.

Hoc iacto fundamento, ſit prima concluſio: Genus non continetur in diffinitione, vt eſt totum confuſe continens quidquid eſt in ſpecie, ſed vt eſt pars, & vt præciſe denotat attributa eſſentialia. Confirmatur primo: Genus ea ratione continetur in diffinitione, qua denotat naturam habentem ſe ad modum materiæ, & potentiæ, ſed vt eſt quoddam totum, non habet ſe ad modum materiæ & potentiæ, nam ita actum ſignificat multa ſuo ambitu continentem, ergo genus hac ratione non continebitur in diffinitione. 1. *concluſ.* Secundo: Genus ea ratione continetur in diffinitione, qua denotat gradum quendam diſtinctum à gradu, quem denotat differentia, ex his ſiquidem duobus gradibus fit vnum diffinitum, ſed vt eſt totum, non denotat gradum diſtinctum à gradu, quem denotat differentia, ita enim continet illam, nam continet, quidquid eſt in ſpecie, ergo genus hac ratione non continebitur in diffinitione. Præterea: Si genus vt totum contineretur in illa, ergo cum genus ita ſumptum non tantum denotet gradum ſuæ naturæ, verum etiam differentias ſuarum ſpecierum, fieret, vt in definitione aliquam nugationem committeremus, nam bis idem repeteretur, differentia nimirum, nam ſemel nomine generis proponeretur, cum genus vt totum illam contineat, & iterum nomine proprio repeteretur, at in definitionib. nulla admitti debet nugatio, quare neq; continebitur in illa genus hac ratione.

2. *concluſ.* 2 concluſ. Genus vt ſumitur cum præciſione ſuorum attributorum (qua ratione habet locum partis) non prædicatur de ſpecie. Hanc docent D. Thom. & Caietan. *cap. 3 de ente* M. Sot. *quæſtione vnica de genere* & Scotus *q. 16. in Porphyr. ad* 1. quæ confirm. Nulla pars vt habet rationem partis, cõtinere poteſt quidquid in toto cõtinetur, ergo genus, vt eſt pars ſpeciei,

Digitized by Google

non continebit, quidquid eſt in illa, at in omni vera prædicatione aiente debet attributum continere, quidquid in ſubiecto reperitur, ergo genus in ratione partis non poterit de ſpecie prædicari. Addo, genus ita ſumptum ſumi cum præciſione ſuorum attributorum, abſque additione vlla noui gradus, & perfectionis: ſed attributo, quod prædicatur de ſpecie, addi neceſſario debet nouus gradus, & perfectio differentiæ ſpecificæ, ergo genus in ratione partis non poterit de ſpecie prædicari.

3. concluſ. 3. concluſ. Genus vt contractum per differentiam aliquam eſſentialem ad ſpeciem, non poteſt de illa in recto prædicari. Hæc colligitur ex prima; Genus vt contractum per differentiam, eſt genus, vt continetur in diffinitione, ſed genus ita ſumptum non prædicatur in recto de ſpecie, ergo neque contractum de illa prædicabitur. Præterea: Prædicatio generis de ſpecie, eſt maioris de minori, ſed genus contractum non eſt maius, ſed æquale, quemadmodum differentia contrahens non eſt maior, ſed æqualis ſpeciei, ergo hac ratione non poterit de ſpecie prædicari.

4. *Arg.* 4. concluſ. Genus vt eſt totum quoddam vniuerſum, confuſe continens, quidquid in ſpecie reperitur, prædicatur de illa. Hæc etiam eſt D. Th. Caietani, Soti, & Scoti, vbi ſupra. Quæ confirmatur primo, quia genus aliquo modo prædicatur de ſpecie: at non prædicatur in ratione partis, & vt præciſe denotat ſua attributa eſſentialia, prædicabitur igitur ea ratione, qua eſt totum, & vt confuſe continet, quidquid in ſpecie reperitur. Secundo: Illa attributio eſt vera, in qua attributum eſt idem cum ſubiecto, ex D. Thom. 1. *par. q.* 13. *art.* 12. ſed quando genus prædicatur de ſpecie, genus continet, quidquid in illa reperitur, nam inprimis continet proprium gradum ſuæ naturæ, & deinde continet gradum, quem exprimit differentia, vt animal hac ratione denotat animalitatem expreſſe, & continet etiam rationalitatem (quæ certe apertam indicant identitatem inter genus & ſpeciem) ergo genus hac ratione vſurpatum vere poterit de ſpecie prædicari.

Ad 1. arg. Ad argumenta: Ad primum reſpond. partes diffinitionis prædicari de re diffinita, non vt partes, ſed vt tota quædã, quæ confuſe continent, quidquid in diffinito reperitur, qua ratione intelligi debet Ariſt. & non de partibus, vt partes ſunt.

Ad 2. Ad 2. reſpond. falſum eſſe genus, vt genus eſſe partem ſpeciei, ſed vt ſumitur cum præciſione ſuorum attributorum. Genus enim vt genus totum quoddam eſt, confuſe continens, quidquid in ſpecie reperitur.

Ad 3. reſpond. duobus modis intelligi poſſe genus continere perfectiones ſuarum ſpecierum. Primo actu, & formaliter, vel eſſentialiter, ita vt ſint attributa eſſentialia generis: ſecundo modo poteſtate, vel vt coniungitur cũ his differentiis. Primo modo non continet genus perfectionis ſuarum ſpecierum, quia differentiæ, quibus ſpecies perficiuntur, non ſunt de eſſentia generis. Verũ altero modo per modum cuiuſdam coniunctionis, & vnionis, continet illas, quia vnitur cum ipſis in ſpeciebus ſibi ſubiectis qua ratione nullum eſt incommodum aſſerere continere infinitas perfectiones poteſtate. *Ad 3.*

Ad 4. reſpond. animal, quod prædicatur de homine, non eſſe illud, quod eſt contractum per illius differentiam, quæ eſt rationis particeps, vt in quæſt. diximus: ſed animal, vt eſt totum vniuerſum, & per intellectum eſt ſeparatum, & differens ab homine, confuſe continens, quidquid in eo reperitur, prædicatur de illo, vt ex his, quæ ſuperſunt, explicata apertiſſime conſtat. *Ad 4.*

QVÆSTIO III.

An ſola ſpecies ſit, in quam, tanquam in ſuum terminum referatur genus?

HAnc quæſtionem, quamuis à pleriſque prætermiſſam eſſe videam, animus fuit propter ſubtilitatem & difficultatem hoc loco inter eas quæſtiones, quæ de genere in habitudine ad ſpeciem pertractantur, agitare Et quidem cum duplex poſſit eſſe terminus alicuius relationis, vnus proximus, & immediatus, nõ tamen adæquatus, & alius adæquatus: confir. terminum immediatũ, in quem fertur genus, non eſſe ſpeciem, ſed naturam aliquam ſubiicibilem, cõmunem ſpeciei & indiuiduo.

Primo: Tam ſpecies, quam indiuiduũ ſubiiciuntur generi, quamuis eo differant, quod ſpecies ſubiicitur illi immediate, indiuiduum autem mediate: ſed ſubiici mediate, vel immediate, non aufert aliquam naturam communem ſynonymam, ab his, quæ ſubiiciuntur: ergo ſpeciei, & indiuiduo aſſignari debet aliqua natura ſubiicibilitatis communis, & ſynonyma, quæ ſit primus & immediatus terminus relationis generis. Confirmatur aſſumptio: Nam propoſitio eſt aperta: Inprimis eadem ratio eſt ſubiicibilitatis, quæ prædicationis: ſed ei, quod pdicatũr mediate, *1. Arg.*

&quod

& quod prędicatur immediate dari poteſt natura aliqua communis ſynonyma, etenim generi ſupremo & intermedio datur communis natura ſynonyma generis, ex quibus genus intermedium prædicatur immediate de ſpeciebus, ſupremum vero mediate, ergo ſubijcibili mediato & immediato, aſſignari debet aliqua ratio ſubijcibilis ſynonyme communis. Deinde; Homo ſubijcitur immediate capacitati diſciplinę, Petrus vero mediate, cũ tamen capacitas diſciplinæ ſit attributum commune, & ſynonymum his duobus ſubiectis; iam igitur ſubijcibile mediate & immediate poterunt habere naturam aliquam ſubijcibilis communem.

2. Argum. 2. confirmatur idem. Nulli eſt dubium, tã ſpeciem quam indiuidua referri ad genus relatione ſubijcibilitatis, vel igitur referuntur ad illud eadem numero relatione, vel diuerſis: eadem numero referri non poſſunt, quia eadem numero relatio nõ poteſt eſſe in duobus extremis diuerſis: referuntur igitur diuerſis numero relationibus, vel ergo hæ relationes ſolo numero differunt, aut ſpecie, aut numero. Specie & numero differre non poſſunt, quia correlatum, nimirum genus eſt vnũ ſpecie, & quod fuerit vnum ſecundum ſpeciem, non poteſt primo referri ad correlata ſpecie diuerſa, erunt igitur ſolo numero differentes; ſed quæ differunt numero, conueniunt in aliqua natura ſpecifica communi, ergo ſpecies, & indiuidua habebunt communem aliquam naturam ſpecificam ſubijcibilitatis, quæ primo terminet relationem generis.

3. argum. 3. Dantur multæ ſpecies in quibus tantũ eſt indiuiduum, & in quibus ſpecies & indiuiduum à parte rei ſunt, vnum & idem, vt ſunt omnes ſpecies angelorum, ergo ſaltim in his terminus immediatus erit indiuiduum, & non tantum ſpecies.

4. argum. Præterea: Terminus immediatus generis eſt quod differt ſpecie ab alio, vt conſtat ex illius diffinitione, quæ exprimit notionem genericam, ſed dantur indiuiduà, quæ ſpecie differant vt Petrus, hic equus & ille leo, ergo correlatum immediatum relationis generis, erunt indiuidua, & non tantum ſpecies.

1. Opinio. Louanienſes in caput de genere, referunt quorundam opinionem, qui putãt immediatum correlatũ generis non eſſe ſpeciem, neq; indiuidua, ſed ſubijcibile in quid, quod eſt commune ſubijcibilitati ſpeciei, & indiuiduorum. Hanc ſententiam confirmant argumenta, quæ propoſuimus, maxime vero duo priora.

2. Opin. Iidem tamen Louanienſes ſecũdam a iam ſententiam ſequuntur, putant enim correlatum immediatum, & adæquatum generis eſſe ſolam ſpeciem, ita vt hæc relatio ad ſolam ipſam, & non ad aliquod ſubijcibile commune, vel ad indiuidua terminetur, & reſpectu indiuiduorum non dici genus, ſed attributũ quoddam innominatum cui hactenus nullũ fuerit inditum nomen. Verum hanc opinionem hoc loco prętermittimus, quia de illa in quæſt. ſeq. diſputabimus.

3. Opinio. Eſt igitur tertia eaq; veriſſima opinio, Ammonij, Boetij, Auicennæ, B. Alberti M. Caietani, & fere omnium recentiorum in cõmentarijs (*quidam in cap. de genere. & alij in cap. de ſpecie*) correlatum immediatum generis eſſe ſpeciem, adæquatum tamen non eſſe illam ſolam, ſed eam vna cum indiuiduis. Itaque ſpecies eſt, quæ primo terminat relationem generis; verum hæc relatio ad plura ſe extendit, quam ad ſpeciem, nimirum ad indiuidua.

Quid ſit terminus immediatus, & quid terminus adæquatus explicatur. Ne tamen ex ignorantia nominum in errorem aliquem incidamus, erunt hæ duæ voces terminus immediatus, & terminus adæquatus expl. eandæ. Terminus immediatus dicitur ille, qui ratione ſui, & nõ alterius terminat relationem, vt in viſione, lumẽ eſt terminus immediatus, nam illud ratione ſui terminat actum videndi. Mediatus vero dicetur, qui ratione alterius terminat relationem vt in eodem exemplo, color eſt terminus mediatus viſionis, nam ratione luminis terminat illam.

Terminus adæquatus dicitur ille, qui ſolum terminat relationem, & ita adæquat illã, vt ad alium terminum ſe extẽdere nullo modo poſſit, qua ratione color eſt terminus adæquatus viſionis, quia nihil poteſt viſus cernere, quod non fuerit aliquo colore affectum. Inadæquatus vero ille erit, qui quamuis terminet non tamen ſolus, vt candor eſt terminus inadæquatus viſionis, nam quamuis terminet illam ad ardorem intuẽdum ſeſe etiam poteſt extendere.

1. concl. Sit igitur 1. concl. Genus vnica relatione refertur ad omnes ſpecies. Confirm. In omnibus ſpeciebus eſt vnica ſecundum ſpeciem ratio terminandi relationem generis, ſcil. ratio ſubijcibilitatis in quid, & ſecundũm eſſentiã, quæ vna eſt in omnibus ſpeciebus: ergo vnica quoque erit in genere relatio, qua refertur illud ad ſpecies. Confirm. conſequentia, quia ſi eſſet multiplex, eadem relatio ſecundum ſpeciem, eademq; ratione poſſet terminare plures relationes ſpecie diuerſas. Præterea: Rela-

rio generis ad ſpecies eſt relatio principij ad principiata, nam genus principium eſt ſ[illegible]rum ſpecierum, vt ait Porphyr. in hoc, ſed in principio tantum eſt vnica relatio, qua refertur ad omnia principiata, quæ habent eandē rationem principiari, vt in patre tantum eſt vnica relatio, qua refertur ad omnes filios ergo genus vnica tantum relatione ſecundum ſpeciem refertur ad omnes ſpecies, quia omnes illæ habent eandem rationem ſubijcibilitatis.

2. concl. 2 concl. Correlatum immediatum generis non eſt ſubijcibile commune ſpeciei & indiuiduis. Hæc eſt aduerſus auctores primæ opinionis, quæ confirmatur primo. Quia relatum per ſuum primum & immediatum correlatum definiri debet, peccat enim, qui alio modo relata diffiniret, vt auctor eſt Ariſt. 6. *Topic. cap. 2.* ſed genus non fuit definitum per relationem ad ſubijcibile commune, ſed ad ſpeciem, vt conſtat ex definitione à Porph. & ab Ariſt. tradita, in qua definitur illud, quod dicitur de multis ſpecie differentibus: ergo primum & immediatum correlatum generis, non erit aliquod ſubijcibile commune, ſed natura ſpecifica. Præterea: Si daretur aliquod ſubijcibile commune ſpeciebus, & indiuiduis, quod primo terminaret relationem generis, ergo etiam daretur aliquod prædicabile commune generi, & ſpeciei, quod primo terminaret relationem inferiorum, nimirum indiuiduorum, quod certe nullus hactenus admiſit, quare non dabitur tale ſubijcibile commune ſpeciei & indiuiduis.

concluſ. 3. concl. Correlatum primum & immediatum generis eſt ſpecies. Confirmatur primo ex illius definitione, quę indicat aperte genus & ſpeciem primo referri, & ex his, quæ docet Porphyr *in cap. de ſpecie*, vbi inquit, genus & ſpeciem eſſe ad inuicem definita, quia ſunt relata. Secundo; Correlata prima, & immediata generis ſunt illa, quæ ſpecie differunt, ſed quæ primo & immediate ſpecie differunt, ſunt ipſæ ſpecies, nam indiuidua ſi ſpecie differunt non differunt primo, ſed propter ſpecies; ergo ſpecies erunt prima & immediata correlata generis. Et tandem, quia huic relationi generis eſt aliquod primum & immediatum correlatum aſſignandum, at illud nō poteſt eſſe indiuiduum, quod non ratione ſui, ſed ratione ſpeciei ſubeſt generi; ergo correlatum primum, & immediatum generis erit ſpecies.

4. concl. 4. concl. Species non eſt adæquatum, & totale correlatum generis. Confirmatur: Genus de pluribus prædicatur, quam de ſpeciebus nam prædicatur de indiuiduis, ſed relatio generis eſt relatio prædicabilis, & vniuerſi, ergo genus ad plura, quā ad ſpecies refertur: quare illę non erunt termini adęquantes relationem genericam.

5. concl. 5. concl. Indiuidua ſunt termini mediati, & ſecundarij relationis genericæ. Hæc etiam notiſſima eſt, quia indiuidua ſecundario, & mediate differunt ſpecie, eo quod contineātur ſub naturis ſpecie diuerſis ſed aliquid eo modo terminat relationem generis, quo ſpecie differt ab altera: ergo indiuidua erunt termini immediati & ſecundarij generis. Quod ſi quis dicat hoc argumentum tantum probare de indiuiduis diuerſarum ſpecierum, non autem de illis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & quæ ſolo numero differūt, eſſe etiam aſſertionem de his indiuiduis intelligendam hoc argumēto ſuadeo. Relatio generis ad indiuidua, eſt relatio prædicabilis, ad ſubijcibile, ergo eo modo indiuidua terminabūt relationem generis, quo illi ſubijciuntur, ſed indiuidua, quæ intra eandem ſpeciem continentur, non ſubijciuntur generi immediate, ſed ſecundario, & mediate, ſcilicet mediante ſpecie, ergo erunt illa mediata, & ſecundaria correlata generis.

Dubium. Quod ſi quis quærat, qua ratione ſpecies terminet relationem generis, num pro notione ſecunda tātum, vt pro natura ſubiecta notioni. Reſpondendum erit, ſi loquamur de termino eſſentiali, notionem ſumptam in concreto eſſe terminum illius, nam etiam genus pro notione ſumpta in cōcreto, eſt quod refertur ad ſpeciem. Si tamen agamus de termino denominatiue, & materialiter, terminus erit natura ſubiecta notioni; nam idem iudicium eſt huius rei, quod de definito definitionis generis, quod eſſentialiter diximus eſſe notionem ſumptam in concreto, denominatiue vero, & materialiter, naturam ſubiectam notioni. *Solutio.*

Ad 1. arg. Iam ad argum quæ propoſuimus. Ad primum dicimus, ſubijci mediate, vel immediate, ita vt vnum tantum propter alterum ſubijciatur, auferre naturam aliquam communem & vniuocam ſubijcibilis, non tamē prædicabilis quemadmodum in ſpecie, & indiuiduis ſubijci ſpeciem immediate proprio, & indiuidua mediate, aufert aliquod ſubijcibile commune vtrique, quia indiuidua media ſpecie illi ſubijciuntur, non tamen aufert communem rationem prædicabilis, proprium ſiquidem commune eſt his duobus

ſubijcibilibus. Eodem modo cum indiuidua tantum ſubijciantur generi propter ſpecies, quamuis mediate ſubijciantur, & ſpecies immediate, non propterea aſſignanda erit aliqua ratio cõmunis ſubijcibilis, licet aſſigneretur idem prædicabile commune, nimirũ genus. Ad primam confirm. respond. generi ſupremo, & intermedio, non dari communem aliquam naturam, ſed ſolam notionem generis, & eodem modo dicimus, ſubijcibili mediato & immediato, non dari communem aliquam naturam, bene tamen communem notionem ſubijcibilis, hoc enim nos non diffitemur. Ad ſecundam confirm. dicimus falſum eſſe, ſpeciei & indiuiduo reſpectu proprij dari aliquod ſubijcibile commune, vt nuper dicebamus.

Ad 2. Ad 2. arg reſp. Speciem, & indiuidua vna eademque relatione ſubijcibilis referri ad genus; nam vbi vnum propter alterum ibi non ſunt duo, ſed vnum, quæ vt eſt ſpeciei, eſt immediata, vt vero eſt indiuiduorum, eſt mediata relatio. Quemadmodum lumen & color, eadem numero viſibilitate referuntur ad viſum, quæ vt eſt luminis eſt immediata, vt autem eſt coloris, eſt mediata relatio. vt omnes Philoſophi docent. Et quamuis eadem relatio non poſſit eſſe in duobus extremis immediate; in vno tamen mediate, & in altero immediate, optime poteſt reperiri, vt conſtat de relatione viſibilis in colore, & luce.

Ad 3. Ad 3. reſp. In huiuſmodi natus terminum immediatum eſſe naturam, non vt eſt indiuiduum, eſſe terminum mediatum.

Ad 4. Ad vlt reſp. indiuidua non differre ſpecie immediate, ſed mediate, & ex conſequenti, neque erunt correlata generis immediata, ſed mediata.

QVÆSTIO IV.

An genus collatum ad indiuidua veram rationem generis obtineat.

EXpoſuimus in ſuperioribus quæſtionibus ea quæ conueniunt generi in habitudine ad ſpecies, ſequitur vt agamus de eodem in habitudine ad indiuidua, & ad differentiam, primoque ad indiuidua, & deinde in habitudine ad differentias. Quærimus igitur primo, an genus collatum ad indiuidua veram generis rationem obtineat necne. Non obtinere his duobus argumentis confirmo.

Argum. Primum, Relatum tantum obtinet naturam in ordine ad ſuum correlatum, ſed relatum generis eſt ſpecies, vt inquit Porphyr. in *cap. ſequenti de ſpecie*, ergo tantum erit genus in habitudine ad ſpeciem, quare collatum ad indiuidua generis rationem obtinere nullo modo poterit.

2. Genus eſt illud, quod dicitur de multis ſpecie differentibus, ſed indiuidua eiuſdem ſpeciei non differunt ſpecie, vt ſunt indiuidua humanæ naturæ, ergo genus collatum ad illa rationem generis obtinere nullo modo poterit. *2. argum.*

Louanienſes in *c. de gen.* arbitrantur genus in habitudine ad indiuidua non poſſe genus, ſed eſſe attributum quoddam innominatum, à genere, & ab alijs vocib. vniuerſis diſtinctũ, quorum opinio his duobus argum. propoſitis poteſt confirmari. Verum quamuis hi auctores in pleriſque ſatis recte, feliciterque progrediatur, in hac tamen re errarunt maxime, quod certe mirum eſſe non debet, cum aliquando bonus dormitet Homerus. Quare illorum opinio prętermiſſa, communemque dialecticorum ſententiam amplectentes, animaduertimus eſſe duo genera indiuiduorum, nam quædam ſunt, quæ continentur ſub eadem ſpecie, vt Petr. & Anton. alia vero ſunt, quę continentur ſub diuerſis ſpeciebus, vt Petrus, hic leo, & ille equus. *1. Opinio.* *2. Opin.*

Sit 1. concl. Genus collatum ad indiuidua diuerſarum naturarum, obtinet rationem veri, & legitimi generis, vt animal collatum ad Petrum, & hunc leonem, habet locum veri generis. Confirm. Genus eſt, quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quid, atqui indiuidua diuerſarum naturarum differũt ſpecie; tum quia continentur ſub diuerſis ſpeciebus; tum quia differunt diffinitionibus eſſentialibus, ergo cum prædicetur genus de illis in quid, ratione illorum habebit locum veri generis. *1. concluſ.*

2. concl. Genus collatum ad indiuidua eiuſdem ſpeciei habet locum veri generis, vt animal collatum ad Petrum, & Antonium habet locum veri generis. Confir. Primo: Quia genus collatum ad indiuidua eiuſdem naturę eſt attributum vniuerſum, ergo debet eſſe aliqua ex quinque vocibus vniuerſis, ſed non eſt ſpecies, quia prædicatur de ſpecie, & ſpecies tantum prædicatur de indiuiduis, neque differentia, quia non prædicatur in quale, neque commune accidens, vel proprium, quia non prædicatur accidentario, ergo erit genus, nam quod inquiunt Louanienſes eſſe illud, attributum quoddam vniuerſum innominatum, eſt prorſus ridiculum, & tantis doctoribus indignum. Secundo: Eo modo *2. concl.*

prædica-

Digitized by Google

prædicatur genus de ſpecie, quo prædicatur de indiuiduis, & è conuerſo, eo modo prædicatur de indiuiduis, quo prędicatur de ſpecie: ſed prædicatur de ſpecie ea ratione, qua eſt genus, ergo prædicabitur quoque de indiuiduis ea ratione, qua erit genus. Aſſumptio eſt aperta, confirmatur propoſitio. Genus prędicatur de indiuiduis media ſpecie, ergo eadem ratione qua prædicabitur de ſpecie, prædicabitur quoque de indiuiduis. Et tandem, quia ſi genus collatum ad indiuidua eſſet attributum quoddam innominatum, & non genus, vel alia aliqua ex his vocibus vniuerſis, fuiſſet Porph. diminutus in hac diſputatione prętermittens vocem aliquam vniuerſam ſimplicem, & ſynonymam, quæ ſub his vocibus non contineatur.

Ad 1. arg. Ad argumenta. Ad 1. reſpond. (ex his quæ diximus in ſuperiori quæſtione) correlatum generis non tantum eſſe ſpeciem, verumetiam indiuidua, quamuis in eo differāt, quod ſpecies ſit correlatum proximum, & immediatum, indiuidua vero ſint correlata remota, & mediata.

Ad 2. Ad 2. reſp. Genus immediate, & proxime tantū dici de ijs, quæ ſpecie differunt, remote tamen, etiam dici de iis, quæ ſolo numero diſtinguuntur. Vel dicimus aliud eſſe loqui per quid genus conſtituatur in eſſe generis, & aliud an genus conſtitutum in ſuo eſſe reſpectu huius, vel illius veram generis rationem obtineat. Si primo modo loquamur, genus tantum conſtituitur in eſſe generis per habitudinem ad ſpeciem, quemadmodum quodnis aliud relatum tantum conſtituitur in ſuo eſſe per habitudinem ad ſuum primum, & immediatum correlatum: ſi tamen agamus alio modo, dicimus illud non tantū obtinere hoc eſſe in habitudine ad ſpeciem, verum etiam in habitudine ad indiuidua, quemadmodum in alijs relatis, eſſe non tantum conuenit illis in habitudine ad primum, verum etiam in habitudine ad ſecundum correlatum. Itaque quamuis genus non conſtituatur in ſuo eſſe per habitudinem ad indiuidua, non tamen amittit per huiuſmodi habitudinem, naturam & eſſentiam generis.

QVÆSTIO V.

An genus per ſe prædicetur de differentiis.

PRæter habitudinem generis ad ſpecies, & indiuidua, datur etiam in illo alia habitudo ad differentias ipſum diuidentes, & ſpecies conſtituentes; nam cum ſumi poſſit, vel vt eſt totum quoddam vniuerſum, vel vt eſt pars quædam vna cum differentia conſtituēs ſpeciem, vt eſt totum vniuerſum, denotat habitudinem ad ſpeciem, & indiuidua: vt autem eſt pars, refertur ad differentiam, eo modo quo potentia refertur ad actum. Cum igitur ad differentiam referatur, quærimus an ita referatur ad illam, vt per ſe & non accidentario de illa efferatur. Efferri accidentario, & non per ſe, his argumentis demonſtro.

Primo: Subſtantia eſt genus ſupremum, ſed ſubſtantia per ſe prædicatur de differentiis diuidentibus, ergo genus per ſe prædicabitur de differentiis diuidentibus. Confirm. aſſumpt. Corporeum & incorporeum ſunt differentiæ diuidentes ſubſtantiam: ſed ſubſtantia prædicatur de illis, nam hæ differentiæ ſunt entia, & cum non ſint accidentia, erunt ſubſtantiæ; ergo ſubſtantia per ſe prædicabitur de ſuis differentiis diuidentibus. *1. Argum.*

2. Hæc eſt optima & legitima conſequentia, omnis homo per ſe eſt animal, omnis homo per ſe eſt rationalis, ergo aliquod rationale per ſe eſt animal, ſed in illa genus in concluſione per ſe prædicatur de differentia, nimirum animal de rationali, ergo genus per ſe poterit de differentijs prædicari. *2. Argum.*

3. In attributione accidentaria ſubiectum poteſt eſſe ſine attributo, vt in hac attributione, homo eſt candidus, homo qui eſt ſubiectū poteſt eſſe ſine candore; ſed differentiæ diuidentes aliquod genus non poſſunt eſſe ſine illo, vt particeps, & expers rationis, quæ diuidunt animal, non poſſunt eſſe ſine animali: ergo genus non prædicabitur accidentario de differentijs. *3. Argum.*

4. Quæ vniuntur accidentario non efficiunt vnum per ſe, vt ex homine, & candore, qui accidentario vniuntur, non fit vnum per ſe; ſed ex genere & differentia, fit per ſe vna ſpecies, ergo hæc duo non vniuntur accidentario, quod ſi non vniuntur, neque vnum de altero accidentario prædicabitur, quare genus per ſe prædicabitur de ſpecie. *4. Argum.*

Pręterea: Quidquid competit ſuperiori ſecundum accidens, competit quoque inferiori; ergo ſi genus accidētario prædicatur de differentijs, cum differentię ſint ſuperiores ſpeciebus, ſunt enim attributa illarum eſſentialia, etiam genus accidentario prędicaretur de ſpeciebus, quod cum dici nullo modo poſſit, neque genus accidentario prædicabitur de differentijs. *5. Argum.*

Iterum: Quod competit rei per ſuam formam, competit illi per ſe, vt auctor eſt Ariſt. 5. *Metaphyſ. c.* 18. ſed rationale eſt animal per ſuā formam, *6. Arg.*

formam, non enim quia habet talem materiam, ſed quia habet talem formam dicitur eſſe animal, ergo rationale per ſe eſt animal: ſed rationale eſt differentia, & animal genus, ergo genus per ſe poterit de differentiis prædicari.

De hac quæſt. ſunt tres Philoſophorũ ſententiæ.
1. Opinio. Prima Ianduni 3. *Metaph. q. 12.* genus per ſe, & non accidentario de ſuis differentijs prædicari, cuius ſententiam pleraq; ex argumentis, quæ propoſuimus, confirmant.

2. Opin. 2. Sententia eſt Alex. Aphrodiſei fidiſſimi Ariſt. interpretis *in comment. in c. 3 li. 3. Metaph.* exiſtimantis genera intermedia non prędicari per ſe de differentiis diuidentibus, ſuprema vero prædicari. Vnde animal quod genus eſt intermedium, per ſe non prędicabitur de participe, & experte rationis: ſubſtantia verò quæ eſt genus ſupremum per ſe prædicabitur, de illis, & de omnibus aliis differentijs illius categoriæ. Hanc ſententiam confirmat arg. primo, quod propoſuimus.

3. Opinio. 3. Sententia eſt cõmunis ferè apud omnes Peripateticos, genus ſiue illud fuerit ſupremum, ſiue intermedium, nullo modo poſſe per ſe de differentijs diuidentibus prædicari. Hanc ſequitur D. Thom. *in c. 3. lib. 1. Metaphyſ.* Scotus *in eod. lib. q. vnica,* Iauellus, Sueſſanus, Antonius Andreas, *q. 2.* Aquarius *q. 6.* Flandrẽ. ſi *q. 6. art. 4. eiuſd. lib.* & Sontinas 4 *lib. Metaph. quæſt 20.*

1. obſeruatio. Hanc igitur ſententiam tanquam veriorẽ. vt explicemus ſciendum erit primo hanc vocẽ per ſe eſſe homonymam variaſque habere ſignificationes, quas recenſet Ariſt. 1. *de demon. c. 4 & 5. lib. Metaph. c. 18* Ex quibus alijs prętermiſſis hęc particula ea ratione, qua poteſt inſtituto noſtro deſeruire, duobus modis ſumi poteſt. Primò, quando attributum eſt de eſſentia, & natura ſubiecti. Secundo è conuerſo quando ſubiectum eſt de natura, & eſſentia attributi, qui modi ſunt 2 10 priores ab Ariſt. 1. *de dem. recenſiti.* Itaque quod quærimus eſt, an genus ſit de eſſentia differẽtiarum, vel differentiæ de eſſentia generis; vel an conceptus generis ſit intime incluſus in conceptu differentiarum, vel conceptus differentiarum in conceptu generis.

2. Obſeru. Cæterum vt hãc rem facilius multò intelligamus adnotandum iterum erit, duplicem eſſe (vt ita loquar) perſeitatem vnam Logicam, & alteram Metaphyſicam. Logica in attributione eſt cõſtituta, eſtque illa in qua attributum eſt de conceptu eſſentiali, & quidditatiuo ſubiecti, vel econtra, ſubiectũ eſt de conceptu attributi, quæ duo primum & ſecũdum modum dicendi per ſe ſuo ambitu comprehendunt. Metaph. vero in entitate rei cernitur, eſtq; quando aliqua res eſt talis ſecundum ſuam naturam, & non alterius beneficio ſeu participatione, qua ratione Deum dicimus eſſe per ſe ens, & ſolem per ſe ſplendidũ, quia Deus per ſuam eſſentiam habet entitatẽ & ſol ſplendorem: at creaturæ non ſunt entia hac ratione, nec alia aſtra ſunt ita ſplendida, quia creaturæ beneficio Dei ſunt entia, & aſtra beneficio ſolis ſunt ſplẽdida. Tandem reuocanda ſunt ad memoriam, quæ ſupra *ſect. 4. de reb. vniuerſ. q. 3.* diximus duplicem eſſe attributionem vnam identicam, & alterã formalem. Identica eſt in qua eadem res per ſubiectum & attributum declaratur. Formalis vero dicitur, in qua attributum eſt de conceptu formaliter ſubiecti.

His animaduerſis ſit prima concluſio. *1. concluſ.* Attributione identica genus per ſe prædicatur de differentiis diuidentibus, & eadem ratione differentiæ diuidentes de genere dici poterunt. Vnde hæ attributiones identice erunt veræ, rationis particeps eſt animal, & animal eſt rationis particeps. Confirmatur. Illæ attributiones ſunt veræ identicæ, in quibus ſubiectum & attributum ſignificant rem vnam, & eandem, ſed genus, & differentia ſignificant rem vnam, & eandem, nimirum eandem naturam ſpecificam à qua proxime, & immediate genus & differẽtia poſtulantur, ergo & genus de differentia, & hæ de genere attributione identica vere dici poterunt.

2. concl. *2. concl.* Si agamus de per ſe Metaphyſico genus per ſe competit differentiæ. Confirm. quia differentia non alterius beneficio, ſed ſe ipſa immediate cũ genere vnitur, atqui quando entitas alicuius immediate vnitur cũ aliquo, illud cum quo vnitur dicitur per ſe ſecũdum entitatem, vel per ſe itatem Metaphyſicã vt auctor eſt Ariſt. 5. *Metaph. c. 18.* ergo per ſeitatem Metaphyſ. genus poterit de differentiis prædicari. Et confirm. Hæc attributio extremitas eſt candida, eſt per ſe, perſeitate Metaph vt Ariſt. in *eod. loco* docet, eo quod extremitas immediate vnitur cum cãdore, ſed differentia immediate vnitur cum genere, vt rationis particeps cum animali, ergo genus prædicari poterit per ſe de differentia hac ratione.

3. concl. *3. concl.* Si agamus de per ſe logico, genera ſuprema nulla ratione poſſunt prædicari, per ſe de ſuis differentiis diuidentibus. Hæc eſt aduerſus Alexandrum. Et confirm primo.

ipſum genus diffiniuntur, nam participem rationis diffinimus animal, quod poteſt vti ratione, quare differentiæ per ſe poterunt in ſecundo modo de genere prædicari. Hoc autem intelligi debet de omnibus differentijs diuidentibus cum diſiunctione, & non de vna, vel altera, vt inquit Ariſt. 6 *Topicorum cap.* 3. nam vna, vel altera eſt minor genere: omnes vero ſimul ſumptæ totum illius ambitum, & facultatem adæquant, quare non poterit vna per ſe, ſed omnes ſimul de genere prædicari. Et certe cum omnes differentiæ ſint veluti quædam proprietates cum diſiunctione à natura generis profluentes, poterunt ita per ſe prædicari in ſecundo modo de genere, quia ſecundus modus eſt in quo proprietates de ſuo ſubiecto prædicantur. Vnde hæc erit per ſe in ſecundo modo, animal vel eſt particeps vel expers rationis, quemadmodum hæ aliæ numerus eſt par vel impar, & linea vel eſt recta vel inflexa.

6. concl. 6 concluſ. Species non prædicatur per ſe de ſuis differentijs conſtituentibus. Hanc docet Ariſt. 3. *Metaphyſ. cap.* 3 ſub his verbis: *Fieri autem non poteſt, vt vel ſpecies generis de proprijs differentiis dicatur.* &c. Suaderique poteſt. Species, neque in primo neque in ſecundo modo dicendi per ſe dicitur de differẽtijs, ergo nullo modo per ſe de eis dicetur. Confirmatur antecedens. Inprimis non dicitur primo modo, quia in illo attributum eſt de eſſentia ſubiecti, at ſpecies non eſt de eſſentia ſuarum differentiarum. Deinde neque in ſecundo, quia in illo attributum eſt proprietas ſubiecti, vel habet ſe ad modum proprietatis: ſpecies vero neque eſt, neque habet modum proprietatis in ordine ad ſuas differ. Et deinde, quia in ſecundo modo, quod eſt vere attributum, habet locum veri attributi, at in attributione qua ſpecies prædicatur de ſuis differentijs, quod eſt vere attributum nõ habet locum illius, nam differentia eſt vere attributum ſpeciei, quæ in hac attributione, in qua ſpecies prædicatur de illa, non habet locum attributi, ſed ſubiecti, non igitur poterit ſpecies per ſe prædicari de ſuis differentijs.

Ad 1. arg. Æquum eſt iam vt argumentis in initio propoſitis ſatisfaciamus. Ad 1. reſp. ſubſtantiam, quæ dicitur de ſuis differentijs, non eſſe illam, quæ eſt genus ſupremum, ſed aliam communiorem, & magis late patentem, quæ eſt diuiſa contra accidens, ambitque non tantum naturas integras, verumetiam, & modos internos, quę certe ſubſtantia eſt natura quędam analoga, & non ſynonyma, ac proinde neque genus. Legendus eſt Flandrenſis vbi ſupra in ſolutionibus argumentorum.

Ad 2. Ad 2. reſp. Negando conſequentiam, primo cum Iauello, quia in propoſitionibus hęc dictio per ſe, ſumitur Logice & in attributione, nam vtraque eſt in primo modo dicendi per ſe, etenim in prima attributum eſt genus, & in ſecunda eſt differentia hominis, qui eſt ſubiectum, at in concluſ. ſumitur Metaphyſice, vel entitatiue. quare cum alio modo ſumatur in præmiſſis, & alio in concluſione, nulla erit conſequentia, quamuis conſequens ſit verum. nam verum eſt rationale per ſe eſſe animal, vſurpando dictionem per ſe Metaphyſice, & entitatiue. Secundo neganda eſt eadem conſequentia, quia non eſt neceſſe vt extrema tantum vnionem habeat inter ſe, quantam habent cum medio, & ita quamuis animal, & particeps rationis vniantur eſſẽtialiter, & per ſe, perſeitate Logica, nõ proinde hac perſeitate vniuntur inter ſe, ſed ſola Metaph.

Ad 3. Ad 3. reſp. Prædicationem accidentariam eſſe duplicem, vnam in qua attributum eſt verum accidens ſubiecti illi inhærens, vt eſt hæc attributio, homo eſt candidus, & alteram in qua attributum non eſt verum accidens ſubiecto inhærens, ſed ex eo dicitur accidentaria, quia attributum non eſt de ratione & conceptu quidditatiuo ſubiecti. Si fuerit accidẽtaria prioris generis, poterit ſubiectum exiſtere ſine attributo, vt homo poteſt eſſe ſine cãdore; ſi vero fuerit accidentaria altero modo, nõ eſt neceſſe vt ſubiectum poſſit eſſe ſine attributo, qua ratione genus accidentario prædicatur de differentiis, quia nimirum, non eſt de conceptu quidditatiuo earũ, & proinde nõ colligitur vt poſſint differẽtię eſſe ſine genere.

Ad 4. Ad 4. reſp. Veram eſſe propoſitionem de vnione accidentaria accidentis veri, & inhærẽtis cum ſubiecto, nam ex vnione vtriuſq. non poteſt fieri vnum per ſe, falſam autem ſi nomine accidentis intelligamus, id quod nõ eſt de conceptu alterius. nam ex his bene poteſt fieri vnum per ſe: etenim neque materia eſt de conceptu formæ, neque forma de cõceptu materię ex quibus tamen fit vnum per ſe ſcil. totum compoſitum naturale.

Ad 5. Ad 5 reſp. Quando ſuperius eſt cauſſa vt attributum conueniat inferiori verum eſſe illud, quod accidentario dicitur de ſuperiori accidentario quoque dici de ſubiecto, vt quia homo & capax diſciplinę dicũtur de Petro, & capax diſciplinæ dicitur de illo, quia homo dicitur de illo, propterea qui accidentario dicitur de homine, accidentario quoq;

bus nulla particula traditur per negationem, ſed omnes per affirmationem, ſed non includi in ſuis differentiis, ſignificat negationem, ergo hoc de ratione & eſſentia generis eſſe nullo modo poterit.

2. concluſ. 2. concluſ. Non includi in ſuis differentiis, conſequitur veluti quædam proprietas naturam & eſſentiam generis. Non aſſero eſſe veram proprietatem, quia non ſignificat entitatem aliquã poſitiuam, quam omnes proprietates ſignificant, ſe habere modum quendam proprietatis, quod in hunc modum demõſtro: Illud, quod competit omni, ſoli, & ſemper, & à ſubiecto diuelli nequaquam poteſt, habet modum proprietatis ſed non eſſe incluſum in vltimis differentiis competit omni generi, ſoli, & ſemper, & à genere ipſo diuelli nequaquã poteſt, neque enim dari poteſt genus, cui non conueniat non eſſe incluſum in vltimis differentiis; ergo non includi habebit modum quendam proprietatis. Itaq; quemadmodum non eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto, non eſt proprietas ſubſtantiæ, quia nõ denotat entitatem aliquam poſitiuam, ſed negationem, habet tamẽ modum proprietatis, quia competit omni ſubſtantiæ, ſoli, & ſemper, & ab ea diuelli nequaquam poteſt (neque enim dari poteſt aliqua ſubſtantia, cui neceſſario non conueniat, non eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto) ita etiam non includi in vltimis differentiis, non erit vera proprietas generis; ſed habebit modum illius.

Ad 1. arg. Ad arg. vero, quæ in patrocinium opinionis aliorũ propoſuimus, ita reſp. Ad primum dicimus, falſum eſſe de ratione generis eſſe illud eſſe contrahibile, quia neque vt eſt totum actu, vel diffinibile, neq; vt eſt totum vniuerſum, hæc natura poteſt illi conuenire. Inprimiſq; vt eſt totum actu, certum eſt non conuenire illi, quia generi ita ſumpto tantũ conueniunt ſua attributa eſſentialia, vt animali, v. g. eſſe ſubſtantiam corpoream, animatam, ſentientem, interq; non continetur, neq; exprimitur contrahibilitas, deinde neque vt eſt totum vniuerſum, hæc ratio poteſt illi conuenire. Etenim hoc genus totius tantum ſignificat eſſe vnum in multis, & non eſſe contrahibile. Erit igitur aliquid conſequens naturam, & eſſentiam generis: & veluti quædam illius proprietas, quemadmodum in materia poſſe cõtrahi à formis ſubſtantialibus eſt proprietas quædam illius, de eſſentia tamen & ratione nullo modo.

Solutio. Vel dicere poſſumus, quãnis admitteremus, poſſe contrahi eſſe de natura generis, falſum eſſe de ratione eius, quod poteſt contrahi, eſſe non includi in conceptu contrahentis, ſed eſſe naturam indefinitam, illimitatam, & in potentia ad actum limitantem, & contrahentem, quod vero non includatur in cõceptu illius, eſt aliquid conſequẽs, veluti quædam proprietas naturam contrahibilis: quare non includi genus in ſuis differentiis, non attinebit ad illius rationem, ſed conſequetur eam tanquam quædam proprietas.

Ad 2. Ad 2. reſp. falſam eſſe propoſitionem, hoc enim nõ eſt de ratione potentię, ſed quid conſequens illam: ratio ſiquidem potentiæ tantum eſt ferri in actum, illumq; tanquam terminum reſpicere, quod vero in cõceptu illius non includatur, ad huiuſmodi reſpectum, & habitudinem ſequitur.

Ad 3. Ad 3. reſp. Non ſolum illud, quod eſt de eſſentia, verum etiam illud, quod ei eſt neceſſario annexũ, auferre naturã & eſſentiam rei, vt in igne nõ tantum interitus formæ, ſed etiam caloris, aufert illius eſſentiam, quia calor ad illam conſeruandam eſt omnino neceſſarius. Ac proinde cum non includi in differẽtiis neceſſario annectatur generi, ſi hoc à genere perierit, perire quoque neceſſario debet & illius natura, quare neganda eſt maior propoſitio: Quia non tantum aufert naturam contraria natura, ſed etiam proprietates, quæ neceſſario ſunt annexæ naturæ.

Ad 4. Ad 4. reſp. negando antecedens, quia de ratione differentię tantum eſt eſſe actum diſtinguentem eſſentialiter quod autem excludat à ſe genus, nõ eſt illius natura, ſed eſt veluti proprietas quædam ab illa dimanans. Ad confir. dicimus, differentias non diſtingui à modis internis ſecundum eſſentiam, nam vtriuſq; eſt eadẽ, & cõmunis eſſentia: quæ eſt eſſe actum diſtinguentem ſecundum eſſentiam, illa, quæ in eodem genere continentur, ſed tantum diſtinguuntur ſecundum accidens, vnde non includi genus in conceptu differentiarum, & includi in modis internis, ad accidentia illorum ſpectabit. De qua re vberius multo *in cap. de differentia.*

QVÆSTIO VII.

An genus ſit vna ſpecies, atoma & indiuidua, nec ne?

AD extremum, in his diſputationibus de genere quærendum ſupereſt, num genus quod hãc primam vocem prædicabilem conſtituit, ſit vna ſpecies atoma, ita vt ſub ſe tantum indiuidua, quæ differunt numero, complectatur, vel potius ſubalterna, ita vt ſuo ambitu plura, quę ſpecie differant, comprehẽdat.

ſpeciem atomam. Iterum: Proprium ſupremum, & intermedium non differunt ſpecie, & idem iudicium eſt de differentia ſuprema, & intermedia, ergo neque genus ſupremum, & intermedium ſpecie different. Quare cum genus ſuo ambitu hæc duo membra cōprehendat, erit illud vnum vnitate ſpeciei atomæ, & indiuiduæ.

4. concluſ. 4 concl. Genus ſupremum & intermedium, & denique omnia genera, ratione generis, ſolo numero diſtinguuntur. Confirmatur perfacili argumento: Illa, quæ intra eandem ſpeciem atomam & indiuiduam continentur, ſolo numero diſtinguuntur, ſed omnia genera continentur intra genus, quod eſt vnum vnitate ſpeciei atomæ, & indiuiduæ, vt conſtat ex ſuperiori concluſione, ergo omnia genera in ratione generis ſolo numero diſtinguuntur.

Interrogat. Quod ſi quis roget, à quo principio indiuiduante hæ notiones generis numero differant, nam omnia, quæ differunt numero, aliquo principio indiuiduante debent differre.

Reſp. 1. Reſp. primo indiuiduari penes ſubiecta denominata, quæ ſunt natura. v. g. animalis, arboris, & lapidis. Verum dicet aliquis; Hæ naturæ differunt genere, ergo non poterunt eſſe principia, quæ efficiant diſtinctionem numericam. Reſp. Has naturas poſſe ſumi vel iuxta proprias naturas, vel vt ſunt fundamenta, aut ſubiecta denominata harum notionum: primo modo genere differunt, altero vero ſolo numero diſtinguuntur, nam habent eandem rationem fundandi notionem ſpecificam, & ſolo numero differentem. Quemadmodum homo, & cygnus iuxta propr as naturas ſpecie differunt, vt vero habent vnam & eandem rationem fundandi candorem, ſolo numero diſtinguuntur. Itaque quæ in propriis naturis ſpecie differunt, vt ſunt fundamenta eiuſdem accidentis, ſolo numero diſtinguuntur.

Reſp. 2. 2. reſp. Indiuiduari has notiones ab actionibus intellectus, abſtrahentis naturam vniuerſam à differentiis & proprietatibus contrahentibus: etenim cum hæ notiones ſint relationes, indiuiduenturque relationes à ſuis proximis fundamentis, etiam notiones ab eiſdem indiuiduabuntur, quare cum fundamentum proximum illarum ſit actio intellectus ſeparantis naturam à differentiis contrahentibus, ab illa indiuiduabuntur. Itaque notio generica animalis numero differt à notione generica arboris, quia alia numero diuerſa eſt actio intellectus ſeparantis naturam animalis à differentiis contrahentibus, & alia ſeparantis arborem ab eiſdem differentiis.

Iam ad argumenta: Ad primum reſpond. falſum eſſe, genus ſupremum & intermedium ſpecie differre. *Ad 1. arg* Ad 1. confirm. reſpond. illas diffinitiones non eſſe eſſentiales, ſed accidentarias, nam accidit generi habere ſupra ſe aliud genus, aut non habere. Ad ſecundam reſpond. genus ſupremum & intermedium magis differre, quam duo genera intermedia, nō ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum accidens, quemadmodum magis quoque differunt homo candidus & ater, quam duo homines candidi, nō eſſentiali ſed accidentaria differentia. Ad 3. reſpond. quod quamuis ſolo numero differant hæ notiones generis ſupremi, & intermedii, non propterea poterunt eidem ſubiecto conuenire, idque propter diuerſam rationem, quam in ſuis fundamentis, & ſubiectis denominatis poſtulant. Nam quia naturæ denominatæ non poſſunt eſſe vna, eademque numero natura, propterea neque notiones denominantes poterunt eidem conuenire.

Ad 2. Ad 2. reſp. diſt nctionem ſpecificam relationum petendam eſſe ex diſtinctione ſpecifica, & formali terminorum, & non ex diſtinctione eorum materiali, quare cum omnes naturæ, quæ ſub aliquo genere continentur, habēt vnam & eandem rationem termini formalem (nam eadem ratione referuntur ad genus) propterea non erit multiplex, ſed vna relatio generis ad ſuas ſpecies.

Ad vlt. reſp. verum eſſe, illas attributiones eſſe ſpeciei de indiuiduis, à quo autem hæ notiones genericæ indiuiduentur, in vlt. concl. à nobis fuit explicatum.

Nonnullas alias quęſtiones in hoc loco diſputant quidam Dialectici, vt an concreta accidentium poſſint eſſe genera, tum & abſtracta categoriæ ſubſtantiæ, an ex genere & differentia fiat vnum per ſe, nimirum vna ſpecies, an genus petatur à materia, differentia vero à forma: ex quibus priorem in categoriis, agentes de his, quæ continentur in categoriis, explicabimus, ſecundam in cap. ſequenti de ſpecie, tertiam vero in cap. de differentia proponemus. Atque hæc de genere, eiuſque natura dicta fuerint. Cætera vero, quæ ad hæc intelligenda fuerint neceſſaria, cum in vno loco proponi non poſſint, in aliis capp. explicabuntur.

DE

Speciem autem vltimam hoc modo: Quod ſic ſpecies eſt, vt non etiam genus ſit. Item: Quod ita ſpecies eſt, vt in ſpecies diuidi nullo modo queat. Item hoc modo: Quod de multis, iiſque numero differentibus dicitur, cum quid ſit quæritur. Quæ autem inter extrema interiecta ſunt, ὑπάλληλα genera ac ſpecies nominant, & vnumquodque eorum ponunt eſſe genus & ſpeciem, ſed ſi ad aliud & aliud comparetur. Nam ea omnia, quæ ſuperiora ſunt vltima ſpecie, aſcendendo vſque ad ſummum genus, ὑπάλληλα genera & ſpecies vocantur. I. *Vt Agamemnon, Atrides, Pelopides, Tantalides, & extremum Iouis. Sed in ortus quidem & familiarum deſcriptione ad vnum fere initium, & quaſi caput, verbi gratia, ad Iouem, cætera referunt. Generum autem & formarum non eſt eadem ratio: propterea quod id, quod eſt, non eſt commune genus omnium; nec omnia, quæ ſunt, vt placet Ariſtoteli, ad vnum primum genus caputque referuntur, ſed ponenda ſunt, vt ipſe in categoriis docet decem prima genera, quaſi decem initia & capita rerum. Nam ſi quis omnia eſſe dicat, ambigue, inquit, non vna ratione appellabit. Si enim id, quod eſt, commune genus eſſet omnium rerum, vna ratione ac modo eſſe dicerentur. Cum vero ſint decem prima, nominis eſt ſolum, non etiam rationis: quæ nomini conſtituta eſt, ſocietas & communio.* K. *Ac prima quidem decem ſunt: formarum autem infimarum certus eſt numerus non infinitus: indiuiduorum, quæ formas vltimas ſequuntur, infinitus.* L. *Quocirca iubebat Plato eos, qui à ſummis generibus ad infimas ſpecies deſcendiſſent, inſiſtere: deſcendere autem per media iis differentiis, quæ ſpeciem conſtituunt, diuidendo: indiuidua vero, inquit omittenda omnino, quod ſcientia comprehendi nullo modo poſſent.* M. *Ac eos quidem, qui deſcendunt ad infimas ſpecies, neceſſe eſt multitudinem diſpertiendo decurrere: qui autem ad ſumma nituntur genera, in vnum multitudinem concludant neceſſe eſt. Nam cum ſpecies, tum genus, vel multo etiam magis multa in vnam naturam colligit. Quæ autem vt partes ſumuntur, ac res ſingula contra, vnũ in multa partiuntur. Nam & ſpeciei communione ac ſocietate multi homines vnus homo ſunt: at ea iis, quæ in parte dicuntur, ac rebus ſingulis quod vnus & communis erat, multorum ſubit rationem. Vt enim res ſingula diuidendi, ſic quod commune eſt, vim comprehendendi, & in vnum cogendi habet. Sed cum quid genus eſſet, quid ſpecies, explicatum ſit à nobis, cumque vnum genus ſit ſpecies multa (ſemper enim in multas formas genus diuiditur.* N. *Genus quidem ſemper de ſpecie dicitur, & ſuperiora omnia de inferioribus, ſpecies autem neque de genere proximo, neque de ſuperioribus vllis dicitur, quod non reciprocetur. Aut enim paria de paribus dici oportet, vt quod ad hinniendum aptum eſt, de equo: aut maiora de minoribus, vt de homine animal. At minora de maioribus dici non conuenit. Neque enim vt hominem eſſe animal dicis, ſic animal eſſe hominem recte poſſis dicere.* O. *In quibus autem ſpecies dicitur, in iis etiam ſpeciei genus, & generis genus ad primum vſque dicetur neceſſario. Si enim vere dicitur Socrates eſſe homo, & homo animal, animalque ſubſtantia: vere etiam Socrates dicitur eſſe animal, & ſubſtantia. Quia enim ſuperiora ſemper de inferioribus dicuntur, ſpecies quidem de indiuiduo genus vero de ſpecie & indiuiduo dicetur. Summum autem genus tum de genere dicetur, aut de generibus, ſi multa ſunt media, tum de ſpecie, tum de indiuiduo. Nam & ſummum genus de omnibus generibus, formis, indiuiduiſq; quæ ei ſubiecta ſunt, dicitur: & genus, quod infimam ſpeciem proxime antecedit, de omnibus formis infimis, & indiuiduis. Quæ autem ſpecies eſt modo, de indiuiduis omnibus,* P. *& indiuiduum de vno ſolum ſingulorum: indiuiduum autem Socrates dicitur, & hoc, quod album eſt, & hic, qui accedit, Sophroniſci filius, ſi modo Socratem ſolum filium habeat. Quæ indiuidua nominantur ex eo quod ex proprietatibus ſuis quiſque conſtat, quæ omnes in alio eadem eſſe nullo modo poſſunt. Socratis enim proprietates nunquam in alio eadem eſſe poſſunt: at hominis communis & vniuerſi proprietates eadem eſſe poſſunt in multis, aut potius in omnibus ſingulis, quæ homines ſunt.* Q. *Quare & indiuiduum à ſpecie, & ſpecies à genere continetur: quippe cum genus quiddam totum ſit, pars indiuiduum, ſpecies partim pars, partim totum: ita tamen, vt pars ſit alterius, totum non alterius, ſed in aliis ſit: Siquidem totum in partibus eſt. Ac de genere quidem, & ſpecie, quidque ſit ſummum genus, quid infima ſpecies, quæque eadem genera ſint, & ſpecies, quæ indiuidua, quotque modis genus & ſpecies dicantur, diximus.*

COMMENTARIA.

ABſoluta diſputatione generis, de ſpecie ſermonem inſtituit Porphyrius: hæc ſiquidem eſt vis relatorum, vt cognitio vnius ex alterius cognitione dependeat. Ne igitur cognitio generis (quod ad ſpeciem, tanquam ad ſuum terminum fertur) imperfecta remaneret, diuque in illa intelligenda vagaremur, illico poſt tractationem de genere, hanc de ſpecie ſuſcipiendam eſſe exiſtimauit Porphyr. Exorditur vero (vt in ſuperiori capite) à multiplici vocis ſignificatione, vt reiecta minus accommodata, illam, quæ inſtituto poſſit deſeruire, retineat.

A. *Species autem,* &c. In hac prima parte duas *1. pars cap.*

Digitized by Google

tradit ſignificationes, & tres diffinitiones ſpeciei, ſimulq; obiectionem quandam diſſoluit. Significat igitur primo pulcritudinem, & corporis venuſtatem, qua quoſdam formoſos, & ſpecioſos eſſe dicimus, de qua dicebat Euripides, ſpeciem primam (id eſt, eximiam pulchritudinem) dignam eſſe imperio, venuſtas ſiquidem oris quandam maieſtatem ad imperandum dignam præ ſe ferre videtur.

. Signif. B. *Vocatur etiam id ſpecies*, &c. Secundo ſignificat illud, quod ſubeſt generi modo explicato, vel, vt alii vertunt, quod ſub aſſignato genere continetur, quæ verba ita poſſunt interpretari, ſub aſſignato genere, id eſt, ſub genere à nobis diffinito in capite ſuperiori. Vel ſub aſſignato genere, id eſt, ſub certo & determinato genere, non enim quælibet ſpecies ſub quibuslibet generibus continetur, ſed determinatæ ſpecies continentur ſub determinatis generibus, vt leo, & homo continentur ſub animali, & candor, & rubor ſub colore. Verum hæc non tantum eſt ſignificatio, ſed etiam definitio ſpeciei. Vnde prima illius

. Diffin. ſpeciei. diffinitio erit. Species eſt illud, quod generi ſubeſt. Quæ diffinitio tradita eſt per habitudinem ipſius ad ſuperiora. At quia ſuperiora etiam referuntur ad illam, & ipſa rurſum ad indiuidua, iterum traduntur duæ diffinitiones, vna, qua ſuperiora referuntur ad illam, & altera, qua ipſa cum indiuiduis comparatur. Cæterum, antequam illas proponat, diluit prius quandam obiectionem contra hanc primam diffinitionem.

C. *Quod ſi ſpeciei fecimus mentionem*, &c. Quæ obiectio huiuſmodi eſt: Illa diffinitio eſt vitioſa, quæ traditur per circulum, nam vbi committitur circulus, diffinitur ignotum per æque ignotum, diffinitio autem debet tradi per ea, quæ ſunt notiora. ſed hæc diffinitio propoſita, in qua dictum eſt, ſpeciem eſſe, quæ ſubiicitur generi traditur per circulum, nam in ſuperiori diffinitione diffinitum eſt genus per ſpeciem, & nunc diffinimus ſpeciem per genus; ergo erit vitioſa diffinitio.

Solut. Reſpondet Porphyr. in abſolutis vitioſam eſſe diffinitionem, quæ traditur per circulum, in relatis vero non eſſe vitioſam, nam hæc eſt natura relatorum, vt vnum per alterum diffiniatur, etenim diffinimus patrem per filium, & filium quoque per patrem. Vnde cum genus, & ſpecies ſint relata, quamuis diffinitum ſit genus per ſpeciem, optime poteſt deinde ſpecies per genus diffiniri. Et ita Ariſt. 6 *libro Topic. cap.* 1. docens, debere diffinitionem tradi per ea, quæ ſunt notiora, ſtatim excipit ab huiuſmodi regula relata, in quibus non debet tradi diffinitio per notiora, ſed per æque nota.

D. *Speciem etiam diffiniunt hoc modo*, &c. Prima diffinitio tradita eſt per habitudinem ſpeciei ad ſuperiora genera, hæc vero ſecunda traditur per habitudinem generum ad ſpeciem, quæ diffinitio ſic ſe habet: Species eſt, quæ ſubeſt generi, & de qua genus prædicatur in quæſtione, qua quærimus, quid res ſit. *2. Diffin. ſpeciei.* In cuius diffinitionis prima parte repetit Porphyr. primam diffinitionem, nam hæc ſecunda diffinitio tantum continetur in poſtrema parte, vt hominem dicimus eſſe ſpeciem animalis, ſubeſt enim illi, de quo etiam animal effertur in quæſtione, qua quærimus, quid res ſit, nam roganti, quid eſt homo, reſpond. eſſe animal.

E. *Rurſus etiam hoc modo*, &c. Tertia diffinitio eſt: Species eſt illud, quod dicitur de multis numero differentibus in quæſt. qua quærimus, quid res ſit. *3. Diffin. ſpeciei.* In qua diffinitione pars prima refert nobis vniuerſum, quod habet locum veri generis. Secunda particula dicitur de multis, ſeparat ſpeciem ab indiuiduis, quæ tantum dicuntur de vno. Tertia numero differentibus, ſeparat illam à genere, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus. Quarta particula ſeparat ipſam à differentia, proprio, & communi accidente, quæ prædicantur in quale, ſpecies vero prædicatur in quid.

F. *Quanquam ſpeciei vltima*, &c. In hac ſecunda parte capitis confert Porphyrius hanc *2. pars capitis.* poſteriorem diffinitionem ſpeciei cum duabus prioribus, traditque, quid ſit genus ſupremum, quid intermedium, & quid ſpecies infima, idque aptiſſima ſimilitudine familiæ exponit. Inquit igitur, duas illas priores diffinitiones omni ſpeciei tam infimæ, quam intermediæ conuenire, quia omnes ſubiiciuntur generi, & de eis genus prædicatur: poſteriorem vero ſoli ſpeciei infimæ competere, quæ ſola dicitur de multis numero differentibus in quid. Vnde deſumpta occaſione explicat Porphyrius, quid ſit genus ſupremum, quid interiectum, & quid ſpecies infima, in vnaquaque categoria. Genus ſupremum eſt illud, ſupra quod non continetur aliud genus. Species infima eſt illa, infra quam non continetur alia ſpecies. Interiecta vero dicitur illa, infra quam continentur aliæ ſpecies, & ſupra quam continentur alia genera. Quamrem explicat eleganti exemplo petito ex ſerie categoriæ ſubſtantiæ quæ eſt, ſubſtantia, corpus, corpus animatũ, animal, animal viuens ratio-

ne, homo, Petrus, & Ioannes. In qua ſubſtantia eſt genus ſupremum: nam ſupra illam nullum aliud genus continetur, homo vero eſt ſpecies infima, nam infra illum nulla ſpecies reperitur, ſed ſola indiuidua, animal vero eſt ſpecies interiecta, nam ſupra ſe continet corpus & ſubſtantiam, & infra ſe iuxta Porphyr. arbitrantem dæmones eſſe animalia, continet dæmones, hominem, & bruta.

G. *Itaque duæ ex his*, &c. Vnde, inquit Porphyrius, cum in vnaquaque categoria hæc reperiantur, ſunt illa ita inter ſe affecta, vt genera intermedia duas habeant habitudines, vnam ad ſuperiora, iuxta quam vocantur ſpecies, & alteram ad inferiora, iuxta quam genera nuncupantur. At vero genera ſuprema tantum obtinent vnicam habitudinem, ſcilicet ad inferiora, iuxta quam vocantur genera. Species demum infimæ, quamuis duas habeant habitudines, & ad ſuperiora, & ad indiuidua inferiora, quia tamen iuxta vtramque nominantur ſpecies, propterea tantum habebunt vnicam habitudinem, non quod re ipſa non habeant duas, ſed quod illæ duæ vno nomine exprimantur.

Quid ſit genus ſupremum.

H. *Primum igitur genus*, &c. Cum docuerit Porphyr. in vnaquaque categoria dari genus ſupremum ſpecies infimas, & ſpecies interiectas, horum omnium proponit diffinitiones. Genus, inquit, ſupremum definitur duabus definitionibus: Prima: Genus ſupremum definitur, quod ita eſt genus, vt nulla ratione poſſit eſſe ſpecies. Secunda: Genus ſupremum eſt, quod ſupra ſe non continet aliud genus. Species vero infima definitur tribus definitionibus: Prima eſt: Species infima eſt, quæ cum ſit ſpecies, nulla ratione poteſt eſſe genus. Secunda: Species infima eſt, quæ infra ſe non continet aliam ſpeciem. Tertia: Species infima eſt, quæ prædicatur de multis numero differentibus in quid. Species vero interiecta definitur illa, quæ cum ſit genus inferiorum, eſt ſpecies ſuperiorum, vt animal, quod eſt genus hominis, & bruti, eſt ſpecies corporis & ſubſtantiæ.

I. *Vt Agamemnon*, &c. Explicat eleganti quadam ſimilitudine Porphyrius petita ex familia, quid ſit genus ſupremum, quid ſpecies infima, & quid interiecta. Etenim quemadmodum in aliqua familia, vt in familia Oreſtis, Oreſtes ita eſt filius, vt non ſit pater, & Iupiter ita eſt pater, vt non ſit filius, alii vero intermedii, vt Tantalus, Atræus, & Agamemnon ſimul ſunt patres & filii, patres inferiorum, & filii ſuperiorum. Ita etiam in aliqua categoria datur genus ſupremum, quod ita eſt genus, vt nõ ſit ſpecies, datur ſpecies infima, quæ ita eſt ſpecies, vt non poſſit eſſe genus, dantur etiam genera intermedia, quæ ſimul ſunt genera, & ſpecies; genera, ſi conferantur cum inferioribus, ſpecies vero, ſi referantur ad ſuperiora. Quamuis interſit aliquod diſcrimen inter familiam & categoriam, nam omnes familiæ reuocantur ad vnum caput, & primum principium ſcilicet ad Iouem, vt fabulantur Poetæ, vel ad Adamum, vt catholici profitemur. Cæterum omnes categoriæ non poſſunt reuocari ad vnum, nam ens, ad quod illæ reuocantur, non eſt verum, neque ſynonymum, vt profitetur Ariſt. 4 *lib. Metaph c.* 2

K. *At prima quidem decem ſunt*, &c. In hac tertia parte ex ſuperiorib. colligit Porphyr. tria conſectaria, & duo præcepta. Ex conſectariis primum eſt: Genera ſuprema tantum ſunt decem, ſcilicet decem categoriæ, ſpecies infimæ multæ ſunt, quamuis non infinitæ. indiuidua vero ſunt numero infinita, non actu, ſed ſucceſſione & poteſtate. *3. pars cap.* *1. Conſectar.*

L. *Quocirca iubebat Plato*, &c. Secundum conſectarium. Iuxta Platonem, deſcendenti à genere ſupremo per intermedias differentias, ſiſtendum eſt in ſpecie infima, & non eſt progrediendum vlterius ad indiuidua, tum primo, quia ſunt numero infinita, tum ſecundo, quia ſunt ortui & interitui obnoxia, vt deſcendenti à ſubſtantia per corporeum, & incorporeum, viuens, & non viuens, ſentiens, & non ſentiens, particeps, & expers rationis, ſiſtendum eſt in homine, & non eſt progrediendum ad Petrum & Ioannem. *2. Conſectar.*

M. *Ac eos quidem*, &c. Tertium conſectarium. Qui deſcendit à generibus ad ſpecies, vel ad indiuidua, diuidit vnum in multa, ſcilicet vnum genus in multas ſpecies, & vnam ſpeciem in multa indiuidua. At vero, qui adſcendit ab inferioribus ad ſuperiora, colligit plura in vnum, vt plures ſpecies in vno genere, & plura indiuidua in vna ſpecie, nam ſocietate, & communione plures homines, fiunt vnus homo. *3. Conſectar.*

N. *Genus quidem ſemper de ſpecie dicitur*, &c. Proponit Porph. duo præcepta ad intelligendam attributionem ſuperiorum de inferioribus. Primum eſt: Tam genera ſuprema, quam intermedia prædicantur de ſpeciebus infimis, at vero ſpecies infimæ non prædicantur, neque de generibus ſupremis, neque de intermediis, vt ſubſtantia, & animal prædicantur de homine, homo vero non prædicatur de animali, vel de ſubſtantia. Confirm. hoc præce- *1. præceptum.*

Ee 2 ptum

ptum Porphyr. eleganti ratione. In omni attributione directa aut prædicantur maiora de minoribus,vt animal de homine,aut paria de paribus, vt capax diſciplinæ de homine, minora vero de maioribus nulla ratione poſſunt prædicari,ſed tam genera ſuprema, quam intermedia ſunt maiora ſpecie infima, ſpecies autem eſt minor generibus ſupremis,& inter mediis, ergo genera ſuprema & intermedia prædicabuntur de ſpecie infima, hæc autem de illis nulla ratione prædicabitur.

præceptū. O. *In quibus autem ſpecies dicitur*, &c. Secundum præceptum: De quibus prædicatur ſpecies,de eiſdem prædicatur genus, & illius generis genus,vſque ad genus ſupremum: vt de quibus prædicatur homo, Petro ſcilicet & Ioanne, de eiſdem prædicatur animal, corpus animatum, & ſubſtantia. Vnde colligit Porph. genera ſuprema prędicari de intermediis,ſpeciebus atomis, & de indiuiduis, vt ſubſtantia prædicatur de corpore, corpore animato, & animali, quæ ſunt genera intermedia, de homine quoque, qui eſt ſpecies, & de Petro, vel Antonio, qui ſunt indiuidua. Genera vero intermedia, quæ proxime antecedunt ſpeciem atomam, tantum prædicari de ſpeciebus, & indiuiduis, vt animal tantum prædicatur de homine, & equo, qui ſunt ſpecies, & de Socrate, & illo leone, qui ſunt indiuidua. Diximus autem, genera intermedia,quæ proxime antecedunt ſpeciem infimam, nam illa, quæ ſunt remotiora, non ſolum prædicantur de ſpecie infima, verum etiam de generibus inferiorib. Vt corpus animatum non ſolum prædicatur de homine, verum etiam de animali.

pars capi- P. *Et indiuiduum de vno ſolum*, &c. In poſtrema parte capitis inſtituit Porphyrius diſputationem de indiuiduo, proponens nobis ipſius definitiones, & diuiſiones. Prima definitio

Definit. Indiuid. eſt: Indiuiduum eſt, quod tantum dicitur de vno, vt Socrates, & hic homo, atque Sophroniſci filius,nam Socrates tantum dicitur de ſe

Definit. ipſo. Secunda definitio eſt: Indiuiduum eſt illud, cuius collectio proprietatum ſingularium ita eſt in vno, vt in altero nulla ratione queat reperiri, vt eſſe natum in hac patria, ab iis parentibus genitum, tali hora, & ſub tali ſidere, eſſe affectum hoc colore, hac figura, & quantitate, ita reperiuntur in Petro, v.g. vt in alio homine nullo modo poſſint reperiri. Dictum eſt autem, proprietates, & accidentia ſingularia, quia proprietates vniuerſæ collectæ ita ſunt in vno indiuiduo, vt in alio quoque poſſint reperiri, quemadmodum capacitas diſciplinæ, ridendi, & admirandi, & aliæ ita ſunt in Petro, vt eædem quoque reperiantur in Ioanne.

Q. *Quare & indiuiduum*, &c. Concludit Porphyr.dicens,genus eſſe totum,& non partem, indiuiduum eſſe partem, & non totum, eſſe partem,quia ſubiicitur ſuperioribus, non eſſe totum,quia de nullo dicitur. Speciem autem eſſe partem,& totum partem, ſi conferatur cum ſuperioribus,quibus ſubiicitur, totum vero ſi conferatur cum inferioribus,de quibus effertur. Vnde colligit,indiuiduum cōtineri à ſpecie, & ſpeciem à genere, quia indiuiduum eſt pars ſpeciei, & ſpecies pars generis, & omnis pars continetur à ſuo toto. Atque hæc de genere tam ſupremo, quam intermedio, de ſpecie & indiuiduo dicta ſufficiant. *Concluſ.cap.*

SCHOLIA IN CAPVT DE SPECIE.

A1. Quare poſt diſputationem de genere illico ſubſequuta fuerit tractatio de ſpecie, varias tradunt interpretes rationes: Prima eſt Ammonii,Boetii, & B.Alberti Magni, quia genus & ſpecies ſunt relata, & quia hæc eſt vis relatorum, vt vnum ſine altero cognoſci perfecte nequeat, vt perfectam generis teneremus cognitionem, ſtatim poſt illud fuit natura ſpeciei explicanda. *1. Cauſ.*

Quod ſi quis dicat: Si ratio hæc vera eſſet, etiam poſt genus illico agendum erat de differentia, quia genus etiam refertur ad illam, eo modo,quo potentia refertur ad actum. Reſp. hoc non ſequi, quia genus ad ſpeciem refertur relatione prædicabilis, & vniuerſi ad ſubiicibile, differentia vero nequaquam ita refertur, ſed relatione potentiæ ad actum. Et quia in hoc opere agimus de genere, vt eſt totum quoddam vniuerſum, propterea poſt illud ſtatim de ſpecie debuit inſtitui diſputatio. *Obiect.* *Solut.*

Secunda eſt: Quia in ſuperiori capite de genere eſſecta fuerat mentio ſpeciei,nam fuerat genus per ſpeciem definitum. Ne igitur diutius teneremur ſuſpenſi, neq; vagaremur huc atq; illuc, naturam huius ſpeciei requirentes, propterea poſt genus ſtatim ſubſequuta fuit tractatio ſpeciei. Qua ratione in categoriis poſt quantitatem egit Ariſt. de relatis, nimirum,quia in categoria quantitatis effecta fuerit mentio magni & parui, quæ ſunt relata, ne enim diutius teneremur incerti animi auditorum,in intelligenda natura relatorum,quę de magno & paruo prædicatur, prætermiſſa qualitate, poſt quantitatem illico de relatis diſputauit. Tertia eſt, quia hæc diſputatio *2. Cauſ.* *3. Cauſ.*

quin-

quinque vocum refertur tanquam in finem in categoria, vt in præfatiuncula docuerat Porphyrius. Et quia in categoriis ſpecies ſub genere continetur immediate, propterea poſt genus ſtatim de ſpecie diſputauit. Et certe cū *in hoc cap.* expoſiturus erat ſeriem categoriæ ſubſtantiæ, in qua tanquā in tabula hæc ſubiectio immediata ſpeciei ad genus depicta cerneretur, æquum erat vt poſt tractationem de genere hæc tractatio de ſpecie ſubſequeretur. *4. Cauſſa.* Quartam tradit Auicenna, quia genus eſt magis intimum ſpeciei, quam differentiæ, nā locum tenet materiæ, at in compoſitione naturali, materia magis eſt intima toti compoſito, quam formæ, quare poſt genus ſubſequi debuerat diſputatio de ſpecie, tanquam de illa, de qua genus immediatius intimuſque prædicatur. *5. Cauſſa.* Verum quamuis omnes hæ rationes ſint ſatis accommodatæ, tamen, quæ ad veritatem magis accedit, & ad inſtitutum Porphyr. eſt hæc, ſcilicet in hac diſputatione non agere Porphyrium de his vocibus vniuerſis ſub propria natura, ſed vt vniuerſæ ſunt, & prædicabiles. Et quia prædicabile in quid eſt prius natura, quam prædicabile in quale, prædicaturque ſpecies in quid, differentia vero in quale, ob hanc cauſſam prius agendum erat de ſpecie, quam de differentia, & poſt tractationem generis illico hæc de ſpecie erat ſubſequenda.

Obiectio. Quod ſi quis dicat Porphyr. in præfatiuncula has quinque voces vniuerſas enumerās, eaſque ordine recenſens, poſt genus illico recenſet differentiam ante ſpeciem, prius ergo agendum fuerat de differentia, & deinde de ſpecie. *1. Solutio.* Quidam reſp. Porphyrium in præfatiuncula numerantem voces methodum naturæ obſeruaſſe, iuxta quam illa quæ ſunt priora, priori loco enumerantur, in hoc vero loco tenuiſſe methodum arbitrariam, iuxta quam ob aliquam rationem vrgentem, quæ ſunt priora, poſteriori loco, & quæ ſunt poſteriora, priori recenſentur. *2. Solutio.* Rectius tamen veriuſque reſpon. poſſumus etiam methodo naturæ egiſſe prius Porph. de ſpecie, quam de differentia, nam egit de illo attributo, quod eſt natura prius, nimirum de attributo in quid, quod eſt prius natura attributo in quale. Ad auctoritatem vero dicimus Porphyr. non ſeruaſſe in præfatiuncula ordinem quem retinere debuerat, quia ibi obiter, & quaſi proponens exemplum, has voces enumerauit: nunc autem ex inſtituto de illis diſputans ac rationem vniuerſi & prædicabilis inſpiciens, egit prius de voce priori, ſcil. de ſpecie ſtatim poſt genus, & deinde de differentia, quæ eſt poſterior.

A 2 Speciei (quæ apud Ciceronem in Topicis, & in aliis locis, & apud alios latinæ linguæ Antesignanos forma dicitur) variæ ſunt ſignificationes, quæ apud B. Albertum M. tractatu 4. Porphyr. *in cap. 1.* M. Soto, Toletum, Montaneſium in *commentariis huius loci*, Petrum Gregorium 2. *lib. Syntaxis artis mirab. c.* 11. legi poterunt. *2. Obſeru.* Significat enim apud Grammaticos originem alicuius vocis ab alia. Vnde quædam nomina ſunt primitiuæ, & alia deriuatiuæ ſpeciei. Apud Rhetores, & Poetas ſumitur pro diſpoſitione affectus, & ſpeciei: & ſic dicimus aliquem eſſe ſpecie triſtem, aliū hilarem, alium grauem, & alium modeſtum. Apud Philoſophos pro rei imagine, & ſimilitudine vſurpatur, qua ratione docuit Ariſtot. *1. de anima*, lapidem non eſſe in anima, ſed illius ſpeciem, id eſt, illius ſimilitudinem Apud Metaphyſicos rei naturam, & eſſentiam ſignificat, aut verius cauſſam exemplarem, à qua rei eſſentia eſt depromenda. Apud iuriſprudentes ſumitur pro aliquo indiuiduo, & ita dicunt ſpeciem illius facti, id eſt, factum illud indiuiduum Petri, vel Ioannis. Apud Dialecticos vero ſumitur pro pulchritudine, venuſtate, & decore oris, ſumitur etiam pro eo quod generi ſubeſt, & de quo genus proxime, & in quid enuntiatur. Ex quibus omnibus prioribus tanquam minus accōmodatis prætermiſſis, de duabus poſterioribus ſermonem inſtituit Porphyr. Prima, quæ ſignificat pulchritudinem accommodatæ ſpeciei Logicæ adaptatur, poteſt enim illa vel eum genere cui ſubeſt, vel eum de indiuiduis de quibus prædicatur, vel in ſe ſumi: ſi vt in ſe ſumitur vſurpetur, merito ſane pulchritudinis nomē ſpeciei Logicæ adaptatur, etenim eum pulchritudo commenſurationem quandam partium inter ſe, & cum toto, cum coloris gratia, & venuſtate (vt Ariſtot. 3. *Topic. cap.* 1. & 7. *Politicorum*, Plotinus *Ænnead.* 1. *lib.* 6. docent) ſignificet, ſintque in illa genus & differentia ſecundum rationem actus, & potentiæ, mire proportionata, & inter ſe maxime commenſurata, merito pulchritudinis ratio illi poterit adaptari. Si vero ea ratione vſurpetur qua eum generibus confertur, etiam pulchritudinis nomen ſibi promeruit, nam proponit nobis veluti inſpectandam, & contuēdam naturam generis informem, & impolitam, & veluti (intra ſuæ confuſæ, & late patentis potentiæ naturam) latentem, eo modo quo in rebus naturalibus forma dicitur ſpecies, quia latentē,

obſcuram, & indiffinitam potentiam illius intuendam nobis proponit. Et tertio ſi ad individua referatur, hoc etiam eodem nomine ornabitur, eſt enim tota perfectio illorum, & pulchritudo: neque enim individua al quam pulchritudinem eſſentialem, n ſi eam quam ab ſpecie habent poſſunt obtinere.

.Obſeru. A. 3. Explicans primam ſignificationem, quę ſignificat pulchritudinem, verſum quendam Euripidis citat: *Primum quidem ſpecies eſt digna quæ imperet.* Quē illius eſſe docent Athęneus *lib. 13.* & Stobeus *in ſermone de pulchritudine.* Varie tamen eb interpretibus legitur. Auerroes, B. Albe t. Magn Caiet. & alij ita legunt: *Species Priami digna eſt, quæ imperet.* Fuit Priamus Troianorum Imperator (inquit Albert.) qui ob eximiam, miramque pulchritudinem illius regni principatum ſibi promeruerat. Boetius, & Petionius ita tranſtulerunt. *Primum quidem ſpecies digna eſt, &c.* Argylopilus ita interpretatur. *Præſtātiſſima forma digna eſt imperio.* Quæ interpretationes quamuis verbis differre videantur, eo tamen omnes tendūt, vt intelligamus ſpeciem pro pulchritudine in hac prima ſignificatione à Porphyr ſumptam fuiſſe, dignumq; eſſe hominem decora facie, & aſpectu pulchrum, qui totius regni teneat principatum: ſolet enim venuſtas oris, & faciei pulchritudo generoſum quendam animum, ad imperandum dignum indicare. Atque ita de Chriſto Domino quem Pater cœleſtis regem ſuper Sion montem ſanctū eius cōſtitue at, inquit, regius Propheta *Pſ. 44.* Tanta oris venuſtate, & pulchritudine perfuſum fuiſſe, vt omnes mortales lōgo poſt ſe relinqueret interuallo. Speciosſus (inquit) forma prę filiis hominum, &c & infra. Specie tua & pulchritudine tua intende proſpere, procede & regna.

4.bſeruatio. B. I. Argyropilus, & Boetius, paulo aliter hæc ver a in hunc modum interpretantur. *Dicitur autem, & de eo quod ſub aſſignato genere collocatur.* Quæ verba duobus modis poſſumus explicare Primo, ſub aſſignato genere i. ſub genere definito *in cap. ſuperiori*, & huic interpretationi fauere videntur verba Petionij *Vocatur autem id ſpecies quod ſubeſt modo explicato generi* i. Generi, quod in ſuperiori capite fuit definitum & explicatum, & hanc ſequitur M. Soto, Toletus & alij Secundo ſub aſſignato genere i. ſub certo, & definito genere, neque enim omnes ſpecies ſub omnibus generibus, ſed certæ ſub certis generibus continentur, vt homo ſub animali & candor ſub colore. Hinc ſequitur Caiet. Anno at etiam idem ex B. Alberto Magno *tractat 4. Porphyr. cap* 1. particulam illam ſub, denota e ſpeciem eſſe inferiorem genere, primo ſitu, & loco: & ſecundo natura, & participatione. Situ, quia in recta ſerie categoriæ ſpecies infra genus continetur, vt homo infra animal. Participatione vero, quia ſpecies inferiori modo continet attributa ſuperiora quam genus. Etenim genus continet illa illimitato modo, nullisq; finibus circumſcripta: at ſpecies eadem per differentias ſpecificas conti net contracta, & limitata, vt homo hæc attributa ſubſtantia, corpus, corpus animatum, & ſentiens cont net limitibus rationis participis circumſcripta.

C 2 Auicenna, & M. Soto. putant hanc ſecundam ſignificationem, ita eſſe ſignificationem vt non ſit diffinitio. Verius tamen Caietanus eſſe primam ſpeciei diffin tionem arbitratur. Quod certe conſtare poterit primo, quia ſi hæc prima non eſt definitio, ſed ſignificatio, quorſum Porphyr. poſt illam traditam ſatisfacit obiectioni quæ poterat rei ci tanquam vitioſa, eo quod fuerit tradita per circulum, qui in definitionibus eſt omnino reijciendus? Secundo; Quia poſt traditam vltimam definitionem. *Species eſt, quæ dicitur de multis numero differentibus in quid.* Subiungit hanc tātum traditam fuiſſe de ſpecie atoma, alias vero priores tā de atoma, quā de intermedia. Quænam igitur rogo ſunt al ę priores nam præter illam, *Species eſt, quæ ſubeſt generi & de qua genus prædicatur* in quid, nulla alia fuit præpoſita præter hanc, quæ eſt ſecunda ſignificatio, erit igitur illa non tātum ſignificatio, verum etiam prima ſpeciei definitio. 5. obſeruatio.

D. Merito ſane poteſt aliquis dubitare, qua ratione hæc ſecunda diffinitio differat à prima, cum eiſdem fere verbis tradita eſſe videatur, nam diffinitur: *Quod ſubeſt generi & de quo genus prædicatur in quid.* Caietan putat in hac definitione comprehendi primam, eo modo quo totum partem comprehendit, vnde prima pars *Illud, quod ſubeſt generi*, eſt repetitio prioris definitionis, altera vero de qua genus prædicatur in quid, eſt ſecunda definitio. Rectius tamen cum M. Soto opinamur hanc ſecundam earum continere vnicam definitionem, & non duas, quod vt facilius intelligere poſſimus ſciendum erit, duobus modis ſpeciem ſubeſſe generi primo in recta ſerie categoriæ, ſecundo in attributione. Genus enim & eſt in ſpecie ſecundum eſſentiam & dicitur de illa: primo mod ſumitur vt eſt in categoriis, in quibus genera in ſpeciebus continen 6. Obſeru.

tur.d.

tur: altero vero ſumitur in propoſitione, in qua genera de ſpeciebus prædicantur. Inter hæc autem hoc intereſt, quod prima habitudo cauſa eſt, & fons à quo oritur ſecunda; ex eo ſiquidem genus dicitur de ſpeciebus, quia eſt in illis. Cum igitur hæ duæ habitudines in ſpecie reperiantur, & ſubiecti in categorijs, & in propoſitione, prima definitio explicabit tantum illius habitudinem ad genus in categoriis, ſecunda vero ad idem in propoſitione, quare non erunt vnica, ſed duæ definitiones, neque in ſecunda prior comprehēdetur: quāuis enim vtrinſque eadem verba eſſe videantur ſignificatione tamen non parum diſtant, quia prima quæ eſt: *Quod ſubeſt generi.* intelligi debet de ſubeſſe in categoriis. Altera vero: *Illud quod ſubeſt generi, & de quo genus prædicatur*, intelligi de ſubeſſe in prædicatione, vt explicant verba poſteriora. De quo genus prædicatur, quæ indicant ſubiectionem in definitione propoſitam, eſſe ſubiectionē in prædicatione, & non in ſerie categoriæ.

Verum inſurget aliquis. Eadem eſt ratio generis, & ſpeciei, quia ſunt relata, ſed genus tantum fuit definitum per vnicam habitudinem ad ſpeciem, nimirum per habitudinē attributi ad ſubiectū intra prædicationem nam fuit definitum. *Quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quid.* Ergo & ſpecies tantum debuit definiri per vnicam habitudinem ad genus, nimirū per habitudinem ſubiecti ad attributum intra prædicationem. Reſp. etiam genus definitum eſſe per habitudinem ad ſpeciem in categoria, & non tantum in attributione. Nam tertia ſignificatio qua ſignificat illud cui ſubiectæ ſunt ſpecies, nō tantum eſt ſignificatio verum definitio generis, qua definitur per habitudinem ad ſpeciem in recta ſerie categoriæ, intelligi enim debet de ſubiectione ſpecierum intra ſeriem categoriæ & vt genus eſt in illis ſecundum eſſentiam. Altera vero quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quid, intelligi debet de eodem, vt in attributione, & intra propoſitionem refertur ad ſpecies: quare non vnica, ſed duab. definitionibus putādum eſt genus fuiſſe à Porph. definitum, quemadmodum duabus alijs in hoc cap. fuit ſpecies definita.

7.Obſeru. E Hæc definitio eſt, quæ competit ſpeciei atomę & indiuiduæ, quę ſola hanc ſecundam vocem prædicabilem conſtituit, traditurque de illa ea ratione qua eſt vniuerſum, quæ certe optima eſt, & ab omnibus dialecticis recepta. Verum, quia in quæſtione erit illa à nobis examinanda, vbi etiam aliorum Philoſophorum definitiones proponemus, ob hanc cauſam illius explicationem hoc loco prætermittimus.

F Proponens ſeriem categoriæ ſubſtantiæ, inquit animal ratione vtens, eſſe genus hominis. In quibus verbis indicat aperte dari alia animalia quæ ratione vtuntur præter hominem, quæ verba putant Louanienſes dicta eſſe à Porphyr. ex communi Gentilium errore, qui præter ſubſtantias ſpirituales, quas Angelos dicimus, exiſtimabant eſſe quaſdam alias ſubſtantias tanquam Deos quoſdam terreſtres, vel inferos, vt Cererem, Æſculapium, Plutonem, Vulcanum, & alios. Et has ſubſtantias vocare Porphyrium, animalia quæ vtuntur ratione, & quæ cum homine habent hanc naturæ communionem. Quę certe ſunt ridicula, & à fide omnino aliena. Vnde alij dicunt Porphyr. per hæc animalia quæ vtuntur ratione intellexiſſe orbes cœleſtes, qui iuxta Stoicos Philoſophos, & Academicos, & multos ex veteribus ſunt animati anima compote rationis. In qua ſententia extitit Cicero in *lib. q. Academica.* & *in lib. de natu. Deor.* & multi alij, vt teſtatur Plutarch. *lib. 2. de placitis c. 7* Itaque corpora cœleſtia, & homo, ſunt animalia, quæ vtuntur ratione, quæ in eo differunt, quia corpora cœleſtia ſunt extra omnem corruptionem conſtituta, homo vero eſt obnoxius variis mutationibus. Exiſtimo tamen Porphyr. in hac re ſecutum fuiſſe Platonicos, qui vt D. Auguſtin. refert, *9. lib de ciuitate Dei*, faciebant Angelos & dæmones ſubſtantias quaſdam corporeas, corpore quodam ſubtili, & tenuiſſimo, animatas & ratione vtentes, quorum decretis cum maxima ex parte inſiſtat Porph. inquit animal rationale genus eſſe harum ſubſtantiarum, & hominis, à qua opinione non videtur recedere Ariſt. 4 *Top. c. 2.* vbi docet immortale eſſe differentiam animalis, eo quod animalia, alia ſint mortalia, & alia immortalia, quamuis hoc nō ex propria ſententia, ſed Platonicorum videatur Ariſt. propoſuiſſe 8.obſeruatio

I Loca quibus Ariſtot. docet omnia reuocari ad vnum ens, vel non eſſe ens ſynonymū, ſed homonymum ſunt 1. *Phyſicor. cap. 2. & 4. Metaphyſ. cap. 2. & 11. cap. 3 & 1 de reprehenſio Sophiſta. cap. 3.* Quod non debet intelligi de homonymia ſimpliciter, eo modo quo canis eſt vox homonyma ad domeſticum, cœleſtem & marinum, qui præter nomen nullam aliam habent rationem communem, ſed de homonymia à conſilio, quam poſteriores Philoſophi analogiam attributionis appellarunt, 9 obſeruatio.

eo modo

Digitized by Google

eo modo quo ſanum dicitur de animali, vrina, dieta, & medicamentis, quibus præter nomen eſt ratio ſanitatis communis, quamuis non ſimpliciter, ſed aliquo modo eadem, ſimpliciter enim tantum eſt in animali. in quo debita humorum, & qualitatum proportio reperitur, in alijs vero eſt per attributionem ad illud, aut quia efficiunt hanc proportionē, aut quia ſignificant, aut quia tuentur, nam hoc exemplo in Metaphyſicis vtitur Ariſtot. Subſtantia enim & accidentia præter nomen entis, habent & rationem communem, quæ eſt eſſe, quamuis hæc in ſubſtantia ſimpliciter reperiatur, & in accidentibus ſecundum quid, aut quia ſunt menſuræ ſubſtantiæ, vt quantitas, aut quia ſunt affectiones, vt qualitas, aut quia ſunt quippiam huiuſmodi, verū hanc rem luculenter ſatis abſoluimus 1. *Tranſcen. c.* 1. *&* 18. & in antecategoriis hunc eundem ſermonem iterum repetemus.

o *Obſeru.* K Conſtat ex dialecticis, & Metaphyſicis genera ſuprema & categorias tantum eſſe decem, quæ ſunt: Subſtantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situm Eſſe, & Habere. ab his in dialectica initium duxit Ariſt. tanquam à partibus minimis, & ſimplicioribus principijs, de quibus etiam 5. *Metaphyſ.* diſſeruit luculenter.

L Præceptum hoc Platonis, tradit Galenus *lib.* 3. *methodi medendi*, vbi inquit diſputandi de morbis, diuidendum eſſe ipſum morbi genus per differentias, vſq; ad aliquam ſpeciem atomam, quæ in alias ſpecies diuidi nulla ratione queat. Idem etiam in inueniendis diffinitionibus obſeruandum eſſe iubet Ariſt. 2. *lib. de demonſt c.* 14. debent ſiquidem genera ſuperiora per intermedias differētias diuidi, vſque ad differentiam atomam ſpeciei quam cupimus diffinire, ſicq; deſcendendum erit à generibus ſupremis, vſque ad ſpecies vltimas, ibiq; ſiſtendum erit in ſpeciebus. Nonnulla alia circa textum obſeruare poteramus, verū, quia illa vel leuia ſunt, & nullius momenti, vel in diſputationibus explicabuntur hoc loco prætermittimus. 11. *Obſeru.*

DISPVTATIO DE SPECIE, IN DVAS ſectiones diſtributa.

ARGVMENTVM.

DVO ſunt, quæ potiſſime in hoc capite inſtituit explicare Porphyr. quid ſcilicet ſit ſpecies, & quid indiuiduum, primum in prima parte capitis accurate, & abunde ſatis explicat, alterum vero breuius abſoluit. Quare in has quoq; duas partes, & ſectiones diſtribuemus caput, in prima illas quæſtiones proponemus, quæ ad naturam ſpeciei explicandam conducere videbuntur, in altera vero alias quibus natura indiuidui poſſit apertius multo, & clarius cognoſci. Vt igitur ad diſputationes de ſpeciē accedamus, eſt prima quæſtio.

SECTIONIS PRIMÆ DE SPECIE QVÆSTIO PRIMA.

Sintne vera, quæ à Porphyrio in cap. de ſpecie tradita fuerunt.

VT ea quæ à Porphyr. in hoc capite tradita fuerunt illuſtriora multo appareāt, erunt in hac prima quæſtione examinanda. Primoque aduerſus ordinem obſeruatum à Porphyr. ita ago. Ex eo actum eſt prius de genere, quam de ſpecie, quia eſt pars illius, ſed differentia non minus eſt pars ſpeciei, quam genus, ergo prius agendum erat de differentia, quam de ſpecie, & confirm. Methodo compoſitionis (quam in hoc opere retinemus) prius eſt agendum de ſimplicioribus, quam de compoſitioribus, ſed differentia eſt ſimplicior, ſpecies vero compoſitior, ergo prius agendum erat de differentia, quam de ſpecie. *Argum.*

Secundo aduerſus primam definitionem argumentor in hunc modum. Indiuidua ſubſunt generi, vt Petrus, & ille equus animali, 2. *Argum.*

Digitized by Google

ſed indiuidua non ſunt ſpecies, non igitur optime definita eſt ſpecies, quæ ſubeſt generi.

3. *argum.* 3 Aduerſus exemplum quo vtitur in hac definitione de triangulo & figura, inquit enim, triangulum ſubijci figuræ tanquam generi, quod eſſe falſum ita confirmo. Omne genus dici debet de ſuis ſpeciebus eodem nomine, & ratione, ſed figura non dicitur de triangulo, & quadrato hac ratione, ergo non erit illa verum genus: propoſit. per ſe nota eſt, & ab omnib. conceſſa, quia genus eſt vox ſynonyma, aut vniuoca, ac proinde debet eodem nomine, & ratione de ſpecibus prædicari. Confirmatur aſſumptio. Primo ex Ariſt. qui 2. *de anima cap.* 3. ridiculum putat in anima, & figura, communem & ſynonymam, quærere rationem, ſic enim habet: *Itaque ridiculum eſt profecto, & in iis, & in alius communem quærere diffinitionem* Secundo, quemadmodum ſe habet numerus ad ternarium, & quaternarium, ita ſe habet figura ad triangulum, & quadratum, ſed numerus prius dicitur de ternario, quam de quaternario, ergo & figura prius dicetur de triangulo, quam de quadrato. Tertio, triangulum eſt pars quadrati, nam ex duobus triangulis rectilineis fit vnum quadratũ, vt conſtat ex figura quadrata, in qua ſi ab angulo ad angelum lineam rectam ducamus, remanebunt duo triangula, quæ ipſum quadratum componebant, ergo prius dicetur figura de triangulo, quam de quadrato, ſed vbi aliquid dicitur per prius & poſterius non poteſt dari ratio generica, & vniuoca, iam igitur figura non erit genus ad triangulum & quadratum.

4. *Arg.* 4. Aduerſus vltimam definitionem in hũc modum argumentor. Illa eſt vitioſa definitio quæ competit alteri à re definita, ſed hæc definitio eſt huiuſmodi, erit igitur illa vitioſa. Confirmatur aſſumptio. Genus non eſt ſpecies, ſed hæc definitio competit generi, nam genus quoque dicitur de multis numero differentibus, vt animal de Petro, & Antonio, ergo hæc diffinitio competet alteri à re definita.

Solutio. Quod ſi quis dicat intelligendam eſſe definitionem de prædicari de multis numero differentibus immediate, qua ratione non prædicatur genus de indiuiduis.

Eius prima refutatio. Contra primo. Genus immediate dicitur de indiuiduo vago, vt animal de quodam animali, ergo iam prædicabitur immediate de indiuiduis.

2. Refutatio. 2. Genus immediate dicitur de his, quæ ſpecie diſtinguuntur, ſed dantur multa indiuidua quæ ſpecie diſtinguuntur, vt Dominicus, ille leo, & hic equus, ergo genus quoque immediate dicetur de multis numero differentibus.

5. *argum.* 5. Sol. Luna, Mundus, ſunt ſpecies, atqui hæc non dicuntur de multis numero differẽtibus; nam in ſole tantum eſt vnicus ſol, in mundo, vnicus mundus, & in luna, vnica luna, ergo ſpecies non erit illa, quæ dicitur de multis numero differentibus. Et confir fortius multa de natura Angelica (vt Michaelis v.g.) hæc natura eſt ſpecifica ex ſent. D. Tho. 1. *p. q.* 50. *art.* 4. atqui illa non habet plura intra ſe quæ numero differant, vt idem D. Th. profitetur, imo neque poſ eſt habere. Quia vbi in natura ſunt eadem principia ſpecifica, & indiuiduantia, natura nõ poteſt in plura numero multiplicari, quia non poſſunt principia indiuiduantia pluribus eſſe communia, at in natura Michaelis, & quauis alia Angelica, eadem ſunt principia ſpecifica, & indiuiduantia, neque enim habet aliqua alia principia, quam ſpecifica quilibet Angelus, ergo in natura angelica non poterunt eſſe plura indiuidua ſolo numero diſtincta, & ex conſequenti non conueniet omni naturæ ſpecificæ dici de pluribus numero differentibus.

6. *Argum.* 6. Medium illud dicitur, quod participat naturam vtriuſq; extremi, neq; de vllo illorũ prædicatur, vt tepidum participat naturam calidi & frigidi, quod neq; de calido dicitur, neque de frigido. ſed omnia, quæ interiacent inter genus ſupremum, & ſpeciem infimam, non participant naturam vtriuſque extremi, ſed vnius tantum, ſcilicet, ſuperioris, quod de altero tantum dicitur, inferiori nimirum, vt animal tantum dicitur de homine. & nõ participat naturam illius, ſed ſubſtantiæ, corporis, & corporis animati, ergo non recte dictũ fuit à Porph. omnia quæ interiacent inter genus ſupremum, & ſpeciem infimam, eſſe media conſtituta inter hæc duo extrema.

Vltimo Species vt confertur cum generibus ſuperioribus, componitur ex illis, vt homo componitur ex animali, & rationis participe, ſed quidquid componitur ex aliquo, eſt totum reſpectu illius, iam igitur ſpecies, vt refertur ad ſuperiora, erit totum, & non pars, cuius contrarium in poſtremis verbis capitis docuerat Porphyr. Hæc ſunt argumenta, quæ videntur euertere, ea quæ à Porphyrio in cap. conſtituta fuerunt, alia prætermittimus, quæ ex horum ſolutione facile diſſolui poterunt. *Ad vlt.*

His tamen non obſtantibus eſſe, ea quæ in

Ff hoc

hoc cap tr d ta fuerunt veriſſima & auct ri tat: Porphyr. & ex commun dialect corum conſenſu, poſſumus confirmare. Veruntam requam argumentis ſatiſfaciamus, æquum erit in medium proferre, quæ viri graues proponant ſpeciei diffinitiones, vt facilius deinde propoſitas à Porphy explicare poſſimus. Sic e; vt aucto eſt Laertius in Zenone *lib 7. de vitis*, eijſdem fere verbis ſpeciem d finierunt, quibus Porphy illam in prima diffinitione deſcripſit ſic enim dicebant *Species eſt quæ ſub genere continetur ſicuti ſub animali continetur homo* Eandem diffinitionē his verbis propoſuit D Damaſcen. *in ſua dialecti a capit. 2* (vbi omnia ex hoc loco hauſiſſe videtur) *Dicitur autem ſpecies quod ordinatur ſub genere, id eſt, quod ex genere diuiditur.* Laudat etiam eandē Martianus Capella, *lib. 4 artium liberalium cap. de forma*, nam ita inquit: *Forma ergo ſunt quæ ſubdita generi tenent diffinitionem eius, & nomen.* Cicero in Topicis ad Trebatium in hūc modum illam d finit. Primo: *Forma eſt notio, cuius differentia, ad caput generis, & quaſi fontem referri poteſt.* Secundo: *Forma ſunt in quas genus ſine illius prætermiſſione diuiditur.* Ceterum quamuis hæ definitiones ſint optimæ, & à grauiſſimis Philoſophis propoſitæ, tertia quam tradit Porph. nimirum: *Species eſt, quæ dicitur de multis numero differentibus in quæſt. quæ quæritur quid res ſit* eſt omnium accuratiſſima, & inſtituto dialecticorum accommodata, quam tradunt Pachimerius, Trapezuntius, Iauellus, Titelmannus, Perionius in ſuis dialecticis, & quotquot de arte diſſerendi conſcripſerunt, & Rudolphus Agricola 1. *lib. de inuent. cap. 6.* Quæ diffinitio continet tres particulas. Prima, quod dicitur de multis, quæ refert vniuerſum quod eſt genus ſpeciei, vt iam ſupra diximus, intelligiq; debet eo modo quo ſupra de genere fuit intellecta Et per hanc ſeparatur ab indiuiduo, quod de vno tantum dicitur. Secunda Numero differentibus, per quam a genere ſecernitur, quod de multis ſpecie differentib. prædicatur. Tertia eſt, in quæſt. qua quærimus quid res ſit, per quam diſtinguitur à differentia, proprio & communi accidente, quæ omnia non in quid, ſed in quale dicuntur Ex quibus eſſe accuratam hanc diffinitionem, colligi poteſt apertiſſime. Illa eſt accurata diffinitio, quæ ſeparat diffinitum à quolibet alio, ſed hæc diffinitio eſt huiuſmodi, ergo conſtat ex his, quæ nuper dicebamus, ergo eſt illa accurata.

Definitio ſpeciei ab Stoicis aſſignata.

Quod ſi quis rogat, ſit ne illa eſſentialis, vel accidentalis? Reſp eſſe accidentaliam cum ſit tradita per proprietatem, quod eſt proprietas ſpeciei. Poterit autem eſſentiali diffinitione ita d finiri. Species eſt illud, quod eſt in multis numero differentibus in quid, vel vnum in multis numero differentibus in quid. Etenim hæ d ffinitiones traduntur per eſſentiam ſpeciei, quæ eſt eſſe vnum in multis ſpecie differentibus in quid, quemadmodum eſſentia vniuerſalis abſolute eſt eſſe vnū; nam hæc eadem eſſe debet ſpeciei cō tracta tamen per has differentias eſſentiales, numero differentibus, & in quid. Cetera ad hoc inſtitutum attinentia, & num vniuerſum, ei prædicabile, vel natura affecta notione, habeant locum generis in propoſita diffinitione peti poterunt ex his, quæ diximus *in c. de genere. ſect. 1 q. 4. & 5.* nam quæ ibi dicta fuerunt de genere, ſunt quoque de ſpecie intelligenda.

Reſpon.

Iam ad argumenta. Ad primum reſp. non ex eo actum fuiſſe prius de genere, quam de ſpecie, quia illud eſt prius, & pars ſpeciei, ſed quia eſt pars & prædicatur in quid de ſpecie; at vero differentia quamuis ſit pars, non prædicatur in quid ſed in quale. Ad confirmationem reſp. methodo compoſitionis non tantum illa eſſe priora, quæ ſunt ſimpliciora, verum & quæ ſunt priora natura, at quamuis differentia ſit ſimplicior ſpecie, no eſt tamen prior, ſi agamus de ea in ratione prædicabilis, imo econtra ſpecies prior eſt differentia: nam prædicatur in quid, differentia vero in quale, certum autem eſt prædicationem in quid, eſſe priorem natura, prædicatione in quale, reuocanda ſunt ad memoriam, quæ diximus in *c. de genere ſect 1 q 1.*

Ad 1. arg.

Lege quæ de meth. diximus q. vlt. ſect. 2 q. proœmia.

Ad 2. mult reſp. Intelligendam eſſe diffinitionem de ſubeſſe immediate, & non de ſubeſſe mediate, ita vt ſenſus ſit, ſpecies eſt, quæ ſubeſt generi, ſubeſt inquam, immediata ſubiectione, at hoc modo, ſola ſpecies eſt, quæ generi ſubeſt, nā indiuidua mediate ſubſunt, media ſcilicet ſpecie. Verum hæc ſolutio vt optime Caietan. & Louanien. animaduerterunt, non poteſt eſſe vera ex omni parte, nam quā uis de indiuiduis certis, & determinatis, verum ſit illa non ſubijci generi immediate vt Dominicus, & Thomas, non ſubſunt animali immediate at de indiuiduo vago, vera eſſe non poteſt, nam illud quod eſt genericum, immediate ſubeſt generi, vt quoddam animal immediate ſubeſt animali.

Ad 2. quorundam ſolutio.

Alij vt Louanien. reſpon. in diffinitione tradita ſubintelligendam eſſe vocem hanc vniuerſum, ita vt dicamus, ſpecies eſt vniuerſum, quod

Aliorum ſolutio.

ſum, quod ſubeſt generi. Neque obſtat huic interpretationi, ſpeciem non eſſe vniuerſam reſpectu generis, atque ita non poſſe definiri per vniuerſum in habitudine ad illud, quia quamuis formaliter nō ſit ita vniuerſa, eſt tamen vniuerſa materialiter, & de hoc vniuerſo intelligi debet vniuerſum, quod continetur in diffinitione. Indiuidua autem, neque formaliter, neq; materialiter ſunt vniuerſa, quare non cōueniet illis propoſita definitio.

Solutio Caietan. Caietan. acutiſſimus, & eruditiſſimus in *commentar.* ex Alberto M *tract. 4. in Porph. cap.* 2 duplicem ait eſſe ſubiectionem, vnam quæ tota oritur ex attributo, & alteram quæ non oriatur, intereſt autem & nō parum inter ſpeciem & indiuidua, quia ſubiectio ſpeci ei tota oritur ex ſuis attributis, nam differentia, quæ conſtituit ſpeciem, ex genere oritur, etenim quemadmodum ex potētia materiæ primæ (in qua confuſe, & indiſtincte continentur formæ naturales) vi agentis naturalis educuntur illæ & oriuntur: ita etiam differentiæ ſpecificæ ex potentia generis in qua confuſe & illimitate continentur, vi intellectus patibilis, educuntur, & oriuntur, ſunt enim veluti quædam propietates generum, quæ à ſubiectis dimanant. At vero ſubiectio indiuiduorum non tota oritur ex ſpecie, vel genere, nam materia ſignata, quæ eſt veluti differentia eorum non oritur ab ſpecie, neque à genere, ſed ab agente naturali. Itaque in hac diffinitione ſubeſſe generi intelligi debet de ſubeſſe, quando tota ſub ectio ad genus oritur habet à ſolo abillo, ac proinde cum ſubiectio indiuiduorum non habeat ortum ab genere, propoſita diffinitio non conueni t in diuiduis.

Alia ſolutio. Poſſumus tamen reſp duplicem eſſe ſubiectionem, formalem vnam, & alteram materialem. Formalis eſt in qua ſubiectum adhuc eſt alteri communicabile, vel in qua attributum deriuatur per aliquam formam mediam ad ſubiectum. Materialis vero dicitur, in qua ſubiectum eſt alteri incommunicabile: vel in qua attributum non per formam, ſed per materiā ad ſubiectum deſcendit. Igitur inter ſpeciem, & indiuidua intereſt, quod ſpecies ſub ſunt generi ſubiectione formali, indiuidua materiali. Quia ſpecies ita ſubſunt, vt alijs communicentur, genuſque deſcendat ad illas per formam, ſcilicet per differentiam ſpecificam, quæ petitur à forma. Indiuidua verò ita ſubſunt vt alijs non communicentur, neque genus, aut ſpecies deriuetur ad illa per aliqua formalia, ſed tantum per materialia principia. Debet ergo intelligi definitio de ſubiectione formali, & non materiali, quæ cum nō conueniat indiuiduis, neque definitio poterit illis vllo modo conuenire. Collecta eſt hęc ſolutio ex doctiſſimo Nigro *1. p. clypei q. 35. ad 2. arg. principali*, & ex Veneto *in comment. huius loci*.

In explicatione 3. arg. more hoc loco inter ſeſe tant nonnulli Philoſophi diſputantes, num triangulum ſit ſpecies figuræ, & num figura ſit illius, & quadrati genus, quæ controuerſia mathematica eſt, non dialectica & quæ ſue lem habet ſolutionem; vt tamen morem tempori geramus breuiter illā explicabimus. Ammonius igitur refert quorundam opinionem, qui acriter reprehendunt Porphyrium quod figuram fecerit genus trianguli, & quadrati nam illam non poſſe locum generis obtinere, confirmant ea quæ in hoc argumento propoſuimus. Horum Philoſophorum indicium ſecutus eſt Villalpandus, illa auctoritate ex 2. *de anima tradita*, conuictus. Præſtat tamen eum Porphyr. Ammonio, imo Ariſt. figuram genus conſtituere. Nam Ariſt. in categoria qualitatis in quarta ſpecie comprehendit figuram, at certum eſt ſpecies qualitatis, eſſe genera intermedia Neque audienda eſt ſolutio Villalpandi, Ariſt. minus accurate hoc docuiſſe, nam ſi ita fas eſt ipſum interpretari, parum firma, nulliuſque roboris eſſent argumenta ex auctoritate Ariſt. petita, poſſemus ſiquidem reſpondere Ariſt. minus accurate rē illam docuiſſe. Et quamuis in catego iis dialecticis, multa populari ratione propo uit: tamen in met physicis exquiſite de omnibus diſpu auit, at 5 *Metaphyſ. cap. 14.* inter ſpecies quali atis, circulum, & alia figuras mathematicas recenſet. Qua e ad argum. reſpond. negando aſſumpt.

Ad 3. Ad 1. confirm. ex Ariſt pe it m reſp Ariſt. eo loco non e. lu ſſe figuram a ratione generis, ſed, n qu definition m bi aſſignatam, animę ſimilem eſſe diffinitioni figuræ: quemadmodum enim definitio figuræ quæ eſt (termino aliquo concludi) ita trad t r de il a, vt quando accommod itur figuris poſt i ri bus, videatur iam in prioribus fuiſſe incluſa (qu a in figu is, & numeris priora in poſte ioribus includuntur) ita quoque talis tradi debu t animæ diffinitio, quæ ita cōueniat vegetanti, ſentienti, & intelligenti, vt quādo de ſentiente dicitur, videatur iam vegetanti fuiſſe accommodata nam in ſentiente vegetans eſt incluſa. Hoc tamen non aufert rationē generis: etenim eſſe aliquam ſpeciem priorē al-

tera ſi inter ſe conferantur, non aufert rationem generis, ſed eſſe priorem ſi cum genere, quod diuidunt comparentur, qua ratione in figuris mathematicis triangulo quadrato, & aliis, nõ datur prius, & poſterius, ſed omnes ex æquo diuidunt figuram, quæ eſt genus.

Ad 2. eiuſd. confir. Ad 2. confirm. dicimus innumeris dari ordinem prioris, & poſterioris ſi conferantur inter ſe, non tamen ſi conferantur cum numero in communi, cuius ſunt ſpecies.

Ad 3. Ad 3. confirm. reſp. cum Ammonio, accidere quadrato ex triangulis componi poteſt enim (ex Euclide) confici ex quatuor lineis abſque vllo triangulo. Vel dicimus componi quadratum ex triangulo materialiter, i. ex lineis, quæ componunt triangulum, non tamẽ formaliter, quemadmodum quaternarius fit materialiter ex ternario, non tamen formaliter, & ita materialiter admittimus figuram prius dici de triangulo, quam de quadrato, verum hæc ratio prioris non aufert rationem generis: vt ſæpe de numeris diximus, in quibus numerus eſt genus, qui prius dicitur materialiter de vno, quam de altero.

Ad 4. Ad 4. Quidam amplectuntur ſolutionem propoſitam, ſcil. genus non dici immediate, ſed mediate de multis numero differentibus, media ſcilicet ſpecie: at in hac diffinitione tãtum eſt illud diffinitum, quod immediate dicitur de multis numero differentibus. Hanc tradit Scot. *q. 17. in Porph. in 2. ſolutio. primi argumenti,* & Toletus *quæſt. 3. ad 4. in cap. de Genere.* Cæterum quamuis hæc ſolutio de indiuiduo certo, & determinato ſit vera, de quo genus tantum mediate dicitur, at falſa eſt de indiuiduo vago, nam de illo immediate prædicatur genus, vt animal de quodam animali. Quare illa prætermiſſa, reſpond. diffinitionem intelligendã eſſe de prædicari tantum de his, quæ ſolo numero differunt, at ita prædicari non conuenit generi ſed ſoli ſpeciei, quæ non de aliis, quam de his, quæ ſolo numero differunt prædicatur, genus vero prædicatur etiam de his, quæ ſpecie diſtinguuntur. Ita Scotus *in ſolutione prima illius arg.* & M. Soto *quæſt. vnica huius cap. in ſolut. 2. argum. in poſtremis verbis.*

Ad 5. Ad 5. arg. reſp. Seuerinus Boetius negans illius conſequentiam, quia Porphyr. inquit in hac diffinitione non eſt complexus omnes ſpecies, ſed maiorem partem illarum, quia maior pars eſt, quæ prædicatur de multis numero differentibus, & minor quæ de vno tantum indiuiduo prædicatur. *Confut.* Reijcimus tamen hanc ſolutionem ex eo, quia Porphyr. tradere debuerat diffinitionem omnibus ſpeciebus prædicabilibus communem, quæ certe nulla eſt alia, quam hæc de qua diſputamus, quare conueniet etiam ſpeciebus, quæ in vno indiuiduo conſeruantur. *Vera Solutio.* Vnde dicimus intelligendam eſſe diffinitionem poteſtate, & non actu, ita vt ſpecies ſit illa, quæ poteſt dici de pluribus numero differentibus, non autem illa, quæ actu dicitur de ipſis, qua ratione Sol, Luna, Mundus Phœnix & aliæ ſpecies, quæ vnicum tantum habent indiuiduum, ſunt veræ, & legitimæ ſpecies, ea ſiquidem ratione qua hæ naturæ ſeparantur per intellectum à proprietatibus indiuiduantibus illius indiuidui, aſſequuntur quandam vniformitatem & aptitudinem eſſendi in pluribus, vt ab illa veræ ſpecies dici poſſint. Legendus eſt Caietanus in quadam dubitatione huius cap. reuocandaque ſunt ad memoriam, ea quæ nos in *ſuperiori cap. ſect. 2. quæſt. 1.* diximus. Ad confirmationem de natura angelica dicimus, quod quamuis principia ſpecifica & indiuiduantia ſint eadem in illa ſecundum rem, differunt tamen ratione: nam alia eſt ratio naturæ, vt confert eſſentiam, & quidditatem Angelo, & alia vt ipſum indiuiduat, quæ diuerſa ratio ſufficit vt vnum poſſit multiplicari altero nõ multiplicato, homo enim & Petrus ſola ratione differunt, cum tamen multiplicetur homo, non multiplicato Petro. Verum de hac confirmatione in ſeqq. diſputationibus, maxime in ea quæſt. in qua agemus, in categoria ſubſtantiæ, de his quæ ſunt ibi, an angeli contineantur in illa categoria.

Ad 6. Ad 6. reſp. duplex eſſe medium, vnum naturale, & alterum logicum, naturale ex conſenſu aliquarum formarum, qualitatum, vel partium, ortum habet: Logicum vero dicitur illud, quod in recta ſerie categoriæ inter duo extrema eſt locatum. Si de medio naturali agamus, verum eſt medium eſſe illud, quod participat naturam vtriuſque extremi, vt tepidum participat naturam calidi, & frigidi. Si vero de medio Logico diſputemus, falſum eſt illud participare naturam vtriuſque, ſed ſat eſt, ſi alterius tantum, nimirum ſuperioris naturam participet. Porphyr. igitur locutus eſt de medio logico, quãdo inquit, illud participare naturam ſuperioris, & dici de naturis inferioribus, & non eſt locutus de medio phyſico, & naturali. Conſulendus eſt M. Sot. *q. vnic. de ſpecie, ad 3. argum.*

Ad vlt. Ad vltimum reſpond. cum Caiet. & M. Soto ſpeciem & eſſe totum, & eſſe partem, alia tamen, & alia ratione: nam ſumi põt, vel vt eſt

totum quoddam diffinibile, & actu, qua ratione ſumitur in habitudine ad attributa ſuperiora: vel vt eſt totum vniuerſum qua ratione denotat habitudinem ad inferiora. Si ſumpta fuerit, vt eſt totum quoddam definibile, non e it pars generis, ſed totum, quod ex genere & differentia eſt cōſtitutum. Si vero altero modo vſurpetur, et i. pars generis, & non totum, n m ita ſpe ies eſt minus vniuerſa, & continetur ſub genere, eo modo, quo pars ſub toto continetur. & hac ſecūda ratione docuit Porphyr. ſpeciem eſſe partem, & non totum. Hæc ſunt argumenta, quæ aduerſus ea, quæ docuit Porph. poterant fieri, alia minoris ponderis prætermittimus, præter illud, quod à multis de anima, & de quibuſdam aliis proponitur, quocirca hic erit diſſoluendum.

Argumentantur etiam nonnulli aduerſus hanc diffinitionem de anima, v. gr. rationis participe, quæ dicitur de multis numero differentibus: & de puncto quod dicitur de hoc & illo puncto: & de diffinitione ſpeciei atomæ, quæ dicitur etiam de multis numero differentibus, quæ tamen omnia non ſunt ſpecies. Quibus respond ad illa duo priora de anima, & puncto non eſſe ſpecies, quia nō ſunt naturæ integræ, ſed incompletæ, & aliorum partes, vel termini. Ad vltimum vero de diffinitione dicimus, non eſſe illam vocem ſimplicem, ſed compoſitam nomine, ac proinde neque poſſe eſſe ſpeciem, quæ cum ſit ſpecies vniuerſi, debet eſſe vox ſimplex, & quæ de multis nata ſit.

QVÆSTIO II.

An correlatum ſpeciei ſit genus?

CVm in omni relatione detur aliquod correlatum, ſitque ſpecies in illarum rerum numero, quæ relata ſunt recenſenda, erit illi aliquod correlatum aſſignandum. Hoc ergo eſt, quod inueſtigare inſtituimus, ſitne illud genus, nec ne? Vnde quemadmodum in ſuperiori capite generis ipſius correlatum inueſtigauimus, illud etiam in hoc capite erit de ſpecie inueſtigandum. Et quidem genus non eſſe correlatum ſpeciei, confirmo primo: 1. *Arg.* Vnum & idem relatum non poteſt bis referri, vt docet Ariſt. 5. *Metaph. c.* 15. id eſt, non poteſt duabus relationibus referri, ſed correlatum ſpeciei eſt indiuiduum, nam eſt illud aſſignandum, de quo ſpecies prædicatur, at ſpecies tantum prædicatur de indiuiduis: ergo correlatum ſpeciei non erit genus.

2. *Arg.* 2. Si ſpecies referretur ad genus, haud dubie referretur, in quantum eſt ſubiicibilis, ſed hac ratione non poteſt referri ad illud, ergo nullo modo referetur ad genus. Propoſitio perſpicua eſt, aſſumptio ita confirmatur: Species in quantum eſt vniuerſa, non refertur ad genus, ſed in quantum eſt ſubiicibilis, eſt vniuerſa, nam ita ſumpta nō eſt contracta à proprietatibus ſingularibus, poteſtque deſiniri, quod autem non eſt contractum per proprietates ſingulares, & poteſt definiri, eſt vniuerſum ergo natura ſpecifica, vt eſt ſubiicibilis, non refertur ad genus.

3. *Arg.* 3. Species, in quantum eſt ſpecies, & non alia ratione refertur ad indiuiduа, ſed in quātum refertur ad indiuidua, non refertur ad genus. Aſſumptio nota eſt, propoſitionem ita confirmo: Species ea ratione, qua eſt ſpecies, eſt vniuerſa, nam ea ratione, qua eſt ſpecies, continetur ſub vniuerſo, quod eſſe verum genus harum quinque formarum vniuerſarum, iam ſupra docuimus, ſed vniuerſum ea ratione, qua eſt vniuerſum, tantum refertur ad inferiora, nam eſt vnum in multis, inferioribus nimirum, ergo ſpecies ea ratione, qua eſt ſpecies, tantum referetur ad indiuidua.

4. *Arg.* 4. Terminus, in quem fertur relatum, non prædicatur de illo in recto, ſed in obliquo, vt patet, in quem fertur filius, tantum prædicatur de illo in obliquo, & non in recto, nam dicimus, patrem eſſe filii patrem, ſed genus in recto prædicatur de ſpecie, nam dicimus, hominem eſſe animal in rectó, & lineam eſſe quantitatem, ergo genus non erit terminus, in quem fertur ſpecies.

5. *Arg.* Præterea, Eſſe communius, & eſſe prius natura, non poſſunt relatis conuenire, ſed genus eſt prius, & communius ſpecie, vt animal eſt prius & communius homine, ergo genus, & ſpecies non erunt relata, ac proinde terminus relationis ſpeciei non erit genus.

6. *Arg.* Iterum: Si eſſent relata, vel eſſent ſecundum eſſe, vel ſecundum dici, ſed neque primo, neque ſecundo modo poſſunt eſſe relata. In primis non ſecundum eſſe, tum quia relata ſecundum eſſe in ſola categoria relationis continentur, at genera, & ſpecies per omnes categorias diuaganturtum etiam, quia relata ſecundum eſſe non conueniunt naturis abſolutis. genera vero, & ſpecies illis conueniunt, vt animali, homini, vel arbori, qui ſunt naturæ abſolutæ. Deinde neque ſunt relata ſecundum dici, quia hæc relata præter relationem aliam habent naturam, at vero genera, & ſpecies, præter relationem nullam aliam habent naturam: nam totum eſſe generis eſt referri ad ſpeciem, & totum eſſe ſpe-

Digitized by Google

ciet, eſt referri ad genus, non igitur erunt relata ſecundum dici.

His argumentis poteſt confirmari, genus & ſpeciem nullo modo eſſe relata, eſſe que aſſignanda ſpeciei aliud correlatũ præter genus. Cæterum in explicationem quæſt. animad-
1. Obſerv. uertendum eſt, in ſpecie duo reperiri, & naturam, & proprietates ab ea fluentes. Natura eſt eſſe in multis numero differentibus. Proprietates vero ſunt, dici de his multis numero differentibus, & ſubiici generibus ſuperioribus, inter quas duas proprietates prima videtur magis accedere ad naturam ſpeciei, quam ſecunda, quia ex eo, quod aliquid eſt in multis numero differentibus, proxime ſequitur, & immediate dici de eiſdem.

2. Obſer. Iterum ſciendum eſt, ſpeciem ſumi poſſe, vel vt eſt pars generis, vel vt eſt totum quoddam vniuerſum, confuſe continens, quicquid in inferioribus repetitur. Primo modo habet rationem ſubiicibilis, altero vero prædicabilis, nam primo comparatur ad genus, cuius eſt pars, ſecũdo vero ad indiuidua, in quorum habitudine obtinet rationem totius.

1. concluſ. Sit 1. concluſ. Genus & ſpecies ſunt relata. Confirmari poteſt, & auctoritate Porph. & ex communi conſenſu omnium Dialecticorum, qui in hoc cap. de ſpecie illam apertiſſime profitentur. Secundo, omne vel eſt relatum, vel abſolutum, ſed genus, & ſpecies non ſunt entia abſoluta (loquor de notionibus generis & ſpecies, de quibus tantum in hoc diſputamus) quia non ſunt entia ad ſe, ſed ad aliud: etenim genus non eſt ſui, ſed alterius generis, & ſpecies non eſt ſui, ſed alterius ſpeciei, erunt igitur relata. Iam ens rationis logicum ſecundum ſuam eſſentiam denotat entitatem relatam, vt abunde ſatis diſſeruimus Sect. 4 de rebus vniuerſis de notionibus ſecundis agentes, at genus & ſpecies formaliter ſunt entia rationis logicæ: ſunt enim ſecundæ notiones, quare erunt formaliter relata. Addo has, eſſe ſpecies vniuerſi, quod ſecundum eſſentiam eſt ens relatum.

2. concluſ. 2. concluſ. Genus & ſpecies ſunt relata ſecundum eſſe. Hæc eſt aduerſus M. Soto 4 cap. Antecategoriarum, qui putat tantum eſſe relata ſecundum dici, Contrariam tamen ſententiam profitentur omnes interpretes Porphyr. Græci, Arabes, & Latini, in commentariis huius cap. vt Ammonius, Boetius, B. Albert. Magn. Auicen. Auerro. Caieta. Venetus, vt ſe-recentiores recentiores prætermittam, qui vno ore profitentur ſpeciem nullam aliam naturam habere, quam referri ad genus, & genus quam ad ſpeciem quoque referri. Imo & ipſe Porphyr. apertiſſime hoc idem docet, cum enim diſſolueret obiectionem illam, hanc ni mirum ſpeciei diffinitionem, *Species eſt quæ ſubeſt generi*, eſſe vitioſam, quia tradita fuit per ei euium, reſpondit in relatis, vt ſunt genus, & ſpecies, hoc nullum eſſe vitium, vbi certe nomine relatorum, non intellexit relata ſecundum dici, quæ cum ſint formaliter naturæ abſolute non diffiniuntur ad aliud, neque per correlatum: quare intellexit eſſe illa relata ſecundum eſſe. Præterea, tota vis & natura ſpeciei ſubiicibilis eſt referri ad genus, & tota generis referri ad ſpeciem, habent enim ſe, vt ſubiectum & attributum, quorum hæc eſt tota natura, ad ſe inuicem referri, vt natura ſubiecti eſt referri ad attributum, & attributi referri ad ſubiectum, etũ igitur relata ſecundum eſſe. Iterum genus & ſpecies ſunt ſecundæ notiones logicæ, ſed notiones ſecundæ ſunt relationes ſecundum eſſe, vt *ſect. 4. de reb. vniuerſ. q. 2.* docebamus, ergo genus & ſpecies erunt relata ſecundum eſſe.

3. concluſ. Terminus ſpeciei (vt in ea contemplamur rationem partis ſubiectiuæ, vel, quod idem eſt, vt eſt natura ſubiicibilis) eſt genus. Hæc eſt perſpicua ſatis. Et confirm. 1. ex Porphyrio, qui in prima definitione definiuit ſpeciem per genus, at certum eſt ipſum definiſſe ſpeciem per terminum, in quem fertur. Et in ſolutione obiectionis apertius hoc expreſſit, inquiens, correlatum ſpeciei eſſe genus. Secundo correlatum, in quod fertur ſubiectum, eſt attributum, & in quod fertur pars aliqua, eſt totum, at ſpecies eſt ſubiectum, & pars generis, quod ſpeciei eſt totum, & attributum, quare terminus, in quem fertur ſpecies, erit genus. 3. concluſ.

4. concluſ. Terminus ſpeciei vt eſt totum quoddam vniuerſum, confuſe, & poteſtate multa indiuidua ſuo ambitu comprehendens; vel vt in ſpecie contemplamur rationem prædicabilis, non eſt genus, ſed indiuiduum. Confirmemus prius terminum ſpeciei prædicabilis eſſe indiuidua, & deinde non eſſe vlla ratione genus. Primo igitur confirm. terminum eſſe indiuidua. Terminus attributi eſt ſubiectum, ſed ſpecies prædicabilis eſt attributum, indiuidua autem ſunt ſubiecta, de quibus hoc attributum prædicatur, ergo terminus, in quem ſpecies feretur, erit indiuiduum. Secundo ille eſt terminus ſpeciei prædicabilis, qui exprimitur per illius definitionem, ſed per definitionem huius ſpeciei exprimitur habitudo ad indiuidua, quæ numero 4. concluſ.

diffe-

differunt. Diffinitur enim *Illud quod dicitur de multis numero differentibus in quid.* Ergo terminus ſui quem fereretur erunt indiuidua. Iterum eo modo ſe habet ſpecies prædicabi is ad indiuidua, quo ſpecies ſubijcibilis ſe habet ad genus, ſed terminus g neris eſt ſpecies ſubijcibilis, ergo terminus ſpeciei prædicabilis erit indiuiduum.

Oſtendamus deinde terminum huius ſpeciei non eſſe genus idq; primo ſuadetur. Qu a idem relatũ non poteſt referri bis. 1. per eandem relationem non poteſt referri ad terminos diuerſos ex Ariſt. 5 *metaph.cap.* 15.ſed ſpecies (vt ex nunc d ctis conſtat) vt eſt prædicabilis, vel totum vniuerſum refertur ad indiuidua, ergo per hanc relationem ad genus referri nullo modo poterit. Præterea ex D. Th. 1.*par.q* 32.*art* 2. vna relatio ſecundum ſpeciem nõ poteſt terminari ad extrem a ſpecie diſtincta, ſed relatio præd cabilis, vel tot n vniuerſi, in ſpecie eſt vnius ſpeciei, ergo non poterit terminari ad extrema ſpecie diſtincta, ſed genus & indiuidua pro notion. (vt hic agimus) ſunt extrema ſpecie diſt ncta, ergo non poterit per hanc relationem referri ad genus, eum per illam ad indiuidua referatur. Neque obſtat, r lationem filiationis, quæ eſt vna ſecundum ſpeciem, terminari ad terminos ſpecie diuerſos, ſcilicet ad paternitatem, & maternitatem, vt auctor eſt D. Thom 3.*p.q.*35.*art.*5. *ad* 3. Quia, vt recte animaduertunt Caiet. 1.*p. Vbi ſupr.* & Ferrar. 2. *contra gent:c.*11. non ſunt extrema huius relationis totalia, ſed partialia, ex his ſiquidem duobus vnicum, & totale principium generationis coaleſcit, quod terminat tanquam extremum totale relationem filiationis: at genus & indiuidua ſunt totalia, & adæquata extrema relatio. ſpeciei, quare nulla ratione poterit, vna & eadem relatione ſpecies ad illa referri. Iterum, relationes totius, & partis non poſſunt in eundem terminum referri, ſed relatio ſpeciei vt ſubeſt generi, eſt partis ad totum, eiuſdem vero vt refertur ad indiuidua, eſt totius ad partem, ergo relatio prædicabilis non poterit ad genus vllo modo te mi ari.

Ad 1.*arg.* Ad a g.igitur, quæ in initio propoſuimus. Ad primum reſpond. non poſſe idem per eandem relationem ferri in terminos d ſtinctos ſecundum ſpeciem, per d uerſas tamen optime poſſe: atque ita ſpecies non refertur per eandem relationẽ ad genus, & indiuidua, ſed per relationem ſubijcibilis refertur ad genus, per alteram vero prædicabilis a l ſpeciem.

Ad 2. Ad 2. argum. neganda eſt aſſumptio. Ad confirm.reſpond. ſpecie em, vt eſt vn u. a formaliter non reſpicere genus, ſed indiuidua vnde in quantum eſt ſubijcibilis, non eſt formaliter vniuerſa: & ad confirm. Species hac ratione ſumta nullas habet proprietates contrahentes, erit ergo formaliter vniuerſa, neganda erit conſequentia, etenim præter hoc requirit etiam, vt ſit vna in multis, & præter multa, quod non habet na u a, vt eſt ſubijcibili .ſed vt eſt prædicabilis. Quare non amittet ex eo, quia ſubijcibi is eſt, rationem vniuerſi, per eam tamen rationem non conſtituetur formal ter vniuerſa.

Ad 3. reſpond. argumentum tantum eo n cludere de ſpecie prædicabili, & non de ſubijcibili, prædicabilis enim eſt vniuerſa, & refertur ad indiuidua, qua ratione nullo modo refertur ad genus: at ſubijcibilis non conſtituitur per hanc rationem ſubijcibilis, in eſſe vniuerſi, neque refertur ad indiuidua: & quamuis hæ duæ rationes eidem naturæ conueniant, v. g. qui ſubijcitur anima'i, & dicitur de Dominico & Vincentio, tamen maxime inter ſe differunt, imo ſpecies homonyme dicitur de vtraque, vt in quæſtione ſequenti oſtendemus. *Ad* 3.

Ad 4. reſpond. nos poſſe agere de genere materialiter, vel (quod idem eſt) pro natura affecta notione, vt pro natura, v. gr. animal is, aut formaliter, nimirum pro ſecunda notione in concreto. Primo modo, verum eſt genus in recto dici de ſuis ſpeciebus, verum hac ratione, natura eſt abſoluta, & non relata, vt animal eſt natura abſoluta, & non relata, ac proinde nullum terminum habebit. Secundo vero modo non prædicatur in recto, ſed in obliquo, nam dicimus genus eſſe ſpeciei genus, & ſpeciem eſſe generis ſpeciem, eo modo quo dicimus, patrem eſſe filii patrem, non tamen in recto dicere poſſumus, ſpeciem eſſe genus, hoc enim falſum eſt, nam falſum eſt, notionem ſpeciei eſſe notionem generis. *Ad* 4.

Ad 5. reſpond. ſi de genere p.o notione loquamur, falſum eſſe illud eſſe prius, & communius ſpecie, ſed ſunt ſimul, & æquali ambitus, eo modo, quo pater & filius, ſunt ſimul & æquales. Si vero loquamur de genere pro natura ſubiecta notioni, verum eſt genus eſſe prius; & communius: non tamen hoc loco ita agimus de genere, ſed priori modo. Ad vltimum iam diximus, genus & ſpeciem eſſe relata ſecundum eſſe. *Ad* 5.

Ad primam impugnationem reſpon genus & ſpeciem materialiter, aut pro naturis affectis notione, diuagari per omnia rerum genera,

& per

tamen de formali. Itaque natura, quæ proxime & immediate ſubeſt generi, eſt vniuerſa, non tamen ex eo eſt vniuerſa, quia ſubeſt, ſed quia refertur ad inferiora.

Ad 3. Ad 3. reſp. ſubiectum problematis dialectici eſſe vniuerſum materiale vel denominatiuum, verum illud non conſtituitur in ratione vniuerſi, per habitudinem ad attributa problematis, ſed per habitudinem ad ſua indiuidua & inferiora.

Ad 4. Ad 4. reſp. ſi agamus de vniuerſo materiali, quidquid eſt ex ſe, vel eſſe ſingulare, vel vniuerſum. Si vero agamus de vniuerſo formali, non quidquid eſt ex ſua natura, eſt vniuerſum, vel ſingulare, nam hæc accidentia ſunt naturæ. Vnde ſpecies ſubiicibilis materialiter quidem erit vniuerſa, in habitudine ad ſuperiora, non tamen formaliter, niſi per comparationem ad inferiora.

Ad vlt. Ad vlt. reſp. ad hoc, vt aliquid ſit aptum, & natum definiri, ſat eſſe, vt ſit vniuerſum materiale, vel ſit identice res, quæ eſt vniuerſa, non tamen eſt neceſſe vt ſit vniuerſum formale, vel quod per habitudinem ad terminum, qui exprimitur per definitionem, conſtituatur in eſſe vniuerſi.

QVÆSTIO IV.

An ſpecies ſynonyme dicatur de ſpecie ſubiicibili & prædicabili?

PErpendamus iam, ſitne aliqua ratio communis ſynonyma ſpeciei ſubiicibili & prędicabili, & num totam eſſentiam habeat ſpecies ea ratione, qua eſt ſpecies, ex habitudine ad ſuperiora, vel potius ex habitudine ad inferiora. Et quidem confirm. 1. rationem ſpeciei vtrique communem non eſſe homonymam, ſed ſynonymam.

1. Arg. Nomine vtriuſque ſpeciei exprimitur ens rationis, ſed ens rationis ſynonyme dicitur de ſpecie ſubiicibili, & prædicabili, neque enim magis dicitur aut prius de ſubiicibili quam de prædicabili, aut è conuerſo, ergo ratio vtriuſque ſpeciei communis erit ſynonyma, & non homonyma.

2. Arg. Secundo confirm. totam eſſentiam ſpeciei hauriendam eſſe ex habitudine ad genus. Tota eſſentia relati peti debet ex habitudine ad ſuum correlatum, ſed genus eſt correlatum ſpeciei, ergo tota eſſentia illius ex habitudine ad genus peti debet.

3. Arg. Præterea: Illa eſt conſtituenda in vnaquaque re eſſentia, quod competit omnibus ſub illa natura contentis, ergo illa erit conſtituenda eſſentia ſpeciei, quæ competit omni ſpeciei, ſed ratio ſubiicibilis competit omni ſpeciei, tam infimæ, quam intermediæ, ergo eſſentia ſpeciei per habitudinem ad ſuperiora erit haurienda.

In hac quæſt. eſt prima opinio Caiet. *in comment. huius cap.* qui exiſtimat, totam naturam ſpeciei hauriendam eſſe ex habitudine ad ſuperiora, alteram vero habitudinem qua refertur ad inferiora, inquit, eſſe quandã proprietatem ab hac eſſentia dimanantẽ. Ex ea ſiquidem aliquid eſt prædicabile de multis, quia habet naturam in habitudine ad ſuperiora attributa. *1. Opin.* Secunda opinio eſt B. Albert. Magn. *tract. 4 in Porphyr. cap. 2.* qui putat, non eſſe totam naturam & eſſentiam ſpeciei petendam ex habitudine ad ſuperiora, ſed ex habitudine tantum ad inferiora, quia de eſſentia eius eſt eſſe vniuerſum, at vniuerſum non petitur ex habitudine ad ſuperiora, ſed ad inferiora. *2. Opin.* Tertia tamen opinio eſt multo verior, quam fere omnes recentiores amplectuntur, qui dicunt, ſpeciem eſſe vocem homonymam, vel æquiuocam ad ſubiicibilem, & ad prædicabilem, nihilque aliud habere has duas ſpecies commune præter nomen. *3. Opin.* Vnde neq; tota eſſentia ſpeciei petenda erit ex habitudine ad ſuperiora, neq; tota ex habitudine ad inferiora, ſed cum diſtinctione aſſerendum erit, ſpeciei ſubiicibilis naturam hauriendam eſſe ex habitudine ad ſuperiora, prædicabilis vero ex habitudine ad inferiora.

1. concluſ. Sit prima concluſio: In ſpecie duæ relationes reperiuntur, vna ſubiicibilis, à qua intuentur ſuperiora, & altera prędicabilis, qua refertur ad inferiora. Hæc eſt aperta ſententia Porphyrii, qui in hoc cap. tradit tres definitiones ſpeciei, quarum duæ priores tradũtur per habitudinem ad ſuperiora, tertia vero per habitudinem ad inferiora. Erit igitur in ſpecie duplex hæc habitudo. Iam quælibet ſpecies vel eſt infima, vel interiecta, ſed ſiue fuerit hæc poſterior, ſiue altera prior, vtraque denotat duas habitudines: ergo in ſpecie hæ duæ habitudines reperientur. Confirmatur aſſumptio. In primis intermediam has duas habitudines denotare, teſtatur Porphyrius in cap. Et certe animal, quod eſt ſpecies interiecta, denotat habitudinem ad ſubſtãtiam, corpus, corpus animatum, quæ ſunt attributa ſuperiora & ad hominem & brutum, qui ſunt ſpecies ſub illo eſſentialiter cõprehenſæ. Deinde ſpeciem infimam has eaſdem habitudines habere in homine, qui eſt ſpecies infima, poſſumus apertiſſime intueri, qui & eſt ſpecies ſubiicibilis ſuperiorũ, & prędicabilis inferiorum.

Digitized by Google

Quod ſi quis dicat, Porphyrium in hoc capite docuiſſe, ſpeciem infimam tantum habere vnam habitudinem, non ergo rectè dictum eſt illam habere duas habitudines? Reſpond. Porphyrium nō negaſſe in ſpecie infima duas habitudines, ſed quod aſſerit, eſt, has duas vno & eodem nomine ſignificari, nimirum nomine ſpeciei. Nam ſiue referatur ad ſuperiora, ſiue ad inferiora, ſemper dicitur ſpecies, in qua re ſeparatur à ſpecie interiecta, quæ quamuis habeat etiam duas habitudines, vnam ad ſuperiora, & alteram ad inferiora, non vno, ſed duobus nominibus illæ ſignificantur: nam habitudo ad ſuperiora nomine ſpeciei exprimitur, altera vero ad inferiora nomine generis deſignatur.

concluſ. 2. concluſ. Ex his duabus relationibus illa, quæ eſt prædicabilis, non oritur ex altera ſubiicibili, vnde non ex eo homo, verbi gratia, poterit de Dominico, & Thoma efferri, quia ſubeſt animali, vel corpori. Hæc eſt aduerſus Caietanum, illam tamen Soto, Cante. & fere omnes recentiores profitentur. Et confirm. 1. Poteſt dari ſpecies prædicabilis ſine ſubiicibili, ergo prædicabilis non oritur neceſſario veluti quædam proprietas a ſubiicibili. Conſequentia perſpicua eſt, quia ſi oriretur vt proprietas, non poſſet à ſubiicibili illa ratione diuelli, quemadmodum neque aliæ proprietates à ſuis ſubiectis diuelli poſſunt. Confirm antecedens. Natura ſpecifica naturæ materialis, vt hominis, aut leonis, quamprimum eſt abſtracta à proprietatibus ſingularibus, eſt formaliter vniuerſa & prædicabilis, vt *ſectione 2. quæſt. 5. de rebus vniuerſis*, docebimus, & idem Caietanus profitetur *cap. 4. de ente & eſſentia*, vbi docet, naturam fieri vniuerſam per abſtractionem intell. agentis, erit igitur aliqua ex ſpeciebus vniuerſi, at non eſt genus, neque differentia, neque proprium neque commune accidens, quare erit ſpecies: ſed per hanc abſtractionem nondum eſt ſpecies ſubiicibilis, ergo ſpecies prædicabilis non oritur ex altera ſubiicibili. Confirmatur aſſumptio: In relatis non datur relatum, niſi detur ſuum correlatum, ſed correlatum ſpeciei ſubiicibilis eſt genus, & per ſolam abſtractionem intellectus agentis nondum eſt genus: nam illud tantum fit per abſtractionem intellectus patibilis, vt in eodem loco oſtendimus, ergo per abſtractionem, per quam natura ſpecifica fit prædicabilis, nondum erit ſubiicibilis. Secundo, Habitudines totius vniuerſi, & partis ſubiectiuæ, ſunt omnino inter ſe oppoſitæ, non minus quam habitudines patris ad filium, aut filii ad patrem, eſt enim habitudo totius vniuerſi, habitudo principii ad illud, quod ortum habet à principio, quemadmodum eſt habitudo patris ad filium, ſed in habitudinibus oppoſitis non datur ordo aliquis originis, ita vt vna habitudo ex altera fluat, ergo relatio totius vniuerſi, vel prædicabilis in ſpecie non orietur ex altera ſubiicibilis. Præterea: Natura non eſt vniuerſa per habitudinem ad ſuperiora, ſed ad inferiora: eſt enim vniuerſum vnum in multis, & præter multa, quod certe non competit naturæ per habitudinem ad ſuperiora, ſed ad inferiora, non recte igitur Caietanus naturam fieri vniuerſam per relationem ſubiicibilis ad ſuperiora, & fieri prædicabilem per habitudinem ad inferiora.

3. concluſ. Relatio prædicabilis non conſtituit totam & adæquatam rationem ſpeciei. Itaque non ex eo tantum dicetur aliquid ſpecies, quia refertur ad inferiora: verum etiam quia intuetur ſuperiora. Confirm. aduerſus B. Alb. Magn. Speciei ſubiicibili, & prædicabili aſſignari debet aliqua ratio communis, ſed illa non eſt referri ad inferiora, nam ſubiicibilis non refertur ad illa, vt ſubiicibilis eſt, non igitur referri ad inferiora, integre & adæquate totam rationem ſpeciei conſtituet. *3. concluſ.*

4. concluſ. Species homonyme, vel æquiuoce dicitur de ſpecie prædicabili, & ſubiicibili, vtriuſque dine ſæ huius vtriuſque ſpeciei rationes. Confirmatur: Quia homonyma dicuntur illa, quorum nomen eſt commune, & ratio nomini accommodata diuerſa: ſed his duabus ſpeciebus eſt commune nomen ſpeciei, & ratio nomini accommodata eſt diuerſa, ergo ſpecies homonyme de vtraque ſubiicibili, & prædicabili dicitur. Confirm. aſſumptio Inprimis nomen ſpeciei eſt vtrique commune, nam vtraque dicitur ſpecies. Deinde rationem eſſe diuerſam, ita oſtendo. Ratio ſubiicibilis eſt intueri tantum ſuperiora, prædicabilis vero ferri ad inferiora, quæ ſane ſunt rationes multum diuerſæ. Tum etiam in relationibus, illæ rationibus, vel natura differunt, quarum termini natura differunt, ſed termini ſubiicibilis & prædicabilis natura differunt, nam ſubiicibilis eſt genus, prædicabilis vero indiuidua, quos duos terminos ſpecie differre nullus dubitat, ergo hæ duæ relationes ſpecie different. Quando igitur rogamus, quænam ex his duabus habitudinibus, quæ in ſpecie reperitur, ſit de eſſentia ſpeciei? Vtendum eſt diſtinctione, quia vel loquimus de ſpecie ſubiicibili, vel de prædicabili: ſi de ſubiicibili, *4. concluſ.*

bili,

bili, to aillius eſſentia erit referri ad ſuperiora, ſi de prædicabili vero, erit referri ad inferiora. Quod ita eſſe in hũc modum poſſumus confirmare: Eſſentia talari peti debet ex habitudine ad ſuum correlatum, ſed correlata ſpeciei ſubiicibilis ſunt genera ſuperiora, prædicabilis vero ſunt inferiora, ergo eſſentia ſpeciei ſubiicibilis petenda erit ex habitudine ad ſuperiora, prædicabilis vero ex habitudine ad inferiora. Cæterum cum ſæpe fuerit animaduerſum, duobus modis poſſe ſuperiora conferri ad inferiora, vel vt ſunt in illis ſecundum eſſentiam, vel vt prædicantur de eiſdem ſecundum quandam proprietatem. Eademque ratione inferiora duobus modis poſſint conferri cum ſuperioribus, aut vt ſubiiciuntur illis ſecundum eſſentiam, aut vt ſubiiciuntur ſecundum prædicationem (primo modo ſubiiciuntur in recta ſerie categoriæ: altero vero in propoſitione) natura ſpeciei ſubiicibilis haurienda eſt ex habitudine ad ſuperiora, vt ſubeſt illis intra rectam ſeriem categoriæ, vel vt ſubeſt ſecundum eſſentiam, & non vt ſubeſt in prædicatione, quia prima ſub ectio exprimit naturam ſpeciei ſubiicibilis, altera vero quandam proprietatem. Præterea, Natura ſpeciei prædicabilis peti debet ex habitudine ad inferiora, vt eſt in illis ſecundum eſſentiam & non ex habitudine, vt poteſt prædicari de ipſis, quia prima habitudo explicat naturam ſpeciei, quæ eſt eſſe in multis numero differentibus, altera vero declarat quandam eius proprietatem, quæ eſt dici de eiſdem numero differentibus.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta: Ad primum reſpond. diſtinguendam eſſe propoſitionem, quia poteſt ratio illa communis, aut eodem aut alio nomine ſignificari. Si eodem nomine ſignificetur, verũ eſt illa non eſſe homonyma, quæ habent vnam, & eandem rationem per totale nomen ſignificatam: at ens rationis, quod commune eſt ſpeciei ſubiicibili, & prædicabili, non ſignificatur nomine ſpeciei. Si vero ratio illa alio & alio nomine denotetur, falſum eſt illam naturam non eſſe homonymam, quę habet aliquam rationem communem. Canis ſiquidem cœleſtis, & domeſticus, communem habent habẽr naturam corporis, verum quia hæc nõ exprimitur nomine canis, ſed illa, quæ exprimitur, eſt multiplex, & diuerſa, propterea hæc vox canis erit homonyma. Pari ratione quamuis vtrique ſpeciei ſit communis ratio entis rationis, quia tamen illa per hoc nomen non exprimitur, ſed ea, quæ exprimitur, eſt multiplex, & diuerſa, propterea ſpeciei nomen homonymum erit ad ſpeciem ſubiicibilem & prædicabilem.

Ad ſecundum reſpond. correlatum ſpeciei ſubiicibilis eſſe genus, & de hac ſpecie eſt locutus Porph. quando inquit, correlatum illius eſſe genus, correlatum vero ſpeciei prædicabilis non eſſe genus, ſed indiuidua. **Ad 2.**

Ad tertium reſpond. ſubiici ſuperioribus, tantum eſſe communem rationẽ ſpeciei ſubiicibilis, & non conuenire ſpeciei prædicabili. Neque poteſt his duabus ſpeciebus aſſignari aliqua ratio communis, vt nomine ſpeciei deſignantur. Nam hac ratione ſpecies de illis dicitur homonyme, at homonymis non poteſt aliqua ratio communis, vt homonyma ſunt, aſſignari. **Ad 3.**

QVÆSTIO V.

An ſpecies infima poſſit eſſe genus.

EX his, quæ in cap. docuerat Porphyr conſtare ſatis poterat, ſpeciem infimam nullo modo poſſe eſſe genus: verum quia nonnulli poſteriores Philoſophi ab hac Porphyrii ſententia quibuſdam conuicti rationibus receſſerunt, erit hæc controuerſia in hoc loco dirimenda. Poſſe igitur ſpeciem infimam eſſe genus, confirmo his argumentis.

1. Arg. Primum eſt petitum ex auctoritatibus Rhetorum, Poetarum, Philoſophorũ, & Iuriſprudentium, ex quibus aliqui hominem (qui eſt ſpecies infima) vocant genus, alii vero indiuidua, & geſta particularia dicunt eſſe ſpecies. Quod ſi illa ſunt ſpecies, profecto & ſpecies atoma, ſub qua comprehẽduntur, erit genus. Et vt ab Oratoribus & Poetis auſpicemur. Cicero 1. *de inuent.* hominem vocat genus, idem facit Seneca 8. *lib. Epiſtolar. Epiſt* 1. Perſius inter Poetas, ſub homine conſtituit multas ſpecies. Mille, inquit, hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus: & Plautus in Perſa, animorum ſpecies vertuntur. Ariſt. *in libello de longitudine & breuitate vitæ*, hominem vocat genus, & pariter equum, inquiens, hominum genus longiorem v tam degere, equorum genere, & 1. *libr. de part. bus animalium, cap.* 4. Socratem & Coriſcum vocat ſpecies hominis, Galenus 1. *libr. de temperamentis*, ſeriem categoriæ ſubſtantiæ explicans, hominem vocat genus. Et Iuriſprudentes facta ſingularia, & indiuidua, quæ ſunt exẽpla legũ, appellant ſpecies. Cum igitur tot celebres viri, & in omni genere ſcientiarum exercitatiſſimi, ſpeciẽ infimã conſtituant genus ſuorũ indiuiduorũ, nihil erit, quod nos poſſit remorari ab hac ſententia aſſerenda. Verum prætermiſſis auctoritatibus

agamus rationibus: ſit igitur ſecundum argumentum.

2. Arg. Multitudo, & paucitas non mutant alicuius rei naturam, ſed genus, & ſpecies tantum differunt iuxta multum, & paucum, tantum enim differunt. quia generi plura, ſpeciei vero pauciora ſubiiciuntur, ergo genus & ſpecies infima non differunt, ac proinde ſpecies infima poterit eſſe genus.

3. Arg. 3. Non magis diſtat genus ſubalternum à ſpecie infima, quam ſupremum à ſubalterno, ſed ſubalternum, & ſupremũ non diſtinguuntur ſpecie, ergo neque ſubalternum, & ſpecies infima, diſtinguuntur ſpecie, quare ſpecies infima poterit eſſe genus.

4. Arg. 4. Differentia infima, & interiecta, ſunt eiuſdem ſpeciei. Præterea proprium infimum & interiectum ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo ſpecies quoque infima, & interiecta, erunt eiuſdem ſpeciei, quare cum ſpecies interiecta ſit genus, & infima quoque erit genus.

5. Arg. Præterea, Eædem proprietates conueniũt generi & ſpeciei infimæ, ergo ſpecies infima erit genus. Confirmatur antecedens, quia eiſdem locis, quibus confirmatur, aut refutatur quæſtio generis, confirmatur, aut refutatur quæſtio ſpeciei. Et quæ ratio argum. eſt à genere ad ſpeciem, eadem eſt à ſpecie ad indiuid. & quemadmodum genus continet confuſa quadam & perturbata ratione ſpecies, ita ſpecies continet indiuidua, ergo eædem proprietates, quæ conueniunt generi, conueniunt quoque ſpeciei.

6. Arg. Tandem mas & fœmina ſpecie differunt, nam differũt definitionibus eſſentialibus, ſed mas & fœmina ſub ſpecie infima continentur, ergo ſpecies infima erit genus.

Opin. Propter hæc argumenta Rodolphus Agricola *1. libr. de inuention. cap. 6.* Martianus Capella *libr. 4. artium liberalium, in cap. de genere*, Nunneſ. *in comment. in libr. de conſtitutione artis dialect.* P. Ramus, & frater eius Talæus *in Scholiis in c. de ſpecie.* arbitrantur, ſpeciem infimam non diſtingui à genere intermedio, eandemque dicunt naturam eſſe genus, & ſpeciem infimam, & hanc reſpectu indiuiduorum eſſe verum & legitimum genus, vt hominem, reſpectu Dominici & Thomæ.

Opin. Contrariam tamen ſententiam tuentur omnes, quotquot ſunt Philoſophi, Græci Arabes, & Latini, Ammonius, Boetius, Auerroes, Auicenna, B. Albert. Magn. Louanienſes, Caietanus, & denique omnes, qui in Po. phyr. commentaria ediderunt. Quæ profecto ſententia veriſſima eſt, & omnino amplectenda, atque ita in illius explicationem ſit prima concluſio.

Species infima, & genus interiectum, non poſſunt eidem naturæ vllo modo conuenire. 1. concluſ. Confirmatur inprimis teſtimonio Porphyrii, qui ſpeciem infimam definit illam, quæ, cum ſit ſpecies, nullo modo poteſt eſſe genus. Secundo: Fundamenta harum notionum non poſſunt eidem naturæ conuenire, ergo neque notiones eidem vllo modo conuenient. Conſequentia eſt aperta, confirmatur antecedens. Fundamentum notionis genericæ, eſt natura, quæ diuidi poteſt formaliter, fundamentum vero notionis ſpecificæ ſpeciei atomæ, eſt natura, quæ non poteſt diuidi formaliter, ſed tantum materialiter, ſed diuidi poſſe formaliter, & non poſſe diuidi formaliter, non poſſunt eidem naturæ eadem ratione conuenire, ergo neque fundamenta harum notionum poterunt eidem naturæ conuenire. Iam diuerſa ratio prædicandi conſtituit diuerſam rationem prædicabilis, ſed genus, & ſpecies habent diuerſam rationem prædicandi, ergo conſtituent diuerſam rationem prædicabilis, non igitur poterunt eſſe idem prædicabile. Confirmatur aſſumptio. Genus ita prædicatur de ſpecie, vt non contineat expreſſe & clare totam quidditatem illius: ſpecies vero ita prædicatur de indiuiduis, vt clare, & expreſſe contineat totam illorum quidditatem (neque enim indiuidua aliam quidditatem habent, quam quidditatem ſuæ ſpeciei) at hæ diuerſæ ſunt rationes prædicandi, quare diuerſa ratio prædicandi erit in genere, & in ſpecie. Iterum, Omne genus diuidi debet per contrarias differentias, vt docet Ariſt. 10. *Metaph c.8* animal enim diuiditur per contrarias differentias participis, & expertis rationis, & color per contrarias albedinis & nigredinis, ſed ſpecies infima non poteſt diuidi per contrarias differentias, tantum enim diuiditur in indiuidua per materiam, à qua non petuntur contrariæ differentiæ, quæ à ſola forma poſtulari poſſunt, ergo ſpecies infima nullo modo poterit eſſe genus.

Secunda concluſ. Species infima non eſt genus reſpectu ſuorum indiuiduorum. 2. concluſ. Hanc aduerſus alios auctores apertiſſime profitetur Porphyrius in hoc cap. qui de homine, qui eſt ſpecies infima, ita loquitur: *At vero homo hominum ſingulorum eſt tantummodo ſpecies, non etiam genus.* Idem antea docuerat Ariſtot. 3 *lib. Meta. c.3.* vbi in hæc verba loquitur: *Neq; enim homo aliquorum & ſingulorum hominum eſt genus* Et *lib. 10. Metaph. c. 11.* ait, marem & fœmi-

nam

nam non differre ſpecie D.Damaſcenu grauiſſimu. Philoſophus 2. *cap. ſua dialect.* hoc idem his verbis profitetur: *Species autem extrema, infimaue non habentes ſub ipſis alias ſpecies, non dicuntur genera, ſed ſpecies ſolum.* Confirmatur præterea: Omne genus debet ſub ſe aliquas ſpecies comprehendere: ſed ſpecies infima non comprehendit ſub ſe aliquas ſpecies, ergo non erit illa genus. Confirm. aſſumptio, quia propoſitio ex definitione generis, quam ſit vera poterit conſtare. Primo teſtimonio Ariſt. qui 10. *Metaph. c. 12. de homine agens*, quit eſt ſpecies infima, inquit, indiuidua hominis non eſſe ſpecies illius, ita enim habet: *Neq; enim ſunt homines, hominis ſpecies.* Secundo: Quæ ſpecie differunt, eſſentia quoq; differunt, at ea quæ continentur intra eandem ſpeciem atomam, eandem habent eſſentiam, quare non differunt ſpecie. Iterum confirmatur eadem concluſio. Ex eo mas, & fœmina non differunt ſpecie, quia tantum differunt per materiam ex Ariſt. 10. *lib. Metaphyſ. cap. 12.* Sed omnia indiuidua, quæ intra eandem ſpeciem atomam continentur, tantum differunt per materiam: ergo non diſtinguẽtur ſpecie, quod ſi non diſtinguuntur, neque igitur ſpecies atoma poterit eſſe genus, quia omne genus debet proxime de iis, quę ſpecie differunt prædicari. Et tandem ſi ſpecies infima, & genus non poſſunt eidem naturæ conuenire, vt diximus in *1. concluſ.* ergo ſpecies infima reſpectu ſuorum indiuiduorum, non poterit eſſe genus.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. Ad primum reſp. omnes auctores citatos, quando hominem, vel aliã ſpeciem atomam dicunt eſſe genus, nomine generis non intellexiſſe genus logicum, quod dicitur de multis ſpecie differentibus, &c. ſed intellexiſſe genus in prima ſignificatione, vt indicat collectionem multorum, quæ ab vno principio deriuantur. Colligit enim ſpecies ſuo ambitu multa indiuidua, quæ ab ea tanquam à fonte dimanant. Ad auctoritates vero Ariſtot. Ad primam de longitudine, & breuitate vitæ reſpondet Leonicus Thomeus in comment. Ariſtot. ibi genus pro ſpecie vſurpaſſe, quia cum in eo conueniant, vt colligant multa, aliquando eodem nomine generis inſigniuntur. Ad ſecundam auctoritatem ex 4. *cap. lib. 1. de parti. anima. reſpond.* Ariſtotel. vocaſſe Socratem, & Coriſcum ſpecies, per figuram metonymiæ, qua continens ſumitur pro contento, quia ſcilicet continent hominem, qui eſt ſpecies. Et eadem ratione Stoici, vt auctor eſt Laertius in Zenone *lib. 7.* vocant Socratem ſpeciem, ſumentes continens pro contento. Vel reſp. Ariſt. eo loco tantum inſtituiſſe docere indiuidua non diſtingui eo modo quo differunt ſpecies infimæ, proponitq; exemplum de Socr. & Coriſco, quia nõ differunt eo modo quo homo differt ab equo, & quamuis ibi vocet illos ſpecies nomine ſpeciei indiuiduum intellexit. Quod conſtare poterit ex eo, quia inquit non diſtingui eo modo quo ſpecies diſtinguuntur, quod certe falſum eſſet, ſi ipſos veras ſpecies effeciſſet.

Ad 2. reſp. multitudinem & paucitatem eiuſdem rationis, non mutare ſpeciem, & rei naturam, multitudinem tamen, & paucitatẽ diuerſarum rationum, mutare rei naturam, at multitudo in genere, & in ſpecie, eſt diuerſæ rationis, nam multitudo in genere eſt formalis, in ſpecie vero materialis, quare per illam genus & ſpecies diſtinguentur. Ad 2.

Ad 3. reſpond. Negando propoſitio. quia genus ſubalternum, & ſpecies infima, eodem modo prædicantur de pluribus, ſc. de iis, quæ formaliter differunt, at vero ſpecies infima, & genus intermedium, non prædicantur eodem modo, nam genus prædicatur de pluribus, quæ formaliter & eſſentialiter differunt, ſpecies vero de pluribus, quę ſola materia diſtinguuntur. Ad 3.

Ad 4. reſp. negando conſequentiam, cuius ratio eſt, ea quam tradidimus *ſupra ſectio. 5. de rebus vniuerſis quæſt. 1. ad tertium argum.* ex his, quæ ſecundo loco effecimus. Erit illa repetẽda, neque enim eſt cur hoc loco iterum eam proponamus, hoc enim ſuperfluum eſſet & ſupervacaneum. Ad 4.

Ad 5. reſp. Omnia illa, quæ ſunt recenſita, non eſſe proprietates generis, ſed accidentia quædam, quæ ipſi & ſpeciei poſſunt eſſe communia. Nam proprietas generis, eſt poſſe dici de multis ſpecie differentibus, quæ certe ſpeciei conuenire nullo modo poteſt. Ad 5.

Ad vlt. reſp. ex Ariſt. *lib. 12. Metaph. c. 12.* marem & fœminam non diſtingui ſpecie, quia ſola materia & ſexu (qui à materia petitur) diſtinguuntur, at vero vt aliqua differant ſpecie, illorum diſtinctio nõ à materia ſed à forma ſola eſt hauriẽda, vt Ariſt. in eodem loco apertiſſime profitetur. Ad vlt.

QVÆSTIO VI.

An ſpecies per ſe ſit ex genere & differentia conſtituta.

Æquum eſt vt in hac quæſtione de compoſitione ſpeciei ex ſuis partib. differamus,

Digitized by Google

mus, quæ ſcil ſint partes ex quibus componitur, & de genere compoſitionis num ſe. ſit cõpoſitio rerum vel conceptuum. Et certe non componi per ſe ex genere, & differentia con

1. *Arg.* firm. 1. Ex duobus entibus in actu non fit vnũ per ſe ex Ariſt. 8. *lib Metaphy. cap* 6. ſed tam genus, quam differentia ſunt entia in actu, ergo ex illis non fit vnum per ſe. Confirm. aſſumpt. primoque differentiam eſſe ens in actu nullus dubitatur, petitur n. illa ab vltimo gradu formæ, quia actum aliquem contrahentem, & determinantem denotat. Deinde genus eſſe ens in actu confirmatur, qui eſt totum quoddam, at omne totum naturam in actu deſignat.

2. *Arg.* 2. Ex ſubiecto & accidente non poteſt fieri vnum per ſe, ſed vnum per accidens ex Ariſt. 5 *Metaph. c.* 6 ſed genus habet ſe veluti ſubiectum, differentia vero veluti accidens illius, nam poteſt adeſſe, & abeſſe generi abſque interitu illius, ergo ex genere & differentia nõ fiet vnum ens per ſe.

3. *argum.* Præterea ex duobus accidentibus ſpecie diſtinctis, vt ex candore, & dulcedine, non poteſt fieri vnum per ſe, ſed genus, & differẽtia ſunt quæ iam accidentia rationis, ergo ex illis duobus non poterit fieri aliquod vnum per ſe.

Opin. Nigri. Quæſtionem hanc attingit breuiter Niger 1 *p. clypei quaeſt.* 46. *dub.* 4. & inquit, in ſpecie (vt ſuo ambitu amplectitur omnes ſpecies, tam categoriæ ſubſtantiæ quam categoriarum accidentium) dari compoſitionem ex genere & differentia non tamen ex actu, & poteſtate, quamuis aliqua, vt homo & leo ex his etiam duabus partibus componatur. Vnde licet in formis ſimplicibus, & accidentibus detur cõpoſitio generis, & differentiæ, non tamen dabitur compoſitio actus & poteſtatis, quia formæ ſimplices, cum ſint actus ſimplices, nullam habebunt poteſtatem.

2 *Opinio.* Ceterum contraria opinio, quæ aſſerit ſpeciem conſtitutam eſſe ex genere & differentia & ex actu, & poteſtate, eſt multo verior, & omnino amplectenda. Quam vt intelligamus ſciendum eſt duplicem eſſe compoſitionem, vnam Phyſicam, & alteram Metaphyſicam. Phyſica fit ex duabus partibus realiter diſtinctis, quarum vna eſt forma, altera materia, vna eſt pura potentia, & altera ſimplex actus. Metaphyſica vero fit ex duabus partibus iiſdem ſecundum rem, tantum que conceptibus obiectiuis diſtinctis, nimirum ex genere, & differentia, quæ duo in vna, & eadem natura ſpecifica ſecundum rem conueniunt, tantũque diſtinguuntur ex eo, quia intellectus cõcipit naturam generis vt communem & illimitatam, differentiæ vero vt propriam & peculiarem ſpeciei, & vt coercentem, & limitantem potentiam generis.

S 1. concl. Ex partibus diffinitionis fit vnum ens per ſe. Hanc concluſionem aperte profitetur Ariſtot. 8. *lib. Metaphyſ. cap.* 6. in quo loco diſſoluit quæſtionem de diffinitionibus propoſitam in 3 *lib.* an ex partibus diffinitionis fiat vnum per ſe, & ob quam cauſam, inquitque fieri, & cauſam eſſe, quia vna pars habes locum potentiæ altera vero actus. Et Metaphyſici D. Thom. Alexand. Auerroes, Alenſ. Scotus, Sueſſanus in commen. illius loci idem profitentur Et confirm per facili argum. ex Ariſt. in eod. loco collecto. Ex actu, & poteſtate fit vnum per ſe (loquor de actu, & poteſtate eiuſdem categoriæ) vt ex corpore, & anima, quemadmodum idem docet 2. *de anima cap.* 1. ſed inter partes diffinitionis, vna habet locũ potentiæ, nimirum genus, & alia actus, ſe. differentia, ergo ex partibus diffinitionis fiet vnum per ſe. Iam diffinitio eſt vna oratio, ergo partes illius in aliqua vnitate eſſentiali conuenient, ſed ex his partibus, quæ aliqua vnitate inter ſe conueniunt fit vnum per ſe, ergo partes diffinitionis conſtituunt vnum per ſe. 1. *concluſio.*

2. concl Ex genere & differentia fit vnum per ſe nimirum ſpecies, quæ ex his duabus partibus ſecundum eſſentiam coaleſcit. Hæc eſt Ariſt. 7. *Metaph. c.* 12 & D Tho. *in eod. lib. lect.* 12. Quæ confirmari poteſt primo ex concluſ. ſuperiori. Ex partibus definientibus fit vnum per ſe, ſed genus & differentia ſunt partes diffinientes, ergo ex illis fiet vnum per ſe. Addo ex his partibus diffinientibus nimirum genere, & differentia, vnam habere locum potentiæ, & alteram actus intra eandem ſeriem categoriæ, ſed ex actu & poteſtate eiuſdem categoriæ fit vnum per ſe, ergo ex genere & differentia quoque fit vnum per ſe. 2. *concl.*

3. concl. Species non tantum componitur ex genere, & differentia, verum etiam ex potentia, & actu quælibet illa fuerit, ſiue categoriæ ſubſtantiæ, ſiue categoriarum accidentium, & formarum ſimplicium. Hæc eſt aduerſus Nigrum, quæ certe, vt mea fert opinio, à nemine qui rem accurate perpenderit negari vllo modo poteſt. Et confirmatur ex Ariſt. qui 8 *lib Metaphyſ. cap.* 6. ob eam cauſam inquit partes diffinitionis conſtituere vnum per ſe, quia vna habeat locum actus, & altera poteſtatis, in quibus verbis haud obſcure in- 3. *concluſ.*

dicat

Digitized by Google

dicat Ariſt. ſpeciem quæ eſt res, quæ diffinitur ex actu & poteſtate componi. Tum etiam, quia ſpecies quælibet illa fuerit eſt ex genere & differentia conſtituta, at in rebus omnibus genus correſpondet materiæ, differentia vero formæ, quare ſpecies omnes ex actu, & poteſtate erunt conſtitutæ.

4. concl. 4. concluſ. Actus, & poteſtas, ex quibus ſpecies componuntur, non ſunt Phyſici & naturales, ſed Metaphyſici. Confirmat. Quia hæc duo neque ſunt materia, neque forma, quæ tantum ſunt actus, & potẽtia naturalis. Tum etiam, quia compoſitio ſpeciei ex actu, & poteſtate, non eſt compoſitio rerum, ſed graduum, & conceptuum obiectorum. Ex eo ſiquidem, quia videt intellectus in aliqua forma duos gradus, vnum communem, & potẽtialem, & alterum proprium, & actualem, ex ijs duobus vnam ſpeciei naturam componit. Vt quia in anima rationis participe videt gradum ſentientis, qui eſt communis & potentialis, & intelligentis, qui eſt proprius & actualis, hominem qui eſt natura ſpecifica cõponit, non igitur erunt actus & poteſtas, ex quibus cõponitur ſpeciet, naturales, ſed Metaphyſici. Verum de hac concluſ. vberius multo in *cap. de differentia*.

1. Argum. Ad argumenta igitur, quæ initio propoſuimus. Ad 1. dicimus: Admittendum eſſe de differentia, illam, eſſe ens in actu, de genere autem hoc negamus, quod quamuis ſit natura compoſita, ex ſuperioribus attributis, & proprijs differentijs conſtituta, eſt tamen in potentia vt limitetur, & contrahatur à differentijs diuidentibus ſuarum ſpecierum. Ac proinde negandum erit ſpeciem componi ex duobus entibus in actu, nam genus non eſt ens in actu.

Ad 2. Ad 2. reſp. propoſitionem eſſe veram de vero, & legitimo accidẽte, quod alicui ſubiecto inhæret, vt de homine, & Muſica nam ex his certum eſt non poſſe fieri vnum per ſe; falſam autem ſi nomine accidentis intelligamus illud, quod non eſt de conceptu, & natura alterius, nam ex his duobus optime poterit fieri vnum per ſe, qua ratione differentia accidit generi, quia non eſt de conceptu eſſentiali illius. Ac proinde ex illa, & genere optime fiet per ſe vna ſpecies.

Ad 3. Ad 3 reſp. quod quando nos profitemur ex genere, & differentia fieri vnam ſpeciem per ſe nomine generis, & differentiæ, non intelligere notiones ſecundas, ſed naturas, quæ ab his notionibus genera & ſpecies denominantur ex quibus duabus natura tanquam ex per ſe actu, & per ſe poteſtate, vna natura ſpecifica coaleſcit.

QVÆSTIO VII.

An ſpecies atomæ ſint infinita, necne

TAndem inter eas queſtiones quas de ſpecie hoc loco agitare inſtituimus erit illa breui ſermone proponenda, ſintne ſpecies atomæ finitæ, & indiuidua infinita necne. nam accurata huius rei explicatio ad libros Phyſicorum ſpectat, nimirum ad *lib. 3. Phyſ.*

Argum Ad illam igitur vt accedamus, non eſſe rerum ſpecies finitas, per facili argumento cõfirmatur, ex numeris & figuris, quantum ſpecies non ſunt certo aliquo numero comprehenſæ, neque vllis limitibus circumſcriptæ: nam quolibet numero dato, ſi illi addatur vnitas iam oritur noua ſpecies, & ſi cuilibet figuræ addatur linea, poteſt fieri alia ſpecies figuræ. Quod cum abſque vllo fine fieri poſſit, rerum ſpecies erunt infinitæ.

Sent. Porp At e contra aſſerit Porph. *in hoc cap.* qui rerum numerum ſpecierum infimarum, & finitum eſſe putat, indiuiduorum autem non eſſe certum, ſed infinitum, ita enim habet: *Formarum autem infimarum certus eſt numerus nõ infinitus indiuiduorum, quæ formas vltimas ſequuntur infinitior*, eandemque ſententiam profitentur omnes interpretes illius.

Explicati In hac dubitatione explicanda, de re ipſa nulla eſt dubitatio, certum enim eſt non eſſe ſpecies infinitas ſecundum numerum, neque indiuidua finita ſecundum actum. Probat enim Ariſt. 3. *lib. Phyſic.* & 1. *lib. de cælo* efficacib. demonſtrationibus, non poſſe dari infinitum actu, neque ſecundum multitudinem, neque ſecundum magnitudinem, quæ non ſunt hoc loco repetendæ, ne dialecticos limites tranſgrediamur. In commentarijs enim noſtris in hæc loca (quæ Deo propitio ſtatim in lucem prodibunt) de hac re luculenter ſatis diſſeremus. Tota igitur controuerſia eſt de mente Porphyr. quid nimirum ſibi voluerit, quando inquit ſpecies infimas, eſſe finitas, & indiuidua eſſe infinita.

1. Interpre Quidam putant Porphy. ex eo vocaſſe ſpecies finitas, quia facile poſſunt recenſeri à nobis, indiuidua vero infinita, quia nequeunt à nobis numerari, eſt enim illorum numerus *Confutat* multo maior quam ſpecierum. Cæterum hi, auctores à mente Porphyr. recedunt maxime etenim Porph. de rebus ipſis (ſpeciebus ſc. & indiuiduis) loquitur, non autem de noſtra cognitione, vel actione numerandi.

2. Interpre Vnde alij è quorum numero eſt Canterus, exiſtimant

Digitized by Google

exiſtimāt ſpecies vocari finitas, quia poſſunt definitione aliqua comprehendi, indiuidua vero infinita, quia nullo modo poſſunt definiri, nam ſingulariū, & indiuiduorum nulla eſt definitio. Vera quidē ſententia; arbitror tamen nihil minus Porph. docere voluiſſe, agit n. ille de decem ſupremis generib. rerū, & categoriis, in quib. cū ſpecies, & indiuidua collocentur, inquit, numerū categoriarum certū eſſe, & denario numero comprehenſum, ſpecierum infimarū certum quoq; eſſe, nō poſſe tamen à nobis aſſignari, numerū vero indiuiduorum incertum eſſe & infinitum. Ex quo aperte cōſtat Porph. non de definitione, ſed de numero ſpecierum indiuiduorū egiſſe, quando inquit numerum ſpecierum eſſe finitum, indiuiduorum autem eſſe infinitum.

Confutatur.

Louanienſes diſtinguunt de ſpecieb. aut in categoria ſubſtantiæ, aut in categoriis accidentium: ſi de ſpecieb. in categoria ſubſtantię ſit ſermo, dicunt illarum numerum eſſe finitū & de his ſpecieb. locutum fuiſſe Porph. Si vero loquamur de ſpecieb. categoriarum accidentium, eſſe numerum infinitum, nam infinitæ ſunt figuræ, relationes, &c. tam ſecundū ſe, quam quoad nos, qui tot ſpecies numerare nullo modo poſſumus. Probabilis ſane opinio, & quam multi ſequuntur, ſi tamen intelligatur de ſpeciebus categoriarum accidentium, & de infinito poteſtate, vel ſyncategorematice, nam ita verum eſt has ſpecies eſſe infinitas, nam qualibet data, vt in numeris additra vnitate, vel in figuris linea poſſunt eſſe infinitæ ſpecies abſque vllo limite oriri, actu tamen neque in categoria ſubſtantiæ, neque in categoriis accidentium, poterunt infinitæ ſpecies aut indiuidua reperiri.

Interpret.

Exiſtimo autem mentem Porphyr. hanc eſſe, vt per ſpecies infimas finitas, intellexerit certas, ac determinatas, ſemperque eodem modo conſiſtentes ſpecies, quæ neque augeri, neque minui vllo modo queant, per indiuidua autem infinita, intellexerunt indiuidua caduca, fragilia, nunquam eodem, ſed ſemper alio, & alio modo ſeſe habentia, quæ augeri & minui poſſunt. Hoc enim intereſt inter ſpecies & indiuidua, quia ſpecies conſiſtentes ſunt, ſemperque eodem modo ſeſe habent, at vero indiuidua ſunt in perpetua quadam mutatione conſtituta, ac proinde ſemper fluunt, ob quam cauſſam merito ſpecies vocari poſſunt finitæ, id eſt, ita conſiſtentes, vt neque augeri, neque minui poſſint, ſed ſint ſemper in eodem numero: at vero indiuidua dici poſſunt infinita, quia ob eorum fluxum interdum augeri, & interdum minui videantur, neque ſemper in eodem numero conſiſtant. Quamuis iuxta Porphyrium, & Ariſtot. vocari poſſint infinita non numero ſed duratione, quia fuerūt ab æterno. Verum hæc ſententia fidei repugnat.

Vera interp.

A 1 arg. igitur, quod in contrarium propoſuimus reſp. tam in numeris, quam in figuris dari actu finitas ſpecies, quod ſi illæ augeri poſſunt in infinitum, hoc certe tantum concludit dari inter has ſpecies infinitum poteſtate, vel ſincategorematice, quod non negamus, ſed tantum negamus infinitum ſecundum actum in huiuſmodi naturis.

Ad arg.

In ereſt tamen inter ſpecies categoriæ ſubſtantiæ, & quantitatis, vel aliorum accidentium latum diſcrimen, quia ſpecies categoriæ ſubſtantię per facultatē naturæ, non poſſunt augeri, neq; poſſunt da i plures, quam nunc reperiuntur ſpecies, quia cum illæ ad decorem vniuerſi pertineant, ſi non eſſent actu omnes productæ, non eſſet vniuerſum perfectum, & omnib. ſuis numeris abſolutū: at in aliis categoriis, optime poſſunt per facultatē naturalē augeri, quia cū illæ non ſpectent ad decorē vniuerſi, quod earum numerus augeatur, nullū pfecto incommodum ſequitur, atq; ita in noſtra facultate eſt conſtitutū, numerorum, aut figurarum numerum augere, vel minuere.

SECTIO II.

DE SPECIE, IN QVA DE INDIuiduo diſputatur.

ARGVMENTVM.

ABSOLVTA *prima parte diſputationis de ſpecie, de altera nimirum de indiuiduo erit tractatio ſuſcipienda. Agemus autem an ſit optime à Porphyrio diffinitum an de ſeipſo poſſit enunciari & tandem an detur indiuiduum vagum.*

QVÆ.

QVÆST. I.

An recte fuerit indiuiduum à Porphyrio diffinitum.

1. *Argum.* NOn recte fuiſſe à Porph. illud diffinitum confirm primo ſingularia nu lo modo poſſunt diffiniri, vt docet Ariſt. 7. *lib. Metaph. c.* 5. ſed indiuiduum eſt ſingulare, ergo indiuiduum non poterit definiri.

2. *Argum.* 2. Solius ſpeciei eſt definitio, vt docebat Ariſt. 7. *lib. Metaph. cap.* 4. ſub his verbis: *Non erit igitur id quo cuique aliquid eſt* (id eſt eſſentia quæ per eſſentialem definitionẽ exprimitur) *in quodam eorum, quæ ſpecies generis non ſunt, ſed in iis ſolis:* ſed indiuiduum non eſt ſpecies, ergo indiuiduum nullo modo poteſt definiri. Et confirmatur in hunc modum diuidua non cadunt ſub ſcientiam, ergo neque ſub diffinitionem, quia tantum illa poſſunt definiri, quę poſſunt ſciri. Antecedens confirmatur ex Platone, qui vt teſtatur Porphyrius in hoc cap. indiuidua à ſcientijs excludenda eſſe volebat.

3. *Argum.* 3. Illa eſt vitioſa definitio, quæ repugnat definito, ſed hęc repugnat definito, ergo erit vitioſa. Propoſitio eſt perſpicua. Confir. aſſumptio. Definitum eſt indiuiduum, ſed indiuiduum dicitur de multis, & non de vno ſolum, nam dicitur de Petro, Ioanne & Iacobo, qui ſunt indiuidua, ergo definitio indiuidui repugnat rei definitæ. Confirmaturque argumentum. Id quod eſt definitum in hac definitione eſt notio ſecunda indiuidui, ſed notio ſecunda indiuidui dicitur de multis ſcil. de Per. & Ioan. ergo repugnabit hæc definitio rei definitæ.

4. *Argum.* 4. Indiuiduum, ſuppoſitum, & perſona habent ſe eo modo, quo ſuperius & inferius, nam indiuiduum eſt ſuperius, ſed perſona, & ſuppoſitum de multis dicuntur, ergo & indiuiduum quoque de multis dici poterit, & nõ tantum de vno. Confirm argumentum. In inferiori nulla ratio poteſt reperiri, quæ repugnet ſuperiori, ſed perſona eſt inferior ad indiuiduum, quæ dicitur de multis, ergo indiuiduo, quod eſt ſuperius non repugnabit dici de multis.

5. *Argum.* Præterea, Eo modo debuit infinitum definiri, quo fuit ſpecies definita, ſed ſpecies definita fuit in duabus primis definitionibus, quę ſubeſt generi; ergo debuit quoque indiuiduũ definiri, quod ſubeſt ſpeciei, & non vt eſt à Porphyr. diffinitum. Confirmaturque argumentum. Relatum debet per ſuum correlatũ diffiniri, ſed indiuidui correlatum eſt ſpecies, ergo debuit per ſpeciem diffiniri, quare vel propoſitæ definitiones non ſunt accuratę, vel diminutus fuit Porph. non diffiniens indiuiduum per habitudinem ad ſpeciem. Alia argumenta, quæ aduerſus diffinitiones indiuidui fieri ſolent, in ſeqq. quæſtionibus proponentur.

1. *obſeruatio.* Eſſe tamen recte indiuiduum definitum, & auctoritate Porphyr. & ex conſenſu omnium dialecticorum poſſumus confirmare. Ad explicandam igitur quæſtionem erunt nonnulla prius de diffinitionibus & diuiſionibus indiuidui præfanda Primum, Indiuiduum, vt eleganter animaduertit D. Damaſcenus *in ſua dialectica cap.* 3. eſſe vocem homonymam, & habere quatuor ſignificationes. Significat enim primo, quod neque diuidi, neque partiri vllo modo poteſt, vt punctum vnitas, & inſtans. Secundo, quod vix & cum maxima difficultate diuidi poteſt, vt eſt adamas, & quædam alia corpora duriſſima. Tertio ſumitur pro ſpeciebus, quæ in alias diuidi nequeunt, & ita ſpecies, atomas, & infimas vocare ſolemus indiuiduas. Denique ſignificat illud, quod ſi diuiſum fuerit nõ manet vt antea erat, qua ratione Petrus dicitur indiuiduum, quia ſi in corpus, & animam fuerit diuiſum non remanet vt antea erat. Addimus aliam, quæ eſt cuius attributio in reliqua ſimilia non cadit & hæc vltima eſt propria ſignificatio indiuidui, de quo apud Philoſophos & dialecticos eſt ſermo. Hoc igitur indiuiduum diffinitur à D. Damaſceno in hunc modum: *Indiuiduum eſt illud cuius ſi diuidatur prioris ſpecies non manent poſt diuiſionem*, quam fere eiſdem verbis tradidit Pet. Greg 2. *lib. Syntaxis artis mirab. lib. cap.* 15. ita dicens: *Indiuiduum id dicitur, quod per diuiſionem tale, quod eſt eſſe definit.* A Porph vero duabus diffinitionibus eſt diffinitum. Prima tradita eſt per notionem ſecundam, quæ eſt de vno tantum dici, etenim dici, vel prædicari notio eſt ſecunda. Altera vero propoſita fuit per entia rei, nimirum per collectionem proprietatum, quæ ita repetiuntur in vno, vt in alio reperiri nullo modo poſſint Quas definitiones eſſe accuratas, in concluſionibus explicabimus.

2. *obſeruatio.* Sciendum eſt etiam ex exemplis propoſitis Porph. in textu, Interpretes tria facere genera indiuiduorum, ſc. certum, ex demonſtr. & ex hypotheſi, quæ tria genera illis verbis aperte indicantur à Porph. Indiuiduũ autẽ Socrates dicitur, & hoc quod albũ eſt, & hic qui accedit Sophronici filius, ſi modo Socrat. ſolũ filium habeat. Indiuiduum certum eſt illud, quod rem certam & definitam abſolute ſigni-

ficat, vt Socrates, & Plato. Ex demonſtratione vocatur illud, quod abſolute multa ſignificat, addito tamen pronomine demonſtrandi rem certam deſignat, vt hic equus, ille leo. Ex hypotheſi vero vocatur illud, quod multis poteſt eſſe commune, facta tamen hypotheſi rem certam & definitam ſignificat, vt Caroli filius, abſolute multos homines poteſt ſignificare. Si tamen demus ex hypotheſi illum ſolum genuiſſe Philippum regem, hoc nomen Caroli filius, erit indiuiduum, ſignificabitque rem certam & definitam, ſcil. Philippum Regem. Addunt multi quartum genus indiuidui, quod communi nomine dicitur vagum, eſt autem illud, quod ſignificat naturam communem affectam nota aliqua particulari, vt quidam homo & quoddam animal, de quo in vltima quæſtione abunde ſatis ſuſcipienda erit diſputatio. De his generibus indiuiduorum conſulendus eſt Petrus Gregorius vbi ſupra, & *tom.1. comment. in ſyntaxim lib. 2. cap. 15.* Titelmannus vir pius, & doctus, *in ſua dialectica, 2.3 4.& 5.* in quibus capitibus luculenter ſatis, & erudite, totam hanc tractationem de indiuiduo abſoluit.

. concl. His animaduerſis, ſit prima concluſio. Prima diffinitio propoſita à Porph. indiuiduum eſt, quod de vno tantum prædicatur, eſt optima, & accurata. Hanc in hunc modum confirmamus. Illa eſt accurata diffinitio, quæ ſeparat definitum à quolibet alio, maxime ab illo, quod infra ambitum eiuſdem generis continetur. ſed hæc definitio eſt huiuſmodi, ergo erit accurata diffinitio. Confirmatur aſſumpt. Vniuerſum & indiuiduum continentur ſub ente rationis logico, tanquam ſub eodem genere, ſed hæc diffinitio ſeparat indiuiduũ ab vniuerſum, etenim vniuerſo, vt ſæpe diximus, eſt illud, quod dicitur de multis, à qua ratione ſecernitur indiuiduum, per hoc quod eſt dici de vno, ergo hæc definitio ſeparabit definitum ab illo, quod intra idem genus continetur.

.concluſ. 2. concl. Significatum huius definitionis indiuidui eſt notio ſecunda, id eſt id quod definitur in hac definitione, eſt forma quædam, cuius ratione indiuiduum materiale, vt Petrus, & Dominicus tantum dicuntur de vno, non autem de ſeipſis. Confirmatur primo. Indiuiduum (vt ſumitur à dialecticis) eſt accidens rationis in concreto, quemadmodum genus, vel ſpecies, ſed definitiones accidentium ſignificant formas ipſas accidentarias, ergo hæc diffinitio ſignificabit notionem ſecũdam indiuidui. Addo definitiones omnes dialecticas tradi debere ſub ratione obiecti illius, at obiectum dialecticæ eſt ens rationis logicum quod eſt ſecunda notio, quare hæc definitio ſecundam notionem indiuidui in concreto explicabit.

3. concl. Illud pro quo vſurpatur definitio non eſt notio ſecunda, ſed natura ſubiecta notioni indiuidui. Confirm. quia exercitium prædicationis de vno ſolo, tantum competit naturæ affectæ notioni ſecundæ indiuidui, vt naturæ v. g. Petri, vel Antonini, & non ipſi notioni, quia notio de multis dicitur denominatiue, de omnibus ſcil. indiuiduis, ſed pro illo vſurpatur definitio, quod exercet actum prædicandi de vno tantum, ergo diffinitum pro quo vſurpatur diffinitio, erit natura ſubiecta notioni. Hanc concluſionem profitetur M. Soto, quæſtio. vnica de ſpecie ad quintum argumentorum, 3. concluſ.

4. concl. Altera diffinitio indiuidui, quę eſt (*Indiuiduum eſt, quod ex proprietatibus ſuis, ita conſtat vt omnes in alio eadem eſſe nullo modo poſſint*) eſt quoque optima & accurata. Hanc non alia ratione, quam auctoritate Porphyr. & conſenſu omnium dialecticorũ poſſumus confirmare. Illud tamen non erit obliuioni tradendum, collectionem proprietatum non eſſe intelligendam de proprietatibus vniuerſis, & communibus, nam hæ ita in vno colliguntur, vt in alio etiam poſſint reperiri, vt eſſe capacem diſciplinæ, aptum ad riſum, coloratum, & figuratum, ita in vno indiuiduo hominis repetuntur, vt in alio etiam reperiantur. Sed intelligendum eſſe de collectione proprietatum ſingularium, vt huius cãloris, magnitudinis, figuræ, &c. quæ ita in vno indiuiduo Socrate v.g. repetiuntur, vt eædem in alio ſimul reperiri nullo modo pôſſint. Recenſentur autem hæ proprietates ſingulares à Boetio *in comment. huius loci*, & à beato Alb. Magno *tract. 4. in Porphyr. cap. 7* & ab alijs tum etiam recentioribus Philoſophis, ad has ſeptem, ſcilicet ad formam, figuram, locum, tempus, nomen, genus, vel ſanguinem, & patriam, quæ his carminibus eleganter exprimuntur: 4. concluſ.

Forma, Figura, Locus, Tempus cum Nomine Sanguis,
Patria: ſunt ſeptem, quæ non habet vnus & alter.

Verum adnotandum erit ex M. Soto in eodem loco hanc definitionem indiuidui tantum conuenire in[d]iuiduis categoriæ ſubſtantiæ, & non indiuiduis categoriarum accidentium, quia indiuidua ſubſtantiæ cum per ſe Obſeru.

exiſtant

exiſtant, multas proprietates colligunt per inhærentiam, quæ non poſſunt in alio indiuiduo reperiri, at vero indiuidua accidentium cum alteri inhæreant, non colligunt in ſe multa, quæ ita in vno reperiantur, vt in alio nequeant reperiri. Iam ad argumenta, quæ
1. *Argum.* propoſuimus. Ad primum reſpon. ſingula ia materialiter ſumpta, non poſſe definiri, cæterum eadem ſumpta formaliter, aut pro notione ſecunda, optima poſſe definiri, nam notio multis eſt communis. Et hac ratione definitum fuit indiuiduum, pro notione nimirū.

2. *Argum.* Ad 2. reſp. Indiuiduum ſumptum pro notione, vt hic diffinitur, eſt autem eſſe ſpeciem entis rationis logici, & hac ratione fuit definitum: nam vt ſumitur pro indiuiduo materiali, neque eſt ſpecies, neque ita diffinitur. Ad confirmationem eodem modo reſpon. indiuidua materialiter (vt ſunt Ioannes & Antonius) non cadere ſub ſcientiam, indiuiduum tamen formaliter, vel notionem indiuidui, ſub ſcientiam cadere, nimirum ſub dialecticam, quæ diſputat de illo.

3. *Argum.* Ad 3 reſp. Negandum eſſe aſſumptionem. Ad confirmationem vero dicimus hanc definitionem in actu ſignato conuenire notioni indiuidui, & ita definitum illius in actu ſignato diceretur de multis: at diffinitum in actu exercito non dicitur de multis, ſed de vno tantum, vt Petrus tantum de ſe dicitur, qui eſt diffinitum huius diffinitionis in actu exercito & huic diffinito non repugnat definitio. Vel clarius reſp. ex his quæ diximus diffinitū huius diffinitionis eſſe duplex, vnum quod ſignificatur per definitionem, & alterum pro quo ipſa definitio vſurpatur. Primo modo definitum eſt notio ſecunda, ſecundo vero natura ſubiecta notioni. Vnde cum definitio non ſit intelligenda, aut ſumenda, pro diffinito, quod ſignificatur per diffinitionem, ſed pro definito pro quo illa vſurpatur, quod tā tum dicitur de vno, nullo modo repugnabat illa rei diffinitæ.

4. *Argum.* Ad 4. eodem modo reſp. ſuppoſitum, & perſonam materialiter, vt ſunt Petrus, & ille lapis, non dici de multis, ſed de vno tantum, notionem vero perſonæ, & ſuppoſiti, multis eſſe communem. Neque ex hoc continebunt inferiora aliquid repugnans ſuperiori, imo cōtinebūt id quod eſt affine naturæ ſuperioris. Nam quemadmodū indiuiduū, quod eſt ſuperius, materialiter tantū dicitur de vno, formaliter vero multis eſt commune: ita etiam perſona materialiter tantum dicitur de vno, illius vero notio, multis erit communis.

Ad 5. reſpon. Ex inſtituto Porph colligendū eſſe ſintne accuratæ definitiones ab eo propoſitæ necne? nam tradi debent iuxta inſtitutum ipſius operis & auctoris. Quare cum inſtituat in hoc opere agere de vocibus prædicabilibus, & vniuerſis, debuit definire indiuiduum (quod ſubiſtis vocibus cōprehenditur) per prædicari, & non per ſubijci ſpeciei, vel ſuper omnibus: Et quamuis ſpecies fuerit definita per prædicari de multis numero differentibus, eademque ratione Porphy. potuerit indiuiduum definire per ſpeciem, noluit tāmen hoc efficere, ſed per prædicari de vno tātum: propter inſtitutum, quod erat agere de ratione prædicandi in hoc opere. 5. *Argum.*

QVÆST. II.

An indiuiduum vere & proprie de vno tantum prædicetur.

QVamuis de hac re nonnulla in ſuperiori quæſt. fuerint explicata libuit hæc eadē altius repetere, & diffuſius pertractare. Vnde quærimus, an indiuiduū tam categoriæ ſubſtantiæ, quam accidentium vere & proprie de vno tantum dicatur.

Et quidem illud de nullo dici, & non de aliquo confirmatur primo. Quia indiuiduum in categoria ſubſtantiæ, non differt à prima ſubſtantia: ſed prima ſubſtantia non dicitur de aliquo, vt docet Ariſt. *in categoriis cap. de ſubſtantia*, nam diffinitur, quæ neque eſt in ſubiecto, neque dicitur de ſubiecto, & *7. Metaph. cap 3.* inquit à prima ſubſtantia nullam eſſe prædicationem, ergo indiuiduum non prædicabitur de aliquo. 1. *argum.*

2. Indiuiduum & ſingulare rem vnam & eandem ſignificant: ſed ſingulare de nullo dicitur, vt auctor eſt Ariſtot. *1. libr. de interpretation. cap. 5.* ergo neque indiuiduum de aliquo dicetur. 2. *Arg.*

Præterea: Si indiuiduum diceretur tantum de vno, illud vnum præſertim in categoria ſubſtantiæ eſſet ipſum indiuiduum, vnde indiuiduum de ſeipſo prædicaretur, hoc autem dici nullo modo poteſt. Primo, quia ſi idem de ſeipſo prædicaretur, cum attributum habeat locum formæ, & ſubiectum materiæ, idem reſpectu ſui ipſius haberet locum materiæ, & locum formæ. Secundo: Quia cum in omni attributione attributum ſit intra ſubiectū de quo dicitur, idem eſſet intra ſeipſum, quod cum ſit falſum non poterit de ſeipſo prædicari. 3. *Arg.*

In hac quæſtione eſt prima opinio, quam

Quod ſi quis dicat, Porphyrium in hoc capite docuiſſe, ſpeciem infimam tantum habere vnam habitudinem, non ergo rectè dictum eſt illam habere duas habitudines? Reſpond. Porphyrium nō negaſſe in ſpecie infima duas habitudines, ſed quod aſſerit, eſt, has duas vno & eodem nomine ſignificari, nimirum nomine ſpeciei. Nam ſiue referatur ad ſuperiora, ſiue ad inferiora, ſemper dicitur ſpecies, in quare ſeparatur à ſpecie interiecta, quæ quamuis habeat etiam duas habitudines, vnam ad ſuperiora, & alteram ad inferiora, non vno, ſed duobus nominibus illæ ſignificantur: nam habitudo ad ſuperiora nomine ſpeciei exprimitur, altera vero ad inferiora nomine generis deſignatur.

2. concluſ. 2. concluſ. Ex his duabus relationibus illa, quæ eſt prædicabilis, non oritur ex altera ſubiicibilis, vnde non ex eo homo, verbi gratia, poterit de Dominico, & Thoma efferri, quia ſubeſt animali, vel corpori. Hæc eſt aduerſus Caietanum, illam tamen Soto, Cante. & fere omnes recentiores profitentur. Et confirm. 1. Poteſt dari ſpecies prædicabilis ſine ſubiicibili, ergo prædicabilis non oritur neceſſario veluti quædam proprietas a ſubiicibili. Conſequentia perſpicua eſt, quia ſi oriretur vt proprietas, non poſſet à ſubiicibili illa ratione diuelli, quemadmodum neque aliæ proprietates à ſuis ſubiectis diuelli poſſunt. Confirm antecedens. Natura ſpecifica naturæ materialis, vt hominis, aut leonis, quamprimum eſt abſtracta à proprietatibus ſingularibus, eſt formaliter vniuerſa & prædicabilis, vt *ſectione 2. quæſt. 5. de rebus vniuerſis*, docebamus. & idem Caietanus profitetur *cap. 4. de ente & eſſentia*, vbi docet, naturam fieri vniuerſam per abſtractionem intell. agentis, erit igitur aliqua ex ſpeciebus vniuerſi, at non eſt genus, neque differentia, neque proprium neque commune accidens, quare erit ſpecies: ſed per hanc abſtractionem nondum eſt ſpecies ſubiicibilis, ergo ſpecies prædicabilis non oritur ex altera ſubiicibili. Confirmatur aſſumptio: In relatis non datur relatum, niſi detur ſuum correlatum, ſed correlatum ſpeciei ſubiicibilis eſt genus, & per ſolam abſtractionem intellectus agentis nondum eſt genus: nam illud tantum fit per abſtractionem intellectus patibilis, vt in eodem loco oſtendimus, ergo per abſtractionem, per quam natura ſpecifica fit prædicabilis, nondum erit ſubiicibilis. Secundo, Habitudines totius vniuerſi, & partis ſubiectiuæ, ſunt omnino inter ſe oppoſitæ, non minus quam habitudines patris ad filium, aut filii ad patrem, eſt enim habitudo totius vniuerſi, habitudo principii ad illud, quod ortum habet à principio, quemadmodum eſt habitudo patris ad filium, ſed in habitudinibus oppoſitis non datur ordo aliquis originis, ita vt vna habitudo ex altera fluat, ergo relatio totius vniuerſi, vel prædicabilis in ſpecie non orietur ex altera ſubiicibilis. Præterea: Natura non eſt vniuerſa per habitudinem ad ſuperiora, ſed ad inferiora: eſt enim vniuerſum vnum in multis, & præter multa, quod certe non competit naturæ per habitudinem ad ſuperiora, ſed ad inferiora, non rectè igitur Caietanus naturam fieri vniuerſam per relationem ſubiicibilis ad ſuperiora, & fieri prædicabilem per habitudinem ad inferiora

3. concluſ. Relatio prædicabilis non conſtituit totam & adæquatam rationem ſpeciei. Itaque non ex eo tantum dicetur aliquid ſpecies, quia refertur ad inferiora: verum etiam quia intuetur ſuperiora. Confirm. aduerſus B. Alb. Magn. Speciei ſubiicibili, & prædicabili aſſignari debet aliqua ratio communis, ſed illa non eſt referri ad inferiora, nam ſubiicibilis non refertur ad illa, vt ſubiicibilis eſt, non igitur referri ad inferiora, integre. & adæquate totam rationem ſpeciei conſtituet. *3. concluſ.*

4. concluſ. Species homonyme, vel æquiuoce dicitur de ſpecie prædicabili, & ſubiicibili, eruntque diuerſæ huius vtriuſque ſpeciei rationes. Confirmatur: Quia homonyma dicuntur illa, quorum nomen eſt commune, & ratio nomini accommodata diuerſa: ſed his duabus ſpeciebus eſt commune nomen ſpeciei, & ratio nomini accommodata eſt diuerſa, ergo ſpecies homonyme de vtraque ſubiicibili, & prædicabili dicitur. Confirm. aſſumptio Inprimis nomen ſpeciei eſt vtrique commune, nam vtraque dicitur ſpecies. Deinde rationem eſſe diuerſam, ita oſtendo. Ratio ſubiicibilis eſt intueri tantum ſuperiora, prædicabilis vero ferri ad inferiora, quæ ſane ſunt rationes multum diuerſæ Tum etiam in relationibus, illæ rationibus, vel natura differunt, quarum termini natura differunt, ſed termini ſubiicibilis & prædicabilis natura differunt, nam ſubiicibilis eſt genus, prædicabilis vero indiuidua, quos duos terminos ſpecie differre nullus dubitat, ergo hæ duæ relationes ſpecie differunt Quando igitur rogamus, quænam ex his duabus habitudinibus, quæ in ſpecie reperiſtur, ſit de eſſentia ſpeciei? Vtendum eſt diſtinctione; quia vel agimus de ſpecie ſubiicibili, vel de prædicabili: ſi de ſubiici- *4. concluſ.*

bili,

bili, tota illius eſſentia erit referri ad ſuperiora, ſi de prædicabili vero, erit referri ad inferiora. Quod ita eſſe in hũc modum poſſumus confirmare: Eſſentia relati peti debet ex habitudine ad ſuum correlatum, ſed correlata ſpeciei ſubiicibilis ſunt genera ſuperiora, prædicabilis vero ſunt inferiora, ergo eſſentia ſpeciei ſubiicibilis petenda erit ex habitudine ad ſuperiora, prædicabilis vero ex habitudine ad inferiora. Cæterum cum ſæpe fuerit animaduerſum, duobus modis poſſe ſuperiora conferri ad inferiora, vel vt ſunt in illis ſecundum eſſentiam, vel vt prędicantur de eiſdem ſecundum quandam proprietatem. Eademque ratione inferiora duobus modis poſſint conferri cum ſuperioribus, aut vt ſubiiciuntur illis ſecundum eſſentiam, aut vt ſubiiciuntur ſecundum prædicationem (primo modo ſubiiciuntur in recta ſerie categoriæ: altero vero in propoſitione) natura ſpeciei ſubiicibilis haurienda eſt ex habitudine ad ſuperiora, vt ſubeſt illis intra rectam ſeriem categoriæ, vel vt ſubeſt ſecundum eſſentiam, & non vt ſubeſt in prædicatione, quia prima ſubiectio exprimit naturam ſpeciei ſubiicibilis, altera vero quandam proprietatem. Præterea; Natura ſpeciei prædicabilis peti debet ex habitudine ad inferiora, vt eſt in illis ſecundum eſſentiam & non ex habitudine, vt poteſt prædicari de ipſis, quia prima habitudo explicat naturam ſpeciei, quæ eſt eſſe in multis numero differentibus, altera vero declarat quandam eius proprietatem, quæ eſt dici de eiſdem numero differentibus.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta: Ad primum reſpond. diſtinguendam eſſe propoſitionem, quia poteſt ratio illa communis, aut eodem aut alio nomine ſignificari. Si eodem nomine ſignificetur, verũ eſt illa non eſſe homonyma, quæ habent vnam, & eandem rationem per totale nomen ſignificatam: at ens rationis, quod commune eſt ſpeciei ſubiicibili, & prædicabili, non ſignificatur nomine ſpeciei. Si vero ratio illa alio & alio nomine denotetur, falſum eſt illam naturam non eſſe homonymam, quę habet aliquam rationem communem. Canis ſiquidem cœleſtis, & domeſticus, communem habent habẽt naturam corporis, verum quia hæc nõ exprimitur nomine canis, ſed illa, quæ exprimitur, eſt multiplex, & diuerſa, propterea hæc vox canis erit homonyma. Pari ratione quamuis vtrique ſpeciei ſit communis ratio entis rationis, quia tamen illa per hoc nomen non exprimitur, ſed ea, quæ exprimitur, eſt multiplex, & diuerſa, propterea ſpeciei nomen homonymum erit ad ſpeciem ſubiicibilem & prædicabilem.

Ad 2. Ad ſecundum reſpond. correlatum ſpeciei ſubiicibilis eſſe genus, & de hac ſpecie eſt locutus Porph. quando inquit, correlatum illius eſſe genus, correlatum vero ſpeciei prædicabilis non eſſe genus, ſed indiuidua.

Ad 3. Ad tertium reſpond. ſubiici ſuperioribus, tantum eſſe communem rationẽ ſpeciei ſubiicibilis, & non conuenire ſpeciei prædicabili. Neque poteſt his duabus ſpeciebus aſſignari aliqua ratio communis, vt nomine ſpeciei deſignantur. Nam hac ratione ſpecies de illis dicitur homonyme, at homonymis non poteſt aliqua ratio communis, vt homonyma ſunt, aſſignari.

QVÆSTIO V.

An ſpecies infima poſſit eſſe genus.

EX his, quæ in cap. docuerat Porphyr conſtare ſane poterat, ſpeciem infimam nullo modo poſſe eſſe genus: verum quia nonnulli poſteriores Philoſophi ab hac Porphyrii ſententia quibuſdam conuicti rationibus receſſerunt, erit hæc controuerſia in hoc loco dirimenda. Poſſe igitur ſpeciem infimam eſſe genus, confirmo his argumentis.

1. Arg. Primum eſt petitum ex auctoritatibus Rhetorum, Poetarum, Philoſophorũ, & Iuriſprudentium. ex quibus aliqui hominem (qui eſt ſpecies infima) vocant genus, alii vero indiuidua, & geſta particularia dicunt eſſe ſpecies. Quod ſi illa ſunt ſpecies, profecto & ſpecies atoma, ſub qua comprehẽduntur, erit genus. Et vt ab Oratoribus & Poetis auſpicemur. Cicero 1. *de inuent.* hominem vocat genus, idem facit Seneca 8. *lib. Epiſtolar. Epiſt.* 1. Perſius inter Poetas, ſub homine conſtituit multas ſpecies. Mille, inquit, hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus: & Plautus in Perſa, animorum ſpecies vertuntur. Ariſt. *in libello de longitudine & breuitate vitæ*, hominem vocat genus, & pariter equum, inquiens, hominum genus longiorem vitam ducere, equorum genere, & 1. *libr. de partibus animalium, cap.* 4. Socratem & Coriſcum vocat ſpecies hominis, Galenus 1. *libr. de temperamentis*, ſeriem categoriæ ſubſtantiæ explicans, hominem vocat genus. Et Iuriſprudentes facta ſingularia, & indiuidua, quæ ſunt exẽpla legũ, appellant ſpecies. Cum igitur tot celebres viri, & in omni genere ſcientiarum exercitatiſſimi, ſpeciẽ infimã conſtituant genus ſuorũ indiuiduorũ, nihil erit, quod nos poſſit remorari ab hac ſententia aſſerenda. Verum prætermiſſis auctoritatibus

Digitized by Google

agamus rationibus: ſit igitur ſecundum argumentum.

2. Arg. Multitudo, & paucitas non mutant alicuius rei naturam, ſed genus, & ſpecies tantum differunt iuxta multum, & paucum, tantum enim differunt, quia generi plura, ſpeciei vero pauciora ſubiiciuntur, ergo genus & ſpecies infima non differunt, ac proinde ſpecies infima poterit eſſe genus.

3. Arg. 3. Non magis diſtat genus ſubalternum à ſpecie infima, quam ſupremum à ſubalterno, ſed ſubalternum, & ſupremũ non diſtinguuntur ſpecie, ergo neque ſubalternum, & ſpecies infima, diſtinguuntur ſpecie, quare ſpecies infima poterit eſſe genus.

4. Arg. 4. Differentia infima, & interiecta, ſunt eiuſdem ſpeciei. Præterea proprium infimum & interiectum ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo ſpecies quoque infima, & interiecta, erunt eiuſdem ſpeciei, quare cum ſpecies interiecta ſit genus, & infima quoque erit genus.

5. Arg. Præterea, Eædem proprietates conueniũt generi & ſpeciei infimæ, ergo ſpecies infima erit genus. Confirmatur antecedens, quia iiſdem locis, quibus confirmatur, aut refutatur quæſtio generis, confirmatur, aut refutatur quæſtio ſpeciei. Et quæ ratio argum. eſt à genere ad ſpeciem, eadem eſt à ſpecie ad indiuid. & quemadmodum genus continet confuſa quadam & perturbata ratione ſpecies, ita ſpecies continet indiuidua, ergo eædem proprietates, quæ conueniunt generi, conueniunt quoque ſpeciei.

6. Arg. Tandem mas & fœmina ſpecie differunt, nam differũt definitionibus eſſentialibus, ſed mas & fœmina ſub ſpecie infima continentur, ergo ſpecies infima erit genus.

1. Opin. Propter hæc argumenta Rodolphus Agricola 1. *libr. de inuention. cap. 6.* Martianus Capella *libr. 4. artium liberalium, in cap. de genere*, Nunneſ. *in comment. in libr. de conſtitutione artis dialect.* P. Ramus, & frater eius Talæus *in Scholiis in c. de ſpecie.* arbitrantur, ſpeciem infimam non diſtingui à genere intermedio, eandemque dicunt naturam eſſe genus, & ſpeciem infimam, & hanc reſpectu indiuiduorum eſſe verum & legitimum genus, vt hominem, reſpectu Dominici & Thomæ.

2. Opin. Contrariam tamen ſententiam tuentur omnes, quotquot ſunt Philoſophi, Græci Arabes, & Latini, Ammonius, Boetius, Auerroes, Auicenna, B. Albert. Magn. Louanienſes, Caietanus, & denique omnes, qui in Porphyr. commentaria ediderunt. Quæ profecto ſententia veriſſima eſt, & omnino amplectenda, atque ita in illius explicationem ſit prima concluſio.

1. concluſ. Species infima, & genus interiectum, non poſſunt eidem naturæ vllo modo conuenire. Confirmatur inprimis teſtimonio Porphyrii, qui ſpeciem infimam definit illam, quæ, cum ſit ſpecies, nullo modo poteſt eſſe genus. Secundo: Fundamenta harum notionum non poſſunt eidem naturæ conuenire, ergo neque notiones eidem vllo modo conuenient. Conſequentia eſt aperta, confirmatur antecedens. Fundamentum notionis genericæ, eſt natura, quæ diuidi poteſt formaliter, fundamentum vero notionis ſpecificæ ſpeciei atomæ, eſt natura, quæ non poteſt diuidi formaliter, ſed tantum materialiter, ſed diuidi poſſe formaliter, & non poſſe diuidi formaliter, non poſſunt eidem naturæ eadem ratione conuenire, ergo neque fundamenta harum notionum poterunt eidem naturæ conuenire. Iam diuerſa ratio prædicandi conſtituit diuerſam rationem prædicabilis, ſed genus, & ſpecies habent diuerſam rationem prædicandi, ergo conſtituunt diuerſam rationem prædicabilis, non igitur poterunt eſſe idem prædicabile. Confirmatur aſſumptio. Genus ita prædicatur de ſpecie, vt non contineat expreſſe & elate totam quidditatem illius: ſpecies vero ita prædicatur de indiuiduis, vt clare, & expreſſe contineat totam illorum quidditatem (neque enim indiuidua aliam quidditatem habent, quam quidditatem ſuæ ſpeciei) at hæ diuerſæ ſunt rationes prædicandi, quare diuerſa ratio prædicandi erit in genere, & in ſpecie. Iterum, Omne genus diuidi debet per contrarias differentias, vt docet Ariſt. 10. *Metaph c. 8* animal enim diuiditur per contrarias differentias participis, & expertis rationis, & color per contrarias albedinis & nigredinis, ſed ſpecies infima non poteſt diuidi per contrarias differentias, tantum enim diuiditur in indiuidua per materiam, à qua non petuntur contrariæ differentiæ, quæ à ſola forma poſtulari poſſunt, ergo ſpecies infima nullo modo poterit eſſe genus.

2. concluſ. Secunda concluſ. Species infima non eſt genus reſpectu ſuorum indiuiduorum. Hanc aduerſus alios auctores apertiſſime profitetur Porphyrius in hoc cap. qui de homine, qui eſt ſpecies infima, ita loquitur: *At vero homo hominum ſingulorum eſt tantummodo ſpecies, non etiam genus.* Idem antea docuerat Ariſtot. 3 *lib. Meta. c. 3.* vbi in hæc verba loquitur: *Neq; enim homo aliquorum & ſingulorum hominum eſt genus* Et *lib. 10. Metaph. c. 11.* ait, marem & fœmi-

nam

nam non differre ſpecie D. Damaſcenus grauiſſimus Philoſophus 2. *cap. ſuæ dialect.* hoc idem his verbis profitetur; *Species autem extremæ, infimæue non habentes ſub ipſis alias ſpecies, non dicuntur genera, ſed ſpecies ſolum.* Confirmatur præterea: Omne genus debet ſub ſe aliquas ſpecies comprehendere: ſed ſpecies infima non comprehendit ſub ſe aliquas ſpecies, ergo non erit illa genus. Confirm. aſſumptio, quia propoſitio ex definitione generis, quam ſit vera poterit conſtare. Primo teſtimonio Ariſt. qui 10. *Metaph. c.* 12. *de homine agens*, qui eſt ſpecies infima, inquit, indiuidua hominis non eſſe ſpecies illius, ita enim habet: *Neq; enim ſunt homines, hominis ſpecies.* Secundo: Quæ ſpecie differunt, eſſentia quoq; differunt, at ea quæ continentur intra eandem ſpeciem atomam, eandem habent eſſentiam, quare non different ſpecie. Iterum confirmatur eadem concluſio. Ex eo mas, & fœmina non differunt ſpecie, quia tantum differunt per materiam ex Ariſt. 10. *lib. Metaphyſ. cap.* 12. Sed omnia indiuidua, quæ intra eandem ſpeciem atomam continentur, tantum differunt per materiam: ergo non diſtinguĕtur ſpecie, quod ſi non diſtinguuntur, neque igitur ſpecies atoma poterit eſſe genus, quia omne genus debet proxime de iis, quę ſpecie differunt prædicari. Et tandem ſi ſpecies infima, & genus non poſſunt eidem naturæ conuenire, vt diximus in 1. *concluſ.* ergo ſpecies infima reſpectu ſuorum indiuiduorum, non poterit eſſe genus.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. Ad primum reſp. omnes auctores citatos, quando hominem, vel aliã ſpeciem atomam dicunt eſſe genus, nomine generis non intellexiſſe genus logicum, quod dicitur de multis ſpecie differentibus, &c. ſed intellexiſſe genus in prima ſignificatione, vt indicat collectionem multorum, quæ ab vno principio deriuantur. Colligit enim ſpecies ſuo ambitu multa indiuidua, quæ ab ea tanquam à fonte dimanant. Ad auctoritates vero Ariſtot. Ad primam de longitudine, & breuitate vitæ reſpondet Leonicus Thomeus in comment. Ariſtot. ibi genus pro ſpecie vſurpaſſe, quia cum in eo conueniant, vt colligant multa, aliquando eodem nomine generis inſigniuntur. Ad ſecundam auctoritatem ex 4. *cap. lib.* 1. *de parti. anima. reſpond.* Ariſtotel. vocaſſe Socratem, & Coriſcum ſpecies, per figuram metonymiæ, qua continens ſumitur pro contento, quia ſcilicet continent hominem, qui eſt ſpecies. Et eadem ratione Stoici, vt auctor eſt Laertius in Zenone *lib.* 7. vocant Socratem ſpeciem, ſumentes continens pro contento. Vel reſp. Ariſt. eo loco tantum inſtituiſſe docere indiuidua non diſtingui eo modo quo differunt ſpecies infimæ, proponitq; exemplum de Socr. & Coriſco, quia nõ differunt eo modo quo homo differt ab equo, & quamuis ibi vocet illos ſpecies nomine ſpeciei indiuiduum intellexit. Quod conſtare poterit ex eo, quia inquit non diſtingui eo modo quo ſpecies diſtinguuntur, quod certe falſum eſſet, ſi ipſos veras ſpecies effeciſſet.

Ad 2. Ad 2. reſp. multitudinem & paucitatem eiuſdem rationis, non mutare ſpeciem, & rei naturam, multitudinem tamen, & paucitatẽ diuerſarum rationum, mutare rei naturam, at multitudo in genere, & in ſpecie, eſt diuerſæ rationis, nam multitudo in genere eſt formalis, in ſpecie vero materialis, quare per illam genus & ſpecies diſtinguentur.

Ad 3. Ad 3. reſpond. Negando propoſitio. quia genus ſubalternum, & ſpecies infima, eodem modo prædicantur de pluribus, ſc. de iis, quæ formaliter differunt, at vero ſpecies infima, & genus intermedium, non prædicantur eodem modo, nam genus prædicatur de pluribus, quæ formaliter & eſſentialiter differunt, ſpecies vero de pluribus, quę ſola materia diſtinguuntur.

Ad 4. Ad 4. reſp. negando conſequentiam, cuius ratio eſt, ea quam tradidimus *ſupra ſectio.* 5. *de rebus vniuerſis quæſt.* 1. *ad tertium argum.* ex his, quæ ſecundo loco effecimus. Erit illa repetẽda, neque enim eſt ut hoc loco iterum eam proponamus, hoc enim ſuperfluum eſſet & ſupervacaneum.

Ad 5. Ad 5. reſp. Omnia illa, quæ ſunt recenſita, non eſſe proprietates generis, ſed accidentia quædam, quæ ipſi & ſpeciei poſſunt eſſe communia. Nam proprietas generis, eſt poſſe dici de multis ſpecie differentibus, quæ certe ſpeciei conuenire nullo modo poteſt.

Ad vlt. Ad vlt. reſp. ex Ariſt. *lib.* 12. *Metaph. c.* 12. marem & fœminam non diſtingui ſpecie, quia ſola materia & ſexu (qui à materia petitur) diſtinguuntur, at vero vt aliqua differant ſpecie, illorum diſtinctio nõ à materia ſed à forma ſola eſt haurienda, vt Ariſt. in eodem loco apertiſſime profitetur.

QVÆSTIO VI.

An ſpecies per ſe ſit ex genere & differentia conſtituta.

Æquum eſt vt in hac quæſtione de compoſitione ſpeciei ex ſuis partib. diſſeramus,

Digitized by Google

mus, quæ ſei l ſint partes ex quibus componitur, & de genere compoſitionis num ſc. ſit cō poſitio rerum vel conceptuum. Et certe non componi per ſe ex genere, & differentia con firm 1. Ex duobus entibus in actu non fit vnū per ſe ex Ariſt. 8. *lib. Metaphy. cap. 6.* ſed tam genus, quam differentia ſunt entia in actu, ergo ex illis non fit vnum per ſe. Confirm. aſſumpt. primoque differentiam eſſe ens in actu nullus dubitatur, petitur n. illa ab vltimo gradu formæ, quia actum aliquem contrahentem, & determinantem denotat. Deinde genus eſſe ens in actu confirmatur, qui eſt totum quoddam, at omne totum naturam in actu deſignat.

1. Arg.

2. Ex ſubiecto, & accidente non poteſt fieri vnum per ſe, ſed vnum per accidens ex Ar ſt. 5 *Metaph. c. 6* ſed genus habet ſe veluti ſubiectum, differentia vero veluti accidens illius, nam poteſt adeſſe, & abeſſe generi abſque interitu illius, ergo ex genere & differentia nō fiet vnum ens per ſe.

2. Arg.

Præterea ex duobus accidentibus ſpecie diſtinctis, vt ex candore, & dulcedine, non poteſt fieri vnum per ſe, ſed genus, & differētia ſunt quædam accidentia rationis, ergo ex illis duobus non poterit fieri aliquod vnum per ſe.

3. argum.

Quæſtionem hanc ſtringit breuiter Niger 1 *p. clypei quaſt. 46. dub. 4.* & inquit, in ſpecie (vt ſuo ambitu amplectitur omnes ſpecies, tam categoriæ ſubſtantiæ quam categoriarum accidentium) dari compoſitionem ex genere & differentia non tamen ex actu, & poteſtate, quamuis aliqua, vt homo & leo ex his etiam duabus partibus componatur. Vnde licet in formis ſimplicibus, & accidentibus detur cōpoſitio generis, & differentiæ, non tamen dabitur compoſitio actus & poteſtatis, quia formæ ſimplices, cum ſint actus ſimplices, nullam habebunt poteſtatem.

Opin. Nigri.

Ceterum contraria opinio, quæ aſſerit ſpeciem conſtitutam eſſe ex genere & differentia & ex actu, & poteſtate, eſt multo verior, & omnino amplectenda. Quam vt intelligamus ſciendum eſt duplicem eſſe compoſitionem, vnam Phyſicam, & alteram Metaphyſicam. Phyſica fit ex duabus partibus realiter diſtinctis, quarum vna eſt forma, altera materia, vna eſt pura potentia, & altera ſimplex actus. Metaphyſica vero fit ex duabus partibus eiſdem ſecundum rem, tantumque conceptibus obiectiuis d ſtinctis, nimirum ex genere, & differentia, quæ duo in vna, & eadem natura ſpecifica ſecundum rem conueniunt, tantūque diſtinguuntur ex eo, quia intellectus cōcipit naturam generis vt communem & illimitatam, differentiæ vero vt propriam & peculiarem ſpeciei, & vt coercentem, & limitantem potentiam generis.

2 Opinio.

Sit 1. concl. Ex partibus diffinitionis fit vnum ens per ſe. Hanc concluſionem aperte profitetur Ariſtot. 8. *lib. Metaphyſ. cap. 6.* in quo loco diſſoluit quæſtionem de diffinitionibus prepoſitam in 3 *lib.* an ex partibus diffinitionis fiat vnum per ſe, & ob quam cauſam, inquitque fieri, & cauſam eſſe, quia vna pars habet locum potentiæ altera vero actus. Et Metaphyſici D. Thom. Alexand. Auerroes, Alenſ. Scotus, Sueſſanus in commen. illius loci idem profitentur Et confirm. per facili argum. ex Ariſt. in eod. loco collecto. Ex actu, & poteſtate fit vnum per ſe (loquor de actu, & poteſtate eiuſdem categoriæ) vt ex corpore, & anima, quemadmodum idem docet *2. de anima cap. 1.* ſed inter partes diffinitionis, vna habet locū potentiæ, nimirum genus, & alia actus, ſed differentia, ergo ex partibus diffinitionis fiet vnum per ſe. Iam diffinitio eſt vna oratio, ergo partes illius in aliqua vnitate eſſentiali conuenient, ſed ex his partibus, quæ aliqua vnitate inter ſe conueniunt fit vnum per ſe, ergo partes diffinitionis conſtituunt vnum per ſe.

1. concluſio.

2. concl. Ex genere & differentia fit vnum per ſe nimirū ſpecies, quæ ex his duabus partibus ſecundum eſſentiam coaleſcit. Hæc eſt Ariſt. 7. *Metaph. c. 12* & D Tho. *in eod. lib. lect. 12.* Quæ confirmari poteſt primo ex concluſ. ſuperiori. Ex partibus definientibus fit vnum per ſe, ſed genus & differentia ſunt partes diffinientes, ergo ex illis fiet vnum per ſe. Addo ex his partibus diffinientibus nimirum genere, & differentia, vnam habere locum potentiæ, & alteram actus intra eandem ſeriem categoriæ, ſed ex actu & poteſtate eiuſdem categoriæ fit vnum per ſe, ergo ex genere & differentia quoque fit vnum per ſe.

2. concl.

3. concl. Species non tantum componitur ex genere, & differentia, verum etiam ex potentia, & actu quælibet illa fuerit, ſiue categoriæ ſubſtantiæ, ſiue categoriarum accidentium, & formarum ſimplicium. Hæc eſt aduerſus Nigrum, quæ certe, vt mea fert opinio, à nemine qui rem accurate perpenderit negari vllo modo poteſt. Et confirmatur ex Ariſt. qui 8 *lib. Metaphyſ. cap. 6.* ob eam cauſam inquit partes diffinitionis conſtituere vnum per ſe, quia vna habeat locum actus, & altera poteſtatis, in quibus verbis haud obſcure in-

3. concluſ.

dicat

dicat Ariſt. ſpeciem quæ eſt res, quæ diffinitur ex actu & poteſtate componi. Tum etiam, quia ſpecies quælibet illa fuerit eſt ex genere & differentia conſtituta, at in rebus omnibus genus correſpondet materiæ, differentia vero formæ, quare ſpecies omnes ex actu, & poteſtate erunt conſtitutæ.

4. concl. 4 concluſ. Actus, & poteſtas, ex quibus ſpecies componuntur, non ſunt Phyſici & naturales, ſed Metaphyſici. Confirmat. Quia hæc duo neque ſunt materia, neque forma, quæ tantum ſunt actus, & potẽtia naturalis. Tum etiam, quia compoſitio ſpeciei ex actu, & poteſtate, non eſt compoſitio rerum, ſed graduum, & conceptuum obiectorum. Es eo ſiquidem, quia videt intellectus in aliqua forma duos gradus, vnum communem, & potẽtialem, & alterum proprium, & actualem, ex ijs duobus vnam ſpeciei naturam componit. Vt quia in anima rationis participe videt gradum ſentientis, qui eſt communis & potentialis, & intelligentis, qui eſt proprius & actualis, hominem qui eſt natura ſpecifica cõponit, non igitur erunt actus & poteſtas, ex quibus cõponitur ſpecies, naturales, ſed Metaphyſici Verum de hac concluſ. vberius multo in *cap. de differentia.*

1. Argum. Ad argumenta igitur, quæ initio propoſuimus. Ad 1. dicimus: Admittendum eſſe de differentia, illam, eſſe ens in actu, de genere autem hoc negamus, quod quamuis ſit natura compoſita, ex ſuperioribus attributis, & proprijs differentijs conſtituta, eſt tamen in potentia vt limitetur, & contrahatur à differentijs diuidentibus ſuarum ſpecierum. Ac proinde negandum erit ſpeciem componi ex duobus entibus in actu, nam genus non eſt ens in actu.

Ad 2. Ad 2. reſp. propoſitionem eſſe veram de vero, & legitimo accidẽte, quod alicui ſubiecto inhæret, vt de homine, & Muſica nam ex his certum eſt non poſſe fieri vnum per ſe; falſam autem ſi nomine accidentis intelligamus illud, quod non eſt de conceptu, & natura alterius, nam ex his duobus optime poterit fieri vnum per ſe, qua ratione differentia accidit generi, quia non eſt de conceptu eſſentiali illius. Ac proinde ex illa, & genere optime fiet per ſe vna ſpecies.

Ad 3. Ad 3 reſp. quod quando nos profitemur ex genere, & differentia fieri vnam ſpeciem per ſe nomine generis, & differentiæ, non intelligere notiones ſecundas, ſed naturas, quæ ab his notionibus genera & ſpecies denominantur ex quibus duabus natura tanquam ex per ſe actu, & per ſe poteſtate, vna natura ſpecifica coaleſcit.

QVÆSTIO VII.

An ſpecies atomæ ſint infinitæ, necne?

Tandem inter eas quæſtiones quas de ſpecie hoc loco agitare inſtituimus erit illa breui ſermone proponenda, ſintne ſpecies atomæ finitæ, & indiuidua infinita necne. nam accuratæ huius rei explicatio ad libros Phyſicorum ſpectat, nimirum ad *lib. 3. Phyſ.*

Ad illam igitur vt accedamus, non eſſe rerum ſpecies finitas, per facili argumento cõfirmatur, ex numeris & figuris, quantum ſpecies non ſunt certo aliquo numero comprehenſæ, neque vllis limitibus circumſcriptæ: nam quolibet numero dato, ſi illi addatur vnitas iam oritur noua ſpecies, & ſi cuilibet figuræ addatur linea, poteſt fieri alia ſpeciei figuræ. Quod cum abſque vllo fine fieri poſſit, rerum ſpecies erunt infinitæ. *Argum*

At contra aſſerit Porph. *in hoc cap.* qui certum numerum ſpecierum infimarum, & finitum eſſe putat, indiu duorum autem non eſſe certum, ſed infinitum, ita enim habet: *Formarum autem infimarum certus eſt numerus nõ infinitus indiuiduorum, quæ formas vltimas ſequuntur infinitior,* eandemque ſentẽtiam profitentur omnes interpretes illius. *Sent. Porp*

In hac dubitatione explicanda, de re ipſa nulla eſt dubitatio, certum enim eſt non eſſe ſpecies infinitas ſecundum numerum, neque indiuidua finita ſecundum actum. Probat enim Ar. ſt. *3. lib. Phyſic.* & *1. lib. de cœlo* efficacib. demonſtrationibus, non poſſe dari infinitum actu, neque ſecundum multitudinem, neque ſecundum magnitudinem, quæ non ſunt hoc loco repetendæ, ne dialecticos limites tranſgrediamur. In commentarijs enim noſtris in hæc loca (quæ Deo propitio ſtatim in lucem prodibunt) de hac re luculenter ſatis diſſeremus. Tota igitur controuerſia eſt de mente Porphyr. quid nimirum ſibi voluerit, quando inquit ſpecies infimas, eſſe finitas, & indiuidua eſſe infinita. *Explicati*

Quidam putant Porphy. ex eo vocaſſe ſpecies finitas, quia facile poſſunt recenſeri à nobis, indiuidua vero infinita, quia nequeunt à nobis numerari, eſt enim illorum numerus multo maior quam ſpecierum. Cæterum hi, auctores à mente Porphyr. recedunt maxime etenim Porph. de rebus ipſis (ſpeciebus ſc. & indiuiduis) loquitur, non autem de noſtra cognitione, vel actione numerandi. *1. Interpre* *Confutat*

Vnde alij è quorum numero eſt Canterus, *2. Interpre*

exiſtimant

exiſtimāt ſpecies vocari finitas, quia poſſunt definitione aliqua comprehendi, indiuidua vero infinita, quia nullo modo poſſunt defiiri, nam ſingulariū, & indiuiduorum nulla eſt definitio. nfutatur. Vera quidē ſentētia,arbitror tamen nihil minus Porph.docere voluiſſe, agit n.ille de decem ſupremis generib.rerū, & categoriis,in quib.cū ſpecies, & indiuidua colloceutur,inquit,numerū categoriarum certū eſſe, & denario numero comprehenſum, ſpecierum infimarū certum quoq; eſſe,nō poſſe tamen à nobis aſſignari,numerū vero indiuiduorum incertum eſſe & infinitum. Ex quo aperte cōſtat Porph.non de definitione, ſed de numero ſpecierum indiuiduorū egiſſe, quando inquit numerum ſpecierum eſſe finitum, indiuiduorum autem eſſe infinitum.

'nterpret. Louanienſes diſtinguunt de ſpecieb. aut in categoria ſubſtantiæ, aut in categoriis accidentium:ſi de ſpecieb.in categoria ſubſtantię ſit ſermo,dicunt illarum numerum eſſe finitū & de his ſpecieb. locutum fuiſſe Porph. Si vero loquamur de ſpecieb categoriarum accidentium,eſſe numerum infinitum, nam infinitæ ſunt figuræ,relationes,&c. tam ſecundū ſe, quam quoad nos,qui tot ſpecies numerare nullo modo poſſumus Probabilis ſane opinio,& quam multi ſequuntur,ſi tamen intelligatur de ſpeciebus categoriarum accidentium,& de infinito poteſtate,vel ſyncategorematice, nam ita verum eſt has ſpecies eſſe infinitas,nam qualibet data, vt in numeris addita vnitate, vel in figuris linea poſſunt eſſe infinitæ ſpecies abſque vllo limite oriri, actu tamen neque in categoria ſubſtantiæ, neque in categoriis accidentium, poterunt infinitæ ſpecies aut indiuidua reperiri.

tra interp. Exiſtimo autem mentem Porphyr. hanc eſſe,vt per ſpecies infimas finitas,intellexerit certas, ac determinatas, ſemperque eodem modo conſiſtentes ſpecies,quæ neque augeri, neque minui vllo modo queant, per indiuidua autem infinita, intellexerunt indiuidua caduca, fragilia, nunquam eodem, ſed ſemper alio,& alio modo ſeſe habentia, quæ augeri & minui poſſunt. Hoc enim intereſt inter ſpecies & indiuidua, quia ſpecies conſiſtentes ſunt,ſemperque eodem modo ſeſe habent,at vero indiuidua ſunt in perpetua quadam mutatione conſtituta, ac proinde ſemper fluunt, ob quam cauſſam merito ſpecies vocari poſſunt finitæ,id eſt, ita conſiſtentes, vt neque augeri,neque minui poſſint,ſed ſint ſemper in eodem numero: at vero indiuidua dici poſſunt infinita, quia ob eorum fluxum interdum augeri, & interdum minui videantur, neque ſemper in eodem numero conſiſtant. Quamuis iuxta Porphyrium,& Ariſtot. vocari poſſint infinita non numero ſed duratione,quia fuerūt ab æterno. Verum hæc ſententia fidei repugnat.

A 1 arg. igitur,quod in contrarium propoſuimus reſp.tam in numeris, quam in figuris dari actu finitas ſpecies, quod ſi illæ augeri poſſunt in infinitum, hoc certe tantum concludit dari inter has ſpecies infinitum poteſtate, vel ſincategorematice, quod non negamus,ſed tantum negamus infinitum ſecundum actum in huiuſmodi naturis. Ad arg.

In ereſt tamen inter ſpecies categoriæ ſubſtantiæ,& quantitatis,vel aliorum accidentium latum diſcrimen, quia ſpecies categoriæ ſubſtantię per facultatē naturæ,non poſſunt augeri,neq; poſſunt dari plures, quam nunc repetiuntur ſpecies, quia cum illæ ad decorem vniuerſi pertineant,ſi non eſſent actu omnes productæ,non eſſet vniuerſum perfectum, & omnib.ſuis numeris abſolutū: at in aliis categorijs, optime poſſunt per facultatē naturalē augeri,quia cū illæ non ſpectent ad decorē vniuerſi,quod earum numerus augeatur nullū profecto incommodum ſequitur, atq; ita in noſtra facultate eſt conſtitutū, numerorum,aut figurarum numerum augere,vel minuere.

SECTIO II.

DE SPECIE, IN QVA DE INDIuiduo diſputatur.

ARGVMENTVM.

ABSOLVTA prima parte diſputationis de ſpecie,de altera nimirum de indiuiduo erit tractatio ſuſcipienda. Agemus autem an ſit optime à Porphyrio diffinitum an de ſe ipſo poſſit enunciari & tandem an detur indiuiduum vagum.

QVÆ.

Digitized by Google

QVÆST. I.

An recte fuerit indiuiduum à Porphyrio diffinitum.

1. *Argum.* NON recte fuiſſe à Porph. illud diffinitum confirm primo ſingularia nullo modo poſſunt diffiniri, vt docet Ariſt. 7 *lib. Metaph. c.* 5. ſed indiuiduum eſt ſingulare, ergo indiuiduum non poterit definiri.

2. *Argum.* 2. Solius ſpeciei eſt definitio, vt docebat Ariſt. 7. *lib. Metaph. cap.* 4. ſub his verbis: *Non erit igitur id quo cuique aliquid eſt* (id eſt eſſentia quæ per eſſentialem definitionē exprimitur) *in quodam eorum, quæ ſpecies generis non ſunt, ſed in iis ſolis:* ſed indiuiduum non eſt ſpecies, ergo indiuiduum nullo modo poteſt definiri. Et confirmatur in hunc modum diuidua non cadunt ſub ſcientiam, ergo neque ſub diffinitionem, quia tantum illa poſſunt definiri, quę poſſunt ſciri. Antecedens confirmatur ex Platone, qui vt teſtatur Porphyrius in hoc cap. indiuidua à ſcientijs excludenda eſſe volebat.

3. *Argum.* 3. Illa eſt vitioſa definitio, quæ repugnat definito, ſed hęc repugnat definito, ergo erit vitioſa. Propoſitio eſt perſpicua. Confir. aſſumptio. Definitum eſt indiuiduum, ſed indiuiduum dicitur de multis, & non de vno ſolum, nam dicitur de Petro, Ioanne & Iacobo, qui ſunt indiuidua, ergo definitio indiuidui repugnat rei definitæ. Confirmaturque argumentum. Id quod eſt definitum in hac definitione eſt notio ſecunda indiuidui, ſed notio ſecunda indiuidui dicitur de multis ſcil. de Pet. & Ioan. ergo repugnabit hæc definitio rei definitæ.

4. *Argum.* 4. Indiuiduum, ſuppoſitum, & perſona habent ſe eo modo, quo ſuperius & inferius, nam indiuiduum eſt ſuperius, ſed perſona, & ſuppoſitum de multis dicuntur, ergo & indiuiduum quoque de multis dici poterit, & nō tantum de vno. Confirm argumentum. In inferiori nulla ratio poteſt reperiri, quæ repugnet ſuperiori, ſed perſona eſt inferior ad indiuiduum, quæ dicitur de multis, ergo indiuiduo, quod eſt ſuperius non repugnabit dici de multis.

5. *Argum.* Præterea; Eo modo debuit infinitum definiri, quo fuit ſpecies definita, ſed ſpecies definita fuit in duabus primis definitionibus, quę ſubeſt generi; ergo debuit quoque indiuiduū definiri, quod ſubeſt ſpeciei, & non vt eſt à Porphyr. diffinitum. Confirmaturque argumentum. Relatum debet per ſuum correlatū diffiniri, ſed indiuidui correlatum eſt ſpecies, ergo debuit per ſpeciem diffiniri, quare vel propoſitæ definitiones non ſunt accuratę, vel diminutus fuit Porph. non diffiniens indiuiduum per habitudinem ad ſpeciem. Alia argumenta, quæ aduerſus diffinitiones indiuidui fieri ſolent, in ſeqq. quæſtionibus proponentur.

Eſſe tamen recte indiuiduum definitum, & auctoritate Porphyr. & ex conſenſu omnium dialecticorum poſſumus confirmare. Ad explicandam igitur quæſtionem erunt nonnulla prius de diffinitionibus & diuiſionibus indiuidui præfanda Primum; Indiuiduum, vt eleganter animaduertit D. Damaſcenus *in ſua dialectica cap.* 3. eſſe vocem homonymam, & habere quatuor ſignificationes. Significat enim primo, quod neque diuidi, neque partiri vllo modo poteſt, vt punctum vnitas, & inſtans. Secundo, quod vix. & cum maxima difficultate diuidi poteſt, vt eſt adamas, & quædam alia corpora duriſſima. Tertio ſumitur pro ſpeciebus, quæ in alias diuidi nequeunt, & ita ſpecies, atomas, & infimas vocare ſolemus indiuiduas. Deniq; ſignificat illud, quod ſi diuiſum fuerit nō manet, vt antea erat. qua ratione Petrus dicitur indiuiduum, quia ſi in corpus, & animam fuerit diuiſum non remanet vt antea erat. Addimus aliam, quæ eſt cuius attributio in reliqua ſimilia non cadit & hæc vltima eſt propria ſignificatio indiuidui, de quo apud Philoſophos & dialecticos eſt ſermo. Hoc igitur indiuiduum diffinitur à D. Damaſceno in hunc modum: *Indiuiduum eſt illud cuius ſi diuidatur priores ſpecies non manent poſt diuiſionem*, quam fere eiſdem verbis tradidit Pet. Greg 2 *lib. Syntaxis artis mirab. lis cap.* 15. ita dicens: *Indiuiduum id dicitur, quod per diuiſionem tale, quod eſt eſſe deſinit*. A Porph vero duabus diffinitionibus eſt diffinitum. Prima tradita eſt per notionem ſecundam, quæ eſt de vno tantum dici, etenim dici, vel prædicari notio eſt ſecunda. Altera vero propoſita fuit per entia rei, nimirum per collectionem proprietatum, quæ ita reperiuntur in vno, vt in alio reperiri nullo modo poſſint Quas definitiones eſſe accuratas, in concluſionibus explicabimus. 1. *obſeruatio*

Sciendum eſt etiam ex exemplis propoſitis Porph. in textu, Interpretes tria facere genera indiuiduorum, ſc. certum, ex demonſtr. & ex hypotheſi, quæ tria genera illis verbis aperte indicantur à Porph. Indiuiduū autē Socrates dicitur, & hoc quod albū eſt, & hic qui accedit Sophronici filius, ſi modo Socrat. ſolū filium habeat. Indiuiduum certum eſt illud, quod rem certam & definitam abſolute ſigni- 2. *obſeruatio.*

Digitized by Google

exiſtant, multas proprietates colligunt per inhærentiam, quæ non poſſunt in alio indiuiduo reperiri, at vero indiuidua accidentium cum alteri inhæreant, non colligunt in ſe multa, quæ ita in vno reperiantur, vt in alio nequeant reperiri. Iam ad argumenta, quæ propoſuimus. Ad primum reſpon. ſingula in
1. Argum. materialiter ſumpta, non poſſe definiri, extetum eadem ſumpta formaliter, aut pro notione ſecunda, optima poſſe definiri. nam notio multis eſt communis. Et hac ratione definitum fuit indiuiduum, pro notione nimirũ.

2. Argum. Ad 2. reſp. Indiuiduum ſumptum pro notione, vt hic diffinitur, etiam eſſe ſpeciem entis rationis logici, & hac ratione fuit definitum: nam vt ſumitur pro indiuiduo materiali, neque eſt ſpecies, neque ita diffinitur. Ad confirmationem eodem modo reſpon. indiuidua materialiter (vt ſunt Ioannes & Antonius) non cadere ſub ſcientiam, indiuiduum tamen formaliter, vel notionem indiuidui, ſub ſcientiam cadere, nimirum ſub dialecticam, quæ diſputat de illo.

3. Argum. Ad 3. reſp. Negandam eſſe aſſumptionem. Ad confirmationem vero dicimus hanc definitionem in actu ſignato conuenire notioni indiuidui, & ita definitum illius in actu ſignato diceretur de multis: at diffinitum in actu exercito non dicitur de multis, ſed de vno tãtum, vt Petrus tantum de ſe dicitur, qui eſt diffinitum huius diffinitionis in actu exercito & huic diffinito non repugnat definitio. Vel clarius reſp. ex his quæ diximus diffinitũ huius diffinitionis eſſe duplex, vnum quod ſignificatur per definitionem, & alterum pro quo ipſa definitio vſurpatur. Primo modo definitum eſt notio ſecunda, ſecundo vero natura ſubiecta notioni. Vnde cum definitio non ſit intelligenda, aut ſumenda, pro diffinito, quod ſignificatur per diffinitionem, ſed pro definito pro quo illa vſurpatur, quod tãtum dicitur de vno, nullo modo repugnabat illa rei diffinitæ.

4. Argum. Ad 4. eodem modo reſp. ſuppoſitum, & perſonam materialiter, vt ſunt Petrus, & ille lapis, non dici de multis, ſed de vno tantum, notionem vero perſonæ, & ſuppoſiti, multis eſſe communem. Neque ex hoc continebunt inferiora aliquid repugnans ſuperiori, imo cõtinebũt id quod eſt affine naturæ ſuperioris. Nam quemadmodũ indiuiduũ, quod eſt ſuperius, materialiter tantũ dicitur de vno, formaliter vero multis eſt commune: ita etiam perſona materialiter tantum dicitur de vno, illius vero notio multis erit communis.

Ad 5. reſpon. Ex inſtituto Porph colligendũ eſſe ſint ne accuratæ definitiones ab eo propoſitæ necne? nam tradi debent iuxta inſtitutum ipſius operis & auctoris. Quare cum inſtituat in hoc opere agere de vocibus prædicabilibus, & vniuerſis, debuit definire indiuiduum (quod ſubiſtis vocibus cõprehenditur) per prædicari, & non per ſubijci ſpeciei, vel ſuper omnibus: Et quamuis ſpecies fuerit definita per prædicari de multis numero differentibus, eademque ratione Porphy. potuerit indiuiduum definire per ſpeciem, noluit tamen hoc efficere, ſed per prædicari de vno tãtum: propter inſtitutum, quod erat agere de ratione prædicandi in hoc opere. *5. Argum*

QVÆST. II.

An indiuiduum vere & proprie de vno tantum prædicetur.

QVamuis de hac re nonnulla in ſuperiori quæſt. fuerint explicata libuit hæc eadẽ altius repetere, & diffuſius pertractare. Vnde quærimus, an indiuiduũ tam categoriæ ſubſtantiæ, quam accidentium vere & propriè de vno tantum dicatur.

Et quidem illud de nullo dici, & non de aliquo confirmatur primo. Quia indiuiduum in categoria ſubſtantiæ, non differt à prima ſubſtantia: ſed prima ſubſtantia non dicitur de aliquo, vt docet Ariſt. *in categoriis cap. de ſubſtantia*, nam diffinitur, quæ neque eſt in ſubiecto, neque dicitur de ſubiecto, & 7. *Metaph. cap* 3. inquit à prima ſubſtantia nullam eſſe prædicationem, ergo indiuiduum non prædicabitur de aliquo. *1. argum.*

2. Indiuiduum & ſingulare rem vnam & eandem ſignificant: ſed ſingulare de nullo dicitur, vt auctor eſt Ariſtot. 1. *libr. de interpretatione cap.* 5. ergo neque indiuiduum de aliquo dicetur. *2. Arg.*

Præterea: Si indiuiduum diceretur tantum de vno, illud vnum præſertim in categoria ſubſtantiæ eſſet ipſum indiuiduum, vnde indiuiduum de ſeipſo prædicaretur, hoc autem dici nullo modo poteſt. Primo, quia ſi idem de ſeipſo prædicaretur, cum attributum habeat locum formæ, & ſubiectum materiæ, idem reſpectu ſui ipſius haberet locum materiæ, & locum formæ. Secundo: Quia cum in omni attributione attributum ſit intra ſubiectũ de quo dicitur, idem eſſet intra ſeipſum, quod cum ſit falſum non poterit de ſeipſo prædicari. *3. Arg.*

In hac quæſtione eſt prima opinio, quam

 ſequi-

ſequitur Auerroes *in commentar. huius loci*, & quæ non diſplicet M. Soto *in quæſt. vnica huius capitis ad vltimum argument.* duplex eſſe indiuiduum, vnum categoriæ ſubſtantiæ, & alterum categoriæ accidentis, Petrus v.g. & Ioannes ſunt indiuidua categoriæ ſubſtantiæ, hoc album vero, & illud dulce ſunt indiuidua categoriarum accidentium. Dicunt itaq. hanc diffinitionem: *Indiuiduum eſt, quod tantum dicitur de vno*, eſſe intelligendam de indiuiduo categoriæ Accidentis, & non de alijs categoriæ ſubſtantiæ. Vnde indiuiduum ſubſtantiæ de nullo prædicabitur, neque de ſe, quia idem non poteſt eſſe ſubiectum ſimul & attributũ, neque de alio, quia à prima ſubſtantia (quæ eſt indiuiduum illius categoriæ) nulla poteſt fieri prædicatio: indiuiduum vero accidentis prædicabitur de vno, non quidem de ſe, ſed de aliqua prima ſubſtantia, vt hoc album prędicatur de Dominico, nam dicimus Dominicum eſſe hoc album. Et idem Auerroes adeo reijcit prædicationem indiuidui de ſe ipſo, vt ingenue profiteatur *1. libr. de priori analyſi* eſſe in fine abominationis, aliquid de ſeipſo prædicari. Tum etiam *10. Metaph. comment.* 8. & *4. Metaph. comment.* 3. inquit (veluti per iocum) eſſe meras nugas, idem de ſeipſo prædicari, & in illa attributione, in qua idem dicitur de ſe, neque ſubiectum, neq; attributum reperiri.

Opin. Secunda opinio eſt Caietani in commentarijs huius loci, qui diſtinguit attributionem in naturalem & artificialem. Naturalis vocatur illa in qua inter ſubiectum & attributionem eſt ſumma & naturalis vnio: artificioſam vero appellat illam, quæ poteſt deſeruire alicui ſcientiæ, vel artic. Inquit igitur attributione naturali indiuiduum de ſeipſo poſſe prædicari, nam idem reſpectu ſui ſummam maximeque naturalem retinet vnitatem. Attributione vero artificioſa, non poſſe idem de ſe prædicari, nam hæ attributiones, nulli arti, vel ſcientiæ poſſunt deſeruire; ſemper ſiquidem in attributionibus, quæ artibus deſeruiunt, intereſt aliquod diſcrimẽ inter ſubiectum, & attributum, atq; ita definitio Porphyr. in qua inquit indiuiduum dici de vno, intelligi debet de attributione naturali, & non de artificiali.

3. Opinio. 3. Opinio eſt quam ſequitur D. Thom in *commentarius in cap. 3. libr. 7. Metaphyſ.* qui diſtinguit de attributione per ſe & accidentaria, tum annotat indiuiduum vel poſſe dici de ſe, vel de aliquo alio. Ait ergo illam attribut. in qua indiuiduum de ſe dicitur, vt quãdo dicimus Petrum eſſe Petrum, eſſe veram, & per ſe, veram, quia nihil verius, quam idem de ſe dici, per ſe vero quia ſubiectum non poteſt ſine attributo cohærere, illam autem in qua indiuiduum de aliquo alio prædicatur, eſſe quidem veram, accidentariam tamen, vt ſi Socrates fuerit candidus, hæc eſt vera, candidum eſt Socr. accidentaria tamen, quia candidum quod eſt ſubiectum, poteſt ſine Socrate exiſtere in rerum natura.

1 Obſeru. His opinionibus recenſitis, vt quęſtionem explicemus, ſciendum eſt primo, duplex eſſe indiuiduum, vnum categoriæ ſubſtantiæ, vt Thomas, & Petr. & aliud categoriæ accidentis, vt hoc album, & illud muſicum.

2. Obſeru. Illud etiam adnotandum erit attributionẽ eſſe duplicem, vnam per ſe, & aliam per accidens. Per ſe illa dicitur, in qua ſubiectum eſſe nullo modo poteſt ſine attributo, vt eſt hæc, homo eſt animal, nam homo non poteſt ſine animali exiſtere; accidentaria vero vocatur, cuius ſubiectũ poteſt ſine attributo eſſe, qualis eſt hæc, homo eſt cãdidus, nam homo qui eſt ſubiectum, poteſt eſſe ſine candore.

3. Obſeru. Animaduertendum etiam erit ex attributionibus quaſdam eſſe veras, & alias proprias. Illa eſt vera attributio, in qua attributum vere dicitur de ſubiecto; illa autem eſt propria, in qua præter veritatem, id quod eſt attributum, habet locum attributi, & quod eſt ſubiectum locum ſubiecti.

1. concluſ. Sit igitur prima concluſio. Illæ attributiones in quibus vtrumque indiuiduum tam categoriæ ſubſtantiæ, quam accidentis dicitur de ſe, ſunt veræ, & per ſe non tamen ſunt propriæ. Primam partem concluſ. ſcilicet eſſe veras confirmamus his argumentis. Primum petitum eſt ex Porphyrio *in hoc cap. & in cap. ſuperiori de genere*, vbi profitetur indiuiduum eſſe illud, quod de vno tantum dicitur, quod intelligendum eſt de vera, & per ſe attributione, in qua indiuiduum effertur de ſeipſo. Secundum: Hæc attributio, Petrus eſt Petrus, eſt eadem cum illa, bonum eſt bonũ, nam in vtraque effertur idem de ſeipſo; ſed hæc attributio, bonum eſt bonum, eſt vera, & per ſe quemadmodum profitetur Ariſt. *2. libr. Perphyer. cap. vlt.* ergo & hæc altera, Thomas eſt Thomas, erit attributio vera, & per ſe. Tertiũ, In hac attributione, Thomas eſt Thomas, attributum vere enunciatur de ſubiecto, nam nihil verius quam idem prædicari de ſeipſo, vt egregie adnotat Boetius in *commentariis in cap. de ſpecie, editio. ſecunda*, prætere a ſubiectum nulla ratione cohærere poteſt ſine attributo, ergo erit attributio vera, & per ſe. Alteram

tam vero partem eiuſdem cõcluſionis, in qua conſtituimus has attributiones non eſſe proprias, ita ſuademus. In omni propria attributione ſubiectum obtinet locum materiæ, & attributum formæ: ſed idem non poteſt eſſe materia, vel forma ſui ipſius: ergo attributiones illæ, in quibus effertur idem de ſe ipſo, quamuis ſint veræ, non tamen erunt propriæ.

2. concluſ. 2 concluſ. Illæ attributiones, in quibus tam indiuiduum categor. ſubſtantiæ, quam accidentis prædicantur de alijs ſubiectis à ſe diſtinctis, ſunt attributiones per accidens, & impropriæ. Confirm. inprimis de attributionibus indiuidui categoriæ ſubſtantiæ, auctoritate Ariſt. 1. *lib. de priori analy ſi, cap* 28. vbi docet, hanc attributionem, album eſt Socrates, veniens eſt Callias, eſſe attributiones per accidens, in quibus effertur indiuiduum categoriæ ſubſtantiæ de ſubiectis à ſe diſtinctis. Præterea: Illam attributionem, in qua indiuiduum categoriæ accidentis prædicatur de aliquo ſubiecto, eſſe accidentariam, confirmamus authoritate Ariſt. in antecategoriis, aſſerentis eſſe quædam, quæ ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, vt accidentia ſingularia, quod intelligendum eſt de attributione per ſe, & propria, nam de attributione vera accidentia ſingularia non prædicari de ſubiecto, eſt omnino falſum. Nam hæc attributio, Socrates eſt hoc album, eſt attributio vera. Tandem confirmatur hoc arg. concluſio de vtriſque indiuiduis. Illa attributio, in qua ſubiectum poteſt eſſe ſine attributo, eſt accidentaria, ſed in attributione, in qua indiuiduum prædicatur de ſubiecto à ſe diſtincto, ſubiectum poteſt eſſe ſine attributo, vt in his attributionibus, album eſt Socrates, & Petrus eſt hoc iuſtum, poteſt eſſe ſubiectum ſine attributo, nam albũ poteſt eſſe in Socrate, nam nix eſt alba, & non eſt Socrates, & Petrus poteſt etiam ſine hoc iuſto, nam poterit ille fieri iniuſtus, ergo attributiones illæ, in quibus indiuiduum prædicatur de altero ſubiecto, erunt accidentariæ.

Ad 1. arg. Ad argumenta, quæ in initio propoſuimus. Ad primum reſpond. quod ſi agamus de prædicatione propria, verum eſt primam ſubſtantiam de nullo dici. Si vero agamus de prædicatione vera, ſubſtantia prima de ſe ipſa prædicabitur. Intelligi ergo debet Ariſtot. de prædicatione propria, non tamen de vera, quando inquit ſubſtantiam primam de nullo prædicari, & à prima ſubſtantia nullam poſſe fieri prædicationem.

Ad 2. Ad 2 reſpond. Ariſtotel. in eo loco non dixiſſe ſingularia de nullo dici, ſed non dici de multis eo modo, quo dicuntur vniuerſa. Vel eodem modo reſpond. quo reſpondimus ſuperiori argumento, ſingularia de nullo dici attributione propria, bene tamen de ſe ipſis prædicari, prædicatione vera.

Ad 3. reſp. falſum eſſe, in attributione vera (niſi fuerit propria) attributum habere locum formæ, & ſubiectum materiæ, hoc enim proprium eſt prædicationi propriæ, non autem veræ tantum. Neque ex hoc ſequitur aliquid eſſe intra ſe, ex eo quod prædicatur de ſe ipſo, quia eſſe attributum intra ſubiectum tantum poteſt conuenire prædicationi propriæ, non tamen prædicationi, quæ tantum eſt vera. *Ad 3.*

QVÆSTIO III.

An detur indiuiduum vagum

VLtimo agendum erit de indiuiduo vago, num ſcilicet ſit hoc indiuiduum conſtituendum, nec ne? Et quidem fictitium eſſe huiuſmodi indiuiduum, his argumentis confirmari poteſt: Primum; Indiuiduum diffinitur a Porph. quod de vno tantum dicitur, ſed indiuiduum vagum dicitur de multis, ergo indiuiduum vagum non erit indiuiduum. *1. Arg.*

2 Prima ſubſtantia diffinitur ab Ariſtotele, quæ neque eſt in ſubiecto, neque dicitur de ſubiecto, & ſtatim ſubiungit Ariſtot. vt quidam homo, ſed quidam homo eſt indiuiduum vagum, ergo indiuiduum vagum non dicetur de aliquo. *2. Arg.*

3. In enunciationibus ſubaduerſis debet eſſe idem ſubiectum, & idem attributum, atqui ſi daretur indiuiduum vagum, non eſſet idem ſubiectum, ergo non datur indiuiduũ vagum. Confirmatur aſſumptio: Sumamus has duas enunciationes ſubaduerſas, quidam homo eſt albus, quidam homo non eſt albus, aut in illis continetur idem ſubiectum, aut diuerſum. Si idem vt Petrus, vel Antonius, ergo erunt contradicentes, nam hæ duæ, Petrus eſt albus, Petrus non eſt albus, ſunt contradicentes. Si diuerſum, ita vt ſubiectum aientis ſit Petrus affectus candore, negantis vero Ioannes affectus atrore, ergo non erunt ſubaduerſæ, quia non conſtant eodem ſubiecto, ergo ſi datur indiuiduum vagum, tollendæ erunt omnino enunciationes ſubaduerſæ. *3. Arg.*

4 Porph. in hoc opere diſputat de omnibus attributis vniuerſis, & prædicabilibus, atqui non agit de indiuiduo vago, ergo indiuiduum vagum non dicetur de multis, vt poſtea aſſeremus in ſecunda concluſione. *4. Arg.*

5. Quidquid prædicatur de multis, eſt vni- *5. Arg.*

uerſum, nam prædicari eſt proprietas illius, ſed indiuiduum vagum non eſt vniuerſum, quia neque eſt genus, neque aliqua ex quinque vocibus vniuerſis, ergo indiuiduum vagum non prædicabitur de multis.

6. Arg. 6. Omne quod prædicatur aut prædicatur in quid, aut in quale, ſed indiuiduum vagum non prædicatur in quid, quia non eſt genus neque ſpecies, neque in quale, quia non eſt differentia, neque proprium, aut commune accidens, ergo indiuiduum vagum non dicetur de multis.

1. Opin. Propter hæc argumenta quidam viri graues exiſtimant indiuiduum vagum eſſe rem fictitiam, & præter nomen nihil aliud eſſe rebus ſignificatis commune, vt quidam homo, præter nomen, nihil habet commune Socrati, & Platoni.

2. Opin. Sunt tamen grauiores Philoſophi, qui veriſſime docent dari indiuiduum vagum, vt eſt quidam homo, nam hæc dictio quidam ratione, qua ſignificat naturam cum ſingulari modo, non coarctatam ad Petrum, & Antonium, dicitur indiuiduum vagum, quaſi vagetur per omnia indiuidua, ſeſeque diffundit per certas & determinatas naturas. In qua ſententia extitit D. Thom *q. 9. de potentia. art. 2. ad 1. arg.* & *1. p. q. 30. art. 4.* D. Albert Mag. *tract. 4. in Porphyr. c. 4.* Caiet. & Louanienſes *in comment. huius loci.* Titelmanus *in ſua Dialect. c. 4.* Tolet. *q. vlt. de ſubiect. lib. 5. voc. ad 4.* M. Iuſtinian. *2. lib. Inſtitut. c. 9.* & Petrus Gregor. *2. lib. Syntaxis c. 15. & tomo 1. commentariorum in Syntaxim, lib. 2. c. 15.* cum multis aliis.

1. Obſeru. Quam eandem opinionem vt explicemus, animaduertendum eſt prius ex D. Thom *q. 9. de potent. art. 2. ad 1. argum.* in quolibet indiuiduo certo tria reperiri, ſcilicet naturam vniuerſam, modum exiſtendi naturæ, qui eſt exiſtere modo ſingulari (nam natura in ſingulatibus exiſtit ſingularis) & principia indiuiduationis, quibus indiuiduum conſtituitur in eſſe indiuidui, vt hæc materia, & hæc forma v. gr. in Petro reperitur natura, reperitur deinde modus exiſtendi illius, nam eſt in Petro ſingularis effecta: reperitur etiam hæc materia, & hæc forma, per quæ Petrus conſtituitur in eſſe indiuidui. Ex quibus tribus duo priora communia ſunt omnibus indiuiduis, nam omnia & habent naturam vniuerſam, & natura exiſtit in illis ſingularis. Tertium vero propriũ eſt cuilibet indiuiduo, etenim quodlibet indiuiduum obtinet ſuam propriam materiam, & propriam formam, per quę vtraque indiuiduatur.

2. Obſer. Animaduertendum eſt deinde, indiuiduum vagum eſſe medium inter naturam vniuerſam, & indiuiduum certum, & ita quemadmodum omnia media phyſica participant naturam vtriuſque extremi; ita etiam indiuiduum vagum participabit naturam vniuerſi, & indiuidui determinati. Vnde cum natura vniuerſa habebit commune dici de multis, nam quemadmodum homo dicitur de Petro, & Antonio, ita etiam quidam homo dicitur de Petro, & Antonio. Cum indiuiduo vero certo erit illi commune, habere naturam vniuerſam inuolutam cum proprietatibus ſingularibus, non tamen certis, & determinatis. Et ita diſtinguetur à natura vniuerſa ex eo, quod natura in ſua ratione non includit proprietates ſingulares, indiuiduum vero vagum includit illas: ab indiuiduo vero certo diſtinguetur, quia indiuiduum certum tantum prædicatur de ſe ipſo, at vero indiuiduum vagum, eodem nomine, & eadem ratione prædicatur de multis. Eſt itaque indiuiduum vagum natura vniuerſa affecta modo exiſtendi ſingulari, quæ media eſt inter naturam vniuerſam abſolute ſumptam, & indiuiduum determinatum, exprimiturque per has voces, quidam homo, vel quidam leo, ſeu quoddam animal.

1. concluſ. His animaduerſis ſit 1. concluſ. Præter indiuiduum certum, ex hypotheſi, & ex demonſtratione, conſtituendum eſt indiuiduum vagum, medium inter naturam vniuerſam, & indiuiduum determinatum. Confirmatur his argumentis.

1. Arg. Primum petitum eſt ex communi modo & vſu loquendi, dicimus enim, ſume tibi quendam amicum, cum quo tua conſilia ineas, & aliquem ex cœlitibus tanquã patronum voca, cuius ope auxiliũ diuinũ promerearis, in quibus loquendi modis loquimur de aliquo indiuiduo, vel amico vel ſancto, non tamen de aliquo certo & determinato, nam deinde conſiliamur de hoc quodam amico, quiſnam ſit ille ſumendus, num ſcil. Petrus, vel Antonius, qui ſunt indiuidua determinata, ergo præter indiuiduum certum aſſignandum eſt aliquod indiuiduum vagum.

2. Arg. 2. argument. Lex eſt enuntiationum ſubaduerſarum, vt ambæ poſſint eſſe veræ in materia contingenti, vt hæ duæ ſunt veræ, quidam homo eſt albus, quidam homo non eſt albus: ſed ſi non daretur indiuiduum vagum, non eſſent duæ ſubaduerſæ ſimul veræ, ergo conſtituendum eſt indiuiduum vagum. Confirmatur aſſumptio: Enuntiationes ſubaduer-

Digitized by Google

ſæ conſtant ſubiecto ſingulari: ergo cum non ſit ſingulare ex hypotheſi, neque ex demonſtratione, vt eſt apertum, vel erit ſingulare certum, vel aliud genus ſingularis, & indiuidui, quod nos dicimus vagum. Atqui non eſt indiuiduum certum, nam ſi quidā homo in propoſitis enuntiationibus ſumeretur pro indiuiduo certo, vt pro Petro, non poſſent illæ ambæ eſſe ſimul veræ, dicere enim Petrum eſſe album, non poteſt eſſe verum: ergo præter indiuiduum certum conſtituendum eſt indiuiduum vagum.

3. Arg. Præterea: Iuxta opinionem Ariſt. conſtituentis mundum ab æterno (quamuis impiam, & religioni catholicæ aduerſam) hæc propoſitio, quidam leo eſt ab æterno, eſt vera, & neceſſaria, ſed quidam leo non poteſt ſignificare indiuiduum certū, nam nullus leo certus, & definitus fuit ab æterno: neque ſignificat indiuiduum ex hypotheſi, aut ex demonſtratione, vt eſt apertum: ergo præter indiuiduum certum, ex hypotheſi, & ex demonſtratione, aſſignandum eſt aliud genus indiuidui, quod dicitur indiuiduum vagum. Iam Perſona definitur à D. Seuerino Boetio in libello de duabus naturis in Chriſto, rationalis naturę indiuidua ſubſtantia, quę definitio competit perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, vere, & proprie, & non homonyme: at ſubſtantia indiuidua, quæ continetur in definitione perſonæ, non ſignificat ſubſtantiam indiuiduam ex hypotheſi, neque ex demonſtratione, vt eſt manifeſtum, neque certam, & determinatam: nam indiuiduum certum tantum effertur de vno, perſona autem effertur de tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis: ergo præter indiuiduum certum, ex hypotheſi, & ex demonſtratione conſtituendum erit indiuiduum vagum. Iterum facultas videndi fertur in colorem, ſed non fertur in colorem vniuerſum, quia vniuerſum à ſolo intellectu poteſt apprehendi: ergo fertur in colorem ſingularem, & indiuiduum: ſed non fertur in colorem indiuiduum determinatum, vt in hunc ſolum colorem huius parietis, quum poſſit & alios colores cernere, neque fertur in colorem indiuiduum ex hypotheſi, aut ex demonſtratione, vt eſt apertum: ergo præter hæc tria genera indiuiduorum debet aſſignari indiuiduum vagum, vt quidam color, in quod indiuiduum, velut in obiectum feratur viſus. Præterea, profitemur materiam primam appetere formam, at non vniuerſam, & ſeparatam, ergo ſingularem: ſed non appetit formam certam & definitam, vt formam Petri, nam præter illam multas alias formas appetit ipſa materia prima, et ita que forma illa, quā appetit, ſingularis, & indiuidua vaga, & indefinita.

2. concluſ. Indiuiduum vagum eſt vox, quæ de multis dicitur. Confirmatur ex his, quæ annotata fuerunt: nam diximus illud hoc habere commune cum natura vniuerſa, vt quemadmodum natura vniuerſa dicitur de multis inferioribus, ita quoque indiuiduum vagum dicatur de multis. Præterea, quidam homo eſt indiuiduum vagum, at quidam homo de multis prædicatur, nam dicimus Petrum eſſe quendam hominem, & Ioannem quoque eſſe quendam hominem, iam igitur illud dicetur de multis. *2. concluſ.*

3. concluſ. Indiuiduum vagum non prædicatur de inferioribus homonyme, neque ſynonyme, ſed analogice. Confirmatur inprimis, non prædicari homonyme. In homonymis ſolum nomen eſt commune, ratio autem ſignificata per nomen eſt diuerſa, ſed indiuiduum vagum non prædicatur ſolo nomine, vt quidam homo, de Petro, & Ioanne, ſed etiam ratione ſignificata per illud, nam per hoc nomen exprimitur natura humana cum modo exiſtendi particulari: qui modus communis eſt omnibus indiuiduis, ergo non prædicatur homonyme. Præterea neque ſynonyme, nam in ſynonymis eadem eſt ratio, per quam omnia ſunt talia, vt eadem eſt ratio in Ioanne & Petro, per quam illi ſunt homines, atqui non eſt eadem ratio in Petro, & in Ioanne, per quam vterque ſit quidam homo, nam Petrus eſt quidā homo per ſua principia indiuiduantia, & Ioannes quoque eſt quidam homo, per ſua alia principia indiuiduantia, quę inter ſe maxime differūt, etenim vnūquodque indiuiduum naturę humanæ per ſua propria principia indiuiduantia eſt indiuiduum & quidam homo, quare non prędicabitur indiuiduum vagum ſynonyme de ſuis inferioribus. Reliquum ergo eſt, vt prædicetur analogice, non quidem analogia attributionis, ſed proportionalitatis, quæ in hoc eſt conſtituta, vt quemadmodū Petrus per ſua principia indiuiduantia eſt indiuiduum, categoriæ ſubſtantiæ, & quidam homo, ita quoque Ioannes per ſua principia indiuiduantia eſt indiuiduum eiuſdem categoriæ, & quidam homo. *3. concluſ.*

Obſer. Annotādum eſt tamen, indiuiduum vagum eſſe multiplex, nam quoddam eſt tranſcēdens vt quoddam ens, aliud eſt genericum generis ſupremi, vt quædam ſubſtantia, aliud generis intermedii, vt quoddam animal, & aliud ſpecificum, vt quidam homo, vel quidam leo.

Iam

Ad 1. arg. Iam ad argumenta: Ad primum reſpond. Porphyr. in propoſita definitione tantum definiſſe indiuiduum certum, ex hypotheſi, & ex demonſtratione, nam hæc indiuidua tantum dicuntur de vno. Vnde indiuiduum vagum non continetur ſub hac definitione. Quod ſi quis roget, quænam ſit definitio indiuidui vagi? Reſpond. hanc eſſe, illud quod exprimit naturam vniuerſam cum particulari modo exiſtendi. Et hinc colligo, indiuiduum prædicari homonyme de indiuiduo certo, & de indiuiduo vago, nam ſolum nomen eſt commune vtrique, ratio autem nomini accommodata diuerſa eſt in illis.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Ariſtot. per quendam hominem non intellexiſſe indiuiduum vagum, ſed indiuiduum certum, & determinatum, vt Petrum, vel Ioannem, nam hæc indiuidua ſunt, quæ non dicuntur de aliquo ſubiecto.

Ad 3. Ad 3. reſpond. in enuntiationibus ſubaduerſis vel ſubcontrariis eſſe idem ſubiectum, non quidem certum, & definitum, vt illi contendunt probare, ſed vagum & indeterminatum, quod quidem commune eſt ad indiuiduum affectum candore, & atrore, aut quouis alio colore.

Ad 4. Ad 4. reſpond. Caietanus, Porphyr. non inſtituere agere in hoc opere de omnibus prędicabilibus, ſed de illis tantum, quæ propoſuerat in præfatiuncula, & quia in ea tantum propoſuit has quinque voces vniuerſas, & non indiuiduum vagum, ob hanc rationem non egit de illo. Nos tamen reſpond. Porphyr. in hoc opere tantum agere de prædicabilibus ſynonymis & non de analogis, nam non agit de ente, quod eſt attributum analogum, & ita cum indiuiduum vagum ſit attributum analogum, non egit Porphyr. de illo.

Ad 5. Ad 5. quidam reſpond. duplex eſſe vniuerſum, vnum ſimplex, & alterum compoſitum. Vniuerſum ſimplex eſt natura ſeparata à proprietatibus ſingularibus: Compoſitum vero dicitur natura coniuncta cum proprietatibus ſingularibus, & modo eſſendi particulari non certo, ſed indefinito: dicunt igitur, indiuiduum vagum non eſſe vniuerſum ſimplex, ſed coniunctum, & ita neque erit genus, neque ſpecies, neque alia vox vniuerſa, quia vniuerſum, quod eſt diuiſum in has voces, eſt omnino ſimplex. Cæterum hæc ſolutio nobis diſplicet; nam vniuerſum, ſi vere & proprie de eo loqui cupimus, nulla ratione poteſt accommodari vniuerſo coniuncto, quia vniuerſum ſignificat naturam ſeparatam à proprietatibus ſingularibus, non poterit vocari vere, & proprie vniuerſa ſed homonyme, vt hominem pictum etiam vocamus hominem. Deinde indiuiduum, & vniuerſum maxime differunt, cum vtriuſque ſint differentiæ omnino contrariæ, ſcilicet eſſe coniunctum cum proprietatibus ſingularibus, & eſſe omnino ab eis ſeparatum. Vnde errabant hi conſtituentes, indiuiduum vagum eſſe verum & proprium vniuerſum. Quare argumento ſatisfacimus, omne quod prædicatur de multis vel eſſe vniuerſum, vel habere modum illius, nam anima rationis particeps etiam prædicatur de multis, vt de anima Petri, & de anima Pauli, quæ tamen ex communi conſenſu non eſt vniuerſa, quamuis obtineat modum vniuerſi. Pari quoque ratione quamuis indiuiduum vagum obtineat modum vniuerſi, quia dicitur de multis, non tamen eſt vniuerſum, quia vniuerſum debet eſſe vox ſynonyma, at indiuiduum vagum non eſt vox ſynonyma, ſed analoga.

Ad 6. reſpon. prædicari in quid, aut in quale eſſe differentias veri vniuerſi, indiuiduum vero vagum non eſt verum vniuerſum, ac proinde neque in quid, neque in quale prædicabitur, ſed in cuiuſmodi, nam roganti, quid eſt Petrus, dicimus eſſe hominem, roganti vero, cuiuſmodi homo ſit, vniuerſuſne vel ſingularis? Reſpond. eſſe ſingularem, & quendam hominem. Quod ſi dicas; Porphyrium non egiſſe de indiuiduo vago, & ita non eſſe illud conſtituendum? Reſpond. hoc argumentum eſſe infirmum, nam argumentum ab auctoritate negatiue (vt dicunt) nullum eſt. Et ita quamuis Porphyrius non egerit de indiuiduo vago, non propterea non erit illud conſtituendum. *Ad 6.*

DE DIFFERENTIA.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

TRIBVS partibus abſoluitur totum caput, in prima tradit Porphyrius quinque diuiſiones differentiæ: in ſecunda proponit quatuor diffinitiones: & tandem in vltima quandam obiectionem diſſoluit.

Differentia autem communiter, proprie, & maxime proprie dicitur. Aliud enim ab alio differre communiter dicitur, quod ſumpto vndecunque diſcrimine, vel a ſe differt, vel ab altero. Nam inter Socratem & Platonem intereſt aliquid: & a ſe differt Socrates, cum puer eſt, & cum in media ætate: cum quid agit, & cum nihil. Idque genus differentiæ ſemper in diſcriminibus ſpectatur iis, in quibus rei modus & affectio conſiſtit. Proprie autem inter aliqua intereſt, cum accidens id quod euelli non poteſt, diſſimilitudinem facit. Eſt autem accidens quod ſeparari non poteſt, vt cæcitas oculorum, naſi aduncitas, aut cicatrix quæ ex vulnere quaſi callum obduruit. Ea aūt maxime proprie inter ſe differunt, quæ differentia diſtant ea quæ ſpeciei eſt efficiens: velut homo ab equo differētia ſpeciē conſtituente differt, nempe ea qualitate ex qua rationis particeps dicitur. Omnino igitur differentia omnis id in quo ſit diuerſum ab altero facit. B. Sed hoc intereſt, quod cōmunis & propria diſſimile ac varium: ea aūt quæ eſt propria maxime, omnino aliud id in quo inſit, efficit: ita ſit, vt quæ aliud efficiunt id, in quo ſita ſunt, ea ſpeciei efficientes appellentur, quæ autē diſſimile, ſimpliciter differentiæ. Nam & rationis particeps, ſi ad animal addatur, id ad aliud genus transfert, ſpecieq́ animalis conficiet: at motus tantummodo & diſſimile facit quod quieſcit. Ita differentia illa ad aliud genus animal tranſtulit, hæc modo diſſimiles inter ſe res facit. Ac iis quidem differentiis quæ aliud genus efficiunt, & genera in ſpecies diuiduntur, & conficiuntur definitiones: vt quæ ex generibus & huiuſmodi differentiis conſtant. Ex iis autem quæ diſſimiles modo efficiunt, varietates ſolum, & rerum certo quodam modo affectarum mutationes conſtituuntur. C. Ergo vt paulo altius repetam, dicendū eſt, differentias alias ſeparari poſſe ab eo in quo ſint, alias non poſſe: quandoquidem moueri, ſtare, ægrotare, valere & cætera eiuſdem generis ſeparari poſſunt: aduncitas aūt naſi & narium, vt ita dicam ſimitas, & particeps, expersq́ rationis, euelli, detrahiq́ non poſſunt. D. Sed earum quæ ſeiungi nō poſſunt, aliqua diſtinctio eſt. Alia enim per ſe conueniunt rebus, alia ex accidente. Nam homini per ſe conuenit rationis particeps & mortale. & aptum eſſe ad percipiendam ſcientiam, adunca autē & ſima nares, ex accidente non per ſe. E. Quocirca quæ per ſe inſunt, ea in definitione qua rei vis & natura explicatur, adhibentur, iiſq́ res alia efficitur: at quæ ex accidente, nec ad definitionem ſubſtantiæ adhibentur, non aliā rem faciunt ſed modo diſſimilem. F Deinde quæ vi ſua & per ſe rei conueniunt, nec amplificari, nec minui poſſunt: quæ ex accidente, etiamſi ſeparari non poſſunt, tamen & intentionem capiunt & remiſſionē. Nam nec genus de iis quorum genus eſt magis ac minus dicitur, nec differentiæ generis, quibus diuiditur in partes: cum præſertim ea ſint ex quibus ratio cuiuſq́ perficitur, ſua autem cuiq́ rei eſſentia, ita vna atq́ eadem eſt, vt nullam intentionem, nullam remiſſionem admittat. At vero aduncis ſimiſque naribus magis & minus eſſe, & colore aliquo quis leuiter vel multum infici imbuiq́ poteſt. Iam ergo cum tria differentiarum genera eſſe perſpiciamus, & alia quæ abeſſe poſſunt, alia quæ non poſſunt, rurſumq́ eorum quæ abeſſe non poſſunt, quædam quæ per ſe adſunt, nonnulla quæ ex accidente. G Rurſum ex iis differentiis quæ per ſe inhærent, aliæ ſunt, quibus genera in ſpecies diuidimus: aliæ quibus quæ diuiſa ſunt ſpecies efficiuntur. Velut quoniam animalis per ſe differentiæ hæ ſunt, animatum, ſenſus rationiſq́ particeps, & expers rationis, mortale & immortale. hæ quidem duæ differentiæ, animatum & ſenſus particeps, animalis vim naturamq́ conſtituunt. (Eſt enim animal nihil aliud, quam ſubſtantia animata, ſenſus compos) hæ autem, mortale & immortale, rationis particeps, & rationis expers, differentiæ ſunt quibus animal diuiditur: his enim in formas & ſpecies genera partimur. Sed quæ genera diſpertiunt, eadem formas ſpeciesq́ complent, cum præſertim iis differentiis: particeps rationis & expers rationis, mortale & immortale, animal diſtribuatur in partes: ita tamen vt particeps rationis & mortale hominis, particeps rationis & immortale, Deorum: expers rationis & mortale, beluarum

Digitized by Google

ſpeciem compleant. Eademq; ratione cum ſumma ſubſtantia differentia diuidentes hæ ſint, animatum, inanimatum, ſenſus expers: ex his duæ illæ animatum & ſenſus particeps, ad ſubſtantiam addita, animal complent: hæ autem animatum & ſenſus expers, plantam. Quoniam igitur hæ omnes vno modo ſumta & intellecta efficientes ſunt formarũ, alio modo diuidentes, factum eſt, vt procreatrices formarum omnes ſint appellatæ: quarum quidem in generum diuiſionibus, rerumq; naturis definiendo explanandis vſus eſt maximus. at earum quæ ex accidente inſunt, & ſeparari non poſſunt, non item; ac earũ multo etiam minor, quæ abeſſe poſſunt. Has autẽ definiunt hoc modo H. Differentia eſt qua ſpecies genus ſuperat. Homo enim ratione & mortalitate ſuperat animal: nam animal nullam omnino earum continere, non eſt verum (vnde enim formæ differentias haberent? neq; vero omnes habet contrarias, quoniam iſto pacto eadem res ſimul contrarias formas haberet: ſed vt vulgo exiſtimãt, poteſtate differentias quæ eis ſubiecta ſunt, genera complectuntur, reipſa & actu nulla. Ita fit, vt nec quippiam ex iis quæ nulla ſunt, fiat: nec in eodem ſint ſimul formæ contrariæ. Atq; etiã hoc modo eam definiunt. I. Differentia eſt quæ de multis, ſpecie autem differentibus, in quæſtione qua quale ſit indagatur, dicitur. Nã rationis particeps, & mortale de homine dicuntur, ſed in quæſtione qua quale quicq; ſit, non in ea qua quid quicq; ſit, quæritur. K. Cum enim quid ſit homo, interrogamur, apte reſpondemus, animal: cum vero quale ſit animal rogamur, particeps rationis & mortale recte reſpondemus. L. Nam cum res ex materia & forma conſtent, aut ex iis certe quæ proportione quadã materiæ ac formæ reſpondent, ſit vt quemadmodum ſtatua ex æris materia ſit, & ex figura tanquam ex ſpecie, ſic homo & communis & ſub ratione ſpeciei, ex genere proportione materiæ, & ex differentia proportione formæ efficitur. Atq; vt illic totum quiddam eſt ſtatua, ſic hic animal rationis particeps mortale, homo. M. Deſcribunt etiam eam hoc modo, Differentia id eſt, quod vim habet ad ea ſecernenda quæ ſubiecta ſunt ſub eodem genere. Rationis enim particeps, & expers rationis hominem, equumq;, qui eidem generi quod eſt animal, ſubiecti ſunt, inter ſe diſtinguit, & ſeparat. N. Et hoc modo, Differentia eſt, quo quæq; res diſiunguntur. Neq; enim genere inter ſe homo & equus differunt, quod & nos & equi ſumus animantes. ſed. participes rationis cum acceſſit, nos ab illis ſeparauit. Item rationis participes ſumus nos quidem & Angeli: ſed cum additũ fuit mortale, nos ab illis diſtinxit. O. Sed illud intelligi par eſt, eos qui accuratius & perfectius differentia perſpiciunt ac perſequuntur rationẽ, non quiduis eorum quæ diſtinguunt ea quæ eidem generi tributa ſunt, in differentiarum numero habere, ſed quod ad rei eſſentiam eiuſq; vim & naturam definitione aperiendam pertineat, quodq; ſit pars rei. Non enim aptum eſſe ad nauigandum, differentia hominis eſt, etiamſi hominis ſit proprium. Dicamus enim licet, animantiũ alios aptos eſſe ad nauigandum, alios non eſſe, hominem ab aliis ſeparantes: ſed tamen aptum eſſe ad nauigandum, non explet eſſentiam hominis, nec eius pars eſt, verum conſequens naturæ vis quædam: quare nõ ſit differentia talis, quales ſunt eæ quas efficientes formarum appellauimus. Quamobrem differentiæ procreatrices ſpecierum ſunt omnes quæ ſpecies inter ſe diſtinguunt, quæq; in rei natura explananda adhibentur. Ac de differentia quidem hæc ſufficiant.

COMMENTARIA.

HActenus de his attributis, quæ dicuntur in quid, egit Porphyrius, iam ad alia, quę prędicantur in quale, conuertit orationem. Verum quia inter attributa huius generis primum locũ tenet differentia, ab illa huius tractationis initium ducit, cuius diſputationem in prima parte capitis à quibuſdam diuiſionibus auſpicatur.

Pars capit. A *Differentia autem communiter &c.* Prima diuiſio eſt qua diuiditur differentia in communem, propriam, & maxime propriã. Differentia communis eſt accidens ſeparabile, per quod res habens illud ſeparatur ab altera, vel à ſe ipſa non habẽte, vt ſedere, & currere, nam ſedens per ſeſſionem ſeparatur vel à ſe ipſo, vel ab alio non ſedente, quæ tamen eſt accidens ſeparabile, cum ſtatim euaneſcat à ſubiecto. Differentia propria eſt accidens inſeparabile, ratione cuius res habens illud ſeparatur ab altera non habente, vt aduncitas, vel ſimitas narium, cicatrix in vultu, & perennis quædam ægritudo oculorum, nam homo habens aduncitatem narium, ratione illius ſeparatur ab homine non habente illam, eſtque perpetua, quæ nulla ratione poteſt à naribus auelli, differentia vero maxime propria vocatur illa, quæ vna cum genere cõſtituit ſpeciem, ſeparatq; illã ab aliis ſpeciebus contentis ſub eodẽ genere, vt rationis particeps eſt differentia maxime propria, nam vna cum animali conſtituit hominem, & ſeparat illum ab equo, & leone ab aliis ſpeciebus contentis ſub animali. Cæterum quamuis ſit cõmune omnibus his differentiis (inquit Porph.) res diuerſas efficere, & differentes, eſt tamen latum diſcrimen inter differentiam maxime propriam, & alias differentias, nam propria, & cõmunis efficiunt rem diuerſam, & diſſimilem, at vero maxime pro-

pria differentia conſtituit rem aliam in eſſentia, & non ſolum diſſimilem in accidentibus.

2. *Diuiſio.* B *Sed hoc intereſt &c.* Secunda diuiſio differentiæ eſt. Differentiæ quædam rem alteram, & diſſimilem, aliæ vero conſtituunt rem aliã, v.g. differentia communis, & propria efficiunt rem alteram, differentia vero maxime propria rem conſtituit aliam. Intercedunt autem duo diſcrimina inter has differentias. Vnũ eſt, quia differentia quæ rem alteram efficit, ſimpliciter dicitur differentia, non quidem ob aliqua dignitatem, ſed potius ob ignobilitatem, quia nomẽ generis abſolute, & ſine vlla additione tribui ſolet ſpeciei ignobiliori. Dicimus enim abſolute equũ eſſe animal quia eſt ſpecies ignobilior homine. At vero differentia, quæ rem aliam efficit, non dicitur ſimpliciter differentia, ſed cum addito ſcil. differentia ſpecifica, & formatrix ſpecierum. Secundum diſcrimen eſt. Differentia quæ rem alterã efficit non continetur intra diffinitionem eſſentialem, neq; diuidit genus, neq. conſtituit ſpeciẽ, vt candor, vel ſedere neq. diuidunt animal, neq. conſtituunt hominem, differentia vero quæ rem aliam efficit, diuidit genus, & cõſtituit ſpeciem, & ita continetur in diffinitione explicante rei naturam, vt particeps rationis diuidit animal, & conſtituit hominem, continetur q. in diffinitione explicante quid ſit homo.

3. *Diuiſio.* C *Ego vt paulo altius repetam, &c.* Tertia diuiſio eſt. Differentiæ quædam ſunt ſeparabiles, aliæ inſeparabiles, ſeparabiles ſunt, quæ ſtatim poſſunt à ſubiecto remoueri, vt ſunt omnes differentiæ communes. Inſeparabiles vero ſunt, quæ nulla ratione poſſunt à ſubiecto ſeparari, vt ſunt differentiæ propriæ, & maxime propriæ, nam aduncitas narium, quæ eſt differentia propria, & particeps rationis, quod eſt differentia maxime propria, nullo modo poſſunt ſeparari à ſubiecto.

4. *Diuiſio.* D *Sed earum quæ ſeiungi non poſſunt &c.* Quarta diuiſio eſt. Differẽtiæ inſeparabiles quędam ſunt, quæ per ſe conueniunt ſubiecto, aliæ vero quæ accidentaria ratione, & fortuito de illo prædicantur. Differentia maxime propria per ſe competit ſubiecto, vt rationis particeps, per ſe competit homini, differentia vero propria, accidentario prædicatur, vt ſimitas accidentario prædicatur de homine. Proponit vero Porphyr. inter hæc duo genera differentiarum inſeparabilium, duo diſcrimina.

E *Quo circa ea quæ per ſe &c.* Primum eſt. differentiæ inſeparabiles, & per ſe, continentur in diffinitione eſſentiali explicante quid res ſit, vt rationis particeps continetur in diffinitione eſſentiali hominis: differentia vero inſeparabilis accidentaria, non continetur in definitione eſſentiali rei, vt aduncitas narium non continetur in diffinitione eſſentiali hominis.

F *Deinde quæuis ſua &c.* Secundum eſt. Differentiæ per ſe, & inſeparabiles, neq; augentur, neque minuuntur, neq; recipiunt intenſionem, neque remiſſionem, vt particeps rationis, neque augetur neque minuitur, ſed ex æquo competit omnibus hominibus. Differentiæ vero inſeparabiles accidentariæ, augentur, & minuuntur, ſuſcipiuntque intenſionem, & remiſſionem, vt aduncitas narium maior eſt in vno homine, quam in alio.

G *Rurſus ex his differentiis &c.* Quinta diuiſio eſt. Differentiæ quædam ſunt diuidentes, & aliæ conſtituentes v.g. in animali particeps vitæ, & ſenſus, ſunt differentiæ conſtituentes, at vero particeps, & expers rationis, ſunt differẽtiæ ipſius diuidentes, nam omne animal vel eſt particeps, vel expers rationis, mortale, vel immortale. Quæ diuiſio non eſt ita intelligenda, vt aliæ ſint differentiæ conſtituentes, & aliæ diuidentes, ſed intelligenda eſt ad hunc modum. Differentia qualibet duas rationes, vel duos actus continet, diuidere genera, & conſtituere ſpecies. Vnde ſi conferatur differentia cum generibus diuiſis, ratione huius actus, dicitur diuidens: ſi vero conferatur cum ſpeciebus conſtitutis, ratione huius alterius, dicitur conſtituens, vt particeps rationis, ſi conferatur cum animali quod diuidit, dicitur differentia diuidens, ſi vero conferatur cum homine quem conſtituit vocatur differentia conſtituens, non tamen diuidens. *5. Diuiſio.*

H *Differentia eſt qua ſpecies &c.* In ſecunda parte capitis proponit Porph. quatuor differentiæ diffinitiones. Prima. Differentia eſt, qua media ſpecies ſuperat genus, vt homo ſuperat animal, media differẽtia, quæ eſt rationis particeps. Nam cum ſpecies habeat omnia attributa generis, habeatque præterea differentiam, quæ nulla ratione poteſt generi conuenire, vt homo continet rationis particeps, quod nullo modo poteſt animali conuenire, differentia erit ratione cuius ſpecies ſuperat, & vincit genus, id eſt, ratione cuius habeat actu plura attributa quam habeat genus. Quærit tamen Porphyr. à quo oriantur ſpecificæ differentiæ, nam vel oriuntur à genere, vel ab ſpecie, vel à nihilo: à nihilo nullo modo poſſunt oriri, nam à nihilo nihil oritur, neque fit: neq. ab ſpecie, quia cum differentia, & ſpecies ſint vnum, & idem, ſi orientur ab ſpecie, orirentur quoque à ſe ipſis, quod fieri nullo modo poteſt: neque oriuntur, à genere, quia cum differentiæ ſint inter ſe contrariæ, ſi illæ orirentur à genere, duo contraria eſſent *2. Pars capit. 1. Diffin. differ.*

in eodem ſubiecto, quod repugnat placitis omnium Philoſophorum, quod ſi ab his non oriuntur differentiæ à quo ergo illæ orientur? Reſpondet Porphyr. differentias oriri à genere, in quo continentur ſola poteſtate, at contraria eſſe in aliquo ſubiecto ſola poteſtate, nullum eſt abſurdum.

[S]olutio.

[2] .Diffin. I. *Differentia eſt quæ de multis, &c.* Secunda diffinitio eſt. Differentia eſt quæ prædicatur de multis ſpecie differentibus in quale quid, vt rationis particeps, & mortale ſunt differentiæ hominis, nam prædicantur de illo in quale quid. Quę diffinitio eſt accurata cum ſeparet rem diffinitam à quolibet alio, nam per primam partem ſeparatur differentia ab indiuiduis quę tantum prædicantur de vno. Per ſecundam vero ſpecie differentibus, ſeparatur ab ſpecie & à proprietatibus ſpecificis, quæ tantum prædicantur de multis numero differentibus. Per tertiam vero in quale quid ſeparatur à genere & ab accidente communi, à genere, quia genus tantum prædicatur in quid, differentia vero in quale quid, ab accidente vero, quia prædicatur in quaſi accidentarium, & nō eſſentiale. Probat deinde Porphy. duobus arg. differentiam prædicari in quale quid.

K *Cum enim quid ſit homo interrogamus, &c.* Primum. Illud prædicatur in quale quid, quod reſpondetur ad interrogationem effectam per quale quid, ſed ad interrogationem effectā per quale quid reſpondemus differentiam, ergo differentia prædicabitur in quale quid. Confirmatur aſſumtio. Roganti quid eſt ſpecies reſponde. genus, vt roganti quid eſt homo, reſpondemus eſſe animal, roganti, vero quale animal ſit homo, reſpondemus differentiam, eſſe ſcilic particips rationis, ergo dicetur in quale quid.

L *Nam cum res ex materia & forma, &c.* Secundum argumentum. Forma eſt qualitas materiæ, ſed differentia habet locum formæ, genus vero locum materiæ, ergo differentia erit qualitas generis, quod ſi eſt qualitas, igitur prædicabitur in quale quid. Confirmatur aſſumtio, ex analogia quæ reperitur inter materiam, formam, ac totum compoſitum, & inter genus, differentiam ac ſpeciem. Etenim quemadmodum ex materia & forma coaleſcit totum compoſitum, materia quæ eſt indeterminata ad hanc vel illam formam, vel ſpeciem, determinaturque adueniente forma ob quam cauſam vocatur illa ab omnibus Philoſophis qualitas materiæ. Pari quoque ratione ſpecies eſt totum compoſitum coaleſcens, ex genere atque differentia. Genus autem obtinet locum materiæ, differentia vero locum formæ, nam quemadmodum materia indifferens eſt, atque indeterminata ad omnes ſpecies, ita quoque genus eſt indifferens & indeterminatum ad omnes differentias. Forma vero habet ſimilitudinem cum differentia, & hæc cum illa, nam quemadmodum per formam materia continetur ſub determinata natura, ita quoque per differentiam genus continetur ſub determinata ſpecie. Vnde iure optimo dicetur differentia qualitas generis.

M *Deſcribunt eam etiam hoc modo, &c.* Tertia diffinitio eſt. Differentia eſt quæ ſeparat ea, quæ continentur ſub eodem genere, vt rationis particeps & expers ſunt differentiæ, quarum prima ſeparat hominem ab equo, ſecunda vero ſeparat equum ab homine, qui continentur intra idem genus animalis. *3. Diffin.*

N *Et hoc modo, &c.* Quarta diffinitio eſt. Differentia eſt qua mediante res ſeparantur inter ſe, nam cum res omnes aliquo modo inter ſe conueniant, & aliquo differant, vt equus & homo conueniunt in animali, & differunt in participe & experte rationis, differentia dicitur illud quo mediante res ſeparantur inter ſe. *4. Diffin.*

O *Sed illud intelligi pars eſt, &c.* In hac tertia & vltima parte capitis quandā obiectionē proponit Porph. aduerſus has duas poſteriores diffinitiones ea ſic ſe habet. Illæ diffinitiones non ſunt accuratæ quæ competunt aliis à re diffinita, ſed hæ ſunt huiuſmodi, ergo non ſunt accurate. Confirmatur aſſumtio. Aptitudo ad nauigandum non eſt differentia hominis maxime propria, cum ſit accidens illius, ſed hęc ſeparat hominē ab aliis animalibus, ergo competunt illæ diffinitiones alteri à re diffinita. Huic obiectioni ſatisfacit Porphyr. dicens in propoſitis diffinitionibus addendas eſſe has particulas vt ſit pars, & de eſſentia rei, ita vt ſenſus illarum ſit tertia hic. Differentia eſt quæ ſeparat ea quæ continentur ſub eodem genere, & eſt pars, & de eſſentia rei. Quartæ vero iſte. Differentia eſt quæ mediante res ſeparantur inter ſe, & eſt pars & de eſſentia rei. Quæ diffinitiones ſi ita intelligantur, ſunt accuratę & nullo modo competunt aptitudini ad nauigandum. Etenim quamuis per illam ſeparetur homo ab omnibus aliis animalibus, quia tamen neque eſt pars, neque de eſſentia ipſius hominis, non erit contenta ſub ratione differentiarum, quæ ſunt maxime propriæ, neque illi vlla ratione poterunt propoſitæ diffinitiones adaptari.

3 Pars capit.

Obiect.

Solut.

Digitized by Google

SCHOLIA IN CAPVT *de Differentia.*

1. *Obſeruat.* A 1. Differentia, ſi vim & ſignificationem nominis contemplemur, diſſimilitudo eſt, & rerum diuerſa qualitas: ſi vero ad rationem cauſæ attendamus, vt nimirum differentia eſt ratio, qua res vnaquæque eſt id, quod eſt & à cæteris ſecundum eſſentiam diſtinguitur, multo melius forma, quam differentia dici debuerat, vt rectè Talęus *in ſcholiis huius capitis* animaduertit. Etenim formæ proprie competit eſſe illud ratione, cuius vnaquæque res eſt id, quod eſt, vt Ariſtot. 2. *Phyſic cap.* 3. & 5. *Metaphyſic. cap.* 2. docuerat. Retinendum tamen eſt nomen differentiæ, cum Porphyrius & alij Dialectici poſt illum illud retinuerint. Verum cum aliud ſit differre, & aliud diuerſum eſſe, nam quæ ſeipſis ab aliis diſtinguuntur (vt genera ſuprema, & differentiæ vltimæ) ſunt diuerſa, quæ vero differunt, differentiis differunt: differentia, de qua hoc loco agit Porphyr. eſt ratio, ob quam aliqua inter ſe differunt, vel naturæ ſimilitudine diſtinguuntur.

2. *Obſer.* A 2. Poſt ſpeciem agendum eſſe de differentia, & nos ante illam *in cap. ſuperiori*, & *in cap. de genere, quæſt.* 1. oſtendimus luculenter. Eſſe autem ante proprium & commune accidens de ea diſputandum, non eſt, inquit Boetius, cur multis rationibus oſtendi debeat. Nam certum eſt, ea, quæ ad rei naturam & eſſentiam ſpectant, proponenda prius eſſe iis, quæ accidentario de rebus dicuntur: at differentia ſecundum eſſentiam de re dicitur, proprium vero & commune accidens accidentario prædicantur. Animaduertit etiam Boetius, hoc intereſſe inter duas primas & tertiam ſignificationem differentiæ, quia duæ primæ, communis ſcilicet & propria ſunt differentiæ indiuiduorum, nam accidentia communia ſiue fuerint ſeparabilia, ſiue inſeparabilia, primo conueniunt indiuiduis, quam naturis communibus. Tertia vero eſt propria differentia naturarum communium, eſt enim hæc formatrix eſſentiarum, quæ prius naturis vniuerſis, quam indiuiduis adaptantur.

3. *Obſer.* A 3. Magnus eſt vſus differentiarum maxime propriarum in diffinitionibus, debet enim conſtare omnis diffinitio ex genere & differentiis. Verum maior eſt vſus in eiſdem differentiarum communium & propriarum, quia maxime propriæ latentes ſunt, & admodum obſcuræ, ac proinde difficiles ad intelligendum: at differentiæ communes & propriæ ſunt cognitu facilimæ, & ob hanc cauſam crebrius in diffinitionibus poterunt adhiberi.

A 4. Hanc eandem diuiſionem tradit D. Damaſcenus *in ſua Dialect. cap.* 4. 4 *Obſer.*

B. Eo ſeparat Porphyr. differentiam communem & propriam à maxime propria, quia duæ illæ priores ſimpliciter dicuntur differentiæ, poſterior vero non dicitur. Quod certe non debet aliquis putare propter aliquam dignitatem dictum eſſe, imo econtra dictum fuit propter imperfectionem illarum differentiarum, ita enim in rebus omnibus comparatum eſſe videmus, vt nomen generis ſimpliciter imperfectiori ſpeciei adaptetur: vt nomen animalis ſimpliciter de brutis dicitur, atque ita cum differentia communis & propria ſint differentiæ imperfectiores, quam maxime propria, ob hanc cauſam dicentur ſimpliciter differentię vt iam in comment. dixeramus.

C. Multa ex his, quæ in hoc cap. tradit Porphyrius, ſunt collecta ex Ariſtotele variis in locis, nam hæc diuiſio in diuidentes & conſtituentes propoſita fuit 2 *lib. de demonſtrat. cap.* 14. & 2. *Topicor. cap.* 7. & 6. *cap.* 3. & in multis aliis locis Metaphyſicis, in quibus ſcribit Ariſtoteles, genus diuidi per contrarias differentias, & differentiam vna cum genere conſtituere ſpeciem. Deinde quod ſcribit, differentias eſſe in genere poteſtate, collegit ex Ariſtotele 4. *Topicor. cap.* 2. & 7. *Metaphyſicor. cap* 12. vbi inquit, genus non participare naturam differentiarum, neque differentias naturam generis. Ad hæc quod ait, differentias prædicari in quale eſſentiale, poſtulauit ex *lib.* 4. *Topicor. cap.* 2. & 6. *cap.* 3. & *ex* 5. *Metaphyſic. cap.* 14. vbi Ariſtoteles vocat differentias qualitates, & *cap.* 28. *eiuſdem lib.* eodem qualitatis nomine ornat ipſas. Et tandem cum ſcribit, differentias maxime proprias neque augeri, neque minui, exprimit ſententiam Ariſtotelis, quæ legitur apud eum 6. *Topicor. cap.* 3. nonnulla alia obſeruari poterant, quæ prætermittimus in quæſtionibus examinanda.

DISPVTATIO DE DIFFERENTIA IN duas ſectiones diſtributa.

ARGVMENTVM.

SVſceptam de Differentia diſputationem, in duas ſectiones diſtribuere viſum fuit, in quarum prima, quæ ad diuiſiones & diffinitiones illius attinent, proponemus: in altera vero ea tradem us, quæ ex comparatione illius cum genere, cum ſpecie, & cum ſuperioribus & inferioribus differentiis illi conueniunt, tum à quo petatur, & à quo ortum illa habeat, cuiuſque beneficio conſtet, explicabimus, ſicq; totam hanc de differentia diſputationem abſoluemus.

SECTIONIS PRIMÆ QVÆSTIO I.

An ſint vera, quæ a Porphyrio in hoc capite tradita fuerunt.

INprimis perpendamus, ſintne vera ea, quæ à Porphyrio in hoc capite tradita fuerunt, necne? Et quidem non eſſe vera, his argumentis poſſumus demonſtrare.

Argum. 1. Differentia indiuidualis, per quam vnum indiuiduum ſeparatur ab altero eiuſdem naturæ, eſt vera & legitima differentia: ſed neque eſt communis, aut propria, quia hæ differentiæ ſunt accidentia: indiuidualis autem differentia attinet ad naturam indiuidui: neque eſt maxime propria, quia hæc iudicio Porphyrij conſtituit ſpeciem: differentia autem indiuidualis non conſtituit ſpeciem, ſed indiuiduum: ergo diuiſio prima differentiæ in cōmunem, propriam, & maxime propriam, non eſt accommodata, cum aliquid contineatur ſub re diuiſa, quod non comprehenditur ſub membris diuidentibus.

Argum. 2. Indiuidua eiuſdem naturæ ſunt aliud, & aliud, nam aliud eſt Petrus, & aliud Ioannes: ſed indiuidua eiuſdem naturæ non differunt per differentiam maxime propriam, nam Ioannes & Petrus habent communem eandem differentiam, quæ eſt particeps rationis: ergo non recte conſtitutum eſt à Porphyrio, differentiam maxime propriam efficere aliud & aliud.

Argum. 3 Differentia indiuidualis eſt differentia propria: ſed poteſt illa à ſubiecto ſeparari: non ergo recte dictum eſt à Porphyrio in tertia diuiſione differentiam propriam, & maxime propriam eſſe inſeparabiles à ſubiecto. Confirmatur aſſumptio. Solæ differentiæ ſpecificæ ſunt inſeparabiles à ſubiecto, ſed differentia indiuidualis non eſt differentia ſpecifica, ergo eſt à ſubiecto ſeparabilis.

4. Differentia albedinis, per quam ſeparatur a nigredine, eſt differentia maxime propria, vt diſgregare viſum; ſed illa recipit magis & minus: ergo differentia maxime propria recipiet magis & minus. Et ita non recte docuit Porphyrius in quarta diuiſione, differentiam maxime propriam, quam vocat inſeparabilem, per ſe non recipere magis & minus. Confirmatur aſſumptio. Differentia albedinis eſt qualitas, ſed proprium eſt qualitatis recipere magis & minus, quemadmodum docet Ariſtoteles *in categoriis, cap. de qualitate.* ergo differentia albedinis recipiet magis & minus. *4. Argum.*

Præterea. Particeps rationis eſt differentia maxime propria hominis, ſed particeps rationis recipit magis & minus, ergo differentia maxime propria recipiet magis & minus. Confirmatur aſſumptio. Quidam homines ſunt ingenio ſubtiliores, & intellectu acutiores, aliis hominibus ad ratiocinandum, recipit ergo particeps rationis magis & minus. *5. Argum.*

Iterum, capax diſciplinæ eſt differentia propria, ſed capax diſciplinæ non recipit magis & minus, ergo differentia propria non recipit magis & minus. Confirmatur aſſumptio. Cuius ſubiectum non recipit magis & minus, nec ipſum etiam poteſt recipere magis & minus, ſed ſubiectum capacitatis diſciplinæ non recipit magis & minus, quod eſt eſſentia hominis, quæ non recipit magis & minus, ergo neque capacitas diſciplinæ recipiet magis aut minus. *6. Argum.*

Ad hæc, particeps & expers rationis, ſunt differentiæ diuidentes animal, ſed non conſti- *7. Argum.*

tuunt

tuunt aliquam ſpeciem, non ergo ſunt eædem differentiæ diuidentes & conſtituentes. Confirmatur aſſumptio. Negatio nihil conſtituit, ſed expers rationis eſt negatio participis rationis, ergo expers rationis nihil conſtituet, & ita non recte conſtitutum eſt a Porphyrio, eaſdem eſſe differentias diuidentes & conſtituentes.

Eſſe tamen vera ea, quæ a Porphyrio in hoc cap tradita fuerunt, non alia ratione, quam illius, & omnium Dialecticorum auctoritate confirmamus, atque ita illico erit argumentis propoſitis ſatisfaciendum.

Ad 1. argum. *Ad primum reſpond.* Differentiam indiuidualem reuocandam eſſe ad differentiam maxime propriam, nam omnis differentia, quæ conſtituit rem ſecundum eſſentiam & naturam, vocari debet maxime propria. Vnde cum non ſolum differentia ſpecifica, verum etiam differentia indiuidualis, conſtituat rem (vt indiuiduum) ſecundum eſſentiam, non ſolum differentia ſpecifica, ſed etiam indiuidualis vocari debet maxime propria.

Ad 2. *Ad ſecundum reſpond.* hanc vocem, aliud, poſſe ſumi, vt eſt nomen ſubſtantiuum neutrius generis, aut vt eſt nomen adiectiuum, vt adnotat D. Thom 1 *p. quæſt. 31. artic. 2. ad 4. argum.* Si ſumatur, vt eſt nomen ſubſtantiuum, denotat naturam & eſſentiam, quæ eſt informis, quemadmodum genus neutrum dicitur informe. Si vero ſumatur, vt eſt nomen adiectiuum, exprimit ſuppoſitum, vel indiuiduum, vt Petrum, vel Ioannem. Ad argumentum ergo diſtinguenda eſt propoſitio, nam ſi hoc nomen, aliud, ſumatur ſubſtantiue, eſt falſa, non enim eſt alia natura in vno indiuiduo, & alia in altero, cum omnia conueniant in vna & eadem natura ſpecifica. Si vero ſumatur, vt eſt nomen adiectiuum, vera eſt propoſitio. Ceterum hoc modo aliud & aliud non habent ortum a differentia maxime propria, ſed a qualibet differentia indiuiduali. Attamen cum nomina adiectiua ſemper vniantur cum nominibus ſubſtantiuis, non dicemus abſolute, duo indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe aliud & aliud, ſed adhibito nomine ſubſtantiuo, dicemus, eſſe aliud ſuppoſitum, vel aliud indiuiduum.

Ad 3. *Ad tertium reſpond.* falſam eſſe aſſumptionem, & ad probationem dicimus, falſam quoque eſſe propoſitionem, non enim ſola differentia ſpecifica eſt inſeparabilis a ſubiecto, ſed etiam multæ differentiæ indiuiduales ſunt quoque a ſubiecto inſeparabiles, vt illæ, quæ habent principium in ſubiecto, quo illi ſemper inhæreant, vt eſt aduncitas natium, vel aquilinitas.

Ad 4. *Ad quartum reſpon.* Differentiam albedinis referri poſſe vel ad ſubiectum, quod denominat, vt ad parietem, vel ad niuem, quæ diſgregant viſum, vel ad albedinem, quam conſtituit. Si referatur ad ſubiectum, recipit magis & minus, poteſt enim illa vehementius, aut minus vehementer imprimi in ſubiecto. Cæterum hac ratione non obtinet locum differentiæ, ſed communis accidentis. Si vero altero modo vſurpetur, non recipit magis & minus, nam differentiæ rerum, ſicuti & eſſentiæ, conſiſtunt in indiuiſibili, qua ratione habent locum differentiæ. Vnde negandum erit, differentiam albedinis ſub ratione differentiæ recipere magis & minus. Neq; hæc ſunt dicta a nobis abſq; auctoritate Ariſt. nam ipſe in categoria qualitatis expreſſe fatetur, qualitatem non recipere magis & minus, ſed quale. Quod idem eſt, ac ſi diceremus, vnam qualitatem in ordine ad alteram, vt cõponit illam, non recipere magis & minus, ſed in ordine ad ſubiectum, vt denominat illud.

Ad 5. *Ad 5. reſp.* falſam eſſe aſſumptionem, ad probationem vero dicimus, illud non prouenire ratione differentiæ, ſed ratione corporis & ſenſuum. nam cum anima rationis particeps, quãdiu eſt in corpore, hauriat a ſenſibus cognitionem, illi homines erunt acutiores, quorum ſenſus nobiliori modo miniſtrabunt intellectui rationem cognoſcendi.

Ad 6. *Ad 6. reſp.* non omnem differentiam propriam recipere magis & minus, ſed aliquam tantum, vt eſt aduncitas natium, & ægritudo oculorum. Neque Porphyrius inſtituit docere omnem differentiam propriam recipere magis & minus, ſed inſtituit tradere diſcrimen inter differentias proprias & maxime proprias, quia ex maxime propriis nulla recipit magis & minus, ex propriis vero aliqua poteſt recipere magis & minus. Vel reſp. cum M. Soto ex differentiis propriis quaſdam eſſe indiuiduales, & alias ſpecificas: indiuiduales ſunt, vt aduncitas natium, ſpecificæ vero, vt capacitas diſciplinæ. Quando ergo conſtituit Porphyr. differentiam propriam recipere magis & minus, intelligendus eſt de differentia propria indiuiduali, non autem de ſpecifica.

Ad 7. *Ad ſeptimum reſpond.* expers rationis non eſſe differentiam veram & legitimam, cum ſit negatio, ſed ſumi loco differentiæ. Nam cum nos lateant rerum differentiæ, ſitque nobis cognita differentia hominis, per negationem huius cognitæ exprimimus differentias alias incognitas. Porphyrius autem tantum eſt

loquu-

loquutus de variis & legitimis differentiis.

Interrog. Quod ſi quis quærat, quæ differentia ſit rationale reſpectu animalis, quod diuidit, & ad eſſe ſpecificum naturæ humanæ contrahit? Multi reſpondent, eſſe communem differentiam, quia eſt veluti quoddam accidens, quod ab animali poteſt ſeparari. *Louanienſium proba. reſpon.* Louanienſes vero ex B. Alberto, & ex D. Thom. probabilius multo putant, hanc neque eſſe differentiam communem, neque propriam, cum in ſe non ſit aliquod accidens, quod generi adueniat. Neque eſſe maxime propriam, quia in habitudine ad animal non habet actum proprium huius differentiæ, qui eſt formare & conſtituere ſpeciem, non enim conſtituit animal Reuocabitur igitur ad hanc differentiam, eo quod adueniens animali ipſum ad certam ſpeciem contrahat. Et idem dicimus de differentiis indiuiduali, idemque iudicium habendum erit de formis ſpecificis, quæ certe cum diſtinguant vnam naturam ab alia reuocari debent ad differentiam maxime propriam.

QVÆSTIO II.

Sitne optima prima diuiſio differentiæ.

PErgamus vlterius in natura differentiæ explicanda, inueſtigemusque, an ſit illa optima diuiſio in communem, propriam & maxime propriam. Et quidem non eſſe optimam, in hunc modum confirmo. *1. Argum.* *Primo.* Omnis optima diuiſio debet tradi per duo membra, ſed hæc traditur per tria membra, ergo non erit optima diuiſio. Confirmatur propoſitio. Lex eſt optimæ diuiſionis, vt tradatur per membra contraria, ſed contrarietas tantum eſt inter duo extrema, nam vnum vni tantum eſt contrarium: ergo, &c.

2. Argum. 2. Quia aliquid continetur ſub re diuiſa, quod non continetur ſub membris diuidentibus, nam genera ſuprema, tum etiam differentiæ vltimæ differunt, quæ tamen nullam habent differentiam communem, propriam, vel maxime propriam, nam ſi haberent, eſſent res compoſitæ ex genere & differentia, ergo erit vitioſa diuiſio.

3. Argum. 3. Eſſe per ſe, & in alio, ſunt legitimæ differentiæ: nam per eſſe per ſe ſubſtantia ſeparatur ab accidente, per eſſe vero in alio, diſtinguitur accidens à ſubſtantia, ſed neque ſunt differentiæ communes, vel propriæ, quia non ſunt accidentia: neque maxime propriæ, quia neque diuidunt genus, neque conſtituunt ſpeciem, nam diuidunt ens, quod non eſt genus, & conſtituunt ſubſtantiam & accidentia, quæ non ſunt ſpecies, differentia autem maxime propria, iuxta Porphyr. eſt illa, quæ diuidit genus, & conſtituit ſpeciem: ergo diuiſio propoſita differentiæ in communem, propriam, & maxime propriam, non erit accommodata.

Præterea in omni diuiſione membra diuidentia debent pugnare inter ſe, ſed differentia propria, communis, & maxime propria non pugnant inter ſe nam poſſunt eidem rei conuenire, etenim diſgregare viſum ipſum, eſt differentia maxime propria candoris, propria cygni, & communis hominis, ergo hæc non erit accommodata diuiſio. *4. Argum.* Confirmatur argumentum. Proprietas (vt capacitas diſciplinæ) eſt differentia propria, & maxime propria. Inprimis propria, quia eſt accidens inſeparabile, deinde maxime propria, quia differentia maxime propria, vt inquit Porphyr. *in hoc cap.* illa debet vocari, quæ non recipit magis, neque minus, at capacitas diſciplinæ neque recipit magis, neque minus, quare differentia propria & maxime propria non diſtinguentur, ac proinde non erit hæc optima diuiſio, cum membra diuidentia inter ſe non contrarientur.

Ad hæc. Animal eſt differentia, per quam homo ſecernitur ab arbore, ſed illud neque eſt differentia communis, neque propria, neque maxime propria: quia animal non eſt differentia, ſed genus, ergo non erit hæc diuiſio accômodata, cum aliquid contineatur ſub re diuiſa, quod non continetur ſub membris diuidentibus. *5. Argum.*

His argumentis labefactari videtur trimembris hæc diuiſio differentiæ propoſita à Porph. in communem, propriam, & maxime propriâ, verum quam ſit optima & accurata, his aſſertionibus explicabimus, quarum prima ſit.

Diuiſio hæc differentiæ in commune, propriam, & maxime propriam, optima eſt & accurata. *1. Concl.* *Confirmatur perfacili argumento.* Omne, quod differt ab alio, aut differt ſecundum eſſentiam, aut ſecundum accidens, ſi differat ſecundum eſſentiam, eſt differentia maxime propria: ſi vero differat ſecundum accidens, aut differt ſecundum accidens ſeparabile, aut inſeparabile. Si differt ſecundum accidens ſeparabile, eſt differentia communis, ſi vero differat ſecundum accidens inſeparabile, eſt differentia propria, ergo omnis differentia vel erit communis, vel propria vel maxime propria.

2. Concluſio. Res diuiſa in hac diuiſione non eſt aliqua natura affecta notione ſecunda differentiæ, vt natura, v.g. rationis participis vel expertis. *2. Concl.* Confirmatur. Quia ſi natura ſubiecta notioni eſſet res diuiſa, membra diuidentia

non

non pugnatent inter ſe, nam eidem naturæ ſubiectæ notioni, competit eſſe differentiam communem, propriam, & maxime propriam, nam diſgregare viſum reſpectu diuerſorum ſubiectorum, eſt differentia communis, propria & maxime propria, communis reſpectu parietis, propria reſpectu cygni, & maxime propria reſpectu candoris, at in optima diuiſione membra debent eſſe inter ſe oppoſita, non igitur erit res diuiſa natura aliqua ſubiecta notioni.

3.Concl. *3. Concl.* Id, quod diuiditur in hac diuiſione, eſt notio ſecunda differentiæ, id eſt, forma quædam rationis, qua media natura aliqua diſtinguit vnam rem ab alia, aliquo ex his tribus modis recenſitis. Hæc videtur eſſe Auicennæ, Auerrois, B. Alberti Mag. Caietani, & multorũ aliorum, qui dicunt, hanc diuiſionem differẽtiæ eſſe diſſimilem diuiſioni generis ſeu ſpeciei in ſuas ſignificationes: nam in diuiſione generis aut ſpeciei non omnia membra diuidentia ſpectant ad Dialecticum, at in hac diuiſione omnia membra ſpectant ad illũ, quare cum Dialecticus tãtum agat de ente rationis, quod eſt ſecunda notio, in hac diuiſione res diuiſa tantum erit ſecunda notio. Num autem ſit hæc diuiſio generis in ſpecies, vel analogi in analogata, aut vocis ambiguæ in ſua ſignificata, in quæſtione ſequenti explicabimus.

Obiectio. Sed contra dicet aliquis, Dominicus à parte rei differt à Thoma per differentiam aliquam propriam, v.g. per cicatricem in vultu, aut per curuitatem in naribus, ergo differentia maxime propria erit à parte rei, & ex conſequenti non erit ſecunda notio illud, quod in has differentias eſt diſtributum. *Solutio.* Huic tamen reſp. Dominicum & Thomam ſumi poſſe, vel vt ſunt phyſice quædam indiuidua, vt ſcilicet componuntur ex hac materia & ex hac forma ſingulari, vel vt ſunt indiuidua quædam Logica, vt nimirum ſignificãt notionem quandam ſecundam, à qua dicuntur certa & diffinita indiuidua. Primo modo verum eſt, Dominicum & Thomam diſtingui per differentias indiuiduales, quæ ſunt à parte rei: altero vero modo (qua ratione hic agimus) negandum eſt diſtingui per aliquam differentiam propriam à parte rei, nam curuitas narium, & cicatrix in vultu non ſunt differentiæ Logicæ, ſed Phyſicæ. Notio vero, ob quam hæ naturæ vnum ab alio ſeparant, eſt differentia Logica.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta. *Ad primum reſpond.* falſum eſſe, omnem optimam diuiſionem tradẽdam eſſe per duo membra, hæc enim ſententia erat Platonis *in Sophiſta*, quam ſequutus fuit Boetius *in libell. de diuiſionib.* Ariſt. enim *1. lib. de part. animal. cap. 3.* contrarium exiſtimat, diuiſionem nimirum aliquando eſſe tradendam per duo, aliquando per tria, & aliquando per plura membra. Etenim illa diuiſio boni in honeſtum, vtile, & delectabile, quam omnes laudant, non per duo, ſed per tria membra eſt tradita. Non igitur propterea non erit hæc optima diuiſio, quia eſt trimembris. Et ad argu. Vni vnum tantum eſt contrarium reſpon. hoc intelligendum eſſe in vere contrariis, vt ſunt patibiles qualitates, nam vni candori vnus ater, & vni calori vna frigiditas contrariantur: at in his, quæ ſunt diuerſa, & quæ non ſunt vere contraria, non eſt intelligenda propoſitio. Vni ſiquidem ſpeciei omnes aliæ, quæ in eodem genere continentur, contrariantur, atque ita cum hæ tres differentiæ non ſint contrariæ vera contrarietate, optime vni poterunt aliæ duæ aduerſari.

Ad 2. reſpon. neque genera ſuprema, neque differentias infimas differre, ſed eſſe primo diuerſ.s, ac proinde nullam ex his habet differentiam, quæ tantum poteſt illis conuenire, quæ inter ſe differunt, & non illis, quæ ſunt primo diuerſa. *Ad 2.*

Ad 3. de modis ſubſtantiæ, & accidentium, nimirum de eſſe per ſe, & in alio, reſpond. has non eſſe veras differentias, ſed modos quoſdam internos, etenim veræ differentiæ non participant genus, quod diuidunt, at eſſe per ſe, & in alio participant naturam entis, eſt enim illud incluſum in conceptu eſſentiali eius, quod eſt eſſe per ſe, & in alio, reuocantur autem ad differentias maxime proprias, quia ſecundum eſſentiam & diuidunt naturam ſuperioris, & conſtituunt inferiora, quæ ſub illis continentur. Simili modo, quo differentię maxime propriæ hoc præſtant. *Ad 3.*

Ad 4. reſpon. membra materialiter diuidentia, non pugnare inter ſe, vt recte confirmat argumentum: at formalia maxime pugnant, neque enim notio ſecunda differentiæ communis poteſt conuenire notioni differentiæ propriæ, neque hæc differentiæ maxime propriæ: dictum autem eſt, rem diuiſam in hac diuiſione non eſſe naturam notione affectam, vel differentiam ſumptam materialiter, ſed notionem ſecundam. Circa confirmationem de proprietate eſt controuerſia, num illa ad differentiam propriam, vel maxime propriam debeat reuocari. M. Soto *in quæſt. vnica huius cap. ad 3.* Mercado, Canterus, & alij putant, illam non contineri per ſe & directe ſub aliquo ex his tribus membris, ſed reuocari ad diffe- *Ad 4.*

Ad 1. arg. Iam ad argumenta: Ad primum reſpond. Porphyr. in propoſita definitione tantum definiſſe indiuiduum certum, ex hypotheſi, & ex demonſtratione, nam hæc indiuidua tantum dicuntur de vno. Vnde indiuiduum vagum non continetur ſub hac definitione. Quod ſi quis roget, quænam ſit definitio indiuidui vagi? Reſpond. hanc eſſe, illud quod exprimit naturam vniuerſam cum particulari modo exiſtendi. Et hinc colligo, indiuiduum prædicari homonyme de indiuiduo certo, & de indiuiduo vago, nam ſolum nomen eſt commune vtrique, ratio autem nomini accommodata diuerſa eſt in illis.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Ariſtot. per quendam hominem non intellexiſſe indiuiduum vagum, ſed indiuiduum certum, & determinatum, vt Petrum, vel Ioannem, nam hæc indiuidua ſunt, quæ non dicuntur de aliquo ſubiecto.

Ad 3. Ad 3. reſpond. in enuntiationibus ſubaduerſis vel ſubcontrariis eſſe idem ſubiectum, non quidem certum, & definitum, vt illi contendunt probare, ſed vagum & indeterminatum, quod quidem commune eſt ad indiuiduum affectum candore, & atrore, aut quouis alio colore.

Ad 4. Ad 4. reſpond. Caietanus, Porphyr. non inſtituere agere in hoc opere de omnibus prædicabilibus, ſed de illis tantum, quæ propoſuerat in præfatiuncula, & quia in ea tantum propoſuit has quinque voces vniuerſas, & non indiuiduum vagum, ob hanc rationem non egit de illo. Nos tamen reſpond. Porphyr. in hoc opere tantum agere de prædicabilibus ſynonymis & non de analogis, nam non agit de ente, quod eſt attributum analogum, & ita cum indiuiduum vagum ſit attributum analogum, non egit Porphyr. de illo.

Ad 5. Ad 5. quidam reſpond. duplex eſſe vniuerſum, vnum ſimplex, & alterum compoſitum. Vniuerſum ſimplex eſt natura ſeparata à proprietatibus ſingularibus: Compoſitum vero dicitur natura coniuncta cum proprietatibus ſingularibus, & modo eſſendi particulari non certo, ſed indefinito: dicunt igitur, indiuiduum vagum non eſſe vniuerſum ſimplex, ſed coniunctum, & ita neque erit genus, neque ſpecies, neque alia vox vniuerſa, quia vniuerſum, quod eſt diuiſum in has voces, eſt omnino ſimplex. Cæterum hæc ſolutio nobis diſplicet; nam vniuerſum, ſi vere & proprie de eo loqui cupimus, nulla ratione poteſt accommodari vniuerſo coniuncto, quia vniuerſum ſignificat naturam ſeparatam a proprietatibus ſingularibus, non poterit vocari vere, & proprie vniuerſa ſed homonyme, vt hominem pictum etiam vocamus hominem. Deinde indiuiduum, & vniuerſum maxime differunt, cum vtriuſque ſint differentiæ omnino contrariæ, ſcilicet eſſe coniunctum cum proprietatibus ſingularibus, & eſſe omnino ab eis ſeparatum. Vnde errabant hi conſtituentes, indiuiduum vagum eſſe verum & proprium vniuerſum. Quare argumento ſatisfacimus, omne quod prædicatur de multis vel eſſe vniuerſum, vel habere modum illius; nam anima rationis particeps etiam prædicatur de multis, vt de anima Petri, & de anima Pauli, quæ tamen ex communi conſenſu non eſt vniuerſa, quamuis obtineat modum vniuerſi. Pari quoque ratione quamuis indiuiduum vagum obtineat modum vniuerſi, quia dicitur de multis, non tamen eſt vniuerſum, quia vniuerſum debet eſſe vox ſynonyma, at indiuiduum vagum non eſt vox ſynonyma, ſed analoga.

Ad 6. reſpon. prædicari in quid, aut in quale eſſe differentias veri vniuerſi, indiuiduum vero vagum non eſt verum vniuerſum, ac proinde neque in quid, neque in quale prædicabitur, ſed in cuiuſmodi; nam roganti, quid eſt Petrus, dicimus eſſe hominem; roganti vero, cuiuſmodi homo ſit, vniuerſuſne vel ſingularis? Reſpond. eſſe ſingularem, & quendam hominem. Quod ſi dicas, Porphyrium non egiſſe de indiuiduo vago, & ita non eſſe illud conſtituendum? Reſpond. hoc argumentum eſſe infirmum, nam argumentum ab auctoritate negatiue (vt dicunt) nullum eſt. Et ita quamuis Porphyrius non egerit de indiuiduo vago, non propterea non erit illud conſtituendum. *Ad 6.*

DE DIFFERENTIA.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

TRIBVS partibus abſoluitur totum caput, in prima tradit Porphyrius quinque diuiſiones differentiæ: in ſecunda proponit quatuor diffinitiones: & tandem in vltima quandam obiectionem diſſoluit.

Differentia autem communiter, proprie, & maxime proprie dicitur. Aliud enim ab alio differre communiter dicitur, quod ſumpto vndecunque diſcrimine, vel a ſe differt, vel ab altero. Nam inter Socratem & Platonem intereſt aliquid: & a ſe differt Socrates, cum puer eſt, & cum in media ætate: cum quid agit, & cum nihil. Idque genus differentiæ ſemper in diſcriminibus ſpectatur iis, in quibus rei modus & affectio conſiſtit. Proprie autem inter aliqua intereſt, cum accidens id quod euelli non poteſt, diſſimilitudinem facit. Eſt autem accidens quod ſeparari non poteſt, vt cæcitas oculorum, naſi aduncitas, aut cicatrix quæ ex vulnere quaſi callum obduruit. Ea aũt maxime proprie inter ſe differunt, quæ differentia diſtant ea quæ ſpeciei eſt efficiens: velut homo ab equo differẽtia ſpeciẽ conſtituente differt, nempe ea qualitate ex qua rationis particeps dicitur. Omnino igitur differentia omnis id in quo ſit diuerſum ab altero facit. B. Sed hoc intereſt, quod cõmunis & propria diſſimile ac varium: ea aũt quæ eſt propria maxime, omnino aliud id in quo inſit, efficit: ita fit, vt quæ aliud efficiunt id, in quo ſita ſunt, ea ſpeciei efficientes appellentur, quæ autẽ diſſimile, ſimpliciter differentiæ. Nam & rationis particeps, ſi ad animal addatur, id ad aliud genus transfert, ſpeciẽq; animalis conficiet: at motus tantummodo & diſſimile facit quod quieſcit. Ita differentia illa ad aliud genus animal tranſtulit, hæc modo diſſimiles inter ſe res facit. Ac iis quidem differentiis quæ aliud genus efficiunt, & genera in ſpecies diuiduntur, & conficiuntur definitiones: vt quæ ex generibus & huiuſmodi differentiis conſtant. Ex iis autem quæ diſſimiles modo efficiunt, varietates ſolum, & rerum certe quodam modo affectarum mutationes conſtituuntur. C. Ergo vt paulo altius repetam, dicendũ eſt, differentias alias ſeparari poſſe ab eo in quo ſint, alias non poſſe: quandoquidem moueri, ſtare, ægrotare, valere, & cætera eiuſdem generis ſeparari poſſunt: aduncitas aũt naſi & narium, vt ita dicam ſimitas, & particeps, experſq; rationis, euelli, detrahiq; non poſſunt. D. Sed earum quæ ſeiungi nõ poſſunt, aliqua diſtinctio eſt. Aliæ enim per ſe conueniunt rebus, aliæ ex accidente. Nam homini per ſe conuenit rationis particeps & mortale, & aptum eſſe ad percipiendam ſcientiam, adunca autẽ & ſima nares, ex accidente non per ſe. E. Quocirca quæ per ſe inſunt, ea in definitione quæ rei vis & natura explicatur, adhibentur, iiſq; res alia efficitur: at quæ ex accidente, nec ad definitionem ſubſtantiæ adhibentur, non aliã rem faciunt ſed modo diſſimilem. F. Deinde quæ vi ſua & per ſe rei conueniunt, nec amplificari, nec minui poſſunt: quæ ex accidente, etiamſi ſeparari non poſſunt, tamen & intentionem capiunt & remiſſionẽ. Nam nec genus de iis quorum genus eſt magis ac minus dicitur, nec differentia generis, quibus diuiditur in partes: cum præſertim ea ſint ex quibus ratio cuiuſq; perficitur, ſua autem cuiq; rei eſſentia, ita vna atq; eadem eſt, vt nullam intentionem, nullam remiſſionem admittat. At vero aduncis ſimiſque naribus magis & minus eſſe, & colore aliquo quis leuiter vel multum infici imbuiq; poteſt. Iam ergo cum tria differentiarum genera eſſe perſpiciamus, & alia quæ abeſſe poſſunt, alia quæ non poſſunt, rurſumq; eorum quæ abeſſe non poſſunt, quædam quæ per ſe adſunt, nonnulla quæ ex accidente. G. Rurſum ex iis differentiis quæ per ſe inhærent, aliæ ſunt, quibus genera in ſpecies diuidimus: aliæ quibus quæ diuiſa ſunt ſpecies efficiuntur. Velut quoniam animalis per ſe differentiæ hæ ſunt, animatum, ſenſus rationiſq; particeps, & expers rationis, mortale & immortale hæ quidem duæ differentiæ, animatum & ſenſus particeps, animalis vim naturamq; conſtituunt. (Eſt enim animal nihil aliud, quam ſubſtantia animata, ſenſus compos) hæ autem, mortale & immortale, rationis particeps, & rationis expers, differentiæ ſunt quibus animal diuiditur: his enim in formas & ſpecies genera partimur. Sed quæ genera diſpertiunt, eadem formas ſpeciesq; complent, cum præſertim iis differentiis: particeps rationis & expers rationis, mortale & immortale, animal diſtribuatur in partes: ita tamen vt particeps rationis & mortale hominis, particeps rationis & immortale, Deorum: expers rationis & mortale, beluarum

Digitized by Google

ſpeciem compleant. Eademq; ratione cum ſumma ſubſtantiæ differentia diuidentes he ſint, animatum, inanimatum, ſenſus expers: ex his dua ille animatum & ſenſus particeps, ad ſubſtantiam addita, animal complent: he autem animatum & ſenſus expers, plantam. Quoniam igitur he omnes vno modo ſumta & intellecta efficientes ſunt formarũ, alio modo diuidentes, factum eſt, vt procreatrices formarum omnes ſint appellata: quarum quidem in generum diuiſionibus, rerumq; naturis definiendo explanandis vſus eſt maximus. at earum qua ex accidente inſunt, & ſeparari non poſſunt, non item; ac earũ multo etiam minor, qua abeſſe poſſunt. Has autẽ definiunt hoc modo H. Differentia eſt qua ſpecies genus ſuperat. Homo enim ratione & mortalitate ſuperat animal: nam animal nullam omnino earum continere, non eſt verum (vnde enim forma differentias haberent? neq; vere omnes habet contrarias, quoniam iſto pacto eadem res ſimul contrarias formas haberet: ſed vt vulgo exiſtimãt, poteſtate differentias qua ei ſubiecta ſunt, genera complectuntur, reipſa & actu nulla. Ita fit, vt nec quippiam ex iis qua nulla ſunt, fiat: nec in eodem ſint ſimul forma contraria. Atq; etiã hoc modo eam definiunt. I. Differentia eſt qua de multis, ſpecie autem differentibus, in quaſtione qua quale ſit indagatur, dicitur. Nã rationis particeps, & mortale de homine dicuntur, ſed in quaſtione qua quale quicq; ſit, non in ea qua quid quicq; ſit, quaritur. K. Cum enim quid ſit homo, interrogamur, apte reſpondemus, animal: cum vero quale ſit animal rogamur, particeps rationis & mortale recte reſpondemus. L. Nam cum res ex materia & forma conſtent, aut ex iis certe qua proportione quadam materia ac forma reſpondens ſit vt quemadmodum ſtatua ex æris materia ſit, & ex figura tanquam ex ſpecie: ſic homo & communis & ſub ratione ſpeciei, ex genere proportione materiæ, & ex differentia proportione formæ efficitur. Atq; vt illic totum quiddam eſt ſtatua, ſic hic animal rationis particeps mortale, homo M. Deſcribitur etiam etiã hoc modo, Differentia id eſt, quod vim habet ad ea ſecernenda qua ſubiecta ſunt ſub idem genus. Rationis enim particeps, & expers rationis hominem, equumq;, qui eidem generi quod eſt animal, ſubiecti ſunt, inter ſe diſtinguit & ſeparat. N Et hoc modo, Differentia eſt, quo quidq; diſtinguitur. Neq; enim genere inter ſe homo & equus differunt, quod & nos & equi ſumus animantes: ſed participes rationis cum acceſſit, nos ab illis ſeparauit. Item rationis participes ſumus nos quidem & Angeli: ſed cum additũ fuit mortale, nos ab illis diſtinxit. O. Sed illud intelligi par eſt, eos qui accuratius & perfectius differentia perſpiciunt ac perſequuntur rationẽ, non quiduis eorum qua diſtinguunt ea qua eidem generi tributa ſunt, in differentiarum numero habere, ſed quod ad rei eſſentiam eiusq; vim & naturam definitione aperiendam pertineat, quodq; ſit pars rei. Non enim aptum eſſe ad nauigandum, differentia hominis eſt, etiam ſi hominis ſit proprium. Dicamus enim licet, animantiũ alios aptos eſſe ad nauigandum, alios non eſſe, hominem ab aliis ſeparantes: ſed tamen aptum eſſe ad nauigandum, non explet eſſentiam hominis, nec eius pars eſt, verum conſequens naturæ vis quadam: quod nõ ſit differentia talis, quales ſunt ea quas efficientes formarum appellauimus. Quamobrem differentia procreatrices ſpecierum ſunt omnes que ſpecies inter ſe diſtinguunt, quaq; in rei natura explananda adhibentur. Ac de differentia quidem hac ſufficiant..

C O M M E N T A R I A.

HActenus de his attributis, quæ dicuntur in quid, egit Porphyrius, iam ad alia, quę prędicantur in quale, conuertit orationem. Verum quia inter attributa huius generis primum locũ tenet differentia, ab illa huius tractationis initium ducit, cuius diſputationem in prima parte capitis à quibuſdam diuiſionibus auſpicatur.

Pars capit. A *Differentia autem communiter &c.* Prima diuiſio eſt qua diuiditur differentia in communem, propriam, & maxime propriã. Differentia communis eſt accidens ſeparabile, per quod res habens illud ſeparatur ab altera, vel a ſe ipſa non habẽte, vt ſedere, & currere, nam ſedens per ſeſſionem ſeparatur vel à ſe ipſo, vel ab alio non ſedente, quæ tamen eſt accidens ſeparabile, cum ſtatim euaneſcat à ſubiecto. Differentia propria eſt accidens inſeparabile, ratione cuius res habens illud ſeparatur ab altera non habente, vt aduncitas, vel ſimitas narium, cicatrix in vultu, & perennis quædam ægritudo oculorum, nam homo habens aduncitatem narium, ratione illius ſeparatur ab homine non habente illam, eſtque perpetua, quæ nulla ratione poteſt à naribus auelli, differentia vero maxime propria vocatur illa, quæ vna cum genere cõſtituit ſpeciem, ſeparatq; illã ab aliis ſpeciebus contentis ſub eodẽ genere, vt rationis particeps eſt differentia maxime propria, nam vna cum animali conſtituit hominem, & ſeparat illum ab equo, & leone ab aliis ſpeciebus contentis ſub animali. Cæterum quamuis ſit cõmune omnibus his differentiis (inquit Porph.) res diuerſas efficere, & differentes, eſt tamen latum diſcrimen inter differentiam maxime propriam, & alias differentias, nam propria, & cõmunis efficiunt rem diuerſam, & diſſimilem, at vero maxime pro-

pria differentia conſtitnit rem aliam in eſſentia, & non ſolum diſſimilem in accidentibus.

2. *Diuiſio.* B *Sed hoc intereſt &c.* Secuuda diuiſio differentiæ eſt. Differentiæ quædam rem alteram, & diſſimilem, aliæ vero conſtitnnnt rem aliã, v.g. differentia communis, & propria efficiunt rem alteram, differentia vero maxime propria rem conſtituit aliam Intercedunt antem duo diſcrimina inter has differentias. Vnũ eſt, quia differentia quæ rem alteram efficit, ſimpliciter dicitur differentia, non quidem ob aliquam digni tatem, ſed potius ob ignobilitatem, quia nomẽ generis abſolute, & ſine vlla additione tribui ſolet ſpeciei ignobiliori. Dicimus enim abſolute equũ eſſe animal quia eſt ſpecies ignobilior homine. At vero differentia, quæ rem aliam efficit, non dicitur ſimpliciter differentia, ſed cum addito ſcil. differentia ſpecifica, & formatrix ſpecierum. Secundum diſcrimen eſt. Differentia quæ rem alterã efficit non continetur intra diffinitionem eſſentialem, neq; diuidit genus, neq. conſtituit ſpeciẽ, vt candor, vel ſedere neq. diuidunt animal, neq. conſtituunt hominem, differentia vero quæ rem aliam efficit, diuidit genus, & cõſtituit ſpeciem, & ita continetur in diffinitione explicante rei naturam, vt particeps rationis diuidit animal, & conſtituit hominem, contineturq. in diffinitione explicante quid ſit homo.

3. *Diuiſio.* C *Ego vt paulo altius repetam, &c.* Tertia diuiſio eſt. Differentiæ quædam ſunt ſeparabiles, aliæ inſeparabiles, ſeparabiles ſnnt, quæ ſtatim poſſunt à ſubiecto remoneri, vt ſunt omnes differentiæ communes. Inſeparabiles vero ſunt, quæ nulla ratione poſſunt à ſubiecto ſeparari, vt ſunt differentiæ propriæ, & maxime propriæ, nam aduncitas narium, quæ eſt differentia propria, & particeps rationis, qnod eſt differentia maxime propria, nullo modo poſſunt ſeparari à ſubiecto.

4. *Diuiſio.* D *Sed earum quæ ſeiungi non poſſunt &c.* Quarta diuiſio eſt. Differẽtiæ inſeparabiles quędam ſunt, quæ per ſe conueniunt ſubiecto, aliæ vero quæ accidentaria ratione, & fortuito de illo prædicantur. Differentia maxime propria per ſe competit ſubiecto, vt rationis particeps, per ſe competit homini, differentia vero propria, accidentario prædicatur, vt ſimitas accidentario prædicatur de homine. Proponit vero Porphyr. inter hæc duo genera differentiarum inſeparabilium, duo diſcrimina.

E *Quo circa ea quæ per ſe &c.* Primum eſt. differentiæ inſeparabiles, & per ſe, continentur in diffinitione eſſentiali explicante quid res ſit. vt rationis particeps continetur in diffinitione eſſentiali hominis: differentia vero inſeparabilis accidentaria, non continetur in definitione eſſentiali rei. vt aduncitas narium non continetur in diffinitione eſſentiali hominis.

F *Deinde quæuis ſua &c.* Secundum eſt. Differentiæ per ſe, & inſeparàbiles, neq; augentur, neque minnuntur, neq; recipiunt intenſionem, neque remiſſionem, vt particeps rationis, neque augetur neque minuitur, ſed ex æqno competit omnibus hominibus. Differentiæ vero inſeparabiles accidentariæ, augentur, & minuuntur, ſuſcipiuntque intenſionem, & remiſſionem, vt aduncitas narium maior eſt in vno homine, quam in alio.

G *Rurſus ex his differentiis &c.* Quinta diuiſio eſt. Differentiæ quædam ſunt diuidentes, & 5. *Diuiſio.*
aliæ conſtituentes v.g. in animali particeps vitæ, & ſenſus, ſunt differentiæ conſtituentes, at vero particeps, & expers rationis, ſunt differẽtiæ ipſius diuidentes, nam omne animal vel eſt particeps, vel expers rationis, mortale, vel immortale. Quæ diuiſio non eſt ita intelligenda, vt aliæ ſint differentiæ conſtituentes, & aliæ diuidentes, ſed intelligenda eſt ad hunc modum. Differentia quælibet duas rationes, vel duos actus continet, diuidere genera, & conſtituere ſpecies. Vnde ſi conferatur differentia cum generibus diuiſis, ratione huius actus, dicitur diuidens: ſi vero conferatur cum ſpeciebus conſtitutis, ratione huius alterius, dicitur conſtituens, vt particeps rationis, ſi conferatur cum animali quod diuidit, dicitur differentia diuidens, ſi vero conferatur cum homine quem conſtituit vocatur differentia conſtituens, non tamen diuidens.

H *Differentia eſt qua ſpecies &c.* In ſecunda parte capitis proponit Porph. quatuor differen- 2. *Pars capit.*
tiæ diffinitiones. Prima. Differentia eſt, qua me- 1. *Diffin. differ.*
dia ſpecies ſuperat genus, vt homo ſuperat animal, media differẽtia, quæ eſt rationis particeps. Nam cum ſpecies habeat omnia attributa generis, habeatque præterea differentiam, quæ nulla ratione poteſt generi conuenire, vt homo continet rationis particeps, quod nullo modo poteſt animali conuenire, differentia erit ratione cuius ſpecies ſuperat, & vincit genus, id eſt, ratione cuius habeat actu plura attributa quam habeat genus. Quærit tamen Porphyr. à quo oriantur ſpecificæ differentiæ. nam vel oriuntur à genere, vel ab ſpecie, vel à nihilo: à nihilo nullo modo poſſunt oriri, nam à nihilo nihil oritur, neque fit: neq. ab ſpecie, quia cum differentia, & ſpecies ſint vnum, & idem, ſi orientur ab ſpecie, orirentur quoque à ſe ipſis, quod fieri nullo modo poteſt: neque oriuntur, à genere, quia cum differentiæ ſint inter ſe contrariæ, ſi illæ orirentur à genere, duo contraria eſſent

Digitized by Google

in eodem ſubiecto, quod repugnat placitis omnium Philoſophorum, quod ſi ab his non oriuntur differentiæ à quo ergo illæ orientur? *…lutio.* Reſpondet Porphyr. differentias oriri à genere, in quo continentur ſola poteſtate, at contraria eſſe in aliquo ſubiecto ſola poteſtate, nullum eſt abſurdum.

Diffin. I. *Differentia eſt quæ de multis, &c.* Secunda diffinitio eſt. Differentia eſt quæ prædicatur de multis ſpecie differentibus in quale quid, vt rationis particeps, & mortale ſunt differentiæ hominis, nam prædicantur de illo in quale quid. Quę diffinitio eſt accurata cum ſeparet rem diffinitam à quolibet alio, nam per primam partem ſeparatur differentia ab indiuiduis quę tantum prædicantur de vno. Per ſecundam vero ſpecie differentibus, ſeparatur ab ſpecie & à proprietatibus ſpecificis, quæ tantum prædicantur de multis numero differentibus: Per tertiam vero in quale quid ſeparatur à genere & ab accidente communi, à genere, quia genus tantum prædicatur in quid, differentia vero in quale quid, ab accidente vero, quia prædicatur in quale accidentarium, & nõ eſſentiale. Probat deinde Porphy. duobus arg. differentiam prædicari in quale quid.

K *Cum enim quid ſit homo interrogamus, &c.* Primum. Illud prædicatur in quale quid, quod reſpondetur ad interrogationem effectam per quale quid, ſed ad interrogationem effectã per quale quid reſpondemus differentiam, ergo differentia prædicabitur in quale quid Confirmatur aſſumtio. Roganti quid eſt ſpecies reſponde. genus, vt roganti quid eſt homo, reſpondemus eſſe animal, roganti, vero quale animal ſit homo, reſpondemus differentiam, eſſe ſcilic. particeps rationis, ergo dicetur in quale quid.

L *Nam cum res ex materia & forma. &c.* Secundum argumentum. Forma eſt qualitas materiæ, ſed differentia habet locum formæ, genus vero locum materiæ, ergo differentia erit qualitas generis, quod ſi eſt qualitas, igitur prædicabitur in quale quid. Confirmatur aſſumtio, ex analogia quæ reperitur inter materiam, formam, ac totum compoſitum, & inter genus. differentiam ac ſpeciem Etenim quemadmodum ex materia & forma coaleſcit totum compoſitum, materia quæ eſt indeterminata ad hanc vel illam formam, vel ſpeciem, determinaturque adueniente forma ob quam cauſam vocatur illa ab omnibus Philoſophis qualitas materiæ. Pari quoque ratione ſpecies eſt totum compoſitum coaleſcens, ex genere atque differentia. Genus autem obtinet locum materiæ, differentia vero locum formæ, nam quemadmodum materia indifferens eſt, atque indeterminata ad omnes ſpecies, ita quoque genus eſt indifferens & indeterminatum ad omnes differentias. Forma vero habet ſimilitudinem cum differentia, & hæc cum illa, nam quemadmodum per formam materia continetur ſub determinata natura, ita quoque per differentiam genus continetur ſub determinata ſpecie. Vnde iure optimo dicetur differentia qualitas generis.

M *Deſcribunt eam etiam hoc modo. &c.* Tertia diffinitio eſt. Differentia eſt quæ ſeparat ea, quæ continentur ſub eodem genere, vt rationis particeps & expers ſunt differentiæ, quarum prima ſeparat hominem ab equo, ſecunda vero ſeparat equum ab homine, qui continentur intra idem genus animalis. *3. Diffin.*

N *Et hoc modo, &c.* Quarta diffinitio eſt. *4. Diffin.* Differentia eſt qua mediante res ſeparantur inter ſe, nam cum res omnes aliquo modo inter ſe conueniant, & aliquo differant, vt equus & homo conueniunt in animali, & differunt in participe & experte rationis, differentia dicitur illud quo mediante res ſeparantur inter ſe.

O *Sed illud intelligi pars eſt, &c.* In hac tertia *3 Pars capit.* & vltima parte capitis quandã obiectionẽ proponit Porph. aduerſus has duas poſteriores diffinitiones ea ſic ſe habet. Illæ diffinitiones non *Obiect.* ſunt accuratæ quæ competunt aliis à re diffinita, ſed hæ ſunt huiuſmodi, ergo non ſunt accurate. Confirmatur aſſumtio. Aptitudo ad nauigandum non eſt differentia hominis maxime propria, cum ſit accidens illius, ſed hęc ſeparat hominẽ ab aliis animalibus, ergo competunt illæ diffinitiones alteri à re diffinita. Huic ob- *Solut.* iectioni ſatisfacit Porphyr. dicens in propoſitis diffinitionibus addendas eſſe has particulas vt ſit pars, & de eſſentia rei, ita vt ſenſus illarum ſit tertia hic. Differentia eſt quæ ſeparat ea quæ continentur ſub eodem genere, & eſt pars, & de eſſentia rei. Quartæ vero iſte. Differentia eſt qua mediante res ſeparantur inter ſe, & eſt pars & de eſſentia rei. Quæ diffinitiones ſi ita intelligantur, ſunt accuratę & nullo modo competunt aptitudini ad nauigandum. Etenim quamuis per illam ſeparetur homo ab omnibus aliis animalibus, quia tamen neque eſt pars, neque de eſſentia ipſius hominis, non erit contenta ſub ratione differentiarum, quæ ſunt maxime propriæ, neque illi vlla ratione poterunt propoſitæ diffinitiones adaptari.

Digitized by Google

SCHOLIA IN CAPVT *de Differentia.*

1.*Obſeruat.* A 1. Differentia, ſi vim & ſignificationem nominis contemplemur, diſſimilitudo eſt, & rerum diuerſa qualitas: ſi vero ad rationem cauſæ attendamus, vt nimirum differentia eſt ratio, qua res vnaquæque eſt id, quod eſt & à cæteris ſecundum eſſentiam diſtinguitur, multo melius forma, quam differentia dici debuerat, vt recte Talęus *in ſcholiis huius capitis* animaduertit. Etenim formæ proprie competit eſſe illud ratione, cuius vnaquæque res eſt id, quod eſt, vt Ariſtot. 2. *Phyſic cap.3. &* 5. *Metaphyſic. cap. 2.* docuerat. Retinendum tamen eſt nomen differentiæ, cum Porphyrius & alij Dialectici poſt illum illud retinuerint. Verum cum aliud ſit differre, & aliud diuerſum eſſe, nam quæ ſeipſis ab aliis diſtinguuntur (vt genera ſuprema, & differentiæ vltimæ) ſunt diuerſa, quæ vero differunt, differentiis differunt: differentia, de qua hoc loco agit Porphyr. eſt ratio, ob quam aliqua inter ſe differunt, vel naturæ ſimilitudine diſtinguuntur.

1.*Obſer.* A 2. Poſt ſpeciem agendum eſſe de differentia, & nos ante illam *in cap. ſuperiori, & in cap. de genere, quæſt. 1.* oſtendimus luculenter. Eſſe autem ante proprium & commune accidens de ea diſputandum, non eſt, inquit Boetius, cur multis rationibus oſtendi debeat. Nam certum eſt, ea, quæ ad rei naturam & eſſentiam ſpectant, proponenda prius eſſe iis, quæ accidentario de rebus dicuntur: at differentia ſecundum eſſentiam de re dicitur, proprium vero & commune accidens accidentario prædicantur. Animaduertit etiam Boetius, hoc intereſſe inter duas primas & tertiam ſignificationem differentiæ, quia duæ primæ, communis ſcilicet & propria ſunt differentiæ indiuiduorum, nam accidentia communia ſiue fuerint ſeparabilia, ſiue inſeparabilia, primo conueniunt indiuiduis, quam naturis communibus. Tertia vero eſt propria differentia naturarum communium, eſt enim hæc formatrix eſſentiarum, quæ prius naturis vniuerſis, quam indiuiduis adaptantur.

.*Obſer.* A 3. Magnus eſt vſus differentiarum maxime propriarum in diffinitionibus, debet enim conſtare omnis diffinitio ex genere & differentiis. Verum maior eſt vſus in eiſdem differentiarum communium & propriarum, quia maxime propriæ latentes ſunt, & admodum obſcuræ, ac proinde difficiles ad intelligendum: at differentiæ communes & propriæ ſunt cognitu facilimæ, & ob hanc cauſam crebrius in diffinitionibus poterunt adhiberi.

A 4. Hanc eandem diuiſionem tradit D. Damaſcenus *in ſua Dialect. cap. 4.* 4 *Obſer.*

B. Eo ſeparat Porphyr. differentiam communem & propriam à maxime propria, quia duæ illæ priores ſimpliciter dicuntur differentiæ, poſterior vero non dicitur. Quod certe non debet aliquis putare propter aliquam dignitatem dictum eſſe, imo econtra dictum fuit propter imperfectionem illarum differentiarum, ita enim in rebus omnibus comparatum eſſe videmus, vt nomen generis ſimpliciter imperfectiori ſpeciei adaptetur: vt nomen animalis ſimpliciter de brutis dicitur, atque ita cum differentia communis & propria ſint differentiæ imperfectiores, quam maxime propria, ob hanc cauſam dicantur ſimpliciter differentię vt iam in comment. dixeramus.

C. Multa ex his, quæ in hoc cap. tradit Porphyrius, ſunt collecta ex Ariſtotele variis in locis, nam hæc diuiſio in diuidentes & conſtituentes propoſita fuit 2 *lib. de demonſtrat. cap. 14. &* 1. *Topicor. cap. 7. & 6. cap. 3.* & in multis aliis locis Metaphyſicis, in quibus ſcribit Ariſtoteles, genus diuidi per contrarias differentias, & differentiam vna cum genere conſtituere ſpeciem. Deinde quod ſcribit, differentias eſſe in genere poteſtate, collegit ex Ariſtotele 4. *Topicor. cap. 2. & 7. Metaphyſicor. cap* 12. vbi inquit, genus non participare naturam differentiarum, neque differentias naturam generis. Ad hæc quod ait, differentias prædicari in quale eſſentiale, poſtulauit ex *lib. 4. Topicor. cap. 2. & 6. cap. 3. & ex 5. Metaphyſic. cap. 14.* vbi Ariſtoteles vocat differentias qualitates, & *cap. 28. eiuſdem lib.* eodem qualitatis nomine ornat ipſas. Et tandem cum ſcribit, differentias maxime proprias neque augeri, neque minui, exprimit ſententiam Ariſtotelis, quæ legitur apud eum *6. Topicor. cap. 3.* nonnulla alia obſeruari poterant, quæ prætermittimus in quæſtionibus examinanda.

DISPVTATIO DE DIFFERENTIA IN duas ſectiones diſtributa.

ARGVMENTVM.

SVſceptam de Differentia diſputationem, in duas ſectiones diſtribuere viſum fuit, in quarum prima, quæ ad diuiſiones & diffinitiones illius attinent, proponemus: in altera vero ea tradem9, quæ ex comparatione illius cum genere, cum ſpecie, & cum ſuperioribus & inferioribus differentiis illi conueniunt, tum à quo petatur, & à quo ortum illa habeat, cuiuſque beneficio conſtet, explicabimus, ſicq; totam hanc de differentia diſputationem abſoluemus.

SECTIONIS PRIMÆ QVÆSTIO I.

An ſint vera, quæ a Porphyrio in hoc capite tradita fuerunt.

INprimis perpendamus, ſintne vera ea, quæ à Porphyrio in hoc capite tradita fuerunt, necne? Et quidem non eſſe vera, his argumentis poſſumus demonſtrare.

.Argum. 1. Differentia indiuidualis, per quam vnum indiuiduum ſeparatur ab altero eiuſdem naturæ, eſt vera & legitima differentia: ſed neque eſt communis, aut propria, quia hæ differentiæ ſunt accidentia: indiuidualis autem differentia attinet ad naturam indiuidui: neque eſt maxime propria, quia hæc iudicio Porphyrij conſtituit ſpeciem: differentia autem indiuidualis non conſtituit ſpeciem, ſed indiuiduum: ergo diuiſio prima differentiæ in cōmunem, propriam, & maxime propriam, non eſt accommodata, cum aliquid contineatur ſub te diuiſa, quod non comprehenditur ſub membris diuidentibus.

..Argum. 2. Indiuidua eiuſdem naturæ ſunt aliud, & aliud, nam aliud eſt Petrus, & aliud Ioannes: ſed indiuidua eiuſdem naturæ non differunt per differentiam maxime propriam, nam Ioannes & Petrus habeat communem eandem differentiam, quæ eſt particeps rationis: ergo non recte conſtitutum eſt à Porphyrio, differentiam maxime propriam efficere aliud & aliud.

.Argum. 3 Differentia indiuidualis eſt differentia propria: ſed poteſt illa à ſubiecto ſeparari: non ergo recte dictum eſt à Porphyrio in tertia diuiſione differentiam propriam, & maxime propriam eſſe inſeparabiles à ſubiecto. Confirmatur aſſumptio. Solæ differentiæ ſpecificæ ſunt inſeparabiles à ſubiecto, ſed differentia indiuidualis non eſt differentia ſpecifica, ergo eſt à ſubiecto ſeparabilis.

4. Differentia albedinis, per quam ſeparatur a nigredine, eſt differentia maxime propria, vt diſgregare viſum; ſed illa recipit magis & minus: ergo differentia maxime propria recipiet magis & minus. Et ita non recte docuit Porphyrius in quarta diuiſione, differentiam maxime propriam, quam vocat inſeparabilem, per ſe non recipere magis & minus. Confirmatur aſſumptio. Differentia albedinis eſt qualitas, ſed proprium eſt qualitatis recipere magis & minus, quemadmodum docet Ariſtoteles *in categoriis, cap. de qualitate.* ergo differentia albedinis recipiet magis & minus. 4. Argum.

Præterea. Particeps rationis eſt differentia maxime propria hominis, ſed particeps rationis recipit magis & minus, ergo differentia maxime propria recipiet magis & minus. Confirmatur aſſumptio. Quidam homines ſunt ingenio ſubtiliores, & intellectu acutiores, aliis hominibus ad ratiocinandum, recipit ergo particeps rationis magis & minus. 5. Argum.

Iterum, capax diſciplinæ eſt differentia propria, ſed capax diſciplinæ non recipit magis & minus, ergo differentia propria non recipit magis & minus. Confirmatur aſſumptio. Cuius ſubiectum non recipit magis & minus, nec ipſum etiam poteſt recipere magis & minus, ſed ſubiectum capacitatis diſciplinæ non recipit magis & minus, quod eſt eſſentia hominis, quæ non recipit magis & minus, ergo neque capacitas diſciplinæ recipiet magis aut minus. 6. Argum.

Adhæc, particeps & expers rationis, ſunt differentiæ diuidentes animal, ſed non conſti- 7. Argum.

tuunt

tuunt aliquam ſpeciem, non ergo ſunt eædem differentiæ diuidentes & conſtituentes. Confirmatur aſſumptio. Negatio nihil conſtituit, ſed expers rationis eſt negatio participis rationis, ergo expers rationis nihil conſtituet, & ita non recte conſtitutum eſt a Porphyrio, eaſdem eſſe differentias diuidentes & conſtituentes.

Eſſe tamen vera ea, quæ a Porphyrio in hoc cap tradita fuerunt, non alia ratione, quam illius. & omnium Dialecticorum auctoritate confirmamus, atque ita illico erit argumentis propoſitis ſatisfaciendum.

Ad 1. argum. *Ad primum reſpond.* Differentiam indiuidualem reuocandam eſſe ad differentiam maxime propriam, nam omnis differentia, quæ conſtituit rem ſecundum eſſentiam & naturam, vocari debet maxime propria. Vnde cum non ſolum differentia ſpecifica, verum etiam differentia indiuidualis, conſtituat rem (vt indiuiduum) ſecundum eſſentiam, non ſolum differentia ſpecifica, ſed etiam indiuidualis vocari debet maxime propria.

Ad 2. *Ad ſecundum reſpond.* hanc vocem, aliud, poſſe ſumi, vt eſt nomen ſubſtantiuum neutrius generis, aut vt eſt nomen adiectiuum, vt adnotat D. Thom 1 *p. quæſt. 31. artic. 2. ad 4. argum.* Si ſumatur, vt eſt nomen ſubſtantiuum, denotat naturam & eſſentiam, quæ informis, quemadmodum genus neutrum dicitur informe. Si vero ſumatur, vt eſt nomen adiectiuum, exprimit ſuppoſitum, vel indiuiduum, vt Petrum, vel Ioannem. Ad argumentum ergo diſtinguenda eſt propoſitio, nam ſi hoc nomen, aliud, ſumatur ſubſtantiue, eſt falſa, non enim eſt alia natura in vno indiuiduo, & alia in altero, cum omnia conueniant in vna & eadem natura ſpecifica. Si vero ſumatur, vt eſt nomen adiectiuum, vera eſt propoſitio. Ceterum hoc modo aliud & aliud non habent ortum a differentia maxime propria, ſed a qualibet differentia indiuiduali. Attamen cum nomina adiectiua ſemper vniantur cum nominibus ſubſtantiuis, non dicemus abſolute, duo indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe aliud & aliud, ſed adhibito nomine ſubſtantiuo, dicemus, eſſe aliud ſuppoſitum, vel aliud indiuiduum.

Ad 3. *Ad tertium reſpond.* falſam eſſe aſſumptionem, & ad probationem dicimus, falſam quoque eſſe propoſitionem, non enim ſola differentia ſpecifica eſt inſeparabilis a ſubiecto, ſed etiam multæ differentiæ indiuiduales ſunt quoque a ſubiecto inſeparabiles, vt illæ, quæ habent principium in ſubiecto, quo illi ſemper inhæreant, vt eſt aduncitas narium, vel aquilinitas.

Ad 4. *Ad quartum reſpon.* Differentiam albedinis referri poſſe vel ad ſubiectum, quod denominat, vt ad parietem, vel ad niuem, quæ diſgregant viſum, vel ad albedinem, quam conſtituit. Si referatur ad ſubiectum, recipit magis & minus, poteſt enim illa vehementius, aut minus vehementer imprimi in ſubiecto. Cæterum hac ratione non obtinet locum differentiæ, ſed communis accidentis. Si vero altero modo vſurpetur, non recipit magis & minus, nam differentiæ rerum, ſicuti & eſſentiæ, conſiſtunt in indiuiſibili, qua ratione habent locum differentiæ. Vnde negandum erit, differentiam albedinis ſub ratione differentiæ recipere magis & minus. Neq; hæc ſunt dicta a nobis abſq; auctoritate Ariſt. nam ipſe in categoria qualitatis expreſſe fatetur, qualitatem non recipere magis & minus, ſed quale. Quod idem eſt, ac ſi diceremus, vnam qualitatem in ordine ad alteram, vt compon. t illam, non recipere magis & minus, ſed in ordine ad ſubiectum, vt denominat illud.

Ad 5. *Ad 5. reſp.* Falſam eſſe aſſumptionem, ad probationem vero dicimus, illud non prouenire ratione differentiæ, ſed ratione corporis & ſenſuum. nam cum anima rationis particeps, quamdiu eſt in corpore, hauriat a ſenſibus cognitionem, illi homines erunt acutiores, quorum ſenſus nobiliori modo miniſtrabunt intellectui rationem cognoſcendi.

Ad 6. *Ad 6. reſp.* non omnem differentiam propriam recipere magis & minus, ſed aliquam tantum, vt eſt aduncitas narium, & ægritudo oculorum. Neque Porphyrius inſtituit docere omnem differentiam propriam recipere magis & minus, ſed inſtituit tradere diſcrimen inter differentias proprias & maxime proprias, quia ex maxime propriis nulla recipit magis & minus, ex propriis vero aliqua poteſt recipere magis & minus. Vel reſp. cum M. Soto ex differentiis propriis quaſdam eſſe indiuiduales, & alias ſpecificas: indiuiduales ſunt, vt aduncitas narium, ſpecificæ vero, vt capacitas diſciplinæ. Quando ergo conſtituit Porphyr. differentiam propriam recipere magis & minus, intelligendus eſt de differentia propria indiuiduali, non autem de ſpecifica.

Ad 7. *Ad ſeptimum reſpond.* expers rationis non eſſe differentiam veram & legitimam, cum ſit negatio, ſed ſumi loco differentiæ. Nam cum nos lateant rerum differentiæ, ſitque nobis cognita differentia hominis, per negationem huius cognitæ exprimimus differentias alias incognitas. Porphyrius autem tantum eſt

loqu-

non pugnarent inter ſe, nam eidem naturæ ſubiectæ notioni, competit eſſe differentiam communem, propriam, & maxime propriam, nam diſgregare viſum reſpectu diuerſorum ſubiectorum, eſt differentia communis, propria & maxime propria, communis reſpectu parietis, propria reſpectu cygni, & maxime propria reſpectu candoris, at in optima diuiſione membra debent eſſe inter ſe oppoſita, non igitur erit res diuiſa natura aliqua ſubiecta notioni.

3. Concl. *3. Concl.* Id, quod diuiditur in hac diuiſione, eſt notio ſecunda differentiæ, id eſt, forma quædam rationis, qua media natura aliqua diſtinguit vnam rem ab alia, aliquo ex his tribus modis recenſitis. Hæc videtur eſſe Auicennæ, Auerrois, B. Alberti Mag. Caietani, & multorū aliorum, qui dicunt, hanc diuiſionem differētiæ eſſe diſſimilem diuiſioni generis ſeu ſpeciei in ſuas ſignificationes: nam in diuiſione generis aut ſpeciei non omnia membra diuidentia ſpectant ad Dialecticum, at in hac diuiſione omnia membra ſpectant ad illū, quare cum Dialecticus tātum agat de ente rationis, quod eſt ſecunda notio, in hac diuiſione res diuiſa tantum erit ſecunda notio. Num autem ſit hæc diuiſio generis in ſpecies, vel analogi in analogata, aut vocis ambiguæ in ſua ſignificata, in quæſtione ſequenti explicabimus.

Obiectio. Sed contra dicet aliquis, Dominicus à parte rei differt à Thoma per differentiam aliquam propriam, v.g. per cicatricem in vultu, aut per curuitatem in naribus. ergo differentia maxime propria erit à parte rei, & ex conſequenti non erit ſecunda notio illud, quod in has differentias eſt diſtributum. Huic tamen

Solutio. reſp. Dominicum & Thomam ſumi poſſe, vel vt ſunt phyſice quædam indiuidua, vt ſcilicet componuntur ex hac materia & ex hac forma ſingulari, vel vt ſunt indiuidua quædam Logica, vt nimirum ſignificāt notionem quandam ſecundam, à qua dicuntur certa & diffinita indiuidua. Primo modo verum eſt, Dominicum & Thomam diſtingui per differentias indiuiduales, quæ ſunt à parte rei: altero vero modo (qua ratione hic agimus) negandum eſt diſtingui per aliquam differentiam propriam à parte rei, nam curuitas narium, & cicatrix in vultu non ſunt differentiæ Logicæ, ſed Phyſicæ. Notio vero, ob quam hæ naturæ vnum ab alio ſeparant, eſt differentia Logica.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta. *Ad primum reſpond.* falſum eſſe, omnem optimam diuiſionem tradēdam eſſe per duo membra, hæc enim ſententia erat Platonis *in Sophiſta*, quam ſequutus fuit Boetius *in libell. de diuiſionib.* Ariſt. enim 1. *lib. de part. animal. cap. 3.* contrarium exiſtimat, diuiſionem nimirum aliquando eſſe tradendam per duo, aliquando per tria, & aliquando per plura membra. Etenim illa diuiſio boni in honeſtum, vtile, & delectabile, quam omnes laudant, non per duo, ſed per tria membra eſt tradita. Non igitur propterea non erit hæc optima diuiſio, quia eſt trimembris. Et ad argu. Vni vnum tantum eſt contrarium reſpon. hoc intelligendum eſſe in vere contrariis, vt ſunt patibiles qualitates, nam vni candori vnus atror, & vni calori vna frigiditas contrariantur: at in his, quæ ſunt diuerſa, & quæ non ſunt vere contraria, non eſt intelligenda propoſitio. Vni ſiquidem ſpeciei omnes aliæ, quæ in eodem genere continentur, contrariantur, atque ita cum hæ tres differentiæ non ſint contrariæ vera contrarietate, optime vni poterunt aliæ duæ aduerſari.

Ad 2. *Ad 2. reſpon.* neque genera ſuprema, neque differentias infimas differre, ſed eſſe primo diuerſa, ac proinde nullam ex his habet differentiam, quæ tantum poteſt illis conuenire, quæ inter ſe differunt, & non illis, quæ ſunt primo diuerſa.

Ad 3. *Ad* 3. de modis ſubſtantiæ, & accidentium, nimirum de eſſe per ſe, & in alio, reſpond. has non eſſe veras differentias, ſed modos quoſdam internos, etenim veræ differentiæ non participant genus, quod diuidunt, at eſſe per ſe, & in alio participant naturam entis, eſt enim illud incluſum in conceptu eſſentiali eius, quod eſt eſſe per ſe, & in alio, reuocantur autem ad differentias maxime proprias, quia ſecundum eſſentiam & diuidunt naturam ſuperioris, & conſtituunt inferiora, quæ ſub illis continentur. Simili modo, quo differentię maxime propriæ hoc præſtant.

Ad 4. *Ad 4. reſpon.* membra materialiter diuidentia, non pugnare inter ſe, vt recte confirmat argumentum: at formalia maxime pugnant, neque enim notio ſecunda differentiæ communis poteſt conuenire notioni differentiæ propriæ, neque hæc differentiæ maxime propriæ: dictum autem eſt, rem diuiſam in hac diuiſione non eſſe naturam notione affectam, vel differentiam ſumptam materialiter, ſed notionem ſecundam. Circa confirmationem de proprietate eſt controuerſia, num illa ad differentiam propriam, vel maxime propriam debeat reuocari. M. Soto *in quæſt. vnica huius cap. ad 3.* Mercado, Cantetus, & alij putant, illam non contineri per ſe & directe ſub aliquo ex his tribus membris, ſed reuocari ad diffe-

rentiam maxime propriam, nam quamuis neque conſtituat, neque diſtinguat ſpeciem, infert tamen differentiam ſpecificam, competitque per ſe & primo ſpeciei, & non indiuiduo, quæ duo efficiunt, vt aliquid ſub differentia maxime propria contineatur. Alij tamen, vt Caietanus, Louanienſes, Villalpandus, Mathyſius, econtra putant contineri ſub differentia propria, quia cum faciat differre formaliter & inſeparabiliter, ſub differentia propria continebitur, quæ ſententia meo iudicio videtur eſſe probabilior. Atque ita ad argum. reſpon. quod quamuis capacitas diſciplinæ non recipiat magis & minus, nihilominus quia non eſt formatrix alicuius ſpeciei, non erit differentia maxime propria, nam hæc differentia præter hoc, quod eſt non admittere magis & minus, debet eſſe formatrix alicuius ſpeciei.

Ad 5. *Ad 5 reſp.* animal ratione ſui non ſecerneret hominem ab arbore, ſed ratione ſentientis, ac proinde non erit differentia, quia differentia debet eſſe illa, quæ ratione ſui, & non alterius, rem vnam ab altera diſtinguat.

QVÆSTIO III.

An hæc prima diuiſio ſit analogi in analogata, necne?

PRoxime ſequitur, vt inueſtigemus, ſitne hæc diuiſio analogi in analogata, necne? Et quidem non eſſe, ſed eſſe generis in ſpecies, aut vniuoci in vniuocata, his argumentis confirmatur: 1. argum. *Primum* petitum eſt ex Porph. qui in hoc cap. inquit, commune eſſe his tribus differentiis, facere differre, & paulo inferius hæc tria membra vocat ſpecies differentiæ, erit igitur illa generis in ſpecies.

2. argum. 2. Differentia, quæ conſtituit hanc vocem prædicabilem, amplectitur differentiam communem, propriam, & maxime propriam, ſed differentia, quæ conſtituit hanc vocem prædicabilem, eſt natura ſynonyma, nam eſt ſpecies vniuerſi, omnis autem ſpecies eſt natura ſynonyma, ergo differentia erit natura ſynonyma ad hæc tria membra propoſita.

3. argum. 3. Ad interrogationem effectam per quid, in ſingulis ex his membris reſpon. differentiam, nam interroganti, quid eſt differentia communis, reſpon. eſſe differentiam, & interroganti, quid ſit propria differentia, idem reſpondemus, & idem interroganti, quid ſit differentia maxime propria: ſed illud eſt genus, quod reſpondemus ad interrogationem effectam per quid, in his, quæ ſpecie differunt, ergo differentia erit natura ſynonyma & generica ad hæc tria membra.

Vltimo. Eadem eſt habitudo notionis differentiæ ad hæc tria membra, quæ notionis generis ad animal & colorem, vel quæ eſt relationis ad genera categoriæ ſubſtantiæ & accidentium, ſed quamuis animal & color phyſice loquendo maxime differant (genere ſcilicet categoriæ) & quamuis accidens dependeat à ſubſtantia, nihilominus notio generis de his omnibus prædicatur ſynonyme, nam eſſe genus ex æquo competit animali & colori: & relationis ratio ex æquo prædicatur de genere categoriæ ſubſtantiæ, & categoriarum accidentium: ergo quamuis differentia communis, propria, & maxime propria phyſice loquendo maxime differant, tamen poterit eſſe ratio differentiæ illis tribus ſynonyma & generica. Vlt. argum.

Hæc quæſtio anceps eſt, & dubia inter Dialecticos, in qua explicandæ ſunt tres opiniones. *Prima* Petri Nigri *quaſt. 52. clypei, in ſolutione primi*, Arciſij & Montaneſij in hoc loco, eſſe hanc diuiſionem vocis homonymæ & ambiguæ in ſua ſignificata. 1. Opinio.

2. eſt Louanienſium, & multorum recentiorum, qui opinantur eſſe diuiſionem vniuoci in vniuocata, vel generis in ſpecies, quam confirmant argumentis in principio huius q. à nobis propoſitis. 2. Opinio.

3. eſt communior multo, & verior, eſſe illam diuiſionem analogi in analogata, nam facere differre, quæ eſt res diuiſa, non ex æquo competit differentiæ maxime propriæ, & aliis duabus, magis ſiquidem dicitur de maxime propria, quam de communi vel propria. Sequuntur hanc B. Albertus Mag. *tract. 5. in Porph. c. 1.* Caiet. M. Soto, & Scotus *in q. 23.* 3. Opinio.

In explicationem igitur ſit *prima concluſio.* Hæc diuiſio non eſt vocis ambiguæ & homonymæ in ſua ſignificata. Hæc eſt aduerſus Nigrum, Arciſium, & Montaneſium, & confirmatur perfacili argumento. In diuiſione vocis ambiguæ, præter vocis ſignificationem nulla ratio ſignificata diuiditur, quemadmodum in ea diuiſione, qua diuidimus canem in cœleſtem, domeſticum, & marinum, præter multiplicem vocis ſignificationem, nullam rationem his canibus communem diuidimus, ſed in hac diuiſione præter variam & multiplicem nominis differentiæ ſignificationem diuidimus rationem aliquam his tribus differentiis communem, ſcilicet hanc, quæ eſt facere differre, ergo hæc diuiſio non erit vocis homonymæ & ambiguæ in ſua ſignificata. 1. Concluſio.

2. *Concl.* Hæc diuiſio non eſt alicuius naturæ ſynonymæ, vel vniuocæ in ſua membra diuidentia, qualis eſt animalis in hominem & 2. Concluſio.

brutum,

brutum, & coloris in candorem & atrorem. Hæc eſt aduerſus Louanienſes, & alios. Quæ
1. Argum. confirmatur *primo*. Ratio differentiæ, quæ eſt facere differre, non ex æquo competit his tribus differentiis, ergo non erit illa ratio ſynonyma. Conſequentia perſpicua eſt, confirmatur antecedens ex Porphy. qui in ſecunda diuiſione hoc diſcrimen conſtituit inter has differentias, vt ſcilicet differentia maxime propria faciat rem aliam, communis vero & propria rem alteram, aut diſſimilem, quæ certe rationes faciendi differre diuerſæ ſunt, maximeque diſtantes. Et deinde idem Porphyr pergens in modo, quo efficiunt res diuerſas hæ differẽtiæ, inquit, differentiam maxime propriam efficere rem diuerſam ſecundum eſſentiam, quia eſt formatrix illius, alias vero communem & propriam non efficere ita rem diuerſam, ſed ſecũdum accidentia, ſiue ſeparabilia, ſiue inſeparabilia, nõ igitur ratio differentiæ ex æquo con-
2. Argum. ueniet his tribus differentiis. Iam. Facere differre eſt quædam proprietas conſequens entitatem, nam idem & diuerſum ſunt proprietates entis, ergo eo modo facere differre conueniet his tribus differentiis, quo illis conueniet conferre eſſe, ſed conferre eſſe non competit illis vniuoce, ſed vni ſimpliciter, & aliis ſecundum quid, tantum ſiquidem differentiæ maxime propriæ competit conferre eſſe ſimpliciter, communi vero & propriæ conferre eſſe ſecundum quid, vt homini particeps rationis (quod eſt differentia maxime propria) confert illi eſſe ſimpliciter, capacitas vero diſciplinæ (quæ eſt differentia propria) & ſedere, vel ſtare (quæ ſunt differentiæ communes) conferunt illi eſſe ſecundum quid, ergo non conueniet vna & eadem ratione his tribus differentiis conferre eſſe. Iterum, differẽtia, quæ conſtituit hanc vocem prædicabilẽ, eſt tantũ differentia maxime propria, ſed illa, quæ conſtituit hanc vocẽ prędicabilem, eſt differẽtia ſimpliciter, ergo tantũ differentia maxime propria erit differẽtia ſimpliciter, quare non poterit ratio differentiæ illi & aliis duab. ſynonyme conuenire, nam ratio, quæ alicui cõpetit ſimpliciter, & aliis ſecũdum quid, non poteſt vocari vllo modo ſynonyma.

3.Concl. 3.*Concl.* Id quod diuiditur in hac diuiſione, non eſt genus, vnde hæc diuiſio non erit generis in ſpecies. Hæc eſt aduerſus eoſdem Louanienſes, quæ ſuadetur primo.

1. Argum. In diuiſione generis in ſpecies res diuiſa eſt natura ſynonyma, ſed confirmatum eſt in ſuperiori concluſione, differentiam non eſſe naturam ſynonymam ad hæc tria membra, ergo non erit diuiſio generis in ſpecies.

Iterum. Omne genus debet eſſe extra ratio *2. Argum.*
nem ſuarum differentiarum, ſed differentia non eſt extra rationem harum differentiarum, ergo non poterit illa eſſe genus ad has differentias Propoſitionem tradit Ariſtoteles 3. *Metaphyſ. cap.* 3. Confirmatur aſſumptio. Facere differre eſt conceptus differentiæ, per quem ſeparatur differentia communis à propria, & hæc à maxime propria (illud enim, per quod hæ differentiæ ſeparãtur, nihil eſt aliud, quam forma quædam, per quam hæ differentiæ inter ſe ſecernuntur) ſed differentia eſt incluſa in huiuſmodi conceptu, includitur enim illa in eo, quod eſt facere differre, ergo differentia nõ erit extra conceptum harum trium differentiarum.

Addo, in diuiſione generis in ſpecies, mem- *3. Argum.*
bra diuidentia ex æquo participare naturam generis: at hæc tria membra non ex æquo participant naturam differentiæ: nam differentia maxime propria multo magis facit differre, quam communis & propria, vnde & à Porphyrio dicitur propriiſſime differentia, vel maxime propria, quaſi in illa ratio differentiæ magis ſplendere videatur, & differentia propria multo magis ſeparat rem vnam ab altera, quam communis, non igitur erit hæc diuiſio generis in ſpecies.

4.*Concl.* Hæc diuiſio eſt analogi in analoga- *4.Concl.*
ta. Hanc eum profitemur cum B. Albert. Mag. Caietan. Scoto, M Soto, vbi ſupra, quæ confirmatur.

Illa eſt diuiſio analogi in analogata, in qua *1. argum.*
res diuiſa dicitur de membris diuidentibus ſecundum magis & minus: ſed hæc diuiſio eſt huiuſmodi, nam differentia, quæ eſt res diuiſa, magis dicitur de differentia maxime propria, quam de communi & propria, ergo hæc diuiſio erit analogi in analogata

Præterea. Subſtantiæ & accidenti nihil po- *2. argum.*
teſt eſſe commune, niſi analogum, ſed pleræque ex differentiis maxime propriis, ſunt ſubſtantiæ, differentiæ vero communis & propria, ſunt accidentia, propria eſt accidens inſeparabile, communis vero ſeparabile, ergo his differentiis nihil poterit eſſe commune, niſi analogum, quare & differentia, quæ in hæc membra eſt diſtributa, erit natura analoga.

Quinta concluſio. Differentia vtroque gene- *5.Concl.*
re analogiæ, & attributionis, & proportionalitatis eſt analoga ad differentiam communem, propriam, & maxime propriam: Eſſe analogam analogia attributionis, videtur aſſerere Scotus *in quæſtione indicata*, in qua inquit, differentiam eſſe homonymã ad hæc tria mẽbra,

nis ex æquo dicitur de generibus categoriæ ſubſtantiæ, atq; etiam de generibus categoriarum accidentium, at facere differre (quod proprium eſt differentiæ) non ex æquo cōpetit differentię cōmuni, propriæ, & maxime propriæ, ſed magis competit differentiæ maxime proprię, quam propriæ, & huic quam communi, ac proinde non eodem modo ſeſe habebit differentia ad hæc membra quo ſe habent illa priora ad ſua inferiora.

QVÆSTIO IV.

An differentia ſpecifica diuidat per ſe Genus.

QVatuor actus tribuuntur differentiæ ſpecificę, qui ex Porph. in hoc cap. non obſcure colliguntur. Primus eſt diuidere genus, ſecundus eſt conſtituere ipſam ſpeciem, tertius autem actus eſt diſtinguere illam ſecundum eſſentiam ab omnibus aliis, & quartus prædicari in quale ſecundum eſſentiam, vel in quale quid. Cum igitur hi omnes actus differentiæ ſpecificæ conueniant, quærimus an vere primus actus, qui eſt diuidere genus, poſſit illi conuenire. Partem negantem his argumentis confirmo. *1. Argum.* *Primum*: Nihil vere, & per ſe diuidit illud, quod in ſe continet, nam diuidere, & continere, inter ſe maxime pugnant, ſed differentia ſpecifica vere, & per ſe continet genus, v. g. rationale vere & per ſe continet animal, ergo differentia ſpecifica non poterit vere, & per ſe diuidere genus. Propoſitio eſt perſpicua, confirmatur aſſumptio. Quia rationale non vnitur accidentario cum animali. Tum etiam quia rationale eſt ens, ergo vel ſubſtantia, vel accidens. Præterea ſi ſubſtantia, ergo vel corporea, vel incorporea, deinde ſi corporea, aut eſt viuens, aut non viuens: adhæc ſi viuens aut ſentiens, aut non ſentiens, quare cum non ſit non ſentiens, erit ſentiens. Vere igitur & proprie rationale, animal quod eſt genus continebit.

2. Argum. 2. Nulla pars contrahere poteſt, aut diuidere totum illud in quo ipſa actu reperitur, ſed quælibet differentia ſpecifica actu reperitur in genere, quia omnes differentiæ ſpecificæ infra ambitum generis ſunt comprehenſæ, ergo nulla differentia ſpecifica vere & per ſe poterit diuidere genus.

3. Argum. *Præterea*. Nulla ſubſtantia poteſt per ſe diuidi per accidentia, ſed differentiæ ſpecificæ ſunt quædam accidentia generis: genus vero ad ſubſtantiam ſpectat, ergo vere & per ſe illud diuidere nullo modo poterunt. Confirmatur aſſumptio ex Ariſt. variis in locis in quibus docet differentias eſſe quaſdam qualitates, vt 4. Topic. c. 6. 5. *Phyſ c. 2. & 5. Metaph c. 14. & 28.* at qualitas eſt verum & legitimū accidens, quare differentiæ ſpecificæ erunt quædam accidentia. Accedit etiam differentiam ſubſtantiæ nō eſſe vere & proprie ſubſtantiam, vt oſtendemus in cap. de ſubſtantia, erit igitur differentia ſpecifica accidens, quia quod non eſt vere & proprie ſubſtantia, accidens neceſſario erit.

4. Argum. *Iterum*. Id quod diuiditur non remanet totū in partibus diuidentibus: nam per diuiſionem in plura diſtrahitur, ſed tota eſſentia animalis v. g. (quod eſt genus) manet in quolibet homine & equo, ergo animal vere & per ſe non diuidetur à rationis participe, vel experte.

1. Obſeru. His argumentis poteſt pars negans ſuaderi, quibus nihil impedientibus, adnotandum eſt illud quod ſępe in ſuperioribus diximus quodlibet genus, vt animal, v. g. poſſe ſumi, aut vt eſt totum quoddam actu diffinibile, aut ea ratione qua eſt totum vniuerſum. Primo modo iam eſt contractum, & non poteſt ab aliquo contrahi, vel limitari. Secundo vero adhuc ſumi poteſt, vel cum præciſione, vel vt confuſe continet quidquid in inferioribus reperitur. *Conſectarii* Nam quemadmodum materia prima ſumi poteſt, vel ea ratione qua eſt totum quoddam diffinibile, vel vt denotat habitudinem ad formas à quibus poteſt contrahi, & limitari: ita etiam genus poteſt ſumi, vel vt eſt totum quoddam quod poteſt diffiniri, aut vt poteſt à differentiis ſuarum ſpecierum limitari. Ex hac re colligere licebit duo eſſe genera partium in quas diſſoluitur natura aliqua generica, ſcilicet partes ſecundum actū, & partes ſecundum poteſtatem: nam vt eſt totum quod poteſt diffiniri, diuiditur in partes ſecundum actum, vt autem eſt totum vniuerſum, diuiditur in partes ſecundum poteſtatem. Sumamus exemplum in natura animalis, quæ eſt generica, illa in hæc duo genera partium poterit diuidi, vt eſt totum actu, vel vt eſt totum quod poteſt diffiniri diuiditur in ſuas partes definientes, & actu: nimirum in hæc attributa quæ ſunt ſubſtantia, corpus, corpus animatum, & ſentiens: vt autem eſt totum quoddam vniuerſum, diuiditur in hominem, & brutum, quæ in animali ſola poteſtate continentur.

2. Obſeru. Illud etiam ſciendum erit qualitatem in cōmuni nihil aliud eſſe quam formam quæ dat eſſe rei, quæ ſi contulerit eſſe accidentarium, erit qualitas accidentaria, vt ſunt omnia accidentia, quæ (vt ita dicam) qualificant ſubiectum cui inhærent, illique tribuunt eſſe accidentarium: ſi vero contulerit eſſe ſubſtantiale, qualitas quoque ſubſtantialis nuncupabitur: & hæc vel eſt forma naturalis quæ confert eſſe naturale, vel

forma Metaphyſ. ſcilicet differentia, quæ dat eſſe ſubſtantiale Metaphyſicum, vna cum genere rei naturam & eſſentiam conſtituens.

1. Concluſ. His animaduerſis ſit prima concluſio. Nulla differentia ſpecifica eſt ſpecies qualitatis: ſed vnaquæque continetur ad latus illius categoriæ, in qua genus quod illa diuidit continetur, vt differentiæ quæ diuidunt animal continentur in categoria ſubſtantiæ, in qua continetur animal, & differentiæ diuidentes lineam, vt rectum & inflexum, continentur ad latus categoriæ quantitatis, in qua linea continetur. Hanc breuiter hoc loco confirmamus diffuſe ſatis illam in categoria ſubſtantiæ (agentes de ratione qua continentur differentiæ ſubſtantiales in illa categoria) confirmaturi.

Argum. *Primo* expreſſo teſtimonio Ariſtot. *quod legitur 6. Topic. cap. 3.* vbi inquit differentias contineri in ea categoria, in qua genera quæ diuidunt continentur, vt differentias ad aliquid, vel relationis, contineri in categoria relationis, verba illius ſunt. *Et ſi alicuius earum quæ ſunt ad aliquid, non ad aliud, quis differentiam aſſignauit: nam eorum quæ ſunt ad aliquid, & differentia ad aliquid eſſe.*

Argum. 2. Idem Ariſtot. *1. lib. de demonſtrat. cap. 11. & 18.* perſpicuis verbis fatetur rem vnius categoriæ non poſſe de re alterius categoriæ ſecundum eſſentiam prædicari, ſed differentiæ diuidentes aliquod genus prædicantur per ſe de ſpecie quam conſtituunt, vt rationis particeps de homine, ergo differentiæ continebuntur in eadem categoria, in qua ſpecies continentur: at ſpecies & genera in eadem categoria continentur, ergo & differentiæ diuidentes in eadem categoria in qua continetur genus quod diuidunt continebuntur.

Argum. Accedit etiam rem vnius categoriæ non poſſe ſecundum eſſentiam ex rebus diuerſarum categoriarum conflari, vt ſubſtantia non poteſt ex non ſubſtantiis componi, vt auctor eſt Ariſtot. 1. *Phyſico. cap. 6.* At ſi differentiæ non continerentur in eadem categoria, in qua genera quæ diuidunt continentur, ſed in categoria qualitatis res aliqua ex rebus diuerſarum categoriarum componeretur: nam componeretur ex genere & differentia diuerſarum categoriarum, quare differentiæ in eadem categoria generis quod diuidunt continebuntur. Qua aũt ratione contineantur, num per ſe vel reductiue, in recta ſerie, vel ad latus, in categoria ſubſtantiæ explicabimus, interim conſuli poterit Lemoſius *2. lib. Paradoxorum errore 2.* qui certe (ne quemquam ſua laude fraudemus) erudite & copioſe hanc diſputationem abſoluit.

2. Concluſio. Differentiæ ſpecificæ per ſe diuidunt genera. Hanc profitetur Porphyrius in cap. qui in quinta diuiſione differentiæ inquit, ex differentiis quaſdam eſſe diuidentes genera, & conſtituentes ſpecies: vt rationis particeps, & mortale, ſunt differentiæ diuidentes animal, & conſtituentes hominem. Eandemque omnes Dialectici vno ore profitentur, & colligitur aperte ex Ariſtot. *2. lib. de demonſtrat. cap. 14.* vbi docet per diuiſionem generum in ſuas differentias, quæ illa per ſe diuidunt, colligendam eſſe diffinitionem ſpecierum. 2. Concluſ.

Confirma primo. Differentia ſpecifica qualificat, determinat, contrahit, & coercet, illimitatam & indiffinitam potentiam ipſius generis, ſed nō poteſt hæc munera præſtare quin ipſum per diuiſionẽ contrahat ad certam ſpeciem, ergo differentia ſpecifica per ſe diuidet genus. *Secundo.* Differentia ſpecifica conſtituit per ſe ſpeciem, eſt ſiquidem de conceptu per ſe illius, ſed non poteſt per ſe conſtituere illam niſi per ſe diuidat genus, nam medium conſtituendi eſt per diuiſionem generis, ergo per ſe conueniet differentiæ diuidere genus. Præterea genus per ſe diuiditur in ſpecies, ſed non poteſt diuidi in illas niſi per differentias, ergo per ſe diuidetur in differentias, & ex conſequenti differentiæ per ſe diuident genus. Confirmatur argumen. Omnis diuiſio tradi debet per membra contraria, ſed ſpecies ratione ſui non ſunt contrariæ, ſed ratione differentiarum, ergo genus per ſe diuidetur per differentias in ſpecies.

3. Concluſio. Differentia ea ratione per ſe diuidit genus, qua eſt genus totum potentiale, vel vniuerſum, & non ea ratione qua eſt totum actu vel definibile. Hanc profitemur cum acutiſſimo Caieta. in Commentariis huius loci. Confirmaturque primo. Quia diuiſio nihil eſt aliud quam diſtributio alicuius totius in ſuas partes, ſed differentiæ non diſtribuunt genus niſi ea ratione qua eſt totum vniuerſum, ergo tantum per ſe diuident genus vt eſt totum vniuerſum. *Confirmatur aſſumptio.* Differentiæ tantum poſſunt genus diſtribuere in ſuas partes, quæ ſunt ſpecies, ſed genus vt continet ſpecies eſt totum vniuerſum, ergo tantum per ſe poterunt diſtribuere genus, vt eſt totum vniuerſum. *Secundo.* Quia genus vt eſt totum quod poteſt diffiniri, tantum diſſoluitur in ſua attributa eſſentialia, vt animal in naturam ſentientem, vegetantem, corpoream, & per ſe exiſtentem, ergo vt diſſoluitur per differentias in ſpecies, erit totum vniuerſum, nam cum ſit hac ratione totum aliquod, & non ſit diffinibile, à ſuf- 3. Concluſ. 1. Argum. 2. Argum.

ficienti

ficienti diuiſione erit totum vniuerſum.

Itaque genus vt eſt totum vniuerſum confuſa quadam & perturbata ratione colligit multas ſpecies, cui aduenientes differentiæ ſpecificæ, illud diſtrahunt in varias formas, potentiam coercent, & naturam illuſtrant. Vnde hæc munera præſtat in hac diuiſione differentia, primum per diuiſionem generis illud ad certam ſpeciem reuocat, ſecundum conſtituit ſpeciem quæ ex genere ita à differentia contracto, & ipſa differentia coaleſcit, & tertium diſtinguit ſpeciem ſecundum eſſentiam ab omni alia ſpecie quæ ſub eodem genere continetur, quemadmodum in compoſitione Phyſica hæc eadem munera præſtat forma naturalis, nam primo reuocat potentiam materiæ primæ ex ſe indefinitam ad certam aliquam ſpeciem, deinde ex materia ita contracta, & ſeipſa, conſtituit totum naturale, & tertio ſeparat totum à qualibet alia natura.

1. *arg.* Iam ad argumenta *ad primum reſpon.* negantes nihil poſſe diuidere illud quod continet formaliter, nam ſpecies diuidunt ipſum genus in quo formaliter tanquam in forma quadam communi, & generali continentur. Et quamuis hoc eſſe admitteremus, falſum tamen eſt differentias ſpecificas continere formaliter genera, quia neque genus in conceptu illarum, neque illæ in conceptu generis vllo modo continentur. Verum tamen eſt continere illas virtualiter genus, vt infra agentes qua ratione differentiæ ſuperiores dicantur de inferioribus oſtendemus.

Ad 2. reſpon. differentias tantum eſſe actu in genere per modum coniunctionis, quia ſcilicet coniunguntur cum illo in eadem natura ſpecifica: non autem per modum incluſionis, ita vt includantur in eſſentia generis, at quod eſt contentum in genere per modum coniunctionis optime poteſt illud diuidere, verum de hac re poſtea in quadam quæſt. huius cap.

Ad 3. reſpon. differentias ſpecificas vocatas eſſe ab Ariſtot. qualitates non vt nomen qualitatis ſignificat peculiarem categoriam ab aliis diſtinctam, ſed vt ſignificat omne quod ſe habet ad modum actus, & formæ contrahentis, & limitantis potentiã aliquam indefinitam, & illimitatam. Vnde quia differentia ſignificat illud, quod ſe habet per modum formæ, & actus, limitando indefinitam potentiam generis, propterea vocata fuit qualitas ab Ariſt. Ad confirmationem vero reſpond. differentiam ſubſtantialem ſpecificam (loquor de differentia generum & formarum quæ in illa categoria continentur) eſſe & non eſſe ſubſtantiam alia & alia ratione, nam ſi ſumpta fuerit ſubſtantia in late patente quadam ſignificatione, vt ambit quidquid non eſt accidens, differentiæ ſunt ſubſtantiæ, ſi vero vſurpetur in alia contractiori, vt ſignificat naturam integram, & eam quæ continetur in recta ſerie categoriæ, non eſt ſubſtantia, quia non eſt natura integra, neq; continetur in recta ſerie categoriæ per ſe, ſed ad latus. Ex hoc tamen non colligitur differentias eſſe veras qualitates, quia non omnia quæ non continentur per ſe in recta ſerie huius categoriæ, ſunt in aliis categoriis comprehenſa. Etenim partes integrantes non continentur per ſe in recta ſerie categoriæ, quæ tamen non continentur in aliis categoriis, ſed reuocantur ad hanc categoriam, in qua tota quæ conſtituunt continentur.

Ad 4. reſpon. totum illud quod diuiditur non manere totum ea ratione qua diuiditur, in partibus, in quas diuiditur, recte tamen remanere totum alia ratione iuxta quam non diuiditur. Et ita genus eũ diuidatur per differentias in ſpecies vt eſt totum quoddam vniuerſum, & non vt eſt totum actu vel quod poteſt diffiniri, non remanebit vt eſt totum vniuerſum iuxta omnem eius (vt ita dicam) totalitatem, in aliqua vna ſpecie, quia nullius ſpeciei differentia poteſt exhaurire totam potentiam, quæ in genere, vt eſt totum vniuerſum, reperitur, & ita iuxta vnam poteſtatũ reperitur illud in vna ſpecie, & iuxta aliam in alia. Verum quia illud vt eſt totum quoddam quod poteſt diffiniri, non diuiditur in ſpecies, ob hanc cauſam totum genus iuxta totalitatem totius diffinibilis, reperitur in ſingulis ſpeciebus, vt animal ea ratione qua eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſentiens, totum eſt in homine, & totum in leone. *Legendus eſt Caietanus in his commentariis.* Ad 4.

QVÆSTIO V.

An prima diffinitio differentiæ ſit accurata, necne?

IN prima diffinitione ita differentiam diffiniebat Porph. *Differentia eſt qua ſpecies genus ſuperat.* Quærimus num hæc ſit optima diffinitio illius, necne? nam ſpeciem non ſuperare genus in hunc modum poſſumus demonſtrare.

Primo. Genus continet quidquid in ſpecie reperitur, vt auctor eſt D. Thom. *in lib. de ente & eſſentia, cap.* 1. ergo nihil poterit eſſe in ſpecie quod in genere non contineatur, non igitur in aliqua re, aut differentia ſpecies ſuperabit genus. 1. Argum.

2. Omne vniuerſum cõtinet infra ſe quidquid 2. Argum.

in ſuis

in ſuis inferioribus continetur, ergo cum genus ſit vniuerſum continebit infra ſe quidquid in ſpeciebus reperitur: ſed in ſpeciebus reperiũtur differentiæ: ergo genus continebit differentias, non igitur ſpecies propter differentias genus vincet, & ſuperabit.

2. Argum. *Præterea.* Eadem res eſt (in homine, v.g. animal) quod eſt genus, & rationis particeps quod eſt differentia, ergo particeps rationis non erit illud, quo homo animal ſuperabit, nam in his quæ ſunt eadem ſecundum rem, non poteſt vnum alterum ſuperare.

1. Opin. In hac quæſtione Petrus Gregor. *tomo 1. comment. in Synt. lib. 2. cap. 10.* exiſtimat hanc diffinitionem eſſe vitioſam, idque propter argum. 1. quod effecimus. Admittit ille differentiam maiori, & clariori expreſſione limitare potentiam generis, nam quod genus denotat confuſe, differentia clare exprimit, & aperte, attamen ratione illius ſpeciem ſuperare genus, hoc eſt quod diffitetur quia (inquit ille) nihil continetur in ſpecie, quod ſub genere non ſit comprehenſum.

2. Opin. Verius tamen cum Porphyrio, & cum communi omnium Dialecticorum conſenſu aſſerendum erit, differentiam eſſe ratione cuius ſpecies ſuperat ipſum genus.

1. Obſeru. Cæterum vt quæſtionem explicemus, adnotandum eſt primo illud quod in ſuperioribus ſæpe docuimus, genus poſſe ſumi vel cum præciſione ea nimirum ratione, qua præciſe & tantum denotat ſua attributa eſſentialia: vel ſine illa, vt confuſe continet quidquid in inferioribus comprehenditur.

2. Obſeru. Sciendum eſt etiam duobus modis intelligi poſſe ſpeciem ſuperare genus, aut additione noui gradus, quia denotat in ſua natura gradum aliquem entis, quem non denotat genus, aut perfectione, & nobilitate, quia continet aliquã perfectionem quæ in genere non reperitur.

3. Obſeru. Demum aliis duobus modis intelligi poteſt ſpeciem ratione differentiæ ſuperare genus, aut clariori expreſſione eiuſdem gradus, quia ſcilicet differentia clarius exprimit illud quod nomine generis cõfuſe ſignificatur, aut additione nouæ entitatis, & gradus.

1. Concluſio. Sic igitur prima concluſio. Si agamus de perfectione & nobilitate differentia eſt, ratione cuius ſpecies ſuperat ipſum genus, id eſt, ſpecies vincit genus nobilitate, idque propter differentiam ſuæ naturæ formatricem, quæ in nobilitate genus ipſum poſt ſe longo relinquit interuallo.

1. Argum. Hanc cõfirmamus *primo.* Actus eſt perfectior, & nobilior poteſtate, ex Ariſt. *9. Metaph. c. 9.* ſed genus habet locum potẽtiæ, differentia vero actus, ergo differẽtia ſuperabit genus nobilitate.

2. Illud quod eſt poſterius generatione & ortu, eſt prius perfectione, vt inquit Ariſt. *in eodem loco quem proxime propoſuimus:* ſed differentia eſt poſterior generatione in ſpecie (ſemper enim ea quæ ſunt minus communia, ſunt poſteriora, natura enim ſemper progreditur à communioribus, tenditque vſque ad minus communia: at differentia eſt minus communis ipſo genere) erit ergo perfectior illo, quare & ſpecies ratione differentiæ genus ipſum nobilitate & perfectione ſuperabit. Legenda eſt ſolutio ſecundi argumenti. *2. Argum.*

2. *Concluſ.* Si agamus de genere cum præciſione ſuorum attributorum, ſpecies ratione ſuæ differentiæ, ſuperat illud acceſſione noui gradus. *Confirmatur.* Quia differentia denotat nouum gradum diſtinctum ab illis attributis quæ conueniunt generi ſecundum eſſentiam, vt rationis particeps denotat nouum gradum entis diſtinctum à gradu ſubſtantiæ, corporis, corporis animati, & ſentientis, quæ ſunt attributa eſſentialia animalis: ergo differentia erit illud, ratione cuius ſpecies vincet genus ita ſumptum, acceſſione noui gradus. *2. Concluſ.*

3. *Concluſ.* Si ſumamus genus ſine præciſione nimirum, vt eſt totum quoddam vniuerſum confuſe continens ea omnia quæ in ſuis inferioribus reperiuntur, differentia non erit illud, ratione cuius ſpecies ſuperat genus acceſſione noui gradus, ſed maiori tantũ, & clariori expreſſione. Primam partem non vincere genus acceſſione noui gradus, confirmamus ex eo, quia nihil continetur in ſpeciebus quod genus vt eſt totum vniuerſum, confuſa, & perturbata ratione non complectatur, ac proinde nulla poterit fieri acceſſio noui gradus generi ita ſumpto. Alteram vero partem nimirum ſpeciem ratione differentiæ ſuperare genus maiori, & clariori expreſſione confirmamus, quia quæ denotat genus confuſe, differentia clarius multo, & expreſſius ſignificat, vt animal denotat particeps, & expers rationis confuſa ratione, quos eoſdem gradus clarius differentiæ hominis, & bruti declarant. Quemadmodum enim in rebus naturalibus materia prima denotat aliquẽ gradum confuſa, & perturbata ratione, quem eundem clare, & aperte deſignant formæ ſubſtantiales illi aduenientes, ita etiam in compoſitione Metaph. natura generis denotat confuſe aliquos gradus entis, quos differentiæ exprimunt clare, & manifeſte. *3. Concluſio.*

4. *Concluſ.* Hæc diffinitio. *Differentia eſt qua ſpecies genus ſuperat.* Optima eſt, & accurata. *4. Concluſio*

Hanc

Hanc auctoritate Porphy. ſuademus. Et certe ſi in ſpecie præter omnia attributa generis reperitur etiam attributũ differentię, iam ſpecies ratione differentiæ ſuperabit genus, erit enim maior illo ratione huius attributi differentiæ, quæ concl. intelligi debet eo modo quo in ſuperioribus concluſ. fuit explicata.

Ad 1. arg. Iam ad arg. *Ad primum reſp.* illud rectè colligere de genere vt eſt totum vniuerſum, ſpeciem non ſuperare ipſum acceſſione noui gradus, ſed elatiori expreſſione, nam ſi de illo loquamur cum præciſione ſuorum attributorum, negandum erit illud continere quidquid in ſpecie reperitur, vt conſtat ex prima concl.

Ad 2. *Ad 2. reſpon.* totum illud admittentes, ſcilicet genus, hac ratione vt eſt totum vniuerſ. non vinci gradu nouo, ſed elatiori, & expreſſiori eiuſdem gradus ſignificatione. Quod ſi roges an ſpecies additione nouæ perfectionis vincat genus ita ſumptum, vt eſt totum vniuerſum, reſpondemus nullo modo vincere, ſed denotare eandem perfectionem confuſe, quam ſpecies clare & aperte ſignificat, vt animal confuſe denotat perfectionem rationis participis, quam homo exprimit clare & aperte, qua ratione intelligi debet 1. concluſ. propoſita.

Ad 3. *Ad 3. reſpon* in his quæ ſunt eadem ſecundum rem vnum non ſuperare aliud additione nouæ entitatis, vel gradus, bene tamen ſuperare maiori, & elatiori expreſſione eiuſdem gradus. Vnde differentia non ſuperabit genus vt eſt totum vniuerſum, additione noui gradus, & entitatis, ſed maiori eiuſdem gradus expreſſione. *Legendus eſt Alphonſus a Veracruce quaſt. 2. huius cap. & Villalpan.*

QVÆSTIO VI.

Dentur ne differentia infima quæ cum ſpeciebus atomus ſimpliciter conuertantur?

NOn leuem occaſionem Dialecticis præbuit Porph. in ſecunda diffinitione differẽtiæ inueſtigandi num dentur aliquæ differentiæ ſimplices, quæ cum ſpeciebus infimis, & atomis conuertantur. Dixerat enim differentiam eſſe quæ dicitur de multis ſpecie differentibus, in quale ſecundum eſſentiam, ex qua perfecto diffinitione colligi videtur, nõ dari has differentias, quæ cum ſpeciebus atomis reciprocentur: etenim ſi omnes differentiæ dicuntur de multis ſpecie differentibus, ergo nullæ erunt quæ dicantur de multis ſolo numero diuerſis, ac proinde nullæ quoq. erunt differentiæ atomæ, nam ſi illæ darentur, de multis tantum numero diuerſis dicerentur, igitur non dari huiuſmodi differentias in hunc modum poſſumus non leuiter confirmare.

Primo ex Ariſtotele, qui variis in locis hanc ſententiam apertiſſime profiteri videtur. Imprimis *2. lib. de demonſtrat. cap. 14. de diffinit. ſpecierum* (quæ ex genere & differentia conſtantur) agens, inquit, ſingulas partes diffinientes maiores eſſe re diffinita, ambas tamen ſimul vnitas cum ea conuerti, & reciprocari, & 1. Topic. *capit. 7.* ait genus & differentiam eſſe prædicata inconuertibilia cum ſpecie, *& cap. 3.* probl. differentiæ ad genus retulerat. *& lib. 6. capit. 3.* docet fieri nullo modo poſſe, vt ſpecies dicatur de differentia, eo quod de pluribus differentia, quam ſpecies dicatur. *& 1 lib. de part. anim. c. 2.* putat eſſe incommodum admittere tot eſſe differentias vltimas quot ſunt ſpecies vltimæ. Et Porph. non obſcure huic ſententiæ ſubſcribere videtur, quod ex his colligi poterit. Primo quia differentiam omnem ita deſcripſit quæ poteſt dici de multis ſpecie diuerſis. *Secundo.* Quia in cap. de cõmunitat. generis, & differẽtiæ, inquit, vnius ſpeciei vnum eſſe genus, multas tamen differentias. *Et tertio,* quia in hoc cap. & fere in toto opere ſemper vtitur duabus aut pluribus differentiis ad explicandam naturam ſpeciei, vt ad explicandam naturam hominis vtitur rationis participe, & mortali, quare nullæ erunt hæ differentiæ atomæ, & indiuiduæ. *1. Argum.*

2. Quæ fieri poſſunt per vnam differentiam ſimplicem & indiuiduam, poſſunt fieri per collectionem multarum differentiarũ: nam multæ differentiæ collectæ poſſunt diuidere genus, & conſtituere ſpeciem, illamque ab aliis ſpeciebus ſeparare, vt rationale, & mortale ſi colligantur diuidunt animal, cõſtituunt hominem, illumque ſeparant à reliquis brutis animalibus, ergo ſuperfluæ erũt differentiæ ſimplices. *Confirmatur conſequentia,* quia illud eſt ſuperfluum, quod ſi è medio ſublatum fuerit, rei natura integra & illæſa poteſt remanere, illinſque rei munera ab aliis commodius multo poſſunt exerceri. *2. Argum.*

3. Si daretur aliqua differentia vltima, fieret inde vt darentur duæ differentiæ ſpecie differentes, vnde etiam fieret, vt darentur duæ voces prædicabiles differentiæ: atqui hoc fieri nulla ratione poteſt, non igitur dabitur aliqua differentia infima. *Confirmatur propoſitio.* Quia interiectum, & infimum, ſpecie differunt, ſi igitur præter differentiam interiectam, daretur aliqua infima, darentur duæ differentiæ ſpecie differentes, & ex conſequenti duæ voces prædicabiles differentiæ. *3. Argum.*

Hæc quæſtio anceps dubiaq; extitit inter

[...]in. veteres Philoſophos, in qua explicanda multi tique grauiſſimi viri aſſerere videntur, non dari differentias ſimplices & indiuiduas, ſed omnes illas eſſe intermedias, ad diffiniendamque ſpeciem aliquam infimam colligendas eſſe duas, vel eo plures differentias ſubalternas, quarum vnaquæq; latius pateat re definita, omnes vero ſimul ſumptę cum ea conueniant, & reciprocentur, vt in homine ad illius definitionem conſtituendam, ſumi debent hæ duæ differentiæ rationale, & mortale, quarum vnaquæq; latius patet homine, nam rationale dicitur de Angelis, & mortale de omnibus aliis animantibus. Verum rationale mortale, ita cum homine reciprocatur, vt alteri conuenire nulla ratione queat. Hanc ſententiam viſus eſt ſequi Porphyrius in omnibus locis, quæ in primo argumento recenſuimus, eandemq; amplecti videntur Themiſtius 2. *lib. de demonſtr. cap.* 20. Philoponus 2. *lib. de demonſtr. c.* 14. Auerroes 7. *lib. Metaph. textu* 43 & multi alii.

Opin. Cæterum alii grauiſſimi Philoſophi veteres multo putant dari differentias ſimplices, & infimas, quæ cum ſpecie infima conuertantur. Extiterunt in hac ſententia Alexand. 4 *Topic. cap* 2. vbi inquit, differentiam eſſe æqualem ſpeciei, ſi illa fuerit ſumpta, quæ proprie & proxime procreat ſpeciem, & 7 Metaph. *cap.* 12. explicans verba quædam Ariſtot. in quibus inquit, diffinitionem eſſentialem non poſſe per pauciora, quam per duo tradi, ſcilicet per genus, & differentiam, addit Alexander, per differentiam non quamlibet, ſed vltimam. Simplicius *in comment. Antecategor.* explicans illam regulam diuerſorum generum non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ, inquit apertum eſſe dari differentias vltimas in cuius rei patrocin tum tradit Iamblicum Platonicum eruditiſſ. Idem Auerroes 2. *Phyſic. textu* 28. Auicenna *in ſua Logica cap* 10 & tandem duo illa Philoſophiæ lumina D. Thom. & B. Albert. Magn. idem ſentiunt, *D. Thom. in comment. in cap.* 12 *lib* 7. *Metaph. & in* 14. 2. *lib de demonſtr. & B. Albert. Magn. tract. at.* 5. *ſua Logica cap.* 6. Quam etiam tenuiſſe Porph. & Ariſt. in ſecunda aſſertione oſtendemus.

Concluſ. In explicationem igitur huius quæſtionis ſit *prima concluſio*. Quamuis non darentur differentiæ aliquæ ſimplices, & infimæ, recte tamen poſſent ſpecies infimæ diffiniri per differentias intermedias duas, vel plures collectas, quæ ita collectæ cum ſpecie diffinita reciprocarentur. *Confirmatur.* Quia non minus collectio illa differentiarum [illegible] vltimum gradũ rei diffinitæ [illegible] ſpeciem deduceretur, quam ſi tantum eſſet vnica differentia ſimplex, & indiuidua. Quare quemadmodum indiuiduum diffinitum fuit à Porph. *in cap ſuperiori*, cuius collectio proprietatum ita in vno reperitur vt eadem in alio reperiri nullo modo queat, quæ certe collectio obtinet locum vnius differentiæ ſimplicis, & indiuidualis, & non minus conſtituit indiuiduum in eſſe indiuidui, illudque diſtinguit à quolibet alio indiuiduo, quam differentia indiuidualis ſimplex: ita etiam poteſt ſpecies aliqua infima conſtitui in conceptu vltimo per collectionẽ multarum differentiarum, & per eandem à qualibet alia differentia ſecerni, non minus quam quælibet alia differentia ſimplex, & indiuidua.

2. *Concl.* Quamuis hoc ita ſit, aſſerendum nihilominus eſt dari differentias ſimplices, & atomas, quæ cum ſpecie infima reciprocentur. Hãc concluſionem profitemur cum auctoribus ſecundæ opinionis, & in qua Ariſt. & Porphyr. extitiſſe conſtare poterit ex iis locis. *2. Concluſ.* Imprimiſque de Ariſt. conſtat ex 1. lib. de partib. animal. *ca* 2. in quo de quibuſdam ſpeciebus agens ita loquitur. *Confir.* *Non enim deſunt* (ſubintelligendum eſt ſpecies) *Quarum vna tantum ſit differentia, cætera autem ſuperuacanea ſunt &c.* Et 7. lib. Metaph. *cap* 12 ea tradit quæ huic ſententiæ omnino fauere videantur. Nam inprimis inquit in diffinitione vt minimum duas partes collocari debere, genus nimirum, & differentiam, & diuidendas eſſe differentias intermedias ad aliquid diffiniendum, quouſq; ad vltimam differẽtiam fuerit deuentum. Et tandem de differentiis vltimis ſub proprio nomine ita loquitur. *Perſpicuum eſt vltimam differentiam eſſentiam rei fore atq; diffinitionem.* Porphy. etiam idem ſenſiſſe ex his duobus locis conſtare poterit. Primus legitur in c. 12 huius operis quod eſt de communitatibus, & differentiis proprii, & differentiæ. Vbi inquit vt in plurimum differentias eſſe maiores ſpeciebus, nõ inquit ſemper, ſed vt in plurimum, haud obſcure indicans eſſe aliquas differentias ſimplices, quæ cum ſpecie atoma reciprocentur. Verba illius ſunt. *Differentia autem propriũ eſt plerunq; in multis formis cõtineri.* Alter locus habetur in interrogationibus, & reſpõſionibus ad categorias Ariſt. c. 38. ita enim interrogat. *Cum dixeris differentiam de plurib. ſpeciebus efferri, nũquid rẽ ita vt ſeſe habet explicaſti? Reſp. Non ita plane, ſed vt plerunq; eſſe conſueuit, reperiuntur enim aliqua quę ſpecieb. adæquantur ſicut eſt leuitas & grauitas, quarum altera ignis altera terra eſt.* Ex quibus locis colligere poſſumus iuxta Ariſt. & Porph. dari differẽtias vltimas, & ſimplices, quæ cũ ſpecie infima cõuertantur.

Eandem

Digitized by Google

1.Ratio. Eandem etiam concluſionem his aliis rationibus poſſumus oſtendere. *Prima eſt* Omnis differentia ſumitur à forma ex Ariſt. 8. *Metaph. c.2.* Sed vnaquæque ſpecies atoma habet ſuam propriam formam, quæ cum ea reciprocetur, ergo habebit quoque ſuam propriam differentiam & peculiarem ſimplicem, & indiuiduam, quæ cum eadem conuertatur. Confirmaturque hæc ratio. Eadem prorſus eſt analogia formæ ad materiam primam, & differentię ad genus quod diuidit, ſed quælibet forma coniuncta materiæ conſtituit aliquam naturam cum qua reciprocatur, ergo quælibet differentia coniuncta generi conſtituet aliquam ſpeciem, cum qua etiam reciprocabitur, ac proinde conſtituendæ erunt differentiæ ſimplices, & indiuiduæ quæ cum ſpecie infima conuertantur. 2.Ratio. *2 Ratio.* Quælibet ſpecies gradum aliquem eſſentialem ſibi proprium, & peculiarem continet, quo à cæteris omnibus quæ infra ambitum eiuſdem generis continentur diſtinguatur, & qui ſit ſimplex, quique cum ſpecie reciprocetur: ſed differentia ſpecifica nihil eſt aliud, quam hic gradus quo ſpecies ſecundum eſſentiam ab alio ſecernitur, ergo dabuntur differentiæ vltimæ & ſimplices 3.Ratio. quæ cum ſpecie conuertantur. 3. In ſpecie atoma dantur proprietates quæ cum illa reciprocentur, vt eſt in homine facultas ridendi, & capacitas diſciplinæ, ſed omnis proprietas fluit ab aliquo gradu eſſentiali, ergo in ſpecie dabitur aliquis gradus eſſentialis, qui cum ea conuertatur, at hic gradus eſt differentia eſſentialis, ergo dabitur differentia aliqua ſimplex, & indiuidua, quæ cum ſpecie infima conuertantur.

Ad 1.arg. *Iam ad argumenta.* Ad primum ex auctoritatibus Porphyr. & Ariſt collectum reſpon. imprimis ad Ariſtot. omnia illa loca intelligenda eſſe quoad nos, & non quia non dentur à parte rei differentia vltimæ. Itaque quia differentiæ vltimæ latentes ſunt & obſcuræ (nam fere præter vnam vel alteram, nullam aliam cognitam habemus) ob hanc cauſam in ſpeciebus diffiniendis vti debemus duabus, vel pluribus differentiis intermediis, quarum quælibet latius pateat re diffinita, omnes vero collectæ cum ea reciprocentur, & hac ratione intelligendum eſſe Ariſt. docet D. Thom. *in comment in 2. lib. de demonſtr. lect. 13.* Ad auctoritates vero ex Porph. depromptas, iam diximus, illum abſolute non negare omnes differentias vltimas, cum in loco citato ex interrogationibus in categorias, ingenue fateatur dari aliquas differentias vltimas, & ſimplices, quæ cum ſuis formis conuertantur, ſed in quibuſdam verum eſſe ob exiguum modum noſtrum intelligendi, qui non poſſumus rerum differentias apprehendere, ſumendas eſſe differentias intermedias communiores, quarum quælibet latius pateat ſpecie infima, & ambæ ſimul cum ea reciprocentur. Num autem in ſecunda diffinitione differentiæ in qua diffinita fuit, quæ dicitur de multis ſpecie differentibus in quale quid, & quæ præbuit occaſionem interpretibus dubitandi, num iuxta Porphy. dentur differẽtiæ, quæ cum ſpecie infima (quæ tantum dicitur de multis numero differẽtibus) reciprocentur, *in quæſtione ſequenti explicabimus.*

Ad 2. reſpon. negandum eſſe per collectionem multarum differentiarum intermediarum (quæ ſint maxime propriæ) ita commode poſſe naturam ſpeciei explicari, ſicuti per ſimplicem, & vltimam illius differentiam: nam vel illæ intermediæ ſunt duorum generum, quorum vnum ſub alio non continetur, vt animalis, v.g. & plantæ, aut duorum quorum vnum ſub altero continetur. Si fuerint differentiæ prioris generis, impoſſibile eſt, illas inter ſe colligi, ad explicandam ſpeciei naturam, & eſſentiam, inter illas ſiquidem nullus eſt ordo, qui eſt omnino neceſſarius inter partes diffinitionis, vt *2. lib. de demonſtr. cap 14. & 7 lib. Metaph. cap. 12.* docebat Ariſt. At ſi fuerunt differentię alterius generis, quamuis colligantur non explicabunt vltimum gradum ſpeciei, quo in tali eſſe vltimo conſtituitur, & ab aliis omnibus ſeparatur. Nam ſentiens, & vegetans, quamuis inter ſe colligantur, non explicabunt vltimum gradum hominis, qui eſt particeps rationis, quo in ſuo eſſe conſtituitur, & ab aliis omnibus ſeparatur. Falſum itaque eſt ita commode poſſe eſſentiam ſpeciei exprimi per collectionem multarum differentiarum, vt poteſt per differentiam ſimplicem & vltimam declarari. Ad 2.

Ad 3. poſtea ſatisfaciemus in quæſtione in qua agemus an differentia vltima, & intermedia conſtituant duas voces prædicabiles. Nunc breuiter reſpon. falſum eſſe intermedium, & infimum, conſtituere duas voces prædicabiles, quemadmodum neque ſupremum, & intermedium illas conſtituunt, vt de genere ſupremo & intermedio iam ſupra *in cap. de genere ſect. 2. q. 7.* expoſuimus. Ad 3.

QVÆSTIO VII.

An in ſecunda diffinitione differentia fuerit vtraq; differentia infima & ſubalterna diffinita.

IN ſecũda diffinitione in hunc modũ differẽtiam diffinierat Porphy. *Differentia eſt qua de multis ſpecie autem differentibus in quæſtione*

Lua quale, quid ſit indagatur, dicitur. De qua dubitamus num illa omni differentię tā infimę, quam intermediæ, vel tantum intermediæ conueniat necne? Et quidem conuenire differentiæ vltimæ, & non ſolum intermediæ his argu-
Argum. mentis confirmo. 1. Aliæ diffinitiones conueniunt vtrique differentiæ, vt eſt apertum ſingulas percurrenti, ergo, & hæc quoque vtrique conueniet, non enim eſt maior ratio huius, quam aliarum diffinitionum.

Argum. 2. Porphyrius in hoc opere agit de differentia, vt eſt vox quædam prædicabilis, ergo debuit proponere aliquam diffinitionem ſub ratione prædicabilis omnibus differentiis, quæ in hac voce continentur, cōuenientem: ſed nullam aliam tradidit ſub ratione prædicabilis, quam hanc ſecundam, ergo in illa complexus eſt etiam differentiam Infimam, nam illa ſub hac voce prædicabili eſt etiam contenta. Et confirmatur. Porphyrius agnouit differentias vltimas, vt diximus in quæſtione ſuperiori, ergo cum diffiniat differentiam, quæ ſibi nota erat, in hac diffinitione debuit etiam differentiam vltimam diffinire.

Argum. 3. Si hæc diffinitio explicata fuerit per non repugnantiam conueniet vtrique differentiæ, ſed poteſt commode ita explicari, ergo conueniet illa vtrique differentiæ. *Propoſitio perſpicua eſt*: quia rationis participi ea ratione qua eſt differentia non repugnat prædicari de multis ſpecie differentibus, alioquin enim hoc omni differentiæ repugnaret. *Confirmatur aſſumtio*, quia multæ diffinitiones traduntur de rebus diffinitis per non repugnantiam, vt quantum diffinitur, quod poteſt diuidi in infinitum,
Metaphyſ. cap.14. quæ profecto diffinitio tantum eſt intelligenda per non repugnantiam, nam ſi actu, & poſitiue fuerit intellecta, non conueniet omni quanto, nam cœlum eſt quantum, quod tamen actu, & poſitiue non poteſt diuidi in partes infinitas, nam ſi diuidi poſſet, eſſet corruptibile, ſed tantum competit illi per non repugnantiam. Præterea ſpecies diffinita fuit quæ dicitur de multis numero differentibus in quid, quæ ſane diffinitio intelligi debet per nō repugnantiam, quia ſibi non repugnat dici de multis numero differentibus, & non actu, & poſitiue, nam ſi ita eſſet intelligenda, neque Soli, neque Lunæ conueniret, quæ non habent multa numero diuerſa de quibus dicantur. Ad hæc diffinitio quantitatis, qua diffinitur menſura ſubſtantiæ, tantum conueniret per non repugnantiam lineæ infinitæ (ſi illa daretur) quia ſcilicet ſibi vt eſt linea, non repugnaret, eſſe menſuram, quamuis repugnaret, vt eſt infinita, nam infinitum neq. menſurare poteſt, neque menſurari, ergo hæc diffinitio commode poterit intelligi de differentia infima per non repugnantiam.

4. Quæ ſunt eiuſdem ſpeciei habent vnam *4. Argum.*
& eandem diffinitionem, ſed differentia vltima, & intermedia, vt differentiæ ſunt, eiuſdem ſunt ſpeciei, vt oſtendimus in quæſtione ſequenti: ergo habebit vtraque eandem diffinitionem: ſed hæc diffinitio competit differentiæ intermediæ, ergo conueniet quoque differentiæ vltimæ.

In hac quæſt. duæ ſunt inter ſe diſcrepantes *2. Opin.*
grauiſſimorum virorum ſententiæ. Prima eſt quę tuetur vtramq; differentiam, tam infimam, quam intermediam eſſe in hac diffinitione diffinitam, quamuis diuerſo modo, quia differentiæ intermediæ actu, & poſitiue cōpetit diffinitio, nam illa actu, & poſitiue dicitur de multis ſpecie differentibus, &c. infimæ vero tantum competit per non repugnantiam, nimirum quia ſibi non repugnat ea ratione qua eſt differentia dici quoque de multis ſpecie differentibus, nam ſi repugnaret, neq. intermedia poſſet dici, quia in ratione differentiæ quod vni competit, competit alteri, & quod vni repugnat, alteri quoque aduerſatur. Sequitur hanc ſententiam acutiſſimus, & nunquam ſatis pro eximia illius eruditione laudatus Cardin. Caietanus *in comment. huius capi.* & M. Soto *quæſt. vnica de differ. ad 6.* Eandemque ante illos Iamblicus Platonicus eruditiſſimus, apud Simplicium in loco poſtea proponendo tradiderat, & nonnulli alii.

Altera tamen ſententia eſt in hac diffinitione *1. Concluſio.*
ſolam differentiam interiectam fuiſſe diffinitā, & non infimam, quam complectuntur D. Th. *in comment. in 2. lib. de demonſtr. cap. 14. Simplicius in comm. Antecateg. c. 3. regul. 2. Louanienſes, Burlæus, Villalpandus, Arcęſius, Montanneſius, Nunneſius in comment. conſtitut. Dialect. fere in fine, Scotus quæſt 27. in Porphyr. & B. Albertus Magn. tract 5 in Porphyr.* quamuis ab his omnibus in eo recedat, quod cum Arabibus Auicenna, Algazele, & Auerroe putet, differentiæ per ſe tantum conuenire diuidere genus, & conſtituere ſpeciem, quod vero ſit vltima per accidens illi conuenire, ac proinde vltimam non fuiſſe diffinitam, quia quæ ſunt per accidens à diffinitionibus exploduntur. Ex his igitur duabus opinionibus, hanc ſecundam tanquam veriorem amplectimur, atq ita vt illam explicemus, has aſſertiones proponimus.

Prima ſit. in hac diffinitione tantum eſt diffinita differentia intermedia. *Confirmatur. Primo*, quia Porphyrius poſt traditam diffinitionem hanc.

Digitized by Google

nem hanc differentię ſubiungit exemplum de rationis participe, & mortali, quæ duo apud ipſum ſunt differentiæ intermediæ. *Secundo* confirmatur clarius ex eodem Porphyr. qui *cap.42. Antecategoriarum, in interrog.* inquit, non omnes differentias dici de pluribus differentibus ſpecie, ſed eas tantum, quæ conſtituunt genera, ex quibus aperte conſtat ex mente Porph. in hac diffinitione ſolas differentias intermedias fuiſſe diffinitas, atque ita ſuperuacaneum mihi videtur, mentem eius velle inueſtigare, cum ipſe ſeipſum aperte ſatis fuerit interpretatus. Verum quia hæc aſſertio ex confutatione opinionis Caietani, Soti, & Iamblici illuſtrior multo & verior apparebit, erit illa à nobis illico confutanda. Vnde ſit 2. concluſio.

2. Concl. Hæc diffinitio non conuenit differentiæ infimæ negatiue, vel per nō repugnantiam. Con-

1. Argum. firmatur his argumentis. *Primum.* Quia ſi diffinitiones per nō repugnantiam tradi poſſent, ergo poſſemus leonem ita diffinire, leo eſt ſubſtantia corporea, animata, ſentiens, particeps rationis, hoc autem nullus, quantum puto, ſanæ mentis admitteret, ergo non erit hæc diffinitio per non repugnantiam intelligenda. *Confirmatur propoſitio.* Quia leoni omnes particulæ præter vltimam conueniunt, & vltima quoq; per non repugnātiam poteſt illi adaptari, nam leoni non repugnat ea ratione, qua eſt animal, vti ratione, animali enim hoc non repugnat, ergo ſi per non repugnantiam intelligenda eſſet hæc diffinitio tradita, poſſet leoni hæc altera quoque conuenire. Iam. Si poſſemus ita in-

2. Argum. terpretari diffinitionem, ergo ſi Porphyr. ita diffiniiſſet differentiam, quæ tantum dicitur de multis numero differentibus in quale quid, poſſemus quoque dicere in hac diffinitione differentiam intermediam fuiſſe definitam, quia illi non repugnat ea ratione, qua eſt differentia, prædicari de multis numero differentibus in quale quid; nam ſi repugnaret ea ratione, qua eſt differentia, neque poſſet differentię

3. Argum. infimæ conuenire. *Praterea.* Rerum diffinitiones ſimpliciter & abſolute debent rebus diffinitis conuenire, ſignificant enim rei naturam, quæ ſimpliciter & abſolute dicitur, at quod competit per non repugnantiam, non poteſt ſimpliciter & abſolute de aliquo dici, quare illæ diffinitiones non erunt de rebus diffinitis per non repugnantiam intelligendæ. *Iterum,*

4 Argum. Diffinitio debet explicare gradum vltimum rei diffinitę, quo ab omnibus aliis ſecernitur, at quod competit rei per non repugnantiam, ratione ſuperioris ſui generis, non poteſt vltimum & eſſentialem gradum rei diffinitæ explicare, nam genus talem gradum non ſignificat, ergo diffinitiones non erunt per non repugnantiam de rebus diffinitis intelligendæ, quare neque hæc erit ita intelligenda.

Merito tamen rogabit aliquis, poſſitne aſſignari aliqua vna diffinitio, quæ vtrique differentiæ infimæ & intermediæ in ratione prædicabilis conueniat? Reſpon. poſſe has tres diffinitiones aſſignari. 1. Differentia eſt, quæ Dubium.

1. Definiti dicitur de multis in quale ſecundum eſſentiam, quam definitionem vtrique differentiæ eſſe communem, conſtat, quia vtraque dicitur de multis in quale, ſecundum eſſentiam: & hæc eſt eadem diffinitio cum diffinitione propoſita à Porphyr. ſi fuerit detracta illa particula ſpecie differentibus, & quam multi putant, non eſſe partem diffinitionis propoſitæ, ſed adhibitam fuiſſe exempli cauſa ad explicandam traditam diffinitionem. Vnde dicunt, ſenſum diffinitionis Porphyrij hunc eſſe. Differentia eſt, quæ dicitur de multis in quale quid, vt differentia intermedia, v.g. quæ dicitur de multis ſpecie differentibus in quale quid. Verum hæc interpretatio ſiniſtra eſt nimis, & menti Porphyrij minime accommodata, quod certe non eſt, cur à nobis oſtendatur, cum particulam illam ſpecie differentibus non exempli cauſa, ſed tanquam veram & legitimam partem diffinitionis adhibitam fuiſſe, omnes tam Græci, quam Arabes, quam Latini, vno ore profiteātur. Non igitur hæc diffinitio Porph. eadem eſt cum ea, quæ eſt à nobis propoſita, eo modo, quo ab illo tradita fuit, erit tamen eadem, ſi illa particula fuerit detracta.

2. Defin. 2. *Diffinitio eſt.* Differentia eſt, quæ dicitur de multis ſpecie vel numero differentibus in quale ſecundum eſſentiam, quæ profecto diffinitio optima eſt, & reciprocatur cum re diffinita, nam ambit & ſpeciem interiectam per illam particulam de multis ſpecie differentibus, & infimā per alterā, de multis numero differētibus. Neq; putare debet aliquis, hanc diffinitionem eſſe vitioſam, quia traditur per diſiunctionem, & per membra quodammodo contraria, hic enim modus diffiniendi in his rebus communiſſimis non eſt reiiciendus, eſt enim ille frequens, & apud Philoſophos, & viros graues conſuetus. Etenim Porphyr. accidens diffiniuit primo, quod poteſt ineſſe, & non ineſſe ſubiecto, & ſecundo, quod poteſt adeſſe vel abeſſe ſubiecto abſque eius interitu. Et Ariſt. *2. lib. Phyſic. cap. 1.* naturam diffiniuit principium & cauſam motus & quietis eius, in quo ineſt, &c. In qua diffinitione particula illa, Et, quamuis voce ſit coniunctio, at ſigni-

ficatione denotat diſiunctionem. Vnde debet ita intelligi, natura eſt principium vel cauſa motus & quietis, *vt Porph. D. Thom. Auerroes, & communis Schola interpretantur.* Quare quamuis hæc diffinitio differentiæ tradita fuetit per diſiunctionem, & per membra quodãmodo contraria, non propterea erit tanquam minus accommodata reiicienda.

ſeſin. 3. *Diffinitio eſt.* Differentia eſt, quæ dicitur immediate de ſpecie, quam conſtituit in qua le ſecundum eſſentiam, quæ diffinitio legitima eſt, & magis explicat naturam rei diffinitç, quã duæ ſuperiores, reciprocaturque cum re diffinita Eſſe legitimam, nullus dubitat, nam conſtat genere, & legitimis differentiis, conſtat enim vniuerſo, quod exprimitur per illam particulam, quod dicitur de multis. Deinde conſtat legitimis differẽtiis, quæ per reliquas particulas declarantur. Præterea illam magis exprimere naturam rei diffinitæ, quam duas alias ſuperiores, confirmatur, quia in relatis illa diffinitio, quæ explicat habitudinem ad terminũ immediatum, explicat magis rei naturam, quam illa, quæ traditur per habitudinem ad terminum mediatum, at hæc diffinitio explicat habitudinem differentiç ad terminum immediatum, ſcilicet ad ſpeciem, quam immediate conſtituit: aliæ vero denotant illam ad terminum mediatum, ſcilicet ad plura vel ſpecie, vel numero diuerſa, quare magis declarabit naturam differentiæ, quam aliæ duæ priores. Et tandem reciprocati cum re diffinita cõſtar, quia tam differentia infima, quam intermedia dicuntur in quale ſecundum eſſentiam de ſpecie, quam immediate conſtituunt.

d 1. argum Supereſt tandem, vt argumentis, quæ in initio propoſuimus, ſatisfaciamus. *Ad primum reſp.* negando conſequentiam, cuius rationem aſſignat Butlæus, inquiens, Porphyr. eandem methodum in hoc cap. de differentia in tradẽdis diffinitionibus obſeruaſſe, quam tenuerat in cap. de ſpecie, in quo quaſdam diffinitiones vtrique ſpeciei tam infimæ, quam intermediæ conuenientes tradiderat, vt ſunt duæ priores. *Species eſt, quæ ſubeſt generi. Et ſpecies eſt, quæ ſubeſt generi, & de qua genus prædicatur.* Et tradidit etiam alteram ſoli ſpeciei infimæ conuenĩetem. *Species eſt, quæ dicitur de multis numero differentibus in quid.* Ita etiam in hoc capite quaſdam diffinitiones propoſuit omni differentiæ conuenientes, vt ſunt prima, tertia, & quarta. Et hanc quoque ſecundam propoſuit, quæ ſoli differentiæ intermediæ conueniret. Neganda igitur eſt conſequentia, & ratio eſt methodus obſeruata à Porph. quia inſtituebat tradere quaſdam diffinitiones omnibus differentiis communes, & alteram ſoli differẽtiæ intermediæ conuenientem. Quemadmodum *in c. de ſpecie* in tradendis diffinitionibus de ſpecie infima & intermedia candẽ methodum obſeruauerat. Vel reſp. negando iterum conſequentiam: quia quamuis aliæ diffinitiones conueniant omni differentiæ, hæc tamen non conueniet, quia nõ debuit tradi de omnibus differentiis, ſed de illis tantum, quæ vt in plurimũ erãt notç, quales ſunt ſolç intermediç.

Ad 2. reſp. cum D Thom. *2. de demonſtrat. cap. 14.* Porph. eas tantum differentias prædicabiles diffiniuiſſe, vt in plurimum ſibi nobiſque notas, & quia hæ ſunt ſolæ intermediæ, ob hanc cauſam ſolas intermedias diffiniuit. Et quamuis nonnullæ ex infimis fuerint quoque ſibi notæ, tamen quia illæ erant quam paucisſimæ, noluit eas diffinitione aliqua comprehendere, neque enim omnes, ſed illæ tantum, quæ vt plurimum erant notæ, debuerant diffiniri, vt à Louanienſibus fuit optime animaduerſum. Ad 2. Lect. 13.

Ad 3. reſp. negando aſſumptionem, ad cuius primam confirmationem de quantitate dicimus, poſſe illam ſumi vel auulſam, vel applicatam alicui ſubiecto, ſi ſumatur auulſa, non competit illi negatiue, vel per non repugnantiam, ſed poſitiue poſſe diuidi in infinitũ, nam poteſtas, qua in infinitũ illa poteſt diuidi, actu & poſitiue ipſi competit, non quod actu ſemper illa diuidatur, ſed quia actu ſemper diuidi poſſit. Si vero ſumatur, vt applicatur alicui ſubiecto, cœlo, v. g. per non repugnantiam illi cõuenict diuidi, eo quod non repugnat cœlo ita diuidi. Neq; tamen eadem ratio eſt de differentia, quia tam infima, quam intermedia eſſentialiter ſub d fferentia continentur, atq; ita debet vtrique, diffinitio differentiæ, actu, & poſitiue conuenire: at vero cœlum non continetur eſſentialiter ſub quantitate, ſed accidentario, & proinde optime poterit ratio quantitatis per non repugnantiam illi adaptari. Ad 3.

Ad 2. confirm. reſp. etiam Soli & Lunæ poſitiue conuenire, poſſe eſſe in multis numero differentibus, vt enim hæ naturæ per intellectum ſeparantur à principiis indiuiduantibus, conſequuntur indifferentiam quandam, vniformitatem, relationem rationis, & potentiam Logicam ad plura numero diuerſa, vt ſi illam non haberent, illico rationem ſpeciei Logicæ amitterent, vt iam docuimus *ſect. 2. de genere, quaſt. 1. concluſ. 6.* Vel reſpondemus, eſſe larum diſcrimen inter has ſpecies, & differentiam infimam, quia his ſpeciebus, neque in ratione Ad 2.

propria

proptia huius ſpeciei repugnat poſſe dici de multis numero differentibus, at differentiæ infimæ, quamuis in ratione differentiæ non repugnet dici de multis ſpecie differentibus, repugnat tamen ratione propriæ differentiæ infimæ, vt infima eſt, ac proinde non erit eadem ratio differentiæ, quæ harum ſpecierum.

Ad 3. *Ad 3 confirm. reſp.* eſſe meutnram, non eſſe proprietatem quantitatis in communi, ſed ſolius quantitatis finitæ, ac proinde lineæ infinitæ, neque actu & poſitiue, neque per non repugnantiam conueniet, quantitati vero finitæ, actu & poſitiue adaptabitur.

Ad 4. *Ad 4* admittimus, vtrique differentiæ ea ratione, qua ſunt prædicabiles, conuenire eandem diffinitionem, negamus tamen hanc debere vtrique conuenire, quia hæc non competit differentiæ interiectæ, vt differentia eſt, ſed vt eſt interiecta. Diffinitiones vero traditæ à nobis, conueniunt vtrique differentiæ ea ratione, qua ſunt differentiæ in communi.

QVÆSTIO VIII.

An differentia infima & intermedia ſint eiuſdem ſpeciei.

AD extremum quærimus in hac 1. ſect. an differentia vltima & interiecta ſpecie differant, necne? Eſſe veram partem aientem, his argum. demonſtro. *1. Argum.* *Primum.* Relationes, quarum termini ſpecie differunt, & illæ quoque ſpecie differunt, ſed termini relationis infimæ & intermediæ ſpecie differunt, ergo & ipſæ relationes ſpecie differunt. *Confirmatur aſſumptio.* Terminus differentiæ intermediæ ſunt multa ſpecie diuerſa, infimæ vero multa, quæ ſolo numero diſtinguuntur, ſed multa ſpecie vel numero diuerſa, ſunt termini ſpecie diſtincti, ergo termini relationis differentię infimæ & intermediæ ſpecie diſtinguentur.

2. Argum. 2. Eadem eſt habitudo generis ad ſpecies, quæ differentiæ intermediæ ad infimam, nam quemadmodum genus dicitur de multis ſpecie differentibus, & ſpecies de multis numero differentibus, ita differentia intermedia dicitur de multis ſpecie differentibus, infima vero de multis numero differentibus: ſed genus & ſpecies diſtinguuntur ſpecie: ergo differentia quoque intermedia & infima ſpecie diſtinguentur.

3. Argum. *Præterea.* Quæ differunt diffinitionibus, differunt ſpecie, ſed differentia infima & intermedia differunt diffinitionibus, nam infima diffinitur, quod dicitur de multis numero differentibus in quale quid, interiecta vero, quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quale quid, quæ profecto diffinitiones ſunt maxime diuerſæ: ergo differentia infima & interiecta ſpecie diſtinguentur.

Ad hæc. Magis differunt differentia infima & interiecta, quam duæ infimæ & interiectæ, ſed duæ infimæ, vel duæ interiectæ ſolo numero diſtinguuntur, ergo infima & interiecta ſpecie ſaltem diſtinguentur. *4. Argum.*

Nomine harum differentiarum interiectæ & infimæ duo poſſumus intelligere, & notionem ſecundam, & naturam illi ſubiectam. Notio eſt forma quædam rationis, a qua rationis particeps, vel ſentiens, v.g efficiunt diſtinctionem inter ea, quæ ſpecie & natura differunt. Naturæ vero ſubiectæ notioni ſunt hæ, quas proxime recenſuimus, & quæcunque aliæ, quę affici poſsūt notione huius attributi differētię. *1. Obſer.*

Hoc animaduerſo, ſit 1. concluſio. Si loquamur de differentia infima & intermedia pro naturis ſubiectis notioni, ſpecie diſtinguuntur. Hæc nota eſt, & aperta apud omnes, quæ confirmatur, quia omnes differentiæ faciunt naturas ab eis conſtitutas ſpecie diſtingui, ergo ſpecie diſtinguentur, quia ſi propter differentias naturæ conſtitutæ ſpecie differunt, & ipſæ differentiæ conſtituentes magis ſpecie differēt, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis debet eſſe tale. *1. Concluſi.*

2. *Concluſio.* Differentia intermedia & infima pro notionibus vtriuſque, ſunt eiuſdem ſpeciei, nullaque ratione ſpecie poſſunt diſtingui. Confirmatur his argumentis. *Primum.* *2. Concluſi.*
Quæ differunt ſola materia, & conueniunt forma, non diſtinguuntur ſpecie, vt auctor eſt Ariſt. 10. *Metaphyſ. cap.* 12. ſed differentia vltima & intermedia differunt ſola materia, & conueniunt in forma, ergo erunt eiuſdem ſpeciei. Confirmatur aſſumptio. Materia differentiæ ſunt ea, de quibus illæ dicuntur, vel numero, vel ſpecie diuerſa, forma vero eſt prædicari in quale quid de ſpecie, quam immediate conſtituunt, ſed differentia infima & intermedia tantum differunt, quia intermedia dicitur de multis ſpecie differentibus, infima vero de multis, quæ ſolo numero differunt, conueniunt autem, quia vtraque prædicatur in quale quid, ergo differentia infima & interiecta tantum differunt materia, conuenient vero forma. *1. argum.*
2. Eodem modo ſeſe habent differentia infima & intermedia, quo proprium infimum & intermedium: ſed hæc duo genera proprij ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo differentia infima & intermedia erunt eiuſdem ſpeciei. *2. argum.*
Iam. Quorum eſt eadē diffinitio eſſentialis, ſunt in- *3. argum.*

tra

Digitized by Google

tra eandem ſpeciem comprehenſa, ſed differentiæ infimæ & intermediæ eſt eadem diffinitio eſſentialis, ergo erunt eiuſdem ſpeciei. *Confirmatur aſſumptio.* Quia diffinitio eſſentialis differentiæ eſt illud, quod dicitur de ſpecie, quã immediate format in quale quid, quæ certe vna eademque ratione competit differentiæ infimæ & intermediæ.

3. Concl. 3. *Concluſio.* Hæ duæ differentiæ accidentario diſtinguuntur eo modo, quo homo ater differt à candido, qui ſolis accidentibus candore nimirum & atrore diſtinguuntur. Confirmatur ex eo, quia eſt extra rationem differentiæ, tam atomæ, quam intermediæ dici de multis ſpecie vel numero differentibus, cum ratio ſola ſit dici immediate de ſpecie, quam conſtituunt in quale quid: at quod extra rationem alicuius rei continetur, ad accidentia illius ſpectat. Vnde quemadmodum genus ſupremum & intermedium ſunt eiuſdem ſpeciei, ſolaque ratione accidentaria diſtinguuntur, vt oſtendimus *ſect. 2. de genere, quaeſt.* 7. ita etiam differentia infima & intermedia accidentario tantum diſtinguentur, eſſentialiter vero erunt vnius atque eiuſdem ſpeciei.

4. Concl. 4. *Concluſio.* Differentia vltima & interiecta non conſtituunt duas voces prædicabiles, ſed infra ambitum eiuſdem vocis comprehendũtur. Vnde hæc tertia vox prædicabilis erit vnius ſpeciei atomæ & indiuiduæ, quæ ſub ſe has duas ſpecies maxime proprias complectetur.
1. argum. Demonſtratur primo. Quæ obtinent eandem rationem prædicandi ſub eadem voce prædicabili continentur, ſed differentia infima & intermedia obtinent eandem rationem prædicandi, vtraque enim prædicatur in quale quid immediate de ſpecie, quam conſtituit, ergo differentia infima & intermedia ſub eadem voce prædicabili continebuntur. Quod ſi
Solutio. quis dicat, falſam eſſe aſſumptionem, quia tota & integra ratio prædicandi differentiæ intermediæ, non eſt dici de ſpecie, quam immediate conſtituit in quale quid, ſed dici de multis ſpecie differentibus in quale quid, & tota ratio differentiæ infimæ non eſt prædicari de ſpecie, quam conſtituit immediate in quale quid, ſed prædicari de multis numero diffe-
Reiicitur. rentibus in quale quid. Contra ita ago, *primo.* Quia vt ex his, quæ nuper dicebamus, conſtat prædicari de pluribus ſpecie vel numero differentibus, non ſunt propriæ rationes, ſed ſunt accidentia quædam differentiæ infimæ & interiectæ. Et ſecundo, quia hæ ſunt propriæ rationes generis & ſpeciei, generis enim ratio eſt dici de pluribus ſpecie differentibus, ſpeciei vero dici de pluribus numero differentibus, quare hæ rationes non poterunt eſſe differentiæ
infimæ & intermediæ. *Confirmatur ſecundo eadem concluſio.* Quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, continentur intra ambitum eiuſdem vocis prædicabilis, ſed conſtat ex prioribus concluſionibus, differentiam vltimam & intermediam eſſe eiuſdem ſpeciei, ergo differentia vltima & intermedia intra ambitum eiuſdem vocis prædicabilis comprehendentur. *2. argum.*

Iam ad argumenta in principio propoſita.
Ad primum reſpon. veram eſſe propoſitionem de terminis, qui primo terminant relationem aliquam, non autem de terminis, qui terminãt ſecundario. Itaque quorum termini primo terminantes ſpecie differunt (ſi fuerint illi totales & adæquati) & relationes quoque ſpecie differunt: at termini immediati relationis differentiæ, non ſunt multa ſpecie aut numero diuerſa, ſed vnicus tãtum eſt illius terminus, qui eſt ſpecies, quam immediate conſtituit, ſiue illa plura ſpecie, ſiue numero diuerſa cõplectatur. *Ad 1. arg.*

Ad 2. Neganda eſt propoſitio, etenim genus conſtituitur in eſſe generis, & prædicabilis per immediatam prædicationem de pluribus ſpecie differentibus, ſpecies vero conſtituitur in eſſe ſpeciei, & prædicabilis per prædicationẽ immediatam de pluribus numero differentibus, quæ ſane rationes diſtinguunt has voces prædicabiles ſecundum ſpeciem. At vero differentia interiecta non conſtituitur in eſſe differentiæ & prædicabilis per immediatam prædicationem de pluribus ſpecie differentibus, neque infima per immediatam de iis, quæ ſolo numero differunt, ſed conſtituuntur in eſſe differentiæ & prædicabilis per prædicationem immediatam de ſpecie, quam proxime conſtituunt, & de qua dicuntur in quale quid, & quia hæc ratio prædicationis eſt eiuſdem ſpeciei, ob hanc cauſam differentia infima & intermedia erunt eiuſdem ſpeciei, genus vero & ſpecies nullo modo erunt. *Ad 2.*

Ad 3. reſp. Falſam eſſe aſſumptionem, nam illæ diffinitiones non traduntur per intima, ſed traduntur per ea, quæ ſunt extra rationem differentiæ, tam infimæ, quam intermediæ, traduntur enim per dici de multis ſpecie vel numero differentibus, quæ eſſe extra rationem harum differentiarum ſæpe diximus. At illæ diffinitiones, quæ traduntur per ea, quæ ſunt extra rationem rei diffinitæ, non ſunt eſſentiales, ſed accidentaria. Vel dicimus, has diffinitiones eſſe petitas a materia, multa enim ſpecie vel numero diuerſa materia ſunt, vel obiectum, in quo notiones differentiæ intermediæ *Ad 3.*

Digitized by Google

& infimæ verſantur: exploratum autem eſt, diffinitionem petitam à materia ſola, non eſſe eſſentialem, vt inquit Ariſt. 10. *Metaphyſ. c.* 12. qui ex eo, inquit, marem & fœminam non diſtingui ſecundum eſſentiam, quia differentia, quæ inter illos intercedit, petitur à materia, à ſexu nimirum, qui materiam conſequitur.

Ad 5. *Ad vltimum reſpond.* Veram eſſe propoſitionem de differentia accidentaria, non autem de eſſentiali, vnde differentia infima & intermedia magis different accidentario, quam duæ differentiæ intermediæ, aut infimæ, quia differunt accidentibus intermedii & infimi, quibus non differunt duæ infimæ, vel intermediæ. Quemadmodum etiam magis differunt homo candidus & ater, quam duo homines candidi, magis, inquam, differentia accidentaria, quæ petitur a candore & atrore, non autem eſſentiali, cum ſint vnius atque eiuſdem ſpeciei.

SECTIO SECVNDA DE DIFFERENTIA, in qua de habitudine illius ad genera, de habitudine differentiarum inter ſe, & a quo genus & differentia petantur, diſputatur.

ARGVMENTVM.

Hactenus illa tradidimus, in quibus diffinitiones diuiſionesq; differentiæ explicauimus, quamque optime fuerint a Porphyrio traditæ, accurate ſatis diſſeruimus, conſequens eſt, vt de habitudinibus differentiæ ad genera inter ſeſe, & a quo genus & differentia petantur, & de nonnullis aliis in hac ſecunda ſectione pertractemus.

SECT. II. QVÆST. I.

An differentiæ contineantur actu in genere, necne?

ANceps dubiaque extitit apud veteres hæc controuerſia de ratione, qua differentiæ in genere contineantur, num actu, vel ſola poteſtate. In qua quæſtione, vt certa à dubiis ſeparemus, certum eſt de differentiis conſtituentibus, illas actu & non poteſtate eſſe in genere comprehenſas, vt in animali actu comprehenduntur ſentiens, & particeps vitæ. Vnde tota quæſtio eſt de differentiis diuidentibus, vt de participe & experte rationis, quæ duo diuidunt animal, quod eſt genus. Has igitur differentias actu, & non ſola poteſtate in genere contineri, his argumentis ſuademus.

1. Argum. 1. Si differentiæ diuidentes tantum eſſent in genere poteſtate, cum ſint actu in ſpeciebus, fieret, vt ſpecies eſſent nobiliores genere, nam illud, quod eſt actu, nobilius eſt us, quæ ſunt ſola poteſtate, at ſpecies ſunt generibus ignobiliores, quia genus eſt principium ſpecierum, vt docuerat Porph. *in c. de genere*, principium vero nobilius eſt iis, quæ ab illo ortum habēt, quare differentiæ actu in genere continebūtur.

2. Argum. 2. Species actu continet differentias, nam ſunt illius attributa eſſentialia, ſed genus actu continet ſpecies, ergo à primo ad vltimū genus actu continebit differentias, nam quidquid continet continens, continet etiam contētum.

3. Argum. 3. Differentiæ diuidentes non ſunt inter ſe contrariæ, ergo poterunt in genere actu cōtineri. Conſequētia eſt perſpicua, quia ſola contraria ſunt, quæ eidē ſubiecto ineſſe nullo modo poſſunt. *Confirmatur antecedens.* Illa, quæ ſe mutuo fouent, & tuentur, non ſunt contraria, at differentiæ diuidentes ſunt huiuſmodi, nam mortale & immortale, particeps & expers rationis ſunt differentiæ diuidentes, quæ ſe mutuo fouent, & tuentur; Deus enim, qui eſt immortalis, hæc inferiora, caduca & mortalia conſeruat, & homo, qui eſt particeps rationis, multa bruta animalia tuetur, ergo non erunt hæ differentiæ contrariæ.

4. Argum. 4. Differentiæ contrariæ quamuis non poſſint actu in vna natura corporea ſimul reperiri, poſſunt tamen in vna aliqua natura ſpiritali, vt ſpecies albedinis & nigredinis, quæ ſunt cōtrariæ in intellectu patibili, qui eſt ſubiectum ſpiritale, actu reperiuntur, ſed naturæ genericæ ſunt ſpiritales, nam eſſe præditum corpore, & affici quantitate, ſolis indiuiduis poteſt conuenire, ergo contrariæ differentiæ actu poterunt eidem generi conuenire.

5. Argum. *Præterea.* Nullū eſt animal, quod nō ſit à parte rei particeps, vel exps rationis, ſed animal eſt genus, ergo genus includet actu cōtrarias differētias.

Argum. *Iterum.* Quidquid reuocat rem aliquam de poteſtate ad actum debet illam actu continere, vt ignis, qui reuocat aquam de poteſtate ad actum caloris, actu continet calorem, ſed differentiæ reuocantur de poteſtate ad actum à genere, ergo actu in genere continebuntur. *Confirmatur aſſumptio.* Differentiæ ab aliquo debent reuocari de poteſtate ad actum, ſed non videtur à quo aliquo alio niſi à genere poſſint reuocari, nam ſi poſſent ab alio, vel à ſeipſis, vel ab ſpecie, quam conſtituunt, reuocarentur At non à ſeipſis, quia nihil poteſt ſeipſum de potentia ad actum reuocare, nam alioquin idem eſſet, antequã eſſet, etenim quod reuocat, iam eſt, quod vero reuocatur, nondum eſt. Neque poſſunt ab ſpeciebus reuocari, nam omne, quod reuocat, prius eſt illo, quod reuocatur, at ſpecies ſunt poſteriores differentia, cum ex illa componantur, ſequitur igitur, vt tantum à ſeipſis reuocentur.

Ammonius *in commenta. huius cap.* refert, magnam extitiſſe olim inter Platonicos & Peripateticos de differentiis controuerſiam, an ſcilicet illæ actu, vel ſola poteſtate in genere cõtineantur. Platonici enim acertime tuebantur, differentias actu in genere comprehendi. At contra Peripatetici docebant, illas ſola poteſtate in genere contineri.

Obſeruat. Vt tamen quæſt. hanc explicemus, ſciendum eſt *primo*, duobus modis intelligi poſſe, differẽtias actu in generibus contineri, vno modo per modum incluſionis, ita vt ſint attributa eſſentialia generis, & quæ in illius ratione ſint incluſa. *Altero*, per modum copulationis, coniunctionis, vel vnionis, ita vt ſit genus vnitum à parte rei cum differentiis diuidentibus, qua ratione dicimus, materiam primam continere formas, non quod illas tanquã attributa eſſentialia includat, ſed quia vnitur cum illis ad formationem alicuius ſpeciei naturalis.

Obſer. Adnotandum eſt etiam, aliud eſſe, eſſe in potentia, & aliud eſſe in poteſtate, vt veteres volebant, nam eſſe in potentia, denotat puram & ſolam paſſionem, eſſe vero poteſtate, denotat aliquam actionem, vel genus cauſæ efficientis, aut formalis, à qua ortũ habet, vnde dicimus, formas naturales eſſe in potentia materiæ primæ, non tamen in poteſtate, & ecõtra dicimus, eaſdem eſſe in poteſtate generantis, non tamẽ in potentia, quia in materia ſunt, tanquam in principio paſſiuo, in generante vero, tanquam in actiuo. Illud etiam non erit obliuioni tradẽdum, quod ſæpe in ſuperioribus admonuimus, genus ſumi poſſe vel cum præciſione ſuorum attributorum, vel vt cõfuſe denotat, quidquid in ſuis inferioribus continetur, *ex Caiet. Lona. Alber. M. Sot.*

Sit prima concluſio. Differentiæ diuidentes non continentur actu in genere per modum incluſionis, ita vt ſint attributa quædam eſſentialia, quæ de genere prædicentur. Hanc aperte profitentur Ariſt. & Porph. ille *7. lib. Metaphyſ. cap. 12.* ſub his verbis, *Genus enim differẽtiarum non videtur eſſe particeps* Hic vero *in hoc cap.* in quo ita loquitur, *Poteſtate differentias, quæ eis ſubiectæ ſunt, genera complectuntur, re ipſa vero nullam.* Et confirmatur *primo.* Contraria non poſſunt ſimul in eodem ſubiecto per modum incluſionis reperiri, nam ſe mutuo interimerent, ſed differentiæ diuidentes ſunt contrariæ, vt poſtea oſtendemus, ergo non continebũtur actu in genere per modum incluſionis *Secũdo.* Quidquid competit ſuperioribus ſecũdum eſſentiam, competit etiam inferioribus ſub ipſis contentis, vt profitetur Ariſt. *in antepraedicam.* ergo ſi differentiæ diuidentes eſſent actu in genere incluſæ, & ſecundum eſſentiam, etiam includerentur in ſpeciebus ſub illis eſſentialiter cõtentis, vt ſi particeps & expers rationis actu includerentur in eſſentia animalis, includerentur etiam in eſſẽtia hominis, vnde homo eſſet particeps & expers rationis, hoc autem dicere, abſurdum eſt, ergo differentiæ non erunt actu in genere ſecundum incluſionem. 1. *Concl.* 1 *argum.* 2. *argum.*

2 Concluſio. Si agamus de genere ſine præciſione ſuorum attributorum, vt eſt totum vniuerſum confuſe continens, quæcunque in ſuis inferioribus continentur, differentiæ actu ſunt in illo per modum coniunctionis, vel vnionis, nam à parte rei vnitur in ſpeciebus ſibi ſubiectis, cum differentiis diuidentibus. *Confirmatur.* Illud continet aliquid per modum coniunctionis, quod à parte rei eſt vnitũ cum eo, ſed à parte rei genera omnia ſunt vnita cum differentiis diuidentibus, vt animal eſt vnitum cum rationis participe & experte, ergo differentiæ continebuntur actu in genere per modum coniunctionis. 2. *Concl.*

3. Concl. Si loquamur de genere, vt eſt totum quodda ſumptum cum præciſione ſuorum attributorum, non continet actu differentias diuidentes per modum coniunctionis & vnionis. *Confirmatur.* Quia ſi hac ratione fuerit vſurpatum, non ſumitur vt vnitum cum inferioribus, ſed vt ab eis præciſum, & ſeparatum, ergo hac ratione non continebit actu differentias per modum coniunctionis & vnionis. Explicatur hoc perfacili exẽplo in animali, quod ſi illud ſumptum fuerit ea ratione, qua præciſe denotat ſubſtantiam corpoream, animatam, 3. *Concl.* *Confirm.*

ſentien-

ſentientem, non vnitur cum participe & expertetationis, quia ad animal ita præciſe ſumptum, neceſſario ſequitur, non eſſe illud vnitum cum his differentiis, quas propoſuimus.

4. Concl. 4 *Concluſ.* Differentiæ diuidentes in genere cauſæ materialis oriuntur a generibus, in genere vero cauſæ efficientis, ab intellectu patibili. Eſt ſiquidem eadem analogia in compoſitione metaphyſica differentiæ ad genus, quæ eſt in phyſica formæ ad materiam primam: at in compoſitione phyſica forma oritur a materia prima in genere cauſæ materialis, a generante vero in genere cauſæ efficientis, quare & in compoſitione metaphyſica differentia orietur a genere in genere cauſæ materialis, & ab intellectu patibili in genere cauſæ efficientis. Itaq; quemadmodum materia prima confuſe continet omnes formas naturales, quæ vi agentis reuocantur ab eſſe confuſo ad eſſe diſtinctũ: ita quoque differentiæ diuidentes continentur in potentia generis confuſa, quæ reuocantur ab eſſe confuſo ad eſſe diſtinctum vi intellectus patibilis. Enim ille videns attributa omnia eſſentialia, quæ in ſpecie continentur, & ſub genere multas differentias latere, quæ illud poſſunt diuidere, vt ſub animali inſpiciens particeps & expers rationis, ex illo attributo, quod eſſe proprium ſpeciei intuetur, efformat attributum differentiæ, quod & genus diuidat, & ſpeciem ipſam conſtituat, illamque a reliquis omnibus ſpeciebus diſtinguat.

1. Conſect. Vnde colligimus primo, differentias contineri in potentia generis, & non in poteſtate, quia, vt diximus, contineri in potentia, eſt contineri in principio mere paſſiuo, contineri vero in poteſtate, eſt contineri in principio actiuo, at genus habet ſe mere paſſiue ad efformationem differentiarum, quare differentiæ continebuntur in potentia illius, & non in poteſtate. Nam hac ratione tantum continentur in intellectu

2. Conſect. patibili. *Colligimus ſecundo*, ſpeciem ex genere & differentia conſtitutam contineri in genere (vt eſt totum vniuerſum) in ratione cauſæ formalis eo modo, quo forma inferior continetur a ſuperiori, eſt enim genus forma ſuperior, ſpecies vero inferior. Vnde quemadmodũ in orbibus cœleſtibus orbis inferior continetur in orbe ſuperiori, in genere cauſæ formalis, vt orbis Iouis continetur in orbe Saturni, ita etiam ſpecies, quæ eſt forma quædam inferior, continetur in genere, tanquam in forma ſuperiori. Et quemadmodum in continuo multæ partes continentur in potentia, quæ per diuiſionem illius reuocantur ad actum: ita quoq; in genere reperiuntur multæ differentiæ in potentia, quæ per illius reſolutionem & diuiſionem ab intellectu patibili effectam reuocantur ad actum, vt optime a M. Soto, *vbi ſupra*, fuit animaduerſum.

Iam ad argumenta. *Ad 1 reſp.* admittentes propoſitionem, & negãtes aſſumptionem, iam *Ad 1. arg.* enim ſupra *ſect. 1. huius cap. quæſt. 5.* docuimus, ſpecies ratione differentiæ eſſe nobiliores genere. *Ad illud* autem, quod proponitur in argumento, genera eſſe principia differẽtiarum, ac proinde debere eſſe nobiliora, quia principium nobilius eſt iis, quæ ab illo oriuntur, *reſpon.* negando conſequentiam, quia falſum eſt, principia ſemper eſſe perfectiora his, quæ ab illis oriuntur. Nam in arboribus ſemen eſt earum principium, quod tamen eſt multo ignobilius ipſis arboribus. Et corpora cœleſtia ſunt principia harum rerum inferiorum, quæ tamẽ non ſunt perfectiora omnibus inferioribus: nam in iis inferioribus dantur multa viuentia, cœlum autem non eſt viuens: at viuens nobilius multo eſt nõ viuente, ex perſcripto omniũ Philoſophorum. Quare quamuis genera ſint principia differentiarum, non proinde ſequetur, eſſe illa nobiliora differentiis.

Ad 2 reſpon negando aſſumptionem, nam *Ad 2.* alio modo ſunt differentiæ partes generum, & alio modo ſpecierum. Nam ſpecierum ſunt partes actu, vtpote quæ dicantur de ſpecie, quam conſtituunt ſecundum eſſentiam: generum vero ſunt ſola poteſtate, quia nimirum poſſunt contrahere & coercere potentiam generis illimitatam, ac proinde quamuis actu ſint in ſpeciebus, non ex eo ſequitur, debere actu in generibus contineri.

Ad 3. reſpond. admittentes, differentias diui- *Ad 3.* dentes aliquod genus ſecundum eſſentiam, non eſſe vere & propria contrarias, vt in quæſt. ſequenti dicemus. Non tamen hinc colligere licebit, poſſe in eodem genere, actu & ſimul reperiri, quia non tantum vere contraria, ſed etiam quæ quoquo modo ſunt incompoſſibilia, eidem ſubiecto conuenire nullo modo poſſunt, vt eſt apud omnes exploratum. Qua ratione differentiæ ſunt contrariæ inter ſe, id eſt, incompoſſibiles, atq; ita eidem ſubiecto conuenire nullo modo poſſunt.

Ad 4. reſpond. falſam eſſe propoſitionem, *Ad 4.* neque exemplum ab illis propoſitum eſt alicuius momenti: negandum ſiquidem eſt, duo contraria poſſe in eodem ſubiecto ſpiritali reperiri. Nam ſpecies albedinis & nigredinis in anima non ſunt contrariæ, vt docuit Ariſtot. 9. *lib. Metaphyſ. cap. 2.* vt illud etiam addam, non omnem naturam genericam eſſe ſpiritalem,

imo pleræque ſunt corporeæ: vt ſunt natura animalis & plantæ.

Ad 5. *Ad 5. reſpon.* hoc argumentum nihil contra nos, qui iam diximus, differentias contineri in genere per modum coniunctionis & vnionis.

Ad 6. *Ad 6* iam reſpondimus in aſſertionibus, reuocari differentias de poteſtate ad actum ab intellectu patibili: quemadmodum ſtatua Mercurij reuocatur de poteſtate ad actum ab ſtatuario. Quod enim quidam dicunt reuocari illas ab agente naturali, nulla nititur probabilitate, quia generans tantum reuocat formas naturales de potentia ad actum, non autem Metaphyſicas, vt ſunt differentiæ.

QVÆSTIO II.

An differentiæ diuidentes ſint inter ſe contrariæ.

EX eo Porphyrius docuerat, differentias diuidẽtes non contineri actu in genere, quia illæ ſunt contrariæ, nam contraria non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Cuius ſententiam vt examinemus, quærimus, ſintne differentiæ contrariæ, necne? Et agimus de vera contrarietate, quæ inter duo entia poſitiua reperitur. Non eſſe illas inter ſe contrarias, ita ſuademus.

1. Argum. *Primo.* Subſtantiæ nihil eſt contrarium, ex Ariſt. in categoria ſubſtãtiæ. ſed multæ ex differentiis ſunt ſubſtantiæ, vt particeps & expers rationis, ergo differentiæ non erunt inter ſe contrariæ.

2. Argum. 2. Vni vnũ tantum eſt contrarium, ex Ariſt. 10. *lib. Metaph. c.8. & 1. de cœlo, cap. 2.* ſed differentiæ alicuius generis ſunt multæ, ſunt enim [illegible], quot ſpecies: ergo differentiæ non erunt contrariæ.

3 Argum. 3. Omnis cõtrarietas reuocari debet ad contrarietatem, ex Ariſt. 10 *Metaphyſ. cap. 7.* ergo & contrarietas differentiarum reuocari debet ad hanc eandem contrarietatem, atque ita differentiæ non erunt vere & poſitiue contrariæ.

4. Argum. *Vltimo* Contraria ſunt, quæ eidem ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuo ſe expellunt: ſed duæ differentiæ non poſſunt eidem ſubiecto viciſſim ineſſe, & ab eo ſe mutuo expellere, vt particeps & expers rationis non poſſunt viciſſim homini ineſſe, ergo differentiæ nullo modo erunt contrariæ.

Prima opinio. Nonnulli, quos proponit Soncinas 10. *Metaphyſ. quæſt. 24.* olim aſſeruerunt, differentias ſola contrarietate habitus & priuationis inter ſe opponi, & non contrarietate poſitiua, quibus adhærere videtur M. Sot. *q. 2. in categoria ſubſtantiæ, in ſolut. 2. confirmationis, 4. arg.*

2. Opinio. Alij tamen econtra putant, differentias non ſola oppoſitione priuatiua, verum etiam poſitiua inter ſe contrariari, quamuis illa non ſit perfecta contrarietas, quæ tantum inter patibiles qualitates poteſt inuenire. Hanc ſequitur Soncinas *in quæſt. citata*; Iauellus 10. *Metaph. quæſt. 18.* & Zimara *theoremate* 12. cum multis aliis.

1. Obſeruat. Cæterum, vt quæſtionem explicemus, animaduertendum eſt prius, ex contrariis quædam eſſe priuatiue oppoſita, vt cœcitas & viſus: alia contrarie, vt calor & frigus, candor & ator: alia relate, vt pater & filius, dominus & ſeruus: & tandem alia contradictorie, vt homo & non homo, quemadmodum in Poſtcategoriis, cap. de cõtrariis, cum Ariſt. oſtẽdemus.

2. Obſer. Obſeruandum eſt etiam ex contrariis, quæ in ſecundo genere continentur (quæ ab aliis aduerſa vocantur) quædam eſſe proprie & perfecta ratione contraria: alia vero impropria & imperfecta. Perfecte contraria ornari debent his tribus proprietatibus Prima, vt contineantur ſub eodem genere, ſecunda, vt inter ſe maxime diſtent, & tertia, vt eidem ſubiecto viciſſim inſint, à quo per veram actionem & paſſionem ſe mutuo expellant, niſi fuerit alterum inditum à natura, vt ſunt calor & frigus, continentur enim ſub eodem genere, nimirum patibili qualitate, ac inter ſe maxime diſtant, eidemque ſubiecto, vt homini, v. g. viciſſim inſunt, à quo per veram actionem & paſſionem ſe mutuo expellunt, nam adueniente frigore recedit calor, & illo euaneſcente redit iterum calor. Ad contrarietatem vero improprie & imperfecte dictam, tria etiam alia requiruntur. Primum, vt contraria ſub eodem genere contineantur, ſecundum, vt inter ſe maxime diſtent, & tertium, vt eidem ſubiecto nulla ratione poſſint conuenire, in qua re ſeparantur a contrariis vere & proprie dictis, quia hæc contraria eidem ſubiecto poſſunt viciſſim ineſſe, a quo mutuo ſe expellunt, niſi alterum, vt diximus, inſit a natura: at contraria improprie dicta eidem ſubiecto ineſſe nullo modo poſſunt, vt ſunt particeps & expers rationis (quæ hoc genere contrarietatis opponuntur) quæ eidem ſubiecto, vt homini, vel equo, viciſſim ineſſe nullo modo poſſunt.

1. Concl. His animaduerſis, ſit prima concluſio. Differentiæ diuidentes genera ſunt inter ſe contrariæ. Hanc & Ariſtot. & Porphyr. teſtimonio confirmamus.

1. argum. Nam Ariſt. 1. *Phyſ. cap. 6.* inquit, conſtituendam eſſe in omni genere vnam primam contrarietatem, quæ certe nulla alia eſſe poteſt, quam contrarietas differentiarum, &

10. lib.

10. lib. Metaph. c. 12. & aliis capitibus ex profeſſo hanc eandem rem diffuſa oratione demonſtrare contendit, differentias nimirum, diuidentes genera eſſe inter ſe contrarias. Porphyrius etiã præclaro quodam teſtimonio hanc rem in hoc capite profitetur, agens enim de differentiis, & qua ratione contrarientur, poſt traditam primam diffinitionẽ ita loquitur. *Neq; vero omnes habet contrarias* (ſubintelligit differentias) *quoniam iſto pacto eadem res ſimul cõtrarias formas haberet.*

2\. *Argum.* *Confirmatur deinde* Lex eſt optimæ diuiſionis ab omnib. Dialecticis perſcripta, vt res diuiſa per membra contraria diuidi debeat, ſed genera diuiduntur per differentias, vt animal per particeps & expers rationis: ergo differentiæ diuidentes erunt contrariæ.

2\. *Concluſio.* 2. *Concl.* Differentiæ diuidentes genera, neq; priuatiue, neque contradictorie, neque relatiue contrariantur. Imprimis non contrariari priuatiue, confirmatur aduerſus auctores, quos primo loco recenſuimus, & M. Sotum, cum Soncinate, quia forma, & priuatio ita inter ſe afficiuntur, vt ſola forma denotet aliquam entitatem poſitiuam, at inter differentias vtraq; denotat entitatem poſitiuam, nam quælibet ex illis conſtituit ſuam ſpeciem poſitiuam, quare non opponentur priuatiue. Deinde non opponi contradictorie confirmatur. Quia in contradicentibus vna pars tam dicitur de eo quod eſt quam de eo quod non eſt ex Ariſto in Poſtcateg. cap. de contrariis, vt non homo tam dicitur de lapide qui eſt, quam de chimera quæ non eſt, at ex differentiis nulla dicitur de eo quod non eſt. Et tandem non opponi relatiue confirmatur, quia in aliis categoriis, & non in ſola relatione reperiuntur differentiæ diuidentes genera.

3\. *Concluſio.* 3. *Concluſ.* Differentiæ diuidentes genera non ſunt contrariæ vera & propria contrarietate.

1\. *Argum.* *Confirmatur primo*, quia ex his differentiis pleræque ſunt categoriæ ſubſtantiæ: ſed ſubſtantiæ nihil eſt contrarium vera, & propria contrarietate, vt oſtendemus in categoria ſubſtantiæ cum Ariſtot ergo differentiæ non erunt contrariæ vera contrarietate.

2\. *Argum.* Deinde quia contraria huius generis viciſſim eidem ſubiecto inſunt, à quo ſe mutuo expellunt; niſi alterum inſit à natura: ſed differentiæ diuidentes aliquod genus, non poſſunt eidem ſubiecto viciſſim ineſſe, vt particeps, & expers rationis non poſſunt homini viciſſim conuenire, ergo differentiæ non erunt inter ſe contrariæ vera & propria contrarietate.

Obiect. *Obiiciet tamẽ aliquis.* Inter differentias quædam ſpectant ad patibiles qualitates, vt congregare viſum, & diſgregare ſpectant ad candorem, & atrorem: ſed patibiles qualitates contrariantur inter ſe vera, & propria contrarietate: ergo ſaltim hæ differentiæ inter ſe opponentur vera & propria contrarietate.

Respondemus has differentias poſſe ſumi, vel in ratione patibilis qualitatis, vel in ratione differentiarum. Primo modo admittimus illas opponi vera & propria contrarietate: altero tamen modo hoc diffitemur. Verum hic non agimus de differentiis, vt ſunt patibiles qualitates, ſed ſub ratione propria differentiarum, & hoc modo dicimus non opponi inter ſe vera & propria contrarietate. *Solut.*

Vltima concluſio. Differentiæ diuidentes ſunt inter ſe contrariæ impropria, & imperfecta contrarietate. Hanc profitemur cum Soncinate, Iauello, Zimara *vbi ſupra*, & Antonio Andrea *10 Metaphyſ. quæſt. 5.* Confirmaturque quia illa ſunt contraria impropria, & imperfecta contrarietate, quæ ſub aliquo genere poſita maxime diſtant, & eidem ſubiecto neque ſimul, neque ſucceſſiue ineſſe vllo modo poſſunt, ſed differentiæ diuidentes aliquod genus ſunt huiuſmodi, vt particeps, & expers rationis, nam continentur ſub genere animalis, inter ſeque maxime diſtant, & eidem ſubiecto ſimul, neque ſucceſſiue ineſſe vllo modo poſſunt, ergo differentiæ diuidentes erunt contrariæ contrarietate improprie dicta. *Vlt. c.*

Quod ſiquis roget in quo ſit hæc contrarietas differentiarum conſtituta, vel à quo ſit illa haurienda? *Reſpon.* hauriendam eſſe ab exceſſu, & defectu, qui in differentiis, vel formis (à quibus illæ petuntur) repetitur, vt docet D. Th. in comment. *in cap. 2. lib. 5. Phyſ.* Etenim omnes differentiæ ſunt ita inter ſe affectæ, vt vna illarum, alteram ſuperet nobilitate, & excellentia, vt in numeris ſemper vnus vincit alium vnitate, vt docebat *Ariſt. 8. Metaph. cap. 3.* In hoc igitur exceſſu & defectu contrarietatis ratio inter differentias erit conſtituta. Neque putare debet aliquis ob hanc cauſam opponi priuatiue differentias, quia defectus eſt quædam priuatio exceſſus, falſum enim eſt defectum eſſe priuationem, cum denotet entitatem aliquam poſitiuam, vt in quaternario defectus quintæ vnitatis, ſignificat entitatem poſitiuam quatuor vnitatum, quamuis verum ſit ſecundario, & quaſi per accidens defectum denotare priuationem exceſſus. Verum ex hoc non colligitur opponi priuatiue, quia priuatio hac ratione ſumpta ſeſe per omnia contraria vera contrarietate diffundit, nam in omnibus contrariis ſemper vnum excedit alterum perfectione, & nobilitate, vt candor excedit atrorem, vt docet Ariſt. Metaph. in multis locis. *Interrogatio, & reſp.*

Digitized by Google

Dubium.

Quæret tamen aliquis an hæc eadem oppoſitio in ſpeciebus cōſtitutis ex differētiis reperiatur, vt an oppoſitio quæ intercedit inter particeps, & expers rationis, intercedat quoque inter hominem & leonem, & quæ intercedit inter rectum, & inflexum reperiatur inter lineam rectam, & inflexam. *Opinio.* Zimara *theoremate 12.* putat non intercedere, atque ita docet inter ſpecies nullam interuenire contrarietatem impropriè dictam, quia inquit, non eſt neceſſe, vt quod parti conuenit, de toto quoque dicatur. Nam de partibus ſemicirculi dicimus dari inter illas motus contrarios, non tamen dicimus, de toto & integro circulo, vt docet Ariſtot. 1. *de cœlo.*

Confutatur 1. a primo.

Fallitur tamen quia fieri nullo modo poteſt vt detur contrarietas aliqua inter conſtituentia, & vt non detur eadem inter conſtituta. *Primo* quia diſtinctio conſequitur entitatem, cui igitur communicabit conſtituens ſuam entitatem, communicabit quoque ſuam diſtinctionem, ſed differentiæ communicant ſpeciebus à ſe formatis ſuam entitatem, ergo communicabunt quoque ſuam diſtinctionem. Eadem ergo contrarietate, qua differentiæ inter ſe opponuntur, opponentur, quoque & ſpecies. *Secun.* 2. Contrarietas hæc quæ intercedit inter differentias eſt ſecundum exceſſum, & defectum in perfectione eſſentiali, vt nunc proxime dicebamus: ſed ſpecies ita ſeſe habent ſecundum exceſſum, & defectum in perfectionibus eſſentialibus, ſemper enim vna vincit alteram eſſentiali perfectione, vt vnus numerus alterum ſuperat in vnitate: ergo ſpecies hac eadem contrarietate inter ſe opponentur.

Solutio. argum. Zimaræ.

Argumentū vero, quo ille nitebatur, futile eſt, & nullius momenti, nam aliud eſt agere de illo, quod conſequitur partem per ſe & ratione ſui, & aliud de illo quod conſequitur accidentario. Nam quod conſequitur partem ratione ſui, debet queq; toti conuenire, illud vero, quod conſequitur accidentario, non eſt neceſſe, vt toti communicetur: at contrarietas, quæ intercedit inter differentias, competit illis ratione ſui, nam competit ratione exceſſus, & defectus, qui conueniunt rei ex propria ratione attributorum eſſentialium, ac proinde conueniet quoque ſpeciebus conſtitutis per differentias. Contrarietas vero motus in ſemicirculo competit illi accidentario, nam eſt extra rationem eius, quod per illum fiat aliquis motus ad locum. Quam quamuis hoc conueniat ſemicirculo, non conueniet circulo. Ratio vero ob quam motus contrarii fieri poſſunt per ſemicirculum, & non per circulum, eſt, quia in ſemicirculo (cum ſit linea finita) aſſignantur termini à quo, & ad quem, inter quos motus contrarii, poſſunt interuenire, at in circulo cum referat ille modum quendam infiniti, (cum principio, & fine careat) non poterunt aſſignari hi duo termini à quo, & ad quem, & propterea neque poterunt per illum fieri motus contrarii.

Ad 1. arg.

Ad argumenta igitur. *Ad primum reſp.* imprimis ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium legitima, & vera contrarietate, iam tamen dicimus differentias non eſſe hac ratione inter ſe oppoſitas. Vel reſpondere poſſumus ſubſtantiæ integræ, & completæ nihil eſſe cōtrarium, qualis eſt ea, quæ in recta ſerie categoriæ continetur, incompletæ vero bene poſſe aliquid eſſe contrarium, at differentiæ ſubſtantiæ ſunt incompletæ, cum ſint partes.

Ad 2.

Ad 2. reſpon. vnum tantum eſſe vni contrarium ſi agamus de contrarietate propria, & perfecta, & de eodem genere contrarietatis, vt albedini nigredo, & calori frigiditas contrariantur. (Quod intelligi debet de eodem genere contrarietatis, nam ſi de diuerſo genere contrarietatis agamus, multa bene poſſunt vni contrariari, vt liberalitati, quæ eſt vna virtus ſecundum ſpeciem, opponuntur prodigalitas, & auaritia, prodigalitas ſecundum exceſſum, auaritia vero ſecundum defectum.) At ſi loquamur de contrarietate impropria, & imperfecta, bene poterunt vni plura eſſe contraria. Et quia hac ratione opponuntur differentiæ, propterea vni poterunt multæ contrariari. Legendus eſt Zimara theoremate 25.

Ad 3.

Ad 3. reſpon. priuationem apud Ariſtot. 5. lib. Metaphyſ cap. 22. aliquando ſumi pro vera priuatione, quæ ſignificat negationem formæ, in ſubiecto apto noto, vt cæcitas, & tenebræ, & aliquando ſumi pro omni forma imperfecta Cum enim in vno quoque genere ſint quædam formæ perfectæ, & aliæ imperfectæ, vt in genere coloris candor eſt forma perfecta, & ater imperfecta. Forma perfecta dicitur habitus, imperfecta vero priuatio. Igitur quando inquit Ariſtot. omnem contrarietatem reuocandam eſſe ad contrarietatem habitus, & priuationis, intelligi debet de priuatione, vt ſignificat formam imperfectam, & non vt ſignificat veram, & legitimam priuationem. Cæterum oppoſitio habitus, & priuationis ita ſumptæ, non aduerſatur aliis formis contrariorum, ſed ſeſe per omnes illas diffundit, eo modo quo perfectum, & imperfectum per omnia rerum genera diuagantur, vt in eodem loco eſt teſtis locupletiſſimus Ariſt.

Ad vlt.

Ad vltimum reſp. hoc argumentum tantum colligere differentias non eſſe contrarias con

trarie-

trarietate vere & proprie dicta, non tamen ex illo poſſe concludi, non eſſe contrarias contrarietate impropria, & imperfecta, de qua hactenus loquuti fuimus.

QVÆSTIO III.

An differentiæ ſuperiores per ſe dicantur de inferioribus.

QVæſtionem hanc alii proponunt ſub hoc titulo, num differentiæ inferiores contineant ſuperiores necne? vt num particeps rationis contineat particeps ſenſus. Nam ſi differentia inferior continet ſuperiorem tanquam partem ſuæ eſſentiæ, haudubie per ſe prædicabitur de inferiori. Et quidem differentiam ſuperiorem prædicari de inferiori, nonnullis argumentis poſſumus confirmare.

1. Argum. *Primum* eſt ex Ariſt petitum, qui 7. *Metaph.* c. 12. inquit pedalitatem per ſe prædicari de diuiſione pedum: at pedalitas eſt differentia ſuperior animalis, nam ex animalibus quædam ſunt quę habent pedes, vt boues, & equi: & alia ſunt apoda, id eſt, nullos pedes habentia, vt angues, & ſerpentes: diuiſio vero pedum eſt differentia inferior, nam ex animalibus quæ habent pedes, quædam ſunt quæ habent illos diuiſos, vt boues: & alia habent illos indiuiſos, vt equi, ergo differentia ſuperior poterit per ſe de differentia inferiori prædicari.

2. Argum. 2. Differētia infima, vt auctor eſt Ariſt. in eodem loco quem proxime propoſuimus, cōtinet totam rei quidditatem, & eſſentiam, ſic enim habet. *Perſpicuum eſt vltimam eſſentiā rei fore, atq; diffinitionem*: ſed in eſſentia rei dantur multæ differentiæ intermediæ, vt in eſſentia hominis corporeum, animatum, & ſentiens: ergo differentia inferior continebit ſuperiores, & ex conſequenti ſuperior per ſe prædicabitur de inferiori.

3. Argum. 3. Membra diuidentia debent participare naturam rei diuiſæ, ſed differentiæ ſuperiores diuiduntur in differentias inferiores, vt viuens, in ſentiens, & non ſentiens, & ſentiens in particeps & expers rationis, vt in eodem loco *ex 7. Metaphyſ.* docet Ariſt. ergo differentiæ inferiores participabunt naturam differentiarum ſuperiorum, ac proinde poterunt per ſe ſuperiores de inferioribus prædicari.

4. Argum. *Præterea.* Si differentiæ inferiores non continerent in ſe ſuperiores, ſequeretur illas eſſe prima, & generalia attributa: at hoc dicere eſt abſurdū: ergo differentia ſuperior continebitur in inferiori. Confirmatur propoſitio. Illa ſunt prima & generalia attributa quæ non habent ſupra ſe aliqua attributa quæ de eis prædicentur: ſed differentiæ inferiores non habent ſupra ſe alia attributa, quæ de eis prædicentur, nam neque genera, neq; differentiæ ſuperiores prædicantur de illis: ergo ſi differentiæ ſuperiores non prædicarentur de inferioribus, inferiores eſſent prima, & communia quædam attributa.

5. Argum. *Iterum.* Particeps rationis eſt differentia vltima, ſed de illo prædicantur differentiæ intermediæ, ergo differentiæ ſuperiores per ſe prædicantur de inferioribus Confirmatur aſſumtio. Particeps rationis eſt ſubſtantia, ergo vel eſt corporea vel incorporea: viuens, vel non viuens: ſentiens, vel non ſentiens: ſed corporeum viuens, & ſentiens, ſunt differentiæ ſuperiores, ergo differentiæ ſuperiores, per ſe prædicantur de inferioribus.

6. Argum. *Adhac.* Hæc eſt legitima conſequentia, homo eſt ſentiens, ſed homo eſt particeps rationis, ergo particeps rationis eſt ſentiens. At in illa prædicatur differentia ſuperior de inferiori, nimirum ſentiens de rationis participe, ergo differētia ſuperior per ſe prædicabitur de inferiori.

His argumentis ſuaderi poteſt differentiam ſuperiorem per ſe & eſſentialiter prædicari de inferiori, eſſeq. incluſam in intimo & eſſentiali conceptu illius.

1. Opin. Eſt igitur prima opinio Soncin. 7. *Metaphyſ. quæſt.* 37. qui propter nonnulla ex his argumentis, quæ effecimus, tuetur partem aientem, prædicari nimirum per ſe differentiam ſuperiorem de inferiori, quamuis exercitii cauſa dicat ſe hanc ſententiā defendere, & non quia putet illam eſſe contraria veriorem.

2. Opin. 2. Opinio eſt M. Soti quæſt. vnica de genere in ſolut. 3 argum. qui conſtituit duplicem eſſe attributionem vnam immediatam, qualis eſt attributio animalis de homine, & alteram mediatam, qualis eſt attributio animalis de Petro, & Ioanne. Inquit igitur attributione immediata differentias ſuperiores non prædicari per ſe de inferioribus, neque contineri ſuperiores in conceptu eſſentiali inferiorum: at ſi agamus (inquit) de attributione mediata differentia ſuperior per ſe prædicabitur de inferiori, & cōtinebitur in illa. Etenim quia differētia ſuperior per ſe prædicatur de ſpecie, vt ſentiens prædicatur de homine, & ſpecies per ſe prædicatur de differentia inferiori, vt homo de rationis participe, ob hanc cauſam differentia ſuperior per ſe prædicabitur de inferiori, nimirum ſentiens de rationis participe.

3. Opin. Eſt tamen tertia, eaq; ſequenda opinio differentias ſuperiores nullo modo per ſe prædicari de inferioribus. Sequuntur hanc ſententiam D

Thom.

Thom. *1. cont. gent. cap. 17. & 3. Metaph. c. 3. Scotus 7. Metaph. q. 17. Antonius Andreas in eodem lib. qu. 15. Sueſſanus qu. 16. Zimara verbo differentia, Capreol. vt inquit Sonci. & multi alij.*

1. Concluſio. In explicationem igitur quæſtionis ſit prima concluſio. Differentiæ vltimæ ſunt omnino ſimplices nullam admittentes compoſitionem. *1. Argum.* *Confirmatur primo* ex communi conſenſu Metaphyſicorum, & Dialecticorum, qui omnes profitentur differentiam vltimam eſſe conceptum omnino ſimplicem, & irreſolubilem. *2. Argum.* 2. Quia ſi differẽtiæ vltimæ nõ eſſent ſimplices, & irreſolubiles, ſed conuenirent in aliquo communi conceptu nimirum differentiæ ſuperioris, & intermediæ, non eſſent illæ primo diuerſæ, nam quæ in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt, non ſunt primo diuerſa, atqui hoc repugnat decretis omnium Metaphyſicorum, qui differentias dicunt eſſe primo diuerſas, quemadmodũ genera ſuprema, ergo differentiæ infimæ erunt ſimplices, & omnino incompoſitæ.

2. Concluſio. 2. *Concl.* Differentiæ ſuperiores non prædicantur de inferioribus formaliter, & per ſe. *Confirmatur* his argumentis aduerſus Soncin. *1. Argum.* *Primo.* Quæ ſunt eadem ſecundum eſſentiam de quocunq; prædicatur vnum, & reliquum quoque prædicatur, ſed genus, & differentia ſuperior ſunt idem ſecundum eſſentiam, vt animal, & ſentiens, ergo de quocunque prædicatur vnum, prædicatur & alterum, ſi igitur differentiæ ſuperiores prædicantur de inferioribus, & genera quoque de differentiis inferioribus prædicabuntur, at quam ſit hoc falſum probatum eſt à nobis ſupra *ſect. 2. de genere quæſt. 5.* ergo differentiæ ſuperiores non poterunt per ſe & formaliter de inferioribus prædicari. *2. Argum.* *Deinde.* Quia ſi per ſe prædicarentur conuenirent differentiæ omnes inferiores alicuius generis in natura aliqua ſynonyma, nam conuenirent in natura differentiæ ſuperioris, quæ eſt natura ſynonyma, vnde fieret, vt differentiæ infimæ non eſſent primo diuerſæ, nam quæ in aliqua natura ſynonyma conueniunt, non ſunt primo diuerſa, quod certe in Metaphyſica maximum eſt abſurdum. Non igitur differentiæ ſuperiores per ſe & formaliter prædicabuntur de inferioribus.

3. Argum. Iam. Cõmittere nugationem in diffinitionibus eſt maximum vitium, & reiiciendum omnino, ſed ſi differentiæ ſuperiores actu continerentur in inferioribus, & prædicarentur per ſe & formaliter de illis, committeretur nugatio in diffiniendo, ergo differentiæ ſuperiores non cõtinebuntur actu, & formaliter in inferioribus. Confirmatur aſſumtio. Præceptum eſt ab Ariſt. in Topicis, & *2. lib. de demonſtr. cap.* 14. quando ſpecies aliqua diffinitur per genus remotum, in illa diffinitione debere comprehendi omnes differentias intermedias, vt ſi hominem per ſubſtantiam diffiniamus, debemus illum ita diffinire, homo eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſentiens, & particeps rationis, quæ omnia attributa præter ſubſtantiam, quæ eſt, genus, ſunt differentiæ ſuperiores intermediæ: Tunc ita argumentor. Differentiæ ſuperiores actu, & formaliter continentur in inferioribus, ergo ſentiens v. g. actu, & formaliter continebitur in rationis participe. Quando igitur dicemus hominem eſſe ſubſtantiam ſentientem, & participem rationis, bis repetemus differentiam intermegiam ſentiendi, ſemel ſecundum ſe, & proprio nomine, & iterum in participe rationis, ac proinde committeremus nugationem, nam bis idem repeteremus, non igitur differentia ſuperior continetur actu, & formaliter in inferiori. Accedit his. Differentias infimas eſſe ſimplices, *4. Argum.* & irreſolubiles, at ſi ſuperiores eſſent de eſſentia inferiorum differentiæ infimæ eſſent reſolubiles in varios conceptus reſoluerentur enim in conceptum differentiæ ſuperioris, in quo differentiæ inferiores conueniunt, & in conceptum proprium, in quo inter ſe ſeparantur, non ergo differentiæ ſuperiores actu, & formaliter in inferioribus includentur.

3. *Concl.* Differentiæ ſuperiores non prædi- *3. Concluſio.* cantur de inferioribus mediate, media ſcilicet ſpecie. Confirmatur perfacili argumento aduerſus Sotum. Quia medium prædicandi debet ipſum quoq; prædicari, ergo ſi ſpecies vt homo eſt mediũ ratione cuius ſentiens prædicatur de rationis participe: ergo & ipſe homo prædicabitur de rationis participe, hoc autem iam ſupra *ſect. 2. de genere quæſt. 5. concluſ. 6.* docuimus eſſe falſum, & repugnans *Ariſt. 3. Metaph. cap. 3.* ſic loquenti. *Fieri autem non poteſt vt vel ſpecies generis de propriis differentiis dicatur &c.* Ergo differentia ſuperior non prędicabitur mediate de inferiori.

4. *Concl.* Attributione idemptica differentiæ *4. Concluſ.* ſuperiores prædicantur de inferioribus. Hæc eſt perſpicua, & ab omnibus conceſſa, nam differentiæ ſuperiores, & inferiores ſignificant vnam, eandemque rem, ſcilicet ſpeciem quam componunt, vt in homine vegetans, ſentiens, & rationis particeps ſunt vna eandemque res in natura humana. Qua etiam eadem ratione differentiæ inferiores poſſunt de ſuperioribus dici, quia ſignificant eandem naturam ſecundum rem cum illis.

5. *Concl.* Differentiæ inferiores virtute conti- *5. Concluſ.*

nent

nent ſuperiores, vt rationis particeps virtute continet ſentiens, vegetans, & corporeum. Cõfirmatur ex analogia quæ inter formas ſuperiores, & inferiores, & differentias ſuperiores, & inferiores reperitur. Etenim formæ inferiores virtute continent ſuperiores, illarumque munera exequuntur, vt in homine rationis particeps exequitur munera ſentiẽtis & vegetantis, ergo cum ſit eadem habitudo differentiæ inferioris ad ſuperiorem, quæ formæ inferioris ad ſuperiorem differentia inferior virtute continebit ſuperiores, earumque munera exequetur.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. *Ad primum reſpon.* Ariſt. in illa auctoritate intelligendum eſſe de attributione idemptica, non autem de formali, nam idemptice verum eſt diuiſionem pedum eſſe pedalitatem, quemadmodum etiam idemptice dicimus rationale eſſe ſentiens, non tamen formaliter.

Ad 2. Ad 2. argum. reſpon. imprimis differentiam inferiorem continere totam rei eſſentiam, non quod illam includat, aut ſignificet, ſed quia eſt præcipua, & potiſſima illius pars, vt interpretatur Alexander, partique potiſſimæ tribui ſolet continere totam rei naturam & eſſentiam. Vel reſpondere poſſumus cum D. Thoma in comment. illius loci differentias infimas continere totam rei naturã, non actu & formaliter, ſed virtute vt expoſuimus. Vel cum *Scoto q. 17* dicere poſſumus differentiam vltimam continere totam rei naturam, quia eſt complementum & vltimus actus illius.

Ad 3. Ad 3. reſp. veram eſſe propoſitionem de participatione idemptica, non tamen de formali. itaque differentiæ inferiores idemptice participant ſuperiores, & hæ dicuntur de illis idemptice, non autem formaliter.

Ad 4. Ad 4. reſpon. falſam eſſe propoſitionem, ad cuius confirmationem dicimus falſam quoque eſſe propoſitionem, etenim prima, & communia attributa non ſolum ex eo dicuntur prima, quia ſupra ſe non habeant attributum quod de eis prædicetur ſynonyme, verum etiam quia nullũ habent attributum quod diuidant ſynonyme. Vnde licet differentiæ vltimæ non habeant ſupra ſe aliquod attributum, quod de illis efferatur ſynonyme, habent tamen attributum quod ſynonyme diuidant in multas formas, vt particeps & expers rationis habeat animal, quod diuidant in varias formas, nimirum hominem, & leonem.

Ad 5. Ad 5. neganda eſt aſſumt. ad cuius confirmationẽ dicimus ſubſtantiam poſſe ſumi vel in late patenti ſignificatione, vt ſignificat quidquid non eſt accidens, vel in alia contractiori, vt ſignificat naturam integram. Hoc ſecundo modo differentiæ non ſunt ſubſtantiæ, altero vero primo ſunt ſubſtantiæ, quia non ſunt accidentia. Non tamen hinc colligitur differentias ſuperiores prædicari per ſe de inferioribus. Vnde quando dicimus rationis particeps eſt ſubſtantia, ergo vel eſt corporea, vel incorporea &c. Si agamus idemptice verum eſt eſſe ſubſtantiam corpoream, animatam, ſentientem: ſi tamẽ loquamur formaliter neganda eſt conſequentia, quia hæ non ſunt differentiæ ſubſtantiæ, vt eſt diuiſa contra accidens, ſed illius quæ continetur in recta ſerie categoriæ. Ac proinde quamuis ſubſtantia quæ eſt diuiſa contra accidens prædicetur formaliter de illis, non propterea differentiæ ſuperiores de eiſdem prædicabuntur.

Ad vlt. Ad vlt. reſp. negando conſequentiam, nam quamuis ſentiens, & particeps rationis vniantur in homine de quo per ſe, & formaliter prædicantur, non tamen eſt neceſſe vt tanta vnione vniantur inter ſe. Neque enim neceſſe eſt vt extrema tanta vnione inter ſe vniantur, quanta in medio aliquo vniuntur. Neq; enim materia & forma quæ vniuntur in toto compoſito naturali, tanta vnione inter ſe vniuntur, quanta vniuntur cum toto, nam cum toto vniuntur vnione eſſentiali ita vt vtrumq; ſit de eſſentia totius, at inter ſe non ita vniuntur quia neque materia eſt de eſſentia formæ, neque hæc poteſt eſſe de eſſentia materiæ.

QVÆSTIO IV.

An genus reipſa differat a differentia.

Acturi in quæſtione ſequenti de origine generis, & differentię, à quo ſcil. hæc duo poſtulentur, viſum fuit hanc quæſtionem tanquam illius fundamentum proponere, num ſcilic. hæ duæ partes genus & differentia reipſa differant, necne? vel an ſola ratione diſtinguantur? Diſtingui reipſa, his argumentis confirmo.

1. Argum. 1. Actus & poteſtas reipſa differunt, ſed genus habet locum potentię, differẽtia vero actus, ergo genus & differentia reipſa diſtinguentur. Propoſitio eſt aperta, confirmatur aſſumtio ex Ariſt. *qui 8. Metaph. cap. 6.* quærens quare partes diffinitionis, quæ ſunt genus & differentia, efficiant vnum per ſe, inquit cauſam eſſe, quia vna pars (nimirum genus) eſt potentia: altera vero (ſcilicet differentia) eſt actus, ergo &c.

2. Argum. 2. Per vnam & eandem entitatem, & vnitatem non poſſunt aliquæ res inter ſe conuenire, & differre, impoſſibile ſiquidem eſt idem eſſe principium realis conuenientiæ, & diſtinctionis. ſed ipſa natura generis eſt principium quo aliqua (ſcilicet ſpecies) inter ſe conueniunt, diffe-

rentiæ vero quo diſtinguuntur, ergo genus & differentia reipſa diſtinguentur.

Argum. *Præterea.* Si genus, & differentia eſſent idem realiter, ergo cuicunq; vnum conueniret, & alterum quoque conueniret, intelligi enim nequaquam poteſt, vt vna & eadem res vni conueniat, & eadem eidem non conueniat: ſed natura generis competit alicui, cui non competit natura differentiæ, vt natura animalis competit equo, cui natura rationis participis nullo modo poteſt conuenire, ergo genus & differentia reipſa diſtinguentur.

Argum. *Iterum.* Aliquid repugnat generi, quod non repugnat naturæ differentiæ, ergo genus, & differentia realiter diſtinguentur. Confirmatur conſequentia quia in iis, quæ ſunt idem re, nihil poteſt vni repugnare, quod alteri non repugnet. Confirmatur antecedens. Generi repugnat diuidi formaliter, vel diſtrahi in plures ſpecies per contrarias formas, hoc autem non repugnat ſpeciei, nam ſpecies non poteſt diuidi per formas contrarias, vel ſpecies, ergo aliquid repugnat generi, quod non repugnat differentiæ.

Argum. *Adhæc.* Quæ ſunt primo diuerſa realiter differunt, nam differunt maiori diſtinctione, quæ poteſt reperiri: ſed genus, & differentia ſunt primo diuerſa, ergo realiter diſtinguentur. Confirmatur aſſumptio. Differentia ſeipſa differt à genere, nam ſi non differret ſeipſa aliqua differentia differret, & ita differentiæ eſſet differentia: at quæ ſeipſis differunt ſunt primo diuerſa, ergo differentia, & genus ſunt primo diuerſa.

Argum. *Iam.* Aliquid includitur in genere, quod non includitur in differentiis, ergo genus, & differentia reipſa diſtinguentur. Conſequentia nota eſt, quia illa diſtinguuntur reipſa, ex quibus aliquid reale includit vnum, quod alterum non includit. Confirmatur antecedens. Genus includit ſecundum eſſentiam omnes differentias intermedias, vt animal includit eſſe corporeum, particeps vitæ, & particeps ſenſus, ſed differentia (vt particeps rationis) non includit illas, vt conſtat ex ſuperiori quæſtione, in qua diximus differentias inferiores non includere ſuperiores, ergo aliquid includit genus, quod non includit differentia.

Opini. Horum & aliorum huiuſmodi argumentorum pondere conuicti nonnulli Philoſophi in ea exiterunt opinione, vt exiſtimeat genus, & differentiam reipſa diſtingui, conceptuſque obiectiuos vtriuſque realiter differre. Sequuntur hanc opinionem *Scotus 7. Metaph. quaeſt. 19. Antonius Andreas in eodem lib. quaeſt. 14. Antonius Trombeta 7. etiam lib. quaeſt. 4.* quamuis non tam aperte vt alii loquatur, eandemq; alumni Scoti maxima ex parte profitentur.

Verum contrariam opinionem grauiſſimi alii Philoſophi ſequuntur aſſerentes inter genus, & differentiam ſolam diſtinctionem rationis interuenire. *Ita Herueus quodlib. 1. qu. 9. Capr. in 1. diſt. 8 quaeſt. 2. ad argum. 7. Scoti contra 1. concluſ. Caiet. in cap. 3. de ente & eſſentia, Ferrarien. 1 contra gentes cap. 42. Sonc. 7. Metaphyſ. quaeſt. 36.* & omnes fere Thomiſtæ, quam opinionem tanquam veriorem amplectentes illam, his aſſertionibus explicamus, ex quibus ſit hæc prima. *2. Opin.*

Genus, & differentia non diſtinguuntur realiter: Hanc concluſionem aperte docet *D. Tho. c. 3. de ente, & eſſentia,* vbi inquit, genus ſignificare totũ illud, quod eſt in ſpecie, & differentiam, & diffinitionem, quamuis diuerſa ratione, quod ſignificant idem, ergo non diſtinguentur reipſa. Verba illius ſunt. *Genus ſignificat id totum quod eſt in ſpecie, ſimiliter etiam differentia ſignificat id totum quod eſt in ſpecie, & etiam diffinitio, & etiam ſpecies ſed diuerſimode, &c.* Auicenna etiam idem docet *5 Metaph. cap. 4. 5. & 6.* qui certe accurate de genere & differentia in hoc loco diſſeruit, multiſque verbis & diffuſa oratione in his capitibus docet genus, ſpeciem, & differentiam eſſe rem vnam, & eandem, ſola ratione, vel conceptione intellectus diſtinctam: nam quatenus concipitur vt determinabilis dicitur genus, vt determinans differentia, & vt compoſita ex determinabili, & determinante ſpecies. Et cap. 6. veluti per epilogum concludens quæ dixerat in capitibus ſuperioribus ita ait. *Oſtendimus quomodo ipſum genus eſt differentia, & ſpecies, in eſſe in actu, &c.* *1. Concluſio.*

Confirmatur his argu. *Primum.* Omne abſolutum prius, & ab alio reipſa diſtinctũ poteſt eſſe ſine illo. Hæc propoſitio eſt *Scoti in 2 diſt. 12. qu. 2* qui ex eo confirmat materiam primam poſſe eſſe ſine forma, quia eſt ens abſolutum, & prior forma: nam omne inquit abſolutũ, & prius poteſt eſſe ſine poſteriori, ergo ſi natura generica, eſt reipſa diſtincta à differẽtia, etiam ſit natura abſoluta & prior poterit eſſe ſine differ. ſed fieri nullo modo poteſt, vt ſit natura generica ſine differentiis, vt aperte profitetur *Ariſt. 7. Meta. c. 17. & lib 3. c. 3. vbi ita habet, Fieri aũt non poteſt, vt genus ſine ſuis formis dicatur,* Tum etiã quia natura vniuerſa ita denotat intrinſecam habitudinem ad ſua inferiora, vt ſit impoſſibile omnino illam exiſtere abſque ſuis inferioribus, quemadmodum *Sect. 2. de rebus vniuerſis, qu. 1. concl. 3.* docuimus, ergo genus nõ differret realiterà differentia. Et certe ſi poſſet reipſa ſeparari à dif- *1. Argum.*

ri à differentiis, nihil aliud eſſent genera, quam quædam ideæ Platonis à ſingularibus omnino ſeparatæ, quas tam acriter, & tam capitali odio ſemper eſt perſequutus Ariſt. *2. Argum.* *Præterea.* Si genus reipſa differret à differentiis, ergo potentia generis, quæ poteſt per differentias contrahi ad ſpecies, eſſet realis, at hoc conſtare non poteſt: nam omnis potentia realis, quæ eſt ad actus contrarios, quos nata eſt recipere, poteſt ab vno in alterum actum tranſmutari, vt in materia prima quæ habet potentiam realem ad varias formas recipiẽdas intuemur, poteſt enim illa ab vna in alteram formam trãſmutari. Quare ſi genus habet potentiam realem ad contrarias differentias à ſe realiter diſtinctas recipiendas, poſſet ab vna in alteram differentiam tranſmutari, atque ita idem animal, quod nunc eſt particeps rationis, poſſet deinde fieri expers rationis, quod ſane quam ſit abſurdum, non eſt qui non videat.

2. Concluſ. 2 Concluſio. Genus, & differentia ſola ratione ratiocinata differunt. Confirmatur primo. *1. Argum.* Quia natura ſpecifica (à qua genus & differentia oriuntur immediate, vt oſtendemus quæſtione ſequenti) eſt fundamentum ſufficiens generandi diuerſas mentis conceptiones, nam vt concipitur conceptu communi, & generali, producit conceptum generis, vt vero concipitur conceptu proprio & peculiari, generat conceptum differentiæ: vt natura hominis ea ratione qua concipitur conceptu ſentientis, generat conceptum generis, & vt concipitur conceptu rationis participis generat conceptum differentiæ: ſed natura illa quæ nata eſt generare diuerſos conceptus, continet in ſe diſtinctionẽ rationis ratiocinatæ, illorum conceptuum: ergo genus & differentia diſtinguentur ratione ratiocinata. *2. Argum.* Iam. Omnis diſtinctio vel eſt rei, vel rationis, nam eſt proprietas entis, quod vel eſt rei, vel rationis, ſed probatum eſt in 1. concluſ. genus, & differentiam non diſtingui realiter: ergo diſtinguentur ſola ratione. Itaque genus, differentia, & ſpecies vnam & eandem naturam ſignificant, diuerſa tamen ratione, & diuerſis conceptibus ſignificatam, nam genus ſignificat illam confuſa ratione, & per modum determinabilis: differentia vero ſignificat eandem confuſa ratione, at per modum determinantis, ſpecies autem exprimit eandem per modum totius, ex conceptu determinabili, & determinante conſtitutam. Hoc igitur eſt differre ratione genus, & differentiam, differre conceptibus determinabilis, & determinantis. Legendus eſt Soncinas vbi ſupra.

3. Concluſio. 3. Concl. Compoſitio ſpeciei ex genere, & differentia nõ eſt rerum, ſed conceptuum obiectorum. Hanc profitentur omnes fere Thomiſtæ, quam acute explicat Caiet. *in comm in c. 3. de ente, & eſſentia,* vbi monet, genus, & differentiam tribus modis poſſe ſumi. Primo Phyſice loquendo pro rebus ipſis quæ ſunt à parte rei. Secundo pro eiſdem, vt concipiuntur ab intellectu. Et tertio pro notionibus ſecundis generis, & differentiæ. Primo modo non debet intelligi propoſita concluſio, hac enim ratione genus, & differentia nullam efficiunt compoſitionem, nã idem à parte rei, nullam cum ſeipſo poteſt efficere compoſitionem. Neque ſi de his agamus, ſecundo modo poſſunt efficere aliquam compoſitionem, notiones ſiquidem generis, & differentiæ, cum ſint relatiue oppoſitæ, nequeunt ad compoſitionem alicuius naturæ concurrere, quare tantum intelligi debet de illis ſecundo modo, nimirum vt ſunt naturæ quædam quę ab intellectu concipi poſſunt, qua ratione nuncupantur conceptus obiectiui. *Confir.* Confirmatur in hunc modum concluſio. Genus & differentia non differunt realiter, vt conſtat ex his quæ nunc proxime dicebamus, ergo compoſitio ſpeciei ex his duabus partibus non erit rei, ſed conceptuum obiectorum.

Obiect. Quod ſi quis dicat. Si hæc vera ſunt, ergo genus, & differẽtia tantum habent eſſe per intellectum, quia quæ differunt ſola ratione tantum habent eſſe ope, & beneficio illius. *Solutio.* Reſp. negando conſequentiam, nam aliud eſt agere de eſſe, & aliud de diſtinctione, ſunt igitur naturę generis, & differentiæ à parte rei (loquor de genere, & differentia pro naturis, & non pro notione) at nõ diſtinguuntur à parte rei diſtinctione aliqua reali, quemadmodum figura & quantitas ſunt à parte rei, non tamen differunt à parte rei diſtinctione aliqua reali, ſed ſola ratione ratiocinata.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta quæ obiecimus in principio Ad primum reſp. actum Phyſicum & potentiam, vt ſunt materia & forma reipſa diſtingui, Metaphyſicum vero, & potentiam Metaphyſicã, vt ſunt genus, & differentia non diſtingui reipſa. Cuius rei eſt ratio ſatis perſpicua, quia potentia Phyſica eſt potentia realis, eademque ratione actus Phyſicus eſt actus realis: at potentia Metaphyſica eſt tantũ per intellectum concipientem rem communi quodam, & contrahibili cõceptu, & idem iudicium eſt de actu, qui tantum habet eſſe per intellectum concipientem illum, vt contrahentem, & limitantem, atque ita duo illa priora diſtinguentur reipſa, hæc vero duo poſteriora ſola ratione differunt.

Ad 2. Ad 2. reſp. per vnam, & eandem rem eodem

modo ſumptam, non poſſe aliqua inter ſe conuenire, & differre: per eandem vero diuerſo modo vſurpatam optime hoc fieri poſſe. Atque ita per eandem naturam ſpecificam conceptam côceptu communi, & generico, diuerſæ ſpecies inter ſe conueniunt, & per eandem conceptam conceptu peculiari, & proprio, eædem inter ſe diſtinguentur.

3. Ad 3. neganda eſt propoſitio ad cuius confirmat onem dicimus aliqua dua duo poſſe eſſe inter ſe vnum, & idem ſecundum rem, vno modo conuertibi iter, qua ratione diffinitio, & diffinitum ſunt idem ſecundum rem, quia vnum nô latius patet altero, & altero modo inconuertibiliter, nimirum quando vnum latius patet altero, ſeſeq; ad plura diffundit. Et hac ratione genus & differentia ſunt idem ſecundum rem, ſcilicet inconuertibiliter. Illa igitur quæ ſunt idem re conuertibiliter, ita ſunt inter ſe affecta, vt de quocunque dicitur vnum dicatur & alterum: at vero quæ ſunt eadem ſecundum rem inconuertibiliter, non ſunt ita inter ſe affecta, vt de quocunque dicitur vnum dicatur & alterum. Quare cum genus, & differentia hac ratione ſint idem inter ſe, non vbicunque competit genus, debet etiam differentia conuenire.

4. Ad 4. reſp negando conſequentiam, quia ad hoc ſufficit vt genus, & differentia ſola ratione ratiocinata diſtinguantur, etenim quia intellectus concipit naturam aliquam vt communem pluribus ſpecie differentibus, oritur in illa quædam diuiſio in plures formas & differentias, & vt rôcipit naturam ſpecificam, vel differentiam ſpeciei atomæ, vt communem multis numero differentibus, ſequitur in illa quædam potentia, vt poſſit limitari à differentiis tantum materialibus, & indiuiduantibus, ac proinde quod generi repugnet diuidi per differentias diuiſione formali, & ſpeciei atomæ non repugnet, hauriendum erit ab intellectu habente tamen fundamentum in re, eandem ſcilicet rem diuerſis modis concipiente, quare ſufficiet diſtinctio rationis ratiocinatæ.

5. Ad 5. imprimis neganda eſt propoſitio, nam genera ſuprema ſunt primo diuerſa, quæ tamen non in omnibus realiter differunt, etenim actio, & paſſio ſunt genera ſuprema, quæ non differũt realiter, ſed ſola ratione ratiocinata. Vel reſpondere poſſumus falſam eſſe aſſumtionem, non enim illa poſſunt eſſe primo diuerſa, quę nô ſunt diuerſa, prius enim eſt eſſe diuerſum, quam primo diuerſum: at genus, & ſpecies à parte rei nõ ſunt diuerſa, ſed tantũ differunt per intellectum diuerſo modo eandẽ naturam concipientem, vt in hac quæſtione nô ſemel expoſuimus.

Ad vltim. reſpon. nos poſſe loqui de differentiis, & generibus vel idemptice, vel formaliter. Si idemptice agamus nihil eſt quod dicatur de genere, quod non dicatur etiam de differentiis. Vnde differentiæ intermediæ quæ dicuntur de genere, idemptice quoque dicuntur de differentiis infimis. Neque hoc pugnat cum his quæ diximus in quæſtione ſuperiori, imo eſt idem cum his quæ ibi docuimus, nam diximus, differentias ſuperiores idemptice prædicari de inferioribus. Si vero agamus formaliter, verum eſt non omnia quæ formaliter de generibus dicuntur, dici etiam formaliter de differentiis. Vnde differentiæ ſuperiores quæ dicuntur formaliter de generibus, non dicentur formaliter de differentiis inferioribus. Verum ex hoc non colligitur genus, & differentiam reipſa diſtingui, nam ſufficit ad hoc diſtinctio rationis ratiocinatæ inter genus, & differentiam. *Ad vlt.*

QVÆSTIO V.

Num genus petatur a materia, & differentia a forma.

HÆc quæſtio non minimam confert vtilitatem ad ea omnia probe intelligenda, quæ in hiſce tribus capitibus de genere, ſpecie, & differentia enarrata fuerunt. Atque ita animus eſt in ea explicanda paululum immorari. Confirmoque genus non peti à materia, neque differentiam à forma his argumentis Primum. Entia rationis, accidentia, & angeli habent genera, & differentias, ſed in illis neque genus à materia, neque differentia à forma poſſunt poſtulari, quia neq; entia rationis, neque accidentia, neq; angeli componuntur ex materia, & forma, cum ſint formæ quædam ſimplices, angeli formæ ſubſtantiales per ſe ſubſiſtentes, entia vero rationis, & accidentia rei, formæ accidentariæ inexiſtentes, ergo. *1. Argum.*

2. Si genus peteretur à materia, & differentia à forma haud dubie genus haberet ſe vt materia, & differentia vt forma, at hoc dici nullo modo poteſt quia cum genus, & differentia ſint vna & eadem res, non poterit vnum illorum habere locum materiæ, & alterum formæ, alioquin enim idem eſſet contrahens, & contrahibile, limitans, & limitatum, ergo genus non ſumetur à materia, & differentia à forma. *2. Argum.*

Præterea ſi genus peteretur à materia, ergo illa eſſent idem genere, quorum eſt vna, & eadẽ materia genere, ſed materia horum omnium quæ oriuntur, & intereunt, eſt vna genere, ergo omnia hæc quæ oriuntur, & intereunt eſſent vnum genere, atqui hoc eſt falſum, ergo & falſum quoque erit genus peti à materia. *3 Argum.*

Hanc

Hanc quæſtionem explicat accurate Caiet. *in cap.6 libelli de ente & eſſentia.* & Ferrarienſ. 2.*contra gent.cap* 95. ex quorum monumentis, & ex his, quæ ex D. Tho. colligere potuimus, hanc controuerſiam diffiniemus.

1. Obſer. Obſeruandum igitur eſt primo ex D. Tho. 2 *lib ſentent diſt.3.q.1.art.1.* duo eſſe principia, a quibus in rebus præditis materia poſſunt peti genus & differentia. Vnum eſt principium proximum & immediatum, & alterum remotum, vel primum, principium proximum eſt natura ſpecifica, remotum vero ſunt materia & forma

2. Obſer. Animaduertendum eſt ſecundo, in qualibet natura ſpecifica eſſe duo genera attributorum, quædã enim ſunt cõmunia ſibi cum aliis ſpeciebus contẽtis ſub eodem genere, & alia ſunt illi propria & peculiaria, vt in homine ſubſtantia, corpus, corpus animatum & ſentiens, ſunt attributa, ſibi cum equo & leone communia: at vero vti ratione eſt attributũ ſibi proprium & peculiare.

3. Obſer. Sciendum eſt tertio, quæſtionem hanc intelligendam eſſe tam de ſubſtantiis, quam de accidentibus, tam de ſubſtantiis ſpiritalibus, quam corporeis. Quibus animaduerſis ſit *prima concluſio.*

1. Concluſio. Principium proximum & immediatum, à quo petuntur genus & differentia, tam in ſubſtantiis ſpiritalibus, quam corporeis, eſt natura ſpecifica. Nam enim in vnaquaque ſpecie reperiantur quædam attributa communia, & alia propria, ab attributis communibus petetur ratio generis, à particularibus vero deprometur ratio differentiæ. Vt in ſubſtantiis ſpiritalibus, à ratione ſpiritus ſumetur ratio generis, à propria vero vniuſcuiuſq; ratione ratio differentiæ deprometur, & in ſubſtantiis corporeis (vt in homine) ab attributis ſuperioribus, vt ab attributo ſubſtantiæ, corporis, corporis viuentis & animalis petetur ratio generis, vel ſupremi, vel intermedij, ab attributo vero ſibi proprio, quod eſt vti ratione, petetur ratio differẽtiæ. *Confirmatur concluſio* hoc argumento. Ratio generis exprimit naturam aliquam cõtrahibilem, indeterminatam, & potentialem, ratio vero differentiæ indicat naturam contrahentem, determinatam, & actu: ſed in vnaquaq; ſpecie, tam ſpiritali, quam corporea, datur natura contrahibilis, & potentialis, datur etiam ratio contrahẽs, & actu, ergo in vnaquaque natura ratio generis & differentiæ petentur tanquam à principio proximo a natura ſpecifica.

Confirmatur concluſio.

2. Concl. 2.*Concl.* In ſubſtantiis corporeis ratio generis & differentiæ petuntur a materia & forma, tanquam a principio primo, & prima radice, vt animal in homine petitur a corpore, rationis vero particeps petitur ab anima intelligente, nam ratio ſenſus, quam exprimit animal, reperitur in corpore, ratio vero rationis participis, quam indicat differentia hominis, inuenitur in anima intelligente. *Confirmatur ad hunc modum.* In vnoquoq; genere illud, quod eſt maxime tale, eſt cauſa, cur cætera ſint talia, vt in genere calidorum ignis, qui eſt maxime calidus, eſt cauſa, cur cætera ſint calida, quemadmodũ profitetur Ariſt. 2 *lib. Metaph.c.1.* ſed in genere potentiæ materia prima eſt maxime potentia, ſimplex & pura: in genere vero actus, forma eſt maxime actus, purus, & ſimplex, vt docet Ariſt. 8 *lib. Metaph.c vlt. & 2.lib.de anima, c.1.* ergo omnia, quæ erunt, poteſtate erunt talia a materia prima, & omnia, quæ erunt actu, erũt talia a forma: ſed genus ſignificat naturam aliquam poteſtate & contrahibilem, differentia vero naturam aliquam actu & contrahentẽ, vt animal ſignificat naturam, quæ poteſt eſſe homo, & quæ poteſt contrahi ad illũ per particeps rationis, & ad equum, per expers rationis, differẽtia autem ſignificat actum & rationem contrahendi, nam animal fit actu homo, & cõtrahitur ad illum per particeps rationis, & actu fit equus. & contrahitur ad illum per differentiam, quæ eſt expers rationis, ergo genus petetur a materia, & differentia a forma, tanquam a prima radice, & primo principio. Quamuis fere omnes aſſerant, differentiam peti a forma, & genus a materia, propter analogiam inter illa intercedentem, nam quia materia eſt potentia ad formã, & hæc eſt actus materiæ, genuſq; eſt in potentia ad differẽtias, & differentiæ ſunt actus generis, propter hanc rationem genus petitur a materia, vel reſpõdet materiæ, differẽtia vero petitur a forma, vel reſpondet ipſi.

Confirm. concl.

Dictum autem eſt in concluſione, in rebus corporeis, nam in rebus ſpiritalibus, vt in Angelis, genus & differentia non petuntur a materia & a forma, quia non ſunt illi compoſiti ex materia & forma, ſed tantum ex eadem natura ſpecifica. Vnde in illis non erit aliquod primum principium generis & differentiæ, ſed proximum tantum. *Obſeru.*

3. Concl. 3. *Concl.* In accidentibus in abſtracto ſumptis, ratio generis & differentiæ petuntur ab eadem natura ſpecifica, eo modo, quo dictum eſt in 1. concl. vt in albedine ratio generis peti debet ex patibili qualitate, quæ eſt attributum commune, ratio vero differentiæ ex diſgregare viſum, quod eſt attributum ſibi proprium. Pe-

tuntur autem in iiſdem accidentibus genus & differentia, tanquam a principio primo & remoto ad hunc modum, genus quidem à diuerſo modo afficiendi ſubſtantiam, differentia vero ex diuerſa habitudine ad principium, à quo fluit. Vt in ſimitate, ratio generis petitur ex eo, quod afficit, & qualificat ſubſtantiam, ratio vero differentiæ petitur ex habitudine, quam habet ad naſum, ex quo fluit, tanquam à propria cauſa. *Confirmatur*, quia ratio generis peti debet ab eo, quod eſt commune, & contrahibile, differentiæ vero ab eo, quod contrahit, & ſeparat rem vnam ab alia ſecundum eſſentiam, ſed afficere ſubſtantiam eſt quidam modus communis, & contrahibilis, nam poteſt contrahi per varios modos afficiendi illam, habitudo vero ad principia, à quibus fluunt, vt habitudo ſimitatis ad naſum contrahit hunc modum, ſeparatq; illam ab albedine, vel à quouis alio accidente emanante ab aliis principiis, ergo in accidentibus ratio generis petetur, tanquam a primo principio ex diuerſo modo afficiendi ſubſtantiam, aut quia menſurãt, vt quantitas, aut quia ſunt affectiones, vt qualitas, aut quia referunt, vt relatio. Ratio vero differentiæ petetur ex habitudine diuerſa ad ſua principia. Dictum autem eſt in concluſione de accidentibus in abſtracto, nam ſi ſumantur in concreto, cum non poſſint habere rationem generis, vel differentiæ, vt oſtendemus in Antecategoriis, non petentur in illis ab aliquo principio, ſiue proximo, ſiue remoto, ratio generis & differentiæ.

1. arg. *Iam ad argumenta*, quæ in initio propoſuimus, æquum eſt, vt ſatisfaciamus. Ad 1. reſp. in omnibus illis propoſitis in argumento, genus non ſumi a materia, neq; differentiam a forma, ſed a natura ſpecifica, quæ iuxta varios eiuſdẽ rei conceptus fundat conceptũ generis, & conceptum differentiæ. Neq; enim in his naturis ſumuntur genus & differentia a materia, & a forma, ſed a ſola natura ſpecifica, iuxta diuerſos gradus ſignificata, vt ſæpe admonuimus, vel iuxta diuerſam habitudinem ad principia, a quibus ortum habent.

Ad 2. reſp. vnam & eandem rem non poſſe habere locum materiæ & formæ, potentiæ & actus in compoſitione naturali, at in Metaphyſica optime poſſe, quia Metaphyſica non eſt compoſitio rerum, ſed conceptum: Phyſica vero eſt compoſitio rerum, & quia eadem res poteſt concipi iuxta conceptum communem, & proprium, contrahibilem, & contrahẽtem, ob hanc cauſam poteſt res eadem cõcepta iuxta conceptum communem habere locum potentiæ, & concepta iuxta conceptum particularem locum actus. At in compoſitione phyſica (cum ſit rerum diſtinctarum) non poterit vna eademque res habere locum poteſtatis & actus, quia hæc duo ſunt res re ipſa diſtinctæ. *Ad 2.*

Ad 3. negandum eſt ſequi ex eo, quod ſit vna materia omnium, quæ oriuntur, & intereunt (ſi genus peteretur ab ea) vt omnia eſſent vnius atque eiuſdem generis. Quia vnitas aut diuerſitas generis non ex principio remoto, ſed ex proximo ſunt haurienda, atq; ita cum principia proxima ſint naturæ genere diuerſæ, ob hanc cauſam quamuis ſit omnium vna & eadem materia, nõ propterea erunt omnia vnius atque eiuſdem generis. * In hoc cap. diſputant nonnulli, qua ratione Socrates ſenex differat a ſeipſo iuuene, propter exemplum propoſitum a Porph. in prima diuiſione differentiæ. Verum hæc quæſtio cum multa petat ex his, quæ de accretione 1. lib. de ortu & interitu capit. diſputantur, hoc loco eſt omiſſa, non enim omnes quæſtiones, ſed eas tantum, quæ ingenuorum adoleſcentum vtilitati poſſunt deſeruire, explicare propoſuimus, at hæc quæſtio in hoc loco potius offuſcare, quam lucem aliquam eiſdem poterit conferre. Hæc igitur de differentia dicta fuerint. *Ad 3.*

CAPVT IIII.

DE PROPRIO.

ARGVMENTVM CAPITIS.

ABſolutis illis vocibus, quæ dicuntur ſecundum eſſentiam, de aliis, quæ dicuntur ſecundum accidens, differit Porphyr. a proprio initium ducens diſputationis, cuius quattuor proponit ſignificationes, ex quibus quarta eſt, quæ hanc vocem prædicabilem conſtituit.

A *PRoprium autem diuidunt quadripartito. Nam & quod vni ſoli ſpeciei, neque toti accidit, vt homini mederi, vel geometram fungi munere proprium appellant:* B *& quod toti ſpeciei, etſi*

non ſoli, velut homini bipedem eſſe: C & quod in ſola totaq; ſpecie, idq; interdum reperitur, vt omni homini in ſenectute caneſcere. D & quartum id, in quod hæc omnia concurrunt & conueniunt, quod in ſola totaque ſpecie, idque ſemper intelligitur, vt in homine, natum eſſe ad riſum. Quanquam enim non ridet ſemper, tamen ridens dicitur: non quod ſemper rideat, ſed quod ſemper inſitam habeat ridendi facultatem. Quod et equo naturale eſt, atque eque aptum eſſe ad hominem. E. Atque hæc illi propria maxime appellant, quod reciprocentur. Si enim equus ſit, etiam aptus erit ad hinniendum: & ſi quid aptum ſit ad hinniendum, continuo equus ſit neceſſe eſt.

COMMENTARIA.

EAndem methodum, quam in ſuperioribus cap tenuerat; & in hoc cap. obſeruans Porphyrius, vocis ambiguitatem proponit, quatuor tradens proprii ſignificationes, ex quibus prima eſt.

A *Proprium autem diuidunt, &c.* Significat enim primo illud, quod competit ſoli rei, non tamen omni, vt eſſe Grammaticum, vel Geometram, ſunt hominis proprietates, quia conueniunt ſoli homini, non tamen omni, non enim omnes homines ſunt Grammatici, vel Geometræ, quamuis hæc duo ipſi ſoli poſſint conuenire.

B *Et quod toti ſpeciei &c.* Significat ſecundo illud, quod competit omni, non tamen ſoli, vt eſſe bipedem eſt proprium hominis, nam competit omni homini, non tamen ſoli, nam volucres ſunt animalia bipeda, quæ non ſunt homines.

C *Et quod in ſola, &c.* Significat tertio, quod competit omni, & ſoli, non tamen ſemper, ſed certis quibuſdam & præfinitis temporibus a natura, vt caneſcere, competit enim omni homini, & ſoli homini, non tamen ſemper, ſed certo & diffinito tempore a natura, nimirum in ſenectute, & pubeſcere eſt proprium hominis, quia competit omni homini, ſoli, non tamen ſemper, ſed in ſola iuuentute.

D *Et quartum id, &c.* Significat quarto illud, quod competit omni, ſoli, & ſemper, qualis eſt in homine aptitudo ad ridendum, competit enim omni homini, ſoli homini, & ſemper homini, etenim quamuis homo non ſemper actu rideat, habet tamen ſemper inſitam facultatem ridendi. Et facultas hinniendi eſt proprietas equi, nam competit omni equo, ſoli, & ſemper, qui quamuis nõ ſemper hinniat, ſemper tamen habet facultatem a natura inſitam ad hinniendum.

E *Atque hæc illi propria maxime, &c.* Cum igitur tot ſint proprii ſignificationes, de hac vltima agendum erit Dialectico, hoc enim proprium a veteribus fuit maxime proprium, & abſolute nũcupatum, illud ſiquidem eſt, quod cum ea re, cuius eſt proprium, ſimpliciter commeat, & reciprocatur, vt aptitudo ad hinniendum reciprocatur cum equo, quia omnis equus habet hãc aptitudinem ad hinniendum, & quidquid habet illam, eſt etiam equus.

SCHOLIA IN CAPVT
de Proprio.

A 1. Non eſt cur immorari debeamus in proponendis rationibus, propter quas prius fuerit de proprio, quam de accidente cõmuni inſtituta diſputatio, eſt enim res apertiſſima: nam proprium eſt illud, quod magis accedit ad rei naturam, quam accidens commune, quare poſt explicatam naturam earum vocum, quæ ſpectãt ad rei naturam & eſſentiam, generis nimirum, ſpeciei, & differẽtiæ, æquum erat, vt de proprio ante diſputationẽ de communi accidente ſuſciperetur diſputatio. *1. Obſeru.*

A 2 Duobus modis poteſt ſumi proprium, vno modo, vt diſtinguitur ab improprio, qua ratione dicimus hanc vocem Leo, ſignificare proprie leonem viuum, pictum vero improprie & altero modo, vt diſtinguitur a communi, qua ratione illud vocabitur proprium, quod non eſt multis commune, ſed vni ſubiecto determinatum, & ita dicimus facultatem ridendi in homine eſſe illi propriam, quia non eſt ſibi cum aliis communis. Ex his duabus ſignificationibus, prima reiecta, de ſecunda tantum inſtituit in hoc cap. diſputare Porph. nimirum de illo, quod non eſt multis commune. *2. Obſeru.*

A 3 D. Damaſc. cap 6. ſuæ Dialecticæ has eaſdem quatuor ſignificationes proprii tradit. Addit etiam tres alias ſignificationes, ab inſtrumento, ab operatione, & a potentia. Ab inſtrumento eſt, vt habere latum vnguem, quia latitudo hæc in manu, quæ eſt hominis inſtrumentum, reperitur. Ab operatione, vt igni ſurſum ferri, quæ operatio ſoli igni, vel illi, quod cum igne habet affinitatem, poteſt conuenire. A potentia vero, vt dicimus ignem habere maximã potentiam calefaciendi: vel hæc facultas ſumma, quæ in igne ad calefaciẽdum reperitur, eſt proprium ſecundum potentiam, & deniq; omnis facultas ad aliquid agendũ nobis a natura conceſſa, dicitur proprium hac *3. Obſeru.*

ratione Petrus Gregor. 2. *lib. Syntaxis, cap.* 13. & 1 *tomo commen. in Syntaxin, cap.* 11. varias proponit huius vocis ſignificationes, nam apud Platonem ſumitur pro eo, quod eſt optimum, apud Ciceronem pro eo, quo quiſque fruitur, vel vtitur, & apud Iuriſperitos ſumitur etiam variis modis in poſſeſſionibus, & rerum dominiis, quæ quia ſunt extra Dialecticorum inſtitutum, hoc loco explicare prætermittimus, cui per tempus licuerit poterit illas legere in Petro Gregorio.

4. Obſer. A 4 Ariſt. 2. *Topic. cap.* 4. triplex facit proprium (ex quo loco hæc collegiſſe videtur Porphyr.) ad aliquid, aliquando, & ſimpliciter. Ad aliquid eſt illud, quod vnius ad alterum indicat habitudinem, vt eſſe bipedem, indicat enim habitudinem ad illud, quod eſt non habere duos pedes, quæ ſignificatio complectitur primam & ſecundam Porph. Nam conuenire ſoli, non tamen omni, relationem quandam denotat ad ea, quibus non conuenit: & conuenire omni, non tamen ſoli, eadem ratione relationem denotat ad ea, quibus poteſt conuenire. Proprium aliquando eſt, quod non ſemper competit rei, ſed ſtatutis temporibus a natura, vt caneſcere, vel pubeſcere, quod propriū amplectitur tertiam ſignificationem Porphyr. Simpliciter vero eſt illud, quod competit omni ſoli & ſemper, & reciprocatur cum ea re, cuius eſt proprium, qua ratione aptitudo ad ridendum dicitur proprietas hominis, quia competit omni, & ſoli, & ſemper homini, cum eoque reciprocatur, nam quidquid eſt homo, habet aptitudinem ad ridendum, & quidquid habet hanc aptitudinem, dicitur eſſe homo. Et hoc proprium continet quartam ſignificationem traditam a Porphyr. Quamuis igitur Ariſt. & Porphy. verbis differre videantur, eandem ſententiam explicant, & profitentur.

Obſer. B. Inquit eſſe bipedem, eſſe proprium in ſecunda ſignificatione, quod nimirum conueniat omni, non tamen ſoli, cui aduerſari videtur Ariſt. *in Antecategor. cap.* 3. & 4. *c. lib.* 1. *de interpretat.* in quibus locis eſſe bipedem conſtituit eſſe differentiam hominis. Occurrit tamen huic difficultati Areſius in hoc cap ad 5. argum. bipedem eſſe, non eſſe veram hominis differentiam, ſed ſumi ab Ariſt. pro vera differentia, quia rerum differentiæ latentes ſunt, & nobis ignotæ, ac proinde recte a Porph. eſſe inter proprietates conſtitutum, quia reuera proprietas eſt, & non differentia.

6 Obſer. C. Exemplum propoſitum a Porphyrio in hac ſignificatione, de caneſcere, quod competit omni homini, ſoli, non tamen ſemper, videtur eſſe falſum. Inprimis quia non ſolus homo caneſcit, ex Ariſt. 5. *lib. de generat. animal. cap.* 3. & 5. & ex Plin. *lib* 11. *naturalis hiſtoria. cap* 37. vbi ſcribit, canes, equos, lupos, & nonnulla alia animalia piloſa caneſcere *Deinde*, neq; omnes homines caneſcūt etiam in ſenectute, ita enim quotidiana experientia docet, poteſt enim calor in quibuſdam hominibus eſſe adeo robuſtus, vt impediat, ne humiditas excrementitia, quæ frigida eſt, & materia caniciei generetur, quare exemplum hoc propoſitum a Porphyr. conſtare nullo modo poterit. Quidam propter has rationes reprehendunt Porphy. alij vero illum excuſant, reſpondentque ad primum argumentum de canibus, equis, lupis, & aliis animalibus, illam non eſſe veram caniciem, ſed candorem quendam capillorum, formā quandam caniciei referentem. Neque enim omnis candor capillorum eſt canicies, ſed qui ex certa & determinata cauſa dimanat, nam Albani, & qui ſub vtroque polo viuunt, ab ipſo ortu habent candidos & albeſcentes capillos (vt ferunt) qui non propterea ſunt cani cenſendi. Horum tamen iudicium probari nobis nullo modo poteſt, nam cauſa veræ & legitimæ caniciei ex Ariſtot. 5 *lib. de generat. animal cap.* 4. eſt humor putreſcens in radicibus pilorum, qui vi caloris naturalis conſumi nequit, at hic humor in canibus, lupis & equis non minus, quā in homine poteſt reperiri, imo multo magis in quibuſdam reperietur, vt in lupis, qui ex nimia voracitate languidum nimis reddunt calorem naturalem: vnde maior copia huius excrementitiæ humiditatis generatur, quę cum non poſſit a calore languente gubernari, radicibus capillorum adhærens, erit cauſa caniciei. Quare reſpondendum erit (quod frequenter fieri ſolet apud probatos auctores) propoſitum ille exēplum non ex omni parte verum, ſed ex maiori parte, nam quia homines, vt in plurimum in ſenectute caneſcunt, eſtq; hæc canicies in hominibus magis nota, quam in aliis animalibus, propterea voluit caniciem eſſe, quæ conueniat omni & ſoli homini, non tamen ſemper: neque enim exemplorum, vt dicunt, eſt requirenda veritas.

Vrgebit tamen adhuc aliquis. Vel canicies ſumitur pro actu, vel pro aptitudine, ſi pro actu, falſum eſt, illam eſſe proprium tertio modo, nam eſt accidens commune. Si vero pro aptitudine, eſt proprium quarto modo, nam poſſe caneſcere competit omni, ſoli, & ſemper. Etenim ſemper homini competit habere huiuſmodi aptitudinem ad caneſcendum, atq; ita non erit proprium tertio modo. *Reſpondemus*,

intel-

intelligendum eſſe de canitie ſecundum aptitudinem, neque tamen ob hanc cauſam ſit eſſe proprium quarto modo, quia aptitudo huius generis competit ſubiecto ſemper, & pro ſemper, id eſt, non tantum facultas, verum etiam & actio (ſi amoueantur impedimenta) poteſt ſubiecto ſemper conuenire, vt non tantum facultas ridendi, verum etiam & actio (niſi quid obſtiterit) ſemper homini poteſt conuenire. At facultas ad caneſcendum, quamuis ſemper homini conueniat, non tamen conuenit pro ſemper, quia actio (etiamſi omnia impedimenta amoueantur) nõ poteſt illi in quauis temporis differentia conuenire, ſed certis & diffinitis temporibus, nimirum in ſenectute, vt in plurimum, & aliquando in iuuentute. Et certe quamuis ingenue fateremur, poſſe caneſcere, omni, ſoli, & ſemper homini conuenire, non tamen proinde erit proprium quarto modo, quia proprium huius generis, vt inquit Porphy. debet cum ſpecie, cuius eſt proprium, reciprocari, poſſe vero caneſcere, nõ reciprocatur cum homine, cum canes, lupi, & alia huiuſmodi animalia poſſint caneſcere.

7. *Obſer.* D. Louanienſes & Mercado recte animaduertunt, rationem & naturam proprii in proprio huius quartę ſignificationis ſecundum eſſentiam reperiri, in aliis vero tantum per habitudinem ad hanc ſignificationem. Vnde erit analogum attributionis, quod primo dicetur de vno & de reliquis per attributionem ad illud. Primo enim dicetur de proprio in quarta ſignificatione, & de reliquis per attributionem ad illud, quæ nimirum erunt magis aut minus propria, quo magis vel minus ad hanc quartam ſignificationem accedent. Vnde proprium in tertia ſignificatione erit magis proprium, quã in ſecunda, & in ſecunda, quam in prima, quia in tertia magis accedit ad proprium quarto modo, quam in ſecunda, & in ſecunda, quam in prima.

8. *Obſer.* E. 1. Reprehendunt nonnulli Porphyr. eo quod nullam propoſuerit diffinitionem proprii. Verum non propterea erat ille reprehendendus, craſſa Minerua de illo diſſeruerit, facileq; poſſit ex his ſignificationibus propriũ diffiniri, imo quarta ſignificatio non tantum eſt ſignificatio, verum etiam eſt proprii diffinitio, atq; ita poterit à nobis primo ità diffiniri: *Proprium eſt, quod competit omni, ſoli, & ſemper, conuertiturq; cum ea re, cuius eſt propriũ.* Quam diffinitionem eiſdem fere verbis tradit D. Damaſcenus *in ſua Dialect. c. 6* ita dicens, *Propriũ eſt, quod omni & ſoli ſpeciei & ſemper ineſt.* 2. Diffinitio eſt, quam proponit Ariſt. 1. *Top. c. 4.*

1. *Diffin. proprij.*

2. *Defin.*

ſub his verbis: *Proprium autem eſt, quod quid ſit res, non explicat, in ſoloq; ineſt, & viciſſim de re dicitur.* In qua diffinitione per primam particulam, *Quid ſit res, non explicat*, ſeparatur à genere, ſpecie, & differentia, quæ de rebus dicuntur in quid. Per ſecundam vero, *In ſoloq; ineſt, & viciſſim de re dicitur*, ab accidente communi ſeparatur, nam accidens multis eſt commune, vt candor communis eſt homini & cygno, proprium vero ſoli ſpeciei ineſt, & cum ea reciprocatur, vt capacitas diſciplinæ ſoli homini ineſt, & cum eo conuertitur. 3. Diffinitio, quę à communi Dialecticorum conſenſu eſt approbata, ſic ſe habet. *Proprium eſt, quod immediate dicitur de ſpecie, a cuius natura fluit in quale ſecundum accidens.* In qua diffinitione prima particula exprimit propriam illius rationem, nam quemadmodum dici de multis ſpecie differentibus immediate, exprimit propriam rationem generis, & dici de multis numero differentibus immediate rationem ſpeciei, ita etiam dici immediate de ſpecie, à cuius natura fluit, exprimet propriam rationem proprii. Reliquæ duæ particulæ in eadem diffinitione propoſitæ, ſeparant proprium ab aliis vocibus vniuerſis, nã illa, *A cuius natura fluit*, ſeparat illud a communi accidente, quod non fluit a natura rei, ſed a principiis indiuiduantibus, vel materialibus. Altera vero, *In quale ſecundum accidens*, diſtinguit illud a genere, ſpecie, & differentia. A genere quidem & ſpecie, quia hæ duæ voces prædicantur in quid, proprium vero in quale; a differentia vero, quia differentia prædicatur in quale ſecundum eſſentiam, at proprium in quale ſecundum accidens. 3. *Defin.*

E. 2. Proprium in hac quarta ſignificatione multiplex eſt, & in varia membra diſtributum, etenim ex proprietatibus quædam ſunt ſimplices, & aliæ coniunctæ. Simplices ſunt, quæ vnica ſolum voce exprimuntur, vt riſibilitas in homine, & ſimitas in naribus: compoſitæ vero ſunt, quæ multis vocibus declarantur, vt æquale & inæquale, ſimile & diſſimile, idem, & diuerſum, ex quibus æquale & inæquale ſunt proprietates quantitatis, ſimile & diſſimile qualitatis, idem & diuerſum ſubſtantiæ. Præterea quædam ſunt proprietates entis, quæ cõmuni nomine proprietates tranſcendentes nũcupantur, vt vnum, verum, bonum, aliæ ſunt generis ſupremi, vt per ſe exiſtere in ſubſtantia, & eſſe menſuram in quantitate: aliæ generis intermedii, vt ſentire in animali, & tandem aliæ ſpeciei infimæ, vt capacitas diſciplinæ in homine. 9. *Obſer.*

Digitized by Google

DISPVTATIO DE PROPRIO, VNICA ſectione comprehenſa.

ARGVMENTVM.

Diſputationem hanc ſectione vnica comprehendere libuit, in qua, quæ ad naturam proprii explicandam, & ad diſtinctionem illius à ſubiecto conducere videbuntur ea, quæ nobis licuerit, breuitate & facilitate complectemur.

SECT. VNICÆ DE PROPRIO, QVÆST. I.

Sintne vera ea, quæ à Porphyr. de proprio tradita fuerunt.

VT ea, quæ Porph. in cap. docuit, illuſtriora multo appareant erunt prop[illegible] ſuis dubitationibus examinanda. Prim[illegible] ita ago rgum. Vniuerſum eſt vnum in multis, ſed p[illegible]oprium non eſt vnum in multis, ergo propr[illegible]um non rectè inter ſpecies vniuerſi fuit numeratum. Propoſitio cõſtat ex d.ffinitione vniue ſi Confirmatur aſſumptio. Proprium tantum eſt in vna ſpecie, à cuius natura fluit, vt capacitas diſciplinæ tantum eſt in homine, ergo non erit vnum in multis.

rgum. 2. Vniuerſum eſt illud, quod eſt pluribus commune, ſed proprium non eſt pluribus commune, ergo proprium non erit vniuerſum, propoſitio eſt Ariſt.*2. de partib. cap.* 4. Aſſumptionem confirmo in hunc modum. Proprium & commune inter ſe contrarie opponuntur, nam quod eſt proprium, qui fieri poteſt, vt ſit commune? ergo hæc quarta vox nõ poterit eſſe communis, neque vniuerſa.

rgum. 3. Omnia accidentia continentur ſub quinta voce prædicabili, quæ dicitur accidens, ſed proprietas eſt accidens, ergo continetur proprietas ſub quinta voce prædicabili, & ita non conſtituet hanc quartam vocem prædicabilem.

rgum. *Præterea.* Quando Porphy docet, eſſe Geometram, vel Medicum, eſſe proprietates hominis primo modo, aut eſt loquutus de arte Geometriæ & Medicinæ, aut de pronitate, quę reperitur in hominibus ad aſſequendam Geometriam, & Medicinam. Si primo modo intelligatur Porph. non recte docuit, eſſe Medicum, vel Geometram, eſſe proprietates in prima ſignificatione, nam ſunt accidentia cõmunia: ſi vero loquutus eſt altero modo, eſſe Medicum vel Geometrã, ſunt proprietates quarto modo, nam pronitas in hominibus ad Geometriam vel Medicinam, competit omni homini, ſoli, & ſemper nam eſt procliuitas ad ſciendum, quæ ineſt a natura omnibus hominibus, vt auctor eſt Ariſt. 1 *lib. Metaph cap. 1* ergo non recte docuit Porph. eſſe Geometram, eſſe proprium primo modo.

Iterum. Particeps rationis competit omni homini, ſoli, & ſemper, & reciprocatur cum eo, atqui non eſt illius proprietas, ergo proprietas quarto modo non dicetur, quæ competit omni, ſoli, & ſemper. *5. argum.*

Iam. Riſibilitas eſt proprietas Petri, ſed non conuertitur cum illo, cum conueniat Ioanni, & aliis indiuiduis humanis, ergo non recte docuit Porphyr. proprietatem quarto modo reciprocari cum ea re, cuius eſt proprietas. *6. argum.*

Ad hæc. Calor eſt proprietas ignis, ſed calor non reciprocatur cum igne, nam conuenit aeri, & rebus mixtis, vt animalibus, ergo proprietas quarto modo nõ reciprocatur cum ſpecie. *7. argum.*

Vltimo Bonum eſt proprietas entis, ſed non reciprocatur cum ente, ergo proprietas non reciprocabitur cum ſubiecto. Confirmatur aſſumptio. Bonum idem eſt, quod appetibile, auctore Ariſt. 1. *lib. Ethic. cap.* 1. ſed multi appetũt non eſſe, vt damnati, & qui ſe interimunt, ergo bonum competit aliis ab ente, ſcilicet nõ enti. *Vlt. argum.*

At eſſe vera, quæ tradita ſunt a Porphy. & illius auctoritate, & omnium Dialecticorum conſenſu confirmamus, vnde ſupereſt, vt argumentis, quæ propoſuimus, illico ſatisfaciamus.

Ad primum reſpond. diffinitionem vniuerſi propoſitam, *Eſſe vnum in multis*, intelligendam eſſe mediate, vel immediate. Itaque vniuerſum eſt, quod mediate vel immediate eſt vnum in multis: at proprium, quamuis non ſit immediate in multis, eſt tamen mediate in illis: nam immediate eſt in vnica ſpecie, & mediante illa in omnibus indiuiduis, quæ ſub ea continentur, vt capacitas diſciplinæ, immediate tantum eſt in homine, at medio illo eſt in *Ad 1. reſp.*

Petro.

Petro, Ioanne, & Antonio. Verum hanc ſolutionem vlterius multo in quæſtione ſequenti explicabimus.

Ad 2. *1. Solut.* *Ad* 2 Scotus *quæſt* 10. *in Porphyr.* duas ſolutiones proponit. *Prima.* Proprium bifariam ſumi poſſe, vno modo pro rebus ipſis, & altero pro notione, ſi primo modo ſumatur, verum eſt, illud opponi communi, vt cicatrix, quæ eſt in Socrate, ita eſt illi propria, vt non ſit multis communis: ſi vero altero modo vſurpetur, nõ erũt oppoſita, ſed idem poterit eſſe proprium, & commune, ſignificat enim notionem quandam, quæ non attingit rei eſſentiam, prædicaturque de ſpecie, à qua fluit in quale conuertibiliter, & quia proprium, quod conſtituit hanc vocem prædicabilem, ſumitur pro notione, ob hanc cauſam illud erit commune, ac proinde vniuerſum. *2. Solut.* 2. eſt: Nihil obſtare, idem eſſe proprium & commune, reſpectu diuerſorum, atq; ita proprium & erit proprium & commune, in habitudine diuerſa, poteſt enim illud referri vel ad ſpeciem, à cuius natura fluit, vel ad indiuidua, quæ ſub illa ſpecie continẽtur, ſi ad ſpeciem referatur, dicitur proprium, nam ita cõpetit vni ſpeciei, vt alteri conuenire nullo modo poſſit: ſi vero referatur ad indiuidua, dicitur commune, quia multis indiuiduis poteſt communicari Et hæc communitas ſufficit, vt proprium ſit vniuerſum.

Ad 3. *Ad* 3. reſp. ex D. Tho. 1 *par q.* 77 *art.* 1. accidens ſumi duobus modis, primo, vt eſt diuiſum contra ſubſtantiam, ita vt quidquid non eſt ſubſtantia, vocetur accidens: ſecundo ſumitur paulo contractius, pro ſolo attributo accidentario, quod neque eſt de eſſentia ſubiecti, neque fluit ab eius natura. Si primo modo ſumatur, accidens proprium eſt accidens, at hac ratione non conſtituit quintam vocem prædicabilem, cum poſſit eſſe genus & ſpecies: accidens vero, quod eſt quinta vox prædicabilis, neque eſt genus, neque ſpecies. Si vero ſumatur accidens in ſecũda ſignificatione, proprietas non eſt accidens, ſed eſt media inter ſubſtãtiam & accidens, id eſt, inter attributũ eſſentiale, & accidentarium, quia non eſt de eſſentia, vt eſt attributum eſſentiale, fluit tamen ab illa, & ita non eſt attributum accidentarium, quod nullo modo fluit à natura ſubiecti.

Ad 4. *Ad* 4. quidam reſpondent, eſſe Geometram vel Medicum, ſumi pro habitu Geometriæ, vel Medicinæ. Alii, vt Villalpand. putant, ſumi pro actione, quæ ab his habitibus dimanat. Verius tamen reſp cum M. Soto, ſumi pro aptitudine ad capeſcẽdam Geometriam, vel Medicinam, cæterum hæc duplex eſt, vna ad capeſcendam ſcientiam in communi, & non hanc vel illam determinatam, quæ communis eſt omnibus hominibus, omnes ſiquidem illi natura ſcire deſiderant, vt inquit Ariſt. 1. *Metaphyſ. cap* 1. & altera eſt priuata ad hanc vel illam ſcientiam peculiarem, etenim præter illam communem & generalem, eſt in quibuſdam hominibus peculiaris quædam procliuitas ad Geometriam, & in aliis ad Medicinam, & in aliis ad aliam ſcientiam priuatam comparandam: idque ortum habet vel ex variis principiis indiuiduantibus, diuerſoq; temperamento aut ex diuerſo ſyderum aſpectu, in quo quiſq; natus eſt: nam ex hoc diuerſo aſpectu, quidam ad vnam, & alii ad aliam ſcientiam ſunt procliues, nam quibus præeſt Iuppiter, procliues ſunt ad ſcientias conſequendas, quibus vero Mercurius dominatur, inſitam habent à natura propenſionem ad eloquentiam aſſequendam, præeſt enim hic Planeta linguæ, vnde homines facundos & eloquentes reddit. Aptitudo igitur ad conſequendas ſcientias in communi, eſt proprietas quarto modo, altera vero, quæ eſt ad hanc ſcientiam priuatam, vt ad Geometriam, aut Medicinam, erit proprium primo modo.

Ad 5. reſpond. addendam eſſe proprietati in quarta ſignificatione hanc particulam, & non eſt de eſſentia rei, quamuis promanet ab illa, vt illam addidit Ariſt. 1. *Topic. cap.* 4. Vnde quamuis particeps rationis conueniat omni, ſoli, & ſemper, non eſt proprietas hominis, quia ſpectat ad illius eſſentiam. *Ad 5.*

Ad 6. reſp. duplex eſſe ſubiectum proprietatum, vnum mediatum & alterum immediatum: immediatum in riſibilitate eſt homo, mediatum vero Petrus. Vnde Porphy. quando docuit, proprietatem quarto modo reciprocari cum ſubiecto, intelligendus eſt de ſubiecto immediato, quale ſubiectum non eſt Petrus. *Ad 6.*

Ad 7. reſp. non quemuis calorem, ſed maximum, & in ſummo eſſe proprietatem ignis, hic autem calor neque in aere, neque in aliis mixtis poteſt reperiri, in quibus ſemper reperitur calor remiſſus. *Ad 7.*

Ad vltimum reſp. duplex eſſe bonum, vnũ priuatiuum, & alterum poſitiuum, bonum priuatiuum eſt, quod priuat aliquo malo, nam priuari aliquo malo bonũ eſt: poſitiuum vero dicitur, quod tribuit aliquam bonitatem, vt pulchritudo vel virtutes. Bonum ergo, quod eſt proprietas entis, eſt bonum poſitiuum, illud vero, quod appetũt damnati, & qui ſeipſos interimũt, non eſt proprietas entis, ſed eſt bonũ priuatiuum, nam ex eo damnati appetunt non eſſe, vt careant ſumma calamitate, quã pa- *Ad vlt.*

triuntur. Legenda ſunt, quæ diximus *lib. 5. tranſcenden. cap. 3.*

QVÆSTIO II.

An proprium ſit vniuerſum reſpectu ſpeciei a qua fluit, necne?

NOn ſatis conſtat apud Dialecticos, an proprium ea ratione, qua proprium ſit vniuerſum, & an ſit eadem notio proprii & vniuerſi, necne? *Et certe* non eſſe vniuerſum in habitudine ad ſpeciem, a qua fluit, confirmatur primo argumento illo, quod efficimus in quæſtione ſuperiori. Vniuerſum eſt vnū in multis, ſed reſpectu ſpeciei nō eſt vnum in multis, ſed in vno tantum, ſcilicet in vna ſpecie, ergo reſpectu ſpeciei non erit vniuerſum.

argum.

2. Si proprium eſſet vniuerſum reſpectu ſpeciei, referretur ad illam, nam vniuerſum formale eſt relatio rationis, ſed proprium non refertur ad ſpeciem: ergo non erit vniuerſum in habitudine ad illam. Confirmatur aſſumptio. Si referretur ad ſpeciem, vel referretur tanquā ad abſolutum, vt ſcientia ad ſcibile, vel tanquā ad quippiam relatum, vt pater ad filiū. ſed non refertur tanquam ad quippiam abſolutum, quia ſpecies (loquor de notione) non eſt aliquid abſolutum, neque tanquam ad aliquid relatum, quia ſpecies tantum eſt terminus relationis generis, & indiuiduorum, vt enim eſt ſubiicibilis, terminat relationem generis, & vt eſt prædicabilis, relationem indiuiduorum, ergo proprium non refertur ad ſpeciem.

argum.

3. Si proprium eſſet vniuerſum reſpectu ſpeciei, eſſet ſimul natura cum illa, at hoc fieri nullo modo poteſt, ergo non eſt vniuerſum in habitudine ad ſpeciem. Confirmemus ſingulas propoſitiones, inprimiſque maiorem. Vniuerſum formale eſt relatio rationis, & quidem ſecundum eſſe, vt oſtendimus ſect. 4. de rebus vniuerſis, agentes de notionibus: ſed relata ſecundum eſſe ſunt ſimul natura, ex Ariſt. in categoria relatorum, ergo ſi ſpecies eſſet terminus, in quem referretur proprium, vt eſt vniuerſum, proprium & ſpecies eſſent ſimul natura. Confirmatur deinde aſſumptio. Species eſt cauſa ſuarum proprietatum, vt poſtea oſtēdemus: ſed cauſa & effectus non poſſunt eſſe ſimul natura: ergo neque proprium & ſpecies erunt ſimul natura.

argum.

quorundā ... enio a Lo... ...ta, & re... ...nta.

Louanienſes *in comment. huius cap.* referunt quorundam opinionem, qui exiſtimant, aliam eſſe notionem proprii, & aliam vniuerſi, & hanc quartam vocem eſſe homonymam ad rationem proprii & vniuerſi. Dicunt enim, rationem proprii petendam eſſe ex habitudine ad ſpeciem, a qua fluit immediate, vniuerſi vero ex habitudine ad indiuidua ſub illa ſpecie cōprehenſa: vnde dicunt proprium vt proprium nullo modo referri ad indiuidua, quia ita eſt natura communis: neq; vt vniuerſum referri ad ſpeciem, nam hac ratione non eſt vnum in multis, ſed in vno ſolum. Diffiniuntque proprium ea ratione, qua eſt vniuerſum, vel prædicabile in hunc modum. *Proprium eſt, quod de pluribus accidentaliter & neceſſario prædicatur.* In qua diffinitione per primam particulam accidentaliter ſeparatur proprium a genere, ſpecie, & differentia, quæ prædicantur ſecundum eſſentiam, per alteram vero neceſſario ſeparatur a communi accidente, quod contingenter, & non neceſſario rei ineſt. Intelligi tamen debet hæc particula de neceſſitate proueniente a principiis eſſentialibus rei, & non de alia, quæ prouenit a principiis indiuiduantibus, nam hac neceſſitate etiam multa accidentia communia rei neceſſario inſunt. Hanc ſententiam amplectuntur iidem Louanienſes, eandemq; multi recentiores profitentur, ſuaderique illa poteſt argumētis in principio effectis. Quænam autem ſit noſtra ſententia & (vt arbitramur) vera, his aſſertionibus explicamus.

Prima concluſio. Proprium eſt vox communis & vniuerſa. Confirmatur ex Porphyrio, qui inter voces vniuerſas proprium etiam recenſet, & ex Ariſt. qui 1. *Topic. cap* 4. inter problemata Dialectica, quæ ſunt quædam attributa communia & vniuerſa, numerat etiam proprium. Præterea Proprium eſt vnum in multis, & natū eſt prædicari de multis: at cui hæ rationes cōueniunt, eſt vniuerſum. Legendus eſt Scotus *q. 30. in Porphyr.* 1. *Concluſio.*

2. *Concluſio.* Proprium conſtituitur in eſſe vniuerſi per habitudinem ad indiuidua, quæ ſub aliqua ſpecie continentur: ſi fuerit proprium ſpecificum, vel in habitudine ad multas ſpecies, quæ ſub aliquo genere intermedio cōtinentur, ſi fuerit proprium generis intermedii. Hanc omnes profitentur, & ſuadetur perfacili argumento, quia proprium in habitudine ad plura indiuidua, vel ad plures ſpecies, eſt vnum in multis, & de multis, quæ ratio adæquate exprimit totam naturam vniuerſi, ergo, &c. 2. *Concluſio.*

3. *Concluſio.* Proprium conſtituitur etiam in ratione vniuerſi per habitudinem ad ſpeciem, a qua immediate promanat. Hanc profitemur aduerſus Louanienſes, confirmamuſque illam *primo.* Quia quidquid prædicatur de ſubiecto vniuerſo, debet eſſe attributum vniuerſum ſed proprium prædicatur de ſpecie, quę eſt ſubiectū vniuerſum, ergo proprium in habitu- 3. *Concl.*

dine

dine ad ſpeciem erit etiam vniuerſum. 2. Concluſio demonſtrationis eſt attributi vniuerſi, vt author eſt Ariſt. 1. lib. de demonſtrat. cap. 4 ſed in concluſione demonſtrationis concludimus proprietatem de ſpecie tanquam de ſubiecto, ergo proprium in habitudine ad ſpeciem erit vox vniuerſa. *Lam.* Quemadmodum non eſt de ratione vniuerſi eſſe actu vnum in multis, vel prædicari de multis, ita neq; eſt eſſe immediate vnum in multis, neq; dici immediate de multis, ſed eſt eſſe vnum in multis aut dici de multis, abſtrahendo ab immediato, vel mediato. Differentia ſiquidem eſt vniuerſum formale, quo immediate non eſt in multis, neque dicitur de multis, ſed mediante ſpecie quam format, ergo quamuis proprietas in habitudin ad ſpeciem non ſit immediate in multis, non propterea non erit in habitudine ad. lam vniuerſa.

1. Argum. *3. Argum.*

4. Concluſ. 4. *Concl.* Proprieta habet veram rationē proprietatis in habitudine ad indiuidua, quæ ſub ſpecie à qua fluit cōtinentur, ſi fuerit proprietas ſpeciei atomæ, vel in habitudine ad ſpecies, quæ ſub aliquo genere continentur, ſi generis intermedii proprietas extiterit. Hanc aduerſus eoſdem Louanienſes profitemur, quæ perfecto eſt aperta ſententia Porphyrii in cap. de genere, qui ſeparans genus à proprio, inquit eo diſtingui has voces, quia genus prædicatur de multis ſpecie differentibus, proprium vero de vna ſpecie, & de indiuiduis quæ ſub illa continentur. In qua re profecto aperte ſatis exprimit mentem, proprium ſcilicet, non tantum eſſe proprium, in habitudine ad ſpeciem, verum etiam & in habitudine ad indiuidua. Verba illius ſunt. *Proprium de vna modo ſpecie cuius proprium eſt dicitur, iiſq; indiuiduis qua ſpecies continet, vt ridens de ſolo homine ſingularibuſque hominibus dicitur.* Confirmatur præterea. Hę attributiones Petrus eſt capax diſciplinæ, Ioannes eſt capax riſus, ſunt alicuius attributi vniuerſi, ſed attributum neque eſt genus neque ſpecies neq; differentia, quia non prædicatur ſecundum eſſentiam de ſubiecto, neq; eſt accidens commune, quia non prædicatur contingenter ſed neceſſario, ergo erit proprium. Profitetur nobiſcum hanc concluſionem Gregorius Arciſius in quæſtione huius cap. in ſolutione 8. argum.

5. Concluſio. 5. *Concl.* Hæc quarta vox prædicabilis nō dicitur homonyme vel æquiuoce, de ratione proprii & vniuerſi. Hæc apterte ſequitur ex ſuperioribus, etenim ſi proprium in ratione proprii non ſolum refertur ad ſpeciem, verum etiam ad indiuidua, & vniuerſum non ſolum refertur ad indiuidua, verum etiam ad ſpeciem, non erunt hæ duæ rationes diuerſæ, ac proinde neque hæc vox honoyme de his duabus rationibus prædicabitur. Habebunt ſe itaque hæ duæ rationes tanquam ſuperius, & inferius, eo modo quo ſe habent ratio generis, & vniuerſi, nam ratio vniuerſi erit ſuperior, proprii vero inferior.

Ad argumenta igitur. *Ad primum reſp.* vt reſpondimus in ſuperiori quæſt. non eſſe de ratione vniuerſi eſſe vnum in multis immediate, ſed abſtrahendo à mediate, vel immediate. Et ita quamuis proprium in habitudine ad ſpeciem non eſt in multis immediate, eſt tamen in multis mediate, ac proinde in habitudine ad illam erit verum vniuerſum. *Ad 1. arg.*

Ad 2. Ad 2. neganda eſt aſſumtio, ad confirmationem dicimus proprietatem referri ad ſpeciem tanquam ad correlatum ſuæ habitudinis, & non tanquam ad naturam abſolutam. Sciendum eſt enim ſpeciem tribus modis ſumi poſſe. Primo vt continet naturam genericam, ſecundo vt continet illam contractam, & limitatam per propriam differentiam, & tertio vt eſt fons, & origo ſuarum proprietatum. Primo modo ſpecies refertur ad genus, ſecundo ad differentiam, & tertio ad proprietatem. Vnde quamuis ſpecies vno modo ſumpta terminet relationem generis, altero tamen modo vſurpata terminabit relationem proprietatis.

Ad 3. Solut. Scot. Ad 3. reſpon. Scotus vbi ſupra in ſolut. 3. arg. ſubiectum poſſe bifariam ſumi, vno modo ſecundum ſe, & altero vt eſt ſubiectum proprii. Primo modo ſubiectum eſt prius proprietate, altero vero non eſt prius, ſed ſimul cum illa, & quia hic agimus de proprio, vt eſt proprium, & de ſubiecto, vt eſt ſubiectum illius, ob hanc cauſam concedendum erit proprium, & ſpeciem eſſe ſimul natura.

2. Solut. Apertius tamen multo reſpond. poſſumus, proprium poſſe ſumi vel pro natura, vel pro notione, ſi pro natura ſumatur verum eſt illud eſſe poſterius natura ſpecie, ſi vero fuerit ſumtum pro notione, & ſpecies quoque pari ratione pro notione fuerit vſurpata, erunt ſimul natura. Et ratio eſt quia primo modo ſpecies eſt cauſa proprietatis, at cauſa eſt prior natura ſuo effectu: altero tamen modo vtrumque eſt relatum ſecundum eſſe, ad inuicemque referuntur, neque vnum eſt cauſa alterius, ac proinde more aliorum relatorum, erunt ſimul natura. Quare cum in hoc loco ſit inſtitutus ſermo de ſpecie, & de proprio vt ſunt notiones ſecundæ, proprium, & ſpecies vt in hoc loco agimus, erunt ſimul natura, eritque proprium verum vniuerſum, in habitudine ad ſpeciem.

QVÆSTIO III.

An proprietates a ſubiecto tanquam a propria cauſa oriantur.

Argum. IN patrocinium partis negantis ita argumentor primo. Iuxta decreta D.Th.1.*p.q.54.art.3.* ſubſtantia non poteſt eſſe immediatum principium alicuius actionis, vel operationis, ſed proprietas non poteſt oriri niſi per veram actionem ; ergo ſubiectum non erit cauſa ſuarum proprietatum.

Argum. 2. In agentibus per naturam, ab vno, per ſe tantum poteſt vnum oriri, vt ab igne calor, & ab aqua frigiditas: ſed proprietates alicuius ſubiecti ſunt multæ; habetque ſe ſubiectum ad illas vt cauſa quædam naturalis, ergo ab illo tantum poterit vna proprietas oriri, reliquæ vero ab aliis cauſis orientur, quare ſaltim ſubiectum non erit cauſa omnium proprietatum.

Argum. *Præterea.* Si ſubiectum eſſet cauſa efficiens ſuarum proprietatum, eſſet prius tempore ſuis proprietatibus: ſed ſubiectum nō eſt prius tempore illis, cum ſimul, & eodem ortu vtrumque oriatur, vt homo, & capacitas diſciplinæ, ergo ſubiectum non erit cauſa efficiens ſuarum proprietatum. Cōfirmatur propoſitio. Omnis cauſa naturalis tempore antecedit ſuum effectum, nam agit per motum, qui neceſſario debet fieri in tempore, ſed ſi ſubiectum eſſet cauſa ſuarum proprietatum, eſſet cauſa naturalis, ergo ſi eſſet cauſa ſuarum proprietatum tempore illas antecederet.

Argum. *Iterum.* Si ſubiectum eſſet cauſa materialis earum (vt poſtea dicemus) poſſet illud eſſe ſine ſuis proprietatibus, ſed hoc fieri nulla ratione poteſt ſaltim per naturam, ergo ſubiectum non erit cauſa materialis ſuarum proprietatum. Aſſumtio eſt perſpicua, propoſitionem ita confirmamus. Si ſubiectum eſſet cauſa materialis proprietatum, eſſet in potentia paſſiua ad illas, proprium enim eſt materiæ pati, ſed potentia paſſiua eſt principium contradictionis, i. habendi & non habendi aliquam formam, vt omnes Metaphyſici profitentur, ergo ſi ſubiectum eſſet cauſa materialis ſuarum proprietatum, poſſet eſſe ſine illis.

Verum ad explicandam quæſtionem erunt à nobis proponendæ nonnullæ aſſertiones, ita enim fiet vt noſtram, veramque ſententiam de origine proprietatum à ſuis ſubiectis, cognitam perſpectamque habeamus. Vnde ſit prima concluſ.

Concluſio. Proprietates omnes fluunt à natura ſubiecti, cuius ſunt proprietates, vt in homine riſibilit. ſ fluit ab eius eſſentia, & in equo facultas ad hinniendum ab eiuſdem natura. Confirmatur. Proprietates fluunt à natura illius ſubiecti per quod diffiniuntur, ſed omnes proprietates diffiniuntur per ſua ſubiecta, ergo omnes proprietates fluent ab eſſentiis ſuorum ſubiectorum. Propoſitio eſt perſpicua, & omnibus notiſſima, aſſumptionem vero ſic oſtendo propoſitis in medium duobus exemplis proprietatum, nimirum ſimitatis, & capacitatis diſciplinæ, ex quibus prima eſt proprietas naſi, altera vero hominis, quæ duæ per ſua ſubiecta diffiniuntur: nam ſimitas diffinitur naſi curuitas, & capacitas diſciplinæ, facultas hominis ad diſciplinas: ergo proprietates diffiniuntur per ſua ſubiecta. *Hoc dictum ſit* in generali, ſupereſt tamen vt ſigillatim de vnoquoque genere cauſæ idem explicemus, qua nimirum ratione ſubiectum concurrat ad ortum ſuarum proprietatum. Quidam putant non fluere proprietates à ſubiecto, vel ab eius natura in genere cauſæ efficientis, ſed vel in genere cauſæ materialis, vel in genere cauſæ formalis. Ita Iandunus 2. lib. de anima quæſt. 10. qui inquit ſubiectum tantum cōcurrere vt materiam ad ſuas proprietates, quia in ſe recipit fulcitq; eas, quod proprium eſt materię, & Mercado in qu. 2 huius cap. in ſolutione 4. argu. docet naturam eſſe cauſam proprietatis in al quo genere cauſæ, quia eſt medium concludendi intra demonſtrationem proprietatem de ſubiecto, at mediū demonſtrationis debet eſſe cauſa proprietatis, nam demonſtratio ex cauſis rei progreditur: non tamen eſſe cauſam efficientem, idq; propter argu. ſecundo loco effectum. Quorum reſponſio.

M. Soto quæſt. vlt. huius cap. putat ſubiectum, & proprietatem ab vna, & eadem actione generantis promanare, quæ primo, & per ſe terminatur ad ſubiectum, & ſecundario ad proprietates, quæ illius naturam conſequuntur, vt exempli cauſa ignis generans alium ignem generat etiā calorem, & leuitatem quæ ſunt proprietates illius, ita tamen vt primo, & per ſe generet ignē, & ſecundario calorem & leuitatem, nam qui dat formam primo, dat etiam & conſequentia illam, vt ſunt proprietates, quemadmodum docebat Ariſt *8. Phyſ. cap. 4.* Ad D.Tho *1. p. qu 77. art. 6. ad 2.* docet eſſe cauſam in triplici genere cauſæ efficientis, finalis, & materialis. Noſtram tamen ſententiam his concluſio. explicamus. Solutio. M. Sot.

Secunda concluſio. Subiectum concurrit ad ortum ſuarum proprietatum in genere cauſæ efficientis. 2. Concluſio.
Confirmatur primo ex D.Tho. in loco proxime indicato, in quo inquit ſubiectum concurrere ad producendas proprietates in genere cauſæ efficientis. 1. Argum.
Deinde quæ ratio eſt vnius proprietatis eadem etiam eſt, & aliarum, ſed 2. Argum.

datur

datur aliqua proprietas ad cuius ortum concurrat natura ſubiecti in genere cauſæ efficientis, ergo & ad alias proprietates etiam ita concurret. Propoſitio aperta eſt, confirmatur aſſumptio. Accretio eſt proprietas rei viuentis, ſed ad accretionem concurrit forma ſubiecti in genere cauſæ efficientis, nam anima (quæ eſt forma ſubiecti viuentis) diffinitur ab Ariſt. 2. de anima c. 2. principium vegetandi, ſentiendi, ſecundum locum mouendi appetendi, & intelligendi, ſub quibus comprehenditur accretio, nimirum ſub particula vegetandi, at principium vegetandi in genere cauſæ efficientis concurrit ad accretionem, ergo &c.

3. Concluſio. *Tertia concluſio.* Subiectum non concurrit ad ortum ſuarum proprietatum per verum motum Phyſicum, & naturalem, ſed per quandam ſimplicem reſultantiam, vel emanationem. *Primam partem*, ſcilicet non concurrere per verum motum Phyſicum, & naturalem cõfirmatur primo.

Confir. 1. Pars. Quia hic motus commutaret & etiam alteraret aliquo modo ſubiectum, eſſet enim motus ad qualitatem, cum proprietates ſint qualitates quædam, at ſubiectum abſq; vlla alteratione in ſe generat proprietates.

2. Argum. *Secundo.* Quia cauſa quæ per motum Phyſicum producit effectum eſt prior tempore effectu, nam agit per motum qui neceſſario fieri debet in tẽpore, at ſubiectum non eſt prius tempore ſuis proprietatibus, nam ſimul hæc duo oriuntur, & intereunt. *Alteram partem* concluſionis oriri per quandam naturalem reſultantiam confirmamus, quia vel debet oriri per motum Phyſicum, & naturalem, vel per naturalem reſultantiam, neq; enim alio, quam aliquo ex his duobus modis, poteſt aliquid ab aliquo oriri, tanquam à cauſa efficiente: quare cum probatum ſit non oriri per modum Phyſicum, & naturalem, debet neceſſario oriri per ſimplicem emanationem, vel naturalem reſultantiã. Quod ſi M. Sotus hac ratione arbitretur oriri proprietates à ſubiecto, ita vt ſubiectum attingat effectiue ortum proprietatum, vera erit illius opinio, nã & nos hanc ſequimur: ſi vero exiſtimet oriri per reſultantiam naturalem, non eſſe oriri à ſubiecto, ita quod attingat illas efficienter errat maxime, & aduerſatur D. Th in loco iam notato, vbi ingenue profitetur ſubiectum concurrere in genere cauſæ efficientis ad ortum ſuarum proprietatum. Itaque hoc modo oriuntur proprietates, cauſa imprimis generans præparans materiam ad introductionem formæ vnit formam cum materia, ex qua vnione reſultat prius natura totum compoſitum, & idem iam conſtitutum in eadem temporis mora, in diuerſo tamen inſtanti naturæ, per quandam ſimplicem emanationem, & naturalem reſultantiam ex ſe emittit proprietates, emittit inquam, attingendo efficienter illarum ortum.

Quarta concluſ. Subiectum in genere cauſæ materialis, & finalis concurrit ad ortum ſuarum proprietatum. 4. Concluſ. In primis concurrere in genere cauſæ materialis conſtat, quia ſubiectum in ſe ſuſtinet & fulcit ſuas proprietates. *Concurrere* deinde in genere cauſæ finalis ſuadetur primo: quia proprietates ſunt quædam accidentia, quæ ad naturam ſubiecti cõſeruandam, tanquam in finem diriguntur. *Et ſecundo* quia pleræque ex proprietatibus ſunt inſtrumenta quædã, & facultates naturales quibus vtuntur ſubiecta, ad ſuas actiones ædendas, vt homo vtitur viſu ad videndum, & intellectu ad intelligendum, vt inſtrumenta naturalia diriguntur tanquam in finem ad ſubiecta, & cauſas quibus deſeruiunt.

Quinta concl. Probabile eſt proprietates oriri à ſubiecto in genere cauſę formalis. 5. Concluſio. Hanc multi ex recentioribus profitentur, quam vt intelligamus ſciendum eſt, duplicem eſſe effectum formalem alicuius formæ, vnum primarium, & alterum ſecundarium. *Primarius eſt* conferre eſſe & naturam toti compoſito: ſecundarius vero eſt dare etiam eſſe naturam iis, quæ totum cõpoſitum conſequuntur. Cõcurrit igitur eſſentia in genere cauſæ formalis ad ortum ſuarum proprietatum, non quidem primario, ſed ſecundario. *Cõfir. in hunc modum.* Proprium munus formæ eſt conferre rei determinatam naturam, & eſſentiam: ſed ſubiectum confert proprietatibus certam naturam & eſſentiam: ergo ſubiectũ erit cauſa formalis ſuarum proprietatum. Propoſitionem docet *Ariſtot. 5. Metaph. cap. 2. & 2. Phyſ c. 3.* vbi inquit formam eſſe illud à quo petitur, quod quid erat eſſe rei, id eſt cuiuſque rei eſſentia. Confir. aſſumt. *Primo.* Quia in accidentibus (maxime vero propriis) natura peti debet à principiis à quibus oriuntur, vt leuitas in igne, & grauitas in terra natura differunt, quia oriuntur à diuerſis principi: leuitas quidem à calore & raritate, grauitas vero à frigiditate & dẽſitate, quæ ſunt principia natura diuerſa. Dictum autem eſt naturam ſubiecti, principium eſſe ſuarum proprietatum. *Secundo*, quia forma concurrit in genere cauſæ formalis ad effectum formalem, at obſeruatum eſt proprietates eſſe ſecundarios effectus formales formarum, quare ſubiectum concurrit in genere cauſæ formalis ad ortum proprietatum.

Obiect. 1. At contra dicet aliquis 1. D. Tho nuſquam docuit ſubiectum cõcurrere ad ortum proprietatum in genere cauſæ formalis, ſed ſolius efficientis

Digitized by Google

cientis, materialis, & finalis, vt conſtat ex loco ſæpe in hac quæſt. repetito. 2. Forma concurrit intrinſece ad eam rem cuius eſt forma vel componit vna cum materia ſubiectum ad cuius ortum concurrit, at eſſentia ſubiecti non eſt intrinſeca proprietatibus, neque concurrit ad earum compoſitionem, cum ſint formæ quædam ſimplices, quare nulla ratione poterit concurrere, vt forma ad ortum proprietatum. Verū his argumentis ita ſatisfacimus. Ad 1. reſpon. D. Tho. ſemper inſpexiſſe in formis, effectum illarum primarium, ac proinde nunquam conſtituiſſe ſubiectum concurrere in genere cauſæ formalis, quia quoad primarium effectum forma non concurrit ad productionem ſuarum proprietatum. Vel reſpondemus hoc argumentum eſſe ab auctoritate negatiue ac proinde eſſe leue, neque enim D. Th. vnquam contrarium docuit, quamuis non docuerit non concurrere in genere cauſæ formalis. Ad 2. reſpon. naturam formæ in eo eſſe conſtitutam, vt conferat rei certam & determinatam naturam, hoc autem duobus modis fieri poteſt, vno modo tantū per determinationem, nimirum determinando rem ad certos limites alicuius naturæ, qua ratione idea concurrit in genere cauſæ formalis ad opera quæ ab arte prodeunt, determinando ſcilicet materiam (vt lignum v.g.) ad ſtatuam Mercurii: & altero modo per informationem, quando ſcilicet forma vnitur cum materia ad aliquod totum conſtituendum, vt anima vnitur cum corpore ad conſtitutionem hominis. Natura igitur ſubiecti concurrit ad ortum proprietatum in genere cauſæ formalis, non quidem per informationem, vt recte confirmat argumentum, ſed per determinationem, quia tales ſunt proprietates, qualis eſt natura ſubiecti à qua dimanant.

Obiect. 2.

Ad 1. Obiect.

Ad 2. Obiect.

Ad 1. arg. in princip. poſita.

Iam ad argu. quæ propoſuimus. Ad primum reſp. duplicem eſſe actionem, vnam Phyſicam, & alteram Metaphyſicam. Phyſica eſt quæ fit per aliquam ſubiecti tranſmutationē, vt eſt calefactio. Metaphyſica vero dicitur, quæ fit abſq; vlla tranſmutatione ſubiecti, vt eſt illuminatio ſolis. Igitur D. Thom. cum inquit ſubſtantiam non poſſe eſſe immediatum principium alicuius actionis intelligendus eſt de actione Phyſica, non autem de Metaphyſica, qua actione diximus ſubiectum concurrere ad ortum ſuarum proprietatum.

Ad 2.

Ad 2. reſpon. ab vno actu, formaliter, & ſecundum virtutem, tantum poſſe vnum oriri, vt ab vno igne qui eſt vnus formaliter, & ſecundum virtutem, tantum poteſt oriri calor: at vero ab vno actu, & multiplici ſecundum virtutem, bene poſſe multa oriri, vt ab vno ſole, qui eſt multiplex ſecundum virtutem, oriuntur varii effectus in his rebus inferioribus. Eſſentia igitur ſubiecti quamuis ſit actu, & formaliter vna, eſt tamen multiplex ſecundum virtutem, atque ita poterunt ab illa variæ proprietates prodire.

Ad 3.

Ad 3. reſp. propoſitionem fore quidem veram ſi ſubiectū eſſet cauſa Phyſica ſuarum proprietatum, per motum & tranſmutationem materiæ, at cum non ſit ita cauſa, non ſequitur vt debeat eſſe prius tempore ſuis proprietatibus, tantum enim eſt cauſa Metaphyſica concurrens per quandam ſimplicem emanationem, & naturalem fluxum, certum autem eſt cauſas huius generis non eſſe priores tempore ſuis effectibus, ſed ſola natura, vt ſol non eſt prius tempore lumine, ſed natura tantum. Ad confirmationem vero reſpon. illam tantum confirmare cauſam Phyſicam eſſe priorem tempore, quia agit per motum, at nos hoc cauſæ genus à ſubiecto denegamus, tantum illi cauſalitatem Metaphyſicam concedentes.

Ad 4.

Ad 4. neganda eſt propoſitio, ad cuius confirmationem reſp. cum Caietano 1. par. q. 66. artic. 2. duplicem eſſe potentiam paſſiuam vnam pure receptiuam alicuius formæ, quæ nulla interueniente tranſmutatione recipit in ſe formā, qua ratione cœlum eſt in potentia ad ſuam quantitatem, & figuram, quia nulla tranſmutatione interueniente, ſed per ſimplicem quendam influxum illam recipit: & alteram receptiuam ſimul, & paſſiuam alicuius formæ, quæ ſcilicet media tranſmutatione ab agente naturali recipit illam, vt eſt potentia ligni ad calorem, nam per tranſmutationem, & calefactionem recipit illum: potentia igitur quæ eſt pure receptiua, non eſt principiū contradictionis, quia hæc neque denudatur, neque vnquam poterit à forma denudari, quemadmodum materia cœli, neque denudatur, neque vnquam poterit ab illius forma denudari. Altera vero paſſiua, & receptiua ſimul, eſt principium contradictionis, quia ſubiectum poteſt à forma, quam nata eſt recipere, aliquo tempore denudari, vt lignum poterit aliquando denudari à calore, ac proinde hæc potentia poterit habere, aut non habere formam. Quare cum ſubiectum ſit tantum potentia receptiua ſuarum proprietatum (quia abſque vlla tranſmutatione illas in ſe recipit) non propterea poterit illas non habere, quia hoc genus potentiæ non eſt principium contradictionis, vel habendi, aut non habendi.

QVÆSTIO III.

An in accidentibus vna proprietas ex altera oriatur?

NOn tantum à ſubiecto oriri proprietates, verum etiam quaſdam ex aliis oriri, nulli dubium eſſe debet; nam ſumma leuitas proprietas eſt ignis, quæ fluit à ſumma caliditate, quę etiam eſt eiuſdem proprietas. Verum vt rem hanc & modum, quo vna proprietas ex alia oritur, explicemus, libuit hanc quæſtionem diſputare. Confirmoque non poſſe vnam proprietatem ex alia oriri.

1. Arg. 1. Omnes proprietates oriuntur à ſuo ſubiecto, ergo vna non orietur ex altera, antecedens conſtat ex quæſt. ſuperiori, confirmatur conſequentia, quia ſubiectum eſt cauſa ſufficiens producendi ſuas proprietates, non ergo egebit alterius ope ad illas producendas; quod ſi non eget alterius ope, ergo neque vna proprietas ab altera orietur.

2. Arg. 2. In his, quæ ſimul oriuntur, vnum non poteſt ex alio oriri, ſed omnes proprietates ſimul oriuntur, vt eſt perſpicuum, nam vna cum ſubiecto oriuntur, ergo vna non poterit ex altera oriri. Confirm. propoſit. Illud quod oritur, poſterius eſt eo, à quo oritur, eo modo, quo effectus eſt poſterior cauſa, à qua dimanat, ſed in his, quæ ſunt ſimul, vnum non poteſt eſſe poſterius altero, ergo in his, quæ ſimul oriuntur, vnū non poterit ex altero oriri.

3. Arg. Prætereà, accidens non poteſt eſſe cauſa accidentis, ſi enim eſſet, haberet vnum accidens naturam ab alio accidēre, nam effectus habet naturam à ſua cauſa, ſed proprietates ſunt accidentia, ergo vna proprietas non poterit eſſe cauſa alterius, alia argg. prætermittimus.

Vera ſententia. Verum hæc argg. nihil nos debent remorari, quominus veriſſimam ſententiam amplectamur, nimirum inter proprietates quendam ordinem cauſæ, & effectus, prioriſque & poſterioris reperiri, & vnam ex altera tanquam ex vera & legitima cauſa prodire. Hanc enim ſententiam profitetur D. Thom. *1. p. q. 77. art. 7.* & *in 1. diſt. 3. q. 4. art.* 3 eandemquę quamplurimi ex recentioribus complectuntur, quam his aſſertionibus explicamus, ſit prima.

1. concluſ. Inter accidentia reperiuntur veræ & legitimæ proprietates. Hæc adeo eſt vera, vt de illa nullam ſuboriri poſſe dubitationem exiſtimem. Et confirmatur: Quia in quantitate æquale & inæquale, finitum & infinitum, ſunt illius proprietates, in qualitate ſimile & diſſimile, & ſic de aliis, imo Ariſt. in categoriis in qualibet categoria quaſdam illius proprietates proponit, vera igitur erit hæc ſtatuta concluſio. Legendus eſt Tho. à Mercad. *in quæſt. huius cap. in ſolut. 2. arg.*

2. concluſ. Vna proprietas oritur ex alia, & non omnes immediate à ſubiecto dimanant, ſed vna tantum eſt, quæ immediate oritur à ſubiecto, reliquæ vero ita inter ſe ſunt concatenatæ, vt à prima oriatur ſecunda, & à ſecunda tertia, & ſic de reliquis, vſque ad vltimam proprietatem. Hanc docet D. Thom. *vbi ſupra*, & confirmat. Ab vna cauſa agente per naturam tantum poteſt immediate vnum oriri, nam ab vno tantum fluit vnum, ſed ſubiectum eſt cauſa naturalis ſuarum proprietatum, ergo ab illo immediate tantum poterit oriri vna proprietas. Explicatur prætereà res hæc exemplo ſatis familiari de igne, in quo hæ proprietates reperiuntur, ſummus calor, ſumma raritas, & ſumma leuitas, quæ ita ſunt inter ſe concatenatæ, vt ab igne immediate tantum calor oriatur, à calore raritas profluat, & à raritate leuitas, conſtat igitur, vnam proprietatem ex altera oriri. *2. concluſ.*

3. concluſ. Vna proprietas oritur ab alia in genere cauſæ materialis, finalis, & efficientis. Hæc eſt etiam D. Tho. & Caiet. Poteſt enim conferri aut ſuperior proprietas cum inferiori, aut econtra inferior cum ſuperiori. Si ſuperior conferatur cum inferiori, eſt cauſa efficiens, & finalis inferioris. Efficiens, vt intellectus cauſa eſt ſenſus, nihil enim aliud eſt ſenſus, quam participata quædam & imperfecta cognitio intellectus, & idem iudicium eſt in aliis proprietatibus, in quibus cum inferior nihil aliud ſit, quam quædam participatio ſuperioris, orietur à ſuperiori tanquam à vera & legitima cauſa efficiente. Finis vero, quia imperfectum reuocatur in perfectum, tanquam in finem, at proprietas inferior imperfecta eſt, ſi cum ſuperiori conferatur: vnde ſenſus eſt propter intellectum, & reuocatur in illum tanquam in finem, quemadmodum ſentire eſt propter intelligere, tanquam propter finem. At vero ſi inferior conferatur cum ſuperiori, eſt cauſa materialis ſuperioris, quia omne imperfectum eſt veluti materia perfecti, vt corpus eſt materia animæ, & ſenſus eſt materia intellectus, certum autem eſt, proprietatem inferiorem eſſe imperfectam, ſuperiorem vero perfectam, quare proprietas inferior erit materia ſuperioris. *3. concluſ.*

4. concluſ. Etiam in genere cauſæ formalis vna proprietas dimanat ab altera. Hanc tanquam probabilem libuit conſtituere, quæ confirmari poteſt ex eo, quia vna proprietas *4. concluſ.*

ex aliis deſumit certam & definitam naturam, vt ratiras naturam deſumit ex calore & admiratio in homine ex capacitate diſciplinæ, at quidquid alicui confert certam & determinatam naturam, locum habet formæ, hoc enim munus eſt illius, vt ex Ariſt. conſtat 5. *Metaph. t. 2. & 2. Phyſ. t. 3.*

Ad 1. Arg. Ad argg. igitur: Ad 1. reſpond. omnes proprietates oriri à ſuo ſubiecto, ordine tamen, ita vt vna oriatur immediate, prima ſcilicet, & aliæ mediate, vt ſunt reliquæ omnes, erit igitur ſubiectum ſufficiens ad producendas proprietates, ſiue mediate ſiue immediate, nõ tamen ad producendas omnes immediate, ſed ordine quodam, vt expoſuimus.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Veram eſſe propoſitionem de his, quæ ſimul tempore & natura oriuntur, nam in his non poteſt vnum eſſe cauſa alterius, eſſe tamen falſam de his, quæ oriuntur ſimul tempore, non tamẽ natura, nam in illis vnum poterit ex altero oriri quemadmodum ſubiectum & proprietates ſunt ſimul tempore, & non natura, vnde ita proprietates a ſubiecto deriuantur: At quamuis proprietates omnes ſint ſimul tempore, natura tamẽ eſt vna prior altera, nam quæ magis accedet ad ſubiectum, erit prior, & quæ magis ab eo recedet, erit poſterior natura, ac proinde vna proprietas optime poterit ex altera dimanare.

Ad 3. Ad 3. reſpond. Vnum accidens non poſſe aliud propria virtute producere, optime tamen poſſe illud virtute ſubiecti, vel ſubſtantiæ procreare, atque ita vna proprietas non propria virtute, ſed facultate ſibi à ſubiecto tributa, poterit alteram proprietatem generare. Solutio eſt D. Thom. *in 1. diſt. 3. quæſt. 4. art. 3. ad 2.*

QVÆSTIO V.

An proprietates re ipſa differant à ſuis ſubiectis?

MVlti hanc quæſtionem præsermittunt tanquam ſubtilem nimis, & perdifficilem, alii vero eam in hoc loco pertractãt, quorum veſtigiis inhærentes eam nos quoque pertractabimus, ne aliquid eruditi lectores, & rerum difficilium indagatores, in his noſtris commentariis queant deſiderare.

1. Arg. Igitur proprietates eſſe eaſdem re cum ſuis ſubiectis, ita confirm. 1. Quæ ſimul oriuntur, & intereunt, ſunt vnũ & idem, nam eo probat Ariſt. 4 *Metaph. t. 2.* ens & vnum eſſe vnum & idem, quia ſimul oriuntur & intereunt, ſed ſubiectum & proprietates ſimul oriuntur & intereunt, vt homo, & capacitas diſciplinæ, ergo ſubiectum & proprietas erunt vnum & idem ſecundum rem.

2. Non eſt maior ratio de quibuſdam proprietatibus, quare illæ non diſtinguantur à ſubiecto, & aliæ ab eodem diſtinguantur, ſed proprietates entis, & materiæ primæ non diſtinguuntur re ipſa à ſuis ſubiectis, ergo in aliis rebus proprietates non diſtinguentur re ipſa ab illis. 2. Arg.

3. In accidentibus non differunt proprietates à ſuis ſubiectis, vt poſtea dicemus, ergo cum non ſit maior ratio in ſubſtantia, quam in illis, non diſtinguentur in ſubſtantiis proprietates a ſuis ſubiectis. 3. Arg.

Iterum: Intellectus & voluntas ſunt proprietates hominis, ſed non differunt re ipſa ab illo, cum ſint eius ſubſtantiæ, ergo proprietates nõ differunt re ipſa à ſuo ſubiecto. Confirmatur aſſumptio: Subſtantia dicitur illud, quod cum ſui mutatione recipit accidentia, vt docet Ariſt. in categoria ſubſtantiæ, ſed intellectus & voluntas ſunt huiuſmodi, nam intellectus recipit ſcientiam, & ignorantiam, & voluntas virtutem & vitium: ergo intellectus & voluntas erunt ſubſtantiæ. 4. Arg.

Vltimo: Quemadmodum homo eſt in potentia ad intelligendum, ita quoque eſt in potentia ad intellectum, ſed potentia hominis ad recipiendum intellectum non differt ab homine, quia ſi differret, per aliam potentiam homo reciperet illam, & ſic progrederemur in infinitum: ergo intellectus, qui eſt potentia ad intelligendum, non diſtinguetur re ipſa ab homine. 5. Arg.

In hac quæſtione ſunt duæ potiſſimum inter ſe diſcrepantes ſententiæ grauiſſimorum virorum. Prima eſt quæ tuetur partem negantem, nimirum proprietates non diſtingui re ipſa a ſubiecto, ſed formaliter, aut ſola ratione ratiocinata, quæ confirmari poteſt argumentis, quæ in principio propoſuimus, & quã ſequuntur Scotus *1. lib. ſent. diſt. 16 q. 1.* Gabriel. *ibid. q. 1.* Gregorius *q. 3.* Marſilius *in 1. q. 7. art. 3.* Durandus *in 1. diſt. 3. q. 5.* qui omnes exiſtimant proprietatem & ſubiectum eſſe vnum & idem, vt hominem, & riſibilitatem eſſe vnam & eandem rem. 1. Opin.

2. opinio eſt D. Thom. *1 part. quæſt. 54. art. 3. quæſt. 77. artic. 1. 1. lib. 3. ſenten. diſt. 3. quæſt. 4. artic. 2. in quæſtione diſputata de ſpir. creatur. articul. vltim. & in quæſtione diſputata de anim. articul. 12.* Ægid. *quodlibet. 3. quæſt. 10.* Herue. *quodlib. 1 quæſt. 5.* Capre. Caiet. & aliorum interpretum, D. Thom. *in locis citatis ex 1. parte* So *quæſt. 2 in cap. de proprio.* & fere omnium 2. Opin.

recen

recentiorum exiſtimantium, proprietatem re ipſa diſtingui à ſubiecto, vt capacitatem diſciplinæ re ipſa diſtingui ab homine.

1. *Obſer.* Hanc igitur ſententiam vt explicemus, animaduertendum eſt primo, proprietates eſſe in triplici differentia, nam quædam ſunt tranſcendentes, vt ſunt proprietates entis, vnum, verum, bonum, aliæ ſunt proprietates ſubſtantiæ vt proprietates hominis, vel equi, & aliæ ſunt proprietates accidentium, vt diſgregare viſum eſt proprietas albedinis, & congregare nigredinis.

2. *Obſer.* Annotandum eſt deinde, proprietates ſubſtantiæ eſſe in triplici differentia: nam quædam ſunt ad recipiẽdum aliquem actum ſubſtantialem, vel accidentarium: ſubſtantialem, vt eſt potentia materiæ primæ ad recipiẽdam formam: accidentarium vero, vt eſt potentia ſubſtantiæ ad recipiendam quantitatem: aliæ ſunt deſtinatę ad aliquid agendum vel patiendum, vt eſt potentia ignis ad calefaciendum, & aquæ ad id, vt calefiat ab igne: & aliæ ſunt deſtinatę ad interitum & corruptionem, vt eſt potentia hominis ad mortem. Quibus animaduerſis ſit 1. concluſio

1. *concluſ.* Proprietates tranſcendentes, & illæ, quæ ordinantur ad recipiendam formam ſubſtantialem, vt eſt potentia materiæ primæ, non differunt re ipſa à ſuis ſubiectis De proprietatibus tranſcendentibus, vt de vno vero bono, eſt expreſſa ſententia Ariſt. 4. *lib. Metaphyſ. c.* 2. non diſtingui ipſas re ipſa ab ente, poteſtque ita breuiter confirmari. Quidquid re ipſa differt ab ente, non eſt ens, ergo ſi proprietates tranſcendentes re ipſa differunt ab ente, non eſſent entia. atqui hoc aſſerere eſt omnino abſurdum, ergo proprietates entis non differentre ipſa ab ente Legẽda ſunt, quæ diximus *lib.* 2 *Tranſc. cap.* 15 De potentia vero materiæ primę ad recipiendam formam ſubſtantialem non diſtingui ipſam à materia prima, docet D Thom. 1. *p. quæſt.* 54. *artic.* 3. *ad* 3. *arg. & quæſt. vnic. de anima, in diſput. artic.* 12. *in ſolut.* 12. *arg.* & nos Deo fauente, 1. *lib Phyſic.* lariſſime illud oſtendemus, cuius ratio in hunc modum ſe habet breuiter. Hæc potentia materiæ primæ eſt ad actum ſubſtãtialem, cum ſit ad formam ſubſtantialem, ergo non diſtinguetur à materia prima Confirm. conſeq. quia actus ſubſtantialis & potentia ad illum in eodem categoria continentur, quare hæc potentia nihil erit ſuperadditum ſubſtantiæ materiæ.

2. *concluſ.* 2. concluſ. Proprietates ſubſtantiæ, quæ ſunt deſtinatæ ad recipiendum actum accidentarium, vt eſt potentia ſubſtantiæ ad recipiendam quantitatem, & illæ, quæ ſunt deſtinatæ ad actionem aliquam exercendam, vt intellectus, qui deſtinatur ad actionem intelligendi & voluntas ad actionem amandi, re ipſa diſtinguuntur à ſuis ſubiectis, & inter ſeſe. Confirmatur his argumentis:

1. *Arg.* 1. Actus & potentia continentur in eodem genere, vt paſſim docet Ariſt. 9. *Metaph. & lib.* 12 *c* 4. agens de principiis categoriarum, vbi docet in vnaquaque categoria conſtituẽdum eſſe proprium actum & propriam poteſtatem, ergo potentia, vel proprietas ſubſtantiæ ad actum accidentarium continebitur in categoriis accidentium, ſed accidentia re ipſa differunt à ſubſtantia, ergo proprietates ſubſtantię ad actum, vel operationem accidentariam re ipſa diſtinguentur à ſubſtantia.

2. *Arg.* 2. Proprietates ſubſtantiæ deſtinatæ ad aliquid operandum, vt intellectus ad intelligendum, & voluntas ad amandum, ſunt facultates quædam naturales contentæ ſub categoria qualitatis in ſecunda illius ſpecie, quæ eſt naturalis vis, & potentia, ſed qualitas eſt categoria re ipſa diſtincta à ſubſtantia, ergo proprietates ſubſtantiæ deſtinatæ ad aliquid agendum re ipſa diſtinguentur ab illa.

3. Quæ poſſunt re ipſa ſeparari, ſunt quoq; re ipſa diſtincta, hæc prop. eſt Scot. 7. *Met. q.* 1. ſed proprietates poſſunt ſeparari à ſuo ſubiecto, vt in Sacramento Euchariſtiæ, pereunte ſubſtantia panis, & vini remanent proprietates, remanet enim idem color, idem ſapor, eadem facultas nutriendi panis, & vini, ergo proprietates re ipſa diſtinguentur à ſuo ſubiecto. Quod vero illæ inter ſe differant, vt quod intellectus, & voluntas re ipſa diſtinguantur, ita poſſumus ſuadere. Ex ſentẽtia Ariſt. 2. *lib de anima. cap.* 4 *& alibi ſæpe.* potentiæ diſtinguuntur per actus, ergo tanta erit diſtinctio inter potentias, quanta eſt inter actiones, quæ ab eis fluunt, ſed actiones harum facultatum re ipſa differunt, vt actiones intelligendi & volendi, ergo & hæ facultates inter ſe quoque re ipſa different.

3. concluſ. Proprietates ſubſtantiæ ad interitum & corruptionem (vt eſt potentia hominis ad mortem) non diſtinguuntur re ipſa ab illa. Confir. Potentia ſubſtantiæ ad interitum nihil aliud eſt, quam materia prima, cum aptitudine, & appetitu ad recipiendam formam contrariam, ſed aptitudo, & appetitus non differunt re ipſa à materia prima, vt oſtendemus 2. *lib. Phyſicorum, in diſput. de principiis rerum naturalium*, ergo ſubſtantiæ ad interitum nõ differt re ipſa ab illa. Animaduertendum 3 *concluſ.*

dum eſt tamen in hac aſſertione tantum eſſe ſermonem de primo principio interitus, quod eſt potentia & aptitudo materiæ primæ, nam ſi loquamur de proximo, & immediato principio illius. talis potentia re ipſa differt à ſubiecto, nam huiuſmodi principium eſt mutua pugna, quæ reperitur inter primas qualitates, vt inter calidum & frigidum, humidum & ſiccum: at vero primæ qualitates re ipſa differunt à ſubſtantia, vt interim prætermittamus imbecillitatem naturalem, quæ eſt ſpecies qualitatis, & principium interitus, re ipſa diſtinctam eſſe à ſubſtantia.

concluſ. 4. concluſ. In accidentibus quædam proprietates diſtinguuntur re ipſa à ſuis ſubiectis, & aliæ non diſtinguuntur: diſtinguuntur vt inhærentia actualis quantitatis in ſubiecto, cum ſeparetur ab illa in ſacramento altaris, & charitas (quæ eſt proprietas gratiæ, juxta D. Thom.) re ipſa differt ab illa. At quædam aliæ non diſtinguuntur, vt diſgregare viſum in albedine, & congregare in nigredine, & eſſe menſuram in quantitate. Confir. autem, non in omnibus accidentibus diſtingui proprietates re ipſa à ſuis ſubiectis, nam cum proprietates ſint quædam accidentia, ſi in omnibus accidentibus proprietates diſtinguerentur à ſubiecto, diſtinguerentur quoque à ſe ipſis, quod certe non eſt aſſerendum, quare non in omnibus accidentibus proprietates re ipſa à ſubiectis diſtinguentur.

Ad 1. arg. Ad argumenta: Ad primum reſpond. propoſitionem eſſe veram de his, quæ oriuntur ſimul tempore, & natura, falſam autem de his, quæ ſimul tempore oriuntur, & non ſimul natura, nam hæc non ſunt vnum, & idem, ſubſtantia enim, & quantitas ſimul tempore oriuntur, & tamen non ſunt vnum, & idem, quia ſubſtantia prius natura oritur quã quantitas. Et ita cum ſubiectum ſit prius natura, quam proprietas, illiuſq; cauſa exiſtat, quamuis ſimul tempore oriantur, non erunt vnum, & idem.

Ad 2. Ad 2. negamus propoſitionem, cuius ratio, iam eſt à nobis adhibita, quia quædam proprietates deſtinantur ad actum ſubſtantialem, vt eſt potentia materiæ primæ, & aliæ ad actum accidentarium, vt riſibilitas, at illæ, quę deſtinantur ad actum ſubſtantialem, non diſtinguuntur re ipſa à ſuis ſubiectis, aliæ vero, quæ deſtinantur ad actum accidentarium, re ipſa diſtinguuntur.

Ad 3. Ad 3. reſpond. negandam eſſe conſequentiam, quia in accidentibus propter eorum ignobilitatem non ſunt neceſſariæ proprietates ad operandum, ſed ipſa immediate exercent ſuas operationes: at in ſubſtantiis propter earum præſtantiam, neceſſariæ ſunt potentiæ, & proprietates ab ipſis re ipſa diſtinctæ, ad ſua munera obcunda.

Ad 4. Ad 4. reſpond. falſam eſſe aſſumptionem, nam ſubſtã i. dicitur illud, quod recipit contraria cum ſui mutatione, at intellectus & voluntas non ſunt illud, quod recipit contraria, ſed illud, quo mediante homo recipit contraria, ſcientiam, & ignorantiam, virtutem & vitium, nam quantitas quoque eſt, qua mediante homo recipit contraria, vt calorem & frigus, quæ tamen non eſt ſubſtantia.

Ad 5. Ad 5. reſpond. negando conſequentiam, quia potentia hominis ad recipiendum intellectum non eſt vera potentia, quia neque eſt actiua, neque paſſiua, non paſſiua, quia non eſt principium recipiendi aliquid cum tranſmutatione, non actiua, quia non eſt principium alicuius operationis, at intellectus eſt vera potentia actiua, cum ſit principium intellectionis, & ita re ipſa diſtinguetur intellectus ab homine, potentia autem recipiendi intellectum non diſtinguetur reipſa ab illo, nam quando nos dicimus potentias diſtingui reipſa à ſuis ſubiectis, loquimur de veris & legitimis potentiis.

QVÆSTIO VI.

An proprietates poſſint ſeparari à ſuis ſubiectis.

1. Arg. PArtem negantem his argumentis (non leuibus) poſſumus confirmare. *Primum eſt.* Propoſitiones quæ ſunt in ſecundo modo dicendi per ſe, ſunt neceſſariæ, & ſemper veræ, *ex Ariſt. 1. lib. dem. cap. 4.* ſed in his attributionibus attributum eſt proprietas ſubiecti, vt eſt hæc propoſitio homo eſt riſibilis, ergo proprietates per ſe & neceſſario competent ſubiecto, & ita nulla ratione poteſunt ſeparari ab illo.

2. Arg. 2. Relatio creaturæ ad creatorem eſt proprietas creaturæ, ſed neque per potentiam diuinam poteſt ſeparari à creatura, vt docet D. Thom *quodl. 7. q. 4. art. 3. ad 4. arg.* ergo non poterit etiam per potentiam diuinam ſeparari proprietas à ſuo ſubiecto.

3. Arg. 3. Illud, ſine quo non poteſt ſubiectum intelligi, non poteſt ſeparari à ſubiecto, ſed auctor eſt D. Thom *in quaeſt. de ſpiritalib. creaturis, artic. 11. & in quaeſt. de anima. artic. 12. ad 7. arg.* non poſſe mente apprehendi animam ſine intellectu, quia hoc inquit, eſt impoſſibile, ergo

non poterit ſubiectum etiam per potentiam diuinam ſeparari à ſuis proprietatibus.

4. argum. Iterum: Si intellectus poſſet ſeparari ab homine illo ſeparato vel homo eſſet intelligens, vel non eſſet, ſi eſſet intelligens, ergo cum omne, quod eſt intelligens habeat intellectum, etiam ſeparato intellectu homo haberet intellectum: ſi vero non eſſet intelligēs, cum ſit de natura illius eſſe ſubſtantiam intelligentem, ſeparato intellectu auferretur ab homine illius natura & eſſentia, quod cum ſit omnino abſurdum, nulla ratione poterit ſeparari intellectus, vel vlla alia proprietas à ſuo ſubiecto.

5. argum. Adhæc: Habere tres angulos æquales duobus rectis eſt proprietas trianguli, ſed nulla ratione poteſt ſeparari ab illo habere tres angulos, ergo proprietas non poterit etiam per potentiam diuinam ſeparari à ſubiecto.

1. Opinio. In hac quæſtione explicanda eſt prima opinio Capr. *1. ſent. diſt. 3 q. 3.* & Caiet. *1. p. q. 54. art. 3.* Soncin. 8. *Metaph. q. 1. ad 4.* & multorum aliorum exiſtimantium eſſe tantam cōnexionem inter ſubiectum, & illius proprietatem, vt per nullam potentiam poſſint proprietates ſeparari à ſuis ſubiectis.

2. Opinio. 2. Opinio eſt Ferrarienſ. 4 *lib. cont. Gent cap. 65.* & Soti *q. 2. de proprio,* & 4. *lib. ſent. diſt. 9. q. 2. art. 5* M. Bannes *1. p. q. 73 art. 6.* & Capr. *in 4. diſt. 44. art. 3. ad arg* Duran. *cōt. 3. concl.* reiecta priori opinione arbitrantium proprietates poſſe per diuinam potentiam ſeparari à ſuis ſubiectis. Nos tamen vt hanc quæſtionem penetrare ſtemus animaduertimus primo, ſubiectum proprietatum duplex eſſe, vnum immediatū, & alterum mediatum, vt ſubiectum immediatum intellectus eſt anima, mediatum vero homo.

Iterum adnotamus hanc quæſtionem poſſe pertractari, vel de potentia naturali, vel de ſupernaturali & diuina, ita vt ſenſus ſit, an proprietates poſſint ſeparari à ſubiecto, ſiue per potentiam naturalem, ſiue per ſupernaturalem, quibus annotatis ſit 1. concluſ.

1. concluſ. Illæ proprietates, quę non differunt reipſa à ſubiecto, non poſſunt ſeparari ab illo, ſiue per potentiam naturalem, ſiue per potentiā ſupernaturalem, vt potentia materiæ primæ ad recipiendas formas, & proprietates entis vnum, verum, bonum non poſſunt ſeparari ſiue per potentiam naturalem, ſiue ſupernaturalem à ſuis ſubiectis, quæ concluſio eſt apertiſſima, nam ſi ſunt vnum, & idem, ergo vno illorum exiſtente, nō poterit & aliud quoque non exiſtere.

2. concl. 2 concl. Illæ proprieta es, quæ reipſa differunt à ſuis ſubiectis, per facultatem naturæ poſſunt ſeparari à ſubiecto mediato, non tamen à ſubiecto immediato, quam concluſionem explicamus his exemplis. Subiectum mediatum intellectus eſt homo, immediatum vero anima. Vnde nulla ratione poteſt intellectus ſeparari ab anima per facultatem naturæ, etiam ſi ipſa extremas vires exerceat, at vero per eandem facultatem naturæ ſeparatur intellectus ab homine, nam homo interit à natura, quo interempto ſeparatur ab illo intellectus. Præterea ſubiectum immediatum facultatis videndi eſt oculus, mediatum vero animal, quare non poterit per facultatem naturæ ſeparari facul. a videndi ab oculo, bene tamen poterit ab animali.

3. concl. 3. concluſ. Illa ſubiecta, quæ reipſa differunt à ſuis proprietatibus poſſunt per diuinam potentiam ſeparari ab illis, ita vt & poſſint produci ſine proprietatibus, & producta poſſint conſeruari abſque eiſdem, vt poteſt producere Deus hominem ſine riſibilitate, & productum conſeruare, & poteſt producere ignem ſine calore, & productum conſeruare. Confirm. his argumentis:

1. argum. 1. eſt: Subiectum ea ratione producit proprietates, qua Deus poteſt concurrere cum illo ad eas producendas, ſed poteſt Deus non concurrere cum ſubiecto ad producēdas proprietates, cum libere concurrat; ergo poteſt efficere Deus ſubiectūm ſine proprietatibus.

2. argum. 2. Omne prius natura poteſt eſſe ſine poſteriori, ſi non dependeat ab illo, ſed ſubiectū eſt prius natura proprietate cum ſit cauſſa ipſius, & non dependet ab illa ergo poterit eſſe ſine proprietatibus.

3. argum. 3. Exiſtentia eſt proprietas eſſentiæ; ſed poteſt Deus efficere eſſentiam ſine exiſtentia, ergo poteſt efficere ſubiectum ſine proprietate. Confirm. aſſumptio: Verbum diuinum aſſumpſit eſſentiam humanam, & tamen non aſſumpſit exiſtentiam humanam, vt ſancitum fuit in ſexta Syno. *Act. 11.* in oratione Sophronij, & à Diuo Damaſceno *lib. 3. fidei orthodoxa, cap. 22.* ergo poteſt fieri eſſentia ſine exiſtentia.

4. Arg. 4. Actualis vnione in ſubiecto eſt proprietas accidentis, ſed in ſacramento Eucharistiæ eſt quātitas ſine actuali vnione, vt docet fides catholica, ergo poterit eſſe ſubiectum ſine proprietate.

4. concl. 4. concl. Non ſolum ſubiectūm poteſt eſſe ſine proprietatibus, ſed etiam proprietates poſſunt eſſe ſine ſubiecto, à quo ſunt reipſa

diſtioctæ, vt non ſolum homo poteſt produci a Deo ſine riſib litate verum etiam riſibilitas
1. *Argum* poteſt ſeparata produci a Deo ſine homine. Confirmatur primo. Quidquid Deus efficit media cauſſa ſecunda efficiente, poteſt ſe ſolo efficere: ſed Deus producit proprietatem modo ſubiecto tanquam media cauſſa
2. *Arg.* efficiente; ergo poterit producere illam ſine ſubiecto. 2. In ſacramento Eucharistiæ remanent proprietates panis & vini, vt idem color, idem ſapor, eadem ratio nutriendi; ſed nõ ſunt ibi ſubiecta harum proprietatum, nam iuxta fidem non eſt ibi ſubſtantia panis, & vini, ergo poterit per diuinam potentiam proprietas ſeparari a ſuo ſubiecto.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta. Ad 1. reſp. Has propoſitiones quæ fiunt in ſecundo modo dicendi per ſe ſumi poſſe duobus modis. Primo iuxta propriam virtutem & facultatem ſubiecti, ſecundo iuxta virtutem ſupernaturalem. Si loquamur primo modo de huiuſmodi propoſitionibus, tales ſunt ſemper veræ, & neceſſariæ, quia non poteſt iuxta propriam vim, & facultatem ſubiecti proprietas non conuenire ipſi. Si vero loquamur de illis ſecundo modo, non ſunt neceſſariæ & ſemper veræ, nam poteſt Deus efficere, vt ſeparetur attributum a ſubiecto, quo effecto attributiones illæ, in quibus proprietas prædicatur de ſubiecto erunt falſæ. Et quia Ariſt. locutus eſt iuxta propriam vim & facultatem ſubiecti, propterea docuit propoſitiones in quibus attributũ eſt proprietas ſubiecti, quæ dicuntur eſſe in ſecundo modo dicendi per ſe, eſſe neceſſarias, & ſemper veras.

Ad 2. Ad 2. reſpon. in primis relationẽ creaturæ ad creatorem eſſe eandem cum creatura, nos vero loquimur tantum de proprietatibus, quæ reipſa differunt à ſuis ſubiectis. Reſp. deinde falſam eſſe propoſitionem, nam relatio creaturæ non eſt proprietas, ſed de eſſentia illius, nam proprietas fluit a natura ſubiecti, at vero relatio creaturæ ad creatorem non fluit ab illius natura, vt auctor eſt D. Th. *q. 3. de poten. art. 3. ad 3 arg.*

Ad 3. Ad 3. reſpon. de anima, vel de quolibet alio ſubiecto nos poſſe loqui (*vt dictum eſt in ſolu. 1. arg.*) vel iuxta propriam illius naturam, vel iuxta facultatem diuinam. Primo modo non poſſumus concipere ſubiectum ſine proprietatibus, quia non poſſumus concipere ſubiectũ omiſſum ſuæ naturæ non producere proprietates: ſecundo tamen modo poſſumus intelligere ſubiectũ ſine proprietatib. at D. Th intelligendus eſt primo modo & nõ ſecundo.

Ad 4. reſp. Duobus modis poſſe naturam aliquam vocari intelligentem proxime & remote, remote eſt aliquid intelligens, quia habet animam intelligentẽ, proxime vero, quia habet intellectum. Ad arg. igitur reſp. ſub lato intellectu hominem eſſe intelligentem, non proxime, ſed remote, quia habet naturam, ſc. animam rationis participem, cui debetur intellectus tanquam principium proximum intelligendi. Et ita docet D Tho. 1a *q. 110. art 4. ad 4. argum.* *Ad 4.*

Ad 5. reſp. Hanc proprietatem non diſtingui reipſa a ſubiecto, & ita non poterit ſeparari ab illo, nam nos tãtum loquimur de proprietatibus, quæ reipſa diſtinguuntur a ſuis ſubiectis. *Ad 5.*

QVÆSTIO VII.

An proprietates ſoli ſpeciei infimæ poſſint cõuenire.

NOn leuem occaſionem præbuit Porph. dialecticis dubitandi, an proprietates ſoli ſpeciei infimæ conueniant necne, nam proponens quartam ſignificationem (quę ſola conſtituit hanc vocem prædicabilem) tantum vtitur exemplis proprietatum ſpeciei atomæ, & indiuiduæ. Vtitur enim exemplo riſibilitatis in homine & potentiæ ad hinniendum in equo, quæ duæ ſunt proprietates ſolius ſpeciei Infimæ, & augeri poteſt dubitatio ex eodem Porphy. qui in *cap. de genere* eo ſeparat proprium a genere, quia proprium de vna ſpecie tantũ dicitur, & de his indiuiduis, quæ ſub illa continentur, genus vero dicitur de multis ſpecie differentibus, in quibus verbis non obſcure innuit ſolius ſpeciei infimæ eſſe proprietatem. *1. Arg.*

Iam; Proprietates omnes fluunt a principijs eſſentialibus rei, quæ ſunt genus & differentia, ſed habere genus, & differentiam ſoli ſpeciei infimæ poteſt conuenire, nam neque ens, neque genera ſuprema poſſunt ex genere & differentia componi; intermedia vero qua genera ſunt non componuntur, ſed ea ratione qua ſunt ſpecies, ergo ſolius ſpeciei erit habere proprietates

Contra tamen ſentiunt omnes dialectici, qui incunctanter & vno ore profitentur non ſolius ſpeciei, ſed generum intermediorum, ſupremorum, & entis eſſe veras, & legitimas proprietates. Atque ita ſit 1. concluſio.

Omnia genera tam ſuprema, quam intermedia, & ipſum etiam ens, quod ſuo latiſſimo ambitu omnia comprehendit habent veras, & legitimas proprietates. Confirmatur inprimis de generib. intermedijs. Huiuſmodi ge- *1. concluſio.*

nera

Digitized by Google

nera conſtant vero genere, & vera differentia, ſed quidquid conſtat his duabus partibus habere debet proprietates, quæ ab eis fluant, ergo genera intermedia veras & legitimas habebunt proprietates. Iam Ariſt. 5. *Top. c.* 2. conſtituit aptum eſſe ad ſentiendum eſſe proprietatem animalis, at animal genus eſt intermedium, quare proprietates erunt etiam generis intermedij. Præterea idem demonſtramus de generibus ſupremis ex Ariſt. qui in categorijs (quæ ſunt genera ſuprema) varias proponit proprietates, nam in categoria ſubſtantia tradit poſſe recipere contraria, nō eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto, & alias: in categoria quantitatis, æquale, & inæquale: in categoria qualitatis ſimile & diſſimile & ſic de alijs: iam ergo genera ſuprema habebunt proprietates.

Ad extremum; idem de ente ſuademus 1. quia Metaphyſica eſt vere & proprie ſc. entia, ergo eſt habitus per veram & legitimam demonſtrationem acquiſitus: ſed in omni demonſtratione concludimus proprietatem de ſubiecto; ergo & in Metaphyſica quoq. concludemus proprietates de ſubiecto, at ens eſt ſubiectum Metaphyſicū ergo de ente in Metaph. concludentur proprietates, quare illæ erunt veræ, & legitimæ proprietates. 2. Quod eſt commune omni ſubiecto ſcibili nō debet denegari ſubiecto primæ Philoſophiæ; cum ſit ſubiectum nobiliſſimæ, & præſtantiſſimæ ſciētiæ, ſed commune eſt ſubiecto cuiuslibet ſciētiæ habere varias proprietates & affectiones, vt docet Ariſt. 1. *de demonſt. cap.* 22. inquiens illam eſſe vnam ſcientiam, quæ eſt vnius generis ſubiecti, & cuius ſunt principia, partes, & affectiones, vel proprietates, quare cū ſubiectum ipſius primæ Philoſophiæ ſit ens, erunt in ente veræ, & legitimæ proprietates conſtituendæ.

2. concl. 2 concl. Indiuiduorum etiam dantur veræ, & legitimæ proprietates, vt ſunt ator in hoc, & illo coruo, & cādor in hoc & illo cygno. Hanc profitetur D. Th. 1 *lib. de dem. lect.* 14. qui de his accidentib. inſeparabilib. agens, inquit eſſe has proprietates quaſdam indiuiduantes quæ fluūt a natura huius ſubiecti, nimirum a proprio illius temperamento. Et idem indicare videtur Alexand. Aphrodiſ. 1. *Topic.* 4. Confirmatur primo, ex eo quod huiuſmodi accidentia habent in ſubiecto cauſſam aliquam ex qua ita oriantur, ita vt non poſſint non ita oriri, vnde fit vt habeant illa cum ſubiecto intimam, & neceſſariam connexionem, ſed omne accidens; quod in ſubiectis, ita neceſſariam habet connexionem, vt ſemper illi inſit, eſt proprietas, ergo hæc accidentia erunt proprietates horum indiuiduorum. Secundo; Non minus fluunt hæc accidentia à principijs indiuiduantibus, quam fluat riſibilitas v. g. à natura hominis: ſed ex eo riſibilitas eſt proprietas hominis, quia fluit ex illius principijs eſſentialibus: ergo cum hæc accidentia fluant à principijs indiuiduantib. horum indiuiduorum, erunt quoque proprietates ipſorum. Itaque ex proprietatibus quæ-dam ſunt tranſcendentes, quæ fluūt à natura entis, vt vnum, verum, bonum: aliæ generis ſupremi, vt in ſubſtantia eſſe per ſe, in quantitate eſſe menſuram, & ſic de alijs; aliæ generis intermedij, vt eſt ſentire in animali, aliæ ſpeciei infimæ, vt eſt facultas capeſcendi diſciplinas in homine, & tandem aliæ indiuiduorum, vt ator in coruo, & candor in cygno. Verum de hac re latius multo *lib.* 1. *de demonſt. c.* 5. *&* 5. cum Caietano.

Ad argumenta igitur: Ad 1. reſp. ex eo Porphy. propoſuiſſe exempla proprij ſpeciei infimæ, quia erant magis familiaria, & ad intelligendum magis accommodata. Alterum vero teſtimonium ex *cap. de genere* reſp. ibi tantum egiſſe Porphyr. de proprio ſpecifico, & non de vno proprio, vt in illo loco admonuimus. Ad 1. arg.

Ad 2. reſp. Proprietatē oriri ab eſſentia rei ſiue illa fuerit compoſita ex genere, & differentia, ſiue non fuerit, vnde in generibus ſupremis, & ente orietur ab vtriuſque natura in aliis vero intermedijs, & ſpeciebus infimis ab eadem natura nomine generis, & differentiæ ſignificata. Ad 2.

QVÆSTIO VIII.

An vnius ſpeciei ſit tantum vna proprietas.

HAnc controuerſiam agitare interpretes propter auctoritatem quādam Ariſt. quæ legitur 5 *Topic cap.* 4. *&* 5 vbi docet vnius ſpeciei tantum poſſe eſſe vnicam proprietatē. 1. Argum.

2. Confirmare idem poſſumus ex eo, quia ſi vnius ſpeciei eſſent multæ proprietates, vel eſſe ſimul oritētur ab ſpecie, vel ordinē quodam, non ſimul, quia ab vno non poſſunt ſimul multa oriri, neque ordine, quia ita fieret vt vna proprietas ex alia oriretur, quod certe non videtur eſſe aſſerendum, ergo vnius ſpeciei non erunt multæ proprietates, conſtat igitur & auctoritate Ariſtotelis & ratione propoſita partem negantem eſſe veram. 2. Argum.

At contra aſſerunt fere omnes interpretes,

qui

qui vni ſpeciei multas proprietates poſſe conuenire veriſſime profitētur legendi ſunt Villalpan. & Montaneſius in hoc loco. Vt tamen rem hanc explicemus illud ſciendum erit, ex proprietatibus quaſdam inter ſe habere naturæ conſenſum, aut ſaltim nullam ſecum habere permixtam oppoſitionem, vt in homine capacitas diſciplinæ capacitas riſus, & in igne caliditas, & leuitas, & alias eſſe, quæ inter ſe nullam habent naturæ affinitatem, ſed aliquam oppoſitionem, aut incompoſſibilitatē habent permixtam, vt ſunt facultates ad ſcientias capeſcendas, ad hinniendum, & ad rugiendum, quæ cum ex diuerſis principijs oriantur, nullam habebūt naturæ affinitatem, imo inter ſe oppoſitæ erunt, vel vt dicunt incompoſſibiles. Quo animaduerſo ſit prima conclusio.

. concluſio. Eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe multæ proprietates, quæ inter ſe nullam includant oppoſitionem, vel incompoſſibilitatem. Hæc

. Argum. confirmatur teſtimonio expreſſo Ariſt. 5. Top. c. 2. vbi expreſſe concedit igni multas proprietates ſc. tenuitatem, & leuitatem, verba illius ſunt: *Si quis ignis proprium dixerit eſſe tenuiſſimū & celerrimum, recte diceret, vtrumq; enim de ſolo*

.. Argum. *igne vere dici poteſt*; à vnius hominis ſunt multæ proprietates, vt eſſe capacem diſciplinæ, admiratiuum, flebilem, compotem riſus, & in lapidibus, & plantis reperiuntur multæ vires inſitæ à natura, quæ ſunt quædam illarū proprietates, iam igitur vnius ſpeciei poterunt eſſe multę proprietates, dummodo inter ſe nullo modo pugnent.

2. concl. 2. concl. Proprietates, quę inter ſe pugnāt, vt ſumma grauitas, & ſumma leuitas, caliditas, & frigiditas, vel quæ ſunt inter ſe incompoſſibiles, vt facultas ad hinniēdum, & ad capeſcendas diſciplinas eidem ſpeciei conuenire nullo modo poſſunt. Hæc non eſt cur à nobis debeat confirmari, cum ex ſola vocum cognitione poſſit illa eſſe notiſſima, nam quę inter ſe pugnant, aut apertam indicant incōpoſſibilitatem, vel naturæ diſſimilitudinem, qui fieri poterit, vt eidem ſpeciei, aut ſubiecto poſſint cōuenire? Certum igitur erit proprietas huius generis eidem in eſſe nullo modo poſſe.

Ad 1. arg. Ad argumenta igitur: Ad 1. reſp. Ariſt. quādo docet eidem ſpeciei non poſſe multas proprietates conuenire, intelligendum eſſe de proprietatibus inter ſe pugnantibus, vt Villalpandus, & Montaneſius dicunt. Vel loquutum eſſe de prima proprietate, ita vt velit dicere vnius ſpeciei, tantum eſſe vnam primā proprietatem ab ea fluentem, nam reliquæ ordine quodam à ſubiecto oriuntur, vt in ſuperioribus quæſtionibus dicebamus. Vel quod ego verius puto Ariſtot. nomine proprij in his locis intellexit diffinitionem eſſentialem, quæ (ſi fuerit adæquata) vnius ſpeciei, tantum poteſt eſſe vna. Etenim quia definitio competit omni, ſoli, & ſemper, & reciproca cum eum ſpecie definita, nomine proprij fuit inſignita in hoc loco ab Ariſt.

Ad 1. reſp. Ab vna ſpecie fluere multas proprietates ordine quodam, nā ab illius natura ſolum vna prima fluit, & ab illa immediate fluit ſecunda, & à ſecunda tertia, & ſic de alijs, vſque ad vltimam proprietatem, quod certe quam ſit veriſſimum in ſuperioribus quęſtionibus huius ſectionis, luculenter ſatis diſſeruimus. Ad 1.

QVÆSTIO IX.

An proprietates prius conueniant rebus vniuerſis quam ſingularibus.

Fere communis eſt omnium dialecticorū ſententia, hoc intereſſe inter proprietates, & accidentaria communia, quia accidentia communia prius conueniunt indiuiduis, quam ſpeciei, at proprietates econtra prius ſpeciei quam indiuiduis. Vt igitur communē hanc ſententiam examinemus cum non deſint multi viri grauiſſ. qui ab ea recedant libuit in hoc loco ſitne vera, vel falſa examinare. Et quidem non eſſe veram his duobus argumentis confirmo.

Primum: Poſſe recipere contraria cum ſui mutatione eſt proprietas ſubſtantiæ vt profitetur Ariſt. in categorijs *cap. de ſubſtantia*, ſed poſſe recipere contraria cum ſui mutatione prius competit ſubſtantijs ſingularibus nimirum primis, vt eſt perſpicuum cum contrarietas circa ſingularia verſetur, ergo proprietas prius conueniet ſingularibus, quam naturis vniuerſis. Ad 1. arg.

2. Cuius eſt potentia eiuſdem eſt actus, vt docet Ariſt. in *lib. de ſomno & vigilia*, ſed actus proprietatis prius competit ſingularibus, quam naturis ſpecificis, vt ridere prius competit Petro, quam homini, ergo & proprietas ipſa prius conueniet ſingularibus, quam naturis vniuerſis. 2. Arg.

His duobus arg. & alijs leuioribus labefactari videtur communis dialecticorum opinio, & quibus fortaſſis commotus Ammon. grauiſſ. Peripateticus *in cap. de commu. 5. ſecum* opinatus fuit proprietates prius ſingularibus, quam naturis vniuerſis conuenire. In explicationem

tionem tamen adnotādum erit proprietates quaſdam eſſe ſpecificas, & alias indiuiduantes. De ſpecificis nullus dubitat, de indiuiduantibus vero, iam *in q. 6. huius ſect concl.* 2. diximus reperiri huius generis proprietates, vt ſunt attor in coruo, & candor in cygno, quæ certe proprietates ſunt indiuiduorum harum naturarum cum habeant in indiuiduis cauſas intimas neceſſariæ connexionis cum eis.

1. *concluſ.* Sit igitur 1 conclus. Prop. etates indiuiduantes prius conueniunt ſingularibus, quam naturis vniuerſis, imo qu a conueniunt prius ſingularibus, conueniunt deinde naturis vniuerſis. Confir natur, quia hæ proprietates ſequuntur modum accidentium communium, conſequuntur enim materiam, quemadmodum accidentia communia, quamuis in eo differant, quod accidentia communia (vt eſt communis & vera opinio) non habent ab extrinſeco perpetuam connexionem cum ſingularibus, at proprietates indiuiduantes habent illam: ſed accidētia communia prius conueniunt ſingularibus quam naturis vniuerſis, ergo & hæ proprietates indiuiduantes prius cōueniunt ſingularibus, quam naturis vniuerſis. Secundo: Hæ proprietates fluunt à natura indiuiduante vt à proprio tēperamento, vel à propria differentia huius indiuidui formatrice, ſed eſſentia indiuidualis primo competit ſingularibus, ergo & hę proprietates indiuiduantes primo cōueniunt ſingularibus. Vnde eſſe atrum primo conueniet huic coruo, quam coruo, & eſſe candidū prius conueniet huic cygno, quam cygno.

2. *concl.* 2. concl. Actio proprietatum ſpecificatū, & earum quæ conueniunt naturis vniuerſis, prius competit ſingu'aribus, quam ipſiſmet naturis, vel vt aliorum verbis loquamur, vſus & exercitium proprietatum vniuerſarū prius reperitur in ſingularibus, quam in naturis vniuerſis, vt v. g. actio ridendi, vel vſus facultatis ridendi prius in Socrate, quam in homine reperitur, imo, quia Socrates ridet ob hanc cauſam homo ridet. Hæc eſt notiſſima, & cō firmatur, quia vſus vel actio harum proprietatum, eſt accidens communa, at accidentia communia prius conueniunt ſingularibus, quam naturis vniuerſis.

3. *concluſ.* 3. concl. Proprietates ſpecierum, vel generum, vt proprietates ſunt vel ſecundum ſuā eſſentiam & ea ratione qua denotant aptitudinem, vel potētiam ad aliquem actum prius conueniunt naturis vniuerſis, quam ſingularibus & indiuiduis. Hanc communi conſenſu confirmamus inprimis auctoritatibus à Porphyr. & D. Thom. Porphy. enim *in cap. de communitatib. ſ. vocum in genere* inquit, eo differre communia accidentia à propriis, quia communia prius conueniunt ſingularibus, quam naturis vniuerſis, vt ſedere p u competit Petro quā homini, proprietates vero prius conueniunt naturis vniuerſis quam ſingularibus, vt eſſe capacem diſciplinæ prius competeret homini, quam Dominico. Et D. Thom *op. de ente & eſſent.* conſtituit ex accidentibus quædam conſequi materiam, & al a formam, & illa quæ conſequuntur materiam eſſe communia, quæ vero conſequuntur formam eſſe propria, & inquit hoc intereſſe inter illa, quia quæ conſequuntur materiam prius conueniunt ſingularibus quam vniuerſis, quæ vero conſequuntur formam prius conueniunt vniuerſis quam ſingularibus. Lege Caietan. in *cap. ſeqq.* vbi erudite explicat diſcrimen inter proprium & accidens commune intercedens. Confirmatur ſecundo proprietates ſpecificæ conſequuntur naturam ſpecificam, ſed natura ſpecifica prius competit ſpeciei, quam indiuiduis, ergo & proprietates huius generis prius conueniunt ſpeciei, quam indiuiduis. Præterea: Illi primo & per ſe conueniunt proprietates, quo poſito illæ ponuntur & quo amoto illæ quoque amouentur, ſed poſita ſpecie ponuntur hæ proprietates, & illa amota amouentur etiam ipſæ, amotis tamen indiuiduis nō amouentur proprietates, nam quamuis Petrus, vel Ioannes intereant, nō propterea interit capacitas diſciplinæ, ergo primi cōuenient illæ ſpeciebus, quam indiuiduis. Addo has proprietates tantum conuenire indiuiduis, quia continentur ſub ſpeciebus, vt capacitas diſciplinæ tantum compe.it Petro, quia ille continetur ſub homine, primo igitur conuenient ſpeciebus, quam indiuiduis.

Iam ad argu. Ad 1. reſp hanc proprietatem ſubſtantiæ, quæ eſt recipere contraria nō eſſe proprietatem quarto modo, ſed primo quia competit ſoli ſubſtantiæ non tamen omni, nam ſecundis ſubſtantiis hæc proprietas non poteſt conuenire, etenim illæ ſunt liberæ ab omni ortu & interitu, & ab omni mutatione, & contrarietate. Ita ſentit idem Ammonius in commentariis in categoriam ſubſtantię. Fortaſſis tamen, quia hæc ſententia non eſt vera vt in illa categoria diſputabimus, alio modo reſpondemus potentiam & aptitudinem ad recipienda contraria prius conuenire ſpeciebus & ſubſtantiis ſecundis, quam primis, actionem autem vel exercitium huius poteſtatis, prius ſubſtantiis primis, quam ſecundis 1. *Arg.*

Google

conuenire, at iam diximus actionem vel exercitium prius conuenire ſingularibus quam naturis vniuerſis.

Ad 2. Ad 2. reſp. Negando conſequentiam, quia aliud eſt actum eſſe cuius eſt potentia, & aliud cui primo competit actus primo etiam potentiam conuenire. Cui igitur competit actus illi etiam competit potentia, atque ita, quia actiones à proprietate fluentes competunt ſingularibus, & ipſæ proprietates, quæ ſunt quædam potentiæ eiſdem etiam conuenient, at non eſt verum vt cui primo competit actus, eidem etiam primo potentia conueniat, nam actus ridendi prius competit corpori, quam animæ, potentia vero è contrario prius animæ quam corpori adaptatur, quare quamuis actiones à proprietatibus dimanantes prius conueniant ſingularibus nō hinc fit, vt proprietates eiſdem primo conueniant.

luctio. Argumentantur etiam nonnulli in hunc modum. Exſtere per ſe eſt quædam proprietas ſubſtantię at hæc prius competit ſubſtantijs primis, quam ſecundis, vt aperte docet Ariſtoteles in categoria ſubſtantiæ ergo proprietates prius conueniunt ſubſtantiis primis quam ſecundis.

Solutio. Huic tamen reſpond. inprimis exiſtere per ſe non eſſe proprietatem ſubſtantiæ, ſed illius naturam. Vnde ſi fuerit diſtinguendum erit de exiſtentia ſecundum aptitudinem, vel ſecundum actum. Si de priori ſecundum aptitudinem agamus prius conueniet ſubſtantiis ſecundis, quam primis: & hæc tantum poteſt eſſe proprietas ſubſtantiæ, ſi vero eandem ſecundum actum vſurpemus, prius primis, quam ſecundis conueniet. nam poſſe exiſtere prius competit homini, quam Petro, exiſtere vero prius Petro, quam homini. At iam diximus actus proprietatum prius indiuiduis, quam naturis vniuerſis conuenire, proprietates vero è contrario. Hactenus igitur aduerſus Ammonium pugnauimus. Nihilominus, quia viri graues ſi in aliquo labi videantur ſunt potius excuſandi, quam reprehendendi, isque honor eſt ipſis tribuendus, vt eorum dicta, quæ minus accommodate videntur prolata, in recto, & vero ſenſu interpretentur, poterimus etiam Ammonium interpretari, iuxta ea quę nobis ſtatuta fuerunt, ſi dicamus illum locutum eſſe de proprietatibus non iuxta ſolam potentiam, & aptitudinem, ſed iuxta actus ab eis prodeuntes, nam quia hi actus prius conueniunt indiuiduis, quam naturis vniuerſis, propterea docuit proprietates prius conuenire ſingularibus, quam generibus, aut ſpeciebus: eſt igitur locutus de proprietatibus non ratione ſui, ſed ratione actionum ab eis prodeuntium. Hactenus igitur de proprio, & de his, quæ ad illius naturam explicandam attinere videbantur.

CAPVT V.

De Accidente.

ARGVMENTVM CAP.

TOTVM caput vnica parte abſoluit Porphyr. in qua tres proponit accidentis definitiones, tradit etiam diuiſionem quandam illius, & quandam obiectionem diſſoluit.

ACcidens vero eſt, quod adeſt & abeſt ſine rei ſubiectæ interitu. B. *Cuius genera duo ſunt, alterum, quod ſeparari poteſt: alterum, quod non poteſt. Ac dormire quidem inſeparabile eſt, quæ ſeparari poſſunt: niger ſic in coruo & Æthiope ineſt, vt ſeparari non poſſit. Poteſt enim & coruus albus & Æthiops intelligi, abſcedo colore, ſine interitu rei ſubiectæ. Diffiniunt illud etiam hoc modo.* C. *Accidens eſt, quod & ineſſe in eadem re, & non ineſſe poteſt.* D. *Item: Quod nec genus eſt, nec differentia, nec ſpecies, nec proprium ſemper quoque ſubiecta re aliqua inhæret. Expoſitis his omnibus, quæ nobis propoſita erant ad dicendum, velut quid genus eſſet, quid ſpecies, quid differentia, proprium, & accidens: iam quid commune inter ſe habeant, quid proprium, diſſeramus.*

COMMENTARIA.

AD extremum diſputa. Porphyr. de quinta & vltima voce prædicabili nimirum de accidente, in cuius natura explicanda prætermiſſis illius ſignificationibus, tanquam ex his quæ hactenus fuerunt enarrata facillimis ab illius definitionibus auſpicatur, ex quibus hæc eſt prima.

Diffin. accidentis. A *Accidens vero eſt, &c.* Accidens eſt, quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſubiecto ſine eius interitu, in qua definitione continentur duæ particulæ. Prima eſt, quod poteſt adeſſe, & abeſſe: ſecunda ſine rei interitu. Prima ita eſt intelligenda, quod poteſt conuenire, vel non conuenire, affirmari vel non affirmari de ſubiecto, vel adeſſe, & abeſſe, vt alij dicunt logice, non autem naturaliter, vel quod idem eſt inhærere, vel non inhærere à parte rei, nam hic non agimus de accidente, quod inhæret, ſed de attributo accidentario. Secunda vero particula abſque rei interitu, eſt ita intelligenda, abſq; eo quod natura ſubiecti vllo modo pereat, quãuis enim dentur quædam accidentia, quæ ſi pereant, debeant quoq; ſubiecta ipſorum perire, vt eſt nigredo corui, & albedo niuis, ſemper tamẽ remanet integra, & incorrupta natura ſubiecti. Itaq; ſenſus definitionis hic erit. Accidens eſt, quod poteſt conuenire, & non conuenire ſubiecto, non ſimul ſed ſucceſſiue, abſq; quod intereat natura ſubiecti.

Diuiſio accident. B *Cuius genera duo ſunt, &c.* Diuidit deinde Porph. accidentia inſeparabilia, & inſeparabilia. Separabilia ſunt ſine quibus ſubiectum poteſt exiſtere, vt ſedere, vel currere, ſunt accidentia hominis. Inſeparabilia vero dicũtur ſine quibus ſubiectũ nulla ratione poteſt exiſtere, vt eſt albedo niuis, & nigredo corui.

Obiectio. Obijcit tamen Porphy. dictum eſt accidens illud eſſe, quod poteſt adeſſe & abeſſe ſubiecto, ergo omnia accidentia ſunt ſeparabilia, vnde non dabitur accidens inſeparabile.

Solutio. Reſp. tamẽ huic obiectioni particulã illam abeſſe in definitione accidentis collocatam non eſſe intelligẽdam reipſa, ſed animi cogitatione: vnde quamuis nõ poſſit à niue re ipſa ſeparari albedo, poteſt tamen ſeparari animi cogitatione, poſſumus n. intelligere niuẽ ſine albedine.

2. Diffin. C *Diffiniunt illud etiam hoc modo, &c.* Secunda definitio eſt accidens, eſt quod poteſt eidẽ rei ineſſe & non ineſſe, vel quod poteſt dici, & non dici de eodem ſubiecto, quæ diffinitio eadem eſt cum ſuperiori, quamuis tantum competere videatur accidentibus ſeparabilibus, nam inſeparabilia non poſſunt non dici de ſubiecto.

3. Diffi. D *Item quod neq; genus eſt, &c.* Tertia diffinitio accidens eſt, quod neque eſt genus, neque ſpecies, nec differentia, nec proprium, ſed ſemper inhæret rei ſubiectæ, vt candor eſt accidens, quod neque eſt genus, vt animal, neq; ſpecies vt homo, neq; differentia, vt particeps rationis, neq; proprium vt riſibilitas, ſed ſemper inhæret ſubiecto, vt niui, vel homini. Quę diffinitio cum ſuperiori collecta eſt ex Ariſt. 1. *Topicor. cap.* 4. Vnde concludit Porphy. explicatum iam eſſe quid ſit genus, quid ſpecies, quid differentia, quid proprium, & quid accidens.

Scholia in caput de Accidente.

1. obſeruat. AT. Ex ijs, quæ ſæpe in capitibus ſuperioribus propoſuimus, conſtare ſatis poterit merito de hac voce prædicabili vltimo loco egiſſe Porph. eſt enim illud, accidẽs, quod maxime diſtat à rei natura & eſſentia. Nam tres voces priores de rebus dicuntur ſecundũ eſſentiam, quarta vero quamuis non dicatur, fluit tamen ab illa, at hæc quinta vox prædicabilis, neque dicitur de re ſecundum eſſentiam, neque fluit ab illa. Tum etiam neq; tecto commeat cum ſubiecto de quo dicitur, ineſtque rebus fortuito, & contingenter, quæ certe effecerunt, vt Porphy. *vlt. loco de acciden.* ſermonem inſtituerit.

2. Obſeru. A 2. Auicenna, & alij Arabes (vt B. Albert. M. *tractat. 7. in Porphyr. cap.* 1 & Caiet. docent) reprehendunt Porphy. tanquam veteris conſuetudinis omnino oblitum, nam cum in cæteris vocibus communibus à multiplici vocis ſignificatione exordiatur, in hoc loco varijs ſignificationibus accidentis prętermiſſis, ſtatim in ingreſſu capitis à diffinitione auſpicatur. Occurrunt tamen ij grauiſſimi viri, & Villalpandus huic reprehenſioni Auicennam, & alios Arabes ex ſiniſtra intelligentia Porphyrij illum reprehendiſſe, neque enim Porphyrius prætermiſit omnino explicare diuerſas huius vocis ſignificationes, nam poſt traditam primam definitionem illico ſubiungit diuiſionem quandam accidentis in ſeparabile, & inſeparabile, cæterum, quia his duobus accidentibus communis eſt ratio per primam diffinitionem ſignificata, vtrumque enim tam ſeparabile, quam inſeparabile poſſunt adeſſe, & abeſſe ſubiecto abſq; eius interitu ob hãc cauſam propoſuit prius definitionem, antequam diuiſionem traderet.

Poſſumus tamen nos varias ſignificationes huius vocis proponere vt exactius intelligamus de qua ſit in hoc loco inſtituta diſputatio,

quas

lib.17. lect. antiq. cap 11. referunt aliquando viſos fuiſſe coruos albos, & perdices etiam albas: verum quamuis hæc ſententia nitatur probabilitati, in quæſtionibus explicabimus, leuiora quædam prætermittimus in qq. proponendis explicanda.

DISPVTATIO DE ACCIDENTE vnica ſectione comprehenſa.

ARGVMENTVM.

POſtrema vox vniuerſa, & prædicabilis eſt commune accidens, de quo in hoc capite agit breuiter & ſuccincte Porphyr. atque ita eadem breuitate, quæ ad eius naturam, & diffinitiones hoc loco propoſitas ſpectant, proponemus. Reliqua omnia, quæ de illo pertractari poterant, ad præfationem categoriarum, in qua de Accidente categoria, vel (vt dicunt) prædicamentali, remittentes. Quare vnica ſectione viſum fuit totam hanc diſputationem comprehendere.

SECT. VNICÆ, DE ACCIDENTE,

QVÆSTIO I.

An accidens ſit vniuerſum, nec ne?

NOn potuimus non aliquo modo methodum hactenus obſeruatam in ſingulis vocibus explicandis immutare, nam cum in illis in 1. quæſtione examinaremus, num ea, quæ in capite tradita fuerant, vera eſſent, nec ne, in hoc loco illud obſeruare minime potuimus. Cum enim in toto capite præter tres definitiones, & vnicam diuiſionem nihil aliud tradat Porph. quæ omnia ſigillatim, & ſeorſum erunt propoſitis quæſtionib. examinanda, ob hanc cauſam ſintne vera, quæ in capite proponuntur, ad has quæſtiones reiicere viſum fuit. Quærimus igitur 1. an accidens ſit vniuerſum, nec ne? Sunt enim nonnulla argg. quæ probare contendunt illud immerito inter voces vniuerſas fuiſſe à Porphyr. numeratum, ex quibus primum eſt:

1. *Arg.* Quidquid eſt in ſingularibus, eſt ſingulare, nam quidquid recipitur in aliquo, eſt in eo per modum recipientis, ſed accidentia communia ſunt in ſingularibus, imo primo ipſis conueniunt, ergo accidentia communia erũt ſingularia, at quod eſt ſingulare, non poteſt eſſe vniuerſum, ergo accidens commune non erit vniuerſum.

2. *Arg.* 2. Natura rei non eſt ſpecies vniuerſi, quia ſecundum eſſentiam non eſt vniuerſa, ſed tantum denominatiue, vt natura hominis, quæ eſt natura rei, tantum eſt vniuerſa denominatiue, ſpecies enim alicuius generis debet ſub illo ſecundum eſſentiam, & non tantum denominatiue contineri: ſed accidens eſt natura realis, ergo non erit illud ſpecies vniuerſi. Confirmatur aſſumptio: Subſtantia, quæ eſt diuiſa contra accidens, eſt ens rei, ergo & accidens quoque erit ens rei. Antecedens eſt perſpicuum, conſequentiam ita demonſtro: In omni optima diuiſione, ſi vnum ex membris diuidentibus fuerit ens rei, & alterũ quoque debet eſſe ens rei, ſed diuiſio illa, qua diuiditur ens in ſubſtantiam, & accidens, optima eſt, & legitima, ergo cum ſubſtantia, quæ eſt vnum ex membris diuidentibus ſit ens rei, & accidens quoque erit ens rei.

3. Vniuerſum formale eſt notio ſecunda, ſed accidẽs non eſt notio ſecunda, ergo illud non erit vniuerſum formale. Confirmatur aſſumptio: Nulla notio prædicatur per ſe de notione prima, ſed accidentario, neque enim ſpecies per ſe prædicatur, ſed accidentario de homine, & genus de animali: ſed accidens per ſe prædicatur de notione prima. Etenim hæc attributio, quantitas eſt accidens, eſt, in qua accidens per ſe prædicatur de quantitate, quæ eſt notio prima, ergo accidens non erit notio ſecunda. 3. *Arg.*

Præterea: Nulla ſpecies vniuerſi formalis denominat naturam ſingularem, vt eſſe ſpeciem non denominat Petrum, neque eſſe genus illum equum, ſed accidens denominat naturam ſingularẽ, vt hanc albedinẽ, & illam lineam, ſunt enim hæ attributiones veræ, hæc 4. *Arg.*

albedo eſt accidens, & illa linea eſt accidens: ergo accidens non erit vox vniuerſa.

5 Arg. Iam: Vox vniuerſa ſynonyme dicitur de ſuis inferioribus, vt docuimus ex communi conſenſu *ſupra ſection. 5. de rebus vniuerſis, quaſt.* 1. ſed accidens non prædicatur ſynonyme de his de quibus dicitur, vt de homine, v. gr. vel leone, nam prædicatur denominatiue, ergo accidens non erit vniuerſum.

Vltim. Vltimo: Nulla vox analoga poteſt eſſe vniuerſa, ex eo ſiquidem diximus in eodem loco, ens non eſſe vniuerſum, quia eſt analogum: ſed accidens eſt vox analoga, ergo non erit vniuerſum. Confirmatur aſſumptio. Accidens, quod conſtituit hanc quintam vocem, ambit ſub ſe nouem categorias accidentium, ſed his categoriis nihil poteſt eſſe commune ſynonymum, nam generibus ſupremis (cuiuſmodi ſunt categoriæ) nihil poteſt eſſe commune hac ratione: ergo accidens quod hanc quintam vocem conſtituit, erit quidpiam analogum.

His argumentis ſuaderi poteſt, accidens non recte a Porph. inter voces vniuerſas fuiſſe recenſitum, & ita non defuerunt, qui propter hæc & alia huius generis argumenta conati fuerint reprehendere Porphyr. fere in iis omnibus, quæ ille de accidente in hoc capite docuerat. Ex horum numero fuerunt Auicenna *in ſua Logica, cap. de accidente*, & alii Arabes, vt teſtatur B. Albert. Mag *tract. 7. in Porphyr. cap. 1.* Non tamen illa nos deterrere debent, quominus veriſſimam ſententiam Porphyrii amplectamur, quam vt facilius intelligere poſſimus, erunt breuiter nonnulla prius præfanda.

1. Obſeru. Primum eſt, accidens duobus modis ſumi poſſe, primo, vt eſt natura quædam rei, vel vt ſignificat primam notionem, vt quantitatem vel qualitatem, qua ratione diuiditur contra ſubſtantiam, ambitque non tantum communia, verum etiam & propria accidentia, & ſecundo, vt eſt notio quædam ſecunda, vel attributum quoddam accidentarium, quod eſt adhuc in duo membra diſtributum, in illud ſcilicet attributum, quod dicitur conuertibiliter de ſubiecto, de quo prædicatur, & neceſſario, & fluit à natura ſubiecti, & in illud quod non prædicatur de ſubiecto conuertibiliter, neque neceſſario, ſed contingenter, & non fluit à natura ſubiecti. Primo modo accidens tantum comprehendit quartam vocem prædicabilem, quæ fluit à principiis ſubiecti, de quo conuertibiliter, & neceſſario prædicatur: altero vero modo conſtituit hanc quintam vocem prædicabilem, quæ non fluit ab eſſentia ſubiecti, neque conuertibiliter, aut neceſſario, ſed contingenter, & inconuertibiliter de illo prædicatur.

Alterum, quod præfamur, eſt, ob penuriam vocabulorum nomen accidentis vtrique accidenti, tam accidenti rei, quam rationis, vel vt dicunt, tam accidenti primæ, quam ſecundæ intentionaliter eſſe commune, in non nullis enim aliis vocibus, v. g. in genere & ſpecie notiones primæ & ſecundæ, vel naturæ denominatæ, & formæ denominantes, diuerſis nominibus inſigniuntur, etenim in genere alio nomine denominatur notio prima & alio notio ſecunda, nam animal, quod eſt notio prima, nomine animalis exprimitur, genus vero quod eſt notio ſecunda, nomine generis explicatur. At in accidente tam notio prima, quam ſecunda hoc nomine declarantur, vt quantitas, quæ eſt notio prima, dicitur accidens, & attributum accidentarium, quod eſt notio ſecunda, eodē accidentis nomine nuncupatur, quare oportet in hac re caute progredi, ne nominis vnitate perturbemur, accidens, quod eſt natura rei, aut prima notio, pro ſecunda notione, vel ſecundam pro accidente, quod eſt natura rei, vſurpantes, hæc res fuit egregie animaduerſa a D. Thom. *in opuſcul. de natur. accid. (quod eſt 41) c. 1.* *2. Obſer.*

His animaduerſis ſit prima, & ab omnibus Dialecticis amplectenda concluſio. Accidens eſt vox vniuerſa meritoque inter ſpecies vniuerſi recenſenda. Hæc confirmatur inprimis teſtimonio Porphyrii & Ariſt. qui inter voces vniuerſas numerant accidens. De Porphyrio conſtat tum ex præfatiuncula, tum etiam ex hoc cap. De Ariſt. vero confirmatur ex 1. *Top. c. 4. & aliis capp.* in quibus inter problemata dialectica, quæ ſunt attributa quædam communia, & generalia numerat accidens. Confirmatur ſecundo ex communi conſenſu dialecticorum, nam omnes, præter Arabes, hoc incunctanter affirmant. Confirmatur tertio. Vniuerſum eſt vnum in multis, vel eſt vnum commune multis, ſed accidens eſt huiuſmodi, ergo erit vniuerſum. Confirmatur aſſumptio, quia albedo, v. gr. eſt vna in multis, & eſt communis multis, vt homini, cygno, & papyro, & idem iudicium eſt de aliis accidentibus communibus. Tandem ſuadetur ex definitione vocis communis, & vniuerſæ. Vox vniuerſa definitur vox omnino ſimplex, quæ de multis ſynonyme nata eſt dici: ſed accidens commune eſt huiuſmodi, nam inprimis eſt vox omnino ſimplex, tantum enim vnico *1. concluſ.* *1. Arg.* *2. Arg.* *3. Arg.* *4. Arg.*

nomine

Digitized by Google

nomine habente vnam ſignificationem, declaratur. Et deinde natum eſt dici de multis ſynonyme, nam candor ſynonyme dicitur de cygno, & papyro, etenim & nomen candidi competit vtrique, & ratio hoc nomine ſignificata (quæ eſt diſgregare viſum) eſt etiam vtrique communis, ergo erit accidens natura vniuerſa. Legendus eſt D. Thom. *in loco ſuperiori.* B. Alber M. g. *vbi ſupr.* Scotus *q. 34 in Porph.* & Niger *q. 53. clypei.*

2. concluſ. Secunda concluſio: Accidens, quod conſtituit hanc vocem prædicabilem, non ſumitur pro natura aliqua rei, ſed pro notione ſecunda accidentis, nimirum pro attributo accidentario, quod neq; eſt de eſſentia rei, neque fluit ab illa, neque prædicatur conuertibiliter, & neceſſario de ſubiecto, ſed contingenter. Confirmatur primo: Quia in ſingulis vocibus vniuerſis illud, de quo inſtituitur diſputatio non eſt natura rei, ſed notio ſecunda, vt in c. de genere, vel ſpecie, illud, de quo diſputatur, non eſt animal (v. g.) vel homo, ſed notio ſecunda generis, vel ſpeciei, ergo & in hac quinta voce illud de quo habetur termo, non erit aliqua natura accidentis rei, ſed notio ſecunda. Iam ſi illud accidens cõſtituit hanc vocem prædicabilem, quod ambit omnia attributa accidentaria, ſed accidens vt eſt natura aliqua rei, nõ ambit omnia attributa accidẽtaria, ergo illud non cõſtituet hanc vocẽ prædicabilem: quare conſtituet ipſam accidens, vt eſt notio ſecunda. Confirmatur aſſumptio: Hæ attributiones, cathedra eſt lignea, animal eſt genus, ſunt attributi accidentarii, ſed accidens reale non ambit attributa illarum, nam attributum primæ, quod eſt lignum, non eſt accidens reale, ſed ſubſtãtia & attributum ſecundæ, quod eſt genus, non eſt accidens reale, ſed rationis, ergo accidens reale non ambit omnes attributiones accidentarias: at accidens, vt eſt ſecũda notio, ambit attributa harum attributionum; etenim vtrumque ex attributis propoſitis neque eſt de eſſentia ſubiecti, neque fluit ab illa, prædicaturque inconuertibiliter, & contingenter de ſubiecto, quare accidens ita ſumptum cõſtituet hanc quintam vocem prædicabilem.

1. Arg.

2. Arg.

Ad 1. arg. Satisfaciamus iam argum. quæ in principio propoſuimus. Ad primum reſpond. accidentia communia, ſi ſumantur pro naturis rei vel pro primis notionibus, eſſe in ſingularibus & indiuiduis, vt albedo eſt in Dominico, & ſapientia in Thoma, ſi vero vſurpentur pro notione ſecunda (quæ ſola ratione eſt vniuerſum ſecundum eſſentiam) falſum eſt accidens inhærere ſingularibus, nam tantum habet eſſe obiectiue in intellectu, quemadmodum omnes aliæ notiones vniuerſæ, vt eſt notio generis, vel ſpeciei. Quando igitur ita dicimus, natura vniuerſa non poteſt eſſe in ſingularibus, ſed accidens eſt in ſingularibus, ergo non poterit eſſe natura vniuerſa, diſtinguenda eſt propoſitio, quia vel loquimur de natura vniuerſa materialiter, & denominatiue vel de natura vniuerſa formaliter. Si primo modo agamus, neganda eſt propoſitio: nam natura hominis eſt vniuerſa materialiter, quæ tamẽ eſt in indiuiduis, vt in Petro & Antonio. Si tamen de natura formaliter vniuerſa diſputemus, admittenda eſt propoſitio, neganda tamen eſt aſſumptio, quia accidens, quod eſt in ſingularibus, non eſt vniuerſum formaliter, ſed materialiter & denominatiue, nam quod eſt vniuerſum formaliter, illis non inhæret, cũ tantum habet eſſe obiectiue in intellectu, accidens autem, quod conſtituit hanc vocem prædicabilem, eſt vniuerſum formale.

Ad 2. reſpond. negando aſſumptionem, ad confirm. dicemus, accidens, quod conſtituit hanc quintam vocem prædicabilem, non eſſe illud, quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam, hoc enim vt optime confirmat argumentum, eſt natura rei, ſed eſſe illud, quod eſt diuiſum contra attributum eſſentiale, nimirum contra illud, quod neque eſt de eſſentia rei, neque fluit ab ea, qua ratione accidens ſumptum non eſt natura rei, ſed rationis. *Ad 2.*

Ad 3. neganda eſt aſſumptio: ad cuius confirm. negamus aſſumpt. Quia ſi in illa attributione, quantitas eſt accidens, nomen accidentis ſumptum fuerit pro notione ſecunda, vel pro vniuerſo formali, non erit attributio per ſe, ſed per accidens, eo modo, quo hæc altera, quantitas eſt genus. Si vero nomine accidentis ſumamus accidẽs rei, quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam, admittendum eſt, attributionem eſſe per ſe, imo & eſſe eſſentialem, quia accidens rei ſecundum eſſentiam dicitur de quãtitate, & de aliis categoriis accidentium. At attributum illius non continetur ſub aliqua voce prædicabili, quia eſt analogum, eſt enim accidens rei analogum ad nouem categorias, vt 1. *lib. Tranſc. c. 22.* oſtendimus, & vberius multo demonſtrabimus in noſtra præfatione ad categorias accidentium. *Ad 3.*

Ad 4. reſpondet. Accidens, quod denominat naturam ſingularem (vt hæc albedo) non eſſe illud, quod conſtituit hanc vocem prædicabilem: nam hæc albedo non eſt vniuerſa, neque eſſentialiter, neque denominatiue, ſed *Ad 4.*

eſſe

Digitized by Google

eſſe accidens rei, vel illud, quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam, reddit enim hunc ſenſum attributio, hæc albedo eſt accidens i. hæc albedo non eſt ſubſtantia, ſed eſt natura, quæ alteri, nimirum ſubiecto inhæret: cæterum quia, vt diximus, nomen accidentis vtrumque accidens ſignificat (diuerſa tamen ratione) & rei, & rationis, ob hanc cauſam putamus in hac & aliis huius generis attributionibus accidens ſumi pro quinta voce prædicabili.

Obiect. Verum dices; hæc attributio: Hæc albedo eſt accidens, eſt alicuius vocis prædicabilis, at non eſt generis, neque ſpeciei, neque proprii, ergo erit accidentis communis. Reſpond.

Solut. Negando propoſitionem: etenim hæc eſt ſimilis, Petrus eſt ſpecies, in qua homo vniuerſa prædicatur de indiuiduo ſpeciei, quam denominat, vnde quemadmodum hæc ſecunda non eſt alicuius vocis prædicabilis, quia eſt in materia impoſſibili, & repugnante ſubiecto, pari ratione altera prior non erit alicuius vocis prædicabilis, nam eſt in materia impoſſibili, & repugnante ſubiecto. Occaſio autem, quæ nonnullis fuit errandi, eſt identitas nominis accidentis, quod dicitur de accidente rei, & rationis, aut eius, quod conſtituit hanc vocem prædicabilem, etenim quia illud eſt vtrique commune, eſtque propoſita propoſitio vera de accidente rei, de eo ſcilicet, quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam (vt diximus) arbitramur etiam eſſe veram de accidente rationis, vel de eo, quod conſtituit hanc quintam vocem prædicabilem, quod tantum dicitur de ſubiectis vniuerſis, vt de albedine aut nigredine in communi, & non de ſingularibus.

Ad 5. Ad 5. reſpond. duplicem eſſe ſynonymiam, vnam maxime propriam, quando nimirum attributum & nomine & ratione ex equo participata, & ſecundum eſſentiam dicitur de ſubiecto, qua ratione animal dicitur ſynonyme de homine & leone, quia & nomen eſt vtrique commune, & ratio (quæ ex equo homini competit, & leoni, & ſecundum eſſentiam). eſt etiam vtrique communis. Et alteram eſſe proprie dictam, quando ſcilicet attributum dicitur de ſubiecto nomine & ratione ex equo participata, non tamen ſecundum eſſentiam, qua ratione albedo dicitur ſynonyme de cygno, nam nomen albi illi competit, dicimus enim illum eſſe album, & ratio de eo prędicatur, nam vere ille diſgregat viſum, participaturq; ex æquo ab hominibus, qui non prius de vno dicitur, quam de altero, vt de niue, quam de cygno, verum hæc ratio non prædicatur ſecundum eſſentiam de illo, non enim eſt de natura, & eſſentia cygni diſgregare viſum. Et hac ſecunda ratione dicitur hęc quinta vox vniuerſa ſynonyme de ſuis ſubiectis: neque enim eſt de ratione vocis vniuerſæ dici ſynonyme primo modo, ſed primo, aut ſecundo, nam abſtrahit hæc ſynonymia à ſynonymia primę & ſecundę rationis, diciturq; ſynonyme primo modo in genere, ſpecie, & differentia, & ſecundo in proprio & communi accidente.

Ad 6. Ad vltim. reſpond. negandam eſſe aſſumpt.
Ad vlt. Ad confir. vero dicimus, illud accidens, quod complectitur categorias accidentaria ratione, & denominando eas accidentia quædam vniuerſa, non eſſe analogum ſed ſynonymum eo modo, quo expoſuimus in ſuperiori ſolutione, & hac ratione hæc quinta vox complectitur nouem categorias accidentium denominando ſcilicet illas attributa vniuerſa. Illud tamen, quod complectitur categorias ſecundum eſſentiam, erit natura analoga, verum hoc nō eſt accidens, quod ſignificat hanc vocem vniuerſam, ſed quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam, quod dicitur analogice de omnibus accidentibus, vt in alio loco oſtendemus.

QVÆSTIO II.

In habitudine ad quæ ſubiecta ſit Accidens natura vniuerſa?

Eſſe igitur accidens naturam vniuerſam, merito que à Porphyr. inter voces vniuerſas numeratum, conſtat ex quæſt. ſuperiori, verum quia omne vniuerſum ex eo eſt vniuerſum, quia eſt in multis, & dicitur de multis, accidenſque dicatur de multis, ita tamen, vt de quibuſdam dicatur ſecundum eſſentiam, vt albedo dicitur de hac & illa albedine, & de aliis accidentaria ratione, vt eadem albedo ſumpta in concreto, accidentario dicitur de homine & cygno, quærendum ſupereſt, ſitne vox vniuerſa reſpectu inferiorum ſecundum eſſentiam, an reſpectu inferiorum ſecundum accidens, vt an eadem albedo ſit accidens commune, quia dicitur de homine & cygno, vel quia dicitur de hac & illa albedine. Et quidem non dici accidens vniuerſum per habitudinem ad inferiora accidentaria, his argum. confirm.

Ad 1. arg. 1. Omne vniuerſum eſt per ſe vnum in multis, vt conſtat ex eius definitione, ſed accidens in habitudine ad inferiora accidentaria non eſt vnum in multis aliqua vnitate per ſe, ergo accidens ita ſumptum non erit vni-

uerſum.

uerſum. Confirmatur aſſumptio: Omne, quod eſt vnum per ſe, aut eſt vnum analogia, aut genere, ſpecie, aut numero, ex Ariſtotele 5. *Metaphyſ. cap.* 6. ſed accidens in habitudine ad inferiora accidentaria, vt ad hominem, v.g. nō eſt vnum ſecundum analogiam, vt eſt perſpicuum, neque eſt vnum vnitate generis, aut ſpeciei, nam eſſet genus vel ſpecies, neque eſt vnum vnitate numerica, quia eſt commune multis, ergo accidens in habitudine ad inferiora accidentaria non erit vnum per ſe aliqua vnitate.

2. *Arg.* 2. Omne vniuerſum eſt prius ſubiecto, de quo prædicatur, quia natura exorditur generationem ab vniuerſalioribus: & tendit ad minus vniuerſa: ſed accidens eſt poſterius inferioribus accidentariis, quæ ſunt ſubſtantię, eſt enim illud poſterius ſubſtantia, tempore, natura, cognitione, & definitione, vt docet Ariſt. 7. *Metaph. c.* 1. ergo in habitudine ad hæc inferiora non erit vniuerſum.

3. *Arg.* 3. Natura in habitudine ad illa dicitur vniuerſa, à quibus abſtrahitur per intellectum: ſed accidens non abſtrahitur ab inferioribus accidentariis, ſed ab inferioribus eſſentialibus, vt albedo non abſtrahitur ab homine, vel ab equo, ſed ab hac & illa albedine, ergo accidens non erit vniuerſum in habitudine ad inferiora accidentaria, ſed ad inferiora eſſentialia.

4. *Arg.* Vltimo: Omne vniuerſum in habitudine ad illa eſt vniuerſum, in habitudine ad quæ eſt vox ſynonyma, ſed accidens in habitudine ad inferiora accidentaria (vt ſapientia in habitudine ad hominem, & angelum) non eſt natura ſynonyma, cum de his dicatur denominatiue, ergo in habitudine ad illa non erit natura vniuerſa.

His tamen nihil impedientibus, aſſerendum erit, accidens eſſe vniuerſum in habitudine ad ſubiecta accidentaria, vel denominata, & non in habitudine ad inferiora eſſentialia, vt candorem eſſe vniuerſum huius quintæ vocis prædicabilis, in habitudine ad homines, vel cygnos candidos, & non in habitu-
Obſer. dine ad hunc & illum candorem. Quod vt explicemus, ſciendum eſt ex D. Thom. *opuſc.* 41. *de natur. accident. cap.* 2. ita eſſe proprium ſubſtantiæ, vt in ea genera & ſpecies reperiantur, vt nihil niſi quod fuerit ſubſtantia, vel habeat modum illius, dici poſſit genus, vel ſpecies, & ratio eſt, quia hæ duæ voces vniuerſæ ſignificant quidditatem eorum, de quibus dicuntur, at habere quidditatem proprie tantum competit ſubſtantiis, impropria vero, & imperfecta ratione competit illis, quæ per modum ſubſtantiæ ſignificantur, vt colligitur ex Ariſt. 7. *Metaphyſ. cap.* 4. quare eſſe genera, vel ſpecies, tantum conuenit vel ſubſtantiis, vel iis, quæ per modum ſubſtantiæ deſignantur. Ex quo fit, vt hæ duæ rationes tantum poſſint cōuenire accidenti in abſtracto ſignificato, & nullo modo eidem in concreto ſumpto, quia accidentia in abſtracto ſumpta ſignificantur per modum ſubſtantiæ, nam ſignificant per modum perſe exiſtentis, vt albedo ſignificatur per modum per ſe exiſtentis, & nulli ſubiecto applicata: at accidentia eadem in concreto ſumpta non ſignificantur per modum ſubſtantiæ, vel per ſe exiſtentis, ſed vt vnita, & applicata ſubiectis, vt album ſumitur vt vnitum homini, vel leoni, vnde accidentia in concreto ſumpta nullo modo erunt genera, vel ſpecies. Quare cum ita ſumpta ſint vniuerſa, & non ſint genera, vel ſpecies, erunt vel accidentia propria, vel communia: propria, ſi fluxerint à natura ſubiecti, de quo dicuntur: communia vero ſi non fluxerint à tali natura. Colligendum eſt etiam accidentia reſpectu ſuorum inferiorum eſſentialium non eſſe accidentia, ſed genera, vel ſpecies, quia reſpectu illorum non prædicantur in concreto, ſed in abſtracto, vt albedo reſpectu huius, vel illius albedinis, non prædicatur in concreto, ſed in abſtracto, non enim dicimus hanc albedinem eſſe albam, ſed eſſe albedinem.

Hoc igitur tanquam firmo fundamento conſtituto, ſit prima concluſio: In accidente, *1. concluſ.*
quod conſtituit hanc quintam vocem prædicabilem, ratio generis ex ratione eſſendi in multis, vel prædicandi de multis abſtrahendo ab eſſe in multis ſecundum eſſentiam, vel ſecundum accidens, ratio vero differentiæ ex eo, quod eſſe in multis, vel dici de multis accidentario, contingenter, & inconuertibiliter, erunt haurienda. Hanc in hunc modum
confirmamus: In primis primam partem *Confirm. 1. p.*
Ratio generis in accidente peti debet ex ratione vniuerſi, quia vniuerſum eſt verum genus illius, ſed ratio vniuerſi eſt eſſe vnum in multis, vel dici de multis abſtrahendo ab eo, quod eſt eſſe vnum in multis, aut dici de multis ſecundum eſſentiam, aut ſecundum accidens: ergo ratio generis in accidente haurienda erit ex eo, quod eſt eſſe vnum in multis, aut dici de multis abſtrahendo ab eſſe, vel dici ſecundum eſſentiam, vel ſecundum accidens. Secundam vero partem eſſe veram in hunc mo-
dum oſtendimus: Illa eſt ratio differentiæ in *Confirm. 2. p.*

vnaquaque re, quæ ſeparat ipſam ab his, quæ ſub eodem genere continentur, ſed per particulas in hac ſecunda parte comprehenſas, ſeparatur accidens commune à genere, ſpecie, differentia, & proprio, ergo ab illa erit ratio differentiæ haurienda. Confirmatur aſſumptio: Nam per primam illam particulam accidentario ſeparantur à genere, ſpecie, & differentia, quæ prædicantur ſecundum eſſentiam, per alias vero voces & particulas contingenter & inconuertibiliter ſeparatur a proprio, quod neceſſario & conuertibiliter de redicitur, at n ergo ab vltima parte propoſita erit ratio differentiæ haurienda.

conclus. 2. concluſ. Accidens tantum habet rationem vniuerſi (vt conſtituit hanc quintam vocem prædicabilem) in habitudine ad inferiora accidentaria vel ſubiecta denominata, & non in habitudine ad inferiora eſſentialia, vt album tantum erit vox vniuerſa huius quinti prædicabilis in habitudine ad hominem, & cygnum, & non in habitudine ad hanc & illam albedinem. Confirmatur: In habitudine ad illa inferiora, accidens eſt vox vniuerſa, in habitudine, ad quæ prædicatur accidentario, contingenter, & inconuertibiliter: ſed in habitudine ad ſubiecta accidentaria prædicatur hac ratione, ergo tantum in habitudine ad illa erit vox vniuerſa.

1. Arg. [This margin note stands beside the line beginning "lam albedinem. Confirmatur".]

2. Arg. Secundo: Accidens, vt conſtituit hanc quintam vocem vniuerſam, eſt illud, quod ſumitur in concreto, vt conſtat ex annotatis, ſed tantum in habitudine ad ſubiecta accidentaria ſumitur in concreto: nam in habitudine ad alia eſſentialia vſurpatur in abſtracto, quemadmodum albedo tantum ſumitur in concreto, reſpectu hominis, vel cygni, & non in habitudine ad hanc & illam albedinem, ergo tantum conſtituet hanc quintam vocem vniuerſam in habitudine ad ſubiecta accidentaria.

conclus. 3. concluſ. Accidens in habitudine ad ſua inferiora eſſentialia tantum habet rationem generis, aut ſpeciei, vt in eodem exemplo ſæpe repetito, albedo in habitudine ad hanc, & illam albedinem eſt ſpecies & color in habitudine ad candorem, & atrorem & varios colores intermedios, eſt genus.

1. Arg. Confirmatur primo: Quia in habitudine ad hæc inferiora accidens eſt vnum in multis ſecundum eſſentiam, & in quid, at illud vniuerſum, quod eſt vnum in multis ſecundum eſſentiam, & in quid, vel eſt genus, vel ſpecies.

2. Arg. Secundo quia accidens in habitudine ad hæc inferiora ſumitur in abſtracto, at quando illud ſumitur in abſtracto tantum poteſt eſſe genus vel ſpecies, quare in habitudine ad illud erit tantum genus vel ſpecies.

Ad 1. arg. Ad argumenta igitur quæ in principio propoſuimus: Ad primum reſpondemus, vnitates propoſitas, quæ ſunt collectæ ex Ariſt. 5. l. *Met. c. 6.* eſſe vnitates eſſentiales, & per ſe. Quidquid enim eſt vnum per ſe, & eſſentialiter, aut eſt vnum genere, aut ſpecie, aut numero, aut analogia, accidens autem non habet vnitatem eſſentialem, & per ſe, ſed accidentariam, & ita neque erit vnum genere, neque ſpecie, ſed erit vnum vnitate accidentaria, quæ etiam eſt vnitas vniuerſi. Nam in vniuerſo (quod eſt vnum) quædam continentur, quæ ſunt vnum ſecundum eſſentiam, & alia, quæ ſunt vnum ſecundum accidens, nam genus, & ſpecies, & differentia ſunt vnum vnitate eſſentiali, proprium vero, & commune accidens ſunt vnum vnitate accidentaria.

Ad 2. Ad ſecundum reſpond. propoſitionem eſſe veram de attributo vniuerſo, quod prædicatur ſecundum eſſentiam, vt eſt attributum generis, vel ſpeciei, falſam autem eſſe de attributis vniuerſis ſecundum accidens, nam hæc ſunt poſteriora ſubiecto, & ita accidens commune cum ſit attributum vniuerſum accidentarium erit poſterius ſubiecto, & ſubſtantia.

Ad 3. Ad tertium reſpond. in accidentibus duplicem eſſe abſtractionẽ à ſuis indiuiduis, vnam ab indiuiduis ſecundum eſſentiam, & alteram ab indiuiduis ſecundum accidens, iuxta quas conſequuntur etiam duæ notiones, vna ſpecifica, vel generica, & altera accidentis communis. Nam illam abſtractionem, qua ſeparatur accidens à ſuis inferioribus ſecundum eſſentiam, conſequitur ratio ſpecifica, vel generica: albedo enim vt ſeparatur ab hac vel illa albedine, eſt ſpecies: illam vero abſtractionem, qua ſeparatur accidens à ſuis indiuiduis accidentariis, conſequitur notio accidentis communis, & ita negãdum erit, accidens tantum abſtrahi à ſuis inferiorib. ſecundũ eſſentiam, cum ẽt abſtrahatur ab aliis accidẽtariis.

Ad ult. Ad vlt. iam reſp. in ſuperiori quæſtione etiam eſſe accidẽs naturam ſynonymam, in habitudine ad ſubiecta accidentaria, non quidem ſynonymiã maxime propria, ſed propria, & quæ ſufficit ad rationem vniuerſi conſtituendam.

QVÆSTIO III.

Sitne recte tradita prima definitio accidentis?

ESſe vitioſam hanc primam definitionem, nonnullis arg. poſſumus confirmare: Pri-

1. *Arg.* mo: illa definitio eſt vitioſa, quæ traditur per membra oppoſita, ſed hæc prima definitio eſt huiuſmodi, nam traditur per adeſſe & abeſſe ſubiecto abſq; eius interitu. quæ duo ſunt inter ſe oppoſita, ergo erit definitio vitioſa.

2. *Arg.* 2. Sunt multa accidentia, quæ non poſſunt adeſſe ſubiecto abſque illius interitu, vt ſunt mors, combuſtio, euerſio, & alia huiuſmodi, quæ eo ipſo, quo ſubiecto adueniunt, debet neceſſario illud interire, ergo nō recte dictum fuit, accidens poſſe adeſſe, & abeſſe ſubiecto, abſque illius interitu.

3. *Arg.* 3. Dantur multæ naturæ, quæ poſſunt alicui adeſſe, & abeſſe ab eodem abſque illius interitu, quæ nullo modo ſunt accidentia, ergo non bene definitur accidens, quod poteſt alicui adeſſe, & abeſſe abſq; illius interitu. Conſequentia nota eſt, quia illa definitio eſt vitioſa, quæ competit alteri à re definita. Confirmatur antecedens. Inprimis locatum poteſt adeſſe, & abeſſe loco abſque illius interitu, quod non eſt accidens loci. Deinde anima rationis particeps poteſt adeſſe, & abeſſe materiæ primæ abſque eius interitu, quæ tamen non eſt accidens. Præterea: Albedo adeſt, & abeſt quantitati abſq; eius interitu, quæ non eſt accidens illius, nam vnum accidens non poteſt eſſe alterius accidens. Tum etiam hæc muſica poteſt adeſſe & abeſſe lyræ abſq; illius interitu, quæ nullo modo eſt accidens lyræ, nam accidens, de quo hic agimus, eſt vox vniuerſa, at hæc muſica eſt res quædam ſingularis, ergo conueniet hæc definitio alteri à re definita.

4. *Arg.* Ad hæc: Impoſſibile eſt prorſus, quod adeſt, quādo adeſt abeſſe, & quod abeſt, quando abeſt adeſſe, ergo hæc definitio nō recte fuit tradita per adeſſe & abeſſe ſubiecto, cum tradatur per illud, quod eſt abſolute impoſſibile.

5. *Arg.* Iam; Illa definitio, quæ traditur per disiunctionem, non explicat, quid res ſit, quia non explicat illud quod determinate rei conuenit, ſed hæc definitio traditur per disiunctionem, ſcilicet per adeſſe, vel abeſſe ſubiecto, ergo erit illa vitioſa.

6. *Arg.* Iterū: Adeſſe & abeſſe conueniunt accidenti à parte rei, nam color à parte rei adeſt corpori, & à parte rei aliquando quoq; ſeparatur ab eo, ergo non recte fuit accidens per adeſſe & abeſſe definitum. Confir. conſequentia, quia accidens, quod conſtituit hanc quintam vocem prædicabilem, eſt ens rationis, nam eſt ſpecies vniuerſi, at ens rationis non definitur per illud, quod conuenit rei à parte rei, cum tantum habeat eſſe beneficio intellectus.

Verum aſſerendum erit, illud recte definitum eſſe a Porphyrio, neque hæc argumenta (quamuis difficilia) nos ab illius doctrina remouere vllo modo debent. Scimus quidem, Auicennam & alios Arabes *in ſua Dialectica cap. de accidente*(vt videre licet apud B. Albert. Magn. *tractat. 7. in Porphyr. in c. pp. prioribus.*) propter hæc vel alia huius generis argumenta Porphyr. reprehendiſſe, eo quod hanc definitionem accidentis tot calumniis & difficultatibus expoſitam propoſuerit. Iniuſta tamen eſt horum virorum reprehenſio, immeritoq; illi condemnant Porphyr. cum non ex proprio cerebro, ſed ex monumentis Ariſtotel. 1. *Topicor. cap. 4.* hanc definitionem collegerit. Quare illorum iniuſta nimis cenſura prætermiſſa, ad explicandam quæſtionem hanc, ſit prima concluſio.

Accidens recte fuit definitum à Porphyr. illud, quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſubiecto, abſque eius interitu Confirmatur inprimis teſtimonio Porph. in hoc loco, & Ariſt *in loco iam notato* 1. *Topicor. cap* 4. qui in hunc modum accidens definiunt. Confirmatur etiam ex communi omnium Dialecticorum conſenſu, omnes ſiquidem (exceptis Arabibus) vno ore illam laudant, & amplectuntur. 1. *concluſ.* 1. *Arg.*

Eſt tamen circa illam non leuis controuerſia apud interpretes de definito huius definitionis, quid ſcilicet in illa definiatur, vel quid partes illius, adeſſe ſcilicet, & abeſſe exprimant, num adeſſe, & abeſſe à parte rei, ſeu per inhæſionem etiam realem, ita vt idem ſit adeſſe, quod inhærere ſubiecto, & abeſſe, quod non inhærere ſubiecto. Vel potius ſignificent etiam hæ particulæ, adeſſe ſolum per intellectum, quod idem denotat, quod attributum affirmari, aut negari de ſubiecto, abſque eo, quod illius natura intereat. Eſt enim quorundam opinio, qui putant, definitum eſſe naturam aliquam rei, & non ſecundum notionem, & idem eſſe adeſſe, vel abeſſe ſubiecto, quod inhærere, aut non inhærere. Hanc amplectitur Tolet. in hoc c. & plerique ex recentiorib. idem etiam profitentur. Contra tamen ſentiunt Caiet Louanienſes & multi alii viri grauiſſimi in commentariis huius capitis definitum huius definitionis eſſe notionem ſecundam accidentis, & partes huius definitionis, adeſſe, & abeſſe ſubiecto, intelligendas eſſe de adeſſe, & abeſſe in attributione, id eſt, de attributo accidentario, quod affirmatur, vel negatur de ſubiecto, abſque eo, quod ex affirmatione, vel negatione interitus illius conſequatur, quæ certe opinio veriſſima 1. *Opin.* 2. *Opin.* 3. *Opin.*

eſt, atque vt illam explicemus, ſit ſecunda concluſio.

Concluſ. Illud, quod in hac definitione definitur, eſt notio ſecunda accidentis, nimirum forma quædam rationis, ratione cuius natura aliqua accidentaria poteſt vere affirmari, aut negari de ſubiecto, abſque eo, quod natura ſubiecti intereat, aut vllo modo corrumpatur.

1. Arg. Confirmatur primo, definitiones, quæ in Dialectica traduntur, debent tradi de notionibus ſecundis, ergo hæc definitio intelligenda quoque erit de notione ſecunda accidentis.

2. Arg. 2. Hæc attributio, animal eſt genus, eſt attributi accidentarii, ergo attributum poterit adeſſe, vel abeſſe ſubiecto, abſque eius interitu: ſed attributum non poteſt inhærere, aut non inhærere ſubiecto, quia eſt accidens rationis, quod nulli ſubiecto inhærere iam ſupra diximus *ſection. 3. de rebus vniuerſ. quæſtione 4.* ergo definitio non erit intelligenda de inhærere, vel non inhærere, à parte rei, ſed de adeſſe, & abeſſe ſubiecto, pro affirmari, vel negari de ſubiecto, abſque illius interitu.

3. Arg. Præterea: Hæc altera attributio, cathedra eſt lignea, eſt accidentaria, & huius quintæ vocis prædicabilis, ergo attributum illius lignum ſcil. poterat adeſſe, vel abeſſe ſubiecto abſque illius interitu, nimirum cathedræ, ſed lignum, cum ſit ſubſtantia, non poteſt cathedræ realiter inhærere, aut non inhærere, ergo hæc definitio non erit intelligenda de inhærentia vel non inhærentia, ſed de eo, quod eſt attributum affirmari vel negari de ſubiecto, abſque interitu illius.

4. Arg. Ad hæc: Si hæc definitio eſſet intelligenda de adeſſe & abeſſe ſecundum rem fieret, diuiſionem accidentis propoſitam illico à Porphyr. poſt hanc definitionem, in ſeparabile, & in inſeparabile, vitioſam eſſe, quia accidentia inſeparabilia non poſſunt re ipſa à ſuis ſubiectis ſeparari, vt atror corui non poteſt re ipſa ab illo ſeparari, ergo hæc definitio non erit intelligenda de adeſſe & abeſſe ſecundum rem.

5. Arg. Iam: Accidens, quod eſt definitum, poteſt abeſſe ſubiecto abſque eius interitu, at hoc eſſet falſum, ſi eſſet intelligendum de abeſſe ſecundum rem, nam dantur multa accidentia, quæ, ſi abfuerint à ſubiecto, neceſſe eſt illico illud interire, vt ſi abfuerit atror à coruo, non poteſt coruus per naturam non interire, ergo non erit de adeſſe, & abeſſe ſecundum rem intelligenda.

Concludendum igitur erit, hanc definitionem intelligendam eſſe de adeſſe, & abeſſe pro ſecundis notionibus, vel pro eo, quod eſt vere affirmari, aut negari de aliquo ſubiecto, abſque eius interitu, id eſt, abſque eo, quod natura ſubiecti pereat, aut aliquo modo corrumpatur, quamuis ipſum ſubiectum euaneſcat, vt poſtea vberius oſtendemus.

Supereſt iam, vt argumentis, quæ in initio propoſuimus, ſatisfaciamus. *Ad 1. arg.*

Ad primum reſpondemus cum magiſtro Soto, veram eſſe propoſitionem de definitione eſſentiali, falſam autem de accidentaria, nam hæc optime poterit tradi per membra contraria. Etenim 2. *Phyſicorum capite* 1. definiuit Ariſtoteles naturam per motum, & quietem, quæ inter ſe contrariantur: quare cum hæc definitio ſit accidentaria, potuit optime per membra oppoſita tradi. Vel dicimus, illam definitionem, quæ traditur per membra oppoſita, eſſe vitioſam, quando vtrumque membrum intelligitur ſimul ſubiecto conuenire: at ſi non ſimul, ſed ſucceſſiue intelligatur illi conuenire, non erit vitioſa, & hac ratione eſt intelligenda definitio de adeſſe, & abeſſe ſucceſſiue, ita vt vno tempore adſit, & alio abſit accidens à ſubiecto.

Ad ſecundum, variæ ſolent tradi ſolutiones. *Ad 2.*

Prima eſt hæc, eſſe vera accidentia, ipſorum tamen ſubiectum non eſſe totum compoſitum, vt hominem, verbi gratia, vel leonem, nam his ſubiectis non poſſunt illa adeſſe ſine interitu, ſed eſſe materiam primam, à qua poſſunt illa abeſſe & adeſſe ſine eo quod intereat. Ita Ammonius, Louanienſes, & Toletus. *Solut.*

Quod ſi quis dicat, materia prima neque dicitur mortua, neque combuſta, ergo hæc accidentia non erunt in materia prima. *Obiect.*

Reſpondent Louanienſes, duplex eſſe ſubiectum, vnum inhæſionis, & alterum denominationis. Inhæſionis eſt materia prima, denominationis vero totum compoſitum, atque ita quamuis illa inſint materiæ, non dicentur de materia, quia illa ab his accidentibus denominari nullo modo poteſt: quemadmodum neque à calore, vel frigore dicitur calida vel frigida. *Solut.*

Verum hæc ſolutio falſa eſt, quia ſubie- *Confutat.*

ctum

iectum mot's debet eſſe illud, quod antea erat ſubiectum vitę. ſunt enim mors & vita oppoſita priuatiue, quæ debent neceſſario fieri circa idem ſubiectum, at ſubiectum vitæ nō eſt materia. neque enim illa augetur, vel minuitur, nutritur, vel generatur, quæ ſunt propriæ actiones viuentium, ſed totum compoſitum, quare neque ſubiectum inhæſionis horum accidentium, erit materia prima.

2. *Solutio.* Alij reſpondent hæc accidentia nō eſſe huius quintæ vocis prædicabilis, quia neque in materia neceſſaria, neque in materia contingenti, ſed indiſparata, vel remota prędicantur de ſubiecto, etenim omnes hæ voces vniuerſæ debent prædicari de ſuis ſubiectis, aut in materia neceſſaria, vt ſunt quatuor primæ, genus, ſpecies, differentia, & proprium, aut in contingenti, vt hæc quinta vox. Eſſe autē in materia diſparata, vel remota, homo eſt mortuus, vel domus eſt euerſa, confirmatur aperte quia attributum illarum, naturæ ſubiecti omnino cōtrariatur. Hanc ſolutionem proponunt Caietan. M Soto, Villalpandus, & alij qui nonnulla alia addunt, quæ ob breuitatem hoc loco prætermittimus, legi poterunt apud illos.

3. *Solutio.* Mihi duobus modis huic dubitationi ſatiſfaciendum eſſe videtur primo. Hæc accidentia priuatiua non eſſe vere, & proprie accidentia, ſed priuationes tantum, & amotiones quaſdam formarum, & entium, ac proinde in hac diffinitione nullo modo eſſe comprehenſa, in qua tantum diffiniuntur accidētia, quæ denotant entitatem aliquam poſitiuam, Ita Venetus, Areiſius, & alij *in comment. huius loci.*

4. *Solutio.* 2. Hanc definitionem ita eſſe intelligendam, vt non omnes particulæ de eodem accidente intelligi debeant, ſed quod vna de quibuſdam, & alia de alijs accidentibus intelligatur. Etenim particula illa, quod poteſt adeſſe intelligitur de accidentibus tam ſeparabilib. quam inſeparabilibus, altera vero quod poteſt abeſſe, tantum intelligi debet de accidentibus ſeparabilibus, nam alia inſeparabilia ſecundum rem à ſubiecto abeſſe nequeūt. Neque enim quando aliqua definitio traditur per membra contraria, debet illa, iuxta vtrūque membrum omni contento ſub diffinito conuenire, ſed vni diffinito iuxta vnam, & alteri iuxta aliam partem, quemadmodum in definitione naturæ eſſe principium motus, & quietis, non cōpetit omni contento ſub definito, iuxta vtramque partem, ſed alicui ex cōtentis ſub illo conueniet iuxta eam partem, quæ eſt principium motus, nimirum naturæ quæ in corporibus cœleſtibus reperitur, & alteri iuxta aliam partem, quę eſt eſſe principiū quietis, ſc. terræ. Eadem ratione hæc definitio non conueniet omni contento ſub diffinito, quo ad omnes partes, ſed alicui iuxta vnam, & alteri iuxta alteram. Vndę motti & combuſtioni cōueniet definitio iuxta partem illam, quæ eſt abeſſe ſubiecto abſq; eius interitu, & non iuxta alteram, quæ eſt poſſe ſine interitu ſubiecto conuenire.

Ad 3 reſp. Negando antecedens, ad confirm. vero ſigillatim de omnibus, quæ in illa proponuntur erit ſatisfaciendum. Vnde ad exemplum 1. de locato reſp. locatum non eſſe in loco tanquam in ſubiecto, ſed tanquam in menſura extrinſeca ambiente, ac proinde hęc definitio non conueniet illi; quæ indicat debere diffinitum eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto. *Ad 3.*

Ad 2. de anima rationis participe reſp. illi non conuenire propoſitam d. ffinitionē, quia ſubiectum cui adeſt, vel à quo abeſt accidens, eſt totum compoſitum ex materia, & forma, vt auctor eſt D. Th. 2 *lib. cont. gent. c. 81. in ſol. 4. ratio.* at materia prima cui adeſt. vel à quo abeſt anima, nō eſt totum compoſitum, ſed ſimplex quædam natura.

Ad 3. reſp. diffinitionem intelligēdam eſſe de ſubiecto quod, non de illo quo mediante, at quantitas non eſt ſubiectum quod albedinis, ſed quo mediante ſubſtātia eſt ſubiectum albedinis.

Ad 4. de muſica reſp. quod ſi nos agamus de accidente rei, vel de eo quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam, hęc muſica eſt verum accidens; ſi tamen agamus de accidente, de quo in hoc capite eſt ſermo inſtitutus, nimirum de illo, quod eſt vox communis, & vniuerſa, falſum eſt hanc muſicam eſſe accidens, quare cum hæc definitio fuerit tradita de accidente, quod eſt vox vniuerſa, non conueniet illa huic muſicæ, neque enim omne quod adeſt, vel abeſt, ſed vniuerſum quod adeſt, vel abeſt, id eſt, quod vere affirmatur, vel negatur de ſubiecto, eſt ſub hac diffinitione comprehenſum.

Ad 4. reſp. Hanc definitionem non eſſe intelligendam de adeſſe, & abeſſe ſimul, ſed pro diuerſis temporibus, ita vt vno tempore poſſit adeſſe, & alio ab eodem ſubiecto poſſit abeſſe. *Ad 4.*

Ad 5. reſp. Hanc definitionem non eſſe eſſentialem, ſed accidentariam, ac proinde potuit tradi per diſiunctionem, nam hoc genus

diffiniendi non eſt reprehendendum, cum Ariſt. 1. *lib. de interp. cap* 4. definiat enunciationē per diſiunctionem ad hunc modum, oratio verum, vel falſum ſignificans, & 2. *Phyſ. cap.* 1. naturam definierat principium & cauſſam motus, vel quietis.

Ad vlt. Ad vlt. reſp. Falſum eſſe adeſſe & abeſſe de quo hic agimus conuenire accidenti à parte rei: nam vt diximus in 2. concluſ. non ſumitur adeſſe, & abeſſe, pro inhærere, aut non inhærere alicui ſubiecto à parte rei, ſed pro eo quod eſt vere affirmari, vel negari de aliquo ſubiecto, at hoc modo adeſſe, vel abeſſe, non conueniunt alicui a parte rei, ſed tantum ope & beneficio intellectus. Legendus eſt de hac ſolutione Scot. *quaeſt 35 ſuper Porphyr.*

QVÆSTIO IV.

Sitne optima diuiſio accidentis in ſeparabile, & in inſeparabile.

POſt traditam primam definitionē ſtatim ſubiungit Porphyr. diuiſi. accidentis in ſeparabile, & in inſepar. circa quam quia multæ proponuntur a nonnullis difficultates, viſum eſt in hoc loco quæſt. hanc explicare. Et certe hanc eſſe vitioſam diuiſionem, poſſumus his argumentis demonſtrare.

1. Argum. 1. Hæc diuiſio aduerſatur primæ definitioni propoſitæ, ergo erit vitioſa, conſequentia perſpicua eſt, confirmatur antecedens, quia prima definitio ſignificat accidens, quod eſt definitum poſſe ſeparari a ſubiecto, nam definitur illud, quod poteſt adeſſe & abeſſe, ergo nullum erit accidens inſeparabile.

2. Arg. 2. Ariſtot in *Antecategoriis cap.* 5. definit eſſe in ſubiecto, eſſe illud quod eſt in aliquo non tanquam pars, & a quo non poteſt vlla ratione ſeparari, ſed omne accidēs eſt in ſubiecto, nam accidentia eſſe eſt ineſſe ex 7. *libr. Metaph. cap.* 1. ergo nullum accidens poterit a ſubiecto ſeparari, ac proinde non recte dictū eſt à Porph. ex accidentibus quædam eſſe inſeparabilia.

Argum. Præterea: In vltima definitione inquit Porphyr. accidens eſſe, quod neque eſt genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, ſemperque ſubiecto inhæret, in qua diffinitione haud obſcure indicat Porphyrius accidens nullo modo poſſe à ſubiecto ſeparari, nam quod ſemper debet ſubiecto inhærere, qui fieri poterit, vt a ſubiecto poſſit ſeparari? quare nullum erit accidens inſeparabile.

Argum. Adhæc: Si darentur aliqua accidentia inſeparabilia fieret inde accidentia communia non differre a proprio nam quemadmodum proprium non poteſt ſeparari a ſuo ſubiecto, ita neque hæc accidentia poterunt ab eodem ſubiecto ſeparari. Quod ſi quis dicat cum *4. Solutio.* Porph. eſſe latum diſcrimen inter hæc duo genera accidentium, quia accidentia communia poſſunt animi cogitatione a ſuis ſubiectis ſeparari, nam poſſumus intelligere coruum ſine nigredine, propria vero non poſſūt ſeparari neque animi cogitatione, nam non poſſumus intelligere hominem ſine riſibilitate: contra ita ago primo. Quia quemad- *Confutat. 1.* modum poſſumus intelligere eſſentiam corui ſine nigredine, ita etiam poſſumus intelligere eſſentiam hominis ſine riſibilitate, homo ſiquidem ſecundum eſſentiam non dependet ab illa, ergo quemadmodum accidens inſeparabile poteſt animi cogitatione a ſubiecto ſeparari, ita etiam & proprietates poterunt a ſuis ſubiectis ſeparari. 2. Quia quando in- *Confut. 2.* quit Porphy. accidentis inſeparabilia poſſe a ſubiecto animi cogitatione ſeparari vel locutus eſt de vera, vel de falſa cogitatione, ſi de falſa nō eſt cur in hoc immoremur, quia poſſumus etiam hominem ita intelligere non eſſe animal, neque tamen propterea poterit animal ab homine ſeparari; ſi tamen de vera cōtra. Illa conceptio mentis eſt vera, quæ indicat rem eſſe ſicuti eſt, ſed coruus nō eſt à parte rei ſeparatus à nigredine, ergo neque poterit intellectus vere intelligere coruum ſine nigredine.

Horum, & aliorum huius generis argum. *Opinio Arabum.* vi, & pondere Arabes conuicti Auicenna, Alpharab. Algazel, & alij, vt teſtatur B. Alber. M. *tract. 7. in Porph. cap.* 2. mire exultant aduerſus Porph. eo quod tam leuiter, ita diuiſerit accidens inſeparabile, & in inſeparabile, dicuntq; Porph. manifeſte ſibi contrariari. Nam definit in 1. diffinit. accidens per poſſe adeſſe, vel abeſſe, vel per poſſe ſeparari, aut non ſeparari; & deinde diuidit illud inſeparabile, & in inſeparabile, etenim ſi omne accidens poteſt abeſſe ſubiecto, vt conſtat ex definitione, ergo nullum erit accidens inſeparabile, vt *in 1. arg.* oſtendebamus. Eiuſdem ſententiæ eſſe videtur Thalæus *in ſchol. huius cap.* in quibus *nu.* 2. profitetur hanc diuiſionem non eſſe conſentaneam definitioni propoſitæ, neque diuidi illud, quod erat definitum. Verum ſi hi auctores hanc definitionem propoſitam, vt æquum erat perpendiſſent, nō obſcure intellexiſſent eſſe diuiſionem accommodatam, nihilq; aduerſus definitionem in illa contineri.

Etenim

Etenim de'inittio non eſt intelligenda de adeſſe, & abeſſe ſecundum rem, ſed de eo, quod eſt affirmari, vel negari de ſubiecto abſq; eius interitu, qua profecto ratione adeſſe, vel adeſſe ſubiecto etiam accidẽtibus inſeparabilib. & non ſolum ſeparabilibus poteſt conuenire, nam inſeparabilia etiã poſſunt affirmari, vel negari de ſubiecto abſq; eo, quod illius natura intereat, aut vllo modo lædatur. Quamuis enim a coruo negaremus nigredinem, non propterea interiret, aut læderetur illius natura.

Obſeru. Horum igitur opinione prætermiſſa tota difficultas huius quæſt in eo eſt conſtituta, vt explicemus qua ratione poſſit accidens inſeparabile mente & cogitatione à ſubiecto ſeparari, & qua ratione in hac re à proprio diſtinguatur. Ceterum vt hoc explicemus ſciendum erit ex D. Tho. *in 1. diſt. 26. in expoſitione text. & opuſc.* 48. *tract. 1. cap.* 8. duobus modis poſſe ſubiectum intelligi ſine attributo. Primo, in prima operatione intellectus, intelligendo naturam ſubiecti abſque eo quod natura attributi accidentarij intelligatur, quæ cognitio dicitur præciſiua, quaſi præſcindat vnum ab alio, & ea inter ſe diſtinguat, quæ à parte rei ſunt coniuncta. Secundo, in ſecunda operatione intellectus, componendo vnum cum altero, vel vnum ab altero diuidendo, quod fit aut affirmando, aut negando attributum de ſubiecto, vt quando candorem affirmamus de niue, & atrorem negamus à coruo. Quo obſeruato hanc rem his aſſertionibus explicamus.

1. concluſio. 1. concl. Accidentia inſeparabilia, & proprietates in eo conueniunt, vt ſecundum rem non poſſint per naturam à ſubiecto ſeparari. Hæc nulla eget probatione cum ſit aperta omnibuſque notiſſima, nam vtrumque accidens tam proprium, quam commune retinet in ſubiecto cauſam conſtantis, firmæq; adhæſionis. Diximus per naturam, quia ſi de facultate ſupernaturali agamus aliud erit iudiciũ proferendum, nam iam diximus *in cap. ſuperio.* proprietates per facultatem ſupernaturalem a ſubiecto ſeparari poſſe.

2. concl. 2. concl. Tam accidentia propria, quam communia poſſunt per primam operationẽ intellectus, quam dicimus præciſiuam à ſubiecto ſeparari. Confirmatur, quia per hanc cognitionem tantũ intelligimus, ea quæ ſunt de eſſentia rei, etenim quodquid erat eſſe rei, eſt obiectum huius primæ operationis, ſed neque propria, neque communia accidentia ſunt de eſſentia rei, ergo poterit intellectus illa ſeparare a ſuis ſubiectis: vnde poteramus intelligere & coruum ſine nigredine & hominem ſine capacitate diſciplinæ.

3 concluſ. Proprietates non poſſunt ſeparari a ſubiecto per ſecundam operationem, accidentia vera communia optime poſſunt. 3. concluſ. Itaque in eo differunt accidentia propria & communia, quia propria non poterunt ſeparari a ſubiecto per ſecundam operat. ita vt remaneat integra, & incorrupta natura ſubiecti per facultatem naturalem. Nam ſi dicimus equum non eſſe aptum ad hinniendum, ſeparantes hanc proprietatem intra propoſitionẽ ab illo, non erit vera, ſed falſa propoſitio: nam falſum eſt poſſe naturam equi per facultatem naturalem ſine aptitudine ad hinniẽdum reperiri, at vero communia poſſunt per hanc propoſitionem ſeparari, nam ſi ita dicamus, coruus non eſt niger, non propterea ſequitur interitus naturę corui. Ita Caiet. Sotus, Louanienſes, & communis opinio recentiorum interpretantur D. Thom. *vbi ſupra*, vt optime etiam explicatur à M. Iuſtiniano *cap.* 8. 2. *lib. Inſtitutionum.*

Fortaſſis tamen tribus alijs modis, & facilioribus poſſemus tradere diſcrimina inter propria, & communia accidentia interuenientia. Nam quamuis in eo cõueniant, vt neutrum à ſubiecto ſeparari queat. Differunt tamen primo, quia accidens inſeparabile non adhæret ſubiecto inſeparabiliter & inconuertibiliter, nam nigredo corui non inhæret illi ita inſeparabiliter, vt cum coruo reciprocetur, nam etiam in ebeno, carbone, pice, & in alijs ſubiectis reperitur: at proprietas ſubiecto inhæret inſeparabiliter, & conuertibiliter, vt capacitas diſciplinæ inhæret homini inſeparabiliter & conuertibiliter, nam ita reciprocatur cum illo, vt alteri conuenire nullo modo queat. Traditum eſt hoc diſcrimen à Lemoſ. 2. *lib. paradox. cap.* 20. 2. Diſtinguuntur iuxta conſecutionem naturalem, quia accidentia communia nullam habent neceſſariam, & naturalem conſecutionem cum natura ſubiecti; at accidentia propria hanc neceſſariam & naturalem conſecutionem cum illa habent, nam atror in coruo non neceſſario, & naturaliter conſequitur illius naturã, ſed principia indiuiduantia huius, vel illius corui, capacitas vero diſciplinæ neceſſario, & naturaliter conſequitur naturam hominis. Proponitur hoc diſcrimen à Grachio *in ſchol. huius c. de accid. quæ in tex. Ariſt. circumferuntur*

3. Differunt, quia recte poſſumus naturam ſubiecti cum contraria diſpoſitione, vel cum contrario accidente, quam ſit accidens in eo, a

tabile intelligere, abſq; eo quod aliquod ab ſurdum ſequatur; nam bene poſſumus intelligere coruum cum albedine abſque eo quod aliquod abſurdū, vel repugnās naturæ ipſius admittamus Ceterum non poſſumus intelligere naturam ſubiecti cum contraria diſpoſitione, aut proprieta e, quam ſit proprietas illius, non enim poſſumus intelligere hominē cum contraria proprietate, proprietati ad capeſcendas diſciplinas, vt cum facultate v. g. ad hinniendum: nam ſi ita illum intel igeremus, illico ſequeretur illius naturæ euerſio, quia natura, quæ non eſt capax ad conſequendas diſciplinas, neque eſt, neque poteſt eſſe humana.

arg. Iam ad arg quæ in principio propoſuimus. Ad 1. reſpond. negando antecedens. Ad confirm. reſpon. Mathyſius, & Faber Stapulenſis Porph. in prima definitione tantum definiiſſe accidentia ſeparabilia, atque ita nihil diuiſionem continere contra definitionem, quia diuiſio non eſt accidentis, quod fuit diffinitum ſed accidentis in communi, quod optime in ſeparabile, & in inſeparabile fuit diſtributū. Hi tamen non attingunt mentem Porphyr. neque veriſimiliter loquuntur, nam quis crederet poſt traditam definitionem aliquam, non eſſe diuiſionem illi ſubiunctam de re diffinita intelligendam, & nō eſſe illud diuiſum, quod fuerat diffinitum? Quare reſp. definitionem intelligendam eſſe de adeſſe, & abeſſe pto eo quod eſt affirmati, aut non affirmati, aut non affirmari de ſubiecto, illius natura integra remanente, quod certe & iam cōpetit accident. inſeparabilibus, vt ſæpe dixi.

d 2. Ad 2. reſp. duobus modis intelligi poſſe aliquod accidens ſeparari à ſubiecto, primo ita vt exiſtat à parte rei ſeparatum ab illo, & ſecundo vt poſſit ſeparari, ita vt ſi ſeparetur illico euaneſcat. Quando igitur Ariſt. docuit in Antecategoriis, accidens quod eſt in ſubiecto nō poſſe ab illo ſeparari intelligendum eſt primo modo, at quando Porphyr. inquit dari accidentia ſeparabilia, intelligendus eſt de accidentibus ſeparabilibus altero ſecundo modo, nam calor nō poteſt ſeparari à manu, ita vt exiſtat per ſe ſine illa, bene tamē poterit, ita vt eo ipſo quo ſeparetur illico euaneſcat.

d 3. Ad 3. eodem modo reſp. Porphy. *in vlt. diffinit.* quando docuit accidens non poſſe ſeparari à ſubiecto, intelligendum eſſe de ſeparatione, ita vt accidens per ſe exiſtat ſeparatum ab illo.

4. Ad 4. luculenter ſatisfecimus in aſſertionibus. Nunc breuiter dicimus negandum eſſe antecedens nam iam diximus, quænam ſint diſcrimina, quę interueniant, inter proprium & accidens. De ſolutione vero Porphyr. in qua inquit (eo differre hæc duo accidens mētis cogitatione poteſt ſeparari à ſubiecto, proprium vero nequaquam) dicimus illam eſſe optimam, eo modo quo fuit à nobis expoſita. Ad cuius primam impugnationem dicimus in prima operatione, vel per cognitionem præciſiuam quemadmodū intelligimus coruum ſine nigredine, ita etiam & intelligimus hominem ſine riſibilitate. Vnde in hac re non differunt. In ſecūda tamen eſt latum diſcrimen, quia accidēs commune poteſt a ſubiecto ſeparari natura illius integra remanente, proprietates vero non poſſunt. Ad 2. reſp. Porphyr. egiſſe de vera, & non de falſa animi ſeparatione, & quando argumentamur, illa conceptio mentis eſt vera, quæ indicat rem eſſe ſicuti eſt, ſed coruus non eſt a parte rei ſeparatus à nigredine ergo neque poterit intellectus vere ipſum intelligere ſine nigredine. Reſpond. duobus modis poſſe intelligi rem aliter quam ſit, vt ſæpe adnotat D. Thom vno modo ex parte intelligentis, & altero ex parte rei intellectæ: Illa igitur animi conceptio, quæ indicat rem eſſe aliter, quam ſit ex parte rei intellectæ falſa erit, nam ex eo quod res eſt vel non eſt à parte rei oratio dicitur vera, vel falſa, at vero illa quæ indicat rem eſſe aliter, quam ſit ex parte intellectus non erit falſa, habet ſiquidem ille tantam vim, vt poſſit ea quæ ſunt inter ſe vnita, ſeparare, & quæ ſunt ſeparata coniungere, & hac ratione poſſumus intelligere coruū ſine nigredine aliter quam ſit a parte rei, quia intellectus poteſt intelligere naturam corui ſine nigredine, & intra propoſitionem diuidere hæc duo inter ſe, vereque dicere coruus non eſt niger integra, & illæſa illius natura remanente.

Q V Æ S T. V.

Sitne optima ſecunda diffinitio accidentis, necne?

IN hac quæſt. omiſſis argumentis, quæ poterunt fieri aduerſus hanc diffinitionem, cū non ſint alia, quam ea, quæ in duabus proximis quæſtionibus propoſuimus, agendum erit de defin tō illius, de ſubiecto cui inhæreat accidens, & de his quæ ſub definito illius (in quibus ni fallimur verum & legitimum huius diffinitionis diffinitum inueſtigabimus iuxta ea quæ in ſuperioribus propoſuimus) continentur, quæ omnia his aſſertionibus explicamus, quarum prima ſit.

Diffi-

1. *concluſ.* Diffinitum huius diffinitionis non eſt aliqua natura rei, ſed notio ſecunda accidentis. Hanc profitemur cum Caietano, Louanienſibus, & aliis aduerſus Auerroem *in comment. huius loci*, aſſerentem definitum eſſe accidens quod indicat naturam realem, illud nimirũ, quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam, nã hoc eſt, quod poteſt ineſſe, vel non ineſſe ſub iecto.

1. *argum.* Et confirmatur, quia diffinitiones, quæ in dialectica tradũtur, debent tradi iuxta rationem formalem ſui obiecti, at obiectum dialecticæ eſt ens rationis Logicũ, quod eſt notio ſecunda, ergo in hac definitione, diffinitũ erit notio ſecunda. Iam: In hac definitione complexus eſt Porph. omnia accidentia tam ſeparabilia, quam inſeparabilia, vt in concluſ. ſeq. oſtendemus; at ſi eſſet intelligenda de accidente reali, non fuiſſet omnia accidentia complexus, nimirũ inſeparabilia, etenim illa non poſſunt non inhærere ſubiecto, ergo nõ erit definitio de accidente rei, ſed de notione ſecunda intelligenda. Quod intelligi debet de notione in concreto, & non in abſtracto eo modo, quo in aliis vocibus diximus in ſuperioribus fuiſſe notionem definitam. Itaq; in hunc modum erit intelligenda definitio: *Accidens eſt, quod & ineſſe in eadem re, & non ineſſe poteſt*, id eſt, accidens eſt, quod poteſt vere affirmari, vel negari de ſubiecto.

Obiectio. Verum dicet aliquis ſi hæc definitio ita fuerit intelligenda, ergo non differet à prima, ac proinde ſuperflue erit tradita à Porphy. Reſp.

Reſpon. cum Caietano ratione rei definitæ verum eſſe non diſtingui à prima definitione, nam per vtramque idem definitum exprimitur: diſtingui tamen ratione maioris, & clarioris ſignificationis, nam hæc ſecũda definitio apertius multo exprimit naturam accidentis, quam prima. Sciendum enim eſt Boetium, Argiropilum, & omnes veteres in hac definitione legere particulam *contingenter*, quam Perionius in ſua interpretatione prætermiſit, (Nam ita proponunt definitionem: *Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe*) quæ certe exprimit accurate naturam accidentis, eſt enim illius natura cõtingenter ineſſe ſub iecto, & non neceſſario neceſſitate petita ex principiis ſpecificis, in qua re ſeparatur à proprio, quod neceſſario rei ineſt neceſſitate ab eis deprompta.

2. *concl.* 2. concluſ. Hæc definitio complectitur omnia accidentia, tam ſeparabilia, quam inſeparabilia.

Confirm. Hanc aduerſus Auerroem cum Caietano, & Louanienſibus conſtituimus, quæ confirmatur, quia hanc definitionem hauſit Porphyr. ex 1 *topic. cap.* 4. in quo (vt in ſcholiis propoſuimus) eiſdem verbis hanc definitionem proponit. At Ariſt. in illa definitione cõplexus eſt omnia accidentia, quod ex eo conſtat, quia definiebat eo loco problema accidentis, de quo deinde erat in ſeqq. libris diſputaturus, certum autem eſt problema accidentis vtrumque accidens, & ſeparabile, & inſeparabile ſuo ambitu comprehendere: ergo in hac definitione Porph. vtrumque accid. as fuit complexus.

3. *concluſ.* 3 concluſ. Subiectum adæquatum accidentis, quod hoc loco eſt definitum, eſt tam ſubſtantia corporea, quam ſpiritalis.

Confirm. Confir. quia in anima rationis compote, & intellectibus Angelorum, dantur multa accidentia, quæ poſſunt ineſſe, & non ineſſe ſubiectis, vt artes ſcientiæ, actiones intelligendi, virtutes, &c. Tum etiam in ſubſtantiis corporeis dantur innumera accidentia, quæ poſſunt ineſſe, & non ineſſe illis, vt candor, ator, caliditas, frigiditas, &c. ergo ſubiectum adęquatum accidentis erit ſubſtantia communis ad ſpiritalem, & corpoream.

4. *concluſ.* 4. concl. Subiectum accidentis corporei eſt totum compoſitum, & non materia Ita D. Thom. 2. *cont. gen. cap.* 81. *in ſolut.* 4 *ratio.* Ferrat. *ibi in* 1 *ſolut. Villalp q.* 1. *de accid. in ſolut.* 2. *dubit.* & Alex. Aphrodiſ. 1. *lib. q. natu. c. vlt.* qui eo ſeparat formam ab accidente, quia ſubiectum formæ eſt materia prima, accidentium vero totum compoſitum. Et quamuis D. Thom. abſolute dicat totum compoſitum eſſe ſubiectum accidentium non eſt intelligendus de omnibus accidentibus, cum accidentia ſpiritalia non ſint in toto illo, ſed in mente, ſed de accidentibus corporeis, vt de magnitudine, calore, frigore, & aliis. Confirmari poteſt breuiter hæc concluſio, ex eo quod prius vnitur materia prima cum forma ſubſtantiali, quam cum forma accidentaria, quia prius vnitur cũ actu eiuſdem, quam alterius generis: ſed ex vnione materiæ cum forma ſubſtantiali oritur totum compoſitum, ergo formæ accidentariæ, quę aduenient deinde erunt in toto cõpoſito. Ceterum quia hæc perfecte cognoſcere munus eſt alterius artificis, nimirum Philoſophi naturalis obiter ſunt à nobis ꝓpoſita.

QVÆSTIO VI.

An tertia definitio accidentis ſit optima necne?

VLtima definitio accidẽtis erat: *Quod nec genus eſt, nec differentia, nec ſpecies, nec proprium, ſemperq; in ſubiecta re aliqua inhæret*: quę

variis difficultatibus eſt expoſita, nam aduerſus illam agimus primo. *Arg.* Illa definitio, quæ traditur per negationem eſt vitioſa, quia non explicat quid res ſit, ſed quid non ſit, quare cum hæc definitio traditur per negationem generis ſpeciei, &c. erit illa vitioſa.

Arg. 2. Quia ſi Porph. hac ratione voluit accidẽs definire, ergo poſſemus & nos eadem methodo obſeruata, definire cæteras has voces per negationem, vt genus v.g. illud, quod neque eſt ſpecies, neque differentia, neq; proprium, neque commune accidens, quod nullus ſane (vt mea fert opinio) admittet.

Argum. 3 Quia videtur Porph. in definitione iuxta interpretationem Argiropyli, & Boetij, contrarias particulas propoſuiſſe, nam ita definitur iuxta horum interpretationem: *Accidens eſt, quod neq; eſt genus, &c. ſemper autem eſt in ſubiecto ſubſiſtens*, in qua definitione continentur duæ hæ particulæ, eſt in ſubiecto, & ſubſiſtens, quæ duæ particulæ apertiſſime inter ſe pugnãt, nam quod eſt in ſubiecto quomodo poterit eſſe ſubſiſtens? & qui fieri poterit, vt quod per ſe ſubſiſtit alicui ſubiecto inhæreat? Non igitur erit accommodata hæc definitio accidentis.

Arg. Addo: In hac definitione definiri omnia accidentia, quæ in categoriis accidentium continentur, inter quæ ſunt quamplurima, quæ ſunt genera, ſpecies, &c. non ergo recte fuit definitum accidens per negationem aliarum vocum prædicabilium.

His argumentis vtuntur Auicenna, & alij Arabes, vt B. Alb M *tract. 7. in Porph.* & Louanienſes in hoc loco teſtantur, vt reprehẽdant hanc definitionem Porph. Qui certe illum reprehendentes, & Ariſt. quoque reprehendunt a quo eiſdem verbis ex 1. *Top. c. 4.* illam collegit Porphyr.

Obſeru. Cæterum, vt quæſtionem explicemus ſciendum eſt eſſe duo genera rerum, quę nequeunt probe per affirmationem definiri, ſed per negationem, nimirum res, quæ ſunt maximæ entitatis, vt eſt Deus, & aliæ, quæ ſunt minimæ entitatis, vt materia prima, nã Deum per negationem diffinimus eſſe illud, quod neq; eſt corpus, neque materia, neque forma, neq; quidpiam ex creatis, & materiam primam definit Ariſt. 7. *lib. Metaphyſ. cap. 3* quæ neque eſt quid, neq; quantum, neq; quale, &c. Itaq; nõ poſſunt res omnes per affirmationem definiri, ſed multæ ſunt, quæ erunt neceſſario per negationem definiendæ, ex quarum numero eſt accidens, quod cum inter voces vniuerſas ſit minimæ entitatis, & infimum locum obtineat debuit per aliarum vocum negationem definiri.

1. concluſio. Sit igitur 1. concluſ. Hæc tertia definitio accidentis optima eſt & accurata. Confirmatur inprimis ex Porphy *in hoc cap.* & ex Ariſt. 1. *top. c. 4.* qui illam tanquam accuratam proponunt, eandemque omnes dialectici tanquam optimam, & laudant & amplectuntur. Confirm. 2. Quæ ſunt minimæ entitatis, tenentque inter reliqua locum ignobiliorem, ſunt per negationem definienda, vt conſtat de materia prima, quam vt diximus, diffinivit Ariſt. per negationem, quæ neque eſt quid, neque quantum, &c. ſed accidens commune inter reliquas voces vniuerſas eſt minimæ entitatis, & tenet locum ignobiliorem, ergo debuit per negationem aliarum vocum definiri.

2. concluſ. 2. concl. Definitum huius definitionis eſt notio ſecunda. Hæc eſt aduerſus quoſdam Neotericos, qui putant definitum eſſe notionem primam, nimirum accidens rei, quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam ſemperq; ſubiecto inhæret. Confirm. 1 quia obiectum dialecticæ eſt notio ſecunda, quæ nihil eſt aliud, quam ens rationis Logicum, ergo definitiones, quæ in illa proponentur notionem ſecũdam declarabunt. Secundo: Quia hæc traditur per voces ſecundæ notionis nimirum per genus, ſpeciem, differentiam, & proprium: ergo & definitum erit ſecunda notio. Iam: Si illud eſſet prima notio, vel accidens, quod inhæret, eſſet certe vitioſa hæc definitio nam in huiuſmodi accidentibus dantur genera, & ſpecies, quare non recte potuiſſet illud definiri à Porph. quod neque eſt genus, &c.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta in principio propoſita. Ad 1 reſp. veram eſſe propoſitionem de diffinitione eſſentiali non de accidentaria, at hæc non eſt eſſentialis, ſed accidentaria diffinitio. Vel reſp. definitionem per negationem tunc eſſe vitioſam, quando non poteſt res definita intelligi niſi tunc res, quę negantur declarentur, at quando iam ſunt res negatæ explicatę, tunc fas erit rem illam per negationem definire, quod certe euenit in hoc noſtro inſtituto. Nam iam explicatum ſupereſt quid ſit genus, ſpecies, & quid aliæ voces vniuerſæ. Aut cum B. Alberto & Louanienſibus iuxta ea quę diximus reſp. poſſumus, in naturis perfectis, & nobilioribus, verum eſſe non eſſe illas per negationem definiendas, at ignobiliores & imperfectas (qualis eſt natura accidentis) recte poterimus per negationem definire. Vt etiam illud addimus non eſſe omnino per negationem traditam definitionem, nam in

illa ad-

illa addita eſt hæc particula, ſemperque ſubiecto inhæret, quæ certe per affirmationem fuit explicata.

Ad 2. Ad 2. reſp. idem B. Albert. M. & Louanienſes nó eſſe eandem rationem de alijs vocibus vniuerſis, quæ eſt de accidente, nam aliæ ſunt perfectæ, accidens vero eſt imperfectum: proprium autem eſt tertum imperfectatum, per negationem definiti. Vel dicere poſſumus poſſe quidem alias ita definiri, dum tamen aliquam affirmationem collocemus, vt fuit in hac definitione collocata, nam recte ita poſſumus genus definire, quod neque eſt ſpecies, neque differentia, neque proprium, neque commune accidens: ſemperque dicitur de pluribus ſpecie differentibus in quid. Facilius tamen poterit accidens ita definire, quia iam fuerunt aliæ voces explicatæ, atque ita non erit difficile intelligere ipſum non eſſe genus, neque ſpeciem, &c. Si tamen aliæ voces diffinirentur adhuc eſſet explicandum quid ſit accidens, ac proinde pluribus egerent illæ ad ſuas diffinitiones proponendas, ob quam rationem difficilius poſſent definire per negationem.

Ad 3. Ad 3. reſp. LouanienſesPorph. nomine eius, quod eſt ſubſiſtere in propoſita diffinitione non intellexiſſe per ſe eſſe ſine ſubiecto, hoc enim proprium eſt ſubſtantiæ ſed intellexiſſe exiſtere in ſubiecto, nam hoc indicant aliæ interpretum lectiones, qui fere omnes cum Perionio ita legunt, ſemperque ſubiecto inhæret. Quare hæc definitio nullas habebit partes inter ſe aliquo modo pugnantes.

Ad 4. Ad vlt. reſp. In hac difinitione non eſſe definita accidentia categoriæ, ſed vt ſunt quædam attributa accidentaria, habentque communem rationem prædicandi cum aliis attributis, etiamſi fuerint ſubſtantię, de illo ſubiecto cui contingenter, & inconuertibiliter poſſunt conuenire. Vnde quamuis accidentia categoriæ vt ſunt categoriæ ſint genera & ſpecies, tamé attributum accidentarium de quo hic agimus, neque genus, neque ſpecies eſſe poteſt.

Animaduerſio.

MVltas alias quæſtiones nonnulli in hoc loco ſolent diſputare de natura accidétis, vt num inhærentia ſecundum aptitudiné ſit de eſſentia illius, num inhærentia ſecundú actum ſit eiuſdem exiſtentia. An omnia accidentia certum ſibi certum, & definitú ſubiectum a cuius natura fluant, an accidens ſit genus ad omnia accidentia categoriarum. An accidentia ſint neceſſario per additum definienda & quaſdam alias, verum quia illæ nó traduntur de accidenti prædicabili, ſed prædicamentali, vel categoriæ, fuerunt hoc loco prætermiſſæ, hic enim tantum inſtituit Porphyr. de accidenti prædicabili, vel de attributo accidentario diſputare, illas omnes in præfatione categoriarum accidentium poſt explicatam categoriam ſubſtantiæ luculenter ſatis explicabimus.

ANACEPHALEOSIS, ET breuis ſumma eorum, quæ de communitatib. & differentijs quinq; vocum tradun-tur à Porphyrio.

CAPVT VI.

De communitatibus quinq; vocum in generali.

IN vltima parte huius libri diſputat Porphyr. de communitatibus, & differentiis harum quinque vocum communium atque inprimis in hoc cap. agit de communitatibus illarum in generali. Commune eſt inquit, omnibus quinque vocibus prędicari de multis ad hunc modum. Genus & differentia prædicari debent de ſpeciebus multis & indiuiduis conté tis ſub illis: Species vero tantum prædicatur de multis indiuiduis (quod intelligendum eſt de ſpecie atoma.) Proprium vero, & commune accidens prædicantur de ſpeciebus,

& indiuiduis, quamuis hoc interſit inter proprium, & commune accidens, quia proprium prius competit ſpeciei quam indiuiduis. Accidens vero commune prius competit indiuiduis, quam ſpeciebus, quorum omnium exempla, ita ſunt manifeſta, vt non ſit, cur in illis explicandis immoremur.

CAPVT VII.

De communitatibus, & differentiis generis, & differentia.

EXplicatis in communi communitatibus harum quinque vocum, explicat deinde Porphyrius communitates, & differentias earum inter ſe, agens prius de communitatibus & differētiis generis, & differentię. Inter quas duas voces inueniuntur tres communitates, & ſex differentiæ.

Conueniunt primo; quia quemadmodum genus continet multas ſpecies, & dicitur de illis; ita quoque differentia continet multas ſpecies, & dicitur de illis: quamuis, inquit, differentia non contineat tot ſpecies, quot genus continet, quod intelligendum eſt de differentijs diuidentibus, nam conſtituentes genera eaſdem ſpecięs continent, quas illa continent.

Conueniunt ſecundo; quia quemadmodū quæcunque dicuntur ſecundum eſſentiam de genere, dicuntur etiam de ſpeciebus, ita quoque quæcunq; dicuntur ſecundum eſſentiam de differentia, dicuntur quoque de ſpeciebus conſtitutis per illam.

Conueniunt tertio; quia quemadmodum amoto genere (vt animali) amouentur quoque ſpecies, vt homo, & brutum: ita quoque amota differentia amouentur quoq; ſpecies, vt amoto experte rationis amouentur equus, & leo.

1. Differunt autem, quia genus prędicatur de pluribus ſpeciebus, quam differentia, vt animal prędicatur de pluribus, quam rationale, quod intelligendum eſt de differentiadiuidente, nam conſtituens de eiſdem prædicatur de quibus genus dicitur & de pluribus etiam (ait) genus dicitur, nō ſolum quam differentia, verū etiam quam ſpecies, proprium, & commune accidens.

2. Quia genus continet poteſtate differentias, at vero differentię non continent genera vt expoſuimus *in cap. de differentia*.

3. Quia genera ipſa priora ſunt differētijs diuidentibus: differētiæ vero poſteriores ſunt generib. & ita ſublato animali auferunt particeps, & expers rationis; ſublatis vero differentiis nō auferuntur genera, nam quamuis particeps, & expers rationis intereant, poſſumus adhuc intelligere animal eſſe ſubſtantiā corpoream animatam ſentientem.

4. Differunt, quia genus prædicatur de ſpeciebus in quid, differentia vero in quale quid.

5. Differunt, quia genus tantum eſt vnum in vna ſpecie, vt tantum eſt vnum animal in homine: differētię vero ſunt multæ, vt in homine ſunt rationis particeps, mortale, & bipes

6. Differunt, quia genus habet locum materiæ, differentia vero locum formæ, vt expoſuimus *in c. de differentia*.

CAPVT VIII.

De communitatibus & differentiis generis & ſpeciei.

GEnus & ſpecies in tribus conueniunt primo in eo, quia quemadmodum genus dicitur de multis, ita etiam & ſpecies, quod intelligendum eſt de ſpecie atoma, & indiuidua, nam intermedia vt ſpecies eſt, non dicitur, ſed ſubijcitur ſuperioribus.

2. Conueniunt, quia quemadmodum genus eſt prius ſpeciebus de quibus dicitur, ita quoque ſpecies eſt prior indiuiduis de quibus prædicatur.

3. Conueniunt, quia quemadmodum genus eſt totum reſpectu ſpecierum, ita quoq; ſpecies eſt totū reſpectu indiuiduorum, quāuis diuerſo modo, nam genus ita eſt totum, vt non cōtineat actu, & diſtincte totam naturam ſpecierum, nam non continet differētiam actu, quæ eſt de eſſentia ſpeciei; at vero ſpecies actu & diſtincte continet totam naturam indiuiduorum, nam nihil eſt de eſſentia eorum, quod actu & expreſſe non contineatur in ſpecie, nihil enim eſt de eſſentia Petri, quod non ſit in homine contentum.

Differunt autem inter ſe ſex differentiis. Prima eſt, genus continet ſpecies, at vero ſpecies non continent genera, quod intelligendum eſt de cōtinentia poteſtate, & non actu, nam actu ſpecies continet genus, tanquam partem ſuæ differentiæ. Secundo differunt, quia genus eſt prius ſpeciebus, ſpecies vero ſunt poſteriores. Tertio differunt, quia ſublato genere auferuntur ſpecies, non tamen è conuerſo. Quarto differunt, quia genus prædicatur ſynonyme de ſuis ſpeciebus, ſpecies vero nulla ratione prædicantur de generibus, vt declaratū fuit in *cap. de ſpecie*. Quinto differunt, quia ipſum genus ſuperat poteſtate

ſpeciem,

ſpeciem, nam prædicatur de eiſdem, de quibus prædicatur ſpecies, & de multo pluribus, de quibus ſpecies non prædicatur. Differunt ſexto, quia genus non poteſt eſſe ſpecies infima, neque ſpecies infima poteſt eſſe genus.

CAPVT IX.

De communitatibus & differentiis generis & proprii.

Conueniunt in tribus genus, & proprietates, primo, quia quemadmodum genus conſequitur ſpeciem in recta conſequentia, ita quoque proprietas conſequitur ſpeciem. Conueniunt ſecundo, quia quemadmodum genus non recipit magis & minus: ita quoque proprietas non recipit magis, & minus. Tertio conueniunt, quia quemadmodum genus vt animal, prædicatur ſynonyme de ſpeciebus, vt de homine, & boue, ita quoq; proprietas, vt riſibilitas, prædicatur ſynonyme de Petro & Antonio. Differunt autem primo, quia genus eſt prius proprietate, proprietas vero poſterior eſt genere. Differunt ſecundo, quia genus non reciprocatur cum vna ſpecie, vt animal cum homine, at vero proprietas reciprocatur cum vna ſpecie, vt riſibilitas cum homine. Differunt tertio, quia genus dicitur de multis ſpeciebus, vt animal de equo, & boue, proprietas vero tantum dicitur de vna ſpecie, vt riſibilitas de vno tantum homine. Differunt quarto, quia proprietas competit omni, ſoli, & ſemper: genus vero quamuis conueniat omni ſpeciei, & ſemper, non tamen ſoli. Differunt quinto, quia ſublatis generibus, auferuntur proprietates, iis autem è medio amotis, non auferuntur genera.

CAPVT X.

De communitatibus & differentiis generis & accidentis

Genus & accidens illud habent commune ſolum, vt prædicentur de multis ſubiectis, quod intelligendum eſt tam de accidente ſeparabili, quam inſeparabili. Differunt autem primo, quia genus eſt prius ſpeciebus, accidentia vero communia ſunt poſteriora. Differunt 2. quia genus non recipit magis & minus, accidentia vero communia, vt albedo & nigredo, recipiũt magis & minus. Differunt 3. quia genus prius prædicatur de ſpecie, quam de indiuiduis, accidentia vero communia prius prædicantur de indiuiduis, quam de ſpeciebus. 4. differunt, quia genus prædicatur in quæſtione, qua quærimus, quid res ſit, accidens vero prædicatur in quale accidentarium. Deinde Porphyrius repetit longo ſermone, quæ dicta ſunt, ſcil. in quibus conueniant, & in quib. differat genus ab aliis quinque vocibus.

CAPVT XI.

De communitatibus ſpeciei & differentia.

Conueniunt primo ſpecies & differentia, quia ex æquo prædicantur de ſuis inferioribus, ſecundo, quia quemadmodum differentia ſemper prædicatur de ſpecie, ita quoque ſpecies ſemper prædicatur de indiuiduis. Differunt autem 1. quia differentia prædicatur in quale quid, ſpecies vero in quid. Differunt 2. quia differentia, vt particeps rationis, de pluribus prædicatur, quam ſpecies, vt homo, nam prędicatur de hominibus & angelis, de quibus non prædicatur homo. 3. differunt, quia differentia prior eſt ſpecie, ſpecies autem eſt poſterior, & ita remota differentia, remouentur ſpecies, & non econtra. Differunt 4. quia multæ differentiæ, vt rationale, bipes, & mortale, vniuntur ad conſtituendam aliquam vnam ſpeciem, vt hominē: at vero multæ ſpecies non vniuntur, vt mulus, leo, equus, ad conſtituendam aliquam ſpeciem.

CAPVT XII.

De communitatibus & differentiis proprii & differentia.

Primo conueniũt inter ſe proprium & differentia, quia ex æquo prędicantur de ſuis inferioribus: ſecundo, quia quemadmodum proprium competit ſemper, & omni ſpeciei, ita quoq; differētia competit ſemper, & omni ſpeciei. Differunt autem primo, quia differentia prædicatur de pluribus ſpeciebus, quam proprium, vt particeps rationis prædicatur de hominib. & angelis, riſibilitas vero tantũ dicitur de hominibus. Differunt 2. quia differentia non conuertitur cum ſpecie, ſed latius patet: proprietas vero conuertitur cum ea.

CAPVT XIII.

De communitatibus & differentiis accidentis & differentia.

Commune eſt primo accidenti cum differentia prædicari de multis. Secundo eſt commune accidenti inſeparabili cum differentia, vt quemadmodum differentia ſemper ineſt ſpeciei: ita quoque accidentia inſeparabilia ſemper inſint ſubiecto, vt nigredo ſemper ineſt coruo. Differunt autem 1. quia differentia prædicatur de omnib. indiuiduis con-

tentis ſub aliqua ſpecie, vt particeps rationis prædicatur de omnibus ſingularibus hominibus: accidentia vero non prædicantur de omnibus indiuiduis (hominis, v. gr. aut leonis) Differunt 2. quia differentia non recipit magis, & minus, at accidentia illud recipiunt. Differunt 3. quia accidentia poſſunt miſceri inter ſe, quamuis ſint contraria: at differentiæ contrariæ non poſſunt miſceri in vna aliqua ſpecie.

CAPVT XIV.

De communitatibus & differentiis ſpeciei & proprii.

Conueniunt primo ſpecies, & proprium, quia inter ſe reciprocantur. Conueniunt ſecundo, quia ex æquo prædicantur, & ſynonyme de ſuis inferioribus. Differunt autem 1. quia proprium non poteſt eſſe, niſi proprium: ſpecies autem poteſt eſſe genus, nam ſpecies interiecta ita eſt ſpecies, vt ſit quoque genus. Differũt 2. quia ſpecies eſt prior proprio, cum ſit ſubiectum & cauſa illius, proprium autem eſt poſterius. Differunt 3. quia ſpecies ſecundum actũ conuenit ſuis inferioribus, proprietas vero ſecundum poteſtatem. Differunt 4. quia definitiones proprii, & ſpeciei ſunt inter ſe multum diuerſæ, vt expoſuimus in ſuperioribus agentes de ipſis.

CAPVT XV.

De communitatibus & differentiis ſpeciei & accidentis.

Conueniunt accidens, & ſpecies in eo, quod eſt prædicari de multis. Differunt autem primo, quia ſpecies in quid, accidens vero in quale prædicatur. Differunt ſecundo, quia in vno indiuiduo tantum eſt vna ſpecies atoma, vt in Petro tantum eſt vnus homo, at vero in eodem ſunt multa accidentia tam ſeparabilia, quam inſeparabilia. Differunt tertio, quia ſpecies eſt prior accidentibus, accidentia vero ſunt poſteriora. Differunt quarto, quia ſpecies ex æquo prædicatur de ſuis inferioribus, accidens vero non prædicatur ex æquo, ſed recipit magis & minus, nam quidam homines ſunt aliis candidiores, & nix eſt candidior hominibus.

CAPVT XVI.

De communitatibus & differentiis proprii & accidentis.

Commune eſt proprio cum communi accidente, tam inſeparabili, quam ſeparabili, prædicari in quale accidentarium. Commune eſt ſecundo illi cum accidente inſeparabili, vt ſubiectum vtrumque non poſſit eſſe ſine ipſo. nam quemadmodum non poteſt eſſe homo ſine riſibilitate, ita non poteſt eſſe coruus ſine nigredine. Differunt autem primo, quia proprium vni ſoli ſpeciei competit, accidentia vero communia multis cõueniunt. Differunt ſecundo, quia proprium reciprocatur cum ſpecie, cuius eſt proprium, accidentia vero communia non reciprocantur, ſed latius patent. Differunt tertio, quia proprium non recipit magis & minus, & ex æquo dicitur de ſuis inferioribus: accidentia vero communia recipiunt magis & minus, & non dicuntur ex æquo de ſuis inferioribus.

Hæc igitur ſunt, quæ de his quinque vocibus vniverſis, vt diceremus, habuimus, in quarum explicatione, ſi in aliquo lapſi fuimus, veniam nobis benigni Lectores concedent, homines enim ſumus, qui non poſſumus res difficiles nude & aperte comprehendere. Si vero veritatem in eiſdem aſſequuti ſumus, Deo Opt. Max. à quo tanquam à perenni lumine omnes veritatis radij dimanant, beatiſſimæ Virgini, D. Thomæ Aquinati Mæcenati noſtro, omnibuſque cœlitibus gratiæ omnes referantur.

COMMENTARIA IN CATEGORIAS ARISTOTELIS, EODEM FR. Didaco Maſio Valentino Vilarealenſi Ordinis Prædicatorum auctore.

Præfatio Operis.

Expoſitis quinque vocibus vniuerſis, quæ ob eam cauſam ante Categorias traditæ fuerunt, quia ſunt ad illas intelligendas omnino neceſſariæ, agendum erit iam de ipſis categoriis, à quibus Ariſt. in tradenda Dialectica methodum naturæ, & compoſitionis obſeruans, fuerat auſpicatus. Cæterum quia iuxta morem omnium interpretum, tam Latinorum, quam Græcorum, ſunt ante operis exordium quædam prolegomena proponenda, hæc eadem & nos, eorum veſtigiis inhærentes, proponemus. Erunt autem illa numero octo: Primum erit de nomine auctoris, ſecundum de inſtituto, tertium de inſcriptione, quartum de vtilitate, quintum de ordine, quem obſeruat ad alios libros Dialecticæ, ſextum de methodo, ſeptimum de diuiſione operis, & octauum, ad quam partem Philoſophiæ ſit opus referendum.

SECTIO I.

De Vita Ariſtotelis.

Ex Laert. lib. 5. Plutarcho variis in locis. Ammon. in præfat. categor. Franc. Patric. 1. lib. diſcuſſ. Peripatetic. & ex aliis.

VT igitur hæc Prolegomena ſeorſum explicemus, aggrediemur à primo, ſcilicet à nomine Auctoris, quem conſtat extitiſſe Ariſt. vnde non erit extra inſtitutum nonnulla ex veterum monumentis repetere de vita, moribus, operibus, & Secta Ariſt. Quam rem, vt dilucide proponamus, in 4. ſectiones diſtribuemus, in quarum prima trademus vitam Ariſt. in ſecunda agemus de illius feliciſſimo ingenio, & optimis moribus: in tertia explicabimus opera, & monumenta à ſe edita, quænam ſint illa, & in quas claſſes diſtributa, tandem in poſtrema de Secta Peripatetica ab ipſo inſtituta diſputabimus.

Vt igitur ad illius vitam accedamus: Ariſtoteles ſummus Philoſophus Peripateticorum Princeps, & ſecretorum naturæ profundiſſimus indagator, fuit natione Macedo, patria Stagirites, ortus fuit Olympiadis 99. anno 1. & ante Chriſti Domini natiuitatem anno 371. parentes habuit Nicomachum, & Feſtiadem, ex Æſculapii genere ortos. Quibus defunctis cum adhuc eſſet in pueritia conſtitutus, cuidam Proxeno literis & moribus imbuẽdus traditus fuit, cuius cura literas humaniores fuit feliciſſime cõſecutus. Deinde vero propter nimiã viuendi libertatẽ, totum patrimonium, quod à parentib. ſatis amplum obtinuerat, conſumpſit, ita vt militiam exercere fuerit coactus. Verum cum hoc illi non feliciter, & ex animi ſententia eueniſſet, artem pharmacopoleam tum didicit, tum etiam exercuit. Agebat tunc tẽporis ætatis ſuæ annum 17. vt ex Æliano docet Franciſc. Patricius *lib. 1. diſcuſſionum Peripateticarum*, ex quo tempore vſque ad annum 20. per tres annos ſe Socratis commiſit diſciplinæ, quo à Senatu Athenienſi necato, Academiam Platonis eſt ingreſſus, illumque auidiſſime per viginti annos docentem audiuit, vſque ad annum ætatis 40. Deinde vero ad Hermiam Eunuchum tyrannum ſe contulit, apud quem manſit per tres annos integros, vſque ad annum 43. ſuæ ætatis. Interempto autem Hermia, à Philippo Perſarum Impetatore patre Alexandri Magni (vt Plutarchus teſtatur) vt filium Alexandrum optimæ ſpei adoleſcentem, & iuuenem florentiſſimum annis 15 natum, virtutibus, & literis inſtitueret, fuit euocatus, quod munus feliciſſime geſſit per ſeptem annos, vſque ad ſuæ ætatis annum quinquageſimum. Principio in maximo pretio fuit habitus apud Philippum, & Alexãdrum: nam Philippus in quadam epiſtola profitetur, ſe nõ minores gratias referre *In Alexand.*

Diis

Diis propter genitum filium Alexandrum, quam quod eo tempore ille ortus fuerit, quo poſſet ab Ariſt. literis, & moribus erudiri: & patriam Stagiritem a ſe ſolo æquatam iterum in gratiam Ariſt. exædificauit, ob quam cauſam deinde Stagirites dies feſtos dicarunt Ariſt. Ariſtoteleos illos nuncupantes. Alexander vero (vt autor eſt Plutarchus) *Vbi ſupra.* in tanto pretio & veneratione ipſum Ariſt. habuit, vt ingenue fateretur, ſe nõ minus debere Ariſt. quam parenti Philippo, quia à parente eſſe & viuere obtinuerat, ab Ariſtotele vero recte viuere, optimiſque moribus eſſe ornatum. Verum deinde ob Calliſtenem diſcipulũ Ariſt. (quem in Aſiam miſerat Alexandro) necatum, diſſidiæ inter Alexandrum & Ariſtotelem subortæ fuere, ita vt multi ſuſpicarentur, Ariſtotelem in nece Alexandri ab Antipatro effecta conſenſiſſe. Inſtituto igitur Alexand. per ſeptennium Athenas poſtmodum petiit, cumq; condiſcipulum Xenocratem in Academia Platonis docentem inueniſſet, ipſe aperuit Licęum, ibiq; publice philoſophiam docere cœpit, turpe putans eſſe ſilere Ariſt. loquente Xenocrate. Quod munus ſumma cum omnium vtilitate pariter ac iucunditate fere per tredecim annos exercuit. Cæterum accuſatus coram ſenatu Athenienſe, quod Deorum cultum contemneret, innocẽtiam ſuam publica quadam oratione defendit, abiitque deinde in Calcidem Euboæ, vbi ad annum 63. iam cõpletum deueniens, deficiente ætate obiit. Quam ob cauſam interierit, incertum eſt. Quidam ad mœrorem animi illius interitum referunt, eo quod non potuerit mente aſſequi cauſam ſepties in die reciprocantis Euripi, & huius rei occaſione ſe præcipitem in mare hiſce verbis (vt ferunt) dediſſe. Quoniam non potui comprehendere te, tu comprehende me. Cui *ib.16. c.34.* non facile fidem adhibeo, cum in Cælio Rodagino, & in aliis grauiſſimis Philoſophis ſcriptum legamus, Ariſt. dolore commotum, & lachrymis perfuſum in hora ſui exitus auxilium primæ cauſæ in hæc verba imploraſſe; *Cauſa cauſarum miſerere mei:* poſt quæ ilico interiit. Rogatus autem paulo ante mortem ſuam, quem relinqueret hæredem ſuorũ operum, & ſucceſſorẽ Gymnaſii, Theophraſtumne, Leſbium, an Menedemum Rhodium, qui duo inter illius diſcipulos erant præcipui, iuſſit ad ſe afferri vinum Lesbium, & Rhodium, Lesbiumque probari ſibi maxime duxit, in quo eſſet mira ſuauitas, quibus verbis vrbane ſatis indicauit, præferendum eſſe Theophraſtum Lesbium Menedemo Rhodio, atque ita effectum eſt, vt Theophraſtus operum Ariſtotelis, Academiæque eiuſdem hæres fuerit inſtiturus, atque ſucceſſor. Quod vero ad corpus habitumque Ariſtotelis attinet: erat ille mediocris ſtaturæ, exiguis cruribus, & articulis, oculis paruis, facie itidem parua, aliquantulum macer. Vtebatur vero calceamentis & veſtibus precioſis, ſemper geſtans annulos in digitis, abradebatque ſæpe comam, ob quam cauſam fuit à Platone aliquando neglectus, eo quod non deceret huiuſmodi habitus, & corporis ornatus virum philoſophum, & ita vtebatur familiarius conſuetudine Xenocratis & Speuſippi, quam familiaritate Ariſt. vnde dicunt ortas fuiſſe diſſidias illas & rixas inter Platonem, & Ariſtotelem implacabiles.

SECTIO II.

De ingenio & moribus Ariſtotelis.

QVidam ingenii laudem, & felicitatem Homero Poetæ præſtãtiſſimo tribuunt, alii Hippocrati Medicorum Anteſignano illam conferũt, alii Pythagoræ Samio, ſunt qui Thaleti Mileſio hanc palmam concedant: verum ſi omnes hi cum Ariſt. conferantur, vix, ac ne vix quidem aliquam laudem, & ingenii felicitatem conſequuti fuiſſe videntur, ita enim extitit affluens, & liberalis natura in ornando Ariſt. vt paucis ex mortalibus, aut tantam ingenii ſubtilitatem, aut tantam memoriæ fœcunditatem, aut tot alia dona naturalia ſua liberali manu conceſſerit. Cuius ingenii indolem, acumen, & ſubtilitatem admiratus Plato, ſæpe vocare ſolebat illum Mentem, & Philoſophum veritatis, nam ſi quando contingebat à Gymnaſio abeſſe Ariſt. ſtatim ſubclamabat Plato, ſibi deeſſe Mentem, & Philoſophum veritatis. Athenienſes etiam in teſtimonium ſingularis cuiuſdam, & eximiæ eruditionis Ariſt. ſtatuam quandam illius erexerũt, manu naturæ viſcera apprehendentem, illaque toti mundo manifeſte & aperte proponẽtem: effectum enim ab eo proculdubio eſt, vt abdita naturæ myſteria, ingenio, & induſtria ſua, è tenebris ſint eruta, atq; in hanc lucem, tanquam omnibus manifeſtiſſima fuerint prodita. Ferunt etiam numiſma quoddam fuiſſe olim excuſum, in cuius vna parte depicta erat Philoſophia muliebri habitu excultiſſime ornata: in alia vero parte effigies ipſius Ariſtot. naturæ maximi alumni & obſeruatoris diligentiſſimi viſebatur, quin & immenſa cœlorum moles, ſidera multa, ſtellæ errantes, & perennes ſuperiorum cor-

porum motus, in pectore vero ſcripta erant elementa nubes grand nes, imbres, tonitrua, & alia multa, quæ in media regione aeris oriuntur: in crutibus vero depicta erat terra, animantia, fontes, lacus, flumina, foſſilia, & omnia alia, quæ in viſceribus terræ generantur. Quo numiſmate tanquam ſymbolo apertiſſimo exprimitur ingenium Ariſtot. & il'ius ſumma in rebus philoſoph. eruditio, quæ certe tanta extitit, vt nihil fuerit aut in cœlis tam abditum, aut in terræ viſceribus tam occultum, aut in elementis tam abſtruſum, quod ille in hanc lucem & auram feliciſſime non reuocauerit. Fuiſſe vero illum optimis moribus inſtitutum, ex eo ſane colligi poteſt, quod à Philippo ad Alexandrum moribus, & literis inſtituendum fuerit euocatus, niſi enim his moribus effulſiſſet, non fuiſſet haud dubie ad hoc munus obeundum aſcitus. Inter alia autem animi ornamenta maxima pietate nituit, in Deum præſertim, patriam, & magiſtros. In Deum quidem, varia ſacrificia nuncupatis votis ſæpe illi offerendo. In magiſtros præterea, nam Platonem tanto amore & charitate fuit ſemper proſecutus, vt illius nomen diuinum arbitraretur, atque in eius honorem aram, & ſtatuam Athenis erexit, in qua ſcriptum erat, hūc eſſe diuinum illum Platonem, quem probi omnes & admirari & colere deberent, vt prodit Petrus Crinitus *libr. 22 de honeſta diſciplina, capite* 1. Fuit tandem gratus, in patriam, cum eius auctoritate (iam ſolo æquata) fuerit iterum reædificata, ſeruis libertas conceſſa, & ciuibus optimæ, & æquiſſimæ leges inſtitutæ. Neque acquieſcere vllo modo poſſum, quibuſdã Philoſophis exiſtimantibus, inter Platonem & Ariſt. maximas extitiſſe diſcordias, nam quem tantum & vnice venerabatur, qui fieri potuit, vt tam graui odio proſequeretur? Vnde non aduerſus Platonem, ſed aduerſus Platonicos, qui minus recte dogmata Platonis interpretabantur, (vt Ammonius in præfatione Categoriarum animaduertit) multa conſcripta nobis reliquit.

SECTIO III.

De Operibus Ariſtotelis.

CONſcripſit in omni parte Philoſophiç innumera fere volumina. Nam præter libros, qui perierunt, qui nunc extant, conficiunt maximum numerum, & ingentem illorum librorum, vt diligenter annotat Franciſcus Patricius 2. *li. diſcuſſionum Peripateticarum,* qui opera Ariſtotelica in ſex claſſes, in Logica, Naturalia, Metaphyſica, Mathematica, Politica & Phyſiologica diſtribuit. Simplicius tamen, & Ammonius in ſuis præfationibus categoriarum diuidunt opera Ariſtotelis in priuata (vt ſunt epiſtolæ & cohortationes) de particularibus rebus agentia, vniuerſalia de rebus omnibus pertractantia, vt ſunt libri Philoſophiæ naturæ, & Metaphyſicæ: & media, quæ poſſunt partim vniuerſal a, & partim particularia vocari, vt ſunt libri de plantis, & animalibus: nam quia agunt de multis, vniuerſalia dici poſſunt, verum quia non diſputant de rebus omnibus, dici poſſunt particularia. Præterea opera vniuerſalia diuiſa ſunt in commentaria, vel in memoralia, in quibus obſeruantur dicta veterum Philoſophorum, de quauis parte Philoſophiæ confuſa quadam ratione contenta, & in illa, in quibus accurato ſtylo, & optima methodo res Philoſophicæ tractantur, quæ deinde diuidebantur in diologica, in quibus multæ perſonæ colloquebantur, & non diologica, in quibus tantum vnus loquitur. Quæ non diologica diuidebantur præterea in opera contemplationis, actionis, & inſtrumentaria. Deinde opera contemplationis diſtribuebantur in Naturalem Philoſophiam, Metaphyſicam & Mathematicas: actionis vero in Ethicam, Politicam, & Oeconomicam: Inſtrumentaria vero in omnes partes Dialecticæ. Cæterum quamuis opera omnia Ariſtotelis compleant numerum ingentem librorum, vt Franciſcus Patricius 2. *lib. diſcuſſ.* docet, non tamen exiſtimandum eſt, ipſum non ediddiſſe plures libros, nam multos periiſſe ex hac vnica re facile poterit conſtare, quia plures annos ipſius opera intra terram ſepulta delituerūt. Etenim cum Ariſt. Academiæ & ſuorum operum hæredem reliquiſſet Theophraſtum, quia ſua & Ariſt. monumenta Neleo Septio teſtamento reliquerat, poſt cuius obitum ſuis ciuibus imperitiſſimis, & nulla Philoſophiæ laude addictis obueniſſent, illa omnia tanquam leuia & nullius momenti neglexere. Verum cum deinde intelligerent, Athalicorum reges ad inſtruendam bibliothecam, quam Pergami parabant, vndiq; Philoſophorum libros conquirere, præſertimque Ariſt. timentes, ne ab ipſis per vim & potentiam regum auferrentur, ſuffoſſa terra ibi illos occultarunt, vbi delituerunt per multos annos, quos deinde à Pellicone Theyo multo pretio comparatos tradiderunt. Verum cum hi libri ex humore terræ, & nimia carie in multis locis eſſent deleti, eſſet cum ille auidior pecuniarum, quam Philoſophiæ, nouis additionibus loca deleta ſup-

pleni, innumeros in operibus Ariſt. reſperſit errores, multaque ex eis loca corrupit. Vnde cum per tot has ætates latuerint hi libri ſubfoſſi, credendum eſt multos ex illis periiſſe, & ita ad nos non deueniſſe omnia opera edita ab Ariſtotele. Annotat tamen Plutarchus in vita Lucii Scyllæ Romani præter hæc opera Ariſt. quæ apud Sepſios aſſeruabantur, fuiſſe alia eiuſdem Ariſtotelis opera aſſeruata in bibliotheca Athenienſi, quæ integra & illæſa permanſerunt. Verum ſubactis Athenis à Scylla, & in poteſtatem Romanorum redactis, omnia hæc opera ipſius iuſſu Romam fuere tranſmiſſa, vbi à Tyranione Grammatico, & ab Andronico Rhodio correcta, & interpretata, in lucem cum maximo omnium fructu prodierunt, & hæc ſunt, quæ vſque ad hæc noſtra tempora cum totius ſeculi admiratione permanſerunt. Cuius rei auctores ſunt Plutarchus *in ſuperiori loco*, Strabo 13. *libr. Geographia*. & Franciſcus Patricius 2. *libro diſcuſſionum Peripateticarum*. Præterea neque omnia opera, quæ Ariſtotelis nomine circumferuntur, illius eſſe, vt libr. de myſtica Theologia, de coloribus, de elementis, de phyſionomia, & multos alios, omnes Peripatetici profitentur. Quod ortum habuit ab aliqua ex iis tribus cauſis: Prima eſt, quia multi ex diſcipulis Ariſt. exemplo Magiſtri, multa opera ſub eiſdem titulis propoſitis ab Ariſtot. conſcripſerunt, vt libros categoriarum, analyticorum, & de interpretatione, quos quidem libros deinde Ariſt. poſteriores Philoſophi tribuerunt. Secunda cauſa eſt, quia multi extiterunt Ariſtoteles ex hac eadem familia Peripateticorum, qui varia volumina in omni parte Philoſophiæ conſcripſerunt, illaque deinde noſtro Ariſt. ac ſi eſſent a ſe edita, tribuerunt. Tertia eſt, quia Ptolomæus Philadelphus rex Ægypti, cum maximam conſtrueret bibliothecam, vndique conabatur libros maximorum Philoſophorum, præſertimque Ariſt afferre, etiamſi multo pretio eſſent illi comparati. Quod cum multi Philoſophi intelligerent, varios libros ſub nomine Ariſt. diuulgarunt, vt ita maximam pecuniæ ſummam à Rege ſibi compararent, & ita legebantur in hac bibliotheca 40. libr. de poſteriori analyſi, & 8. categoriarum. Cæterum quamuis hęc ita ſeſe habeant, tres regulæ remanent ad diiudicandos legitimos libros Ariſt. Prima eſt ſtylus orationis, eſt enim ille apud Ariſt. breuis & conciſus. Secunda, auctoritas ipſiuſmet Ariſt. qui ſæpiſſime in aliquo opere citat alios libros à ſe editos, & hi citati debent inter legitimos illius fœtus recenſeri. Tertia eſt, traditio Philoſophorum, & conſenſus Peripateticorum, iuxta quem omnes libri illi cenſendi ſunt Ariſtotelis, qui ab illius interpretibus iudicantur ipſius eſſe. Diuidunt etiam Philoſophi opera Ariſt. in exoterica & achromatica, quam diuiſionem hoc loco prætermittimus, eo quod illam diffuſe in initio Philoſophiæ (Deo propitio) explicabimus.

...t anim. ...erte.

...e Laert. ...5.

SECTIO IV.

De Secta inſtituta ab Ariſtotele.

Variæ fuerunt olim ſectæ Philoſophorum, fuit enim ſecta Ionica, Italica, Megarenſis. Academica tam vetus, quam noua, Syniaca Epicuræa, Pyrrica, Stoica, Peripatetica, & multæ aliæ. Vnde cum aliæ a ſuis Philoſophis traxerint originē, Peripatetica ab Ariſt. tanquam à ſuo fonte fuit deriuata, quæ hoc nomen obtinuit ab actione deambulandi. Ariſtot. enim ſecutus morem Magiſtri Platonis deambulando inſtruebat ſuos diſcipulos, vt ita per corpoream exercitationem mentem acueret, & ad veritatem aſſequendam fieret magis idoneus, vnde & Peripateticus fuit vocatus. Quantum autem hæc ſecta antecellat omnes alias ab aliis Philoſophis inſtitutas, colligere poterimus ex eo, quia cum omnes aliæ iam fere ſepultæ ſint, & obliuioni traditæ, hæc ſola Peripateticorum familia eſt, quæ cum maxima nominis celebritate & claritate apud omnes nationes perſeuerat. Neque eſt, cur aduerſus Ariſt. & Peripateticos nobis quis obiiciat auctoritatem ſanctorum Patrum maxime reprehendentium Ariſtotelem, & illius doctrinam, è quorum numero ſunt D. Auguſtinus 8 *lib. de ciuitate*, qui doctrinam Platonis anteponit doctrinæ Ariſt. D. Hieronymus *in c. 11. Eſaia*, præferens Stoicos omnibus aliis Philoſophis. D Greg. Nazianzenus *oratione 1. de Theologia*, D. Epiphanius *lib 3 aduerſus hæreſes, hæreſi 76*. Tertullianus *in lib. de perſcript. hæretic.* qui Ariſtotelem, eiuſq; familiam condemnant, & D. Iuſtinus Martyr, qui aduerſus Ariſt. tanquam aduerſus acerrimum hoſtem conſcripſit accuratiſſime. Sciendum eſt enim, Eccleſiam catholicam maxima bella in initio à Philoſophis præſertimque à Peripateticis perpeſſam fuiſſe, vnde effectum fuit, vt à ſanctis Patribus antiquis ſint Peripatetici tanto odio habiti. Cæterum deinde huiuſmodi Philoſophorum perſecutione ceſſante, videntes ſancti Patres poſteriores, quantum accedat hæc doctrina religioni Chriſtianæ, quantumque inniċatur lumini naturæ, reiectis aliis

Laert. lib. 1.

Philo-

Philoſophorum ſectis, hanc vnicam ſummo applauſu, & conſenſu receperunt.

De Auctore Operis.

CONtrouerſum eſt apud Philoſophos de auctore Operis, quiſnam fuerit ille, Ariſtoteleſne an alius Philoſophus? Cuius dubitationis poteſt triplex ratio aſſignari; prima eſt, quia extiterunt multi Ariſtoteles, ferunt enim illos octo fuiſſe, & ita poteſt ſuboriri dubitatio, à quo ex iis prodierit hoc opus conſcriptum. Secunda eſt, quia Theophr. Eudem. Phanias, & alii diſcipuli Ariſt. vt refert Franciſcus Patricius *2. diſcuſſion. Peripatetic.* ediderunt volumin de categoriis, de interpretatione, de analyſi, vnde poſſumus etiam dubitare, an liber categoriarum ab aliquo ex iis Ariſto: diſcipulis ſub titulo Ariſt. ac eius nomine editus fuerit. Tertia eſt, quia multi Philoſophi ſua opera nomine Ariſt. exornarunt, vt illa multo pretio venderent Ptolemæo regi Ægypti, vt paulo ſuperius diximus, & ita fieri potuit, vt etiam hoc opus categoriarum ab alio Philoſopho ſub nomine Ariſtotelis fuerit in lucem emiſſum. Vnde propter alias, & huiuſmodi rationes Iamblicus Philoſophus Platonicus, vt teſtatur Boetius, cenſet non eſſe hoc opus Ariſtotelis ſed Architę Tarentini Philoſophi Pythagorici, & ſocii Platonis, qui de rebus vniuerſis edidit duo volumina, in quorum primo vberrime de categoriis diſputauit. Cæterum omnes alii Philoſophi conſtituunt hoc opus editum fuiſſe ab Ariſtotele noſtro, Peripateticorum principe. Quod quidem confirmari poteſt primo, quia ſtylus orationis & phraſis loquendi eadem eſt cum ea, qua vtitur Ariſt. in aliis ſuis operibus. Secundo, quia illius meminit Ariſt. tanquam operis à ſe editi, & conſcripti in multis aliis libris. Tertio, quia omnes Peripatetici, tam veteres, quam recentiores, tam Græci, quam Latini, hoc opus Ariſtoteli tribuunt. Quæ tria argumenta aperte colligunt eſſe hoc opus ab Ariſt. conſcriptum. Sunt enim illæ tres regulæ in ſuperioribus à nobis traditæ ad dignoſcendos veros Ariſt. libros. Neque credendum eſt, Ariſt ex Archita hoc opus depromſiſſe, nam ille Architas antiquior Ariſt. nulla edidit volumina, ſed alius poſterior eiuſdem ſectę peripateticę, qui ex monumentis Ariſt. duo illa volumina de rebus vniuerſis confecit, vt ex Themiſtio profitetur Seuerinus Boet.

Obiect. 1. Quod ſi aliquis primo in ſuperiore ita inſurgat Ariſtot. maximus obſeruator methodi non debuit exordiri dialecticam à difficilioribus, ſed categoriæ ſunt difficillimæ, ergo categoriæ non ſunt ab Ariſtot. ipſo editæ. Reſp. negando propoſitionem, non enim ſemper à facilioribus eſt exordiendum, ſed ab his, ſine quibus reliqua probe intelligi nequeunt, ſiue faciliora, ſiue difficiliora fuerint, quare cum omnia, quæ traduntur in arte diſſerendi, nequeant ſine categoriarum tractatione intelligi, ab illis iure optimo Dialecticam fuit Ariſtoteles auſpicatus. Solut. Si quis ſecundo obiiciat: Multa ex his, quæ in hoc opere docentur, aduerſantur his, quæ *in 5. lib. Metaph.* de categoriis proponuntur, vt in categoria quantitatis oſtendemus, quare non erit hoc opus ab Ariſtotele editum: vel ſi hoc conceſſerimus, fatendum erit Ariſt ſibi ipſi aduerſari. Obiect. 2. Reſpond. negando antecedens: etenim quamuis ita, quæ traduntur in Metaphyſicis, verbis aliquantulum ab illis, quæ in Dialectic. proponuntur, diſcordent, ſenſu tamen, vel ſententia nullo modo differunt, vt in eadem categoria quantitatis explicabimus. Solut. Rationibus vero dubitandi, quas in principio propoſuimus, reſpon. vnico verbo, illas omnes diſſolui ex illis tribus cauſis, quas propoſuimus ad dignoſcendos veros & legitimos Ariſt. libr. Nam quamuis hæ rationes occaſionem dubitandi præbere poſſint, ſi tamen has cauſas & regulas perpendamus, omnino illæ euaneſcent.

QVÆSTIO.

Num in Opere de vocibus, vel de rebus diſputetur?

SEquitur, vt aliud prolegomenon explicemus. nimirum quod ſit inſtitutum Ariſtotelis in hoc opere explicando, num agere de vocibus, vel de rebus diſputare, eſt enim res hæc apud illius interpretes non parum controuerſa.

Et quidem agi de vocibus, confir. primo; Ariſt. *in 0.1. cap. antecategoriar.* proponens diuiſionem rerum, quæ ſunt, inquit Eorum, quæ ſunt, quædam ſignificant ſubſtantiam, alia quantitatem, & alia qualitatem, &c. ſed ſignificare competit nominibus, ergo de vocibus & nominibus erit inſtitutum diſputare. Et ibidem inquit eorum, quæ dicuntur. alia eſſe coniuncta, & alia ſimplicia, ſimpliciaque rerum eſſe illa, quæ in categoriis continentur; quare cum dici & prædicari ſolis nominibus adaptetur, de nominibus & vocibus erit inſtituta diſputatio. 1. Arg.

Secundo, in hoc eodem cap. antecategor. poſtquã genera ſuprema in decem categorias diſtribuerat, ſubiungit ex his ſeorſum ſom- 2. Arg.

ptis non componi enuntiationes, ſed ex eiſdem coniunctis, & inter ſe copnlaris, vt ex homine tantum (qui eſt in categoria ſubſtantiæ) non fit al:qua enuntiatio, neq; ex magnitudine tantum (quę in categoria quantitatis comprehenditur) ſed ex homine & magnitudine, quando ita dicimus, homo eſt magnus; ſed enuntiationes ex vocib. ſimplicibus, tanquam ex pa tibus componuntur, ergo inſtitutum erit agere de vocibus & nominibus.

. Arg. Præterea: Categoria ſignificat attributionem, eſt enim ſeries & ordo attributorum, & ſubiectorum, ſed attributio prius in vocibns conſpicitur, quam in rebus, ergo præcipuum inſtitutum huins diſputationis erit agere de vocibus, & non de rebus.

. Arg. Ad hæc: In hac diſputatione agit Ariſt. de homonymis & ſynonymis, at homonymia in vocibus reperitur, & non in rebus: neque enim dicimus, rem, quæ eſt canis, eſſe homonymam, ſed hanc vocem canis, quæ multas naturas diuerſa ratione ſignificat, ergo inſtitutum diſputationis erit agere de vocibus.

Arg. Iam in aliis libris dialecticis de vocibus compoſitis diſputamus, vt in lib. de interpretatione, de enuntiatione, & oratione. in libr. analyticis de argumentatione, & illius ſpeciebus, & ſic de aliis, ergo & in hoc opere dialectico debuit quoque de vocibus ſuſcipi diſputatio: neque enim maior ratio eſt, quare in aliis operibus de vocibus, & non in hoc opere diſputetur.

. Opin. Hæc quæſtio inter veteres Ariſt, interpretes fuit olim multum controuerſa, eſt enim prima opinio Alexandri, Porphyr. *in interrog. c.3.* Dexippi *lib.1.q.in categor.c.1.* & Seuerini, Boetii in hoc loco, materiam ſubiectam huins operis eſſe voces ſignificantes, & inſtitutū Ariſt. eſſe illarum vim & naturam explicare. Hanc omnes Nominales Philoſophi mirifice amplectuntur, quorum tota cura eſt de nominibus ſignificantibus diſputationem inſtituere.

2. Opin. 2. opinio eſt, materiam ſubiectam eſſe res ipſas, & non nomina vel voces, inſtitutumq; Ariſt. eſſe de rebus ipſis diſputare. vt de re, quæ eſt ſubſtantia, quantitas, vel qualitas. Amplectuntur hanc ſententiam Euſtratius, Plotinus Ænead.5. Antonius, Mirandulan. in ſua apologia, & multi alii.

3. Opin. 3. eſt communis apud omnes fere Latinos recentiores, qui putant, ſubiectam materiam eſſe notionem ſecundam ſubiecti, & attributi, generis & ſpeciei, quæ omnia in recta ſerie categoriæ continentur, inſtitutumq; eſſe de his omnibus diſputare.

4. est Iamblichi, Simplicii, & Ammonii *in ſuis præfationibus ad categor.* tria hæc eſſe materiam ſubiectam, voces ſcilicet, res, & notiones, inſtitutumque eſſe de illis tribus diſputare, alia tamen & alia ratione, nam primo & per ſe de rebus diſputatur, ſecūdo loco de conceptibus res ipſas ſignificantibus, & tertio de vocibus, quæ latentes animi conceptus declarant. 4. Opin.

His opinionibus propoſitis, vt veram de hac re ſententiam explicemus, annotandum eſt, duplex eſſe obiectum alicuius diſputationis, vnum formale, & alterum materiale. Formale eſt, ſub cuius ratione omnia pertractantur in diſciplinis: materiale vero dicitur illud, quod attingitur in eiſdem: vt abunde ſatis *ſectione 1. proœmiali, quæſtione* 13. oſtendebamus. 1. Obſeru. Quemadmodum in Geometria obiectum materiale eſt magnitudo, formale vero eſt abſtractio ab omni materia ſenſili, non tamen intellectili. Illud etiam ſciendum eſt, obiectum formale quoddam eſſe primarium, & aliud ſecundarium, vt ex eodem loco colligere licebit. 2. Obſer.

Sit iam 1. concluſio: Obiectum materiale iſtius diſputationis ſunt ipſæ res, vt, v.gr. res, quæ eſt quantitas, & quæ eſt qualitas. Confirmatur his argg. Primum: Obiectum materiale eſt illud de quo proprietates concluduntur, ſed de rebus ipſis in hoc opere concluduntur proprietates, ergo res ipſæ erunt obiectum materiale. Propoſitio perſpicua eſt, aſſumtionem ita demonſtro. Recipere contraria cum ſui mutatione, eſt proprietas ſubſtantiæ: æquale, & inæquale ſunt proprietates quantitatis, ſimile & diſſimile qualitatis: quas omnes proprietates rebus ipſis conuenire, certiſſimum eſt, quare de rebus ipſis in hoc opere concludentur proprietates. 1. concluſ. 1. Arg. Secundo; In hoc opere, in Antecategoriis proponitur quædam generalis diuiſio eorum, quæ ſunt, nam quædam ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, alia non ſunt in illo, & dicuntur de illo, &c. Traduntur præterea definitiones homonymorum, paronymorum, & ſynonymorum, & qualitas definitur, à qua quales nominamur, & relata, quorum tota vis & natura eſt, vt ad aliud referantur: at hæc omnia rebus ipſis conuenire nulli, quantum puto, dubium eſſe poterit, iam igitur obiectum materiale erunt res ipſæ. 2. Arg. Contra tamen ita aliquis inſurget: Metaphyſicus agit de categoriis in 5. libr. vt res ſunt, ergo Dialecticus non aget de eiſdem hac ratione, nam diuerſi artifices diuerſa ratione debent de rebus diſputare. Obiect.

putare. Vt tamen huic obiectioni ſatisfaciamus ſit 2. concluſio.

2. concl. Dialecticus non ita diſputat de categorijs vt res ſunt, quaſi ſiſtat in illarum cognitione, & non progrediatur vlterius, ſed diſputat referendo hanc cognitionem ad notiones ſubiecti, & attributi, generum, & formarum. Itaque hoc intereſt inter Dialect. & Metaphyſic. quia Metaphyſ. agit de categorijs vt res ſunt, in rerum cognitione ſiſtendo, vt agit de homine (qui continetur in categoria ſubſtãtiæ) ea ratione qua eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſentiens, & particeps rationis, ibi ſiſtendo, & non vltra progrediendo, vel alio hanc cognitionem referendo. Dialecticus vero de eiſdem diſputat, cognitionem rerum in aliũ finem referendo. vt diſputat de eodem homine, cognitionem horum attributorum, (quæ de illo propoſuimus) in notionem ſubiecti, vel attributi, generis, vel ſpeciei referẽdo. Argumentum igitur recte colligit, Dialecticum non diſputare de categorijs, vt res ſunt, ſiſtendo in illarum cognitione: non tamen colligit non diſputare de eiſdem hanc cognitionem in alium finem, & inſtitutum referendo.

3. concl. 3. concluſ. Obiectum formale & primum huius diſputationis eſt notio ſecunda generis & ſpeciei, ſubiecti, & attributi, &c. Confirmatur primo; Quia categoria eſt ſeries, & ordo generum, formarum, & indiuiduorum, ſubiectorum, & attributorum, vt poſtea agentes de inſcriptione operis oſtendemus: ſed genera, & ſpecies, ſubiecta, & attributa ſecundũ eſſentiam ſunt notiones ſecundæ, ergo obiectũ formale huius diſp erit notio ſecunda. Iã: Obiectum partis debet ſub obiecto totius contineri, eo modo quo pars eſt ſub ambitu totius comprehenſa, ſed obiectum totius dialecticæ eſt ens rationis Logicum, vel (quod idem eſt) notio ſecunda, vt *ſect.1.procem.* vbi ſupra diffuſe ſatis oſtendimus, ergo obiectum formale huius diſputationis erit notio ſecunda.

4. concl. 4. concluſ. Obiectum formale & ſecundarium eiuſdem diſp. ſunt nomina, & voces naturas primas, medijs conceptibus ſignificantes. Confirmatur apertiſſime, quia attribui & ſubijci vocibus ipſis competit ſecundario: at in hoc opere de ſubiectis, & attributis generalib. diſputamus. Præterea definitiones homonymorum & ſynonymorum non ſolis rebus, ſed etiam vocibus conueniunt, nam homonymia, & ſynonymia nõ in ſolis rebus, ſed etiam in vocibus reperitur, ergo agere de vocibus ſignificantibus ſecundario ad hanc diſputationem attinebit.

5. concluſ. Inſtitutum huius operis eſt agere de rebus, de notionibus ſecundis, vel conceptibus & de vocibus alio tamen, & alio cõſilio, nam erit agere de rebus tanquam de obiecto materiali, de notionibus tãquam de obiecto formali primo, & præcipuo, & de vocib. tanquam de obiecto ſecundario. Hæc certe ex ſuperiorib. aperte ſatis colligitur, etenim ex materia ſubiecta facile inſtitutum colligi poteſt, nam inſtitutum eſt in natura obiecti explicanda verſari: at explicatum relinquitur res ipſas eſſe obiectum materiale, notionem vero ſecundum eſſe obiectum formale primũ & præcipuum, voces vero obiectum formale ſecundarium. *5. concl.*

Ad argumenta igitur, quæ in initio propoſuimus. Ad primum reſp. Ariſt. intelligendum eſſe de rebus, & non de nominibus, ita vt ſenſus ſit eorum, quæ ſunt quædam ſignificant ſubſtantiam, alia quantitatem, alia qualitatem, &c. id eſt, ea quæ nominibus declarantur, quædam ſunt ſubſtantiæ, alia quantitates, & alia qualitates, quam certe interpretationem conſonam eſſe Ariſt. colligimus ex eo, quia *5. lib. Metaph. cap. 7* hanc eandem diuiſionem ſub eiſdem vocibus proponit, in quo loco certum eſt illum non de vocibus, ſed de rebus diſputare Ad cõfirmationem reſp. falſum eſſe dici, & prędicati nominibus, & non rebus cõuenire, aliud enim eſt dici, & aliud ore proferri. Nomina quidem ore proferũtur, res vero ſunt, quæ de multis dicuntur, vt adnotat Laertius *lib. 7. in Zenone.* Imo Ariſt *in Antecateg.* aperte tribuit rebus ipſis dici, nam eorum inquit, quæ dicuntur quædam ſunt, quæ dicuntur de ſubiecto, & non ſunt in illo, & alia quæ dicuntur de ſubiecto, & ſunt in illo, &c. quæ certe diuiſio non nominibus, ſed rebus accommodatur. Vel reſp. poſſumus dici primo, & per ſe rebus, & non nominibus conuenire, ſecundario vero ipſis nominibus, atque ita nomina ſecũdario ad hanc diſputationem ſpectabunt. *Ad 1. arg.*

Ad 2. arg. reſpond. enuntiationes primo, & per ſe non conflari ex vocibus, ſed ex ſubiectis, & attributis, quæ nominibus ſignificantur, ſecundario vero ex ipſis nominibus, tanquam ex partibus conſtitui. *Ad 2.*

Ad 3. reſp: Negando aſſumptionem, nam attributio primo & per ſe in rebus cernitur, ſecundario vero in nominibus. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. Homonymiam & ſynonymiam non tantum in vocibus, ſed in rebus quoque reperiri, vt *in capitib. prior. huius operis* explicabimus. Et quamuis tantum nominibus duo *Ad 4.*

hæc cõuenirent, nõ proinde voces eſſent materia ſubiecta, quia nõ eſt de ipſis præcipua inſtitura diſputatio, ſed propter categorias, vt intelligamus homonymia arcenda eſſe à categoriis, & in illis tantum ſynonyma eſſe col locanda.

Ad 5. Ad 5 reſp. neque in dialectica primo, & per ſe agi de enuntiatione, & argumentatione ratione ſui, aut vt voces quædam ſunt, ſed propter naturas ſignificatas. Quare non erũt voces obiectum præcipuum huius diſputationis, ſed illud quod à nobis fuit conſtitutum.

De inſcriptione operis.

[...]ria huius [...]ris inſcriptiones. ADraſtus Aphrodiſæus, vt refert Simplicius, hoc opus inſcripſit Antetopica, arbitrabantur enim poſt lib. categoriarum illico de libris Topicorum eſſe diſputandum. Architas Tarentinus, vt idem Simplicius eſt auctor inſcripſit opus de ſermonibus vniuerſis, id eſt, de quibuſdam attributis generalibus, quæ de omnibus dicuntur, nulli tamen ſubijciuntur. Plotinus Æneade 5. de decem generibus entis, huius operis titulum proponit. A Quintiliano *lib. 3. c. 6.* de decem elementis nũcupatur. A Martiano Capella *lib. 4. artium liberalium* de decem prædicationibus, vel nuncupationibus. A Diuo Auguſtino *in ſuo opere categor.* de demonſtrationibus rerum: à Simplicio, & ab omnibus Latinis de decem prædicamentis, à Porphyrio vero in interroga. Dexippo, & Ammonio de decem categoriis, quæ denominatio frequens eſt, & in vſu apud recentiores. Sciendum tamen eſt categoriæ nomen ex prima inſtitutione ad ſignificandum accuſationem, quæ in iudicijs fiebat, impoſitum fuiſſe, poſtea vero fuit hęc vox ad ſignificandam attributionem, quæ inter genera ſuprema, formas, & indiuidua intercedit, & genera quædam ſuprema, attributa generalia, ab Ariſtotele tranſlata. Licitum enim eſt Philoſophis (vt auctor eſt Cicero 1. *libr. quæſt Academicarum*, & cum eo Porphyrius & Dexippus) noua nomina adinuenire, vel adinuenta ad alia ſignificanda transferre, vt facilius multo poſſint res quas pertractandas ſuſcipiunt, explicare. Quare quamuis nomen categoriæ tantum fuerit inſtitutum ad ſignificandam accuſationem licuit Ariſt. hoc nomine vti ad alia ſignificanda. Prætermiſſa igitur prima illius ſignificatione, hoc nomine in duabus alijs ſignificationibus vtemur, nimirum vt ſignificat attributa quædam generalia, & vniuerſa, ac ſeriem, & ordinem generum, formarum & indiuiduorum.

De vtilitate operis.

Opinio Ludou. Viues. LVdouicus Viues *in initio lib. 3 de cauſis corrupt. diſciplin.* putat fere nullius vtilitatis eſſe hãc diſputationem de categoriis. Primo, *1. Argum.* quia illa eſt difficilima egetque cognitione primæ philoſophiæ, ad quam ſpectat de categorijs diſputare. Secundo, quia ſi eſſet vtilis *2. Arg.* maxime propter inuenienda rerum genera, & differentias, at his inueniendis nullius eſt vtilitatis, nam rerum differentiæ obſcuræ ſunt & ad inueniendum difficilimę, atque ita vix vnam, & alteram differentiam cognoſcimus. Tertio, quia ad rationem ſubiectorum, & at- *3. Argum.* tributorum, ad quæ potiſſime hęc diſputatio poteſt reuocari, ita nullius eſt commodi, quia de ſubiectis & attributis diſputare in libris de interpretatione accurate exprimitur ab Ariſtotele.

Hæ tamen rationes futiles ſunt, neq; propter illas commoneri debemus, quominus vberes fructus, & maximam vtilitatem huius operis aſſe amus, quare tenendum erit eſſe hanc diſputationem maxime vtilem ad omnem partem philoſophiæ aſſequendam, nã in ea cõtinentur veluti quidam fontes à quibus quæcunque pertractantur in diſciplinis vberrime deriuantur. Præſertim autem vtilis eſt ad definiendum, diuidendum & argumentandum. Ad definiendum quidem, quia definitio eſſentialis genere conſtat & differentia, quæ petuntur ex eadem categoria. Ad diuidendum, quia diuiſio eſſentialis vel eſt generis in ſpecies, vel generis in differentias, quæ omnia ſub eadem categoria continentur, accidentaria vero conſtat ex rebus diuerſarum categoriarum. Denique ad argumentandum, quia argumentatio conſtat ex enunciationibus, enunciationes vero ex vocibus ſimplicibus, vnde categoriæ maxime proculdubio vtiles erunt ad argumentandum; quare & vtiles erunt ad totam dialecticam, quæ in has tres partes eſt diſtributa.

Argumentis vero, quę in patrocinium ſententiæ Viuis propoſuimus haud difficile eſt *Ad 1. arg.* reſpondere. Nam ad primum dicimus illam non eſſe difficilem, vt traditur hoc loco ab Ariſt qui communi quadam, & populari ratione de categorijs diſputauit. Nec hęc tractatio eſt ſolius primi philoſophi, ſed etiam eſt dialectici, vt poſtea in vltimo prolegomeno explicabimus, quamuis verum ſit alio & alio conſilio, vtrumq; artificem agere de categorijs, vt ibidem aperte ſatis conſtabit.

Ad 2. negandæ eſt aſſumptio, nam quod re *Ad 2.*

rum

rum differentiæ ſint occultę, & vix nobis cognitę, hoc non diſputationi, ſed imbecillitati noſtri intellectus eſt tribuendum. Et quãuis differentiæ ignorentur a nobis, ſuppeditat tamen hæc tractatio rerum proprietates, quibus loco differentiarum vtimur.

Ad 3. Ad 3. reſp. admittentes rationem ſubiecti, & attrib. in lib de interpr. explicari, verũ qualitas attributorum non ab illo loco, ſed è categoriis depromi debet. Nam eſſe aliquod attrib. eſſentiale, vel accidentarium, eſſe genus vel differentiam, ab hac diſputatione poſtulatur: nam attributiones, quæ fiunt inter attrib & ſubiect. eiuſdem categoriæ ſunt eſſentiales, quæ vero fiunt inter ſubiecta & attrib. diuerſarum categoriarum, ſunt accidentarię.

De ordine huius operis ad alias partes dialectica.

1. Opinio. Refert Simplicius *in ſua præfatio. categoria.* Adaſtrum, & Alexandrum Aphrodiſęum putaſſe hunc lib. tradendum eſſe ante Topica, ita vt poſt illius explicationem ſtatim ſubſequi debeat *tract. lib. Topic.* Quod 1. confirmant, quia omnes fere definitiones, & exempla quibus vtitur in hoc opere Ariſt. *ex lib. top.* ſunt petita. 2. quia à facilioribus eſt exordiendum in dialectica at categoriæ recõditæ ſunt & maxime difficiles.

1. Argum.

2. Argum.

2. Opinio. Simplicius tamen, Ammonius, Porph. Dexippus, Boetius, B. Albert. M. & omnes tum Arabes, tum Latini putant hanc tractationẽ primum ſibi locum in dialectica vendicare. Quæ certe ſententia veriſſima eſt, & confirmatur primo ex methodo ab Ariſt. in tradenda dialectica obſeruata, quæ eſt compoſitionis, vt *ſect. 2 proœm. q vltim.* dedimus explicatum, quare eum iuxta hanc methodum a ſimplicioribus exordiri debeamus, & progredi deinde ad compoſitiora, in dialectica a ſimplicioribus erit auſpicandum, cum igitur categoriæ ſint partes omnium ſimpliciſſimæ, ab illis in dialectica debuit initium ducere Ariſtot. 2. quia hic liber non tantum eſt vtilis ad libros Topicorum, verumetiam ad lib. de interpretat. de priori, & poſteriori analyſi, ſi ergo propter vtilitatem quam præſtant lib. tradi debent ante Topica, propter eandem rationem trad: debent ante libros de priori & poſteriori analyſi, & de interpretatione, atque ita primo loco in dialectica, debuerunt collocari. Iam ita argumentatur Simplicius. Poſt voces ſimplices agendum eſt illico de connexis, ſed in hac diſputatione Categoria explicantur voces ſimplices, & in libro de interp. coniunctæ, vt ſunt oratio, & enuntiatio, ergo poſt lib. Categoriarum, de lib de interp. ſtatim agendum erit, & non de al js lib. Topicor.

1. argum.

2. Argum.

Ad 1. arg. Argum. vero quibus vtebatur Adaſtrus ita breuiter diſſoluuntur. Ad 1. r. ſp. negando rõ ſeq. quia eadem ratione colligere poſſ:mus, tradendum eſſe ante primam philoſophiam, cum plurima, quæ in hoc opere explicantur, ſint ab illa quæ petita. Imo & colligere quoque poſſumus inſtit. Porphyr. tradendas eſſe ante topica, quia maior pars earum ex li. top. eſt collecta.

Ad 2. Ad 2. reſp. Falſum eſſe ſemper eſſe à facilioribus inchoandum, ſed ab illis ſine quibus reliquę intelligi nequaquam poſſunt, ſi enim à facilioribus eſſet ſemper inchoandum, certe in ſcientiis tradendis non exordiremur à dialectica, cum illa agat de obiecto max me difficili, nimirum de ente rationis. Quare cũ ea quæ tractantur in reliquis lib. probe intelligi nequeant ſine hac explicatione categoriarum ab illa (quamuis eſſet difficilis) erit exordiendum. Vt illud etiam addam categorias vt hoc loco explicantur ab Ariſt. eſſe ad intelligendum ſatis perfaciles, nam explicat illas populari, & communi ratione, ita vt ſine difficultate poſſint ab omnibus comparari.

De Methodo obſeruata in hoc opere & illius partibus.

IN toto opere obſeruat Ariſtot. methodum compoſitionis ſequutus enim ille morem Mathematicorum nonnulla præfatur tanquam fundamenta firmiſſima futuræ diſputationis, vt diffinitiones ſynonymorum homonymorum, paronymorum, præcepta quędam, & quaſdam diuiſiones. Deinde vero opus ipſum aggreditur. Vnde à ſimplicioribus quibuſdam initium ſumens paulatim tendit ad compoſitiora, quæ eſt methodus compoſitionis. Alij haue vocant methodum demõſtrandi, quia vt Mathematici ad ſuas diffinitiones conficiendas, vtuntur quibuſdam definitionibus, poſtulatis, & nonnullis alijs, ita Ariſt. hanc methodum obſeruans, in ingreſſu operis proponit homonym. &c. definitionem. Ceterum in explicandis ſingulis categorijs fere ſemper amplectitur methodum ſoluendæ finitionis, nam ſtatim in principio categoriæ tradit illius diffinitionem: interdũ etiam vtitur methodo arbitraria, vt quando prius de categoria Relatorum, quam de qualitate diſputauit. Methodo ſiquidem naturæ agendum prius erat de qualitate, quę eſt fundamentum, & cauſa relationis, tamẽ propter

nōnullas rationes, quas ibi proponemus, methodum arbitrariam ſecutus, prius de relatis, quam de qualitate diſputauit.

…iſio ope-

Diuiditur totum opus in tres partes præcipuas in antecategorias, categorias, & poſtcategorias, vel vt alij dicunt in antepredicamēta, prædicamenta, & poſtprædicamenta. In antecateg. tradit Ariſt. definitiones homonymo Synonymo. & paronymorum, nonnulla præcepta, & quaſdam diuiſiones. In categorijs ſeorſum, & ſigillatim vniuſcuiuſque naturam declarat. In poſtcategoriis denique illa explicat quorum mentio facta fuerat in categorijs, vt quæ vocentur contraria, quæ dicantur priora, quæ ſimul, qui ſunt modi habendi, & quo numero ſpecies motus contineantur.

Spectetne ad dialecticum agere de categ.

AD extremum in his prolegomenis explicandum erit num ſit hæc diſputatio categoria. propria dialecti ei, & an proprio munere, vel potius ab alio artifice mutuato de illis pertractet dialecticus alij ſub iſto titulo q. hanc proponunt ſintne categ. partes Logicæ necne?

Et quidem non eſſe munus dialectici de illis diſputare, his arg poſſumus confirmare.

1. Argum. 1. In categorijs agimus de ente rei, ſed dialecticus non diſputat de ente rei, ſed de ente rationis ergo categoriæ non erunt partes dialecticæ, ſeu ad Logicum non attinebit de categoriis diſputare.

2. Argum. 2. Dialectica eo eſt inſtituta vt dirigat intellectum in ſuis operationibus, atqui liber categoriarum dirigit vllam operationem intellectus, ergo liber categoriarum non ſpectabit ad dialecticum. Confirmatur aſſumpt. Tertia operatio intellectus dirigitur per argumentationem, de qua diſputatur in lib. de priori & poſteriori analyſi: ſecunda operatio dirigitur per enuntiationem, de qua agitur *in lib. de interpret.* prima denique dirigitur per definitionem, de qua eſt ſermo in peculiari tractatione diſtincta à tractatione categoriarum: ergo cum non dentur plures operationes intellectus, nullaque ipſarum dirigatur per tractationem categ. categoriæ non dirigent aliquam operationem intellectus.

3. Arg. 3. Si de categoriis agere eſſet munus dialectici, ex eo eſſet, quia in illis traditur ratio ſubiecti, & attributi, categoria enim nihil aliud exprimit quam ſeriem ſubiectorū, & attributorū ſed de ſubiectis, & attributis inſtituitur diſputatio in libris de interpr. ergo de categoriis agere non erit munus dialectici.

4. Si categoriæ eſſent neceſſariæ dialectico, & ad ipſum attinerent, vt partes ſequeretur nullum eſſe ordinem in rebus dialect. pertractandis, at qui hoc dicere eſt abſurdum, igitur categoriæ non erunt partes dialecticæ. Confirmatur propoſitio. In notionibus dialecticis nō datur prius, neque poſterius, quia ſunt quædam relationes, in relationibus autem (cum ſint illæ ſimul natura) non eſt vna prior, & altera poſterior, at in ordine datur prius & poſterius, ergo in notionib. dialecticis nullus eſt ordo, & ex conſequenti neque categoriæ erunt primæ partes. *4. argum.*

5. Dialectica tantum dirigit operationes intellectus ſecundum formam, ergo tantum diriget primam eius operationem ſecundum formam ſubiecti, & attributi, generis, & ſpeciei, atqui hæc ſecundum formam petuntur ab aliis libris dialecticis, vt genus & ſpecies a libro quinque vocum, ſubiectum vero & attributum a libris de interpret. vbi agimus de nominibus, & verbis, igitur de categoriis diſputare non erit munus dialectici. *5. argum.*

In hac quæſt. Ludouic Viues *lib. 3. de cauſſis corrupt. diſciplinarum*, Franciſc. Patric. 9 *lib diſcuſ peripat.* Balduin. *q. 4. ſua logica* exiſtimant propter hæc & alia argumēta, quæ propoſuimus) categorias non eſſe partes intrinſecas dialecticæ, neque ſpectare ad ipſum proprio munere de categorijs diſputare. Eandem magna animi contentione ſecutus eſt Antonius Bernard. Mirand. *in ſua apologia in hæc re edita*, qui cum dialecticam à definitione nominis, & verbi auſpicaretur, prætermiſſis categoriis, reprehenſuſque fuiſſet a quibuſdam, propter hanc cauſam, apologiam quandam ſatis diffuſam (8. *nimirum lib diſtributam*) in lucem emiſit, in qua copioſiſſime multis argumentis & auctoritatibus probare contendit, categorias non eſſe partes dialecticæ, & ob hanc rationem non ab illis, ſed a libris de interpret. in quibus ratio nominis, verbi & orationis explicatur, iure optimo dialecticam ſuam aggreſſum fuiſſe, hæc ſiquidem tractatio difficilis eſt, & quæ captum ſuperat dialecticorum, & ad alium artificem nimirum Metaphyſ. eſt referenda. Ex recentioribus quāplurimi hanc eandem ſententiam amplectuntur. *1. Opinio.*

At contra ſentiunt omnes fere Peripatetici, Græci, Arabes, & Latini Ex Græcis, Alexāder, Porphyrius, Simplicius, Ammonius, Dexippus, *in ſuis ad categorias præfationib.* & D. Damaſcen. *in ſua dialect.* Ex Latinis D. Auguſtin. *in ſuis categoriis tom. 1.* & D. Thom. *in præfation.*

libr. de

libr. de interpret. B. Albert. M. *tract.* 1. *categor.* Scuerin. Boet. & ex recentioribus Caiet. Louani. Soto, Villalpandus, Toletus, & innumeri alij quos moleſtum eſſet recenſere: ex Arabibus, Auerroes, Auicenna, Alpharabius, & Algazel, qui omnes vno ore profitentur categoriarum diſputationem eſſe dialecticam, & categorias eſſe veras, legitimas, & intrinſecas partes dialecticæ.

1. obſeruatio. Hanc igitur ſententiam tanquam veriorē, vt explicemus, animaduertendum eſt primo categorias poſſe ſumi duobus modis, primo, vt ab illis colliguntur rerum eſſentiæ & naturæ, nam à categoria ſubſtantiæ petitur eſſentia hominis, & à categoria qualitatis eſſentia albedinis, ſecundo ea ratione qua denotant ſeriem, & coordinationem ſubiectorum, & attributorum, generum, formarum, & indiuiduorum.

2. Obſeru. 2. Animaduertendum eſt eſſe duo genera partium, nam quædam ſunt partes intrinſecæ, & aliæ extrinſecæ. Intrinſecæ vocantur, quæ verſantur in eodem obiecto formali, in quo totum verſatur, vt libri de cœlo, de ortu, & interitu vocantur partes intrinſecæ philoſophiæ naturæ, quia agunt de ente mobili, quod eſt obiectum formale totius philoſophiæ naturæ. Extrinſecæ vero ſunt illæ, quæ non verſantur in eodem obiecto formali, multum tamen conducunt ad opus ipſum intelligēdum, vt dialecticam vocare poſſumus partē extrinſecam philoſophiæ naturæ, quia quamuis non agat de eodem obiecto formali, multum tamen confert ad philoſophiam naturæ conſequendam. Vnde cum ſint hæc duo genera partium auctores primæ opinionis exiſtimant categorias eſſe partes extrinſecas dialecticæ, eo quod multum illæ conferunt ad intelligendam dialecticam. Alij vero ſecundæ opinionis econtra exiſtimant categorias eſſe partes intrinſecas dialecticæ. Quibus animaduerſis ſit 1. concluſio.

1. concluſ. Tractatio categoriarum eſt metaphyſica, vnde ex proprio munere & officio primus philoſophus agit de categorijs, ita enim profitetur Ariſt. 4 *lib. Metaph. cap.* 2. *&* 5 *lib. cap.* 7. diuidit ens in decem categorias, de quibus in *eod. lib.* diſputat accuratiſſime, & tam *libr.* 7. *quam* 8. agit luculenter de ſubſtantia, *lib. vero* 10. diſputat de menſura, quæ eſt proprietas quantitatis, & contrarietate, quæ proprie intercedit tantum inter qualitates. Confirmatur præterea agere de rerum eſſentiis ſpectat ad Metaphyſicum, ſed in categoriis proponuntur rerum omnium eſſentiæ, ergo agere de categoriis ſpectabit ad Metaphyſic.

2. concl. Categoriæ ſunt partes intrinſecæ dialecticæ, & tractatio categoriā. eſt vere dialectica. Confir. aduerſus Mirandulanum, Viuem, Patricium, & alios, iis argumentis. 1. eſt: *2. concl.*

1. argum. Illa eſt pars intrinſeca alicuius operis, quæ verſatur in eodem obiecto formali totius, ſed tractatio categoriarum verſatur in eodē obiecto formali totius dialecticæ, verſatur enim in ſubiectis & attributis, in notionibus ſecūdis, quæ ſunt formale ſubiectum, & adæquatum totius dialecticæ, ergo tractatio categoriarum erit pars intrinſeca dialecticæ.

2. argum. 2. arg. Ariſt. in tradenda dialectica obſeruauit methodum compoſitionis, ergo exordiri debuerat a partibus ſimplicioribus, ſed categoriæ ſunt partes omnium ſimpliciſſi agunt enim de generibus ſupremis, ergo exordiendum erit in dialectica a categoriis tāquam a partibus, & ita categoriæ ſunt partes dialecticæ Confirmatur hoc argumentum vnumquodque ex iis tanquam ex partibus cōponitur in quæ reſoluitur, ſed ſyllogiſmus (de quo tanquam de obiecto præcipuo agit dialectica) reſoluitur in enunciationes, enunciationes in voces ſimplices a categoriis petuntur, ergo categoriæ erunt partes Dialecticæ.

3. argum. 3 arg. Dialectica eo eſt inſtituta, vt dirigat operationes intellectus, ſed prima, quæ eſt ſimplicium apprehenſio non poteſt dirigi niſi per tractationem categoriarum (nam tertia dirigitur per argumentationem, ſecunda vero per enuntiationem) ergo tractatio categoriarum erit pars intrinſeca dialecticę Confirmatur aſſumptio. Prima operatio intellectus eſt ſimplicium apprehenſio, ergo debet dirigi per res ſimplices, ſed res ſimplices pertractantur in categoriis, ergo categoriæ dirigēt primam operationem intellectus.

Solutio. Aduerſarii reſpondent primam operationem intellectus non dirigi a tractatione categoriarum, ſed a tractatione definiendi, quæ cum exprimat eſſentiam ſimplicem, diriget quoque primam operationem intellectus, quæ eſt ſimplex.

Confutio. Hanc tamen ſolutionem ita reiicimus, ſi definitio dirigit primam operationem intellectus, ergo cum partes definitionis petendæ ſint a categoriis, vt ſunt genus, & differentia, maiori iure categoriæ dirigent primam operationem intellectus.

4. Arg. 4. arg. Quidquid eſt cauſſa cauſæ eſt cauſſa effectus, ſed categoriæ ſunt regulæ definitionum, ergo erunt quoq; regulæ primæ opera-

tionis intellectus, quæ dirigitur per definitiones. Confirmatur aſſumpt. Inprimis ad diffinitiones eſſentiales rerum inueniendas progredi debemus beneficio diuiſionis per rectā ſeriem categoriæ diuidentes genera intermedia per differentias quoadusque deueniamus ad vltimam differentiam rei diffiniendæ: præterea diffinitio eſſentialis conſtat genere, & differentia quæ peti debent ex eadem categoria, accidentaria vero conſtant genere, & proprietate, vel multorum accidentium collectione, quæ petuntur ex diuerſis categorijs, ergo igitur definiendi peti debet a categorijs, ac proinde categoriæ partes erunt intrinſecæ dialecticæ.

5. Argum. Iam in dialectica agimus de enunciationibus, quæ vel ſunt in materia neceſſaria aut contingenti, aut impoſſibili, ac omnia hæc ex categorijs ſunt haurienda: nam illæ enunciationes ſunt in materia neceſſaria quarum ſubiectum & attributum intra ſeriē eiuſdem categoriæ cōtinentur, & illæ in materia contingenti quarum ſubiectum & attributum intra ambitum diuerſarum categoriarum ſunt cōprehenſa, ergo categoriæ partes erunt intrinſecæ dialecticæ.

3. concl. 3. concl. Quamuis vterque artifex metaph. & dialecticus diſputent de categorijs, alio tamen & alio conſilio de iis pertractant: nam dialecticus agit cognitionem earum ad notiones ſubiecti, & attributi, generis, & ſpeciei referendo, metaph. vero vt rerum quidditates ex illis poſſet colligere. Hanc non eſt cur in hoc loco conſit. eum iam ſupra in his prolegomenis illam expoſuerimus.

1. argum. Iam ad argumenta, ad 1. reſp. Dialecticum etiam agere de ente rei, non quidem vt ſiſtat in illius cognitione, ſed vt progrediatur vlterius ad efformandas ſecundas notiones, vnde quando agit de categorijs, quæ ſunt entia realia non tamē ibi ſiſtit, ſed refert huiuſmodi cognitionem ad notionem ſubiecti & attributi, generis, ſpeciei, & indiuidui. In qua re maxime ſeparatur dialecticus à metaph. citra tractationem categoriarū, eo quod metaphy. agit de categoriis ſiſtēdo in earum cognitione: dialecticus vero diſputat de illis non in earum cognitione ſiſtendo, ſed progrediendo ad ſecundas notiones.

2. argum. Ad 2. quidam reſpond. non eſſe neceſſ. vt omnes partes dialecticæ dirigant operationē aliquam intellectus, ſed ſat eſſe vt aliquæ ex illis eas dirigant, & ita quamuis categoriæ nō dirigant aliquam operationem intellectus, non proinde reiiciendæ erunt à tractatione dialectica, præſertimque cum verſentur in eodem ſubiecto formali in quo verſatur dialectica. Reſpondemus tamen alio modo negantes aſſumptionem, nam categoriæ dirigunt primam operationem intellectus, nam quamuis illa dirigatur à definitione tāquam à principio proximo & immediato, quod nos libenter concedimus (tantum abeſt, vt diffiteamur) dirigitur tamen a categorijs tanquā a primo principio, eo quod definitiones hauriendæ ſunt a categoriis.

Ad 3. reſp. nos poſſe loqui de ſubiectis, & attributis duobus modis, primo de naturis, quæ ſubijciuntur, & prædicantur, ea ratione qua ſunt affectæ notionibus; ſecundo vero modo pro nominibus, & vocibus ſignificantibus naturam ſubiectorum & attributorum. Si primo modo agamus petantur quidem illa a categoriis; ſi vero ſecundo modo a lib. de interpretatione petenda erunt, in quibus agimus de nominibus, & vocibus ſignificantibus. *3. argum.*

Ad 4. reſp. Notiones dialecticas poſſe ſumi duobus modis, primo vt denominant notiones primas, ſecundo vero vt referuntur ad ſuos terminos. Si ſumantur primo modo non ſunt notiones ſimul natura, ſed illa eſt prior, quæ denominat naturam priorem, & illa eſt poſterior, quæ denominat naturam poſteriorem, ſi autem ſecundo modo ſumantur ſunt illæ ſimul natura; at a dialectico non hoc ſecundo modo, ſed primo explicantur, vnde & ea ratione pertractantur qua inter ſe ordinem aliquem prioris, & poſterioris obtinent. *4. Arg.*

Ad 5. reſpond. Falſam eſſe propoſitionem, non enim notio generis & ſpeciei, ſubiecti, & attributi in abſtracto ſumpta dirigit primam operationem intellectus, ſed applicata alicui naturæ, vt animalis, verbi gratia, vel hominis, nam notiones ſecundæ abſtractæ non tractantur a dialectico, ſed a metaphyſico applicatæ vero, vel vt denominant conſiderantur a dialectico, vt docuimus in quæſtionibus proœmialibus agentes de obiecto dialecticæ. Et ita cum naturæ denominatæ genera & ſpecies petendæ ſint a categoriis erunt illæ omnino neceſſariæ ad dirigendam primam operationem intellectus. Maximeque miramur quoſdam diſcipulos D. Thom. negare categorias eſſe partes dialecticæ, & dirigere primam operationem intellectus cum Diuus Thomas in præfationibus lib. de inter. ret. & de demonſtr. expreſſe fateatur categorias dirigere primam operationem intellectus. *5. argum.*

COMMENTARIA IN ANTEcategorias Ariſtotelis.

CAPVT I.

De Homonymis.

ARGVMENTVM CAP.

IN hoc capite ſolam homonymorum proponit diffinitionem, quam accurate exemplis quibuſdam in medium propoſitis illuſtrat.

A *HOmonyma, quæ vulgo æquiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, diffinitio autem eſſentiæ ad id nomen accommodata, alia atque alia. Vt animal, id quod homo eſt, & depictum animal. Hæc enim nominis tantummodo ſocietate coniuncta, definitione ea, quæ eſſentiam eorum in hoc nomine explicat, differunt. Si quis enim explicet, quid ſit vtrumque eorum, quæ animalia ſunt, vtriuſq; propriam conſtituet definitionem.*

COMMENTARIA.

MAthematicorum morem ſecutus Ariſt. nonnulla prius ante ipſas categorias proponit, quæ ad illas intelligendas ſunt prorſus, & abſolute neceſſaria, vt ſunt definitiones homonymorum ſynonymorũ, & paronymorum, quaſdam leges, & nonnullas diuiſiones. Auſpicatur vero à definitione homonymorum, quam his verbis proponit:

A *Homonyma, quæ vulgo æquiuoca dicuntur, &c.* Homonyma dicuntur, quorum ſolum nomen eſt commune, diffinitio autem eſſentiæ ad id nomen accommodata alia, atque alia. In qua oratione, in prima parte, homonyma dicuntur, continetur diffinitum: in ſecunda vero diffinitio. In prima igitur parte, inquit homonyma dicuntur in numero plurali, quia vna res non poteſt dici homonyma per ſe ſumpta, niſi cum alia nominis communionem habuerit. Præterea nõ inquit homonyma ſunt, ſed dicũtur, quia res vt ſunt a parte rei non ſunt homonymæ, ſed vt dicuntur nominib. & vocibus declarantur. Et hæc particula exprimit rem definitam, oratio vero ſequens: *Quorum ſolum nomen, &c.* eſt definitio in qua ſex particulæ comprehenduntur, nam ſub prima: *Quorum ſolum nomen eſt commune,* tres particulæ continentur, quæ explicant illud in quo homonyma conueniunt: ſub alia vero quæ eſt: *Definitio autem ad id nomen accõmodata alia atq; alia*: tres quoq; alias continet, in quibus illa quib. inter ſe homonyma ſeparantur, exprimuntur. Prima ergo particula eſt, quorum nomen, vbi per nomen nõ intelligimus partẽ illã orationis, quæ diſtinguitur à verbo, ſed omnẽ dictionem ſignificantẽ co modo quo locutus eſt Ariſt. *in lib. de interp. c. 3.* vbi inquit verba, ſi per ſe proferãtur nomina ſunt, nam in verbis, & nominib. datur homonymia, nam ſicut hoc nomen canis, ſignificat homonyme cœleſtẽ, marinũ, & terreſtrem. ſic hoc verbum fero, ſignificat homonyme hoc quod eſt portare aliquod pondus, & ſuſtinere iniuriam. Secunda particula eſt ſolum, quę ſignificat idem, quod nullam aliam præter nominis communionem, eum alio habere, etenim in homonymis, vt nomine homonymo declarantur, nulla eſt alia quam nominis vnitas & communio. Tertia particula eſt commune, quæ ſignificat idem, quod indiuiſum manens multis poſſe accommodari, qua ratione dicimus vocem à magiſtro prolatam communem eſſe omnibus diſcipulis, quia vna & eadem indiuiſa manens percipitur ab illis, nam vox homonyma manens indiuiſa omnib. ſuis ſignificatis accõmodatur. Hę tres particulæ explicant illud in quo homonyma cõueniunt, quę vero ſequũtur explicant illud in quo inter ſe ſeparantur. Quarta igitur eſt diffinitio, quę ſignificat naturam per diffinit. explicatam in homony. debere eſſe diuerſam. Quinta eſt eſſentiæ vel ſubſtantiæ, ꝙ nomen nõ ſumitur pro ſubſtantia vt eſt diuiſa contra accidẽs, ſed pro attributis eſſentialib. vel pro quodquid eſſe rei: nã ſubſtantiã inter alia hoc ſignificare autor eſt Ariſt. *7. Metaph cap. 3* vlt. particula eſt Nomini accõmodata alia, atq; alia, quæ quidem exprimit homonyma optime poſſe rationẽ aliquam obtinere eſſentiæ

munem iuxta aliud nomen, ceterum ratio accommodata nomini homonymo eſt alia, atque alia, vt quamuis canis domeſticus, & marinus iuxta nomen animalis poſſint habere rationem communem, tamen iuxta nomen canis, quod eſt homonymum, nullam rationem communem poſſunt obtinere.

Scholia in caput de homonymis.

Obſeru. AD 1. Vt ea quæ de homonymis ab Ariſt. explicata fuerunt facilius intelligi queant, erunt nõnulla paulo altius repetito principio proponenda. Rerum igitur quę vocibus exprimuntur quædam ſignificantur nominibus, & aliæ definitionibus, vt homo exprimitur per hanc vocem homo, & per hanc definitionem animal particeps rationis. Per nomina res confuſe ſignificantur, per definitiones vero aperte & manifeſte. Nomina poſſunt eſſe multis communia, vt hoc nomen homo commune eſt homini viuo, & picto, definitiones vero non poſſunt multis conuenire, ſed vni rei diffinitæ, vt animal particeps rationis ſoli homini viuo competit. Ex hac ergo ſignificatione rerum per nomina, & definitiones, oriuntur genera homonymorum, ſynonymorum, & paronymorum, nam ſi nomen eſt commune, diffinitio vero fuerit multiplex & diuerſa, erũt homonyma, vt hoc nomen canis, eſt homonymum, quia ſolum nomen eſt commune cani domeſtico, cœleſti, & marino, diffinitio autem eſt diuerſa. Si vero fuerit eadem definitio, nomina vero fuerint multa & diuerſa dicuntur multiuoca, vel a Græcis Polyonima, vt ſunt hæc nomina rationale mortale, & homo, nam ſunt nomina diuerſa, eſt autem vna & eadem definitio ſignificata per illa ſcilicet, definitio hominis. Si vero fuerit idem nomen & eadem definitio dicuntur ſynonyma, vt animal quod effertur de homine & equo eodem nomine, & eadem ratione ſiue definitione. Si vero tam definitio quam nomen fuerit diuerſa dicuntur illa diuerſiuoca, à Græcis dicta æther onyma, vt ſunt cœlum & homo. Denique ſi nomina, & definitiones partim fuerint eadem, & partim diuerſa, dicuntur paronima, vel denominatiua, vt Grammatica, & Grammaticus. Ex his ſynonyma vocãtur à Latinis vniuoca, homonyma vero æquiuoca: homonymis opponuntur multiuoca, nam in homonymis nomẽ eſt commune, ratio vero eſt diuerſa: in multiuocis vero ratio eſt eadem, nomina vero ſunt diuerſa. Synonymis vero opponũtur diuerſiuoca nam in homonymis nomen, & ratio ſunt communia, in diuerſiuocis vero tam nomen, quã definitio ſunt diuerſa. Ex his ergo quinque generibus nominum tantum agit Ariſtotel. de homonymis, ſynonymis, & paronymis propter has cauſſas: Prima eſt, quia in categorijs tantum facit Ariſtotel. mentionem horum trium. *1. Cauſſa.* Secunda, quia homonyma ſunt reijcienda à categorijs, & ſynonyma ſunt in illis collocandá, categoriæ vero accidentium prędicantur paronyme, vel denominatiue de categoria ſubſtantiæ. *2. Cauſſa.* Tertia eſt, diuus Albertus Magn. *tractat. 1. in categ. cap. 2.* quia ſcilicet categoriæ de quibus in hoc opere eſt inſtituta diſputatio, vel feruntur ad ſuperiora vt ad ens, & ſic continentur homonymis, quia ens homonymum eſt ad decem categorias, vel referuntur ad inferiora vt ſubſtantia ad corpus, corpus animatum, animal, & hominem, & tunc continentur ſub ſynonymis, vel referuntur ad ſubiectum, quod denominant, & ita continentur ſub paronymis, vel denominatiuis. Vnde ęquum fuit de his tribus ſcilicet homonymis, ſynonymis, & paronymis ſeu denominatiuis, ſermonem inſtituere. *3. Cauſſa.*

Ceterum ob quam cauſſam prætermiſſa fuerunt ab Ariſt. multiuoca, & diuerſiuoca dubitãt interpretes, nos huius rei poſſumus has rationes proferre.

1. Ratio. Prima eſt tradita ab Ammonio, & Simplicio, quia duo hæc ex cognitione ſynonymorum, & homonymorum facile poſſunt intelligi, nam cognito vno contrario facillimum eſt alterum intelligere, & ita cum multiuoca contrarientur homonymis, & diuerſiuoca ſynonymis ex cognitione homonymorum & ſynonymorũ facile poſſumus cognoſcere multiuoca, & diuerſiuoca.

2. Ratio. 2. eſt Syrani, quia inſtitutum Ariſto. in hoc opere eſt tradere, quæ poſſunt conducere ad categorias contemplandas, & ad conſiderandas rerum naturas, at vero multiuoca, & diuerſiuoca cum ſint multa nomina potius ſpectant ad ornandam & amplificandam orationem, quam ad rerum naturas inueſtigandas, & ita ſunt prætermiſſa ab Ariſt. tanquã propria Oratoribus & minus accommodata dialecticis. Exorditur autem diſputationem ab homonymis, vel quia ſunt ſimpliciora cum in illis nomen tantummodo ſit commune, vel quia cum ſit acturus de decem categoriis de quibus ens dicitur homonymωs, ab homonymis diſputationem aggredi ſatius indicauit.

Ad 2. Adnotant Ammonius, & Simplicius homonyma ita eſſe diuidẽda: vt homonyma

quædam

quædam ſint à caſu, & alia à conſilio. Homonyma à caſu dicuntur illa quorum nomen eſt commune caſu, & fortuito, vt hoc nomen taurus dictum de monte tauro, & de animali tauro. Homonyma vero à conſilio dicuntur illa quorum nomen eſt commune adhibito conſilio, & deliberatione, vt hoc nomen homo eſt homonymum à conſilio, vt dicitur de homine viuo & picto, nam quia homo pictus eſt quædam imago viui, propterea eſt illi hoc nomen inditum, quia imagines rerum ornantur eiſdem nominibus, quibus & res ipſæ. Præterea homonyma à conſilio ſunt diſtributa in 5. partes, nam quædam dicuntur homonyma propter memoriam, alia propter ſpem, alia propter analogiam, & alia ab vno, & tandem alia ad vnum. Homonyma propter memoriam ſunt illa, quæ ſignificant plura propter aliquam memoriam, vt hoc nomen Carolus, quod dicitur de filio propter nomen aui. Homonyma propter ſpem dicuntur, quando nomen plura ſignificat propter aliquam ſpem, vt ſi quis ſperet filium ſuum euaſurum in maximum Philoſophum, & ornet eum nomine iſto, Ariſtoteles. Homonyma propter analogiam, & proportionem ſunt illa, quorum nomen eſt commune propter aliquam analogiam, vt hoc nomen pes, quod de pede ſcamni, & pede hominis dicitur, quia quam habitudinem obſeruat pes hominis ad hominem, eandem habet pes ſcamni ad ſcamnum. Homonyma ab vno ſunt illa, quorũ nomen eſt commune, prout deriuantur ab aliquo vno principio, vt Medicinam dicimus librum, inſtrumenta, & hominem artis medicæ peritum, ea ratione, qua deriuãtur ab vna medicina. Tandem quędam ſunt homonyma ad vnum, ea ſc. ratione, qua referuntur ad vnum finem & ſcopum, vt ſunt vrina ſana, & medicina ſana, & animal ſanum, nam hæc omnia dicuntur ſana propter vnam ſanitatem animalis.

3. Obſer. **A. 3. Homonymia & in vocibus ac nominibus, & etiam in rebus ipſis reperitur, nam hoc nomen canis eſt homonymum**, res quoque ſignificatæ, vt canis cœleſtis, terreſtris, & marinus ſunt homonymæ. Voces homonymæ dicuntur à Græcis homonyma homonymantia, à Latinis autem æquiuoca æquiuocantia: res vero homonymæ dicuntur à his æquiuoca æquiuocata, ab illis autẽ homonyma homonymata. Et idem iudicium eſt de ſynonymis. Nomina enim ſynonymantia vel vniuocantia dicuntur: res vero ipſę ſynonymata, vel vniuoca vniuocata nominantur, ex his ergo homonymis tantum ſunt definita illa, quæ ſunt homonymata, nam definita ſunt in numero plurali, at homonyma homonymantia non ſunt multa, ſed vnica ſimplex vox diuerſis ſignificationibus affecta.

A 5. Circa particulam illam ſolum annotaur Ammonius, Porphyr. & Deuxipp. illam ſumi aliquando pro eo, quod eſt vnũ, vt quando dicimus eſſe ſolum mundum, id eſt vnum mundum. Sumi deinde pro eo, quod eſt diuerſum ab altero eiuſdem naturę, qua ratione dicimus Socratem habere ſolum pallium, id eſt, non habere aliam veſtem præter pallium. In qua ſignificatione ſumitur hoc loco dicto ſolum, quia homonyma præter nomen nihil aliud habent commune. 4. Obſer.

A 5. Vox illa commune, vt interpretantur Porphyr. Deuxipp. Ammon. Simplic. & Boetius, ſumi poteſt quatuor modis. Nam primo commune dicitur aliquid per diſtributionem, vt dicimus commune prandium, quia diſtribuitur in multos homines. Secundo dicitur aliquid commune propter vſum, eo quod vna & eadem re multi vtantur diuerſis temporibus, qua ratione ſeruum, & equum dicimus communia. Tertio vocatur commune illud, quod antea erat proprium, deinde per receſſum fit multis commune, qua ratione dicimus theatrum commune. Quarto dicitur commune illud, quod indiuiſum remanens poteſt multis accommodari, qua ratione dicimus vnam & eandem vocem magiſtri eſſe communem omnibus diſcipulis, quia eadem manens indiuiſa percipitur ab omnibus illis. Cum ergo ſint huius nominis quatuor ſignificationes, ſumitur ab Ariſt. in poſtrema ſignificatione, nam eadem vox homonyma indiuiſa manens ſignificat omnia ſua ſignificata, & ita eſt communis per indiuiſionem omnibus illis. 5 Obſer.

A 6. Porphyrius & Boetius vocem illam, definitio, interpretantur per rationem, quæ quidem particula aliquando ſignificat argumentationem, aliquando intellectum ratiocinantem, & aliquando naturam & eſſentiam rei. Et ita in hoc loco per rationem intelligimus naturam & eſſentiam, vnde ſenſus erit in homonymis natura & eſſentia nomini accommodata debet eſſe diuerſa. Nam quod quidam per naturam intelligunt definitionem, ſi de ea proprie agant, errant vehementer, quia cum neque genera ſuprema, neque ſingularia obtineant eſſentialem definitionem, in illis non daretur homonymia, quod tamen eſt falſum. 6. Obſer.

QVÆSTIO VNICA.

Sintne vera, quæ ſunt tradita ab Ariſtotele de homonymis?

EX veteribus Philoſophis multi obiectiones varias aduerſus ea, quæ traduntur ab Ariſtotele in hoc opere categoriarum propoſuerunt, quæ erunt à nobis ſuis locis diſſoluendæ, & ita ſit primum argumentum aduer-
Arg. ſus definitionem homonymorum: Quæ definiuntur, ſignificant vnam aliquam naturam, quia definitio eſt vna oratio, ſed homonyma non ſignificant vnam aliquam naturam, ſed multas, ergo homonyma nulla ratione poſſunt definiri.

Arg. 2. Quæ habent idem nomen, & eandem rationem, ſunt ſynonyma, ſed homonyma habent idem nomen, & eandem rationem, quia nomen homonymum commune eſt omnibus homonymis, præterea ratio vel definitio communis eſt omnibus illis, ergo homonyma ſunt ſynonyma.

Arg. 3. Nomen eſt ſignum & nota alicuius rei, ergo vbi erunt varia ſigna & notæ, erunt varia nomina, ſed in voce aliqua homonyma dantur multę ſignificationes, ergo in homonymis non erit vnum nomen, ſed multa.

Arg. Prętereà in verbis datur æquiuocatio, ſicut & in nominibus, ſed verba non ſunt nomina, ergo non rectè dictum eſt ab Ariſtot. quorum nomen eſt commune, ſed quorum nomen vel verbum eſt commune.

Arg. Ad hæc: In accidentibus datur homonymia, nam hoc nomen candidum, quod eſt nomen accidentis, ſignificat homonyme candorem albedinis, & vocis, dicimus enim candidam vocem, ſicut & candidum parietem, ſed in accidentibus non datur ratio ſubſtantiæ, quia accidentia non ſunt ſubſtantię ergo non rectè dictum eſt in definitione, ratio vero ſubſtantiæ, &c.

Arg. Iam: Nomen homonymum ſi per ſe proferatur, nihil ſignificat, ſi vero proferatur cum aliquo addito, eſt ſynonymum, non ergo datur nomen aliquod homonymum. Confirmatur antecedens. Hoc nomen canis ſi per ſe proferatur, non ſignificat canem domeſticum, nam poſſum ego intelligere marinum: ſi vero proferatur cum hoc addito, domeſticus, eſt nomen ſynonymum. nam canis domeſticus prædicatur ſynonyme de hoc & illo cane domeſtico.

Arg. Iterum: Omnia genera prædicantur homonyme de ſuis inferioribus, nam iuxta genera latent multę æquiuocationes, auctore Ariſt. 7. *Phyſ. c. 4.* ſed genera eodem nomine, & eadem ratione prædicantur de ſuis ſpeciebus, ergo homonyma eadem ratione dicentur de ſuis ſignificatis.

His & aliis huius generis argg. Nicoſtratus & eius ſectatores, vt auctor eſt Simplic. aduerſus hanc definitionem homonymorum, tanquam vitioſam, & minus rectè traditam argumentabantur. Illis tamen eruditè idem Simpl. Ammo. Dexip. in qq. & Porph. in interrog. occurrerunt, quorum doctrinam imitati eiſdem in hũc modũ ſigillatim & ſeorſum ſatisfacim⁹.

Ad 1. reſp. diſtinguendo aſſumpt. quia homonyma ſumi poſſunt materialiter vel formaliter, i. vel pro ipſis rebus homonymis, vel pro notione homonymorum. Si primo modo ſumantur nulla ratione poſſunt homonyma definiri, nam canis cœleſtis domeſticus, & marinus, vt hoc nomine ſignificãtur, non poſſunt habere communem vnam aliquam ſignificationem, aut naturam. Si vero ſecundo modo vſurpentur, ſignificant vnam aliquam naturam, poſſuntq; optime definiri, nam in hac definitione, quemadmodum & in aliis definitionibus logicis, definitum eſt ſecunda notio. *Ad 1. arg.*

Ad 2. reſpondent Ammon. Simpl. Porph. & Dexip. diſtinguentes aſſumpt. vt diſtinximus in ſuperiori ſolut. nam ſi loquamur de homonymis materialiter, falſa eſt aſſumptio, carent quippe illa ratione aliqua ſibi communi. Quod ſi de eiſdem loquamur formaliter, vel pro notione homonymorũ vera eſt aſſumpt. quia notio homonymorũ ſynonyma eſt, neq; enim eſt vllum abſurdum vnã & candem rem diuerſa ratione ſumptam eſſe homonymam, & ſynonymam, & ita homonyma materialiter ſumpta erunt homonyma, formaliter autem vſurpata ſynonyma vocabuntur. *Ad 2.*

Ad 3. reſp. negando conſeq. quia in rebus conſtitutis ex materia & forma diſtinctio non petitur à forma, ſed à materia, vt docuit Ariſt. 1. *lib. de cœlo. cap. 9.* & ita cum in nomine reperiatur materia & forma (nam materia eſt vox ex Ariſtotel. 5. *lib. de gener. animal. cap. 7.* forma vero eſt ſignificatio) diſtinctio nominis non petitur à ſignificatione, quæ eſt forma, ſed à materia, quæ eſt vox. Vnde quamuis in voce homonyma dentur multæ ſignificationes, nõ erunt multa nomina, ſed vnum tantum, quia vox tantum eſt vna. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. nomen eo loco ſumi pro qualibet dictione ſignificante, quæ etiam complectitur verba, vt expoſuimus in explicatione definitionis homonym. ſupra tradita. *Ad 4.*

Ad 5. reſp. cum Ammon. ſubſtantiam ali- *Ad 5.*

quan-

quando ſignificare apud Ariſt. quidquid non eſt accidens, & aliquando eſſentiam & naturam rei, vt conſtare poteſt ex Ariſt. 5. *Metaphyſ. cap. 8. & 7. lib. c. 3.* vnde ſi ſumatur ſubſtantia in prima ſignificatione, accidentia nō ſunt ſubſtantiæ, ſi vero ſumatur in ſecunda ſignificatione, accidentia dicuntur ſubſtantiæ, habent enim ſuam naturam, & eſſentiam, & in hac ſecunda ſignificatione ſumitur ratio ſubſtantiæ in propoſita definitione, ac ſi diceremus apertius, ratio vero ſubſtantiæ, id eſt, natura & eſſentia eſt diuerſa. Quamuis non deſint ex veteribus, vt Boetius Græcus, & Andronicus auctore Simplicio, qui exiſtiment, particulam illam ſubſtantiæ eſſe extra textum, neque fuiſſe propoſitam ab Ariſt. ſed ab aliquo alio Peripatetico: verum omnes alii particulam hanc & legunt, & tanquam ab Ariſt. propoſitam retinent.

Ad 6. Ad 6. reſpond. nomen homonymum abſolute prolatum eſſe homonymum. Ad argumentum ergo, quando ita dicimus, nomen homonymum per ſe prolatum nihil ſignificat, negandum erit, quia ipſum abſolute prolatum ſignificat omnia ſua ſignificata, & non vnum vel alterum tantum, vt nomen canis, ſi per ſe proferatur, ſignificat tres canes, & non tantum cœleſtem, domeſticum, aut marinum.

Ad 7. reſp. duplicem eſſe homonymiam, vnam phyſicam, & alteram dialecticam. Phyſica dicitur vnitas naturæ, quæ dispari ratione obtinetur à ſuis inferioribus, eo quod in vno illorū perfectiori modo, quam in altero contineatur. Homonyma autem dialectica ſunt illa, quæ habent idem nomen, & diuerſam rationem eſſentialem. Vnde vna & eadem aliqua natura dici poterit homonyma phyſice, & ſynonyma dialectice, vt ſunt omnia genera. Quando ergo Ariſtoteles docuit iuxta genera eſſe homonymiam, non eſt loquutus de homonymia dialectica, quæ eſt propria homonymia, ſed de phyſica, eo quod genus nobiliori modo repetiatur in vna ſpecie, quam in alia, vt animal nobiliori modo reperitur in homine, quam in equo. *Ad 7.*

CAPVT II.

De Synonymis.

ARGVMENTVM CAPITIS.

QVemadmodum in ſuperiori capite vnicam tantum definitionem homonymorum propoſuerat, ita & in hoc alio ſolam definitionem ſynonymorum tradit, quam exemplo ſatis accommodato, animalis, illuſtrat.

Synonyma autem, quæ vulgo vniuoca dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & eadem nomini attributa eſſentia definitio, vt animal, id quod homo eſt, & id quod eſt bos. Nam & animal communi nomine eorum vtrumque appellatur, & eadem eſt, quæ eſſentiam explicat, definitio. Etenim ſi quis tradat definitionem, quæ, quid ſit vtrumque, quatenus animalia ſunt, explicet, certe eandem attribuet vtrique.

COMMENTARIA.

ALteram definitionem ex iis, quas in antecategoriis tradere inſtituebat Ariſt. ſynonymorum nimirum in hoc loco proponit. Ea ſic ſe habet: Synonyma ſunt, quorum nomen eſt commune, & eadem nomini attributa eſſentiæ definitio, vt animal eſt ſynonymum ad hominem & bouem, quia & nomen animalis eſt vtrique commune, & ratio illius, quæ eſt eſſe ſubſtantiam corpoream, animatam, ſentientem, de vtroque etiam prædicatur. In qua definitione prima particula eſt, dicuntur, quæ indicat in rebus ipſis, vt ſunt a parte rei, non reperiri ſynonymiam, ſed ea ratione, qua nominibus & vocibus quibuſdam declarantur, eo modo, quo eandem particulam in definitione homonymorum expoſuimus. Quæ particula continet rem definitam, reliquæ, quæ ſequuntur, explicant illius definitionem, nam ſecunda eſt: *Quorum nomen eſt commune*, in qua re conueniunt illa cum homonymis, nam commune eſt vtriſque habere vocem communem: ſeparantur tamen à multiuocis, vel polyonymis, quæ quamuis vnam & eandem naturam obtineant, diuerſis tamen nominibus illam ſignificant, vt ſunt hæc nomina, veſtis & indumentum gladius & enſis. Tertia eſt, *& eadem nomini attributa eſſentia definitio*, quæ indicat, in ſynonymis non tantum

tum

tum nomen, verum etiam & eſſentiam debere eſſe communem. Per quam particulam ab homonymis ſeparantur, quia in illis ratio eſt multiplex & diuerſa, in ſynonymis vero eſt vna & eadem. Itaque ſynonyma non omnino opponuntur homonymis, cum habeant cum eis commune habere nomen vnum & idem: opponuntur vero heteronymis, vel diuerſiuocis, quia in ſynonymis vtrumque eſt commune, & nomen & definitio, in heteronymis vero, & ratio, & nomen diſtinguuntur, vt iam ſupra expoſuimus.

Scholia in caput ſecundum de ſynonymis.

1. Obſeru. A 1. Oratores, & Poetæ alio modo ſumunt ſynonyma, quam Philoſophi, nam Rhetores & Poetæ ſynonyma vocant ea, quæ dicta ſunt à nobis multiuoca, ſcilicet multa nomina eandem naturam ſignificantia, vt gladius & enſis, veſtis & indumentum: at vero Philoſophi ſynonyma ea vocant, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantię nomini accommodata vna eſt, & eadem.

2 Obſeru. A 2. Simplicius ob duas rationes inquit eſſe inſtitutam ſynonymorum tractationem ab Ariſt. Prima eſt, vt intelligamus genera attributionum, quæ fiunt in categoriis, tantum enim poſſunt naturæ ſynonymæ prædicari de ſynonymis. Secunda eſt, vt intelligamus, quænam contineantur ſub eadem categoria, quia homonyma poſſunt in diuerſis categoriis collocari, at ſynonyma omnia ſunt ad vnam & eandem categoriam reuocanda.

3. Obſeru. A 3. Tria diſcrimina inter ſynonyma & homonyma interueniunt. Prima eſt in homonymis ratio ſubſtantiæ eſt multiplex, in ſynonymis vero eſt vna & eadem. 2. eſt, quia nomen homonymum ſignificat multas naturas, vt hoc nomen canis, ſignificat canem cœleſtem, domeſticum, & marinum, at nomina ſynonyma ſignificant vnam, & eandem naturam, vt hoc nomen animal ſignificat tantum naturam ſentientem. 3. eſt homonyma recipiunt contradictionem, vt hoc nomen homo, quod dicitur de homine viuo, & picto recipit contradictionem, dicimus enim hominem pictum eſſe hominem, & non eſſe hominem, nam eſt homo pictus, & non eſt homo viuus: at vero nomina ſynonyma non recipiunt contradictionem, vt hoc nomen animal quod effertur de homine, & boue, non recipit contradictionem, non enim dicimus hominem eſſe animal, & non eſſe animal.

4. Obſeru. A 4. Triplex eſt ſynonymia phyſica, Logica, & metaphyſica. Phyſica eſt vnitas naturæ quæ in multis ex æquo reperitur, quæ ſola in ſpeciebus infimis inueniri poteſt, nam genera non poſſunt ex æquo à ſuis inferioribus participari, idq; propter differentiarum inæqualitatem quæ ipſa ad certas & diffinitas ſpecies coercent. Metaphyſica dicitur vnitas naturæ abſtractæ à differentiis, & proprietatibus indiuiduantibus, abſque eo quod in ea contemplemur notionem aliquam ſecundam vt natura humana abſtracta à proprietatibus, & differentiis contrahentibus Petri, vel Ioannis, abſque eo quod in ea contemplemur notionem ſpeciei eſt ſynonyma ſynonymia metaphyſica. Synonymia vero Logica illa eſt, quæ ſignificat vnitatem naturæ multis communem, vt afficitur aliqua notione ſecunda qua ratione eadem natura humana vt afficitur notione ſecunda ſpeciei, vel attributi, eſt natura ſynonyma ſynonymia Logica.

A 5. Illud etiam non erit tradendum obliuioni dupliecm eſſe ſynonymiam logicam vnam eſſentialem, alteram accidentariam. Eſſentialis eſt quando nomen eſt commune, & ratio quoq; nomini accommodata eſt communis, diciturque ſecundum eſſentiam de iis de quibus dicitur. Accidentaria vero eſt illa quando nomen eſt commune, & ratio quoq; nomini accommodata eſt communis, non tamen dicitur ſecundum eſſentiam de iis de quibus dicitur. Primo genere ſynonymæ tres voces prædicabiles genus ſpecies, & differentia dicuntur ſynonymæ de inferioribus, nam nomen & rationem eis communicant de quibus prædicantur: ſecundo vero genere duæ aliæ voces proprium, & accidens commune efferũtur ſynonyme de his de quibus dicũtur, nam nomen & rationem illis communicant, non tamen ſecundum eſſentiam de illis poteſt ratio prædicari, vt candidum, nomen, & rationem communicat cygno, nam dicimus cygnum eſſe candidum, & diſgregare viſum (quod eſt ratio, & natura candidi) non tamen dicitur ſecundum eſſentiam hęc ratio de ipſo, neque enim eſt de eſſentia cygni eſſe candidum, ſed eſſe ſubſtantiam corpoream animatam, ſentientem. 5. Obſeru.

QVÆSTIO VNICA.

An ſint vera quæ in hoc capite tradita fuerunt ab Ariſt. de ſynonymis.

ADuerſus ea quæ dicta ſunt ab Ariſt. de ſynonymis ſe offerunt nonnulla argumenta, quæ quamuis ex his quæ diximus nullam

habe-

habere videantur difficultatem, vt tamen illa illuſtriora appareant, erunt in hoc loco proponenda.

1. *Arg.* Primum eſt: Nomina imponuntur rebus iuxta earum naturas, tot ergo erunt nomina, quot ſunt naturæ ſignificatæ, ſed in ſynonymis ſunt multæ naturæ ſignificatæ, vt homo, & equus, qui ſunt ſynonyma, in animali denotant diuerſas naturas, ergo ſynonyma non erunt illa, quorum nomen eſt vnum & commune, ſed quorum nomina ſunt multa.

2. *Arg.* Secundum: Natura generica eſt natura ſynonyma, ſed non eſt vna & eadem in omnibus ſuis ſpeciebus, ergo ſynonyma non ſunt illa, quorum eſt vna & eadem natura. Confirmatur aſſumptio. Primo: Vna & eadem natura non poteſt continere contraria, ſed natura generica continet contrarias differentias, ergo non eſt vna & eadem. Secundo: Ariſtoteles 1. *de anima. cap.* 1. inquit, aliam eſſe naturam generis in vna ſpecie, & aliam eſſe in altera, vt aliam eſſe naturam animalis in homine, & aliam in equo, ergo natura generica non erit vna & eadem in ſuis ſpeciebus.

3. *Arg.* Tertium: Accidentia prædicantur ſynonyme de ſubiectis, ſed accidentia non prædicantur eodem nomine, & definitione eſſentiali de ſubiecto, auctore Ariſtotele in categoria ſubſtantiæ, ergo ſynonyma non erunt illa, quorum eſt idem nomen, & eadem definitio.

Vlt. arg. Vltimum: Synonymia in vno ſolo reperitur, nam Socr. v. gr. ad ſe ipſum relatus habet locum naturæ ſynonymæ, non ergo bene dictum eſt in definitione, in numero plurali ſynonyma eſſe illa, quorum nomen eſt commune.

Hæc tamen argumenta facile diſſolui poterunt, nam quæ ab Ariſt. in hoc loco tradantur, ſunt ita vera, vt nulla egeant probatione, quare erit illico æquum propoſitis argumentis ſatisfacere.

Ad 1. arg. Ad primum igitur reſpond. naturas ſynonymas ſumi poſſe vel vt ſignificantur nomine ſynonymo; vel ea ratione, qua aliis nominibus declarantur. Si primo modo ſumantur, vna eſt natura ſynonyma: ſi vero vſurpentur altero modo, multiplex eſt natura ſynonymorum. Vt homo & equus ſi ſumantur ea ratione, qua ſignificantur per hoc nomen animal, quod eſt ſynonymum, habent vnam & eandem naturam, ſi vero ſumantur, vt ſignificantur propriis nominibus, habent diuerſas naturas, & ita negandum erit, ſynonyma ea ratione, qua ſynonyma ſunt, habere diuerſas naturas.

Ad ſecundum reſpond. negando aſſumptionem. & ad primam probationem dicimus, vnam & eandem numero naturam non poſſe continere contraria, attamen eandem naturam genere, aut ſpecie poſſe continere contraria, nam homo, qui eſt vnus ſpecie, continet contrarias qualitates, vt albedinem & nigredinem. Et ita cum natura generica ſit vna genere, optime poterit continere contrarias differentias. Ad ſecundam confirmationem dicimus, Ariſt. loquutum eſſe de eſſe, non autem de eſſentia, aut natura generis, quia genus aliud eſſe habet in homine, aliud in equo: habet tamen vnam & eandem naturam in omnibus ſpeciebus, nam eadem attributa eſſentialia animalis, quæ ſunt in homine, ſunt etiam in equo, at ſynonyma non vocantur illa, quorum eſt idem eſſe, ſed quorum eſt eadem natura & eſſentia. *Ad 2.*

Ad tertium reſpond. duplicem eſſe ſynonymiam, vnam eſſentialem, & aliam accidentariam, vt in ſcholiis obſeruauimus: accidentia igitur prædicantur ſynonyme ſynonymia accidentaria, nō autem eſſentiali. In hac autem definitione definita eſt ſynonymia, quæ eſt communis ad vtramque. Ariſtoteles vero quando inquit, accidentia non prædicari nomine & ratione, intelligi debet, ita vt ratio ſit de eſſentia ſubiecti, de quo prædicantur, qua ratione iam diximus, accidentia non dici ſynonyme. *Ad 3.*

Ad vltimum reſpond. negando, Socratem relatum ad ſe ipſum eſſe naturā ſynonymam, nam ſynonymia tantum in vocibus vniuerſis reperitur, ſignificat enim cōmmunitatem tam nominis, quam rationis: at quidquid eſt commune, eſt vniuerſum, vt auctor eſt Ariſtot. 1. *de partib. cap.* 4. *Ad Vlt.*

CAPVT III.

De Paronymis.

Argvmentvm Capitis.

EO modo, quo in ſuperioribus capitibus, ita & in hoc capite vnicam proponit Paronymorum definitionem, quam duobus exemplis ſatis accommodatis illuſtrat.

PAronyma autem, quæ Latine cognominata vocantur ea, quæ caſu ab aliquo differentia habent ab eo nominis appellationem, vt à Grammatica Grammaticus: fortis à fortitudine.

Commentaria.

A Vltima definitio, quam præfatur Ariſt. in Antecategoriis, eſt Paronymorum, ea his verbis proponitur ab illo: *Paronyma vocantur, quæ caſu ab aliquo differentia habent ab eo nominis appellationem.* Quæ certe definitio aperta eſt, redditque hunc ſenſum: Paronyma vocantur illa, quæ ab vna & eadem forma deriuata, eandem habent nominis appellationem, caſu tamen inter ſe diuerſam, vt Grammatica & Grammaticus, fortitudo & fortis, ſunt paronyma, quia ab vna & eadem forma deriuata eandem habent nomini appellationem, ſolumque caſu inter ſe diſtinguuntur: nam Grammatica & Grammaticus ab eadem arte, forma, & qualitate menti inhærente deriuantur, habentque eandem nominis appellationem, nam eadem appellatio, eademque nuncupatio eſt Grammaticus & Grammatica, ſoloque caſu, id eſt, terminatione inter ſe differunt, quia Grammatica in a, Grammaticus vero in us, terminantur. Fortis etiam & fortitudo ab vna & eadem fortitudinis virtute deriuantur, retinentque eandem nominis appellationem, ſoloque caſu, id eſt, terminatione diſtinguuntur, nam fortitudo in do, fortis in is, terminatur.

Scholia in caput de Paronymis.

1. Obſeru. A 1. Paronyma (quæ à Latinis denominatiua, à Cicerone *in partitionibus*, à Varrone *lib. 4. de lingua Latina, & lib. 1. de analogia*, cognominata dicuntur) mediæ cuiuſdam naturæ ſunt inter ſynonyma & homonyma, vt D. Auguſt. 4. *cap. categor.* D. Damaſcenus *cap. 19. Dialectica*, & Simplicius *in hoc loco* teſtantur. Nam in homonymis ſolum nomen eſt commune, in ſynonymis ratio eſt vna, & eadem ſimpliciter, & abſolute: at in paronymis idem eſt nomen, & eadem ratio, non tamen ſimpliciter & abſolute, ſed partim eadem, & partim diuerſa. Primoque nomen eſt vnum, & idem, quia fortis & fortitudo, Grammaticus & Grammatica, vnum atque idem nomen obtinent. Verum non eſſe ſimpliciter & abſolute vnum & idem, ex eo colligere licebit, quia nō eadem ratione terminantur, nam fortitudo, vt diximus, in do, fortis autem in is, terminatur. Iam habere eandem rationem, vel naturam, & eſſentiam conſtat, quia in paronymis vnum eſt, ſicuti concretum, alterum vero, vt abſtractum, at abſtracti & concreti eadem eſt ratio & natura. Cæterum non eſſe hanc rationem ſimpliciter eandem demonſtrare poſſumus, quia concretum exprimitur, vt habens naturam alteri inhærentem, abſtractum vero, vt habens eandem à ſubiecto omnino auulſam, & ſeparatam, quæ diuerſitatem aliquam efficiunt in natura. Et ob hanc cauſam poſt explicatam naturam ſynonymorum, & homonymorum illico de paronymis inſtituit Ariſtot. diſputationem tanquam de illis, quæ cum ſuperioribus maximam naturæ affinitatem obtinere videantur.

A 2. Porphyrius *in interrogat. cap. 12.* & Simplicius *in comment.* tria putant neceſſaria eſſe, vt aliqua ſint paronyma. Primum, vt ſit res vel forma, quæ varie participari queat (ſub qua ſubiectum ipſum quod participat, continetur), ſecundum, vt ſit nomen commune iuxta talem formam: & tertium, vt inter nomina diuerſitas quædam in terminatione reperiatur, vt in eodem exemplo, de forti: fortitudo eſt forma, quæ a forti participatur: nominis etiam communicationem habet cum ea, nam a fortitudine fortis denominatur, & præterea reperitur diuerſitas quædā, & tranſmutatio nominis in fine, nam fortitudo in do, terminatur, fortis vero in is, deſinit. Quæ tria ſunt neceſſaria ad rationē paronymo-

rum,

rum, vt ſi aliquod illorum defuerit, nulla ratione paronyma dici poſſint. Vnde propter primam conditionem coruus non ſubit albi denominationem, quia ille non poteſt participare formam nomine albi ſignificatam: propter ſecundam ſtudioſus non poteſt à virtute denominari, quamuis etenim virtutem ipſam participet, illaque animo illuſtretur, nullam habet cum ea nominis communicationem. Et tandem ratione vltimæ conditionis, Grammatica, quæ de arte, & de muliere Grammatica dicitur, non erit paronymum, vel denominatiuum, quia nullam in fine nominis transmutationem habent, quamuis in principio conueniant, debent enim nomina paronyma & in principio conuenire, & in fine differre.

3. Obſeru. A 3. Verum vt hoc rectius intelligere poſſimus ex M. Sot. Louan. Tolet. & aliis diſtribuenda erunt denominatiua vel paronyma in 3. membra, in denominatiua ſola voce, & nõ re, in re tantum, & non voce, & in re ſimul & voce. Voce tantum paronyma illa dicuntur, quæ ab eadem voce deriuantur, non tamen ſignificant eandem formam, vt ſtudium, & ſtudioſus, quæ quidem voce conueniunt, formæ tamen ſignificatione diſtinguũtur, nam ſtudioſus virtutem ſignificat, ſtudium vero induſtriam, & laborem repræſentat. Re vero illa ſunt denominatiua, quæ eandem formam ſignificant, nominis tamen communione ſecernuntur, vt ſunt virtus, & ſtudioſus, nam nomine vtriuſque eadem virtutis qualitas ſignificatur. nomine tamẽ maxime diſtinguuntur: nam ſtudioſus & virtus nomina ſunt diſtincta. At illa re & voce ſunt denominatiua, quæ & ab eadem forma deriuantur, nominiſque affinitate inter ſe connectuntur, vt ſunt fortis & fortitudo Grammaticus & Grammatica, nam hæc duo vnam & eandem qualitatem ſignificant, nimirum eandẽ artem Grammaticam, ſunt etiam inter ſe nominis affinitate coniuncta, vt eſt omnibus apertum ſatis & manifeſtum.

4. Obſer. A 4. Animaduertenda etiam erunt in paronymis vel denominatiuis hæc tria, res ſcil. denominata, res denominans, & denominatiuum, Sit exemplum in albo, quod eſt denominatiuum, in quo hæc tria reperiuntur, res denominata, vt homo, vel cygnus, qui denominantur albi, res denominans, quæ eſt albedo, denominatiuum, quod eſt album nomine concreto ſignificatum, quod quidem duobus modis poteſt vſurpari, & pro denominatiuo denominato, id eſt, pro re ipſa ſignificata nomine albi, & pro denominatiuo denominante nimirum pro hac voce, album. Nam quemadmodum de æquiuocis, & vniuocis diximus in ſuperioribus capp. quædam eſſe vniuoca, aut æquiuoca, vniuocantia, aut æquiuocantia, vt ſunt nomina ipſa, & alia eſſe vniuoca, aut æquiuoca vniuocata, vel æquiuocata, vt ſunt res ipſæ, quæ nominibus vniuocis, aut æquiuocis exprimuntur: ita etiam quædam erunt denominatiua denominantia, voces ſcilicet denominantes, & alia denominatiua denominata, res ſcilicet, quæ his nominibus declarantur. Ita M. Soto vbi ſupra. Nonnulla alia, quæ ſe poterant offerre, addit iis difficultatibus circa naturam paronymorum, in quęſtionibus ſequentibus explicabuntur.

QVÆSTIO VNICA.

Sitne optima definitio paronym. & quid ſit illius definitio?

PErpendamus iam, fuerintne recte paronyma ab Ariſt. definita, nec ne? Et quidem non eſſe optimam definitionem illorum aſſignatam, argumentor primo: Studioſus eſt nomen paronymum, at illud nullum habet abſtractum, a quo deriuetur, non ergo paronymum ab aliquo debet deriuari, à quo ſolo caſu differat. Confirmatur aſſumptio: Vel illius abſtractum eſt virtus vel ſtudium (neque enim aliquid aliud, quam vnum ex his duobus poteſt eſſe illius abſtractum) ſed neque virtus, neque ſtudium ſunt abſtracta illius: non virtus, quia cum virtute non habet nominis communicationem, non ſtudium, quia ſtudium laborem, & diligentiam præ ſe fert, ſtudioſus vero non hæc, ſed virtutem ſignificat, ergo hoc nomen non habebit formam aliquam abſtractam, à qua deriuetur. 1. Arg.

2. Grammaticus & Grammatica habent ſe vt denominans & denominatum, nam Grammaticus à Grammatica dicitur Grammaticus; ſed hęc duo non differunt caſu. nã tam Grammaticus, quam Grammatica ſunt in caſu nominandi, ergo non recte docuit Ariſt. denominatiua debere caſu inter ſe differre. 2. Arg.

Præterea: Quæ ſunt ſynonyma, non ſunt denominatiua, ſed fortis & Grammaticus ſunt ſynonyma ergo non denominatiua. quare non recte tradidit exemplum Ariſtot. fortis & Grammatici, agens de denominatiuis Propoſitio ex eo ſane cõſtare poteſt. quod Ariſt. in hoc loco de ſynonymis, homonym. & paronymis tanquam de rebus & formis inter ſe multum diuerſis pertractat. Aſſumptionem vero ita confirmo: Synonyma dicuntur illa, quo- 4. Arg.

rum nomen, & ratio ſunt multis communia: ſed nomen, & ratio Grammatici ſunt multis communia, nimirum Petro & Antonio, ergo Grammaticus inter nomina ſynonyma numerabitur, & idem erit iudicium de forti.

Arg. Ad hæc: Homo ab humanitate ita denominatur, à quo ſolo caſu id eſt, nominis terminatione differt; ſed homo non eſt natura denominatiua, quia ſpecies (vt homo) non prædicantur denominatiue, ſed ſynonyme: ergo non eſt optima definitio paronymorum tradita ab Ariſtotele, cum alteri à re definita conueniat.

ſint. Cæterum hæc argumenta nihil nos cõmouent, quo minus putemus eſſe hanc optimam & legitimam paronymorum definitionem, quod certe & auctoritate Ariſt. & communibus omnium Dialecticorum ſuffragiis poſſumus confirmare omnes enim illam & laudãt, *ſ* & amplectuntur, neque ab hac eſt diuerſa illa, quam proponunt nonnulli Dialectici & Ora-*rtition.* tores ex Cicerone: Paronyma ſunt, quæ ab vna orta varie cõmutantur, id eſt, Paronyma ſunt, quæ ab eadem forma deriuata eandem retinent nominis appellationem, quamuis diuerſis modis terminatam, vt à fortitudine fortis, fortiter, & fortiſſime deriuantur, quæ inter ſe eandem habẽt nominis appellationem, diuerſis finibus terminatam, quæ certe definitio eadem eſt cum hac, quam nobis tradidit Ariſtot. vt cuique accurate illam perpendenti poterit conſtare: Vnde ſola controuerſia eſt de ſignificato huius definitionis, ſintne voces paronymæ & denominatiuę, vel res ipſæ, quæ his nominib. declarãtur. Nominales Ocham & Marſilius, vt autor eſt M. Soto in commentar. huius loci ex Veneto, putarunt definitas eſſe ſolas voces. At contra viri grauiſſimi Ammonius, Boet. arbitrantur, res ipſas eſſe definitas. Verum quænam ſit à nobis amplectenda opinio, his aſſertionibus explicamus, quarum prima ſit.

cluſ. Definitum huius definitionis non ſunt voces paronymæ vel denominatiuæ. Hanc aduerſus Nominales cum M. Soto, Toleto, & a-*Arg.* liis confirmamus: 1. Quia hæc definitio intelligi debet eo modo, quo aliæ duæ de homonymis & ſynonymis fuerunt intellectæ, at in aliis non ſunt ſolæ voces definitæ, vt iam ſupra oſtendimus, & confirmari nunc vnico verbo poteſt, quia homonymia, v.gr. in pluribus demonſtratur (ob hanc enim cauſam fuerunt illa in plurali numero definita, *Quorum nomen eſt commune*, &c.) At ſi definita eſſet vox, non cerneretur in pluribus, in homonymis enim vna tantum eſt vox. vna enim vox canis homonyme dicitur de cane cœleſti, domeſtico, & marino, ergo & in paronymis non ſolæ ſunt voces definitæ. 2. Quia ſi hæc definitio de vocibus eſſet intelligenda, falſo profecto dixiſſet Ariſt. concreta à formis abſtractis deriuari, vt Grammaticum à Grammatica, fortem à fortitudine, nam in vocibus res è contrario ſeſe habet, in quibus non concreta ab abſtractis, ſed abſtracta potius à concretis deriuantur. vt fortitudo, quod eſt nomen abſtractum, deriuatur à forti, quod eſt concretum, ſumpto enim datiuo huius nominis fortis, qui eſt, forti, addito, tudo, relinquitur hoc nomen, fortitudo: quare hæc definitio nõ poterit ſolis nominibus adaptari. Iam in paronymis ipſum paronymum denominatur tale à forma ſignificata, vt album ab albedine dicitur album, at vero nomina non poſſunt dici talia à formis ſignificatis, nam hoc nomen album non dicitur album ab albedine, ſed paries eſt, qui ab albedine dicitur albus, neque enim albedo afficit nomen, ſed parietem, non igitur definitum huius definitionis ſola vox eſſe poterit. *2. Arg.* *3. Arg*

2. concluſ. Definitum huius definitionis non ſunt res ipſæ nude, & abſolute ſumptæ, vt res ipſæ, quæ ſunt album, Grammaticum, vel muſicum. Confirmatur perfacili argumento, quia definitum huius definitionis debet eſſe illud, quod nominis terminatione differat ab eo, à quo deriuatur, vt cõſtat ex definitione, ſed differre terminatione, vel quod idem eſt, caſu (vt vtamur verbis Ariſt.) non poteſt rebus ipſis, ſed nominibus conuenire, ergo res abſolute & nude ſumptæ non erunt in hac definitione definitæ. *2. concluſ.*

3. concluſ. Res ipſæ vt nominibus exprimuntur, fuerunt ab Ariſtotele in hac definitione definitæ. Vnde definita præcipua erunt ipſæ res, minus vero præcipua erunt nomina res ipſas ſignificantia. Itaque res ipſa, quæ eſt albedo, erit forma denominans, & res, quæ eſt album, erit ipſum denominatum, non tamen nude & abſolute, ſed ea ratione, qua his nominibus album, & albedo declarantur, hanc M. Soto, Toletus *vbi ſupra*, & M. Iuſtinianus *libr. 3. Inſtitut. cap.* 4. profitentur. Quæ certe confirmari poteſt ex iis, quę in prolegomenis huius operis diximus, nimirum materiam ſubiectam huius operis categoriarum, neque eſſe res ipſas nude ſumptas, neque tantum voces, ſed vtrumque, res & voces, res quidem, tanquam præcipua, voces vero, tanquam minus præcipua obiecta. *3 concluſ.*

Iam

Ad 1. arg. Iam ad argum. Ad primum reſpond. ſtudioſum non eſſe vere paronymum iuxta omnes leges paronymorum, vel non eſſe paronymum ſecundum rem, & vocem, ſed ſolum ſecundum rem, atque ita ſecundum rem habebit formam abſtractam a qua denominatur, nimirum virtutem, non tamen habebit aliquam a qua denominetur ſecũdum nomen, nam non conuenit nomine cum virtute a qua ſola deducitur. Verum ad hæc facilius intelligenda repetenda eſt notilla, quæ in ſcholijs fuerunt animaduerſa.

Ad 2. Ad 2. reſp. cum Porph. *in interrog. cap.* 11. nomine caſus hoc loco non intellexiſſe Ariſtot. illos, quos caſus nominum nuncupamus, nimirum caſum nominandi, gignendi, & alium huiuſmodi, ſed tranſmutationem quandam nominũ, variamq; & diuerſam terminationẽ. Igitur quãuis Grammaticus & Grãmatica, ſi ad caſum primo modo inſpiciamus, nõ differant caſu, cum ſit vtrumque nomen, in caſu nominandi: ſi tamen agamus de caſu altero ſecundo modo (vt hic loquimur) non erunt eiuſdem caſus, cum ſint variæ horum duorum nominum terminationes, nam Grammatica in *a* deſinit, Grammaticus vero in *us* terminatur.

Ad 3. In explicatione 3. arg. diſceptatio eſt, an ea, quæ dicuntur denominatiue, ſynonyme dici poſſint. Toletus, & quidam alij explicantes definitionem ſynonymorũ id fieri nullo modo poſſe aſſeuerant.

Explicãtur quadam dubia.

1. Arg. Primo, quia accidentia (quæ denominatiue de ſubiecto dicuntur, vt album de homine) non poſſunt nomine & ratione dici de ſubiecto, vt auctor eſt Ariſtot. in categoria ſubſtantiæ, vt ſynonyma & nomine & ratione de ſubiectis dicuntur; quare denominatiua, non erunt ſynonyma.

2. Arg. 2 quia Ariſt. 2 *topic. c.* 2. ex eo probat genus non prædicari denominatiue de ſuis ſpeciebus, quia prædicatur de eis ſynonyme, ſentit igitur Ariſt. illa quæ prædicantur ſynonyme, non poſſe dici denominatiue.

Opinio Caiet. & M. Soti. At contra ſentiunt acutiſſimus Caietanus, M. Soto, & Mercado *in comment. horum capit.* qui vere profitentur vnum & idem attribut. diuerſa ratione poſſe ſynonyme & denominatiue prædicari, vt album denominatiue, & ſynonyme dicitur de homine; etenim ea ratione qua nomen, & naturam communicant illi (nomen quidem quia quidam homo dicitur albus, rationem vero, quia diſgregate viſum, quod eſt ratio albi, etiam homini communicatur) ſynonyme prædicabitur denominatiue autem ea ratione qua denotat concretum formæ cuiuſdam accidentariæ, quæ rei naturam & eſſentiam nullo modo attingit. Quorum ſententiam vt facilius percipere poſſimus ſciendum erit de ratione ſynonymiæ in communi, vt eſt definita ab Ariſt. tantum eſſe vt nomine & ratione attributum ſuis inferioribus communicetur, non autem quod ratio ſecundum eſſentiam de illis efferatur, tantũ enim inquit Ariſt. illa ſunt ſynonyma quorũ nomẽ eſt commune, & ratio nomini accommodata eſt eadem. Vnde rationem dici ſecũdum eſſentiam de ſubiectis, in attributis ſynonymis, non competit illis ea ratione qua ſunt ſynonyma, imo vt dixi eſt extra rationem illorum, ſed vt ſunt talia ſynonyma nimirum eſſentialia, iam enim monuimus in capit. de ſynonymis in ſcholiis duplicem eſſe ſynonymiam, vnam eſſentialem, & aliam accidentariam, quæ ſunt ſpecies diuidentes ſynonymiã in communi.

Confirm. 2. Opin. Et certe quæ prędicantur denominatiue prædicari etiam ſynonyme confirmari poteſt, quia 4. & 5. prædicabile dicuntur ſynonyme ex perſcripto omnium dialecticorum, quæ denominatiue quoque de ſuis ſubiectis prædicantur.

Ad argum. Ad argumenta vero, quæ pro alijs propoſuimus facilis eſt ſolutio, nam duo illa loca propoſita ex Ariſt. tantum confirmant ea quę prædicantur denominatiue, non poſſe dici ſynonyme eſſentaliter: nihil autem probant aduerſus ſynonymiam accidentariam.

1. Argum. Vnde ad primum reſp. Accidentia non dici nomine & ratione de prima ſubſtantia, ita vt ratio ſit ipſi eſſentialis, dici tamen ratione, quia ratio quemadmodum, & nomen primæ ſubſtantiæ communicatur, nam Socrati v.g. & nomen albi, & diſgregate viſum (quod eſt eius ratio) communicantur, & hoc ſufficit ad ſynonymam accidẽtariam quamuis alio forταſſis modo explicari debeat locus hic Ariſt. vt in illa categoria oſtendemus.

Ad 2. Ad 2. reſp. collectionem illam Ariſt. (ex eo genus nõ prædicari denominatiue, quia prædicatur ſynonyme) intelligendum eſſe de ſynonymia eſſentiali, quo genere ſynonymiæ genera & ſpecies de ſuis inferioribus prædicantur; non autem intelligendam eſſe de ſynonymia accidentaria, qua ratione idem ſynonyme, & denominatiue dici poterit.

Ad 3. argum. præcipuum. Igitur ad præcipuum argumentum, quod tertio loco in principio quæſtio. proponebamus reſp. Grammaticum, & forte ſimul eſſe attrib. ſynonyma & denominatiua, alia tamẽ & alia ratione, nam ſunt ſynonyma, vt nomẽ & rationem communicant ſubiectis de qui-

bus dicuntur: ſunt autem denominatiua, vt deriuantur a forma quadam accidentaria, quæ eſt extra naturam ſubiecti de quo dicuntur.

Vltimum arg. Attingit difficultatem illam num concreta, quæ a formis eſſentialibus deriuantur paronyme dici poſſint, vel vt alij quærunt, an ſit de eſſentia paronymi vt forma denominans ſit accidentaria, & non eſſentialis, quam difficultatem in *q. ſeq* explicabimus, atque ita ſit *q. 2.*

QVÆST. II.

An forma denominans debeat eſſe eſſentialis, necne?

IN hac quæſtione explicanda recenſitis prius, & confutatis aliorum opinionibus, erit deinde noſtra eaque veriſſima ſententia proponenda. *Opin. 1. Louanienſ.* Eſt igitur prima opinio Louanienſium, omnem formam denominãtem neceſſario debere eſſe accidentariam, non tantum reſpectu ſubiecti de quo dicitur, verum etiam in ſe, & iuxta propriam naturam conſideratã. *Reiicitur.* Hæc tamen ſententia reiicitur primo, quia hæc eſt attributio denominatiua, ferrum eſt ignitum in qua attributum nõ ſignificat formam accidentariam, ſed eſſentialem nimirũ formam ſubſtantialem ipſius ignis. Secundo, quia hæc attributio, anulus eſt argenteus, eſt denominatiua cuius attributum non eſt forma accidentaria ſecundum ſe, cum ſit ſubſtantia.

2. Opinio Mercad. Reiicitur. Thomas a Mercado putat ſolum accidens commune eſſe illud à quo peti debet omnis denominatio, vel attributio denominatiua. Verũ ſi hoc ita eſſet, ſequeretur profecto has attributiones, homo eſt riſibilis, & leo eſt rugibilis, non eſſe denominatiuas, & quaſcunque alias, in quib. proprietas de proprio ſubiecto prędicatur, nam hæc attributa non ſunt accidentis quinti prædicabilis, ſed alterius, quod quartam vocem vniuerſam, & prædicabilem conſtituit, quod certe non videtur poſſe vlla ratione admitti.

3. Opinio d. Soti. M. Soto in hac re latiſſime loqui videtur, opinatur ſiquidem omnem vocem connotatiuam eſſe denominatiuam, vnde illud erit denominatiuum; quod inſtar nominum connotatiuorum, vnum tanquam materiam, & alterum tanquam formam indicabit Si tamẽ nobis per ipſum integrum fuerit, hæc ſententia non eſt ex omni parte vera, etenim quamuis in pleriſque connotatiuis hoc ſit verum, tamen dantur nonnulla huius generis, quæ non poſſunt eſſe denominatiua, nam differẽtia eſſentialis & maxime propria denotant aliquid tanquam materiam nimirum genus & aliquid tanquam formam ſcil. gradum proprium ſuę naturæ, vt rationis particeps denotat tanquam materiam animal, & tanquam formam rationalitatem, tũ eſt animal, quod poteſt vti ratione, cum tamen differentiæ nõ prædicentur denominatiue, ſed ſynonyme, & ſynonymia eſſentiali.

1. concluſio. His igitur opinionibus confutatis, ſit 1. cõcluſ. Forma denominans nullo modo poteſt eſſe eſſentialis reſpectu ſubiecti denominati: Hinc docet D. Th. *7. lib. Metaphyſ. lect. 2.* B. Albert. M *tract 1 in categ. in explic. huius loci*, Simplic. Caiet. Tolet. *q vnic. ferme ad fin.* & M. Iuſtin. *lib. 3. inſt. c 4.*

1. argum. Quæ confirmatur primo ex communi omnium Dialecticorum conſenſu, omnes ſiquidem ſeparant attributionem eſſentialem a denominatiua, at attributio illa, quæ petitur a forma eſſentiali, eſt eſſentialis, quare attributio quæ petetur ab illa, non erit denominatiua.

2. Arg. Secundo, quia Ariſt. in categoria ſubſtantię latum intereſſe putat diſcrimen, inter prędicari denominatiue, & prædicari nomine ac ratione (quod intelligendum eſt eſſentiali) de prima ſubſtantia, ſed in illa attributione, quæ petitur a forma eſſentiali attributũ nomine & ratione eſſentiali dicitur de ſubiecto, ergo attributio quæ a tali forma petetur, non erit denominatiua.

2. concl. 2 concluſ. Attributio denominatiua peti debet a forma accidentaria, nimirum ab ea forma, quæ non eſt de eſſentia, aut de natura ſubiecti de quo prædicatur. Hoc inquit B. Albert. M. indicare videtur Ariſt. in illis verbis: *Quæcunque ab aliquo, &c.* quæ denotant formam denominãtem debere eſſe extrinſecam rei denominatæ, eſſe ſiquidem ab aliquo tantum poteſt his accommodari, quæ non attingunt rei naturam & eſſentiam. Vnde colligimus has attributiones, Petrus eſt homo, & leo eſt animal, non eſſe denominatiuas, quia homo petitur ab humanitate, & animal ab animalitate, quæ non accidentariæ, ſed eſſentiales ſunt formæ: has vero aliàs, homo eſt candidus, Angelus eſt ſapiẽs, eſſe denominatiuas, quia ab aliqua forma accidentaria nimirum candore, & iuſtitia poſtulantur.

Obiectio. Contra tamen aliquis ita inſurget. Quantum denominatiue & paronyme dicitur de ijs de quibus dicitur, ſed illud petitur a forma eſſentiali alicuius ſubiecti, de quo prædicatur, ergo attributio denominatiua peti poterit

ab aliqua forma eſſentiali. Confir. aſſumptio. Quantum petitur a quantitate, ſed quantitas eſt forma quædam eſſentialis reſpectu aliquorum, de quibus illud dicitur, dicitur enim illud de linea, & de magnitudine, nam linea eſt quanta, & magnitudo etiam vocatur magna ab Auguſt. *de Trin. cap.* 10. de quibus ſecundum eſſentiam dicitur quantitas, ergo quantum petitur a forma eſſentiali aliquorum ſubiecti de quo ipſum prædicatur.

[Solutio.] Huic tamen obiectioni reſpon. falſum eſſe quantum dici denominatiue reſpectu omnium de quibus dicitur, ſed tantum reſpectu illorum, quibus forma ſignificata poteſt accidentario conuenire, non autem reſpectu illorum, quibus forma ſecundum eſſentiam communicatur. Neque eſt abſurdum vnum atque idem attributum diuerſa ratione, aut reſpectu diuerſorum dici ſecundum eſſentiam, vel ſynonyme, & denominatiue, nã diſgregare viſum dicitur ſynonyme, & ſecundum eſſentiam de albo, & denominatiue de pariete, & eadem ratione quantum dicitur denominatiue de ſubſtantia, ſynonyme vero & eſſentialiter de linea, & magnitudine. Verum de hac re videbimus multo poſtea in categoria quantitatis.

[Soluitur argum. 4.] Igitur ad arg. 4. quod in quæſt. ſup. propoſuimus ex iis, quæ hactenus explicata fuerũt, reſp. non hominem eſſe denominatiuum humanitatis, nam quamuis homo ab ea deriuetur, habeatque communem nominis appellationem ſoloque caſu, & terminatione differant, aut propterea erunt denominans, & denominatum, quia ad attributum denominatiuum præter hæc requiritur, vt forma ſignificata non ſit eſſentialis, ſed accidentaria, at vero humanitas a qua homo dicitur homo eſt forma eſſentialis.

[Obiectio.] Quod ſi quis dicat fuit igitur Ariſtoteles diminutus in aſſignanda hac diffinitione, cum prætermiſerit hanc particulam, ſcilic. vt forma a qua res denominatur ſit accidentaria, & non eſſentialis. *[Solutio.]* Reſpondendum erit imprimis cum Caietan. Ariſt. hanc particulam tanquam manifeſtam omiſiſſe, nam manifeſtum eſt denominatiua nomen ipſum, non autem naturam & eſſentiam conferre. *[Solutio]* Vel cum Ariſt. non exquiſite, ſed communi quadam, & populari ratione inſtituat agere in hoc loco de categoriis non omnia perfecta & omnibus ſuis numeris abſoluta ſemper tradidit, vt in categoria quantitatis nonnullis in medium propoſitis exemplis oſtendemus. Quare nihil mirum ſi in hoc loco etiam hanc particulam prætermiſerit.

QVÆSTIO III.

An res denominata magis præcipue formam, quam ſubiectum ſignificet.

IN re denominata duo reperiri & ſubiectum denominatum, & formam denominantem perſpicuum eſt & exploratũ, vt album quod eſt res denominata ab albedine, ſignificat, & corpus tanquam ſubiectum denominatum, & albedinem tanquam formam denominantem. Itaque cum in his nominibus hæc duo reperiantur, quærimus quodnam ex illis magis præcipue nomine denominatiuo deſignetur, num ſubiectum ipſum, vel potius forma, vt num album magis præcipue corpus vel albedinem ipſam ſignificet? In qua quæſtione cum ſtis argumentis (eo quod illa in diſſertationibus ſunt a nobis proponenda) in illius explicationem ſunt inter ſe duæ grauiſſimorum virorum diſcrepantes ſententiæ, & opiniones.

[1. Opinio.] Auicenna enim vt teſtatur D. Th. 1. *lib. ſent. diſt.* 18. *art.* 2. *ad* 3. & *in comment. in c.* 7. *lib.* 5. *Metaphy.* arbitrabatur rem denominatam magis præcipue primoque & per ſe ſignificare ſubiectum, ſecundario vero, & ex conſequenti formam denominatam.

[2. Opin.] At Auerroes *in comment. in c.* 7. *lib.* 5. *Metaph.* contrarium putat tamquam verius eſſe amplectendum; ſcilicet has naturas primo & per ſe magisque præcipue formas, quam ſubiecta ſignificare. Quam ſententiam ſecutus eſt D. Th. locis citatis, & M. Soto in hoc loco.

[Obſeru.] Vt tamen quæſtionem hanc, & litem componamus, animaduertendum cum Caiet. 1. *par. q.* 13. *art.* 1. & *in lib. de ente & eſſent. cap.* 7. aliud eſſe loqui de re ſignificata nomine concreto, & aliud de modo ſignificandi rem illam, nam in accidentibus tam concretis, quam abſtractis res ſignificata eſt forma, quamuis ſit in vtriſque diuerſus modus ſignificandi; concreta enim ſignificant illam, vt inhærentem ſubiecto, abſtracta vero ſignificant eandem, vt abſolutam, & ſeparatam ab illo. Sit ergo prima concluſio.

[1. concluſ.] Res primo & præcipue ſignificata nomine paronymo eſt forma denominans, ſubiectum vero eſt res minus præcipue ſignificata, & quaſi ſecundario. *[1. Argum.]* Confirmatur prima pars concluſionis, ſcilicet formam eſſe præcipue ſignificatam nomine concreto, imprimis auctoritate Ariſto. is enim in categoria ſubſtantiæ docet album ſolam qualitatem ſignificare, ſed album eſt paronymum, albedo forma, ergo parony. præcipue formam ſignificabit.

Præterea

Præterea; propter vnum quodque tale, & illud magis debet eſſe tale ſed nomen paronymum ſignificat formam, & ſubiectum, & ſubiectum propter formam, vt hoc nomen albũ ſignificat corpus, & albedinem, & corpus propter albedinem ergo præcipue & multo magis ſignificabit formam quam ſubiectum. Secunda pars concluſ. eſt apertiſſima, quia nomina concreta eo ſeparantur ab abſtractis, quod abſtracta denotant formas nullas à ſubiecto: concreta vero denotant eaſdem vnitas cum ſubiecto, vt albedo ſignificat albedinem a corpore ſeparatam; album vero ſignificat albedinem vnitam cum corpore, ergo nomen concretum ſecundario, & minus præcipue ſignificabit ſubiectum denominatum per formam.

2. concluſ. Quamuis nomina concreta, vel res denominatæ ſignificent præcipue formas tanquam ſignificatas, ex modo tamen ſignificandi eaſdem magis præcipue ſubiecta ipſa, quam formas ſignificabunt, hoc enim inter eſt inter res denominatas & naturas denominantes, vel inter concreta & abſtracta, quod quamuis quo ad rem ſignificatam vtrumque ſignificet formam, tamen quo ad modum ſignificandi abſtracta formas, concreta vero è conuerſo prius ſubiecta denominata ſignificant. Cõfirmatur. Illud præcipue quo ad modum ſignificandi nominis concreti vel denominati exprimetur, quod retinet locum generis in illius definitione, ſed ſubiectũ in definitione concretorum retinet locum generis, forma vero locum differentiæ vt in definitione ſimi, quæ eſt naſus curuus, naſus qui eſt ſubiectum obtinet locum generis, curuitas vero quæ eſt forma quædam ſubiecto inhærens, habet locum differentiæ; ergo concretũ quo ad modum ſignificandi prius ſubiectum, quam formam denotabit.

Ex ijs duabus concluſ. conciliare poterimus Auicennam, & Auerroem ſi dicamus Auerroem locutum fuiſſe de re ſignificata nomine concreti, quæ primo & per ſe eſt ipſa forma: Auicennam vero egiſſe de modo ſignificandi eiuſdem nominis concreti, qua ratione ſubiectum erit primum, & præcipuum nominis ſignificatum: forma vero erit ſecundarium minuſque præcipuum. Argumenta vero ſi quæ ſe poſſunt offerre aduerſus noſtram opinionem, cum quædam confirment ratione rei ſignificatæ formam eſſe præcipuum ſignificatum, & alia eſſe ſubiectum ratione modi ſignificandi, ac proinde nihil aduerſus nos colligant, hoc loco cõſulto prætermittimus, vt in aliis grauioribus diutius poſſimus immorari. Legendus eſt Iauellus *7. lib. Metaphyſ. q. 2.* conſulendus etiam eſt Scot. *q. 8. prædicam.* in quo loco multa legi poterunt huic inſtituto ſatis accommodata.

Animaduerſio.

Ex his quæ de homonymis, ſynonymis, & paronymis hactenus enarrata fuerunt nonnulla colligere poterimus, quę erunt dialecticis maximo vſui futura.

1. concluſio. Primum triplicem eſſe attributionem homonymam, ſynonymam, & paronymam, homonyma eſt in qua vox ſignificans multa dicitur de illis, vt quando canis dicitur de cœleſti, domeſtico, & marino. Synonyma eſt quando vox ſignificans vnam naturam dicitur de multis, vt quando animal dicitur dicitur de homine, & bruto. Paronyma vero eſt, quæ ſumitur ab accidente a quo (vel ab habẽte modum illius) denominante ſubiectum vt quando candidum dicitur de cygno. Ex ijs homonymæ rejiciuntur à categoriis, ſolamque duæ aliæ retinẽtur intra illas, nam ſi ſubiecta, & attributa fuerint eiuſdem categoriæ, erit attributio ſynonyma, vt eſt attributio qua animal dicitur de homine. ſi vero fuerint diuerſarum categoriarũ, erit paronyma, qualis eſt ea in qua candor dicitur de cygno.

2. concl. 2. Colligimus homonyma, vt homonyma, vt homonyma ſunt nullum habere ſupra ſe genus, quia genus denotat vnam rationem omnibus ſuis formis communem: at homonyma nullam habent communem rationem. Ex quo etiam fit, vt illa qua talia ſunt, non habeant locum in categoriis, quia categoriæ denotant rationem aliquam genericam omnibus ſuis formis ex æquo conuenientem.

3. concluſ. Præterea colligimus omnia genera & ſpecies ſynonyme prædicari de ſuis inferioribus, quia habent vnam & eãdem rationem omnibus competentem: at quæ vna ratione dicuntur, ſynonyma dicuntur.

4. concluſ. Vltimo colligimus omnia accidentia paronyme ſeu denominatiue dici de ſuis ſubiectis, quia denotant formam aliquam accidẽtariam illo nomine expreſſam, a quo ſolo caſu, ſeu terminatione differunt ſubiecta denominata. Conſulendi ſunt Louanienſes in hoc capite.

Annot. Sciendum etiam eſt præter hæc tria nominum genera, dari etiam alia ſcilicet Polionyma à Latinis multiuoca dicta, & ætheronyma quæ ab eiſdem diuerſiuoca nuncupantur, de quibus, & ob quam cauſſam fuerint prætermiſſa

tetmiſſa ab Ariſt. iam ſupra cap. priori de homonymis, in eius ſcholijs expoſuimus. Si quis tamen vberiorem de eiſdem cognitionem haurire cupit, conſulat Porph. *in interrog. c. 19.* & 20. D. Aug. *cap. 2. categ.* & Damaſc. *in dialect. cap. 17. & 18.*

CAPVT IV.

De duabus diuiſionibus.

ARGVMENTVM.

IN hoc capit. duas proponit Ariſt. diuiſiones, breuiorem vnam, & ſecundam paulo diffuſiorem, eorum quæ ſunt in ſubiectis, & dicuntur de illis.

A. *EOrum quæ dicuntur partim coniuncta ſunt, partim ſimplicia. At coniuncta quidem, vt homo currit, homo vincit. Simplicia, vt homo, bos, currit, vincit.*

B *Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, nec in ſubiecto inſunt vllo, vt homo: de ſubiecto enim dicitur quopiam homine, in ſubiecto autem nullo ineſt. Alia in ſubiecto ſunt illa quidem, ſed de ſubiecto nullo dicuntur. In ſubiecto autem eſſe dico id, quod in re aliqua ineſt, non tanquam pars, nec poteſt ſeiunctum ab eo in quo eſt, conſiſtere. Veluti Grammatica aliqua in ſubiecto ineſt animo, ſed de ſubiecto nullo dicitur. Eodemque modo hic vel ille candor, eſt ille quidem in ſubiecto corpore (eſt enim in corpore color omnis) attamen de nullo ſubiecto dicitur. Quædam & de ſubiecto dicuntur, & ſunt in ſubiecto, vt ſcientia in ſubiecto animo noſt, ac de ſubiecta Grammatica dicitur. Nonnulla nec in ſubiecto iſta ſunt, nec de ſubiecto dicuntur vllo, vt quidam homo, quidam equus. Nihil enim eius generis, neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto vllo dicitur. Omnino autem indiuidua, & quæ ſunt vnum numero de ſubiecto nullo illa quidem dicuntur, ſed eorũ nonnulla in ſubiecto eſſe nihil prohibet. Nam hæc Grammatica ex eorum eſt numero, quæ in ſubiecto inſunt, nec de ſubiecto vllo dicitur.*

COMMENTARIA.

POſt explicatas definitiones homony. ſynonym. & parony. proponit Ariſt. duas diuiſiones, vt ex illis, quæ ſint in categoriis collocanda, & quæ ab iiſdem ſint reiicienda facilius multo intelligere poſſimus.

1. Diuiſio. A *Eorum quæ dicuntur partim, &c.* Prima diuiſio eſt, qua ea quæ dicuntur in ſimplicia, & coniuncta diſtribuuntur. Ex iis igitur quæ dicuntur quædam ſunt ſimplicia, nimirum illa quæ vnica ſola voce exprimuntur, vt homo, bos, & equus; & alia ſunt coniuncta, illa ſcil. quæ pluribus nominibus declarantur, vt homo currit, cygnus albus, &c. Quę diuiſio propoſita eſt ab Ariſt. vt intelligamus in categoriis ea tantum quæ ſunt ſimplicia habere locum: coniunctis vero nullum in eiſdem locũ concedi poſſe.

2. Diuiſio. B *Eorum quæ ſunt, &c.* Secunda diuiſio eſt, eorum quæ ſunt alia dicuntur de ſubiecto, & non ſunt in ſubiecto, vt homo dicitur de quodam homine tanquam de ſubiecto, non tamen eſt in illo, aut in aliquo alio tanquam in ſubiecto. Alia ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, vt hæc Grammatica, hic, vel ille candor, nam hæc duo ſunt in aliquo ſubiecto, Grammatica in mente, candor vero in pariete, non tamen dicũtur de ſubiecto, quia dici non competit rebus ſingularibus, quales ſunt hic candor, & illa Grammatica, ſed ſolis vniuerſis. Hinc deſumpta occaſione antequã alia duo membra diuiſionis proponat, tradit Ariſt. definitionem eius, quod eſt eſſe in ſubiecto. In ſubiecto inquit, illud eſt, quod eſt in aliquo non tanquam pars, & à quo non poteſt ſeparari, vt candor eſt in pariete, cuius nõ eſt pars, & à quo nullo modo poteſt ſeparari. Qua definitione propoſita, tradit iam tertiũ membrum diuiſionis, quædam, inquit, ſunt in ſubiecto, & dicuntur de ſubiecto, vt ſcientia quæ eſt in anima tanquam in ſubiecto, & dicitur de Grammatica, & Dialectica tanquã de ſubiecto. Et tandem alia ſunt, quæ neque ſunt in ſubiecto, neque dicuntur de illo, vt quidam homo, & quidam equus, nam quidã homo, vt Petr. v.g. non eſt in ſubiecto, neque dicitur de aliquo ſubiecto cum ſit natura ſingularis.

Scholia in cap. 4. de diuiſionibus.

A 1. Alexander Aphrodiſæus propter hanc diuiſionẽ exiſtimat in categoriis tantũ

agi de vocibus, nam dici, inquit, de rebus, tãtum vocibus accommodatur, vt iam ſupra in prolegomenis expoſuimus. Verũ Simplicius, Ammonius, & alii putant ex hoc loco nihil tale colligi, exiſtimantque hanc diuiſionem, & rebus ipſis & nominibus accõmodari, primo quidem & per ſe rebus, ſecundario vero nominibus. Si rebus accommodetur ita erit intelligenda Rerum quę vocibus explicantur aliæ ſunt ſimplices, vt homo & bos: & alię cõiunctæ, vt homo currit, & bos paſcit. Si vero vocibus accommodetur ita erit explicanda. Voces quæ naturas aliquas ſignificant, quædam ſignificant naturam ſimplicem, vt hæc vox homo, & alię compoſitam, vt hęc oratio, homo currit.

bſeru. A 2. Præterea, voces cõiunctæ ſunt in tres, veluti formas, & membra diſtribuendæ, nam quædam ſunt coniunctę voce tantum, aliæ ſignificatione ſolum, aliæ ſignificatione ſimul & voce. Voce tantum illæ dicuntur cõiunctæ, quæ exprimunt vnam rem eodem concepto ſignificatam, vt hæc oratio, animal rationis particeps, eſt vox coniuncta voce, quia exprimit rem vnam, & eandem, ſc. eandẽ naturam hominis, & eodem adæquato conceptu repræſentatam Significatione tantum illę ſunt compoſitæ, quę vnica dictione diuerſas naturas ſignificante exprimũtur, vt eſt hęc vox canis, & omnes aliæ homonymæ. Et tandem aliæ ſunt vtroq; modo coniunctæ, nimirum illæ quæ diuerſis dictionibus diuerſas naturas ſignificantibus declarantur, vt homo currit, bos paſcit, & leo fugit.

bſeru.. B. Vt facilius hanc diuiſionem quadrimembrem intelligere poſſimus, erunt nonnullæ diuiſiones ad memoriam reuocandæ. Prima ens diuiſum eſſe in ſubſtantiam, & accidentia, inter quæ hoc intereſt, quod accidentia ſunt in aliqua tanquam in ſubiecto, ſubſtantia vero nulli ſubiecto inhæret, ſed per ſe exiſtit. Secunda eſt ex rebus quaſdam eſſe vniuerſas, & alias ſingulares tam in ſubſtantiis, quam in accidentibus, inter quas hoc intereſt, quia vniuerſę dicuntur de multis, ſingulares vero de nullo prædicantur. Ex quibus diuiſionibus luce clarius intelligemus propoſitam diuiſionem, nam primum membrum nimirum quædam dicuntur de ſubiecto, & non ſunt in illo, intelligi debet de ſubſtantiis vniuerſis, quæ quia ſubſtantiæ ſunt, non ſunt in ſubiecto: quia vero ſunt vniuerſæ, dicũtur de ſubiecto. Secundum membrum alia ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, intelligi debet de accidentibus ſingularib. quæ quia accidentia ſunt, ſunt in ſubiecto, quia vero ſunt ſingularia non dicuntur de illo. Tertium membrum quædam dicuntur de ſubiecto, & ſunt in ſubiecto, intelligi debere de accidentibus vniuerſis, quę quia accidentia ſunt, ſunt in ſubiecto, & quia ſunt vniuerſa dicuntur de illo. Tandem vltimum membrum quædam neque ſunt, neque dicuntur de ſubiecto, intelligi debet de ſubſtantiis ſingularibus, quæ quia ſubſtantiæ ſunt, non ſunt in ſubiecto, & quia ſunt ſingulares non dicuntur de illo.

QVÆSTIO I.

Quænam ſit diuiſio quadrimembris, eorum quæ ſunt ab Ariſt propoſita.

IN hac q. explicanda exiſtimat B. Albert. M. *tract. 1. categ. cap. 5* hanc diuiſionem ſimilem eſſe diuiſioni generis in ſpecięs. Verum hæc opinio conſtare nullo modo poteſt, quia in hac diuiſione res diuiſa eſt ens, at vero ens nõ poteſt diuidi diuiſione generis in ſpecies, vt profitetur Ariſt. 3. *lib. Metaphyſ. c. 3.* 1. *Opinio.*

Simplicius vero exiſtimat non eſſe hanc veram & legitimam diuiſionem, ſed quandam enumerationem eorum quæ ſunt, ſicut ſi coram conſtitutis hominibus ita diceremus, hi homines quidam ſunt Romani, & alii Athenienſes, & alii Hiſpani, nihil diuideremus, ſed tantum enumeraremus homines illos. 2. *Opin.*

Hæc etiam ſententia falſa eſt, quia diuiſio analogi in analogato non eſt enumeratio, ſed vera & legitima diuiſio: at diuiſio entis (quæ proponitur ab Ariſt. in hoc loco) eſt analogi in analogata, vt ipſe paſſim docet præſertimque 4. *Metaph. c. 2.* Vnde his opinionibus reiectis, vt veram ſententiam explicemus animaduertendum eſt, in hac diuiſione contineri virtute tres alias diuiſiones. Prima eſt entis in ſubſtantiam & accidentia: ſecunda, ſubſtantiæ, & accidẽtis in naturam vniuerſam, & ſingularem: tertia vero eſt vniuerſi & ſingularis in vniuerſum, & ſingulare categoriæ ſubſtantiæ, & in vniuerſum & ſingulare categoriæ accidentis, vt in ſcholiis admonuimus *Reiicitur.*

Sit ergo 1. concluſio. Si loquamur de hac quadrimembri diuiſione iuxta primam diuiſionem, eſt illa diuiſio analogi in analogata. Confirmatur in hac diuiſione ens eſt res diuiſa membra vero diuidentia ſunt ſubſtantia, & accidens: ſed ens eſt analogum ad ſubſtãtiam & ad accidens, ergo erit diuiſio analogi in analogata. 1. *concluſ.*

2. concluſ. Iuxta ſecundam diuiſionem, propoſita diuiſio eſt ſubiecti in accidentia. 2. *concl.*

Confir-

Confirmatur. In hac diuiſione res diuiſa eſt ſubiectum ſc natura ſubſtantiæ, vel accidentia, membra vero diuidentia ſunt vniuerſum, & ſingulare, quæ duo accidunt naturis, nam accidit naturæ ſubſtantiæ, vel accidentis, eſſe vniuerſum vel ſingularem, ergo erit diuiſio ſubiecti in accidentia.

3. concl. 3. concl. Iuxta tertiam diuiſionem hæc diuiſio eſt generis in ſpecies. Confirmatur. Res diuiſa in illa eſt vniuerſum, membra vero diuidentia ſunt vniuerſum, & ſingulare in categoria ſubſtantiæ, vel in categoria accidentis: ſed vniuerſum eſt verum genus ad huiuſmodi vniuerſa, ergo erit hæc diuiſio generis in ſpecies.

Obiectio. Dicet tamen aliquis contra idem ſecūdum membrum propoſitæ diuiſionis. Accidentia ſingularia dicūtur de ſubiecto, vt hæc Grammatica dicitur de Petro, dicimus enim Petrū eſſe hunc Grammaticum; ergo non recte docuit Ariſtot. accidentia ſingularia non dici de ſubiecto.

Solutio. Reſpond. Ariſto. intelligendum eſſe de ſubiecto eſſentiali attributionis, non autē de ſubiecto inhæſionis accidentario nam accidentia ſingularia, qua ſingularia nō habent aliquod ſubiectum de quo prædicentur ſecūdum eſſentiam. Vnde quamuis hæc Grammatica prædicetur de hoc homine, non tamen prædicatur de illo, tanquam de ſubiecto eſſentiali attributionis, ſed tanquam de ſubiecto accidentario inhæſionis.

Dubitatio 1. Offerunt ſe præterea circa eandem diuiſionem duæ aliæ dubitationes explicandæ: prima eſt, an differentiæ contineantur ſub iſta quadrimembri diuiſione. Cui dubitationi

1. Solutio. poſſumus reſpon. inprimis contineri illas ſub primo & tertio membro, nam ſi fuerint differentiæ categoriæ ſubſtantiæ continentur ſub primo membro, quia nō ſunt illæ in ſubiecto, & dicuntur de ſubiecto: ſi vero fuerint differentiæ accidentium continentur ſub tertio membro, quia ſunt in ſubiecto, & dicūtur de

2. Solutio. ſubiecto: Deinde poſſumus reſpondere non contineri differentias ſub iſta diuiſione, quia in illa tantum ſunt propoſitæ, ea quæ habent naturas integras, & cōpletas; vt ſunt ſubſtantiæ vniuerſæ, & accidentia vniuerſa: ſubſtantiæ ſingulares, & accidentia ſingularia; atque ita cum differentiæ non ſint naturæ integræ, ſed partes ſpeciei, non continebuntur ſub iſta diuiſione.

2. Dubitatio. 2. Dubitatio eſt quare Ariſtot. poſt explicatam naturam ſubſtantiæ vniuerſæ in vno membro, ſtatim in ſecundo explicat naturam accidentis ſingularis, & non explicat naturam ſubſtantiæ ſingularis, vel accidentis vniuerſi.

Solutio. Huic dubitationi reſp. Simplicius Ariſt. conſulto hunc ordinem obſeruaſſe, quia cum omnis diuiſio fieri debeat per membra contraria, & accidentia ſingularia cōtrariantur ſubſtantiis vniuerſis, quia ſubſtantiæ vniuerſæ non ſunt in ſubiecto, dicuntur tamen de ſubiecto, accidentia vero ſingularia ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, ob hanc cauſſam primo diuiſit id quod eſt, in ſubſtantias vniuerſas, & accidentia ſingularia. Rurſus cum ſubſtantiæ ſingulares, & accidentia vniuerſa ſibi inuicem contraria exiſtant, proinde ſecundo loco diuiſit, id quod eſt in accidentia vniuerſa, & ſubſtantias ſingulares, eſſe autem illa inter ſeſe contraria, ex eo conſtat, quia accidentia vniuerſa & ſunt in ſubiecto, & de eo dicuntur: ſubſtantiæ vero ſingulares neq; ſunt in ſubiecto, neq; dicuntur de illo.

QVÆST. II.

An ſit optima definitio eius quod eſt, eſſe in ſubiecto, propoſita ab Ariſt.

Hanc diffinitionem illuſtriorem multo reddemus quibuidam argumentis, quæ aduerſus ipſam fieri ſolent in med um adductis, ex quorum ſolutione luce clarius illa explicata remanebit.

1. eſt: Totum eſt in partibus, & non tanquam pars, & a quibus nulla ratione poteſt ſeparari, at totū non eſt in partibus tanquam in ſubiecto; ergo definitio eius, quod eſt eſſe in ſubiecto ab Ariſt. tradita non erit accōmodata, cum competat aliis à re definita. *1. argum.*

2. Forma eſt in materia non tanquā pars, quia forma iuxta omnes Philoſophos non eſt pars materiæ, & a qua ſeparari non poteſt (vna anima rationis participe excepta) ſed forma nō eſt in materia ſicut in ſubiecto quia illud quod eſt in ſubiecto habet eſſe a ſubiecto, forma autem nō habet eſſe a materia prima, imo econtra, ergo definitio eius, quod eſt, eſſe in ſubiecto non erit accommodata cum conueniat formæ, quæ non eſt in ſubiecto. *2. Argum.*

Præterea: Locatum eſt in loco, & id quod tempore metitur eſt in tempore, & nō poteſt locatum a loco ſeparari, neq; temporaneum a tempore, at locatum non eſt in loco tanquā in ſubiecto, neque temporaneum in tempore vt eſt apertum; ergo propoſita definitio non erit accommodata, cum competat alteri à re definita. *3. argum.*

Iterum: Creaturæ ſunt in Deo, & non tanquā partes, a quo nulla ratione poſſunt ſepa- *4. Arg.*

rat, aut creaturæ non ſunt in creatore tanquam in ſubiecto, ergo p opoſita definitio erit vitioſa.

Arg. Iam: Odor eſt in pomo tanquam in ſubiecto, qui tamen ſeparatur à pomo, & tranſit in manum, non ergo recte dictum eſt ab Ariſtot. in propoſita diffinitione, quod eſt in aliquo tanquam in ſubiecto non poſſe ſeparari a ſubiecto.

modis ...d ſit Antequam argumẽta iſta propoſita dil amus animaduertendum eſt ex diuo Seuerino Boetio octo eſſe modos, quibus aliquid in alio eſſe contingit, quos ille ex Ariſt. *4. lib. Phyſ. c. 3.* colegit. Primus eſt quo totum eſt in partibus, 2. quo partes dicuntur eſſe in toto, 3. quo ſpecies ſunt in genere, 4. quo genera ſunt in ſpecieb. 5. quo forma eſt in materia, 6. quo regnum eſt in rege, 7 quo media ſunt in fine, 8. quo aliquid eſt in loco, vt aqua in vaſe: Præter quos octo modos quibus aliquid dicitur eſſe in alio, datur alius peculiaris, qui ſolus (illis prætermiſſis) ad præſens attinet inſtitutum qui eſt, quo aliquid in alio tanquam in ſubiecto dicitur eſſe contentum, diffiniturque ille accuratiſſime ab Ariſt. in hoc loco in hæc verba: *In ſubiecto autem eſſe dico, id quod in re aliqua ineſt, non tanquam pars, nec poteſt ſeiunctũ ab eo in quo eſt, conſiſtere.* Quæ definitio eſt accidentis prædicamentalis, vel categoriæ explicans illius vim & naturam, conſtatque tribus particulis. Prima eſt, in aliquo, quæ iuxta Simplicium intelligi debet, primo in aliquo vno & non in multis: deinde in aliquo compoſito integro, & abſoluto. Secunda particula eſt: *Non tanquam pars*, per quam ſeparatur forma a ratione accidentis, eo quod forma eſt pars totius compoſiti. Tertia particula eſt: *Nec poteſt ſeiunctum ab eo in quo eſt conſiſtere*, per quam ſeparantur à ratione accidẽtium omnia quæ in loco, & in tempore eſſe dicuntur, quia quæ ſunt in loco & in tempore ſeparari poſſunt ab hoc loco, & ab hoc tempore in quo ſunt; at accidentia nulla ratione eſſe poſſunt abſque ſubiecto, in quo ſemel eſſe cœperunt.

argum. Ad 1. igitur arg. reſp. in definitione propoſita intelligendam eſſe illam particulam *eſſe in aliquo* addito pronomine vno, quæ particula ſi ſic fuerit intellecta, propoſita definitio toti nullo modo poteſt conuenire, quod non eſt in aliquo vno, ſed in multis partib. vt optime reſp. Simplicius.

Ad 2. Ad 2. reſp. inprimis formam eſſe partem totius compoſiti, quamuis non ſit pars materiæ, & ita non eſſe in ſubiecto, tamen per particulam illam ſecundam, *non tanquam pars* debemus intelligere vel ſubiecti, vel totius compoſiti. Reſp. deinde cum Simplicio in definitione propoſita ſub illa particula, eſſe in aliquo, intelligi totum compoſitum integrum, & perfectum, ita vt eſſe in ſubiecto, ſit eſſe in aliquo toto cõpoſito, quod eſt perfecta ſubſtantia, vt albedo eſt in Socrate qui eſt perfecta ſubſtantia, at vero materia non eſt ſubſtãtia compoſita, neque perfecta, vnde quamuis forma ſit in illa, nõ tamen dicitur eſſe in ſubiecto, quia non eſt in aliquo.

Ad 3. dicimus primo locatum poſſe ſeparari ab hoc, vel illo loco, & temporaneum ab hoc, vel illo tempore, quamuis nequeat vtrũ que eorum ſeparari à loco, vel à tempore in communi: illud vero quod eſt in aliquo tanquam in ſubiecto, ita eſt in vno ſubiecto determinato, vt ab eo, in quo ſemel eſſe cœpit nunquam poſſit remoueri. Reſp. 2. cum Simplicio particulam illam, eſſe in aliquo, in 1. p. diffinitionis contentam denotare, inhærentiam eius, quod eſt in ſubiecto, ad ſubiectum cui inhæret, ita vt eſſe in aliquo ſit alicui ſubiecto inhærere, at locatum non inhæret loco, neque temporaneum inhæret tempori: & ita quamuis non poſſint hæc vel à tempore, vel à loco ſeparari, non dicentur eſſe in iis tanquam in ſubiecto, neque illis vllo modo adaptabitur definitio eius, quod eſt eſſe in ſubiecto. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. in definitione propoſita per particulam illam *eſſe in aliquo* intelligendum eſſe inhærere ſubiecto; vnde cum creaturæ nõ inhæreant Deo non conuenit creaturis propoſita diffinitio. *Ad 4.*

Ad 5. r. ſpond. quidam odorem pomi nunquam ſeparari à ſubiecto; nam ſemper eſt vel in pomo, vel in manu, vel in veſte. Vnde quamuis ſeparetur à ſubiecto in quo antea erat, non tamen ſeparatur à ſubiecto, in quo nunc eſt, vt quamuis ſeparetur a pomo, in quo antea erat, non tamen ſeparatur a manu, in qua nunc eſt. Hæc tamen ſolutio iure optimo diſplicet Ammonio, & Simplicio, ſequerentur enim ex illa accidentia migrate de ſubiecto in ſubiectum, quod eſt abſurdũ, nam cum pomum, & manus ſint diuerſa ſubiecta, ſi idẽ odor qui eſt in pomo eſſet poſtea in manu, migraret odor de ſubiecto in ſubiectum, Vnde reſpond. eſt duplex eſſe ſubiectum odoris vnum per ſe, & alterum per accidens, ſubiectum per ſe ſunt partes quædam tenuiſſimæ pomi, ſubiectum vero per accidens eſt pomũ, vel manus. Vnde quamuis ſeparetur odor *Ad 5.*

à ſubiecto

à ſubiecto per accidens, vt à pomo, vel à manu, nõ tamen ſeparatur è ſubiecto per ſe: nam quando tranſit de pomo ad manum, exhalantur partes illæ tenuiſſimæ, in quibus eſt odor, & tranſeunt ad pomum. Exhalari autem huiuſmodi partes ex eo poſſumus colligere, quia quanto magis pomum manibus contrectamus, eo plures contrahit illud rugas, eoque magis marceſcit, tanquam ſint ab ipſo ſubtiliores partes (in quibus inhærebat odor) exhalatæ.

CAPVT V.

De duobus præceptis.

ARGVMENTVM CAP.

ABſolutis tribus definitionibus, duo præcepta præfatur in hoc capite ad eandem categoriarum tractationem neceſſaria.

A. *CVm alterum de altero tanquam de ſubiecto dicitur, quidquid de attributo dicitur, id omne de ſubiecto quoque dicetur. Veluti quia homo de quopiam homine dicitur, & animal de homine: ob eam etiam cauſam animal de ſingulis hominibus dicetur. Singuli enim homines, & homines ſunt & animalia.* B. *Quando genera diuerſa ſunt, nec vnum ab altero continetur, eorum etiam differentiæ ſpecie differunt, vt animalis & ſcientiæ. Animalis enim differentiæ ſunt terrenum, & bipes, & volucre, & aquatile: at vero harum nulla ſcientiæ. Quoniam inter ſcientiam & ſcientiam, hoc ipſo, quod bipes ſit, nihil ineſt. Eorum autem generum, quorum vnum ſub altero continetur, nihil prohibet eaſdem eſſe differentias. Nam ſuperiora genera de iis, quæ iis ſubiecta ſunt, generibus dicuntur. Ita fit, vt omnes, quæ ſunt attributi ſubiecti, etiam ſint futuræ differentiæ.*

COMMENTARIA.

1. præcept. HActenus de definitionibus, tradit iam duo præcepta in hoc capite ad categorias intelligendas omnino neceſſaria. Primum eſt A. *Cum alterum de altero tanquam de ſubiecto dicitur*, &c. Quando aliquod attributum dicitur de aliquo tanquam de ſubiecto, quęcunque dicuntur de attributo ſecundum eſſentiam, dicuntur etiam de ſubiecto. Hoc præceptum exemplo ſatis aperto & familiari poſſumus illuſtrare. Homo dicitur de quodam homine (nimirum de Petro) ſecundum eſſentiam, de homine vero ſecundum eſſentiam dicitur animal, quare & animal de quodam homine (vt de Petro) dicetur ſecundum eſſentiã, nam quidam homo ſecundum eſſentiam & eſt homo, & eſt animal.

2. præcept. B. *Quando genera diuerſa ſunt*, &c. Secundum præceptum: Quando ſunt aliqua genera, quorum vnum ſub altero nõ continetur, ſunt quoque illorum generum diuerſæ ſpecie differentiæ: ſi vero vnum genus ſub altero comprehenſum fuerit, ſunt illorum eædem differentiæ. Explicat Ariſt. primam partem huius regulæ exemplo ſatis accommodato, animal enim, inquit, & ſcientia ſunt diuerſa genera, quorum vnum ſub altero non continetur, nam animal continetur in categoria ſubſtantiæ, ſcientia vero in categoria qualitatis, & ita ſunt differentię ſpecie diuerſę animalis, & ſcientiæ: nam animal diuiditur in volucre terreſtre & aquatile, ſcientia vero in angelicam, diuinam, & humanam. Secunda pars regulæ erat, ſi vero vnum ſub altero contineatur, poſſunt habere eaſdem differentias, vt animal, & corpus animatum ſunt genera diuerſa, quorum vnum ſub altero continetur, nam animal continetur ſub corpore animato, & ita habent eaſdem differentias, nam differentiæ corporis animati ſunt corporeum, & vitæ particeps, quæ eædem ſunt differentiæ animalis, nam animal eſt ſubſtantia corporea, & vitæ particeps. Confirmat autem Ariſt. hanc regulam ex ſuperiori ad hunc modum, quando aliquid dicitur de aliquo attributo ſecundum eſſentiam, idem quoq; dicitur de ſubiecto illius, ſed differentię generum ſuperiorum dicuntur de ipſis ſecundum eſſentiam, ergo cum genera inferiora cõtineantur ſecundum eſſentiam ſub generibus ſuperioribus; eædem differentiæ ſuperiorum, prædicabuntur quoq; de generibus inferioribus. Et ita quando duo genera erunt ita inter ſe affecta, vt vnum contineatur ſub altero, obtinebunt eaſdem differentias. Hæc regula eſt propoſita ab Ariſt. vt in-

telligamus eorum quæ continentur in eadem categoria, eaſdem eſſe differentias: aliorum vero, quæ continentur in diuerſis categoriis, eſſe diuerſas differentias.

Scholia in hoc cap. de præceptis.

Obſeru. A 1. Simplicius *in commentar.* Porphyrius *in interrogat capit.* 35. & quidam alii exiſtimant, hoc præcepto Ariſt. definire quid ſit dici de ſubiecto, nam cum in cap. ſuperiori propoſuerit definitionẽ eius, quod eſt eſſe in ſubiecto, reliquum erat, vt proponeret etiam definitionem eius, quod eſt dici de ſubiecto. Vnde dici de ſubiecto nihil aliud erit quam ita de aliquo dici, vt quæcunque attributo conueniant, de ſubiecto quoque prædicentur. Cæterum hæc ſententia nõ videtur eſſe accommodata, quia in hoc præcepto nullam obſeruat Ariſt. formam definiendi, ſed legis cuiuſdam, quare cum Ammonio *in commentar.* & cum B. Albert. Mag. *tract. 1. huius operis, cap* 6. arbitramur, hanc eſſe ſuppoſitionem quandam, ad modum præcepti traditam, ad categorias intelligendas maxime vtilem.

1. Obſeru. A 2. Huic præcepto duo alia adiunguntur, primum ab Arabibus, Auicenna, & Algazele. Quando aliquod attributum negatur ab aliquo ſubiecto ſecundum eſſentiam, negatur quoque ab iis, quæ ſub tali ſubiecto ſunt comprehenſa: vt quia de animali negatur ſecundum eſſentiam lapis, negatur etiam de homine, qui ſub animali continetur. Dictum eſt autem ſecundum eſſentiam, nam ſi fuerit attributum accidentarium, quamuis negetur ab aliquo ſubiecto, non eſt neceſſe, vt negetur ab iis, quæ continentur ſub tali ſubiecto. Vnde cum eſſe ſpeciem infimam ſit attributum accidentarium, quamuis negetur ab animali, non tamen negatur ab homine.

3. Obſer. Secundum præceptum eſt traditum à Latinis interpretibus, quod eſt huiuſmodi: Quando aliquod attributum dicitur accidentario de aliquo ſubiecto, quæcunque dicuntur ſecundum eſſentiam de attributo, dicuntur etiam de ſubiecto, accidentaria tamen ratione, vt quia albedo dicitur accidentario de homine, & diſgregare viſum dicitur ſecundum eſſentiam de albedine, dicetur etiam diſgregare viſum de homine accidentaria quadam ratione.

4. Obſeru. B 1. Animaduertunt Simplicius & Ammonius, Ariſtotelem conſulto adhibuiſſe illam particulam, *ſpecie diuerſa differẽtia*, quia quamuis ſint aliqua genera, quorum vnum ſub altero non contineatur, optime poſſunt illa habere eaſdem differentias ſecundum analogiam, & proportionem, vt animal, & inſtrumenta rebus domeſticis deſeruientia, ſunt genera diuerſa, quæ tamen duo habent eaſdem differentias ſecundum analogiam, nam differentiæ animalis ſunt habere pedes, & non habere pedes, homines enim & equi habent pedes, angues vero & ſerpentes carent illis, quæ duæ differentiæ reperiuntur etiam in inſtrumentis domus, quia quædam ſunt apoda, id eſt, non habentia pedes, vt ſartagines, cacaba, & ollæ, alia vero habent pedes, vt lecti, ſcamnum, & ſubſellia. Cæterum hæ differentiæ non ſunt eædem ſecundum ſpeciem, quia alia eſt ratio pedis in animali, & alia in ſcamno, ſunt tamen eædem ſecundum analogiam, nam quam proportionem ſeruat pes animalis ad animal, eandem obtinet pes ſcamni ad ſcamnum.

B. 2. Ammonius *in commentariis* putat, ſecundam partem huius præcepti tam ad differentias conſtituendas, quam ad diuidentes eſſe referendam, alia tamen & alia ratione: 5. Obſeru.
nam ſi ad conſtituentes referatur eſt hæc pars ſecundum neceſſitatem intelligenda, neceſſario ſiquidem differentiæ conſtituentes genera ſuperiora debent de generibus ſub illis contentis prædicari, vt corporeum, & particeps vitæ, ſunt differentiæ conſtituentes corpus, & corpus animatum, quæ neceſſario de animali (quod ſub illis continetur) prædicantur. Si vero referatur ad differentias diuidentes, non eſt hæc pars præcepti ſecundum neceſſitatem intelligenda, ſed ſecundum poſſibilitatem. Non quidem ſecundum neceſſitatem, quia differentiæ diuidentes corpus animatum, quæ ſunt particeps ſenſus, & expers, non diuidunt animal, quod ſub corpore animato continetur. Secundum poſſibilitatem vero, quia poteſt aliquando ita euenire, vt ſint eædem differentiæ diuidentes generis ſuperioris, & ſubalternati, quod ſub illo continetur, maxime vero, ſi fuerint differentiæ accidentariæ: nam paſci vel ſeminibus, vel carnibus, vel herbis, differentiæ ſunt accidentario diuidentes animal, quæ eædem ſunt quoque differentiæ diuidentes volucre, quod ſub animali tanquam ſub genere continetur, ex volucribus ſiquidem quædam paſcuntur ſeminibus, alia herbis, & alia carnibus.

QVÆSTIO I.

An primum præceptum ſit verum, nec ne?

EXaminemus; ſiurne vera hæc duo præcepta, nec ne? Non enim deſunt argumenta, quibus illa euerti ac penitus labefactari videantur. Inprimiſque aduerſus primum præceptum (quod in hac quæſtione examinare inſtituimus) eſt primum argumentum:

1. Arg. Animal dicitur de homine, tanquam de ſubiecto, ſed non quæcunque dicuntur de animali, dicuntur de homine, nam de animali dicitur eſſe genus, quod non dicitur de homine, non ergo, quando aliquid dicitur de aliquo tanquam de ſubiecto, quæcunque dicuntur de attributo, dicuntur quoque de ſubiecto.

2. Arg. Secundum: Rationis particeps dicitur de homine tanquam de ſubiecto, ſed non quæcunque dicuntur de rationis participe, dicuntur quoque de homine, ergo, &c. Confirmatur aſſumptio. De rationis participe dicitur eſſe ſubſtantiam incompletam (nam eſt differentia) at omnis differentia ſubſtantialis eſt ſubſtantia incompleta: ſed hoc attributum non dicitur de homine, neque enim ille eſt ſubſtantia incompleta, cum ſit integra & abſoluta natura: ergo non quæcunque dicuntur de rationis participe, de homine quoque dici poſſunt.

3. Arg. Præterea: Homo dicitur de Socrate tanquam de ſubiecto, ſed non quæcunque dicuntur de homine, dicuntur de Socrate, ergo, &c. Confirmatur aſſumptio. De homine dicitur non eſſe Socratem, quia homo non eſt Socrates, at hoc non dicitur de Socrate, ergo aliquid dicitur de homine, quod non dicitur de Socrate.

4. Arg. Adhæc: Scientia dicitur de Grammatica, & Medicina tanquam de ſubiectis: ſed non omnia, quæ dicuntur de ſciencia, dicuntur de Medicina, nam eſſe relatum dicitur de ſcientia, vt auctor eſt Ariſt. in categoria relatorum, quod non dicitur de Medicina, vt idem docet in categoria qualitatis: ergo ruit præceptum ab Ariſtotele propoſitum.

Explicatur opinio Ariſt. His & aliis leuioribus argumentis labefactari videtur hæc regula propoſita ab Ariſtot. Verum illa non debent nos commouere, quo minus ſententiam Ariſt. veriſſimam eſſe arbitremur, quæ innititur illi principio lumine naturæ notiſſimo, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, cui certe inniti, perfacili ſatis exemplo fiet manifeſtum. Sumamus animal, quod dicitur de homine tanquam de ſubiecto, ſumamus etiam corpus animatum, quod de animali effertur, profecto corpus animatum, & homo ſunt idem vni tertio, nimirum animali, nam & homo eadem res eſt cum animali, & corpus eidem animatum, ac proinde poterit corpus animatum, quod eſt ſuperius ad hominem, vere de homine enunciari propter identitatem inter vtrumque interuenientem, quæ eſt fundamentum veræ attributionis: nam quidquid eſt idem cum alio & eo ſuperius, vere poteſt de illo dici. Hoc quidem abſq; vlla controuerſia omnibus ſuffragantibus eſt conceſſum: quare tota controuerſia eſt de modo explicandi hanc regulam, & præceptum, & qua ratione intelligi illud debeat, ſunt enim in re hac diſcrepantes inter ſe interpretum ſententiæ.

Burlæus nobilis Philoſophus, qui (præter nomen) nihil aliud ridiculum habere videtur, putat intelligendam eſſe regulam de omnibus attributis, tam eſſentialibus, quam accidentariis: ita tamen, vt addatur attributo nota vniuerſa, omnis, quæ certe ſi addita fuerit, verum erit, quæcunq; dicũtur de attributo, dici etiam de ſubiecto: inprimiſq; ſi attributum fuerit eſſentiale, regula eſt abſq; vlla cõtrouerſia admittẽda, etenim ſi particeps ſenſus dicitur de omni animali, & animal dicitur de homine, & particeps ſenſus de eodem quoque dicetur. Deinde verã eſſe in attributis accidentariis, hoc alio exemplo perſpicuum ſatis fiet, nam ſi coloratum dicitur de omni animali, & animal dicitur de homine etiam coloratum dicetur de homine, vt eſt apertum ſatis & manifeſtum. Hanc eandem interpr. ante Burlæũ grauiſſimi interpretes Ariſt. Simpl. *in commentar.* & Dexipp. *libr. 1. quæſt. in categor. c. 24.* non obſcure indicarunt. *1. Opin.*

Secunda interpretatio eſt Andronici Rhodii, vt auctor eſt Simplic. & B. Albert. Magn. *tract. 1 categor. c. 6* intelligendum eſſe præceptum de attributione alicuius vocis prædicabilis ex quinque propoſitis a Porphyr. Itaque ſi aliquid prædicetur de aliquo tanquam de ſubiecto, prædicatione generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, vel communis accidentis, quidquid dicetur de attributo, dicetur quoque de ſubiecto. Addunt Arabes, Auicenna, & Algazel, intelligendam eſſe regulam non tantum de attributis harum quinque vocum poſitiuis, ſed etiam de aliis attributis negatiuis: Vt quia animal dicitur de homine, & non particeps ſenſus, quod eſt attributum negatiuum, negatur ab animali, non particeps ſenſus ab homine quoque negabitur. *2. interpr.*

Cæterum

Reiicit. Cæterum ex hac interpretatione non videntur omnino diſſolui difficultates, quas in initio propoſuimus. Nam genus dicitur de animali prædicatione quinti prædicabilis, accidit enim animali eſſe genus, quod tamen attributum non dicitur de homine, de quo animal prædicatur.

Interp. Tertiam interpretationem proponunt Venet. in hoc loco, & Tolet. intelligendum eſſe præceptum de attributione eſſentiali, ſiue in quid, ſiue in quale, ita vt ſenſus ſit, quando aliquid dicitur de aliquo ſecundum eſſentiam, ſiue in quid, vt genus & ſpecies, ſiue in quale, vt differentia, quæcunque dicuntur de attributo, dicuntur quoque de ſubiecto, vt quia homo dicitur de Petro ſecundum eſſentiam, & in quid, & animal dicitur de homine, etiam animal dicetur de Petro: & quia animal dicitur de homine ſecūdum eſſentiam, & in quid, & ſentiens dicitur de animali ſecūdum eſſentiam, & in quale, ſentiens etiam de eodem homine dicetur.

Reiicit. Verum neque hæc interpretatio eſt ex omni parte vera, neque ex illa diſſolui poteſt argumentum quod ſecundo loco propoſuimus, nam ita ago: Rationis particeps dicitur de homine tanquam differētia in quale ſecundum eſſentiam, ſed non quæcunque dicuntur de rationis participe, etiam ſecundum eſſentiam dicuntur de homine, non igitur ſemper, quando aliquid dicitur de aliquo ſecundum eſſentiam, quæcunque dicuntur de attributo, dicentur quoque de ſubiecto. Confirmatur aſſumptio. De rationis participe dicitur ſecundum eſſentiam eſſe ſubſtantiam incompletam, nam cum ſit ſubſtantia ſecundum eſſentiam, & non ſit ſubſtantia integra, vel completa erit profecto ſubſtantia incompleta. Et certe cum obtineat rationem partis, de ratione illius erit eſſe ſubſtantiam incompletam: at hoc attributum homini conuenire nullo modo poteſt, nam eſt ille integra, abſoluta, & completa ſubſtantia, quare non omnia, quæ dicuntur ſecundum eſſentiam de rationis participe, de homine etiam dici poterunt.

Interp. His igitur duabus interpretationibus confutatis, dicimus cum Simplic. Ammonio, M. Soto & aliis intelligendum eſſe præceptum de iis, quæ dicuntur de ſubiectis ſecundum eſſentiam, & in quid, vel quod idem eſt, de iis, quæ dicuntur de ſubiectis in recta ſerie categoriæ. Quare tantum intelligi debet regula de generibus & ſpeciebus, quæ in recta ſerie categoriæ de ſuis ſubiectis prædicantur: vnde ſenſus regulæ erit, quæcunque tanquam genera, vel tanquam ſpecies, dicuntur de aliquo, vt de ſubiecto, quidquid de attributo dicetur ſecundum eſſentiam, dicetur quoque de ſubiecto. Et quidem cum hæc præcepta eo tradita fuerint ab Ariſt. vt intelligamus, qua ratione de ſe inuicem prædicentur ea, quæ in categoriis continentur, in quibus primo, & per ſe tantum genera, ſpecies, & indiuidua comprehenduntur, profecto non videbitur alienum ab inſtituto, & mente Ariſt. imo maxime illi accommodatum, regulam hanc ita limitare, vt tantum de generibus, & ſpeciebus ſit intelligenda, vel de iis, quæ in recta ſerie categoriæ continentur, & non de aliis quæ in latere continentur, quales ſunt differentiæ. Ex his interpretationibus hæc vltima videtur verior, & magis Ariſt. accommodata, quamuis neque Burlæi contemnenda eſſe videatur.

Igitur ad argumenta, quæ in principio proponebamus, iuxta hanc noſtram interpretationem facilis eſt ſolutio. Nam ad primum reſp. eſſe genus non eſſe attributum eſſentiale animalis, ſed accidentarium, ac proinde quamuis dicatur de animali, non propterea dicetur de homine. Vel iuxta interpretationem Dexippi, & Burlæi dicere poſſumus eſſe genus non dici de omni animali, & ita neque dici de homine, nam regula non eſt abſolute intelligenda, ſed quando illud, quod dicitur de attributo, dicitur de eo cum hac nota vniuerſali, omnis, quod ſi non ita dicatur, non eſt neceſſe, vt quæcunque dicuntur de attributo, dicantur quoque de ſubiecto. *Ad 1. arg.*

Ad ſecundum reſpon. negando conſequentiam, nam regula iuxta noſtram opinionem tantum intelligi debet de generibus & ſpeciebus, quę in recta ſerie categoriæ continentur, at rationis particeps, & quęcunque aliæ differentiæ nō in recta ſerie, ſed ad latus collocantur. Et ita non eſt neceſſe, vt quæcunq; dicuntur de differentiis, dicātur etiam de ſubiectis, de quibus ipſæ differentiæ prædicantur. *Ad 2.*

Ad tertium reſpond. cum Dexippo, intelligendam eſſe regulam de attributis poſitiuis & ſecundum eſſentiam, at non eſſe Socratem, nō eſt attributum poſitiuum, & eſſentiale hominis, ac proinde quamuis dicatur de homine, & homo dicatur de Socrate, tanquam de ſubiecto, non propterea eſſe non Socratem dicetur de Socrate. *Ad 3.*

Ad quartum reſpond. etiam eſſe relatum dici de Grammatica, & Medicina, poſſunt enim hæc ſumi aut in propria, & peculiari ratione, vt exprimuntur nomine Grammaticæ, *Ad 4.*

& Me-

& Medicinæ, aut in ratione communi ſcientiæ. Vnde quamuis primo modo eſſe relatum non dicatur de Grammatica, vel Medicina, vt ex hac auctoritate Ariſt. propoſita colligi poteſt: verũ altero modo dicitur de illis, vt idem Ariſt. teſtatur *lib. 5. Metaph. c. 15.* inquiens. quædam eſſe relata ratione ſui generis, quia nimirum ipſorum genus ad aliud refertur, vt Medicina quippiam relatum eſt, quia ſcientia, quæ eſt illius genus, inter naturas relatas continetur.

QVÆSTIO II.

Sitne verum ſecundum præceptum propoſitum ab Ariſt.

SEcundum præceptum ab Ariſt. propoſitum huiuſmodi erat; *Quando genera ſunt diuerſa, nec vnum ab altero continetur, eorum etiam differentiæ ſpecie differunt &c.* Aduerſus quod præceptum ſeſe offerunt nonnullæ difficultates, & argumenta, quorum primum eſt:

1. *Arg.* Volucre, & terreſtre ſunt genera diuerſa, quorum vnum ſub alio non continetur, ſed horum ſunt eædem differentiæ, ergo falſum eſt, quod inquit Ariſt. in 1. parte præcepti, quãdo genera ſunt diuerſa, nec vnũ ſub alio continetur, eſſe ſpecie diuerſas differentias. Confirmatur aſſumptio. Primo: Differentiæ animalis terreſtris ſunt bipes, & quadrupes, nam ex terreſtribus quædã ſunt bipeda, vt homo, & alia quadrupeda, vt equus & leo, ſed hæ eædem ſunt differentiæ volucris, nam ex volucribus quædam ſunt bipeda animalia, vt perdices, gallinæ, paſſeres, &c. & alia quadrupeda, vt de Grypho ferunt, qui inter reliquas volucres quatuor habet pedes.

2. *Arg.* 2. Corpus, quod continetur in categoria ſubſtantiæ, & illud, quod continetur in categoria quantitatis, ſunt genera diuerſa, ſed illorum ſunt eædem differentiæ. nam differentiæ corporis, quod continetur in categoria quantitatis, ſunt longitudo, latitudo. & profunditas, quæ certe eædem ſunt differentiæ corporis, quod continetur in categoria ſubſtantiæ, falſum igitur eſt diuerſorũ generum, quorum vnum ſub alio non continetur, non eſſe eaſdem ſpecie differentias.

3. *Arg.* 3. Genera ſuprema ſunt diuerſa genera, quorum vnum ſub alio non cõtinetur, at illa nullas habent differentias, quibus inter ſe diſtinguantur, ſunt enim primo diuerſa, quorum nullæ poſſunt eſſe differentiæ, ergo ruit præceptum Ariſtotelicum diuerſorum generum, quorum vnum ſub alio non continetur, eſſe diuerſas ſpecie differentias.

4. *Arg.* Præterea: Aduerſus ſecundam partem eiuſdem præcepti eſt quartum argumentum, ſentire, eſt differentia animalis, ſed illud non eſt differentia corporis animati, ſub quo animal continetur, non enim omne corpus animatum eſt eſt particeps ſenſus: ergo falſum eſt, quod inquit in 2. parte præcepti, ſi vero vnum ſub altero contineatur, erunt eædem ſpecie differentiæ.

5. *Arg.* Iam: Homo continetur ſub animali ſecundum eſſentiam tanquam ſub genere ſubalterno, ſed non ſunt eædem differentiæ hominis, & animalis, falſum igitur eſt, quando vnum ſub alio continetur ſecundum eſſentiam, eſſe eaſdem ſpecie differentias.

Opinio Nicoſtrat. His & aliis huius generis argumentis ſectatores Nicoſtrati, vt auctor eſt Simplicius, vtebantur aduerſus hanc regulam ab Ariſt. propoſitam quibus tamen idem Simplicius, Ammonius, Boet. Græcus, Herminus Dexipp. & alii occurrerunt, quibus vt nos ſatisfacere poſſimus, erunt nonnulla breuiter prius proponenda.

1. *Obſeru.* Primum eſt ex cap. de differentia petitum, differentias generum quaſdam eſſe diuidẽtes, & alias conſtituentes, v.g. differẽtiæ diuidentes animal, ſunt rationis particeps, & expers: conſtituentes vero ſunt corporeum, particeps vitæ, & ſenſus: Inter quas hoc intereſt, quia conſtituentes de quaſlibet ſpecie ſub genere comprehenſa ſeorſum prædicantur, vt corporeum, particeps vitæ, & ſenſus, de homine & bruto ſeorſum prædicantur, at diuiſiuæ non coniunctim, ſed diſiunctim de ſpeciebus, quæ ſub genere continentur, dici poſſunt, vt particeps, & expers rationis, non coniunctim, ſed diſiunctim, pro altera nimirum parte (quæ eſt particeps rationis) dicuntur de homine.

2. *Obſer.* Secundum, quod proponimus, eſt, tribus modis aliqua genera poſſe eſſe diuerſa. Primo, quia ſunt in diuerſis categoriis comprehenſa, vt animal & numerus ſunt ita genera diuerſa, quia animal in categoria ſubſtantiæ, numerus vero in categoria quantitatis continetur. Secundo, quando vnum ſub altero non continetur, quamuis vtrumque ſub limitibus eiuſdem categoriæ ſit comprehenſum, vt ſunt animal riſibile, & volucre, vtrumque ſiquidem ſub animali comprehenditur, vnum tamen ſub altero contineri nullo modo poteſt, & idem iudicium eſt de potentia naturali, & figura, quæ ſunt duo genera, quorum vnum ſub alio non continetur, vtrumque tamen ſub limitibus categoriæ qualitatis eſt

comprehenſum. Tertio, illa ſunt diuerſa genera, quæ intra limites eiuſdem categoriæ continentur, & ſiunt ita inter ſe affecta, vt vnum ſub altero comprehendatur, vt ſunt animal viuens, & corpus, & denique omnia illa, quæ intra ſeriem eiuſdem categoriæ collocantur.

onclus. Quibus ita propoſitis, hanc regulam his aſſertionibus explicamus, ſit prima: Si genera fuerint diuerſa primo modo, ita vt in diuerſis categoriis collocentur, non poterunt eſſe illorum eædem differentiæ ſimpliciter, & abſolute, neque diuidentes, neque conſtituentes. Hæc eſt aperta, ab omnibuſque conceſſa, confirmarique poteſt, quia in qualibet categoria datur propria potentia, datur etiam proprius actus, quæ duo ita ſunt inter ſe impermixta, vt actus, qui coercet, & limitat potentiam generis alicuius categoriæ, non poſſit coercere, aut limitare potentiam generis alterius categoriæ, vt auctor eſt Ariſt. 12. *Meta. cap.* 4. ſed differentiæ ſunt quidam actus limitantes, & coercentes potentiam generis, ergo diuerſorum generum, quæ in diuerſis categoriis continentur, non poterunt eſſe eædem differentiæ ſimpliciter & abſolute. Dictum eſt ſimpliciter & abſolute, quia ſecundum analogiam bene poterunt eſſe eædem differentiæ, quæ in diuerſis categoriis continentur: vt iam monuimus ex Simplicio, & Ammonio in ſcholiis. Nam animal, & inſtrumenta domeſtica in diuerſis categoriis continentur, animal enim in categoria ſubſtantiæ, inſtrumenta vero in categoria qualitatis ſub figura continentur, quorum tamen ſunt eædem differentiæ ſecundum analogiam, nam differentiæ animalis ſunt habere pedes, & non habere illos, equi enim, & leones habent pedes, angues vero, & ſerpentes non habent, quæ ſunt etiam differentiæ ſecundum analogiam inſtrumentorum domus, nam ex inſtrumentis quædam habent pedes, vt lecti, ſcamna, & ſubſellia, & alia non habent, vt ollæ, & ſartagines.

onclus. 2. conclus. Si fuerint genera diuerſa ſecundo modo, ita vt neutrum ſub altero contineatur, ambo vero contineantur ſub eodem tertio, recte poterunt eſſe eædem differentiæ, quamuis hoc non ſit ſemper neceſſe, neque poſſit omnibus huiuſmodi generibus accommodari. Inprimis recte poſſe eaſdem differentias obtinere, exemplo ſatis facili poſſumus oſtendere, nam animal volucre, & terreſtre ſunt genera ita diuerſa, quorum tamen ſunt eædem differentiæ, & diuidentes, & conſtituentes, nam bipes & quadrupes ſunt differentiæ diuidentes animal terreſtre, & conſtituentes eius ſpecies, nimirum hominem, qui eſt bipes, & bouem, qui eſt quadrupes, quæ eædem etiam diuidunt animal volucre, ex volucribus ſiquidem quædam ſunt bipeda animalia, vt aquilæ, anſeres, & perdices: & alia ſunt quadrupeda, vt gryphus, auctore Simplicio. Cæterum non ſemper huiuſmodi genera habere eaſdem differentias diuidentes, & conſtituentes, conſtat inprimis in categoria ſubſtantiæ, de ſubſtantia corporea & incorporea, quarum vtraque, ſub ſubſtantia, tanquam ſub eodem genere continetur: at neutrius poſſunt eſſe eædem differentiæ, neque diuidentes, neque conſtituentes. Conſtat deinde de numero & linea, quæ ſunt genera ſub quantitate comprehenſa, tanquam ſub tertio aliquo genere, quorum tamen nullo modo poſſunt eſſe eædem differentiæ conſtituentes, & diuidentes, nam par, & impar ſunt differentiæ numeri, & non lineæ.

3. conclus. Si fuerint genera diuerſa tertio modo, ita vt vnum ſub altero intra rectam ſeriem categoriæ contineatur, quod idem eſt, ac eſſe genera ſubalternatim poſita, erunt eædem differentiæ conſtituentes, idque neceſſario, non tamen diuidentes, quamuis & aliquando poſſint eſſe communes. Primam partem de conſtituentibus confirmat Ariſtot. in contextu aperto ſatis, & facili argumẽto, quia hæ differentiæ dicuntur ſecundum eſſentiam de generibus ſuperioribus, ſed quidquid dicitur de ſuperioribus ſecundum eſſentiam, dicitur quoq; de inferioribus, ergo & hæ differentiæ conſtituentes generum ſuperiorum dicentur quoq; de generibus inferioribus, quæ ſub illis continentur. Præterea de diuidentib. non neceſſe eſſe eaſdem generum ſuperiorum & inferiorum, quæ ſubalternatim collocantur, conſtat hoc exemplo ſatis manifeſto, quia particeps & expers ſenſus ſunt differentiæ diuidentes corpus animatum, quæ certe non diuidunt animal, quod ſub corpore animato tanquam genere continetur, ergo non erunt neceſſario eædem differentiæ diuidentes generum ſuperiorum, & illorũ, quæ ſub eis continentur. Eſſe tamen aliquando eaſdem differentias, Simplic. & Ammon profitentur, proponentes exemplum de animali, & volucri, quod ſub animali cõtinetur, quorum eædem ſunt differentiæ diuidentes, nam paſci herbis, ſeminibus, vel carnibus, differentiæ ſunt animalis, quæ etiam ſunt volucris, vt in ſcholiis admonuimus. Et hoc indicare videntur ver *3. conclus.*

Digitized by Google

ba illa Ariſt. *Nihil prohibet eaſdem eſſe differentias*, quæ certe præ ſe ferunt, aliquando horum generum poſſe eſſe eaſdem differentias, quamuis non ſemper hoc ita eueniat.

Ad 1. arg. Iam ad arg. ad 1. reſp. quod quamuis hæc duo non cõtineantur intra ſe, vtrunq; tamen continetur ſub eodem, nam volucre, & terreſtre continentur ſub animali ac proinde poterunt habere eaſdem differentias diuidentes.

Ad 2. Ad 2. reſp. negando aſſumptionem, nam differentiæ corporis, quod continetur in categoria quantitatis, ſunt longum, latum, & profundum, quæ non ſunt differentiæ corporis, quod continetur in categoria ſubſtantiæ, nam ſi de differentiis huius agamus conſtituentibus, non ſunt aliæ, quam eſſe naturam, cui debetur hæc trina dimenſio: ſi vero diuidentes contemplemur, ſunt eſſe particeps, & expers vitæ, omne ſiquidem corpus quod in categoria ſubſtantiæ continetur, vel eſt particeps vitæ, vel expers.

Ad 3. Ad 3. reſpond. nomine differentiarum diuidentium non ſolum eſſe intelligendas veras & legitimas differentias, ſed etiam modos interniter nos eſſendi, quare licet genera ſuprema non habeant veras & legitimas differentias, quia tamen habent modos internos, erunt eorum differentiæ diuerſæ ſpecie.

Ad 4. reſp. cum Simpl. regulam intelligendam eſſe de differentiis conſtituentibus genera ſuperiora, & non de differentiis inferiorum. Itaque differentiæ conſtituentes ſuperiora dicentur quoq; de generibus inferioribus, quæ ſub illis continentur, non tamen aliæ, quæ conſtituunt genera inferiora, dici poterunt de generibus ſuperioribus: at ſentire differentia eſt cõſtituens animal, quod eſt genus inferius ad corpus animatum, atque ita non dicetur de corpore animato. Ad 4.

Ad 5. reſpond. regulam propoſitam intelligendam eſſe de differentiis conſtituentibus genera ſuperiora, & non de diuidentibus, niſi eo modo, quo expoſuimus in aſſertionibus: at rationis particeps, & expers ſunt differentiæ diuidentes animal, & non conſtituentes: atque ita non poterunt hæ duæ differentiæ homini, qui ſub animali continetur, conuenire. Ad 5.

CAPVT VI.

De diuiſione entis in decem categorias.

Argvmentvm Capitis.

D Iſtributum eſt caput in duas partes, in quarum prima diuidit Ariſtoteles ens in decem genera ſuprema: in altera vero quãdam proprietatem horum generum tradit, quæ eſt illa per ſe prolata, neque affirmationem, neque negationem denotare.

A. *Q Væ autem plane ſimplicia ſunt, ea vel ſubſtantiam ſignificant, vel quantum, vel quale, vel quæ cum aliquo comparantur, vel in loco, vel in tempore, vel ſitum eſſe, vel habere, vel facere, vel pati. Eſt autem ſubſtantia, vt rem exemplo adumbremus, vt homo, vt equus. Quantum, vt quod duorum cubitorum eſt, quodque trium. Quale, vt album, Grammaticum. Quæ cum aliquo comparantur, vt duplum & ſimplum, vt maius. In loco, vt in foro, in Lycio. In tempore, vt cras, anno ſuperiore. Situm eſſe, vt iacere, ſedere. Habere, vt armatum eſſe, veſtitum eſſe. Facere, vt ſecare, vrere. Pati, vt ſecari, vri.* B. *Nihil autem eorum, quæ enumerata ſunt, per ſe affirmationem aut negationem faciunt: ſed ex eorum mutua quadam coniunctione omnis & affirmatio & negatio naſcitur. Nam & omnis affirmatio & negatio aut vera eſt, aut falſa. & nihil eorum, quæ plane ſimplicia ſunt, verum eſt, aut falſum, vt homo, vt candor, vt currit, vt vincit.*

Commentaria.

V Ltimum, quod præſtat in antecategoriis Ariſt. eſt generalem quandam, & vniuerſam eius, quod eſt, diuiſionem proponere, ea ſic ſe habet.

A. *Quæ autem plane ſimplicia ſunt, &c.* Ea quæ ſunt ſimplicia (vt coniuncta omittamus) ſunt in decem genera ſuprema diſtributa, nam quædam ſignificant ſubſtantiam, vt homo, alia quantitatem, vt bicubitum vel tricubitum, alia qualitatem, vt Grammatica, & candor,

Digitized by Google

alia relationem, vt ſimplum eſſe, & duplum: alia vbi, vt eſſe in foro, alia quando, vt eſſe hodie, vel fuiſſe heri, alia ſitum eſſe, vt iacere, vel ſedere alia habere, vt eſſe veſtitum, vel armatum, alia agere, vt ſecare, & vrere, & alia pati, vt ſecari, & vri.

B *Nihil autem eorum.* &c. Docet deinde Ariſt. categorias, ſi per ſe proferantur, neque ſignificare affirmationem, neque negationem: ſi quis enim hanc ſolam proferat vocem, ſubſtantia (v.g.) is neque affirmat aliquid, neque negat, quod ſic confirmat Ariſt. Vbi eſt affirmatio, vel negatio, ibi eſt & veritas vel falſitas, at in categoriis per ſe prolatis neque eſt veritas neque falſitas, ergo neque erit in illis affirmatio vel negatio.

Scholia in caput ſextum.

Obſer. A 1. Hæc diuiſio ſubdiuiſio eſt alterius primæ diuiſionis propoſitæ in capite quarto: nam cum ibi diuiſa fuerint ea quæ diuidũtur in ſimplicia & coniuncta, in hoc loco ſimplicia ſubdiuiduntur in decem genera ſuprema.

Obſer. A 2. Porphyrius *in interrogat. cap.* 43. hanc diuiſionem eo putat differre à ſecunda propoſita in cap. 4. quod illa ſit breuis, ſiue minima, nam in illa diuiditur id quod eſt, in illud, quod non eſt in ſubiecto, & dicitur de ſubiecto, &c. Hæc autem maxima ſit, & latius patens, in qua id, quod eſt immediate, diuiditur in ſubſtantiam, quantitatem, &c. Quare hæc diuiſio eadem erit cum illa, differens tantum ſecundum maiorem aut minorem extenſionem, vel latitudinem. Poteſt autem hæc diuiſio & rebus & nominibus accommodari, rebus, ſi dicamus res, quæ nomine entis ſignificantur, vel ſunt ſubſtantia, vel quantitas, vel qualitas, &c Si vero de nominibus fuerit intelligenda, reddet hunc ſenſum. Id quod nomen entis ſignificat, vel eſt ſubſtantia, vel quantitas, &c. Vt recte Ammonius animaduertit.

ſeru. A 3. Herminus, & alii, vt teſtatur Simplicius, putant, hanc non eſſe veram diuiſionem entis in decẽ categorias, ſed enumerationem quandam vocis ambiguæ in ſua ſignificata, eo modo, quo diuidimus canem, in cœleſtem, domeſticum, & marinum, in qua diuiſione nullam rem diuidimus, ſed tantum varias huius vocis ſignificationes enumeramus. Falluntur tamen, quia præter nominis communicationem decem categoriæ (in qua ens diuiditur) habent communem rationem eſſendi, communem, inquam, ſecundum analogiam, quare non erit ſola enumeratio vocis ambiguæ in ſua ſignificata, verum de hac re in controuerſiis, quas in ſectione ſecunda huius capitis proponemus.

A 4. Ammonius, & Simplicius obſeruant, per ea, quæ ſunt ſimplicia, intelligenda eſſe hoc loco tam ea, quæ ſunt ſimplicia voce, quam ea, quæ ſunt ſimplicia ſignificatione. Vnde quæ ſunt compoſita ſignificatione, cuius generis ſunt omnes voces homonymæ, vt canis, vel leo: & ea, quæ ſunt compoſita voce, vt hæ orationes, homo currit, homo legit, arcenda omnino erunt à categoriis, in quibus tantum ſimplicia tam voce, quam ſignificatione continentur. 4. *Obſeru.*

A 5. Multi ex Philoſophis, qui poſt Ariſtotelem philoſophati fuerunt, vt Anthenedotus, Cornutus, Nicoſtratus, Plotinus & alii varias difficultates aduerſus hanc diuiſionem entis in decem categorias propoſuerunt, ſuperuacaneam ipſam exiſtimantes, alii eſſe diminutam, minuſque continentem, quam ambitus entis comprehendat, & alii eo quod quædam pro aliis fuerint in illa vſurpata, qui ſane potius ſtudio contradicendi, quam indagandi veritatem has difficultates obiecerunt. Quibus quidem abunde ſatis Ammonius & Simplicius *in commentariis*. Porphyrius *in interrog. in antecategor. in cap. vlt.* Dexippus 1. *lib. quæſt. in poſtrema part.* & multi alii occurrerunt, noſque in hoc loco eandem etiam prouinciam aſſumpſiſſemus, niſi fuiſſet inſtitutum in 2. ſectione huius cap. in quæſt. quadam particulari de numero categoriarum his difficultatibus, & aliis, quæ aduerſus earum numerum fieri ſolent, ſatisfacere. 5. *Obſer.*

B. 1. Ammonius putat, particulam illam, *aut negationem faciunt*, eſſe ſuperfluam, & multos codices emendatiores non habere illam, ſed in illis hæc tantum verba legi: *Nihil autem eorũ, quæ enumerata ſunt, per ſe affirmationem faciunt.* Quia, inquit, ſi prædicamenta per ſe prolata nullam affirmationem ſignificant, clarum & apertum erit, neque illa negationem aliquam ſignificare, quia negatio tantum eſt nata fieri circa illa, circa quæ nata eſt fieri affirmatio, ac proinde ſuperfluũ erit addere prædicamẽta per ſe prolata negationem non facere, cum hoc iam in affirmatione intelligatur. Cæterum exemplaria fere omnia, & omnes interpretes, Argyropil. Boet. Perionius, non tantum legũt, categorias per ſe prolatas non facere affirmationem, verum etiam & neque efficere negationem, ac proinde hæc 6. *Obſer.*

lectio noſtri interpretis eſt omnino retinenda, quæ certe apertius multo explicat inſtitutum Ariſt. quam alia propoſita ab Ammonio.

7. *obſeruat.* B. 2. M. Sotus exiſtimat Ariſt. inſtituiſſe docere categorias, eſſe voces quaſdam ſimplices vtentem ad id confirmandum hac collectione. Categoriæ per ſe prolatæ non ſignificant verum neque falſum, ſed quod neque verum neque falſum ſignificat eſt vox ſimplex, ergo categoriæ erunt voces ſimplices. Cæterum hæc collectio (ſi nobis per ipſum integrum ſit) nulla eſt, quia multæ orationes imperfectæ, vt homo albus, philoſophus ſapiens, neque verum neque falſum ſignificant, quæ tamen non ſunt ſimplices, ſed compoſitæ voces, quare non ex eo colligere licebit aliquam vocem eſſe ſimplicem, quia non ſignificat verũ, neque falſum. Vnde verius multo teſpon. cum Porphyt. *in interrog. cap. 46.* Ariſto. in hoc loco inſtituere tradere diſcrimen inter hunc libr. categoriarum, & *lib. de interpre.* ratione materiæ ſubiectæ, quia in his materia ſubiecta eſt vox compoſita, quæ ſignificat verum, aut falſum; categ. vero materia ſubiecta, eſt vox ſimplex, quæ neque verum, neque falſum ſignificat.

QVÆST. VNICA.

Sintne vera, quæ in hoc cap. fuerunt tradita ab Ariſtot.

ADuerſus ea, quæ hoc loco propoſita fuere ab Ariſt. quaſdam breuiores & faciliores difficultates proponemus *ad ſect. 2. diſp. in hoc cap.* omittentes.

1. *Argum.* Eſt igitur 1. atg. Rationale eſt vox ſimplex, & voce, & ſignificatione; at illud in nulla categoria continetur, nam ſi contineretur eſſet certe in categoria ſubſtantiæ, ergo nō omnia quæ ſunt ſimplicia voce, & ſignificatione in categoriis continentur. Cõfirmatur aſſumpt. Subſtantia quæ conſtituit illam categoriam, aut eſt prima, aut ſecunda; ſed rationale, neq; eſt prima ſubſtantia, cum dicatur de multis, prima vero ſubſtantia de nullo dicitur: neque ſecunda, quia non eſt genus, vel ſpecies, ergo non erit ſubſtantia.

2. *Arg.* 2. Sola ſimplicia cõtinentur in categoriis, ſed eſſe in Lyceo, vel eſſe in foro, veſtitũ eſſe, vel armatum eſſe, ſunt voces compoſitæ, ergo non recte Ariſt. proponens exempla eorum, quæ ſunt in categoriis comprehenſa, inquit eſſe in foro, vel Lyceo contineri in categ. vbi: & armatum, vel veſtitum eſſe in categor. habitur.

3. *Arg.* Præterea: Currit, vincit, ſignificant verum vel falſum, nam hæc verba includũt ſubiecta quæ harum actionum munera exerceant, vt currit, includit Socratem, ſignificatque Socrates currit, & vincit, includit Alexandrum, redditque hunc ſenſum, Alexander vincit, ergo falſum eſt quod in vltimis verbis capitis, inquit Ar. ſt. hæc ſc. verba, currere & vincere neq; veritatem, neq, falſitatem ſignificare.

Dubita. Iam dubitabit aliquis ob quam cauſſam Ariſtotel. explicans ſingulas categorias, non explicat illas propoſitis definitionibus, ſed exemplis quibuſdam, nam inquit ſubſtãtiam eſſe, vt homo, vel equus, quãtitas vt quod eſt, duorum vel trium cubitorum, nam tetũ naturæ melius multo diffinitionibus, quam exemplis explicantur.

Ad 1. arg. His tamen argumentis & difficultatibus, ita ſigillatim occurremus. Ad 1. cum Louanienſ. reſp. rationale, & eſſe ſubſtantiam, & non eſſe, ſumpta ſubſtantia in alia, & alia ſignificatione, nam ſi ſumpta fuerit, vt eſt diuiſa cõtra accidens, rationale erit ſubſtantia, ſi autẽ vi ſignificat naturam integram in recta ſerie comprehenſam non erit, quia non in hoc loco, ſed ad latus categoriæ continetur. Vnde quando Ariſt. inquit quæ ſunt ſimplicia quædam ſignificant ſubſtantiam, nomine ſubſtãtiæ, non tantum intellexit eam, quæ in recta ſerie categoriæ ſubſtantiæ continetur, ſed etiam eam, quæ eſt diuiſa contra accidens, qua ratione hæc vox ſimplex rationale, ſub ſubſtantia comprehenditur.

Ad 2. Ad 2. reſp admittentes eſſe in Lyceo, vel in foro, eſſe voces compoſitas, & contineri nihilominus in categorijs, quia quamuis ſint voces compoſitæ, ſumuntur tamen pro ſimplicibus, etenim cum ob penuriam vocabulorum non poſſimus vti aliqua voce ſimplici ad explicandum aliquem hominem eſſe in foro, aut in Lyceo, aut habere veſtem, vtimur his vocibus compoſitis, quæ quamuis ſint cõpoſitæ voce, vi tamen, & poteſtate ſunt ſimplices, atque ita non tanquam compoſitis, ſed tanquam ſimplicibus vtimur illis.

Ad 3. Ad 3. reſp. cum Porphy *in interrog. c. 46.* hæc verba currit, & vincit ſumi poſſe duobus modis, primo voce, & pronunciatione, & ſecundo vi atq; poteſtate. Primo modo ſimplicia ſunt; ſecundo vero compoſita, quare primo, neque verum, neque falſum ſignificabunt, quia hæc ſimplicibus non poſſunt conuenire; ſecundo vero ſignificabunt, quia ita ſunt voces quædam compoſitę. Quando igitur Ariſt. inquit, currit, & vincit, neque verum, neque falſum ſignificare, locutus eſt de his verbis iuxta vo-

cem & pronuntiationem, non autem iuxta vim & tacuitatem, nam ita verum & falſum ſignificant; currit enim, ſignificat, Socrates currit, & vincit, Alexander vincit.

ſub't. ex. li- uto.

Ad quartam difficultatem reſpon. cum eodem Porphyr. *in interrogat cap.* 45 Ariſtot. ob hanc cauſſam non explicaſſe categorias propoſitis diffinitionibus, quia cum ſint genera ſuprema, non poſſunt ſupra ſe habere aliquod genus, ac proinde neque deſinitionem, quæ ex genere, & differétia coaleſcit. Verum, quia exempla familiaria maxime illuſtrant id de quo eſt inſtituta diſputatio, reſque ipſas explicant apertiſſime, tyronibus præcipue, & his qui in arte ſunt parum verſati, propterea Ariſtoteles categorias earumq; naturam propoſitis quibus familiaribus exemplis explicauit.

DISPVTATIO DE ENTE, ET de his, quæ in categoriis continentur, in duas ſectiones diſtributa.

SECTIO I.

De ente, & illius analogia.

ARGVMENTVM.

Poteram ſane hanc diſputationem de ente iure optimo hoc in loco prætermittere, cum illam in noſtra Metaphyſica diſputatione de Tranſcendentibus, tam ſuperioribus annis euulgata, ita luculenter abſoluerim, vt (niſi me mea fallunt) iis quæ ibi diximus, aut nulla, aut pauca addi poſſe videantur: maxime vero illis, quæ ad homonymiam, ſynonymiam, analogiam, & conceptum entis ſpectant, de quibus toto lib. 1. diſſeruimus. Verum, quia fortaſſis hi noſtri libri ad aliquorum manus non deuenerunt, ad quos deuenient hæc Commentaria, libuit iterum hanc eandem diſputationem repetere, non quidem tam diffuſo ſermone, & tam longa oratione, vt in illo loco præſtitimus, (ne ſemel acta iterum agere videamur) ſed breuiori, ad Anacephalæoſim & breuem quandam ſummam illa reuocantes. Hanc igitur diſputationem in quatuor partes præcipuas diſtribuemus, in quarum prima de analogia in communi, in ſecunda de homonymia entis in, tertia de analogia, & tandem in quarta de conceptu diſputabimus. Inprimiſque de analogia in communi.

SECT. I. PARS I.

CAPVT I.

Quid ſit Analogia, & quot quæue ſint formæ ac ſpecies illius.

Qui egerint analog.

DE analogis egerunt primi philoſophi 4. *lib Metaphyſ. c.* 2. agentes de homonymia entis, dialectici *in comment. huius loci*, M Sot. *1. Sinic. de hom.* Tolet. *q. Sinic. de homo.* Villalp. à Veracruce, & Ferrat. 1. *contra gent. c.* 34. Verum qui inter omnes tractationem hanc & erudi- tiſſime & acutiſſime abſoluit, is eſt Card. Caiet. *in illo aureo opere de nominum analogia à ſe a- dito, & in altero opuſc de hoc eod gen arg. ad Ferra miſſo*, quem certe tanquam anteſignanum in hac diſp. potiſſime ſequemur, inn tentes iis, quæ D. Th eum in aliis locis tum vel max 1 *li. ſent. diſt* 19 *q.* 5. *art.* 2. *ad* 1. *q.* 7. *de poten. art.* 7. & 8. & 1. *c gent. c* 34. de analogis nobis conſcripta reliquit. A nomine igitur vt exordiamur analogia ſi Quintil. credimus *lib.* 1 *inſt.* proportionem aliquorum inter ſe ſignificat, vt proportio illa, quæ inter pedem montis, & ipſum montem.

Varia nomi analogia acceptio.

montem, (fulcientis nimirum ad rem, quæ fulcitur) intercedit, analogia nuncupatur, Mathematici analogiam vocarunt proportionalitatem, i. e. comparationẽ quatuor numerorum inter ſe, vt quando dicimus ita ſeſe habere octo ad quatuor, quemadmodum ſeſe habent duodecim ad ſex: vt enim duodecim ſe habẽt ad ſex eo modo, quo totum ad ſuam mediam partẽ, ita octo ſe habent ad quatuor, vt totum ad ſuam mediam partem. Cicero analogiam conuenientiam appellat, quæ certe ſignificatio magis eſt in vſu dialecticorum, quã illæ priores, nam analoga illa vocãt, quę in nomine cõueniunt & ratione, quamuis nõ ſimpliciter, & abſolute eadem, ſed partim eadẽ & partim diuerſa, vt poſtea explicabimus

Obſeruatio. Cæterum vt hoc rectius multo, & facilius intelligere poſſimus, reuocanda erunt ad memoriam illa, quæ de diuiſione homonymorum ſupra *c. 1 adnot. 2.* ex Simplicio, & Ammonio obſeruauimus, ſe licet inter homonyma à conſilio quædam vocari homonyma ſecundũ analogiã alia ab vno, & alia ad vnũ. Secundum analogiã illa dicuntur homonyma quorum nomen eſt commune, ratio vero nomini accõmodata partim eſt eadem & partim diuerſa, vt hoc nomen pes eſt hac ratione homonymum ad pedem montis, & ſcamni: nam nomen eſt commune, ratio vero nomini accommodata ſimpliciter eſt diuerſa, cum aliã naturam habeat pes montis & aliam pes ſcamni, eſt tamen eadem ſecundum analogiam, quia quemadmodum ſe habet pes montis ad montem illius fulciendo grauitatem: ita etiam ſe habet pes ſcamni ad ſcamnum fulciendo nimirum illius pondus, & grauitatem. Homonyma ab vno vocantur illa, quæ idem habent nomen, & eandem rationem ab vno ortam, vt hoc nomen medicum, quod dicitur de homine medico, libris etiam & inſtrumentis medicis eſt homonymum, nam nomẽ eſt commune ſignificatque omnia hæc vt deriuantur ab vno, & eadem arte Medicinæ. Illa vero dicuntur homonyma ad vnum, quæ habent idem nomen, & eandem rationem, vt ad vnum, & eundem ſcopum referuntur, qua ratione ſanum eſt homonymum, vt dicitur de vrina, medicina, & animali, nam nomen iis omnibus eſt commune, ratio quoque nomini accommodata partim eſt eadem, vt hęc omnia tendunt in vnam ſanitatem animalis, aut tuendam, aut efficiendam, aut ſignificandam tanquam in finem & in ſcopum. Hæc igitur homonyma à conſilio ſunt analoga de quibus in hoc loco diſputationem inſtitui mus ambiuntque illas ſpecies analogorum de quibus erit agendum, nimirum analoga ſecundum attributionem, quæ dicuntur ab vno, vel ad vnum; & analoga ſecundum proportionalitatem. Ne tamen à communi, & priorum diuiſione analogorum recedere videamur, diuidenda erunt illa in analoga inæqualitatis attributionis, & proportionalitatis. Quam diuiſionem ſub aliis verbis in loco nota. ex 1 *ſent* ita proponit D. Tho Analoga quædam ſunt ſecundum intentionem tantum, & non ſecundum eſſe, vt eſt ſanum, quod de vrina, medicina, & animali dicitur, cuius notio his omnibus eſt communis, eſſe tamen ſanitatis in ſolo animali reperitur. Alia ſunt ſecundum eſſe, & non ſecundum intentionem, quando notio vel conceptus communis eſt, & ex æquo omnibus inferioribus conuenit, eſſe vero naturæ ſignificatæ per conceptum non ex æquo non in inferioribus reperitur, ſed in vno eſt nobiliori modo, quam in altero vt corpus eſt analogum ad cœleſte, & terreſtre, quia nomen corporis eſt commune, notio autem vel conceptus, qui eſt habere trinam dimenſionem, ex æquo quoque reperitur in vtroque, eſſe tamen nobiliori modo in cœleſti, quàm in terreſtri reperitur. Tandemque alia ſunt ſecundum intentionem, & ſecundum eſſe, quando nomen eſt commune, at notio & eſſe non ſunt eadem ſimpliciter, ſed partim ſunt eadem, & partim ſunt diuerſa, vt ens quod dicitur de ſubſtantia, & de accidentibus, cuius notio non eſt ſimpliciter eadem, neq; eſſe eſt ſimpliciter idem, ſed duo hæc ſimpliciter ſunt diuerſa, & ſunt tantum eadem ſecundum analogiam, vt poſtea oſtẽdemus. De his igitur tribus ſpeciebus analogorum erit à nobis ſermo in ſequentibus capitibus habendus.

CAPVT II.

De Analogis inæqualitatis.

Quid ſit analog. inæqualit. ANaloga inæqualitatis vocãtur illa quorum nomen eſt commune, & ratio nomini accommodata, eſt vna & eadem ſimpliciter, nõ tamen ex æquo, ſed inęqualiter participata, qua ratione omne genus dicitur analogum in habitudine ad ſuas ſpecies, quia nomen eſt illis commune, ratioq; nomini accommodata eſt in omnibus illis vna & eadẽ, participata tamen inęqualiter ab eiſdem, etenim cum differentiæ ſpecificæ habeant inæqualem perfectionẽ (ſunt enim illæ veluti numeri, in quibus non poſſunt duo ęqualium vnitatum reperiri) genus in ſpecie nobiliori

perfectius eſſe habebit quam in ſpecie ignobiliori, vt animal perfectius eſſe habet in homine, quam in equo, & in equo, quam in formica. Hanc analogiam contemplatus Ariſtot.7. *Phyſ cap* 4. docuerat iuxta genera eſſe æquiuocationes, vel (vt alii vertunt) latere multa, quia illa ſuo ambitu complectuntur multa, nimirum multas ſpecies diſpari, & inæquali ratione naturam generis obtinentes. Et 10. *Metaphyſ.cap.Vlt.* dixerat corpora cœleſtia, & terreſtria, vel corruptibilia, & incorruptibilia genere differre, non certe quia notio vel conceptus corporis diuerſus ſit in corporibus, ſuperioribus & inferioribus, ſed quia eſſe aut exiſtentia naturæ corporis perfectius multo in cœleſtibus, quam in inferioribus reperitur.

Quomodo vocentur à diuo Thom.

Vocantur hęc analoga à D.Tho. vbi ſupra, ſecundum eſſe, & non ſecundum intentionẽ; nam ſecundum intentionem, id eſt, conceptum, & rationem ſignificatam per illum ſunt ſynonyma: at iuxta eſſe, quod habent à parte rei (cum illud non ſit vnum & idem ſimpliciter & abſolute, ſed inæquale) analoga vocabuntur. Hæc etiam communi nomine a dialecticis, & Metaphyſicis vocantur analoga Phyſica & ſynonyma Logica, & Metaphyſica, etenim cum hi artifices ex eo differant, quod Philoſophus agit de rebus vt ſunt à parte rei, Dialecticus vero de eiſdem vt ab intellectu concipiuntur, & Metaphy. de quidditatibus, & naturis earundem, genera que vt exiſtunt à parte rei, nobiliori modo in vno, quam in alio reperiantur, vt autem concipiuntur ab intellectu eodem modo concipiantur, habeãtque eandem quidditatem, & naturam in omnibus ſuis inferioribus, ob hanc cauſſam, apud philoſophum naturalem erunt illa analoga, apud dialecticum vero & metaphyſicum ſynonyma. Cæterum, quia hæc infimum & ferè nullum locum inter analoga retinent, cum vt diximus ſimpliciter apud Dialecticum ſynonyma nũcupentur, propterea erunt à choro analogorum reiicienda, vnde quæ deinde analogis ſumus explicaturi, non erunt de iis analogis intelligenda, ſed de aliis attributionis, & proportionalitatis, de quibus eorũmq; natura *in capitib.ſeqq.* diſputabimus. Legẽdus eſt Caiet. *in opuſc. de analog.c.1.*

CAPVT III.

De analogis attributionis.

Quæ analoga attributionis.

SEcundum genus analogorum eſt illorum, quæ attributionis, vel proportionis nuncupantur, quæ à Græcis communi nomine homonyma ab vno, vel ad vnum dicuntur, imo & ab Ariſt. non alio, quam iſto nomine variis in locis 4. *Metaph.cap. 2.lib 5.cap 6 lib.7.cap.4 lib. 12.cap.4 lib.2.de demonſtrat.cap.16.* nuncupantur. illa vero dicuntur quorum nomen eſt commune, ratio vero nomini accommodata partim eſt eadem, & partim diuerſa, nam eſt eadem ratione eiuſdem principij à quo fluunt analoga vel termini in quem feruntur, eſt tamen diuerſa propter diuerſam habitudinẽ, quam habent ad principium, vel ad terminũ, vt ſanum, quod de medicamẽtis, vrina, & animali dicitur, eſt analogũ ſecundum attributionem, quia nomen iis nominibus eſt commune, ratio vero partim eſt eadem, & partim diuerſa, eadem quidem propter eundem terminum (nimirum ſanitatem animalis) in quem omnia illa feruntur, diuerſa vero propter diuerſam habitudinem, qua ad hunc eundem terminum referuntur; nam vrina refertur ad illam, tanquam ipſius ſignum, medicamenta tanquam cauſſæ, diæta tanquam conſeruans, & animal tanquam ſubiectum cui inhæret. Præterea eſſe medicum eſt analogum attributionis ab vno, nam dicitur de libris inſtrumentis, & de artifice medico, quibus omnibus nomen medici eſt commune, nam dicimus librum medicum, hominem medicum, & inſtrumenta medica, ratio vero partim eſt eadem, & partim diuerſa, eſt eadem ratione eiuſdem principii a quo fluunt, nimirum artis medicinæ à qua iſta omnia hoc nomine ornantur, eſt tamen diuerſa propter diuerſam habitudinem ad hoc vnũ principium, nam libri dicuntur medici, quia continent præcepta medicinæ; inſtrumenta dicuntur medica, quia inducũt optimam valetudinem iuxta leges, quas perſcribit medicina; & tandem homo dicitur medicus, quia eſt ſubiectum artis medicæ.

Hæc analoga in quatuor cauſſarum generibus reperiuntur.

Poſſunt tamen hæc analoga in quatuor generibus cauſarum reperiri, nam & in genere cauſſæ finalis, & in genere cauſſæ efficientis, & in genere cauſſæ materialis, & in genere cauſſæ formalis poteſt analogia attributionis reperiri, quæ omnia exemplis quibuſdam in medium propoſitis illuſtriora reddentur. Inprimiſque de analogia in genere cauſſæ finalis eſt exemplum propoſitum de ſanitate animalis, in quam medicamenta, dieta, & vrina tanquam in finem referuntur. De analogia vero in genere cauſæ efficientis eſt alterum exemplum, de medico, quod de libris inſtru & homine dicitur, ea ratione qua hæc

omnia

omnia ab vna arte medicina, tanquam ab vna arte deriuantur. De analogia præterea in genere cauſæ materialis, eſt exemplum in analogia entis ad ſubſtantiam, & ad accidentia, nam ens ex eo dicitur analogice de accidentibus per habitudinem ad ſubſtantiam, quia ſubſtantia eſt ſubiectum & materia ſuo ſinu fouens, & recipiens accidentia, illaque firmiſſima ſua exiſtentia, ſuſtentans. Denique exemplum analogiæ in genere cauſæ formalis, eſt bonum, vel pulchrum, quod de Deo dicitur, & de creaturis, nam pulchrum dicitur de creaturis propter habitudinem quam habent ad formas exemplariaque pulchritudinis, quæ ſunt in mente diuina: ex eo enim creaturæ dicuntur pulchræ, quia deductæ ſunt, & deriuatæ, à formis illis, & exemplaribus pulchritudinis, quæ exiſtunt in mente diuina.

Diuiſio horũ analogorum ex D.Thom.

Diuiduntur à *D.Tho.1.p.q.13.art.5. & 1.c.gen. c.34.* in analoga duorum vel plurium ad vnum tertium, & in alia quæ ſunt vnius ad vnum. Prioris generis ſunt illa quando multa ad vnum referuntur, vt ſunt vrina, medicamenta, & dieta ſana, quæ omnia referuntur ad vnum tertium ſcilic. ad vnam ſanitatem animalis: poſterioris vero generis ſunt illa in quibus vnum ad alterũ refertur, qua ratione vrina ſana, & animal ſanum ſunt analoga, nam vnum refertur ad alterum, vrina nimirum ſana ad ſanitatem animalis. Vocantur hæc analoga à D.Thom. in 1. ſen loco iam citato, analoga ſecundum intentionem tantum, & non ſecundum eſſe, vt in ſuperiori cap. explicantes illorum diffinitionem, expoſuimus.

Proponit autem Caiet. quaſdam proprietates horum analogorum maxime animaduertendas, quibus certe cognitis, ipſorũ obſcura, & latens natura, luce meridiana clarior nobis aperietur.

1. Proprietas analog.

Prima proprietas eſt: analogum attributionis tantum eſt in vno ex analogatis ſecundum eſſentiam, vel inhæſiue: in aliis vero ſecundum extrinſecam denominationem reperitur, vt ſanum, quod in debita primarum qualitatum, & quatuor humorum proportione eſt cõſtitutum ſecundum eſſentiam, vel inhæſiue, tantum reperitur in animali, hæc ſiquidem debita humorum proportio, tantum illi inhæret, in medicamentis vero, vrina, & dieta reperitur extrinſeca denominatione, vel quia efficiunt proportionem illam in animali, vel quia fouent, & tuentur, vel quia ſignificant.

2. Proprietas

2. *Proprietas eſt.* In huiuſmodi analogis quæ ſunt minus præcipua (ſunt autem quæ ſola extrinſeca denominatione participant naturam analogi) debent per magis præcipuum (vt eſt illud in quo ſecundum eſſentiam & inhæſiue natura analogi reperitur) diffiniri. Quod certe & ratione & exemplo perfacili ſic ſe habere, ita poſſumus ſuadere. Ratione quidem, ſi enim diffinitio explicat rei naturam, & eſſentiam, omniaque analoga minus præcipua, habent naturam in habitudine ad illud quod eſt magis præcipuum (vt conſtat ex prima proprietate) certe omnia minus præcipua diffinienda erunt per habitudinẽ ad illud quod fuerit magis præcipuum. Exemplo vero explicatur hæc proprietates in ſanitate vrinæ, medicinæ, dietæ, & animalis: ex quibus medicina, vrina, & dieta, quæ ſunt membra minus præcipua, diffiniuntur per ſanitatem animalis, quæ huius analogiæ eſt membrum magis præcipuum: nam vrina vt ſana diffinitur illud, quod indicat ſanitatem animalis, medicina, illud quod efficit ſanitatem animalis, dieta vero, illud quod conſeruat ſanitatem eiuſdem animalis, in quibus omnibus diffinitionibus ſanitas animalis (quæ eſt huius analogiæ membrum magis præcipuum) eſt incluſa.

3. Propriet.

3. *Proprietas* eſt, in his analogis non eſt omnium illorum vna diffinitio, ſed tot ſunt illæ, & tam diuerſæ, quot, & quam diuerſa ſunt membra analogata, vel partes quæ ipſum analogum diſtribuunt: non enim omnium quæ ſana dicuntur eſt eadem diffinitio, ſed multiplex, & diuerſa, alia enim eſt medicamenti, alia dietæ, alia vrinæ, & alia animalis qua ſanum eſt, diffinitio, vt conſtat ex diffinitionibus horum omnium proxime propoſitis.

4. Propriet.

4. *Proprietas* eſt in analogis terminus ille in quem membra omnia analogata referuntur, eſt vnus ſecundum numerum. Nolumus dicere abſolute loquendo tantum eſſe vnicum terminum in omnibus analogis eiuſdem rationis, ſed quod ſumpta qualibet analogia in particulari tantum eſt in illa vnicus terminus à quo vno omnia membra dicantur talia, præcipuum intrinſeca denominatione, reliqua vero minus præcipua extrinſeca, vt in analogia ſanitatis non aſſerimus vnicam tantum eſſe numero ſanitatem in omnibus ſubiectis à quo omnia illa dicantur ſana, ſed quod ſumta hac analogia ſanitatis in particulari huius ſcil. medicamenti, huius vrinæ, & huius animalis, non ſunt in his tribus tres ſanitates numero diuerſæ, & differentes: ſed vnica eſt tantum in omnibus illis, à qua animal intrinſeca denominatione, & per inhærentiam dicitur ſanum, medicamenta vero, & vrina ab eadem extrinſecæ ſana nuncupantur. Legendus eſt Caiet. in eodem opuſ cap. 2.

CAPVT IV.

De analogis proportionalitatis.

PRoportionalitas, ſi nominis vim & naturã contemplemur, nihil eſt aliud, quam habitudo quædam duarum, vel plurium proportionum inter ſe, ita vt quemadmodum ſeſe habet hoc ad illud, ita illud ad aliud referatur: vt habitudo illa quæ intercedit inter pedem montis, ad montem, & inter pedem animalis ad animal, dicitur proportionalitas, nam vt ſe habet pes mõtis ad montem, illius pondus ferens, & grauitatem: ita etiam ſeſe habet pes animalis ad animal, eiuſdem pondus fulciens, atq; ſuſtentans. Diffiniuntur autem hæc analoga in hunc modum. Quorum nomen eſt cõmune, ratio vero nomini accommodata eadem eſt ſecundũ proportionem vt in eodem exemplo pedis, nomen vtriq; pedi montis, & animalis eſt commune, ratio vero eadem eſt ſecundum proportionem, nã eſt corporis grauitatem ſuſtinere, quæ ſecundum proportionem in vtroque pede eadem reperitur, etenim quod munus gerit pes animalis ad animal, ſua firmitate illius fulciẽs grauitatẽ: ita etiam idem officium exequitur pes montis in monte cum illius quoque pondus ſuſtineat, & grauitatem.

…a analo- …i propor- …nalitatis.

Diuidũtur hæc analoga in propria, & Metaphorica. Illa dicuntur Metaphorica, quãdo nomen analogum vni ex membris proprie & alteri per metaphoram accommodatur, vt ridere eſt nomen analogum huius generis, nam dicitur de homine qui ex animi hilaritate in vultu præſefert quandam exteriorem iucunditatem & de ſecunda, proſperaque fortuna, dicimus enim quando alicui cuncta ex animi ſententia eueniunt, fortunam illi arriſiſſe, quod certe nomen de fortuna tantum per metaphoram dicitur, de homine vero læto, proprie. Ex his prætermiſſis analogis quæ dicantur per metaphoram, alia proprie dicta ſunt quæ in vſu Dialecticorum, & aliorum artificum verſantur. Horum igitur nonnullæ ſunt aſſignandæ proprietates.

…iuiſio a- …alogorum.

Proprietas *Prima.* In his analogis ratio ſignificata nomine analogo in omnibus analogatis ſecundum eſſentiam reperitur, vt ratio ſignificata nomine pedis, quæ eſt ſuſtinere grauitatem in pede mõtis, & pede animalis ſecundum eſſentiam reperitur. *Proprietas* *Secunda* proprietas eſt. In his analogis non eſt vna ratio numerica in omnibus illis, ſed tot ſunt rationes numericæ analogi, quot ſunt mẽbra in quæ ipſum eſt diſtributum, nam in pede montis ſua reperitur ratio ſuſtinendi corpus graue, diſtincta numero ab alia quæ in pede a- *Proprietas* nimalis reperitur. *Tertia proprietas eſt.* In his analogis vnum non diffinitur per alterum, neque enim pes montis diffinitur per pedem animalis, neque pes animalis per pedem montis, nam pes montis diffinitur, pes ferens grauitatem montis, in qua diffinitione non collocatur pes animalis.

Quod ſiquis dicat: ens eſt analogũ proportionalitatis ad ſubſtantiam, & ad accidentia: ſed accidentia diffiniuntur per ſubſtantiam ex Ariſt. *7. lib. Metaph. c. 1.* ergo in his analogis poterit vnum per alterum diffiniri. *Obiect.* *Reſp.* ens & eſſe analogum attributionis, & proportionalitatis ad hæc duo membra, atque ita ſi in illo contemplemur rationem analogiæ attributionis, accidentia diffinientur per ſubſtantiam, tanquam per membrum magis præcipuum: ſi vero ſolam analogiam proportionalitatis conſideremus, non diffinietur accidens per ſubſtantiam, vt vberius multo infra agentes de analogia entis explicabimus. *Solutio.* *Quarta proprietas eſt.* Nomen analogum in analogis huius generis ſignificate vnum conceptum formalem, & obiectiuum, non quidem vnum ſimpliciter & abſolute, cum habere huiuſmodi conceptum ſolis naturis ſynonymis poſſit conuenire, ſed ſecundum quid, vel ſecundum proportionalitatem. *4. Proprieta…* In qua re ſeparatur à naturis homonymis, quæ (vt homonymæ ſunt) nullum conceptum, neque formalem, neque obiectiuum poſſunt obtinere, vt in eodem exemplo ſæpe repetito pes ſignificat vnum conceptum formalem, qui eſt illud quod intra mentem de eius natura effingimus, nimirum pedem eſſe illud, quod ſuſtinet pondus corporis. Significat etiam conceptum aliquem obiectiuum, ſcil. illud, quod à parte rei huic conceptui formali correſpondet, quamuis hic conceptus ſi fuerit præciſus à ſuis inferioribus non poteſt eſſe perfectus: ſi vero non fuerit, ſed incluſerit conceptus ſuorum inferiorum (vt inter ſe retinent aliquam ſimilitudinem) erit perfectus, & abſolutus, vt de conceptu entis aperte ſatis de ipſo infra differentes oſtendemus.

Ex hac proprietate colligere poſſumus primo analoga proportionalitatis vnam & eandem diffinitionem poſſe obtinere, nam eſt illorum vnus conceptus, tam formalis quam obiectiuus. *Conſectari…* Colligimus ſecundo, poſſe illud eſſe ſubiectum alicuius ſcientiæ, quia cum ſit vnum ab eo poterunt fluere proprietates, quæ de ipſo in tali ſcientia concludantur. Colligimus tertio eſſe latum diſcrimen inter hæc analoga, & analoga attributionis, quia in analogis attributionis, ratio nomine analogi expreſſa, tantum reperitur in vno ſecundum eſſentiam, & in aliis extrinſeca denominatione: tum etiam vna eſt

ſecun-

ſecundum numerum ratio in omnibus illis: & tandem vnum per alterũ diffinitur, vt diximus in capite ſuperiori: at in analogis proportionalitatis, ratio in omnibus membris formaliter reperitur, diuiditur etiam illa in omnibus analogatis, neque eſt vna numero in omnibus illis: & tandem ex membris vnum non diffinitur per alterum, vt ex his quæ diximus aperte conſtat. Vnde ſi hæc analoga attributionis collata fuerint cum analogis proportionalitatis, neque nomen, neq; dignitatem analogorum promerentur, quemadmodum ſi analoga inæqualitatis cum analogis attributionis conferantur indigna ſunt, vt analogorum nomine ornentur.

Vocantur hæc a D. Th. *in loco ſenten. quem e. t. propoſuimus* analoga ſecundum eſſe, & intentionem, quia tam eſſe quam ratio ſimpliciter differunt, ſuntque eadem ſecundum proportionem, vt in eodem cap. expoſuimus.

Obſeruat. ex D. Thom. Tandem ſciendum erit attributionem analogi de membris analogatis, neq; eſſe pure homonymam, neq; pure ſynonymam, ſed habere cum vtraq; affinitatem, eo modo quo medium habet affinitatem cum vtroq; extremo. *Præterea* diuiſio analogorum, neq; eſt ſola enumeratio, vt eſt diuiſio vocis ambiguæ, neq; alicuius naturæ, quæ ſit vna in ſuis inferioribus ſimpliciter & abſolute, vt eſt diuiſio naturæ ſynonymæ, ſed eſt naturæ abſolute diuerſæ, & eiuſdem ſecundum proportionem & analogiam. Multa hoc loco de analogis prætermittimus, quæ legi poterunt apud Caietanum, Ferrarien. & alios, præſertimque num analoga habeant conceptum præciſum à conceptibus ſuorum inferiorum, & num debeat vnum per alterum diffiniri, quarum primam in controuerſiis de conceptu entis explicabimus. Alteram vero expoſitam iam dedimus *lib. 1. Tranſcend. cap. 16.* non enim eſt animus diffuſiorem de his habere ſermonem, ne in aliis grauioribus quæſtionibus breui oratione vti cogamur.

SECTIO I. DE ENTE ET EIVS analogia, Pars Secunda.

QVÆSTIO I. AN ENS SIT HOMOnymum ad omnia ſua inferiora.

NOmine entis intelligimus ens in late patente ſignificatione, vt ſuo ambitu amplectitur ens rei, & rationis, ens finitum, & infinitum, ſubſtantiam, & accidentia, qua etiam ratione illud ſumemus in omnibus quæſt. ſequenti. quando de illius homonymia ſynonymia aut analogia diſputabimus. In quibus ita nos geremus, vt prius de ente in habitudine ad ens rei & rationis, ſecundo de eodem in habitudine ad ens finitum & infinitum, & tandem in habitudine ad ſubſtantiam, & ad accidentia qu. explicemus.

1. Argum. Primo igitur ens eſſe homonymum vel æquiuocum ad ens rei, & rationis confirmo. Quia maior eſt conuenientia & affinitas naturæ inter ens finitum & infinitum (Deum nimirum & creaturas) quam inter ens rei & rationis, quia Deus & creaturæ continentur intra idem membrum entis rei, at ens rei, & rationis, ſunt membra inter ſe oppoſita, ſed inter Deum & creaturas eſt affinitas ſecundum analogiam: ergo inter ens rei & rationis erit minor conuenientia & affinitatis naturæ: at nulla minor poteſt eſſe, quam conuenientia ſolius nominis, quæ eſt conuenientia homonymię, vel æquiuocationis, ergo, &c.

2. Vbi nulla vnitas nomine correſpõdet, illud dicitur pure homonyme, de his de quibus dicitur, ſed enti quod eſt commune ad ens rei, & rationis, nulla vnitas naturę correſpõdet, ergo erit illud homonymum ad ens rei & rationis. Propoſitio eſt perſpicua. Confirmatur aſſumtio. Si aliqua vnitas correſponderet, vel eſſet rei, vel rationis: ſed neq; poteſt eſſe rei neq; rationis, non rei quia ita non conueniret enti rationis, neque rationis, quia ita non conueniret enti rei: ergo enti quod eſt commune ad ens rei, & rationis, nulla vnitas poteſt correſpondere. *2. Argum.*

Præterea confirmo eſſe homonymum ad ens finitum & infinitum ad Deum, & ad creaturas. Eadem eſt ratio entis, & cauſæ, vt dicuntur de Deo & creaturis: ſed cauſa dicitur homonyme de illis, quia Deus eſt cauſa homonyma, pleræque vero creaturæ ſunt cauſæ ſynonymæ: er-

go ens etiam dicetur homonyme de Deo & creaturis.

Argum. *Iam.* Quando aliquid effertur ſecundum nomen, & non ſecundum rationem, prædicatur pure homonyme: ſed ſapientia prædicatur de Deo, & creaturis ſecundum nomen, non tamen ſecundum rationem, ergo prædicabitur de illis homonyme. Confirmatur aſſumptio. Amoto genere, amouetur ratio ſignificata per nomen. vt ſi amoueatur ſubſtantia, quæ eſt genus animalis, illico amoueri debet animal: at ſapientia quæ reperitur in creaturis, eſt qualitas in ratione generis, quæ amouetur à ſapientia diuina, quia ſapientia in Deo non eſt qualitas, ergo nulla erit ratio eadem, quæ conueniat vtrique ſapientiæ. Cum igitur ſit eadem ratio entis & ſapientiæ, ſequitur ens dici pure homonyme de Deo, & creaturis.

Argum. *Quinto* confirmo eſſe homonymum ad ſubſtantiam, & ad accidentia, idque ex Ariſtot. qui variis in locis hoc profitetur *4. Metaphyſ. cap. 2. & 1. Phyſic. cap. etiam 2. & 1. de reprehenſio. Sophiſt. 1. cap. 3. & Porph. in cap. de ſpecie inquit ex Ariſtot.* eſſe homonym. ad decem genera ſuprema.

Argum. *Vltimo idem confirmo*, quia magis differunt ſubſtantia & accidentia, quam canis domeſticus & marinus, ſed canis dicitur homonyme de domeſtico & marino: ergo & ens quoque dicetur homonyme de ſubſtantia, & accidentibus. Aſſumptio nota eſt, confirmatur propoſitio. Magis differunt quæ conſtituunt diuerſa genera ſuprema, quam illa quæ intra ambitum eiuſdem categoriæ continentur, ſed ſubſtantia & accidentia conſtituunt diuerſa genera ſuprema, canis vero domeſticus, & marinus intra eandem categoriam ſubſtantiæ continentur ergo magis differunt ſubſtantia & accidentia, quam canis domeſticus, & marinus.

Opin. Hæc quæſtio anceps eſt, & dubia apud Philoſophos, in qua explicāda eſt prima opinio. ens in habitudine ad ens rei & rationis eſſe naturam pure homonymam, nihilq; aliud hæc duo genera entis quam nomen ipſum inter ſe habere cōmune. Profitentur hanc ſententiam multi viri graues, *Sonc. 4 Metaph. qu 5. & 10 q. 1 Iauell. c. 1. Tranſcend & lib. 6 Metaph q. 1 Niger 1. p. clyres, qu 4. Bannes 1 p. q 28. art. 1 Zumel 1. p. q. 13. art. 5. concl. 3. Zimar. in tabula verbo, ens, … git de illius diuiſionibus, & in contradict. … 6. lib. Metaph. q. 1. Trombeta 1. Metaph. qu. 1 … d 1. & … recti in ſuo formalitatibus,* quas Scotiniæ in maximo pre… , & veneratione habent.

Opin. 2. O… eſt quæ de ente finito, & infinito, nimirum de Deo, & creaturis, inquit, ens de his duobus membris pure homonyme, vel æquiuoce dici. Ita docuit Rabbi quidam Moyſes, vt teſtatur D. Tho. *qu. 7. de poten. art. 7.* quem deinde Aureolus apud Capreol. in 1. diſt. 2. q. 1. fuit ſequutus.

3. Opin. Alii de ente in habitudine ad ſubſtantiam, & ad accidentia opinantur eſſe illud homonymum, abſoluta quadam, & ſimplici homonymia. Amplectuntur hanc opinionem multi ex veteribus. *Herminus apud Simplicium in vltima diuiſione Antecateger. Porphyr. in ſuo Iſagoge in caput de ſpecie, vbi & hoc idem tribuit etiam Ariſtot. Plotinus Ænea. 6. lib. 3. cap 6. Boetius in comment. antecategor. in vltim. diuiſio. & in comment. in cap. de ſpecie in editio. 2. Aureolus apud Capreol. vbi ſupra, & Rabbi Moyſes, vt ibidem teſtatur D. Thom.* At quænam ſit in hac quæſtione explicanda vera opinio, his aſſertionibus aperte ſatis oſtendemus, ſit igitur prima.

1. Concluſ. Ens non dicitur pure homonyme de ente rei, & rationis. Hanc profitemur cum D. Thom. *q. 2. de verit. art. 11. ad 5. & in comment. in cap 2. lib. 4. Metaph. Capreol. in 1. diſt 2. quæſt. 1. in ſolutio. argum. contra 9 concluſ. Caiet in libello de nominum analogia, cap. 8. Aquario 4 Metaphyſ. quæſt. 1. Fonſeca in eodem lib capit. 2. qu. 1. ſect. 7. & M. Iuſtiniano in ſuis inſtitutionib. lib. 3 cap 10.*

1. Argum. Quæ confirmatur primo, quia obiectum alicuius ſcientiæ debet eſſe vnum aliqua vnitate *ex Ariſtot. 4. Metaph. cap. 2. & 11. cap 6.* & certe cum omne obiectum ſit in ea ſcientia (quæ circa illud verſatur) definibile debet neceſſario eſſe vnum, cum diffinitio ſit vna oratio: ſed ens quod eſt commune enti rei & rationis, eſt obiectum primæ Philoſophiæ, nam Ariſtot. *4. lib. Metaph. cap. 2.* docet obiectum primæ Philoſophiæ eſſe illud ens quod eſt homonymum ab vno, & ad vnum, & ambire ſub ſe negationes, & priuationes, quæ ſunt entia rationis: ergo ens quod eſt commune ad ens rei, & rationis, erit vnum aliqua vnitate, ſed in pure homonymis, nulla eſt præter nomen vnitas naturæ communis: ergo ens quod eſt commune enti rei & rationis, non erit pure homonymum *Iam.* Obiectū intellectus eſt vnum aliqua vnitate, at ens quod eſt commune ad ens rei & rationis obiectum eſt intellectus. A… illud de quo concluduntur proprietates eſt vnum aliqua vnitate, quia proprietates ab aliqua vna natura fluunt. De ente vero communi ad ens rei & rationis concludimus aliquas proprietates, ſcilic. verum, & bonum, nam illud eſt intelligibile, & ob hanc cauſam erit verum, & eſt in ſe indiuiſum ob quam rationem dicetur vnum. Cum igitur in

pure homonymis præter nomen non poſſit eſſe aliqua natura communis, ens quod eſt commune ad ens rei & rationis, non erit pure homonymum. Legenda ſunt ea, quæ diximus *lib. 1. Tranſcen. cap.* 8.

2. Concl. 2. *Concluſio.* Ens non dicitur homonyme homonymia Logica vel Metaphyſica de ente finito & infinito, de Deo nimirum & creaturis. Hanc profitetur D. Tho. *1. p. q. 13. art. 5. q. 7. de poten. art. 7. 1 cont. gen. cap. 34.* & reliqui Theologi *in 1. diſt. 24. & 26.* agentes de perſona, & de aliis nominibus diuinis. *1. Argum.* Confirmaturque primo, quia in pure homonymis nulla intercedit (vt in nomine homonymo exprimuntur) ſimilitudo, at inter Deum & creaturas intercedit aliqua ſimilitudo in entitate, & in aliis attributis. *2. Argum.* *Secundo*, quia in pure homonymis nullus datur ordo iuxta prius & poſterius, nullaque eſt vnius ad alterum habitudo, ſed inter Deum & creaturas ratione entitatis datur ordo prioris & poſterioris, quia entitas competit prius Deo, & deinde competit creaturis: datur etiam habitudo vnius ad alterum, nam vt ſe habet Deus ad ſuam entitatem, ita creaturæ ſe habent ad ſuam entitatem, etenim quemadmodum Deus per entitatem eſt id, quod eſt: ita etiam & creaturæ per ſuam entitatem ſunt id, quod ſunt, non igitur dicetur pure homonyme de Deo & creaturis. *3. Argum.* *Iam.* Ex cognitione vnius homonymi non poſſumus deuenire in alterius cognitionem, nam quis quæſo ex cane cœleſti intelliget naturam canis domeſtici? at ex cognitione creaturarum in cognitionem Dei Opt. Max. deuenimus, ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Et Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterit cognoſcibiliter horum creator videri.* Non igitur ens pure homonyme de ente finito & infinito dicetur. *Obſer. circa concl.* Diximus autem in concluſione homonymia Logica & Metaphyſica, quia ſi de homonymia phyſica agamus, certum eſt, ens eſſe homonymum ad hæc duo membra, quia illud nobiliori modo habet eſſe in Deo, quam in creaturis. Verum hæc eſt homonymia ſecundũ quid, & non ſimpliciter, nam in generibus, in quibus homonymia ſimpliciter reperiri nullo modo poteſt hoc genus homonymiæ inuenitur, nobiliori ſiquidem modo natura generica in vna ex ſuis ſpeciebus, quam in altera reperitur. Videnda ſunt, quæ de hac re propoſuimus *lib. 1. Tranſcen. cap* 11.

3. Concl. 3. *Concluſ.* Ens non eſt pure homonymum ad ſubſtantiam & ad accidentia. Hanc fere omnes Græci, *Ammonius, Simplicius, Dexippus,* Arabes, *Auicenna, Alpharabius, AlgaZel,* Latini *D. Thom. Beatus Albert. Mag. Caietan. Louanien.* (vt innumeram multitudinem recentiorum prætermittam) profitentur, quidam in comment. huius loci, alii in comment. *in cap. 2. lib. 4. Metaph.* & alii, vbi de hac re ſeſe illis offerebat diſputandi occaſio. Et confirmatur *primo* ex Ariſtot. *1. Argum* qui variis in locis profitetur, ens non dici pure homonyme de ſubſtantia, & de accidentibus, ſed in habitudine ad hæc duo membra eſſe de numero eorum, quæ dicuntur ab vno, & ad vnum. Ita habet 4. *Metaph. cap. 2. & 11. cap. 3. & 7. cap. 4.* & de bono, quod eſt proprietas entis, idem aſſerit *1. Ethic. cap 6.* *2. Argum.* *Deinde*, nulla ſcientia verſatur in obiecto pure homonymo, ſed vel in ſynonymo, vel in analogo, vt docebat Ariſt 4. *Metaphy cap. 2. & 11. cap. 6.* ſed prima Philoſophia, quæ eſt vna ſcientia, verſatur in explicanda natura entis, quod eſt commune ad ſubſtantiam, & accidentia: ergo non erit illud pure homonymũ ad hæc membra. *3. Argum.* *Adde*, in pure homonymis nullum ordinẽ prioris & poſterioris reperiri: at inter ſubſtantiam & accidentia in entitate hic ordo intercedit, prius enim ens dicitur de ſubſtantia, & deinde de accidentibus. Legendus eſt Themiſtius, qui accurate hanc rationem proſequitur *in ſua paraphraſi ad 12. Metaph.* & quæ nos diximus *1. lib. Tranſcend. cap. 17.*

Ad 1. arg. His igitur ſtatutis, ſequitur, vt argumentis, quæ in initio propoſuimus, ſatisfaciamus. Ad primum reſp. falſum eſſe, maiorem eſſe affinitatem inter Deum & creaturas, quam inter ens rei & rationis: Ad arg. vero, Deus & creaturæ continentur intra idem membrum entis rei, ens vero rei & rationis ſunt membra oppoſita, ergo erit maior affinitas naturæ inter Deum & creaturas, quam inter ens rei & rationis, neganda eſt conſequentia, etenim ſi ea, quæ ſunt intra idem membrum diuiſionis, fuerint finita, verum eſt, maiorem eſſe affinitatem naturæ inter illa, quam inter membra cõtraria eiuſdem diuiſionis: ſi tamen vnum ex illis fuerit finitum, & alterum infinitum, maior profecto erit affinitas inter membra oppoſita eiuſdem diuiſionis, quam inter ea, quæ intra idem membrum continẽtur: nam ſumma diſſimilitudo eſt ea, quæ inter finitum & infinitum intercedit: at quamuis Deus & creaturæ intra idem membrum diuiſionis contineãtur, quia tamen Deus eſt ens infinitum, creaturæ vero ſunt entia finita, ob hanc cauſam minor erit affinitas naturæ inter Deum & creaturas, quam inter ens rei & rationis.

Ad 2. *Ad* 2. reſp. cum Capreolo, *in 1. diſt. 2. quæſt* 1.

in ſolut. 6. rationis, pro 2. ſuppoſito aduerſus 9. rationem, in ente, quod eſt commune ad ens rei & rationis, dari aliquam voitatem communem vtrique, quæ neque eſt rei, oeque rationis, ſed abſtrahens ab vnitate rei, & ab vnitate rationis, qnod intelligi debet de vnitate imperfecta entis, nam hæc abſtracta eſt ab vnitate eotis rei & rationis, & oon de vnitate perfecta illius. & abſoluta, oam hæc non poteſt abſtrahi ab vnitate entis rei & ab vnitate entis rationis, ſed ioeludit neceſſario vtramqoe vnitatem, ea ratione, qua ioter ſe retinent analogam ſimilitudinem, vt deinde ageotes de conceptu entis explicabimus.

Ad 3. *Ad* 3. reſp. eſſe longe diuerſam ratiooem inter hæc duo, eſſe caoſam homonymam, & ratiooem cauſæ homonyme conuenire, oam eſſe cauſam homonymam nihil aliod eſt, quam habere vim & facultatem producendi varios effectus ſpecie differentes: rationem vero cauſæ homonyme coouenire, eſt eſſentiam nomine cauſæ ſignificatam (quæ eſt eſſe illud, ad cuius eſſe aliud ſequitur) aliam eſſe io Deo, & aliam in creaturis. Erit igitur Deus cauſa homonyma, quia poteſt multos effectus ſpecie diuerſos producere, vt orbes cœleſtes, elementa, & quæ ex iis conflantur, noo tamen ratio cauſæ competit illi homonyme, quia quemadmodum raoo cauſæ in creaturis eſt eſſe illud, ad coius eſſe aliquid ſequitur, ita etiam & io Deo ratio cauſæ erit eſſe illud, ad cuius eſſe aliud ſequitur.

Ad 4. *Ad* 4. reſpon. admitteotes, ſapientiam diuinam & creatam oon cootineri ſub eodem genere: negamus tamen, hinc ſequi illam homonyme dici de ipſis, etenim quamuis ooo contineantur in eadem categoria, oon proinde ſit ſapientiam eſſe vocem homooymam, oam vrina ſana, & medicamentum ſanum differunt genere categoriæ, cum vnum eorum (nimirum vrioa) ſit in genere ſigni, ac proinde in categoria relatorom, alterum vero ſit io genere cauſæ, quibus tameo oomen ſani, quod vtrique eſt commune, oon competit homonyme, ſed ſecundum analogiam, & eadem ratione, qnamuis ſapientia creata & increata oõ contineantur in eadem categoria, non propterea dicetur ſapientia de illis homonyme.

Ad 5. *Ad* 5. reſp. Ariſt. in his locis non docere ens eſſe ſimpliciter homonymum, ſed cum hoc addito ab vno vel ad vnum, quod genus homonymiæ cum poſteriotibus Dialecticis analogiam attributionis nuncupamus.

Ad vlt. *Ad vlt.* reſp. ex D. Tho. *quaſt. 2. de veritat. artic. 2. ad* 7. oegando conſequentiam, etenim quamuis abſolute magis conueniant canis domeſticus & marinus, vt nomine ſubſtantiæ vel animalis ſignificentur, qoam ſubſtantia & accidentia, vt tamen ſigoificantur, nomine canis mions conueniunt, oam illis nulla ratio hoc nomine ſignificata poteſt eſſe communis, ſubſtantiæ vero & accidenti communis eſt ratio eſſendi, qoæ nomine entis deſignatur.

QVÆSTIO II.

An ens ſit ſynonymum ad Deum & ad creaturas, ſubſtantiam, & ad accidentia.

POſtquam in ſuperiori quæſtione luculenter ſatis oſtendimus, ens non eſſe homonymum ad vlla inferiora ſua, ſiue ad Deum, & ad creaturas, ſiue ad ſubſtaotiam, & ad accidẽtia, ſiue deoique ad ens rei & rationis, æquum eſt iam explicemos in hac, ſitne illud ſynonymom ad aliqua ex his inferioribus ſuis modo receoſita. Ac primum quidem illud ſynonymum eſſe ad ens finitum & infinitum (Deum nempe Opt. Maxim. & creaturas) confirmari poteſt oonnollis argumentis.

Eſt *primum*. Conceptus certus & diſtinctus, diuerſus eſt à conceptu dubio & obſcuro, ſed poſſumus certo & diſtincte ſcire aliquod eſſe ens, & dubitare, ſitne illud infinitum, vel finitum: Deus vel creatura, ergo conceptus entis diuerſus erit à conceptu creaturarum & Dei, quare erit vnus, & ex conſequenti ſynooymus. 1. argum.

2. Metaphyſici hoc modo progrediuntur in cognitione Dei, inprimis cognoſcunt rationem formalem alicuios attributi, vt ſapientiæ, verbi cauſa, deiode ſeparatis ab ea omnibus imperfectionibus, vt eſſe finitam, qualitatem iohærentem ſobiecto, & aliis huius generis, quod ſupereſt, attribuunt Deo: ſed hoc fieri nulla ratione poſſet, niſi ſapientia, & alia attributa dicerentur ſynonyme de Deo, & de creaturis, ergo ea, quæ ſunt communia Deo & creaturis, ſynonyme efferuntur. 2. argum.

Præterea. Io his attributiooibus, Deus eſt eos, creaturæ ſont entia, aut nomine entis intelligimus oaturam aliquam communem Deo & creaturis, aut in prima attributione oomine entis iotelligimus ens diuinum, & io ſecunda ens creatum & finitom: ſed hoc ſecundum dici non poteſt, quia fieret, vt hæ attributiones eſſent identicæ, redderentque hunc ſenſum, prima, Deus eſt Deus, ſecunda, creaturæ ſunt creaturæ, erit ergo primum illud, quod dicebamus, verum, ens igitur erit vna & communis natura ad Deum & creaturas, & ex conſequenti erit ſynonymum. 3. argum.

Digitized by Google

4. argum. 4. Si ens non ſignificaret communem aliquam & ſynonymam naturam Deo & creaturis, ſequeretur, vt Deus non poſſet cognoſci à nobis cognitione aliqua ſimplici, atqui hoc videtur eſſe abſurdum, ergo, &c. Confirmatur propoſitio. Ea tantum poſſumus cognoſcere ſimplici cognitione (quamdiu anima eſt in corpore) quæ repræſentantur in phantaſmatibus illuſtratis lumine intellectus agentis, ſed ſolæ creaturæ ſunt, quæ repræſentantur lumine intellectus agentis in phantaſmatibus, ergo ſi non eſſet ipſis & Deo natura entis communis & ſynonyma, non poſſemus cognoſcere Deum cognitione ſimplici.

5. argum. *Iam.* Omnis comparatio fieri debet iuxta aliquam naturam ſynonymam, quia fieri debet inter ea, quæ continentur ſub eodem genere, vt auctor eſt Ariſt 7. *Phyſ. cap.* 4. ſed comparamus Deum cum creaturis iuxta ens, dicimus enim, Deum eſſe magis ens, quam creaturas, erit igitur ens natura, quæ dicatur ſynonyme de Deo & de creaturis.

6. argum. *Rurſus.* Illa natura, quæ eſt menſura entitatis & veritatis aliorum, eſt eiuſdem rationis, & ſynonyma cum rebus menſuratis, auctore Ariſt. 2. *Metaphyſ. cap.* 1. ſed Deus eſt menſura entitatis & veritatis rerum omnium, ergo erit eiuſdem rationis ſynonyme cum aliis entibus.

Arg. 2. Gen. Ad confirmandum præterea, ens ſynonyme dici de ſubſtantia & de accidentibus, offerunt ſe nobis hæc alia argumenta.

1. argum. *Primum eſt.* Illa ſunt ſynonyma, quæ prædicantur eodem nomine, & eadem ratione de ſuis inferioribus, vt conſtat ex diffinitione ſynonym. ſed ens prædicatur de ſubſtantia & de accidentibus eodem nomine, & eadem ratione: nomine, quia tam ſubſtantia, quam accidentia dicuntur entia: ratione vero, quia eſſe (quod eſt ratio entis) tam in ſubſtãtia, quam in accidẽtibus reperitur, ergo ens erit ſynonymũ.

2. argum. 2 Ab omnibus ſimilibus abſtrahi poteſt vna & ſynonyma ratio, eo modo, quo ſunt ſimilia: ſed ſubſtantia & accidentia habent ſimilitudinem in ente, ergo ab ipſis abſtrahi poterit vna, communis, & ſynonyma ratio entis.

3. argum. 3. Conceptus alicuius rei certus, diuerſus eſt à conceptu dubio eiuſdem: ſed poteſt aliquis certo ſcire, rem aliquam eſſe ens, & ignorare (dubiuſq; ſaltem eſſe), ſitne ſubſtantia vel accidens, quia multi ſciunt, quantitatem eſſe ens, qui tamen dubitant, diſtinguaturne illa à ſubſtantia, necne? & ita ignorant, ſitne illa ſubſtantia vel accidens, ergo cõceptus entis diuerſus erit à conceptibus propriis ſubſtantiæ & accidentium, vnde erit ille vnus & ſynonymus.

4. argum. *Præterea.* Obiectum potentiæ ſynonymę eſt ſynony. ſed ens eſt obiectum intel qui eſt potẽtia ſynonyma, ergo ens erit ſynonymum. Aſſump. eſt aperta. Confir. propoſ. Potentiæ obtinent naturam à ſuis obiectis, in quæ feruntur, ergo talis debet eſſe natura & vnitas obiecti, qualis eſt ea, quam confert facultati: ſi ergo facultas fuerit ſynonyma, & eius obiectum erit quoque ſynonymum.

5. argum. *Rurſus.* In omnibus ſcientiis obiectum debet eſſe non multiplex, ſed vnum, & ſynonymum, eo quod omne obiectum habet vnam rationem formalem, iuxta quam pertractatur in aliqua ſcientia, ſed ens eſt obiectum primæ Philoſophiæ, vt auctor eſt Ariſt. 4. *Meta. c.* 1. ergo ens nõ erit multiplex & analog. ſed ſynony.

6. argum. *Iterum.* Illud, quod concipitur ab intellectu, eſt vnum, ergo quod primo concipietur, erit primo & maxime vnum, ſed ens eſt illud, quod primo concipitur ab intellectu, iuxta opinionẽ D. Th. & Auicen. ergo ens erit maxime vnum, ſed maxima vnitas eſt vnitas ſynonyma, ergo ens erit ſynonymum.

7. argum. *Ad hæc,* proprietates entis ſunt ſynonymæ, ergo & ens quoque erit ſynonymum. Conſeq. eſt manifeſta, quia proprietates non prędicantur de rebus alia ratione, quam prædicetur earum ſubiectum. Confir antecedens. Inprimis vnum, quod eſt proprietas entis, cum ſit diuiſionis priuatio, non recipiet magis & minus, quia priuationes ſitæ ſunt in indiuiſibili, at quę non recipiunt magis & minus, prædicantur ex æquo, & ſynonyme: ergo vnum prædicabitur ſynonyme. Deinde Verum, quod itidẽ eſt proprietas entis, prædicatur ex æquo, & ſynonyme, quia eſt adæquatio rei ad intellectum, quæ ex æquo enuntiatur de omnibus, cum ſit conſtituta in indiuiſibili, ergo proprietates entis erunt ſynonymæ, vel vniuocæ, quod idem confirmare adhuc poſſumus auctoritate D. Tho. 10. *Metaph. lect.* 2. quo in loco apertiſſimis verbis docet, ens & vnum ex æquo dici de rebus omnibus.

8. argum. *Iam.* Illa, quæ continentur in primis principiis, non debent eſſe ambigua, ſed ſynonyma: eo quod prima principia ſint omnibus lumine naturæ notiſſima, vnde & ſine vlla homonymia cognoſci debent: ſed ens continetur in primo principio lumine naturæ notiſſimo, cuiuſmodi eſt principium contradictionis, impoſſibile ſcilicet eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe, ergo ens erit ſynonymum.

9. argum. *Tandem.* Omne medium ſyllogiſmi eſt ſynonymum, quia ſi eſſet homonymum, nihil cõcluderemus, in propoſitione enim ſumeretur

medium

Digitized by Google

medium vno modo, & in aſſumpt. altero, vt ſi ita diceremus, omnis canis latrat, ſydus cœleſte eſt canis, ergo ſydus cœleſte latrat, nihil profecto concluderemus, quia propoſitio intelligitur de vno cane (domeſtico nimirum) aſſump. vero de altero à 1 diſtincto: ſed eſt ens medium alicuius ſyllogiſmi, vt huius, omne ens eſt bonum, ſed monſtrum non eſt ens, ergo monſtrũ non eſt bonum: ergo ens erit natura ſynon.

1. Opin. Scot.

In hac quæſtione multi graues Philoſophi tuētur ens eſſe ſynonymum ad Deum & creaturas: ad ſubſtantiam, & ad accidentia. Ita Scotus *in 1. diſt. 3. q. 1. & 3 diſt. 8. q. 2. & 4. Metaph. q. 1.* Antonius Andreas *in eod. lib. q* 1 Trombeta *q. 2.* Bonetus 1. *lib ſua Metaphy. cap. 6.* & Nominales, vt Ocham & Gabriel *in 1. diſt. 2. q. 9.* Gregorius *in eadem diſt. 2 q. 8* & Gabriel Zerbi *4. Metaphyſ q* 1. Hanc autem opinionem ſuam vt explicent, triplicem diſtinguunt ſynonymiam, Logicam nimirum, Phyſicam, & Metaphyſicam. Phyſica (vt ipſis videtur) eſt vnitas naturæ indiuiſibilis omnino, & formaliter, quæ à parte rei in multis reperitur indiuiduis, hæc tamen ſynonymia in ſola ſpecie atoma, & non in ſuperioribus generibus poteſt reperiri, quia genera non habent vnam naturam indiuiſibilem formaliter, quælibet autem ſpecies eſt indiuiſibilis ſecundum formam. Metaphyſicam ſynonymiam appellant vnitatem naturę abſtractę per intellectum à proprietatibus ſingularibus, & differentiis contrahentibus, ea ratione, qua ab ea ſeparamus omnem ſecundam notionem denominantem. Logica denique eſt hæc ipſa natura auulſa à proprietatibus ſingularibus, vt afficitur tamen aliqua notione ſecunda generis, vel alterius cuiuſpiam vocis vniuerſæ.

Triplex ſynonymia iuxta Scotiſtas.

Explicatur opin. Scoti.

Hac diſtinctione conſtituta omnes illi profitentur, ens non eſſe ſynonymum ſynonymia phyſica, quia cum ſub illo tot naturæ contineantur, & genere & ſpecie diuerſæ, fieri nulla ratione poterit, vt ipſi ſynonymia phyſica adaptetur. Aſſerunt nihilominus, illud aliis duobus modis eſſe ſynonymum, nimirum ſecundum ſynonymiam Logicam, & ſecundum ſynonymiam Metaphyſicam, etenim cum exprimat vnum conceptum, & naturam præciſam à propriis rationibus Dei & creaturarum, ſubſtantiæ & accidentium, merito ſynonymum metaphyſicum nuncupabitur: & quia huiuſmodi vna natura affici poteſt aliqua notione ſecunda, vel attriburi, vel vniuerſi, iure optimo vocari poterit ſynonymum Logicum. Suam iſtam opinionem tam de ente reſpectu Dei & creaturarum, quam reſpectu ſubſtantiæ & accidentium eo modo, quo expoſuimus, declaratam, argumentis iam propoſitis à nobis, videntur ſibi ſatis munitam relinquere.

2. Opin. D. Thomæ.

Contrariam tamen ſententiam & opinionem, ens ſcilicet nulla ratione poſſe dici ſynonyme de Deo & creaturis, necnõ & de ſubſtantia ac de accidentibus, vt veritati magis conſonam vno conſenſu ſequuntur, & aperto ore profitentur veteres & præſtantiſſimi Philoſophi, & in doctrina Ariſt. exercitatiſſimi, Diuus Thom 1. *par q. 13. art. 5. q. 7. de poten. artic. 7. 1. contra gent. cap. 33.* & cum eo Theologi quamplurimi, D. Bonauentura, Ægidius Romanus, Durandus, Argentina, & alii, *in 1. diſtinct. 25. & 26.* agentes de perſona, quo in loco docent, neque per perſonam, neque vlla alia nomina dici poſſe homonyme aut ſynonyme de Deo & de creaturis, ſed duntaxat analogice. Eandem nõ ſolum de ente in habitudine ad Deum & creaturas (vt iam citati Doctores) ſed etiam de ente in habitudine ad ſubſtantiam, & ad accidentia, idem D. Thom. *cap 2. lib. de ente & eſſentia, & in comment. in cap 2. 4. lib. Metaphyſ.* & cum eo B Albertus Magnus, Auerroes *in commentariis eiuſdem loci,* Auicenna *in ſua Metaphyſ. lib. 2. cap* 1. Themiſtius *in paraphraſi, in 12. lib. Metaphyſ.* Capreolus, Caietanus, Ferrarienſis, Deça, Petrus Niger 1. *part. clypei Themiſt q* 49. M. Sotus *quæſt. 1. Antecategor. & ex Metaphyſ. in 4. lib. Metaphyſ. cap. 2.* Iauellus & Sueſſanus *q* 1. Soncinas *q. 4.* Flandrenſis *q. 2. artic. 3.* Fonſeca *q. 1.* libenter amplectuntur.

Obſeruatio in explicat. quæſt.

In cuius ſententiæ explicationem breuiter animaduertendum erit, tria eſſe neceſſaria, vt aliqua natura ſit ſynonyma ea ſynonymia, quæ fuit diffinita ab Ariſt. *in 2 c. huius oper. Antecateg* ſicut fere omnes ipſius interpretes in commentariis illius obſeruaſſe oſtendimus, Primum eſt, vt ſit nomen commune; ſecundum, vt ratio, id eſt, natura eſſentiali vel accidentaria diffinitione explicata, ſit vna præciſa & communis: tertium, vt ex æquo participetur à ſuis inferioribus hac lege, vt non efferatur de ipſis, neque ſecundum prius & poſterius, neque ſecundum magis & minus, quæ ſi vera ſunt, non erit aduerſus Scotum in hac quæſtione diſputandum, cum ipſe non vtatur in hac ſignificatione nomine ſynonymiæ, ſed in alia à ſe conficta, in qua ſynonymia ſignificat vnitatem alicuius naturæ præciſam à ſuis inferioribus, ſiue de illis efferatur ſecundum prius & poſterius, ſiue quauis alia ratione, dum tamen ſit vna, & communis ipſis. Vnde & nonnulli ex illius imitatoribus docuerunt, cum hac ſynony. naturam ſynonymam poſſe etiam eſſe ſimul

Ant. And. 4. Metaph. q. 1. ad 1.

analo-

analogam, eo quod in huiuſmodi naturis, quemadmodũ & in analogis datur ratio prioris & poſterioris. Agendum tamen erit aduerſus eum inferius, dum de conceptu entis inſtituetur a nobis diſputatio. Nunc propoſitæ quæſtioni his tribus concluſionibus reſpondendum eſt, quarum prima in hunc modum ſe habet.

1. Concluſio. Ens non dicitur ſynonyme de ente rei, & de ente rationis. Hanc profitemur aduerſus Bonetum 1 *lib. ſua Metaph. cap. 6.* & aduerſus nõnullos alios Scotiſtas, opinantes, ens vno & ſynonymo conceptu dici de ente rei, & de ente rationis. *Confirm. tamen concluſio.*

1. argum. 1. In quibus reperitur prius & poſterius, tum magis ac minus in habitudine ad tale nomen, nulla ratio ſynonyma poterit illis conuenire, quia natura ſynonyma ex æquo competit omnibus ſuis inferioribus, ſed ens prius & magis dicitur de ente rei, quam de ente rationis, vt omnibus eſt notiſſimum, ergo non dicetur de illis ſynonyme.

2. argum. 2 Ens rationis cognoſcitur per ens rei, & diffinitur per illud, vt negationes cognoſcuntur per affirmationes, & per eas diffiniuntur, & priuationes per ſuos habitus & formas, non igitur ens vna & eadem ratione dicetur de ente rei & rationis, ac proinde non dicetur ſynonyme.

3. argum. *Addo.* Ens rationis eſſe defectum quendam entis rei, vt priuatio eſt quidam defectus affirmationis, at fieri nullo modo poteſt, vt natura aliqua communis, quæ de quibuſdam dicitur, tanquam de naturis perfectis & abſolutis, & de aliis, tanquam de defectibus dicatur ſynonyme de illis.

2. Concluſio. 2. *Concl.* Ens nullo modo eſt ad ens finitum & infinitum (Deum ſcilicet, & creaturas) ſynonymum conſtituendum. Hanc confirmamus his argumentis.

1. Argum. *Primum.* Quando aliqua forma communis multis de quibuſdam prædicatur in concreto, de aliis vero in abſtracto, non poteſt eſſe ſynonyma: ſed natura entis, quæ communis eſt Deo & creaturis, de Deo dicitur in abſtracto, de creaturis vero in concreto, ergo non poterit illa eſſe ſynonyma. Propoſitio eſt manifeſta, quia ea, quæ habent naturam abſtractam, ſunt talia per ſeipſa, & a nullo iuxta talem formam dependent, concreta vero ſunt talia ab abſtractis, a quibus depẽdent ſecundum talem naturam, at natura, quæ de quibuſdam dicitur ex ſe, & independenter, de aliis vero ratione alterius, & dependenter, nequit vlla ratione eſſe ſynonyma. Confirmatur aſſumptio. De nulla creatura dicimus in abſtracto, eam eſſe ipſum eſſe, bonitatem, veritatem, vitam, & vnitatem, ſed in concreto dicimus, illam eſſe, & eſſe veram, bonam, viuentem, & vnam: at de Deo dicimus in abſtracto, eſſe ipſummet eſſe, vitam, veritatem, & vnitatem, iuxta illud, *Ego ſum via, veritas, & vita,* *Ioan. 14* quæ omnia ſunt nomina abſtracta, & quæ ſola proprie, & non cõcreta prędicantur de Deo, vt adnotat D Bernhardus *ſerm. 80. in Cantica,* aduerſus Gilbertum Pictauorum Epiſcopum, aſſerentem, concreta, & non abſtracta prædicari de Deo, ergo, &c.

2. Argum. 2. Illud attributum, quod de quibuſdam dicitur ſimpliciter & abſolute, & abſq; vlla limitatione, de aliis vero cum limitatione, non dicitur ſynonyme, quia prius competit tale attributum ei, de quo dicitur ſine limitatione, quã ei, de quo effertur cum illa: ſed ens dicitur de Deo ſimpliciter, & abſque limitatione vlla, de creaturis vero cum aliqua limitatione, ergo non dicetur de vtriſq; ſynonyme. Confirmatur aſſumptio. De nulla creatura abſolute, & ſine vlla limitatione enuntiamus eſſe, ſed cum limitatione dicimus, eſſe hominis, vel plantæ, de Deo autem abſolute enuntiamus eſſe, vt conſtare poterit ex illis verbis Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum, & qui eſt, miſit me ad vos.* In quibus appellatio entis ſimpliciter & abſolute tribuitur Deo, ergo, &c. De qua auctoritate conſulenda ſunt, quæ 1. *lib. Tranſcen. cap. 13.* docebamus,

3. Argum. 3 Homo non dicitur ſynonyme de homine viuo & picto, quia homo pictus eſt quædam adumbrata ſimilitudo hominis viui, ſed omnes creaturæ ſunt quædam imagines & adumbratæ ſimilitudines Dei Opt. Max. ergo ens non dicetur ſynonyme de Deo & creaturis. Confirmatur aſſumptio. Illud dicitur adumbrata ſimilitudo alicuius, quod illud repræſentat, & cum eo comparatum, eſt fere nihil, at creaturæ repræſentant Deum, & cum eo comparatæ ſunt fere nihil, vt conſtat ex Eſaia cap 40. *Omnes gentes quaſi non ſint ante te.* Et Ioan. 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Quaſi apertius dicat, omnes creaturæ, quæ ſunt per verbum diuinum conditæ, in ſe conſiſtentes, videntur eſſe veluti mortuæ, omniſque vitæ expertes, at in verbo diuino ſunt viuentes vita diuina: ergo, &c.

4. Argum. *Porro.* Illa non dicuntur ſynonyma, de quorum vno aliquid effertur, quod nõ de altero iuxta tale nomen: ſed de ſapientia diuina aliquid effertur, etiam vt ſapientia eſt, quod non dicitur de ſapientia humana: de diuina enim ſapientia dicuntur bonitas, iuſtitia, pulchritudo, & alia innumera attributa, quæ nulla ratione dici poſſunt de humana: ſapientia namque diuina ita eſt ſapientia, vt ſit etiam iuſtitia, pulchritudo, & bonitas: humana vero

Digitized by Google

ita eſt ſapientia, vt neque ſit bonitas, neque pulchritudo, ergo ſapientia non dicetur ſynonyme de diuina & creata, idemque eſt indicium de ente. *Vltimo* Magis differunt Deus & creaturæ, quam genera ſuprema, ſed generibus ſupremis non eſt aliqua natura ſynonyma communis, quia ſunt illa primo diuerſa, & primo diuerſa nõ poſſunt conuenire in aliqua natura ſynonyma, ergo ens non erit ſynonymum ad Deum & creaturas.

Vlt. argum.

Concl. 3. *Concluſio.* Ens non poteſt vllo pacto ſynonyme efferri de ſubſtantia, & de accidẽtibus. Confirmatur his argum. *Primum* petitum eſt ex variis teſtimoniis Ariſtot. Is enim in multis locis expreſſis verbis profitetur, ens non dici vno modo & ſynonyme, ſed multis modis, & homonyme, ſecundum analogiam attributionis, eo modo, quo ſanum dicitur de animali, vrina, & medicamentis ſanis. Ita docet 4. *Metaphyſ. cap. 2. 7. cap. 4. etiam, & 11. lib. cap. 2. ac demum 1. Phyſic. cap. 2.* agens aduerſus Parmenidem & Meliſum, qui conſtituebant, omnia eſſe vnum, inquit, eos maxime decipi, cum ens non vno, ſed multis modis dicatur de decem categoriis. Probe noui, hoc argumentum diſſolui ab aduerſariis propoſitis nonnullis perbellis interpretationibus, quæ tam leues ſunt, & à contextu menteque Ariſt. adeo alienæ, vt ineptum ſit, velle in illis confutandis vel per minimum temporis momentum immorari. Illas refellunt Zimara in tabula, verbo ens, Sueſanus & Aquar. in locis citatis. *Secundum.*

1. argum.

2. argum. Nulla natura ſynonyma prædicatur per prius & poſterius de ſuis inferioribus, & de quibuſdam per attributionem ad alia, quia natura ſynonyma ex æquo dicitur de ſuis inferioribus, ſed natura entis prius dicitur de ſubſtantia, quam de accidentibus, vt docet Ariſt. 7. *Metaphyſ. cap. 1.* & effertur de accidentibus per attributionem ad ſubſtantiam, vt idem ipſe auctor eſt 4. *Metaphyſ. cap. 2.* & paſſim in aliis locis, ergo natura entis non erit ſynonyma. Aduerſarii tamen reſpondent huic argumento,

Solutio. falſam eſſe propoſitionem, quia quælibet natura generica eſt ſynonyma, quæ tamen prius dicitur de vna ſpecie, quam de altera, quod ne alicui mirum videatur, his duobus argumentis

Solut. 1. Confirm. ſuadent. *Primum eſt.* Quia iuxta Ariſt. 2. *Metaphyſ. cap. 1. & 10. cap. 2.* in omni genere debet conſtitui vnum aliquod, quod & prius ſit mẽſura cæterorum.

2. Confirm. *Alterum eſt.* Inter ſpecies alicuius generis debet cõſtitui ordo aliquis eſſentialis, vnde cum inter ea, quæ ſunt ordinata eſſentialiter, quædam priora eſſe debeant, & alia poſteriora, inter ſpecies eiuſdem generis quædam erunt priores, & aliæ poſteriores. *Cæterum.* Hæc ſolutio ex diametro opponitur &

Confut. aduerſatur Ariſt. *in Poſtcatego. cap. 9.* in quo loco docet, inter ſpecies, quæ continentur ſub aliquo genere, non eſſe vnam priorem, & alteram poſteriorem, ſed omnes eſſe ſimul natura, & ex æquo diuidere genus. Errant autem illi maxime, exiſtimantes, idem eſſe, aliqua eſſe ordinata eſſentialiter, & inter illa reperiri ordinem prioris & poſterioris ſecundum naturam, quia ad ordinem eſſentialem ſat eſt, vnam ſpeciem eſſe altera nobiliorem ſecundum eſſentiam: at vero ad rationem prioris & poſterioris ſecundum naturam, debet vnum illorum eſſe vel cauſa alterius, vel ſaltem non debent duo illa ex æquo diuidere communem aliquam naturam. Vnde quamuis ſpecies alicuius generis ſint ordinatæ ſecundum eſſentiam, quia ſemper vna vincit alteram in perfectione eſſentiali: non tamen eſt vna prior altera ſecundum naturam, quia vna non eſt cauſa alterius, & omnes ex æquo diuidunt idem genus. Et ita quando Ariſtot. in locis allatis docuit, in vnoquoque genere conſtituendum eſſe aliquod vnum, quod ſit principium & menſura cæterorum, loquutus eſt de priori ſecundum nobilitatem, non ſecundum naturam, quia in quouis genere ſpecies, quę eſt reliquis nobilior, cõſtitui debet omnium aliarum menſura. *Iterum.* Si ens eſſet ſynonymum, contraheretur

3. argum.

ad ſubſtantiam, & ad accidentia per aliquas differentias, quia omnis natura ſynonyma cõtrahitur per differentias ad ſua inferiora, atqui ens non poteſt contrahi per differentias, ergo neque poteſt dici, nec eſt vllo modo natura ſynonyma. *Confirmatur aſſumptio.* Si ens contraheretur per aliquas differentias, ſcilicet per eſſe per ſe, & in alio, aut illæ includerent formaliter ens, aut non includerent: ſi non includerent, ergo eſſent non entia formaliter, ſed non ens non poteſt dici de ente, ergo hæ differentiæ non prędicarentur formaliter de aliquo ente, quare eſſe per ſe non prædicaretur formaliter de ſubſtantia, neque eſſe in alio de accidentibus. Si vero includerent formaliter ens, ergo ſi ita dicamus, ſubſtantia eſt ens per ſe, committeremus nugationem, quia in eadem oratione bis repeteremus ens, ſemel quando dicimus ens, & iterum, quando pronuntiamus per ſe. *Confirmatur hoc argumentum.* Ex ſententia Scotiſtarum, genus non includitur formaliter in differentiis, vt animal in rationis participe & experte, quia ſi includeretur, quãdo ita diceremus, homo eſt animal particeps rationis, committeremus apertam nugationem:

nem:

Digitized by Google

nem: ergo pari ratione ſi ens includitur formaliter in eſſe per ſe, quando dicimus, ſubſtantia eſt ens per ſe, committeremus nugationem.

Solutio. Nituntur tamen alii huic argumento ſatisfacere, dicentes, ens non includi formaliter in ſuis differentiis, ſed identice, & ſecūdum rem, neque hoc impedir, quo minus hæ differentiæ efferantur de aliquo ente formaliter, quia vt illæ de aliquo ente prædicentur formaliter, non eſt neceſſe, quod ſint entia formaliter, ſed ſat eſt, quod ſint entia identice & ſecundum rem.

Confut. 1. Attamen hæc ſolutio eſt manifeſte falſa, & omnino abſurda, quod ita confirmo. Ariſtoteles 3 *Metaphyſ. cap. 3.* docet, ens non eſſe genus, ex eo quod eſt incluſum in ſuis differentiis, rogo, num intelligat illud eſſe incluſum formaliter, vel identice? Si intelligat hoc ſecundum, ergo nullum eſt diſcrimen propoſitum ab eo inter ens & genus, eo quod ens eſt incluſum in vltimis differētiis, genus autem non eſt incluſum, falſum enim eſt (quemadmodum etiam ipſi profitentur) genus identice & ſecundum rem non eſſe incluſum in ſuis vltimis differentiis, iam ergo perperam docent. ens non eſſe incluſum in illis formaliter, & ſecundum eſſentiam.

Confut. 2. *Ad hæc.* Eſſe per ſe non eſt formaliter ens, ergo ſubſtantia magis erit formaliter nō ens, quam ens, quia vniuſcuiuſque rei natura magis debet peti à differentia, quam ab attributis communibus: ſi ergo eſſe per ſe (quod eſt modus intimus, & differentia ſubſtantiæ) ſit non ens formaliter, & ſubſtantia quoque erit non ens formaliter, & ita erit magis non ens, quam ens, hoc autem quam ſit abſurdum, nemo eſt tam imperitus, qui non probe cognoſcat, quare & abſurda etiam erit illorum ſolutio.

4. argum. *Rurſus.* Aliquis gradus entis continetur in ſubſtantia, qui non continetur in accidentibus, & aliquis in accidentibus, qui non continetur in ſubſtantia, vt eſſe per ſe continetur in ſubſtantia; quod non continetur in accidentibus, & eſſe in alio continetur in accidentibus, & non in ſubſtantia: ergo ens non erit ſynonymum ad ſubſtantiam, & ad accidentia. *Confirmatur conſequentia.* In natura ſynonyma nullus gradus continetur in vno ex inferioribus, qui non contineatur in alio: quemadmodum nullus gradus naturæ animalis continetur in homine, qui non contineatur in equo, ergo ſi aliquis gradus entis continetur in ſubſtantia, qui non continetur in accidentibus, & è contrario, ens non erit ſynonymum ad ſubſtantiam, & ad accidentia.

5. argum. *Ad hæc.* Illa, quæ continentur ſub vocibus contradicentibus, non poſſunt in aliqua natura ſynonyma conuenire: ſed ſubſtantia & accidentia continentur ſub vocibus contradicentibus, quia ſubſtantia eſt ens per ſe cohærens, accidentia non ſunt entia per ſe cohærentia: ſubſtantia non eſt ens dependens, accidentia ſunt entia dependentia, quæ omnes ſunt voces contradicentes, ergo ſubſtantia & accidentia nō conueniunt in natura entis ſynonyma. *Confirmatur propoſitio.* Omnis conceptus communis ſynonymus eſt ſeparatus ſuapte natura à propriis rationibus ſuorum Inferiorum: ſed nullus eſt conceptus ſeparatus ab vno ex duobus contradicentibus, quia quidquid eſt, neceſſario debet contineri ſub aliquo ex contradicentibus, iuxta principium illud metaphyſicum. De qualibet re vera eſt affirmatio, aut negatio, de nulla vero ambæ ſimul: ergo non poterit conſtitui conceptus aliquis communis ſynonymus his, quæ continentur ſub vocibus contradicentibus.

Iam ad argumenta, quæ in initio propoſuimus, ſupereſt, vt ſatisfaciamus. Inprimiſque ad argumenta primo loco propoſita, quibus conabamur oſtendere, ens eſſe ſynonymum ad ens finitum & infinitum. *Ad arg primo loco effecta.*

Ad primum reſpond. admittentes, ens obtinere vnum conceptum communem ad Deum & ad creaturas. Hinc tamen non recte colligitur, illud eſſe ſynonymum, cum natura entis illo conceptu repræſentata non ex æquo reperiatur in Deo & creaturis. *Ad 1.*

Ad ſecundum dicimus, Metaphyſicos in principio inueſtigationis progredi ab attributis ſynonymis, quando inquirunt aliquod attributum in his rebus inferioribus: deinde vero in progreſſu, quando ſeiunctis ab illo omnibus imperfectionibus illud Deo tribuunt progredi ab attributis analogis, quia hæc attributa ab omnibus imperfectionibus ſeparata, Deoq; attributa, non ſunt ſynonyma, ſeu analoga. *Ad 2.*

Ad tertium dicimus, in illis attributionibus intelligendum eſſe ens, quod eſt vnum, & ſecundum rationem abſtractum à Deo & creaturis, negamus tamen, illud eſſe ſynonymum, quia prius & magis dicitur de Deo, quam de creaturis. *Ad 3.*

Ad quartum dicimus, duplicem eſſe poſſe cognitionem Dei ſimplicem, vnam adæquatam & perfectam, & alteram inadæquatam, & imperfectam. Illa prima in nulla creatura poteſt reperiri, nullus enim intellectus creatus poteſt comprehendere diuinam naturam: poſterior vero à quolibet intellectu poteſt obtineri, illuminatis ſiquidē phantaſmatibus, cognitaq; natura in eis repræſentata per ſimplicē *Ad 4.*

apprehenſionem, ſimul cognoſcitur in eadem cognitione Deus, quia cognita imagine, ſimul etiam cognoſci debet res, quam repræſentat, creaturæ vero ſunt quædam imagines Dei. Alias ſolutiones proponit Fertatienſis *1 contra gent. cap. 32.* quæ conſulat, cui libitum fuerit.

l 5. *Ad* 5. reſpon. comparationem non tantum fieri inter ſynonyma, ſed etiam inter analoga, quemadmodum Ariſtot comparat in tarione naturæ materiam cum forma, 2 *Phyſic cap.* 1. de quibus dicitur natura analogice, cum prius, & magis dicatur de forma, quam de materia, vt in comment. illius loci cum Ariſt docuimus. Et ita compatamus Deum & creaturas in natura entis, non tanquam in ſynonyma, ſed tanquam in analoga natura.

d 6. *Ad* 6. reſpon. cum D. Thom. 1. *p. q.* 13. *artic.* 5. *ad* 3. duplicem eſſe menſuram, vnam proportionatam, qualis eſt albedo reſpectu colorum, quia vtrumque, & menſura, & menſuratum, ſunt res finitæ: & alteram impropotrionatam, quando ſcilicet vnum eorum eſt finitum, & alterum infinitum Menſura ergo & menſuratum primi generis ſunt eiuſdem naturæ ſynonymæ, at vero menſura & menſuratum ſecundi generis, non ſunt eiuſdem naturæ ſynonymæ: & ita cum Deus ſit menſura improportionata creaturis, non erit eiuſdem naturę ſynonymæ cum eis Ariſt antem intelligi debet de menſura, quando eſt proportionata menſurato.

Id arg. ſecundo loco facta. Argumentis vero ſecundo loco pro aliorum opinione adductis, ſigillatim etiam oportet reſpon. *Ad primum* igitur reſpond. propoſitionem eſſe veram. ſi natura illa fuerit participata ex æquo à ſuis inferioribus: quod ſi participetur ab eis ſecundum prius & poſterius, & ſecundum magis & minus, non erit ſynonyma. Et ita cum natura entis prius & magis conueniat ſubſtantiæ, quam accidentibus, non erit ſynonyma.

id 1. arg.

Id 2. *Ad* 2 reſp à ſubſtantia & accidentibus poſſe abſtrahi communem aliquam naturam, eo modo, quo inter ſe retinent ſimilitudinem in eſſe, hæc tamen natura non eſt ſynonyma, ſed analoga, quia prius & magis repetitur in ſubſtantia, quam in accidentibus.

Id 3. *Ad tertium* dicimus, ex hoc argumento tantum colligi, conceptum entis eſſe vnum & diuerſum à ſubſtantia, & ab accidentibus, non tamen colligitur, eſſe ſynonymum, quia ad ſynonymiam præter vnitatem & diuerſitatem requiritur, vt natura repræſentata ex æquo inſit ſuis inferioribus, quod enti nullo modo competit.

Ad 4. reſpon. non eſſe neceſſe, vt obiectum potentiæ ſynonymæ ſit ſynonymum, ſed ſufficit, vt ſit analogum, nam quamuis potentiæ hauriant naturam à ſuis obiectis: non eſt tamen neceſſe, vt eandem vnitatem retineant obiecta, quam retinent facultates, ſi enim eandem retinerent, ſequeretur, vt ſi facultas eſſet vna ſpecie, & obiectum quoque eſſet vnum ſpecie, quod tamen eſt omnino falſum, quia facultas videndi eſt vna ſpecie, & illius obiectũ (quod eſt color), non eſt vnum ſpecie, ſed genere: & intellectus hominis eſt vnus ſpecie, & ens, quod eſt ipſius obiectum, non eſt vnum ſpecie, imo neque genere, ſed ſecundum ſolam analogiam, quare ex eo, quod intellectus eſt facultas ſynonyma, non colligitur, ens etiam debere eſſe naturam ſynonymam Ad 4.

Ad 5. reſp. ex Ariſt. 4. *Metaphyſ cap.* 2. & 11. *cap.* 8. obiectum ſcientiarum debere eſſe vel ſynonymum, vel analogum: & hac ratione ens eſt obiectum primæ Philoſophiæ, quia eſt analogum ad ſua inferiora. Ad 5.

Ad 6. reſp. illam rationem nullam eſſe, quia ſequeretur, vnitatem entis non eſſe communem, &, vt ita dicam, genericam, ſed numericam: quia vnitas numerica eſt maior vnitas, quam ſpecifica, vel generica, ſi ergo enti ex eo, quod primo percipitur ab intellectu, tribuenda eſſet maxima vnitas, tribui deberet vnitas numerica. Quare reſp. falſum eſſe illud, quod primo percipitur ab intellectu debere eſſe maxime vnum: imo debet eſſe minime vnum, quia eſt illud in tot naturas diuiſum ob late patentem ambitum, vt minima indiuiſio ſit illi neceſſario concedenda, & ex conſequenti minima vnitas. Ad 6.

Ad 7. reſpond. negantes proprietates entis ſynonyme dici de ſuis inferioribus. Ad rationem de vno propoſitam dicimus, priuationes ratione ſui non recipere magis ac minus, bene tamen ratione ſui fundamenti, & ita vnitas ratione entitatis, quæ eſt eius fundamentum, recipiet magis ac minus, nam illa ſunt magis vnum, quæ ſunt magis entia, ita enim cernimus maiorem eſſe vnitatem in Deo, quam in creaturis, & in ſubſtantiis ſeparatis, quam in iis, quæ oriuntur, & intereunt, quia eſt in eis maior entitas. Ad alteram vero de veritate reſpon. rationem veri non eſſe ſitam in indiuiſibili, cum ſint quædam aliis veriora, vt principia veriora ſunt concluſionibus (ſi credimus Ariſtot. 1. *de demonſtrat. cap* 2.) nam quo aliqua obtinuerint plures cauſas veritatis, & maiorem entitatem, eo erunt veriora. Ad auctoritatem D. Tho. reſp. ipſum non conferre in eo Ad 7.

loco

loco ens, & vnum cum his de quibus dicuntur, ita vt inſtituat docere ens & vnum prædicari ex æquo, & ſynonyme de rebus omnibus, ſed conferte ens, & vnum in ter ſe, docetque illa duo obtinere eundem modum prædicandi de ſuis inferioribus, nam eo modo effertur de illis vnum quo effertur alterum, & hoc eſt ens & vnum ex æquo dici de omnibus, id eſt, eodem modo, & ita cum ens dicatur analogice, pari ratione & vnum dici debet analogice.

Ad 8. Ad 8. reſpon. in primis principiis notis lumine naturæ non poſſe contineri vocem aliquam homonymam, bene tamen analogam, eo quod vox analoga exprimit aliquam vnitatem ratione cuius nulla perturbatio propter multiplicitatem nominis ſuboriri poterit in primis principiis: & ita ens cum ſit analogum contineri poterit in primo principio contradictionis.

Ad 9. Ad 9. reſpon. non omne medium ſyllogiſmi poſſe eſſe ſynonymum, poſſe tamen eſſe analogum propter vnitatem, quæ in analogis reperitur, ob illam enim non ſumitur medium vno modo in propoſitione, & altero in aſſumtione, ſed in vtraque propoſitione ſumitur eadem ratione, & ita ens propter analogiam poterit eſſe medium ſyllogiſmi.

QVÆSTIO III.

Num ens ſit ſynonymum ad inferiora mediata, quæ ſub eo continentur.

EX inferioribus entis (ſumto illo, vt eſt totũ vniuerſum) quædam ſunt inferiora mediata, & alia immediata, inferiora immediata ſunt ſubſtantia, & accidentia, Deus & creaturæ, mediata vero ſunt naturæ ſynonymæ, quæ ſub iſtis prioribus continentur, vt homo, & leo, candor, & atror. Quæſtio igitur eſt: Num ens ſit ſynonymum ad ſua inferiora mediata, vt ad hominem, & equum, ad candorem, & atrorem, quia ex ſuperiori diſputatione tantum cõſtat ens eſſe analogum, & non eſſe ſynonymum ad inferiora immediata. Alii hanc quæſtionem proponunt ſub huiuſmodi titulo, an ens ſit ſynonymum ad naturas ſynonymas, vt ad leonem, & bouem, quamuis non ſit ſynonymum ad naturas analogas, vt ad ſubſtantiam, & accidentia. Et quidem ens ſynonymum eſſe ad inferiora mediata hominem v.g & equum, & alia huiuſmodi, confirmare poſſumus his argumentis.

Argum. *Primum eſt.* In his quæ nõ dicuntur ſynonyme, ſed ſecundum analogiam, vnum membrũ per alterum diffinitur, quemadmodum intuemur in analogia ſanitatis, in qua ſanitas vrinæ, & medicinæ diffiniuntur per ſanitatem animalis: ſed homo (exempli gratia) non diffinitur per equum, neq; equus per hominem, vt entia ſunt, vt conſtat ex eorum diffinitionibus, ergo ens ſynonyme dicetur de homine, & equo.

2. Argum. 2. Voces homonymæ ſi accommodentur vni ex ſuis ſignificatis fiunt ſynonymæ. vt canis ſi accommodetur cani domeſtico, ſit natura ſynonyma, quia canis domeſticus proculdubio eſt natura ſynonyma, quamuis ſi ille referatur ad hunc cœleſtem, & marinum ſit natura homonyma: ergo quamuis ens ſit natura analoga, vel homonyma ab vno, & ad vnum, ſi tamen accommodetur ſubſtantiæ, vel accidenti, vt homini, vel colori, erit natura ſynonyma.

3. Argum. 3. Ens in animali eſt animal, & ens in homine eſt homo: ſed animal, & homo prædicantur de ſuis inferioribus ſynonyme: ergo & ens prædicabitur quoque de eiſdem ſynonyme, & non analogice.

1. Opin. In hac quæſtione quidam viri docti, vt Petrus Fonſeca 4. *Metaph. c. 2. q. 1. ſectio. 5. & Franciſcus Zumel 1. p. qu. 13 art. 5. q. 1. concluſ. 4.* arbitrantur ens eſſe ſynonymum ad naturas ſynonymas, & ad inferiora mediata, vt ad hominem, & leonem, quamuis ad inferiora immediata ſit analogum, quam opinionem ante ipſos ſequutus fuerat Caiet. 1. *p. q. 13. art. 5* ad finem.

2. Opin. Contraria tamen opinio ſemper mihi placuit, exiſtimo enim ita eſſe ens analogum ſuapte vi, & propria natura, vt ſiue conferatur cum indiuiduis mediatis, ſiue cum immediatis, mutare illam nulla ratione queat. Vnde quemadmodum animal, ex eo quod ſuapte natura eſt natura ſynonyma, ſemper retinet hanc naturam, ſiue conferatur cum inferioribus immediatis, vt cum homine, & bruto, ſiue cum mediatis, vt cum Petro, & hoc leone: ita quoque cum ens ſit ſuapte natura analogum, ſemper retinebit hanc naturam, ſiue conferatur cum indiuiduis mediatis, ſiue cum immediatis. Atque ita ſit prima concluſio.

1. Concluſio. Ens nõ eſt ſynonymum ad ſua inferiora mediata. Confirmatur his argumentis. *Primum eſt.* *1. Argum.* Illa natura quæ dicitur non de his tantum in quibus ſua inferiora conueniunt, verum etiam de his in quibus differunt, non eſt ſynonyma: quia natura ſynonyma tantum dicitur de his, in quibus conueniunt ſua inferiora: quemadmodum animal tantum dicitur de homine, & bruto iuxta attributa in quibus conueniunt, nõ autem dicitur de illis in quibus differunt, neque enim dicitur de participe, & experte rationis: ſed ens non tantum dicitur de his in quibus conueniunt ſua inferiora mediata, verum etiam de his in quibus differunt, non enim de homine

tantum, & leone dicitur iuxta attributa vtrique cōmunia, verum etiam iuxta proprias differentias, quia cum illæ non ſint nihil erunt entia: ergo ens non erit ſynonymum ad ſua inferiora mediata. *Secundum.* Animal ſiue conferatur cū ſuis indiuiduis mediatis, ſiue cum immediatis ſemper eſt natura ſynonyma, & idem iudicium eſt de quauis alia natura ſynonyma: ergo prædicari mediate, vel immediate de inferioribus non mutat rationem naturæ ſynonymæ: neque igitur in natura analoga, qualis eſt natura entis, mutabitur ratio analogiæ ſiue efferatur illa de inferioribus mediatis ſiue de immediatis. *Tertium*, ſi ens non eſſet analogum, ſed ſynonymum ad hominem, & leonem, ex eo eſſet, quia homo vt ens eſt, non diffinitur per leonem, neque leo per hominem, atqui hæc ratio nulla eſt, quia iuxta eundem Fonſecam in eadem quæſtione, ens dicitur analogice de vltimis differentiis, cum tamen vna non diffiniatur per alteram, vt particeps rationis non diffiniatur per expers, neque expers per particeps: ergo quamuis homo non diffiniatur per leonem, neque leo per hominem, vt entia ſunt, non hinc colligi debet eſſe naturam ſynonymam.

Argum. / *Argum.*

Concluſio. 2. *Concluſio.* Ens non eſt analogum ad inferiora mediata analogia attributionis. Hæc eſt perſpicua, breuiterque in hunc modum confirmatur. Ex inferioribus mediatis, vnum non eſt ens per attributionem ad aliud, ergo non erit ens ad illa analogum attributionis. Conſequentia eſt nota, confirmatur antecedens. Homo vt ens eſt, non diffinitur per leonem, neque leo per hominem, & ſic de aliis inferioribus mediatis, ergo homo non erit ens per attributionem ad leonem, neq; leo per attributionem ad hominem.

Concluſio. 3. *Concl.* Ens eſt analogum proportionalitatis ad inferiora mediata. Etenim eodem modo ſe ſe habet homo ad ſuam entitatem, quo leo ad ſuam, quemadmodum enim homo per ſuam entitatem eſt, id quod eſt, ita vt ſit ipſa incluſa in conceptu vltimo differentiæ illius: ita etiam leo per ſuam entitatem eſt id quod eſt, vt ita ſit ipſius entitas in conceptu vltimo differentiæ leonis incluſa: ſed illa ſunt analoga proportionalitatis, quæ ita ſunt inter ſe affecta, vt quemadmodum ſe habet hoc ad illud, ita etiam illud ad aliud ſeſe habeat, ergo ens erit analogum proportionalitatis ad ſua inferiora mediata.

Ad 1. arg. Ad argumenta vero quæ propoſuimus ita reſpondemus. *Ad primum* dicimus ex illo tantum colligi ens nō eſſe analogum attributionis ad ſua inferiora mediata, non tamen non eſſe analogum proportionalitate, nam quamuis ens non dicatur de homine per attributionem ad leonem, eſt tamen incluſum in vltimis differentiis vtriuſque, ac proinde erit analogum ſecundum proportionalitatem.

Ad 2. A*d ſecundum reſpon.* primo voces homonymas non ſignificare naturam aliquam ſynonymam, etiam ſi accommodentur alicui ex ſuis ſignificatis, niſi adhibita fuerit aliqua alia vox ſynonyma, quæ latitudinem vocis homonymæ coerceat, & efficiat vt id quod eſt homonymum, ſynonyme efferatur. Vnde ens ſemper erit vox homonyma niſi illi addita fuerit aliqua particula ſynonyma, vt per ſe, v. g. qua ratione iam non homonyma, ſed ſynonyma erit natura, nam ſignificabit tunc temporis ſynonymam, & non homonymam naturam, vt ens per ſe, quod eſt ratio ſubſtantiæ ſignificabit naturam ſynonymam, quemadmodum ſubſtantia eandem ſignificat. Secundo reſp. eſſe latum diſcrimen inter ens, & alias voces homonymas, quia in aliis res nomine homonymo, vel analogo ſignificata non includitur in conceptu differentiarum, earum rerum, quas ſignificant, atque ita ſi accommodentur alicui ex ſignificatis ſynonyme prædicantur, at ens eſt incluſum in cōceptu vltimo ſuorum inferiorum, quamobrē quamuis alicui ex illis applicetur non poterit eſſe natura ſynonyma.

Ad 3. A*d tertium reſpon.* negando conſequentiam, quia quamuis ens in animali, vel in equo ſecundum rem ſit idem cum eis, differt tamen ratione, ob quam cauſam alio, & alio modo de ſuis inferioribus prædicabuntur: atque ita licet animal, vel homo ſynonyme dicantur, non tamen hinc fit, vt ens ſynonyme quoq; de eiſdem ſubiectis efferatur. Quod ſi quis ſcire cupiat cauſam ob quam cum ens & animal, v. g. ſint idem ſecundum rem, non dicantur de eiſdem ſubiectis eodem modo, hanc poterit accipere: quia animal non eſt incluſum in conceptu vltimo ſuarum differentiarum, ens vero incluſum eſt in conceptu earundum, ac proinde cum illa natura, quæ eſt incluſa in conceptu vltimarum differentiarum, non poſſit eſſe ſynonyma, altera vero quæ non eſt incluſa eſſe poſſit, propterea natura animalis erit ſynonyma, entis vero nullo modo eſſe poterit.

QVÆSTIO III.

An ens ſit analogum ad ſua inferiora necne?

Leuiter ſatis de homonymia, & ſynonymia entis diſſerimus. Sequitur vt falſis aliorum opinionibus cōfutatis veram ſententiam (quę illud eſſe analogum cōſtituit) explicemus

Verum

Verum vt hæc ſententia illuſtrior multo appareat erunt prius proponenda argumenta, quæ analogiam entis euertere omnino videntur, quę in tres claſſes diſtribuemus, nam in prima proponemus argumenta aduerſus analogiam illius ad ens rei, & rationis: in ſecunda aduerſus analogiam ad Deum, & ad creaturas, & in tertia aduerſus analogiã ad ſubſtantiam, & ad accidentia.

Argum. primæ claſſis. Argum. *Imprimis igitur* ens non dici analogice de ente rei, & rationis confirmatur primo. Nulla res poteſt vocari analoga niſi in habitudine ad ea, quibus ratio ſignificata nomine ipſius poteſt conuenire: ſed ratio ſignificata nomine entis, nulla ratione poteſt conuenire enti rationis, ergo ens non erit analogum ad ens rei, & rationis.. *Aſſumtionem ita confirmamus.* Ratio ſignificata nomine entis eſt ſubſtantia, vel accidens: ſed ens rationis, neque eſt ſubſtantia neq; accidens: ergo ratio ſignificata nomine entis non conueniet enti rationis.

Argum. *Præterea.* Inter analoga interuenire debet aliqua ſimilitudo: ſed inter ens rei, & rationis nulla ſimilitudo interuenit, quia eſſe entis rationis non eſt eſſe, at vero eſſe entis rei eſt eſſe vere, & proprie: ergo ens non dicitur analogice de ente rei, & rationis.

Argum. *Adhæc.* Quemadmodum ſeſe habent homo viuus, & pictus, ita quoque ſe habent ens rei, & rationis, vt enim homo pictus ex eo dicitur homo, quia eſt ſimilitudo hominis viui: ita quoque ens rationis ex eo erit ens quia eſt imago quædam entis rei, ſed homo dicitur homonyme de homine viuo & picto, vt auctor eſt Ariſt. *in hoc opere antecategor. in diffinitione homonymorum*, ergo ens dicitur homonyme de ente rei, & rationis.

Argum. Deniq; in analogis vnum ex eis vel eſt ſignũ vel cauſa alterius, quemadmodum in ſanitate. vrina eſt ſignum illius, medicina vero eſt eiuſdem cauſa: ſed ens rationis neque eſt ſignum, neq; cauſa entis rei, vt eſt ſatis perſpicuum: ergo ens non erit analogum ad ens rei, & rationis.

Arg. ſecundæ claſſis. Argum. Iam aduerſus analogiam entis in habitudine ad Deum, & creaturas hæc alia ſe offerunt argumenta. *Primum.* Ens ex eo dicitur analogice de ſubſtantia, & de accidentibus, quia de ſubſtantia dicitur ſimpliciter, de accidentibus vero ſecundum quid: ſed ens non dicitur ſimpliciter de Deo, & ſecundum quid de creaturis, imo ſimpliciter & abſolute dicitur de creaturis, quemadmodum & de Deo, ergo ens non dicitur ſecundum analogiam de Deo & de creaturis.

Argum. 2. Arg. In analogis ſecundum attributionem, res analogata tantum dicitur de membro præcipuo ſecundum eſſentiam, de aliis vero extrinſeca denominatione, vt docuimus in legibus analogorum c. 3. propoſitis: ſed ens non tantum dicitur de Deo ſecundum eſſentiam ſed etiam de creaturis, ergo non poterit prædicari de Deo, & de creaturis ſaltim ſecundum analogiam attributionis.

3\. In analogis attributionis membrum analogum minus præcipuum diffiniri debet per illud quod fuerit magis præcipuum, quemadmodum in eiſdem legibus perſcripſimus, ſed creaturæ vt entia ſunt non diffiniuntur per Deum, tum 1. quia optime diffiniuntur eſſe illa, quę habent eſſe, quia hæc eſt ratio entis habere eſſe, in qua diffinitione non continetur Deus: tum deinde quia creaturæ fuerunt prius cognitæ à nobis, quam fuerit cognita vlla dependentia earum ad Deum: ergo & fuerunt prius illæ diffinitæ nulla in ipſarum diffinitione Dei facta mentione, iam ergo ens non prædicabitur de Deo, & creaturis analogice. *3. Argum.*

Præterea. In analogis ſecundum attributionem membrum præcipuum eſt forma quædam denominans alia analoga, quæ ſunt minus præcipua, vt ſanitas quæ ineſt animali eſt forma denominans vrinam, & medicamenta ſana: ſi ergo ens eſt analogum ſecundum attributionem ad Deum, & ad creaturas, Deus qui eſt analogum magis præcipuum erit forma denominans creaturas, hoc autem fieri nulla ratione poteſt, cum Deus non poſſit obtinere rationem formæ, quemadmodum neque materiæ, ergo ens non dicitur analogia ſecundum attributionem de Deo, & creaturis. *4. Argum.*

Tertio loco in medium adducamus oportet, argumenta, quę fieri ſolent aduerſus analogiam entis reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. *Primum.* In analogis membrum minus præcipuum, debet per magis præcipuũ, diffiniri, vt ſæpe in ſuperioribus docuimus, ſed accidentia non diffiniuntur per ſubſtantiam, quæ tamen ſunt membra minus præcipua: ergo ens non erit analogum ad ſubſtantiam, & ad accidentia *Confirmatur aſſumtio.* Imprimis candor non diffinitur per ſubſtantiam, diffinitur enim color diſgregans viſum, in qua diffinitione nulla ſubſtantia continetur Deinde Mathematici diffiniunt quãtitatem ſine ſubſtantia, diffiniunt enim circulum eſſe figuram planam vna linea comprehenſam, in cuius medio punctum eſt, à quo omnes lineæ ductæ vſq; ad circumferentiã ſunt æquales, in qua diffinitione ſatis eſt exploratum nullam ſubſtantiam contineri. Demum ſi accidentia vt entia ſunt diffinirentur per ſubſtãtiam, ergo & ſubſtantia quoque per ſe ipſam diffiniretur, quia quod competit accidenti ea ra- *Argu. tertiæ claſſis. 1. Argum.*

Digitized by Google

tione qua eſt ens, competit omni enti, quemadmodum quod competit homini vt animal eſt, competit omni animali: atqui hoc dicere eſt abſurdum, cum nihil poſſit per ſe ipſum diffiniri: ergo accidentia vt entia ſunt non diffinientur per ſubſtantiam.
1. Argum. *Deinde.* Lex eſt in analogis maxime obſeruanda vt res analogata de præcipuo analogato efferatur ſecundum eſſentiam, & intrinſece, de minus præcipuo autem extrinſeca denominatione, vt in exemplo ſatis protrito ſanitatis illud confirmare poſſumus, quæ de animali tantum dicitur ſecundum eſſentiam, & intrinſece, de vrina vero vel medicamentis dicitur extrinſeca denominatione: ſed ens non ſolum dicitur de ſubſtantia intrinſece, & formaliter, tanquam de ea quæ eſt membrum præcipuum, verum etiam & de accidentibus, quia in his attributionibus, quantitas eſt ens, qualitas eſt ens, attributum eſt de eſſentia ſubiectorum, ergo ens non erit analogum ad ſubſtantiam, & ad accidentia.

3. Argum. *Denique.* In analogis membrum minus præcipuum obtinet naturam rei analogæ per habitudinem ad membrum magis præcipuum, vt eſt omnibus manifeſtum: ſed dantur aliqua accidentia quæ non ſunt entia per habitudinem ad ſubſtantiam, ergo ens non erit analogum ſaltim ad ſubſtantiam, & ad hæc accidentia. *Confirmatur aſſumptio.* Relatio eſt ens, ſed relatio habet ſuam entitatem per habitudinem ad terminum, vt conſtare poterit ex diffinitione relatorum, quæ explicat eorum entitatem, in qua non continetur ſubiectum, ſed terminus. Dantur ergo aliqua accidentia, quæ non obtinent ſuam entitatem per habitudinem ad ſubſtantiam.

Explicatur vero Opin. His tamen nihil impedientibus aſſerendum erit ens ad hæc omnia recenſita eſſe naturam analogam, hæc enim eſt communis omnium Peripateticorum, recteque ſentientium opinio, quam ſequentibus aſſertionibus aperte ſatis & dilucide (ni fallimur) proponemus. *Sit igitur*
1. Concluſ. *prima.* Ens vtroque genere analogiæ & attributionis, & proportionalitatis eſt analogum ad
Confir. quo ad 1 p. ens rei & rationis. Imprimiſque eſſe analogum attributionis confirmatur ex Ariſt. 4. *Metaphyſ. cap* 2. qui poſtquam docuerat ens eſſe homonymum ab vno, & ad vnum (quod idem eſt ac eſſe analogum attributionis) diuiſit illud in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, negationes & priuationes, at negationes, & priuationes entia rationis ſunt, quare ens erit analogum
2. Argum. attributionis ad ens rei, & rationis. *Iam.* Eodem modo alicui competit ratio ſubiecti, quo conueniunt illi proprietates ab eo dimanantes: ſed proprietates entis conueniunt enti rationis per attributionem ad ens rei, vt eſſe verum, vel intelligi poſſe, conuenit enti rationis per attributionem ad ens rei, eſt enim ens rationis intelligibile per ens rei, quemadmodum negatio cognoſcitur per affirmationem, & priuatio per habitum, ergo ens erit analogum ſecundum attributionem ad ens rei, & rationis. *Deinde* eſſe analogum ſecundum proportionalitatem ita oſtendimus, *primo.* Quia quemadmodū ſe habet ens rei ad ſuum eſſe, ita quoq; & ens rationis ſe habebit ad ſuum, & quemadmodum ens Confir. ſecū quo ad 2. p.
rei dicitur ens per ſuum eſſe, ita & ens rationis dicitur ens per ſuum eſſe: ſed hæc eſt analogia ſecundum proportionalit. ergo ens erit analogum proportional. ad ens rei, & rationis. *Deinde* quia ſi ens ſolum eſſet analogum ſecundum attributionem ad ens rei & rationis, ſequeretur, vt ſolum ens rei (quod eſt membrum præcipuum huius analogiæ) eſſet ens intrinſece, & ſecundum eſſentiam: hoc enim commune eſt omnibus analogis ſolius attributionis, vt expoſuimus in cap. 3. ſed ens rationis non eſt ens extrinſeca denominatione, ſed intrinſeca, & ſecundum eſſentiam, quemadmodum etiam eſt vnum ſecūdum eſſentiam, ergo ens commune enti rei & rationis erit analogum ſecundum proportionē.

2. *Concluſio.* Ens eſt analogum attributionis, & proportionalitatis, ad ens finitum, & infinitum ad Deum nimirum, & ad creaturas. Sciendum eſt Caiet. *c. 2. de ente, & eſſen q. 3.* exiſtimare ens ſola analogia proportionalitatis eſſe analogum ad Deum, & ad creaturas, cuius contrarium, tanquam ſuo iudicio verius amplectitur Ægydius *in 1. diſt* 8. *quæſt. 1. art.* 2 nam putat illud ſola analogia ſecundum attributionem eſſe analogum ad hæc membra: Etenim quamuis creaturæ (inquit) ex ſe, & ſuapte natura obtineant aliquod eſſe, eſt tamen ita minima, vt ab eo nulla ratione queant illæ vocari entia, ſed dicuntur entia per attributionem ad entitatem, quæ in ſolo Deo per eſſentiam reperitur: quemadmodum quamuis accidentia ſint formaliter entia, eſt tamen eorum entitas ita exigua, vt ab ipſa non poſſint entia nuncupari, ſed vocantur entia per attributionem ad entitatem, quæ in ſubſtantia reperitur. Nos vero vtroque genere analogiæ arbitramur ens eſſe analogum ad Deum, & ad creaturas. Imprimiſque vt à facilioribus inchoemus eſſe analogum ſecundum proportionalitatem, aduerſus Ægidium confirmatur *primo.* Quia quemadmodū ſeſe habet Deus ad ſuum eſſe, ita & creaturæ ſeſe habent ad ſuum: etenim quemadmodum Deus eſt ens per ſuum eſſe, ita & creaturæ ſunt entia

per

per ſuum eſſe, ſed hæc eſt analogia ſecundum proportionali. ergo ens erit analogum ſecundū proportionali.

2. Argum. *Secundo.* Si ens eſſet analogum ſecundum ſolam attributionē, ergo ſolus Deus, qui eſt membrum præcipuum huius analogiæ eſſet ens ſecundum eſſentiam, & formaliter: creaturæ vero eſſent entia extrinſeca denominatione, quia in analogis ſecundum ſolam attributionem, hanc legem eſſe obſeruandam diximus, vt res analoga in pręcipuo analogato repetiatur ſecundum eſſentiam, & in minus præcipuis ſecundum extrinſecam denominationem: ſed hoc eſt omnino abſurdum; cum creaturæ ſint formaliter, & ſecundum eſſentiam entia: ergo ens non dicetur ſecundum ſolam analogiam attributionis de ente finito & infinito (Deo videl. & creaturis) ſed pręter eam etiam ſecundum analogiam proportionalita.

Eadē iuxta 2. confir. *Præterea* eſſe analogum ſecundum attributionem aduerſus Caieta. Confirmamus *primo.* Omne attributum de his de quibus prædicatur ſecundum participationem dicitur per attributionem ad ea de quibus prædicatur ſecundum eſſentiam, vt quia eſſe calidū prædicatur de ferro ſecundum participationem, dicetur de illo per attributionem ad ignem qui ſecundum eſſentiam eſt calidus: ſed ens dicitur de creaturis per participationem, de Deo vero ſecundum eſſentiā: ergo dicetur de creaturis per attributionē ad Deum.

2. Argum. *Iam.* Non minus dependent creaturæ à Deo, quam accidentia dependeant à ſubſtantia, ſed quia accidentia dependent à ſubſtātia, ſunt entia per attributionem ad illam, ergo & propter eandem dependentiam creaturæ erunt entia per attributionem ad Deum.

Obſeru. Verum cum in ſuperioribus dictum ſit hanc attributionem diuiſam eſſe in attributionem duorum, vel plurium ad vnum, vel vnius ad alterum, ens nō erit analogum ad Deum & creaturas analogia duorum ad vnum tertium, ſed vnius ad alterum, nam Deus & creaturæ non referuntur ad tertiā aliquam naturam, vt ſanitas medicinæ, & vrinæ referuntur ad ſanitatem animalis, nam ſi referruntur illa tertia natura eſſet prior Deo & creaturis; quemadmodum ſanitas animalis eſt prior ſanitate vrinæ, & medicinæ, at Deo nihil poteſt eſſe prius, quare ens erit analogum analogia vnius ad alterum, ex eo nimirum, quia creaturæ referuntur ad Deum, ea qua relatione totam entitatis naturam ſortiuntur. Ita perſpicuis verbis docet D. Tho. *1. contr. gen. ca.* 34. & *1. par. q.* 5. *art.* 5. & *qu.* 7. *de potent. art.* 7. & *in prologo ſent. art.* 2. *ad* 2. Legendus eſt Ferrar. 1. *cont. gent. cap.* 32. & 34.

3. Concluſio. 3. *Concl.* Ens dicitur ſecundum analogiam attributionis de Deo, & de creaturis iuxta tria genera cauſarum, ſcil. cauſæ efficientis, formalis, & finalis; non autem ſecundum genus cauſæ materialis. Itaq; creaturæ per attributionem ad Deum tanquam ad cauſam efficientem, formalem, vel exemplarem, & finalem, ſuam entitatem conſequuntur. *Primo* igitur habere entitatem à Deo tanquam à primo efficiente conſtat, quia omnes creaturæ ſunt à Deo efficienter productæ: nam *Omnia per ipſum facta ſunt.* *Ioan. 1.* Deinde eſſe entia per attributionem ad ipſum tanquam ad cauſam formalem, vel exemplarem, confirmatur ex eo, quod omnes creaturę deductę fuerunt, & deriuatæ ab ideis, & exemplaribus, quæ intra mentem diuinam cōtinentur. *Adhuc.* Eſſe entia per attributionem ad eundem tanquā ad finem intelligere poterit, qui conſpiciet, Deum eſſe finem, & ſcopum omnium creaturarū. Et tandem non eſſe analogum per attributionem ad vnam materiam, vel ſubiectum colligi poterit ex eo, quia Deus non eſt ſubiectum cui inhæreant creaturæ, eo modo quo accidentia inhærent ſubſtantiæ. Legenda ſunt quæ diximus *lib. 1. Tranſcend. cap.* 15.

4. Concluſ. 4. *Concl.* Ens dicitur ſecundum analogiam de ſubſtantia, & de accidentibus.

1. Argum. Confirmatur in primis ex Ariſtot. qui variis locis docet ens eſſe homonymum ab vno, vel ad vnum, *vt 4. Metaph cap. 2. 7. c. 4.* & *11. c. 3.* & *12. c. 4.* at quæ ſunt hac ratione homonyma analoga etiam nuncupantur, vt iam ſupra agentes de analogia in cōmuni expoſuimus.

2. Argum. *Præterea.* Ens neque ſynonyme, neq; homonyme, neq; paronyme dicitur de ſubſtantia, & de accidentibus, non homonyme, quia non dicitur ſolo nomine, neq; paronyme, quia non dicitur accidentario, neque ſynonyme quia eſt incluſum in conceptu vltimo ſubſtantiæ, & accidentium, in quo naturæ ſynonymæ includi nulla ratione poſſunt: pręedicabitur igitur à ſufficienti diuiſione de his duobus membris ſecundum analogiam.

Controuer. circa concl. Controuerſia tamen eſt de genere analogiæ quo ens eſt analogum, ſitne analogum attributionis, vel proportionalitatis, vel vtrinſque generis, nam in hac re maxime inter ſe diſſident viri graues.

1. Opin. Ægydius 4. *Metaph q. 4* & *in 1. diſt. 8. quæſt. 1. art. 2.* exiſtimat eſſe tantum analogum ſecundum attributionem, quia eſt, inquit, tam minima entitas accidentium, vt ab ea non poſſint accidentia dici entia, ſed ab attributione ad ſubſtantiam, quæ ipſorum eſt commune ſubiectum. Idem aſſerere videtur Capreol. *in 1. diſtin. 2. quæſt. 1. ad 1. contra 9. concluſ.*

2. Opin. Nonnulli ex veteribus, vt teſtatur Herueus *quodl 2. qu. 7.* conſtituerunt ens in habitudine ad ſubſtan-

Digitized by Google

tiam, & ad duas categorias accidentium abſolutas, vt ad quantitatem, & qualitatem eſſe analogum vtriuſq; generis, & ſecundum attributionem, & ſecundum proportionalitatem: in habitudine tamen ad alias categorias relatorum non eſſe analogum ſecundum proportionalitatem, ſed ſecundum ſolam attributionem, quia relata non ſunt intrinſece entia, ſed extrinſece per attributionem ad ſubſtantiam. At grauiſſimi viri, *D. Thom. ſentent. diſtinct 19 quaſt. 5. art. 2. ad 1. Caiet. c. 2. libelli de ente & eſſent. quaſt 3. & in opuſc. de nominum analogia. Ferrar. 1. cont. gent. cap. 34. Flandren. 4. Metaph. qu. 2. art. 4. Aquarius & Fonſeca in eodem 4. Metaph. q. 1.* profitentur, & (quidem veriſſime) ens & ſecundum attributionem, & ſecundum proportionalitatem dici de ſubſtantia, & de accidentibus, vnde ſit quinta concluſio.

.Concluſio. Ens eſt analogum ſecundum attributionem ad ſubſtantiam, & ad accidentia. Confirmatur *.Argum.* imprimis ex teſtimoniis Ariſt. quæ in ſuperiori concluſione propoſuimus, in quibus inquit ens eſſe homonymum ab vno, vel ad vnum eo modo, quo ſanitas eſt hac ratione homonymū, vel analogum ad ſanitatem vrinæ, medicinæ, & animalis: at ſanitas dicitur de his per attributionē ad ſanitatem quæ in animali reperitur. *.Argum.* Tum etiam quando aliquod ſuperius hoc ordine de ſuis inferioribus dicitur, vt dicatur de vno per habitudinem ad alterum, eſt illud analogum ſecundum attributionem, ſed ens dicitur de ſubſtantia, & de accidentibus hoc ordine, vt dicatur de accidentibus per habitudinem ad ſubſtantiam, vt auctor eſt Ariſtot. *7. Metaph. cap. 1.* ergo dicetur de ſubſtantia, & de accidentibus ſecundum analogiam attributionis. Quod intelligi debet ſecundum analogiam duorum, vel plurium ad vnum tertium, quia ſubſtantia & accidentia referuntur ad vnam naturam entis, quæ prius magiſque in ſubſtantia, quam in accidentibus reperitur: deinde vero per attributionem ad ſubſtantiam, etiam eiſdem accidentibus communicatur.

Adnotatio. circa concl. *Cæterum.* Cùm hæc analogia quædam ſit ab vno, & alia ad vnum, & rurſus hæc poſterior quædā ſit ad vnum finem, & alia ad vnum ſubiectum omnibus his modis erit ens analogum ſecundum attributionem ad ſubſtantiam, & ad accidentia. Et enim cum tribus modis ex D. Th. *1. par. q. 77. art. 6. ad 2.* Subſtantia ſit cauſa accidentium efficiens, finalis, & materialis, vt eſt cauſa efficiens eorum erit analogum ſecundum attributionem ab vno, quia accidentia in ratione entis fluunt ab entitate quæ eſt in ſubſtantia, tanquam à propria cauſa efficiente, vt autem eſt cauſa materialis, aut ſubiectum in ſe fulciens accidentia, erit ens analogum ſecundum attributionem ad vnum ſubiectum, quia omnia accidentia ſunt in ſubſtantia, ex cuius inhærentia totam entitatem conſequuntur. Vltimo ea ratione qua ſubſtantia eſt finis accidentium erit analogum ſecundum attributionem ad vnum finem, quia omnia accidentia referuntur ad ſubſtantiam tanquam ad eorum finem, & ſcopum, quædam vt illius menſuræ, quemadmodum quantitas, alia tanquam affectiones, & diſpoſitiones, vt qualitas, alia tanquam habitudines referentes ipſam ad ſuum terminum, vt omnes relationes.

Contra tamen dicet aliquis, ſi accidentia eſſent entia per attributionem ad ſubſtantiam, ergo non eſſent formaliter, & intrinſece entia, ſed extrinſece, quod certe admittere (quantum opinor) nullus audebit, quod ſequatur ſic confirmo. Lex eſt analogorum attributionis à nobis ſupra conſtituta, naturam analogam in præcipuo analogato tantum reperiri ſecundum eſſentiam, & formaliter, in aliis vero extrinſeca tantum denominatione, ſi igitur ens dicitur analogice ſecundum analogiam attributionis de ſubſtantia, & de accidentibus, cum ſubſtantia ſit membrum magis præcipuum, tantum dicetur de ſubſtantia formaliter, & intrinſece, de accidentibus vero extrinſeca denominatione. *Obiect.*

Reſp. imprimis admittentes ens iuxta hanc analogiam attributionis tantum dici de ſubſtantia formaliter, & intrinſece, & de accidentibus extrinſece, quamuis ſecundum aliam analogiam proportionalitatis, tam de ſubſtantia quam de accidentibus intrinſece prædicetur. *Reſp.* deinde negando hoc ſequi, ad cuius confirmationem dicimus legē illam analogorū attributionis intelligendam eſſe quando ſunt tantum illa analoga ſecundum attributionem, vt vrina medicina, animal ſanum, quæ quia ſunt analoga ſecundum ſolam attributionē, ratio ſanitatis intrinſece & formaliter tantum reperitur in animali, quod eſt membrum præcipuum analogię; in vrina vero & Medicina ſola extrinſeca denominatione: at quando cum hac analogia permiſcetur alia ſecundum proportionalitatem, non erit lex illa vera, neq; de his analogis intelligenda, atq; ita cum ens & ſit analogum attributionis, & proportionalitatis, ad ſubſtantiam, & ad accidentia, non dicetur tantum intrinſece & formaliter de ſubſtantia, verum etiam & de ipſis accidentibus. *Solutio.* *Lege Caiet. c. 1. de analog.* *Solut. 2.*

6. Concl. Ens eſt etiam ad hæc duo membra analogum ſecundum proportionalitatem tam in habitudine ad accidentia abſoluta, vt quantitatem, *6. Concluſ.*

tatem, & qualitatem, qnā in habitudine ad alia relata. Confirmatur imprimis eſſe analogū proportionalitatis in habitudine ad accidentia abſolnta adnerſus Ægydiū. *Primo*, quia vt ſe habet ſubſtantia ad ſuum eſſe, ita quantitas & qualitas ſe habent quoque ad ſuum, nam quemadmodum ſubſtantia eſt id qnod eſt per ſuam entiratem, ita & quantitas eſt id quod eſt per ſuam entitatem, & idem iudicium eſt de qualitate: & qnemadmodum entitas eſt incluſa intrinſece & ſecundum eſſentiam in concepτn vltimo ſubſtantiæ, ita etiam eſt inclnſa in conceptu vltimo quantitatis, vel qnalitatis, erit igitur illud analo-

2. Augum. gum ſecundum proportionalitatem. *Secundo*, quia ſi ens eſſet analogum ad hæc membra ſecundnm ſolam attributionem, fieret profecto, vt accidentia qnæ huius analogiæ ſunt membra minus præcipua ſecundum eſſentiam, & formaliter non eſſent entia, quia in analogis ſolius attributionis membra minns præcipua nō ſunt formaliter talia, quod certe quamuis Ægydius immerito admittat, eſſe falſum ex eo conſtare poteſt, qnia accidentia non ſunt formaliter nihil, quare formaliter erunt entia, non igitur ſola analogia attributionis erit ens analogum ad hæc membra, ſed etiam analogia proportionalitatis, vt ex his poterit aperte conſtare.

Deinde eſſe hoc genere analogiæ analognm in habitudine ad accidentia relata confirmatur, qnia ſi tantum eſſet analogum ſecūdum analogiam attributionis, relationes non eſſent intrinſece, & formaliter entia, quod quamuis ingenue profiteantnr auctores, qnos Herueus vbi ſupra recenſet, eſſe tamen hoc falſum colligi poterit *primo*, quia hæ attributiones, relatio eſt ens, actio & paſſio ſunt entia, non ſunt minus eſſentiales quam hę alię, ſubſtantia eſt ens, vel quantitas eſt ens, quare cum ens formaliter prædicetur de ſubſtantia & de quantitate, formaliter

2. Argum. quoq; de illis aliis relatis prædicabitur. *Secundo*, quia ſi hæ categoriæ relatorum nō eſſent ſecundum eſſentiam, & formaliter entia, eſſent formaliter non entia, quia quod non eſt formaliter ens, eſt formaliter non ens, vnde fieret, vt cum hæ categoriæ ſint entia rei ens rei eſſet formaliter non ens, quo certe nihil abſurdius poteſt excogitari. Quare colligendum erit ens dici ſecundum analogiam proportionalitatis de ſubſtantia, & de accidentibus relatis.

Iam ad argumenta quæ initio quæſtionis in tres claſſes diuiſimus, ſuo ordine ſigillatim reſpondeamus: imprimiſq; ad primæ claſſis argu.

Ad 1. arg. 1. Claſſis. Ad 1 reſp. rationem nomine entis ſignificatā non eſſe hoc diſiunctum ſubſtantia, vel accidens, quemadmodū ſibi perſuaſerat Soncinas: ſed eſſe ipſummet eſſe abſtrahens à ratione ſubſtantiæ & accidentis, quod tamen eſt vtrique commune ſecundum analogiam.

Ad 2. Ad 2. dicimus inter ens rei & rationis intercedere ſimilitudinem, non vnam & eandem ſimpliciter, & ſynonymam, ſed analogam, & ſecundnm quid.

Ad 3. Ad 3. reſp. admittentes eodem modo ſe habere ens ad ens rei & rationis, quo ſe habet homo ad hominem pictum, & viuum: at homo (noſtro iudicio) non dicitur pure homonyme de viuo, & picto, cū dicatur de picto ex eo quod refert imaginem viui. Quod ſi Ariſt. in Antecategor. docet hominem dictum de viuo, & de picto, eſſe homony. ex eo eſt, quia cum analoga ſub homonymis à conſilio contineantur, ſæpe fit, vt ea quæ ſunt vere analoga nuncupentur homonyma. Vnde & hæc dicta ſunt homonyma, non quia vere & pure ita ſint, ſed quia ſub homonymis à conſilio comprehenduntur, ſub quibus omnia analoga continentur.

Ad 4. Ad 4. reſpon. imprimis in analogis ſecundum proportionalitatem non eſſe aliquod ex membris analogatis, vel ſignum, vel cauſam alterius, quemadmodum pes animalis, neq; eſt ſignum, neque cauſa pedis montis, de quibus dicitur pes ſecundum analogiam proportionalitatis. *Deinde* falſum eſt ens rationis, neque eſſe ſignum, neque cauſam entis rei: quia nomina, verba, orationes, & enunciationes, ſecundum eſſentiam & ſignificationem ſunt entia rationis, quæ tamen ſignificant entia rei, non tanquam ſigna (vt dicunt) formalia, ſed tanquam ſigna inſtrumentalia, quę ex hominum inſtituto ortum habent. *Præterea*, entis rationis eſt effectus entis rei, ſcilic. intellectus, non primo & per ſe, ſed ſecundario productus, quia primus effectus intellectus eſt intellectio, verum quia ad intellectionem ſequitur in rebus eas eſſe genera vel ſpecies, ſubiecta vel attributa, quæ ſunt entia rationis ob hanc cauſam ens rationis ſecundario producetur ab intellectu.

Ad argu. 2 claſſis. Iam argumentis ſecundæ claſſis ita ſatisfacimus, *Ad 1.* ad 1. dicimus ens ſimpliciter, & abſolute dici de ſolo Deo, de creaturis vero ſecundum quid, & extrinſeca denominatione ſecundum analogiam attributionis, at vero ſecundum analogiam proportionis de vtroque dicitur intrinſece, & ſecundnm eſſentiam, neque enim eſt neceſſe vt in omni analogia res analoga efferatur de vno analogo ſecundum eſſentiam, & de alio extrinſeca denominatione, hoc enim obſeruari ſolum debet in analogis ſecundum attributionem. Poſſumus etiam cum Caieta. reſpon. in libello de nominum analogia cap. 9 creaturas

Digitized by Google

ſumi poſſe vel ſecundum ſe, vel ſecundum rationem analogiæ ad Deum: ſi primo modo ſumantur, ſunt illæ entia intrinſece, & ſecundum eſſentiam vel ſimpliciter: ſi vero altero modo vſurpentur ſunt entia ſecundum quid, ſunt enim quaſi non eſſent, quia creaturæ collatæ cum creatore, ſunt quaſi nihil.

Ad 2. Ad 2. dicimus propoſitio. intelligendam eſſe quando illa ſunt analoga ſecundum ſolam analogiam attributionis, non autem quando cum hac analogia ſunt etiam ſimul analoga ſecundum proportionali. quia ea parte qua ſunt analoga ſecundum proportionali. res analoga dicitur de omnibus analogatis intrinſece, & ſecundum eſſentiam. Vel dicere poſſumus ſolutionem propoſitam clarius, & magis explicantes, creaturas eſſe, & non eſſe entia extrinſeca denominatione, eſſe entia ſi in ipſis contemplemur analogiam ſecundum attributionem, non eſſe entia ſi conſideremus analogiam ſecundum proportionem.

Ad 3. Ad 3. reſpon. legem illam analogorum quod minus præcipua diffiniri debeant per illud quod eſt magis præcipuum, intelligendam eſſe de analogis ſolius attributionis, atque ita ſi de hac analogia loquamur creaturæ erunt per Deum tanquam per præcipuum analogatum diffiniendæ. Poſſunt tamen illæ ſumi duobus modis, aut vt creaturæ ſunt, aut in propriis rationibus. Secundo modo non diffinientur per Deum, quia ita nullam denotant ad ipſum habitudinem: vt homo in propria ratione qua eſt animal particeps rationis nullam habitudinem denotat ad ipſum Deum: ſi vero vt creaturæ ſunt vſurpentur, debent neceſſario per Deum vt creator eſt diffiniri, nam creaturæ diffinitio ea ratione, qua eſt ens creatum, nō eſt eſſe illud quod habet eſſe ſed eſt eſſe illud quod habet eſſe dependens à Deo. Præterea quamuis creaturæ fuerint prius cognitæ vt res quædam ſunt, & in propriis naturis quam fuerit cognita aliqua dependentia ad Deum, eædem tamen, vt creaturæ ſunt, & iuxta analogiam attributionis quam habent ad Deum, non fuerunt prius cognitæ quam huiuſmodi dependentia.

Ad 4. Ad 4. reſpon. triplicem eſſe formam, exemplarem, vt ſunt ideæ in mente artificis, denominantem tantum & non inhærentem, vt eſt locus qui denominat rem locatam, cui tamen non inhæret, denominantem ſimul, & inhærentem, vt candor qui denominat niuem candidam, cui tanquam ſubiecto inhæret. Igitur Deus Opt. Max. non poteſt eſſe forma denominans, & inhærens ſubiecto denominato, poteſt tamen eſſe forma exemplaris, & denominans, atque ita ab entitate diuina tanquam à quodam exemplari, vocabuntur creaturæ entia iuxta analogiam attributionis.

Ad argumenta tertię claſſis ſequitur tandem vt ſatisfaciamus. Ad primum reſpon negando aſſumtionem: nā omnia accidentia ſunt neceſſario per ſubiectum diffinienda, aliquando quidem implicite, & aliquando explicite, nam poſſunt illa eſſe vel propria, vel communia: præterea vtraque ſumi poſſunt vel in concreto, vel in abſtracto. Si fuerint accidentia communia, & abſtracta non explicite, ſed implicite per ſubiectum diffiniuntur, vt candor diffinitur color diſgregans viſum, in qua diffinitione expreſſe nullum ſubiectum continetur, implicite tamen aliquod comprehenditur, nam color qui continetur in diffinitione, eſt actus corporis luminoſi, in qua diffinitione diffinitur color per ſubiectum, nimirum per corpus: Si vero ſumpta fuerint eadem in concreto in illorum diffinitione expreſſe continetur ſubiectum, nam candidum diffinimus corpus diſgregans viſum. Propria vero ſiue fuerint concreta, ſiue abſtracta expreſſe per ſubiectum diffiniuntur hac lege, vt ſi ſumpta fuerint in abſtracto quod eſt verum genus habeat locum generis, & ſubiectum locum differentiæ: ſi vero in concreto vſurpentur, è contra ſubiectum habeat locum generis, & verum genus locum differentiæ obtinet, nam ſimitatem diffinimus naſi curuitatem, in qua diffinitione curuitas quæ eſt verum genus habet locum generis, & naſus qui eſt ſubiectum locum differentiæ: ſimum vero è contra diffinimus naſum curuum, in qua naſus qui eſt ſubiectum habet locum generis, & curuitas quæ eſt verum genus locum differentiæ. Ad confirmationes vero, quæ in eodem argumento proponebantur, ad duas priores, ex his quæ proxime diximus, abunde eſt ſatisfactum, nam ad 1. dicimus candorem diffiniri per ſubiectum implicite, & non eſt neceſſe vt diffiniatur explicite, niſi quando diffinitum fuerit in concreto. Ad 2. eodem modo dicimus in diffinitione circuli quam tradunt Mathematici contineri ſubſtantiam non explicite, ſed implicite; Legenda ſunt quæ de hac re docuimus *lib. 1. Tranſcem. cap. 22.* conſulendi ſunt etiam Metaphyſ. *7. lib. Metaphyſ. Soncinas quaſt 6. Flandrenſis q. 8. art. 1. & 2. Lauellus, Aquarius & Sueſanus quaſt. 3. eiuſdem lib.* In explicatione tamen tertiæ eſt maior difficultas, cui reſp. negando propoſitionem, eſt enim latum diſcrimen (quod memoriç commendari maxime cuperem) inter ſynonyma, & analoga, quia in ſynonymis nullus gradus naturæ communis iuxta tale nomen competit

Ad 1. arg. 3. Claſſis. *Ad confirmationem arg.* *Ad 1.* *Ad 2.* *Ad 3.*

vni ex inferioribus, qui alteri etiam non conueniat, at in analogis res è cōtrario ſeſe habet, quia aliquid competit alicui ex inferioribus, quod alteri conuenire nullo modo poteſt. Etenim vrinæ, vt eſt ſana aliquid competit, quod non competit medicamento, & aliquid competit huic, quod non poteſt animali conuenire, vrinæ enim, vt ſana eſt, competit eſſe ſignū ſanitatis, medicamento eſſe cauſam, & animali eſſe ſubiectum. Et ita in analogia entis ad ſubſtantiam, & ad accidentia, non eſt neceſſe, vt quod competit accidenti, vt eſt ens, conueniat quoque ſubſtantiæ, neque vt quod competit ſubſtantiæ, qua ens eſt, conueniat accidétibus, nam accidentibus, vt entia ſunt, competit dependere à ſubſtantia, & ex conſequenti diffiniri per illam, quod non poteſt vlla ratione ſubſtantiæ conuenire.

Ad 2. *Ad* 2. arg. abunde ſatis reſpondimus in concluſ. huius quæſtionis, nam ibi duas illius ſolutiones propoſuimus, quæ non eſt cur hoc loco repetantur, conſulat illas ſtudioſus, & ſciendi cupidus lector.

Ad 3. *Ad* 3. reſp. negando aſſumptionem, & ad confirmationem dicimus, relationem rei (de qua tantum hic agimus) ſumi poſſe vel præciſe, ſeu vt denotat tantum eſſe ad: vel vt amplectimur totam & integram rationem, quæ ex eſſe in, & eſſe ad eſt conſtituta. Primo modo relatio nō denotat habitudinem ad ſubiectum, ſed ad terminum: altero vero denotat nō tantum ad terminum, verum etiam ad ſubiectum relationem, ac proinde negandum erit, relationem categoriæ, vel prædicamentalem non referri ad ſubiectum, neque diffiniri per illud. Verum de hac re vberius multo in categoria relatorum, interim legi poterunt Caietan. 1. *p. quæſt.* 28. *artic.* 1. & Ferrarienſ. 4. *contra gentes, cap.* 14.

QVÆSTIO V.

Num ens ſit genus ad ſua inferiora, necne?

COnſtare ſane poterat ex ſuperioribus diſputationibus, ens non eſſe genus, nam non eſt natura ſynonyma, qualis neceſſario debet eſſe omnis natura generica: verum quia Ariſt. *in poſtremo cap. Antecategor.* diuidit ens in decem categor. ob hanc cauſam eius interpretes in hoc loco illam pertractant, quamuis multi in comment. in Porphyr. in cap. de ſpecie, in quo loco inquit Porphy. ens eſſe vocem homonymam, eam agitent. Et quidem ens eſſe genus ad ſua inferiora, his argumentis poſſumus confirmare.

Primum eſt. Genus eſt, quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quæſtione, qua quærimus, quid res ſit, ſed ens dicitur de ſubſtantia, & de accidentibus, quæ ſpecie differunt in quæſtione, qua quærimus, quid res ſit, quia interroganti, quid ſit ſubſtantia, apte reſpond eſſe ens, & interroganti, quid ſit accidens, accommodate etiam reſpon eſſe ens, ergo ens erit genus. 1. *Argum.*

2. Hę attributiones, ſubſtantia eſt ens, quantitas eſt ens, qualitas eſt ens, & ſic de aliis accidentibus, ſunt alicuius attributi vniuerſi, cum attributum earum non ſit res ſingularis: ſed omne attributum vniuerſum vel eſt genus, vel ſpecies, vel differentia, vel proprium, vel commune accidens, cum ergo ens, quod eſt attributum in eis, non ſit proprium, vel commune accidens, quia non prædicatur ſecundum accidens, neque poſſit eſſe differentia, quia non eſſertur in quale: neque poſſit eſſe ſpecies, cum non dicatur proxime & immediate de indiuiduis, erit proculdubio genus. 2. *Argum.*

3. Si ens non eſſet genus, ex eo eſſet, quia prius prædicatur de ſubſtantia, quam de accidentibus, atqui hæc ratio eſt nullius ponderis, ergo ens erit genus. Confirmatur aſſumptio. Numerus eſt verum genus ad binarium, ternarium, & quaternarium: at numerus prius prædicatur de binario, quam de ternario, & de hoc, quam de quaternario: & enuntiatio eſt verum genus ad aientem & negantem, vt docent D. Thomas, Ammonius, Seuerinus, Boetius, Concilium Louanienſe, & Sueſſanus *in commentar. in cap. de oratione, lib.* 1. *de interpretat.* at enuntiatio prius dicitur de aiente, quam de negante, quia non dicitur de negante, niſi ea ratione, qua eſt priuatio aientis, ergo quamuis ens prius dicatur de ſubſtantia, quam de accidentibus, poterit nihilominus eſſe verum genus. 3. *Argum.*

4. *Argumentum.* Si ens non eſſet genus, eſſet ex eo, quia eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum, quod generi non poteſt conuenire, hæc enim eſt ratio propoſita ab Ariſt. 3. *Metaphyſ. cap.* 3. atqui hæc ratio nulla eſt, ergo ens poterit eſſe verum genus. *Confirmatur aſſumptio.* Inprimis genus poteſt includi in vltimis differentiis. Primo, quia ſubſtantia eſt genus ſupremum, quæ tamen eſt incluſa in cōceptu ſuarum vltimarum differentiarum, etenim cum vltimæ differentiæ ſubſtantiæ ſint entia, & non ſint accidentia, erunt ſubſtantiæ. Rurſus partes diffinitionis ſunt de conceptu rei diffinitæ, cum ergo genus ſit pars diffinitionis differentiarum, diffiniuntur enim differen- 4. *Argum.* 1. *Confirm.* 2. *Confirm.*

Digitized by Google

tiæ per genera, vt particeps rationis per animal (eſt enim animal, quod poteſt vti ratione) genus erit de conceptu differentiarum. *3. Confirm.* *Præterea* non includi in vltimis differentiis, non eſt de ratione generis, ergo includi in illis, non aufert ab aliquo naturam generis. Conſequentia eſt perſpicua, confirmatur antecedens. Nulla negatio eſt de ratione generis, ſed non includi in vltimis differentiis, eſt negatio, ergo non erit de ratione generis. *4. Confirm.* Tandem, quamuis libenter profiteremur, auferre ab aliquo naturam generis eſſe illud incluſum in vltimis differentiis, hinc tamen non colligitur, ens non eſſe genus, imo contrarium aperte colligitur, quia ens de nulla re prædicatur ſecundum eſſentiam, vt auctor eſt Ariſt. 2. *lib. de demonſtra. cap. 7.* ſed illud tantum poteſt eſſe incluſum in vltimis differentiis, quod prædicatur de eis ſecundum eſſentiam, ergo ens non erit incluſum in vltimis differentiis, & ex conſequenti poterit eſſe genus.

Prima opinio. Stoici, & Platonici (vt Arboreus & Montaneſius in cap. de ſpecie, teſtantur) in ea extiterunt opinione, vt arbitrarentur, ens eſſe verum & legitimum genus, ad ſubſtantiam, & ad accidentia. Anaxagoras vero ſaltem ad omnes ſubſtantias genus eſſe docebat.

2 Opinio. At non eſſe illud genus, fere omnes alii Philoſophi profitentur, maxime vero Peripatetici, ſequuti in hoc Ariſt. 3. *Metaphyſ. cap.* 3. Alexander, D. Tho. Auerroes *in comment. huius loci,* Porph. *in cap. de ſpecie, & in interrogat.* Dexippus, Simplicius, & Ammonius *in Antecategor.* vltimam diuiſionem explicantes, & idem Ammonius *in Porph. cap. de ſpecie,* Boet. *in hoc eod. cap. de ſpecie,* Auicenna 2. *Metaphyſ. cap.* 1. & omnes recentiores, Soto, Villalpan. Caieta. Tolet. Mercado, A vera cruce, vt innumeros alios prætermittam, in ſuis comment. vel in cap. de ſpecie, vel huius loci. Hanc igitur ſententiam tanquam veriorem amplectentes, his argum. eam confirmamus.

1. argum. *Primum* eſt petitum ex Ariſt. *in loco propoſito.* Nullum genus eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum, eo quod omnes differentiæ addunt gradum quendam diſtinctum à natura generis, ob quam rationem non poterit genus includi in vltimis differentiis: ſed ens eſt incluſum in vltimis differentiis, quia omnes illæ ſunt entia: ergo ens nulla ratione erit genus. *2. argum.* *Secundum argum. eſt Porphyr.* Omne genus eſt natura ſynonyma, ſed probatum eſt, ens non eſſe naturam ſynonymam, ergo ens non erit genus. *3. argum.* *Tertium eſt Ammonii in loco ſuperiori.* In generibus ſublata vna ſpecie, non aufertur altera, vt ſublato equo non aufertur leo: ſed in entibus ſublato vno ente aufertur alterum, vt ſublata ſubſtantia auferuntur accidentia ſecundum naturam: ergo ens non erit genus. *4. argum.* *Præterea.* Nullum genus prædicatur ſecundum prius & poſterius, vel ſecundum magis & minus de ſuis ſpeciebus, vt animal non prius vel magis dicitur de homine, quam de equo: ſed ens prius & magis dicitur de ſubſtantia, quam de accidentibus, ergo, &c. *Ad hæc.* Genera ſuprema ſunt primo diuerſa, ſed quæ primo differunt, non poſſunt obtinere naturam aliquam genericam ſupra ſe: ergo neque genera ſuprema poterunt illam obtinere: cum ergo ens ſit commune generibus ſupremis, non poterit illud eſſe genus.

Diluamus iam argumenta in initio propoſita. *Ad 1.* *Ad* 1. dicimus, in diffinitione generis ſub illo nomine, quod, intelligendam eſſe naturam ſynonymam, ita vt ſenſus ſit: Genus eſt natura vniuerſa ſynonyma, at enti nulla ratione conuenit eſſe naturam vniuerſam ſynonymam, vnde nec diffinitio generis vllo modo ei conueniet.

Ad 2. *Ad* 2. reſp. vniuerſum poſſe bifariam ſumi, primo in late patente quadam ſignificatione, ea ſcilicet ratione, qua eſt diuiſum contra ſingulare: ita vt illud omne vocemus vniuerſum, quod non eſt ſingulare, qua ratione complectitur omnes notiones vniuerſas, tam integras naturas, quam differentias, & modos internos earum, quo modo ſi ſumatur, non eſt natura ſynonyma, neque genus, ſed analogum, quia non tantum dicitur de his, in quibus conueniunt, verum etiam & de his, in quibus differunt notiones vniuerſæ. Secundo modo ſumitur in contractiori ſignificatione, in qua tantum ſignificat naturam integram & ſynonymam notionum vniuerſarum. Si vniuerſum vſurpetur primo modo, ens eſt vniuerſum, & hæ attributiones, ſubſtantia eſt ens, quantitas eſt ens, ſunt attributi vniuerſi, quia ens, quod eſt earum attributum, non eſt natura ſingularis. Si vero ſumatur illud in altera ſignificatione, ens non eſt vniuerſum, neque hæ attributiones ſunt attributi vniuerſi, quia non ſunt attributi ſynonymi, quare ens non continebitur ſub aliqua ex quinque vocibus prædicabilibus, & vniuerſis, eo quod vniuerſum, quod eſt diuiſum in has quinque voces, tantum eſt illud, quod ſignificat naturam integram & ſynonymam, diffinitur enim ab omnibus Dialecticis, natura omnino ſimplex, quæ de multis nata eſt ſynonyme prædicari.

Ad 3. *Ad* 3. reſpond. cum D. Thom. *in comment.*

in 1 lib.

Digitized by Google

in 1. lib. de interpretat. lect. 8. Species diuidentes aliquod genus, poſſe duobus modis ſumi, vel vt conferuntur inter ſe, vel vt comparantur cum genere. Si hoc poſteriori modo ſumantur, vna ſpecies non eſt prior altera, neque genus prius dicitur de vna, quam de alia, ſed omnes ſpecies ſunt ſimul natura, & ex æquo diuidunt idem genus, vt auctor eſt Ariſtoteles *in Poſtcateger.* in cap. in quo explicantur modi, quibus aliqua dicuntur ſimul. Si vero primo modo vſurpentur, vna ſpecies poterit eſſe altera prior, neque hoc aufert rationem ſynonymiæ à genere, ſed illud alterum ſcilicet, in habitudine ad naturam genericam, vnam ſpeciem prius obtinere naturam genericam, quam obtineat altera. Vnde ad primum exemplum propoſitum de numero reſpon. binarium non eſſe priorem ternario, vt duo hi numeri diuidunt numerum in communi, ſed eſſe priorem illo, ea ratione, qua inter ſe conferuntur. Ad ſecundum vero eodem modo reſpond. enuntiationem aientem eſſe priorem negante, vt duæ illæ diuidunt enuntiationem in communi, quæ eſt earum genus, ſed eſſe priorem ea ratione, qua inter ſe comparantur.

Ad 4. *Ad 4.* reſpond. rationem propoſitam in eo eſſe optimam, cum ſit tradita ab Ariſtotele in illo loco. Ad confutationes vero reſpond. ad
Ad 1. confir. primam, ſubſtantiam quæ eſt genus ſupremum, non includi in vltimis differentiis, ſed illam, quæ eſt diuiſa contra accidens, & quæ eſt
Ad 2. natura analoga. *Ad ſecundam* reſpon. differentias diffiniri per genera, tanquam per quædam addita, & extrinſeca, quemadmodum proprietates per ſua ſubiecta diffiniuntur: at quæ ita in diffinitionibus continentur, tanquam quædam addita, & extrinſeca, non ſunt de eſſentia rei diffinitæ, vt naſus, per quem ſimitas tanquam per quid additum & extrinſecum defi-
Ad 3. nitur, non eſt de eſſentia ſimitatis. *Ad tertiam* reſpondemus, non includi in vltimis differentiis, quamuis non ſit de eſſentia generis, eſſe tamen veluti quandam proprietatem ab illa dimanantem, ac proinde ſi aliqua natura extiterit, quæ ſit incluſa in vltimis differentiis, illa non erit generica, quia ita conſequitur non eſſe incluſum ad naturam genericam, vt ab illa remoueri nequaquam poſſit, ac proinde recte colligitur, tanquam ab effectu, & à poſteriori, ens non eſſe genus, quia eſt incluſum in vlti-
Ad vlt. mis differentiis. *Ad vltimam* reſpond. Ariſtotelem in illo loco loquutum eſſe de ente, quod ſignificat exiſtentiam, vel (vt dicunt) participialiter, nam ens ita ſumptum, in ſolo Deo poteſt eſſe de illius eſſentia: in ſolo ſiquidem ipſo eſſe & eſſentia ſunt vnum & idem, non eſt autem loquutus de ente, quod ſignificat eſſentiam, vel (vt dicunt) nominaliter, hoc enim ſecundum eſſentiam de rebus omnibus prædicatur, & eſt incluſum in vltimis differentiis.

QVÆSTIO VI.

An ens habeat vnum conceptum ab omnibus ſuis inferioribus præciſum.

SEquitur tandem in his quæſtionibus de analogia entis, vt perdifficilem & obſcuram ſatis de illius conceptu controuerſiam explicemus, num ſcilicet reperiatur in ente vnus aliquis conceptus præciſus, & ſeparatus à conceptibus ſuorum inferiorum, ita vt nullum gradum ſuorum inferiorum repræſentet, eo modo, quo conceptus generis eſt ſeparatus à conceptibus ſuarum ſpecierum, vel an includat neceſſario hic conceptus ea, quæ in ſuis inferioribus continentur. Et quidem conceptum entis eſſe præciſum, & re ipſa diſtinctum à conceptibus ſuorum inferiorum, his argumentis (haud infirmis) poſſumus confirmare.

Primum eſt. Conceptus, in quo aliqua conueniunt, re ipſa differt à conceptibus, in qui- *1. argum.*
bus illa diſtinguuntur: ſed ſubſtantia & accidentia conueniunt in conceptu entis, & diſtinguuntur propriis conceptibus: ergo conceptus entis re ipſa erit diſtinctus à conceptibus ſubſtantiæ & accidentium. Confirmatur propoſitio. Vnus & idem conceptus non poteſt eſſe id, in quo aliqua re ipſa conueniunt, & in quo differunt, ergo conceptus, in quo aliqua conueniunt, re ipſa diſtinguetur a conceptibus, in quibus illa differunt.

2. Conceptus, de quo intellectus eſt certus, *2. argum.*
re ipſa differt a conceptibus, de quibus eſt ille dubius, alioquin enim de vna & eadem re intellectus eſſet certus, & eſſet dubius: ſed intellectus eſt certus de aliqua re, quod ſit ens, eſtq; nihilominus dubius, ſitne illa ſubſtantia, vel accidens, quemadmodum certum eſt, lumen, & primas qualitates eſſe entia, dubitant tamen Philoſophi, ſintne illę ſubſtantia, vel accidentia: ergo conceptus entis erit re ipſa diſtinctus a conceptibus ſubſtantiæ & accidentium.

3. In hac enuntiatione vera, ens eſt analo- *3. argum.*
gum ad decem categorias, vel nomine entis ſumimus ſubſtantiam, vel accidentia, vel naturam aliquam inferiorem, vel tandem naturam aliquam communem & ſuperiorem auulſam à categoriis: ſed nõ poteſt illud ſumi pro

ſubſtantia, quia ſubſtantia non eſt diuiſa in decem categorias, neque pro accidentibus ob eandem rationem; quia illa non ſunt diuiſa in decem categorias, neque pro aliqua natura inferiori, cum nulla talis poſſit in eaſdem categorias diuidi. Sumetur igitur pro natura aliqua communi, & ſuperiori, & ita ens ſignificabit conceptum præciſum & ſuperiorem ad ſubſtantiam, & ad accidentia.

rgum. 4. Ens eſt prius natura ſubſtantia, ſed in illo priori obtinet conceptum aliquem obiectiuum, & rationem formalem: ergo in ente erit conceptus obiectiuus re ipſa differens à conceptu ſubſtantiæ, & idem argumentum effici poterit de eo, & de accidentibus. Aſſumptio eſt manifeſta. Confirmatur propoſitio. Prius eſt illud, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, ſed ab ente ad ſubſtantiam non valet ſubſiſtendi conſequentia. neque enim valet, ens eſt, ergo ſubſtantia eſt, cum poſſint dari entia ſine ſubſtantia, vt in Sacramento altaris ſunt accidentia ſine illa, ergo. Confirmatur hoc argumentum. Hæc attributio, homo eſt ens, eſt prior hac altera, homo eſt ſubſtantia, atqui in illo priori, quando audimus vocem ens, efformamus intra mentem conceptum illius, antequam quidquam de ſubſtantia concipiamus, & huic conceptui formali correſpondet à parte rei conceptus entis obiectiuus, ergo in ente erit conceptus natura prior, & præciſus à conceptu ſubſtantiæ.

gum. 5. Quando ita proferimus, ſubſtantia eſt ens per ſe, vel illa particula (per ſe) contrahit ſubſtantiam, vel accidentia, vel quidpiam aliud à ſubſtantia & ab accidentibus diſtinctum, ſed non poteſt contrahere ſubſtantiam, quia ad ipſam fit contractio, neque accidentia, eo quod illa non poſſunt contrahi ad ſubſtantiam, ergo contrahet naturam aliquam à ſubſtantia & ab accidentibus diſtinctam.

gum. 6. In hac attributione, ſubſtantia eſt ens vel attributum, ſumitur pro ſubſtantia, vel pro accidentibus, vel pro natura aliqua à ſubſtantia & ab accidentibus diſtincta: ſi ſumatur pro ſubſtantia, erit propoſitio identica, & reddet hunc ſenſum, ſubſtantia eſt ſubſtantia, ſi pro accidentibus, erit propoſitio falſa, quia falſum eſt, ſubſtantiam eſſe accidentia, ergo ſumetur pro natura aliqua, a ſubſtantia & accidentibus diſtincta.

rgum. *Præterea.* Quando conferimus ſubſtantiam cum accidentibus, dicimusque, ſubſtantiam eſſe nobiliorem inter omnia entia, vel nomine entis intelligimus ſubſtantiam, vel accidentia, vel proprias rationes illorum, vel aliquam naturam ab eis diſtinctam, non ſubſtantiam, quia in ea non conueniunt accidentia, comparatio enim quædam conuenientia eſt extremorum, neque accidentia, propter eandem rationem, quia in accidentibus nõ conueniunt ſubſtantia & accidens: neq; proprias rationes, cum in eis diſtinguantur, ergo intelligere debemus rationem aliquam entis a ſubſtantia, & ab accidentibus diſtinctam.

Rurſus. Conceptus formalis entis re ipſa differt a conceptu formali ſubſtantiæ & accidentium: ſed conceptus obiectiuus eſt illud, quod repræſentatur per conceptum formalem: ergo & conceptus obiectiuus entis re ipſa differt a conceptibus ſubſtantiæ, & accidentium. 8. argum.

Denique. Conceptus ſimplex, & qui non poteſt in alios conceptus diſſolui, diſtinctus eſt ſecundum rem, a conceptibus compoſitis, & qui in alios conceptus priores poſſunt reſolui: ſed conceptus entis eſt omnino ſimplex, & (vt dicunt) irreſolubilis in alios priores conceptus: at vero conceptus ſubſtantiæ vel accidentium ſunt compoſiti, quique in conceptum entis & proprios modos internos reſoluuntur: conceptus igitur entis præciſus erit, & diſtinctus à conceptibus ſubſtantiæ & accidentium. 9. & vlt. argum.

Cum hæc res de conceptu entis obſcura ſit, & velut in denſiſſima quadam caligine delitefcens, in illa explicãda varia fuerunt hominum doctiſſimorum iudicia, diuerſæq; Doctorum grauiſſimorum ſententiæ & opiniones.

Prima eſt Aureoli apud Capreolum *in 1. diſtinct. 2. quæſt. 1.* qui exiſtimat, ens neque formalem aliquem, neque obiectiuum conceptum habere ad ſua inferiora, ſed inquit, nomen entis nihil expreſſe denotare, ſed confuſe & implicite tantum ſignificare, quidquid eſt (ſubſtantiam nimirum & accidentia, Deum & creaturas) nam quemadmodum homo, verbi gratia, non denotat diſtincte Petrum vel Antonium, qui ſub illo continentur, ſed implicite, & confuſe: ita etiam ens neque ſubſtantiam, neque accidentia, neque creaturas ſignificabit expreſſe, ſed implicite, & confuſe, imo magis confuſe hæc ſignificabit, quam homo ſignificet Petrum & Paulum, quia eſt illud vniuerſalius homine, & quo aliqua fuerint vniuerſaliora, eo magis implicite & confuſe debent ſua inferiora ſignificare. Hanc eandem ſententiam refert Soncinas 4. *Metaphy quæſt. 3.* & eandem poſtea amplexus eſt Suelanus 4. *Metaph. q. 2.* 1. Opinio.

2. *Sententia* eſt, in ente dari vnum aliquem cõceptum omnibus ſuis inferio. communem, illum autem dicunt eſſe vnum, non quidem 2. Opinio.

Digitized by Google

vnitate vniuocationis, vel analogiæ, ſed quadam alia, quæ commode vnitas diſiunctionis poteſt nuncupari. Vnde conceptus entis erit hoc diſiunctum, ſubſtantia, vel accidens, ac proinde quando dicimus, ſubſtantia eſt ens, ſenſus erit, ſubſtantia eſt ſubſtantia, vel accidens: & quando dicimus, accidens eſt ens, ſenſus itidem erit, accidens eſt accidens, vel ſubſtantia. Hanc ſententiam ſequuti fuerunt viri quidam præſtantiſſimi, vt teſtatur Flandrenſis *4. Metaphyſ. quæſt. 2. artic. 6.* Legimus illam in Herueo, viro certe & ſubtiliſſimo, & in omni parte Philoſophiæ maxime verſato, *quodlib. 2. q. 7.* & in Soncinate Metaphyſicorum Coriphæo *4. Metaph. q. 3.*

3. Opinio. *3. Sententia* eſt, in ente dari aliquem vnum conceptum, omnibus ſuis inferioribus communem, præciſum, & re ipſa ſeparatum à conceptibus ſubſtantiæ, & accidentium, Dei, & creaturarum, ita vt huiuſmodi conceptus neque ſubſtantiam, neque accidentia, neque Deum, neque creaturas includat, aut vlla ratione repræſentet, eam eſt hic conceptus habere eſſe, in quo ſane nulla natura ex his, quæ ſub latiſſimo ambitu entis continentur, ſplendere videtur. Vnde quemadmodum natura genetica, vt animalis (verbi gratia) ſignificat conceptum aliquem præciſum, & ſeparatum ab homine & bruto, in quo neque natura hominis, neque natura bruti repræſentantur (eſt enim conceptus animalis ſubſtantia corporea, animata, ſentiens, in quo nihil proprium hominis vel bruti ſplendet) ita etiam ens ſignificabit conceptum aliquem ſeparatum à ſuis inferioribus, in quo nulla ratio propria ſuorum inferiorum ſplendebit. Hanc ſententiam amplectitur Scotus *in 1. diſtinct. 3. quæſt. 3. & diſt. 8. quæſt. 2. & in 2. diſtinct. 11. quæſt. 1. & 4. Metaphyſ. quæſt. 1.* Antonius Andreas *in eodem lib. 4. quæſt. 1.* Bonetus *1. lib. ſuæ Metaphyſic. cap. 6.* Lencherus interpres Scoti, & alii eius ſectatores. Imo hanc eandem multi Thomiſtæ eruditiſſimi ſequuti fuerunt, vt D. Antonius *1. lib. Metaphyſ. quæſt. 1. & lib. 4. quæſt. itidem 1.* vt teſtatur Flandrenſis *in eodem 4. lib. quæſt. 2. art. 5.* (nam hoc opus beatiſſimi Patris ad noſtras manus non deuenit, quod certe dolendum eſt, propter eruditionem, maximamque lucem, quam in rebus metaphyſicis nobis contuliſſet) Iauellus *4. Metaphyſic. quæſt. 1.* M. Sotus *in hoc cap. 4. quæſt. 1. concluſ. 2.* Deça *in 1. diſtinct. 3. quæſt. 1. notabili 2.* Mercado *cap. 1 antepradicamentorum*, & Cumel. *1. p. q. 13. art. 1. quæſt. 2. concluſ. 4.*

4. Opinio. *Quarta* tamen opinio, & quam veriorem eſſe indicamus, eſt, in ente dari aliquem conceptum communem omnibus ſuis inferioribus, qui vel poteſt eſſe perfectus, vel imperfectus: ſi fuerit imperfectus, erit præciſus & ſeparatus à conceptibus ſuorum inferiorum: ſi vero fuerit perfectus, nullo modo erit præciſus & ſeparatus, ſed ſua inferiora includet neceſſario, vt in concluſionibus latius explicabimus. Hæc ſententia placuit acutiſſimo Card. Caietan. *q. 1. de ente & eſſentia, & in opuſc. de nominum analogia, & in altero de hoc eodem genere argument. miſſo ad Ferra.* eidem Ferrar. *1. cont. gent. cap. 34.* Flandren. *4. Metaphyſ. q. 2. art. 5.* Capreolo *in 1. diſt. 2. q. 1. in ſolut. arg. contra 9. concl.* & multis aliis peritiſſimis recentioribus.

His igitur opinionibus recenſitis, vt quæſtionem hanc explicemus, eruot prius nonnulla iacienda fundamenta. 1. Fundam. *Primum*, duplicem eſſe conceptum, formalem vnum, & alterum obiectiuum. Formalis eſt ſimilitudo quædam ſecundum actum rei intellectæ à mente genita, quam communi nomine verbum mentis, vel logos internum nuncupamus, vt conceptus ille, quem intra mentem efformamus de homine, quando dicimus, illum eſſe animal particeps rationis, eſt conceptus formalis, quia eſt ſimilitudo quędam ſecundum actum ipſius hominis. Obiectiuus vero dicitur res ipſa per conceptum formalem repræſentata, vt idem homo repræſentatus per conceptum propoſitum animalis participis rationis, eſt conceptus obiectiuus. 2. Fundam. *Præterea.* Conceptus formalis quidam eſt adæquatus, & alius inadæquatus: adæquatus dicitur, qui rem totam repræſentat, inadæquatus vero, qui partem repræſentat, & partem repræſentandam omittit. *Ad hæc*, adæquatus quidam eſt ex parte rei repræſentatæ, & alius ex parte repræſentationis. Prior ille eſt, quando nihil continetur in re, quod non repræſentetur per conceptum, vt quando concipimus eclipſin Lunæ eſſe priuationem luminis in ipſa, quia nihil continet eclipſis Lunæ, quod hoc concepta non repræſentetur, ex parte vero repræſentationis ille dicitur adæquatus, qui & quidquid eſt in re, & cauſam illius clare & diſtincte repræſentat, à prima (vt dicunt) potentia vſque ad vltimum actum, ita vt nihil ſit in re repræſentabile, quod eo conceptu exacte non repræſentetur. Vt in eodem exemplo, quando concipimus eclipſin Lunæ eſſe priuationem luminis in ipſa, propter interpoſitionem terræ inter Solem & eam, eſt adæquatus ex parte repræſentationis, nam & repræſentat nobis, quid ſit eclipſis, & cauſam, vnde illa proueniat.

Fundam. Illud etiam addendum erit, abſtractionem nihil aliud eſſe, quam ſeparationem vnius ab altero, quæ duplex eſt, vna formalis, & altera totalis. Formalis dicitur ea, qua forma à materia ſeparatur, vt conceptio mentis, qua intelligimus quantitatem ſine ſubiecto, vt ſine ære (v.g.) aut ligno, eſt abſtractio formalis, nam ſeparamus formam, nimirum quantitatem à materia. Totalis vero vocatur illa, quando ſeparamus totum à ſuis partibus, vt ſeparatio illa, qua mente apprehendimus hominem ſine Petro & Antonino, dicitur abſtractio totalis, ſeparamus ſiquidem illud, quod eſt totum, à ſuis partibus ſubiectiuis.

Fundam. *Rurſus* adnotandum erit, ens ſumi poſſe vel vt eſt totum quoddam vniuerſum, ſub ſe continens tanquam inferiora immediata, ſubſtantiam, & accidentia, Deum, & creaturas, vel vt eſt actus quidam, & forma rerum omnium, cuius ope omnes naturæ ſunt à parte rei actu in ſeipſis conſiſtentes. Cum igitur hæ duæ rationes in ente reperiantur, poterit illud à ſuis inferioribus, & formali, & totali abſtractione ſeparari, formali, vt eſt forma & actus rerum omnium, totali vero, vt eſt totum quoddam vniuerſum. Hæc igitur ſint breuiter pro explicatione quæſtionis animaduerſa, multo plura de his, & de conceptu entis peti poterunt ex 1. *lib. Tranſcendent. a cap. 29. vſque ad cap. 35. & vlt.* in quibus capitibus abunde ſatis de hac re ſermonem habuimus, quæ omnia ad breuem quandam ſummam redigentes, his concluſionibus explicabimus.

1. Concl. 1. *Concluſio* In ente datur aliquis conceptus obiectiuus communis ad omnia ſua inferiora, qui expreſſe, clare, & diſtincte naturam aliquã repræſentet. Duo dicimus, primum in ente dari conceptum aliquem obiectiuum: ſecundum, illum diſtincte aliquid repræſentare. Primum ita confirmatur. Obiectum alicuius ſcientiæ habere debet communem aliquem conceptum & rationem ad ſua inferiora, ſed ens eſt obiectum primæ Philoſophiæ, ergo habebit vnum aliquem conceptum & rationem ad ſua inferiora communem. Aſſumptio eſt Ariſt. 4. *Metaphyſ. cap.* 1. Confirmatur propoſitio. Illud, quod diffinitur, eſt vnum, debetque habere vnam rationem communem: quia diffinitio eſt vna oratio, vt profitetur Ariſtot. 1. *de interpretat. cap.* 4. & 8. *Metaphyſic. cap.* 6. ac proinde vnam naturam ſignificabit. ſed obiectum in quauis ſcientia eſt illud, quod diffinitur, de illo ſiquidem præcepit Ariſt. 1. *lib. de demonſtrat. cap.* 1. eſſe prænoſcendum ante demonſtrationem quid ſit: ergo in qualibet ſcientia ſubiectum illius erit vnum, vnamque rationem ad ſua inferiora obtinebit.

1 p. conclu. oſtenditur. 1. Argum.

Iam Ariſt. 4. *Metaphyſ. cap.* 2. inquit, enti, vt eſt ens, nonnullas proprietates conuenire, rogo, quid nomine entis intelligat Ariſtot. num ſubſtantiam, vel accidentia, vel communem aliquam iis entibus rationem, atq; conceptum? Subſtantiam intelligere non poteſt, nam hæ proprietates (quæ ſunt ex ſimplicibus vnum, verum, bonum, & ex coniunctis vniuerſum & ſingulare, totum & partes, &c.) etiam in accidentibus reperiuntur Neque poteſt accidentia intelligere propter eandem rationem, quia hæ proprietates in ſubſtantiis etiam reperiuntur, quare nomine entis intelliget rationem aliquam communem ad ſua inferiora *2. Argum.*

Secundam partem aſſertionis, hunc ſcilicet conceptum aliquid clare & aperte repræſentare, ita demonſtramus. Cuilibet conceptui formali correſpondere debet aliquis obiectiuus, qui diſtincte naturam aliquam repræſentet, eſt enim formalis ſimilitudo quædam expreſſa obiectiui, ſed de ente conceptum aliquem formalem intra mentem effingimus, nam concipimus, ens eſſe illud quod habet eſſe; ergo huic conceptui aliquis conceptus obiectiuus correſpondebit, ſcilicet eſſe, qui profecto clare & expreſſe naturam entis repræſentat. quare ruet Aureoli & Sueſſani opinio, non dari in ente talem conceptum clarum & diſtinctum. *2. Opinio.*

2. *Concluſio.* Hic conceptus non eſt vnus vnitate diſiunctionis, vt Herueus & Soncinas conſtituebant. Confirmatur his argumentis. *Primum.* Oratio, quæ exprimit conceptum aliquem diſiunctum, non magis vnum, quam alterum ſignificat, vt hæc oratio, Thomas vel orat, vel legit, quæ ſignificat conceptum diſiunctum, neque magis, neque prius vnam partem, quam alteram ſignificat: ſed ens magis & prius ſignificat ſubſtantiam, quam accidentia, ergo conceptus illius non erit vnus vnitate diſiunctionis. *Secundum.* Si ens ſignificaret huiuſmodi conceptum diſiunctum, ſubſtantiam, vel quantitatem, vel alia genera ſuprema accidentium, fieret, vt illud non prædicaretur de vltimis differentiis, quia ſubſtantiæ, & alia genera ſuprema non prædicantur de ipſis, at hoc repugnat Ariſtot. 3. *Metaphyſ. cap.* 3. docenti, ens dici de vltimis differentiis, non igitur ens ſignificabit conceptum aliquem diſiunctum. *Iterum.* Conceptus entis eſt omnium ſimpliciſſimus, &, vt dicunt, irreſolubilis, qui nequit in alios priores conceptus diſſolui, ſed ſi eſſet diſiunctus, non eſſet ſimpliciſſimus, nam comprehenderet duos conceptus, ſubſtantiæ nimirum,

2. Concl. *1. argum.* *2. argum.* *3. argum.*

Digitized by Google

rum,& accidentium, quorum quilibet diſſolui poteſt in conceptum entis, & proprii modi, ergo non erit ille diſiunctus. *Et tandem*, ſi conceptus entis eſſet diſiunctus, quando ita dicimus, ſubſtantia eſt ens, perinde eſt, ac ſi diceremus, ſubſtantia eſt ſubſtantia, vel accidens: ſed prima propoſitio eſt identica, ſecunda vero eſt falſa, ergo conceptus entis non erit diſiunctus.

argum.

Concl. 3. *Concluſio.* Si agamus de conceptu entis imperfecto, & inadæquato, de illo ſcilicet, quod non repræſentat totum, quod eſt in re repræſentabile, in illo datur conceptus aliquis formalis præciſus & diſtinctus re ipſa à conceptu ſubſtantiæ, & accidentium, Dei,& creaturarum. Hanc his argumentis confirmamus. *Primum.* Intellectus poteſt concipere, ens eſſe id, quod eſt, nihil cogitans, ſitne id, quod eſt, vel ſubſtantia, vel accidens, vel Deus, vel creaturæ, ſed hic eſt conceptus formalis entis re ipſa diſtinctus à conceptibus formalibus ſuorum inferiorum, ergo in ente dabitur huiuſmodi conceptus. *Secundum* De his, quæ ſola ratione differunt, poteſt intellectus efformare conceptus formales re ipſa diſtinctos: ſed ens ſola ratione differt à Deo, & a creaturis, a ſubſtantia, & ab accidentibus, vt eſt perſpicuum, ergo poterit intellectus efformare conceptum formalem entis diſtinctum a conceptu ſubſtantiæ, & accidentium, Dei, & creaturarum. Confirmatur propoſitio inductione quadam adhibita, de homine diuerſa ratione ſumpto, efformamus conceptum Logicum, Phyſicum, & Metaphyſicum. Logicum ea ratione, qua eſt ſubiectum, vel ſpecies. Phyſicum, vt conſtat materia & forma, & habet in ſe um principium motus: Metaphyſicum vero, vt eſt animal particeps rationis. Deinde de ente, vno, vero, & bono efformamus conceptus re ipſa diuerſos: nam de ente efformamus illud eſſe, id quod habet eſſe, de vno eſſe id, quod eſt indiuiſum in ſe: de vero eſſe illud, quod eſt adæquatum intellectui, & de bono eſſe illud, quod eſt appetibile Ergo de his, quæ ſola ratione differunt, poterit intellectus efformare conceptus re ipſa diuerſos. *Tertium.* Poteſt aliquis eſſe certus de aliquo, eſſe illud ens, & dubius, ſitne ſubſtantia, vel accidẽs, & habere ſcientiam de eodem, illud eſſe ens, & opinionem, ſitne ſubſtantia, vel accidens, vt de lumine, & de primis qualitatibus omnes Philoſophi certo ſciunt, eſſe entia, dubitant tamẽ, ſintne ſubſtantiæ, vel accidentia: ſed conceptus formalis ſcientificus re ipſa differt a conceptu dubio & opinabili, ergo conceptus formalis entis re ipſa differt a conceptu formali ſubſtantiæ & accidentium. *Quartum.* Ab omnibus ſimilibus poteſt abſtrahi conceptus aliquis formalis re ipſa diſtinctus, quia omnia ſimilia poſſunt per eandem imaginem repræſentari, ſed ſubſtantiæ, & accidentia, Deus, & creaturæ aſſimilantur in ente, ergo poterunt per eundem conceptum formalem, qui ſit præciſus, & re ipſa diſtinctus, repræſentari. *Et tandem* confirmatur ex D. Tho. qui *q.* 1. *de verit. art* 1. aperte inquit, in ente dari vnum aliquem & ſimpliciſſimum conceptum omnibus ſuis inferioribus communem, in quem tandem omnes naturæ diſſoluantur.

argum.

argum.

argum.

4. argum.

4. Concl. 4. *Concluſio.* In ente non datur conceptus aliquis formalis perfectus & adæquatus, qui ſit præciſus, & re ipſa diſtinctus a conceptibus ſuorum inferiorum; ſed conceptus illius perfectus, debet neceſſario includere ſubſtantiam, & accidentia, ea ratione, qua retinent in ente ſimilitudinem. Hanc profitemur cum Caietano & Ferrarienſi, in locis iam ſupra notatis, quam antequam efficacibus argumentis demonſtremus, æquum eſt, vt prius illam explicemus.

Obſer. Quod vt præſtemus, ſciendum eſt, eſſe latum diſcrimen inter ſynonyma & analoga, quia in ſynonymis nullus gradus naturæ reperitur in vno ex inferioribus, qui in alio etiam non reperiatur, quemadmodum nullus gradus animalis reperitur in homine, qui non reperiatur in bruto: at vero in analogis aliquis gradus naturæ in vno ex inferio. reperitur, qui in alio reperiri nullo modo poteſt: vt in vrina reperitur aliquis gradus ſanitatis, qui non reperitur in medicamentis, eſt enim vrina vt ſana, ſignum ſanitatis animalis, medicamenta vero ſunt cauſæ eiuſdem. Vnde cum ens ſignificet naturam quandam analogam, aliquis gradus entis reperietur in ſubſtantia, qui non reperitur in accidentibus, nam eſſe per ſe eſt gradus entis, qui reperitur in ſubſtantia, & non in accidentibus: & eſſe in alio, eſt etiam gradus quidam entis, qui reperitur in accidentibus, & non in ſubſtantia. Ex his aſſertionem ita explicamus. Cum conceptus formalis entis communis ſubſtantiæ, & accidentibus tantum repræſentet ea, in quibus hæc duo conueniunt, non autem ea, in quibus hæc eadem differunt, non poterit eſſe perfectus, ſed imperfectus: quia conceptus, qui non repræſentat totam entitatem ſuorum inferiorum, non poteſt nuncupari perfectus.

1. argum. Concluſionem propoſitam modo expoſito declaratam his argumentis confirmamus. *Primum.* Si ens ſignificaret conceptum aliquem

vnum, & præciſum ſecundum rem à ſuis inferioribus, fieret, vt neq; categoriæ eſſent primo diuerſæ, neque ſeipſis differrent, quia quæ in aliquo communi conueniunt ſecundum rem diſtincto, neque primo differunt, neque ſeipſis diſtinguuntur, quod tamen repugnat Ariſtot. 10 *lib. Metaphyſic. cap.* 11. & 5. *Metaphyſ. cap.* 9. conſtituenti categorias & primo differre, & ſeipſis diſtingui. Sequeretur etiam, ens non ſignificare categorias immediate, ſed mediante huiuſmodi conceptu, quod etiam eſt contra eundem Ariſtot. 8. *Metaphyſ. cap.* 6. docentem, ens immediate ſignificare categorias, ergo conceptus entis non erit præciſus ſecundum rem a conceptibus ſubſtantiæ & accidentium. 2. *Argum.* Animal ex eo ſignificat naturam aliquam præciſam ab homine & bruto, quia non eſt incluſum in vltimis differentiis hominis & brutorum, ſed ens eſt incluſum in omnibus differentiis & modis internis, Dei & creaturarum, ſubſtantiæ & accidentium, ergo, &c. non ſignificabit huiuſmodi conceptum. 3. Per eandem rationem, per quam ſubſtantia eſt ſubſtantia, per eandem eſt ens, quia cum per illam ſit aliquid, & non ſit nihil, erit ens, & idem iudicium eſt de accidentibus, ergo ens immediate, & ſine vllo conceptu præciſo ſignificabit ſubſtantiam, & accidentia. Confirmatur argumētum. Proprietates entis ſine vllo medio prædicantur de decem categoriis, ſubſtantia enim immediate eſt vna, vera, bona: ergo & ens quoque immediate de eiſdem prædicabitur. *Præterea.* Si ens ſignificaret aliquem conceptum præciſum, & diſtinctum a conceptibus Dei & creaturarum, ſequeretur, Deum non eſſe ſimpliciſſimum, hoc autem eſt omnino abſurdum, ergo Confirmatur propoſitio. Si ens ſignificaret conceptum præciſum, Deus igitur componeretur ex eo, & ex proprio conceptu: quare poſſet reſolui in hos duos conceptus, ſed illud, quod componitur ex diuerſis conceptibus, & reſoluitur in eos, non eſt quippiam ſimpliciſſimum, ergo Deus non eſſet ſimpliciſſimus. *Ad hæc.* Ariſt. 3. *Metaph. cap.* 3. inquit, in his, quæ prædicantur per prius & poſterius, nihil reperiri præter ea, de quibus prædicantur, ſed ens dicitur per prius & poſterius de Deo & de creaturis, de ſubſtantia, & de accidentibus, prius enim dicitur de Deo, & de ſubſtantia, quam de creaturis, & de accidentibus, ergo præter ſubſtantiam & accidentia non ſignificabit aliquid præciſum. *Rurſus.* Si conceptus entis perfectus eſſet præciſus a conceptibus ſubſtantiæ & accidentium, ſequeretur, vt nihil collocaretur in diffinitione accidentis, ea ratione, qua eſt ens, quod non collocaretur in diffinitione ſubſtantiæ: quia quod competit accidenti, vt ens eſt (ſi illud habuerit vnum aliquem cōceptum præciſum) debet quoque conuenire ſubſtantiæ, atqui hoc eſt omnino falſum, quia in diffinitione accidentis, vt ens eſt, continetur ſubſtantia, vt auctor eſt Ariſtot. 7. *Metaph. cap.* 1. in diffinitione vero ſubſtantiæ, vt ens eſt, nō continetur ſubſtantia, ergo, &c. *Porro.* Si ens obtineret conceptum aliquem præciſum, ergo ens eſſet ſynonymum: hoc autem repugnat iis, quę diffuſe ſatis in ſuperioribus aduerſus Scotum docuimus: ergo non obtinebit illud conceptū aliquem adæquatum & præciſum. Confirmatur propoſitio. Illa natura eſt ſynonyma, quæ dicitur de ſuis inferioribus eodem nomine, & eadem ratione (vbi nomine rationis intelligere debemus conceptum formalem, quemadmodum Græci, Simplicius & Ammonius in commentariis illius loci interpretantur) ſed nomē entis eſt commune, præterea conceptus formalis eſt etiam communis. ergo erit illud ſynonymum. Quod ſi quis dicat, plura alia requiri ad ſynonymiam, vt ſcilicet conceptus ex æquo participetur a ſuis inferioribus, quod enti nequit conuenire: aduerſus hanc ſolutionem ita argumentor. Duo hæc, habere conceptum communem, & præciſum, & naturam ex æquo participatam eſſe a ſuis inferioribus, ſe mutuo conſequuntur, ita vt ſi conceptus fuerit communis, & præciſus, eadem prorſus ratione vtrumque repræſentet, & ex æquo de ſuis inferioribus enuntietur, & econuerſo: neque poterit aſſignari natura aliqua, quæ obtineat cōceptum communem & præciſum, quæ nō participetur ex æquo a ſuis inferioribus, & ſynonyme: ergo ſi natura entis ſit huiuſmodi, erit illa ſynonyma. Hactenus de formali conceptu, agamus iam de obiectiuo. 7. *argum.* *Solutio.* *Solutio.* *Confut.*

5. *Concluſio.* In ente non datur conceptus aliquis obiectiuus, perfectus, & adæquatus, qui ſit præciſus, & re ipſa ſeparatus a conceptibus ſuorum inferiorum: bene tamen datur in illo conceptus obiectiuus imperfectus, & inadæquatus, præciſus, & ſeparatus a conceptibus eorundem. Vtramque partem huius aſſertionis inprimis hoc argumento demonſtramus. Idem iudicium ferendum eſt de conceptu obiectiuo, quod de conceptu formali, cum obiectiuus ſit illud idem, quod repræſentatur per conceptum formalem: ſed conceptus formalis entis imperfectus, & inadæquatus, eſt præciſus a conceptibus ſuorum inferiorum, perfectus vero non eſt præciſus: ergo cōceptus obiectiuus imperfectus, & inadæqua- 5. *Concl.* *Confirm. vtraque.*

tus,

tis, erit præciſus à conceptibus ſuorum inferiorum, perfectus vero, & adæquatus non erit præciſus.

Sigillatim tamen confirmemus non eſſe conceptum adæquatum & perfectum præciſum, & diſtinctum reipſa à conceptu ſubſtantiæ, & accidentium, quia ſi eſſet præciſus fieret inde ſubſtantiam (v. g.) cõſideratam iuxta propriam naturam, vt diſtinguitur ab accidentibus, non eſſe ens, quod certe admittere eſt abſurdum: nam ita heret, illam neq; eſſe vnam, neq; veram, neque bonam, quæ ſunt proprietates entis, quod vero ſequatur ita confirmo. Ex eo homo iuxta attributum vltimæ differentiæ (quod eſt rationis particeps, ratione cuius ſeparatur a brutis animalibus) non includit animal, quia animal denotat conceptum adæquatum, & perfectum reipſa præciſum à conceptu hominis, ergo ſi ens ſignificaret conceptum aliquem perfectum, & adæquatum præciſum reipſa à conceptu ſubſtantiæ, & accidentium, ſubſtantia in propria ratione conſiderata non eſſet ens.

Præterea conceptum inadæquatum, & imperfectum eſſe præciſum, notius eſt quam vt aliqua argumentorum efficacia egeat confirmari, nam conceptus obiectiuus entis eſt id quod habet eſſe in communi, at ſic habere eſſe præciſum eſt ab eſſe per ſe, & eſſe in alio, qui ſunt duo modi eſſendi ſuorum inferiorum, neque in eo quod eſt habere eſſe in communi includitur habere eſſe per ſe, vel habere eſſe in alio.

Ex his igitur colligendum erit cõceptum entis imperfectum qui eſt habere eſſe in communi, eſſe ſeparatum & diſtinctum à conceptu ſubſtantiæ, & accidentium, neque in illo eſſe incluſas proprias rationes horum inferiorum: conceptum vero perfectum, & adæquatum eſſe, habere eſſe per ſe, & habere eſſe in alio, vel eo modo ſe habere ad ſubſtantiam ad eſſe per ſe, quo ſe habet accidens ad eſſe in alio. Vnde quemadmodum conceptus pedis qui eſt analogus ad pedem montis, & animalis, non ſignificat naturam aliquam præciſam, & reipſa diſtinctam, à pede montis, & animalis, ſed ſignificat vtrumq; pedem, vt ſic ſe habentem ad ferendum pondus proprii corporis, quo ſe habet alius pes ad ferendum pondus alterius corporis ita etiam conceptus entis perfectus, & adæquatus non ſignificabit naturam aliquam reipſa diſtinctam a conceptibus ſubſtantiæ, & accidentium, ſed denotabit conceptum vtriuſque vt ſic ſe habentem ſubſtantiam ad ſuum eſſe quo accidens ad ſuum quoq; ſeſe habet.

Sequitur tandem vt diſſoluamus argumenta propoſita in principio. Ad 1. reſpon. propoſitionem eſſe veram in naturis ſynonymis, non autem in analogia tranſcendentibus, eo quod naturæ ſynonymę non includuntur in differentiis, quibus inter ſeſe naturæ ſpecificæ ſeparantur. Cæterum analoga tranſcendentia incluſa ſunt in vltimis differentiis, & modis internis, & ob hanc rationem in ſynonymis illud in quo inferiora conueniunt, diuerſum erit ab his in quibus differunt, in analogis vero tranſcendentibus nequaquam.

Ad 2. dicimus ſat eſſe vt illi conceptus ratione differant, ad hoc vt poſſimus de vna, & eadem re diuerſa ratione obtinere certitudinem, & dubitationem, & ita dubitamus interdum de eadem re, ſitne illa ſubſtantia, vel accidens, cum tamen certo ſciamus illam eſſe ens. *Ad 2.*

Ad 3. libenter fatemur ens, quod eſt diuiſum in decem categorias, neq; eſſe ſubſtantiam, neque tantum accidens, ſed eſſe quippiam eis commune, hinc tamen non colligitur illud eſſe præciſum ſecundum rem à ſubſtantia, & ab accidentibus, ſed ſecundum ſolam rationem: etenim ad id, vt aliquid alicui conueniat quod alteri (quod eſt idem cum eo ſecundum rem) nullo modo competit, ſufficit illa ſola ratione inter ſe diſtingui: quemadmodum album, & albedo, vnam, & eandem formam ſignificant, verum quia illa inter ſe differunt ſecundum rationem concreti, & abſtracti, aliquid effertur de albo, quod non effertur de albedine, dicimus enim album legere, vel orare, quod non dicimus de albedine. Eadem prorſus ratione quamuis ens, & ſubſtantia, ens, & accidentia, ſint vnum & idem, tamen quia ratione differunt, dicimus ens eſſe diuiſum in decem Categorias, ſubſtantiam tamen, vel accidentia in illas diuidi non dicimus. *Ad 3.*

Ad 4. admittimus ens eſſe prius natura ſubſtantia, vt oſtendit argumentum, obtinereque in illo priori conceptum aliquem præciſum ratione ab ea: dicimus tamen non eſſe illum perfectum, & adæquatum, ſed inadæquatum. Eademque prorſus ratione ſatisfacimus confirmationi, dicimus enim hanc attributionem, homo eſt ens, eſſe priorem hac altera, homo eſt ſubſtantia, in illoque priori ens obtinere conceptum aliquem diſtinctum à ſubſtantia, imperfectum nihilominus, & inadæquatum, hunc tamen non negamus in ente, ſed alterum, qui eſt perfectus, & adæquatus. *Ad 4.*

Ad 5. dicimus particulam illam per ſe non contrahere ſubſtantiam, neque accidentia, ſed ens quod eſt illis commune ſecundum analogiam: verum quando deinde colligimus, ergo iam ens obtinet conceptum aliquem auulſum *Ad 5.*

reipſa, negamus conſequentiam: quia ad hanc contractionem ſufficit, illud ratione differre à ſubſtantia, & ab accid.

Ad 6. Ad 6. reſp. in illa attribu. ens neque ſumi pro ſubſtantia, neque pro accidentibus, ſed pro natura quadam communi ad hæc duo, & diſtincta, non ſecundum rem, ſed ſecundum ſolam rationem.

Ad 7. Ad 7. eadem prorſus ratione ſatisfacimus, ſubſtantiam ſcilicet, & accidentia conferri in ente exprimente naturam ipſis communem, quæ non differt, neque eſt auulſa ab eis ſecundum rem. ſed ſecundum ſolam rationem.

Ad 8. Ad 8. dicimus conceptum formalem entis imperfectum reipſa diſtingui à conceptibus formalibus ſubſtantiæ, & accidentium: perfectum autem non differre reipſa, cum ille nihil aliud ſit, quam conceptus ſubſtantiæ, & accidentium, vt aſſimilantur in eſſe: Obiectiuus vero neque perfectus, neq; imperfectus, eſt auulſus ſecundum rem a ſubſtantia, & ab accidentibus. Ratio autem eſt, quia cum conceptus formales ſint actiones quædam intellectus, quæ non prædicantur ſecundum eſſentiam neque de ſe inuicem, neq; de rebus repræſentatis, poterit vnus conceptus formalis ab altero diſtingui, quemadmodum vna actio intellectus diſtinguitur ab altera: verum cum conceptus obiectiuus tam perfectus, quam imperfectus ſit intimus, & de eſſentia rerum omnium, nulla ratione poterit ſecundum rem diſtingui à conceptibus harum rerum. Vnde ex eo quod conceptus obiectiuus eſt ille qui repręſentatur per conceptum formalem, ſolum ſequitur eſſe duplicem conceptum obiectiuum, vnum perfectum, & alterum imperfectum: quemadmodum eſt duplex conceptus formalis, vnus perfectus, & alius imperfectus: non tamen ſequitur vt quemadmodum conceptus formalis imperfectus differt ſecundum rem à conceptibus ſubſtantiæ & accidentium: ita quoque & obiectiuus imperfectus, ſit etiam ſecundum rem diſtinctus à conceptibus obiectiuis eorundem.

Ad vlt. Ad vltimum reſpon. falſam eſſe propoſitionem, quia conceptus vltimę, & atomæ differentiæ, eſt etiam ſimpliciſſimus, qui tamen non differt neque eſt auulſus ſecundum rem à conceptu ſpeciei quam componit: vt neque differentia ſecundum rem differt, neque eſt auulſa ab eadem natura ſpecifica Vnde quamuis conceptus entis ſit ſimpliciſſimus, alii vero ſint compoſiti, non hinc fiet conceptum entis eſſe diſtinctum, & auulſum ſecundum rem à conceptibus rerum aliarum, cum ſit de intima & eſſentiali ratione Dei & creaturarum, ſubſtantiæ, & accidentium.

ANIMADVERSIO.

MVlti de eſſentia, & exiſtentia, & de proprietatibus entis vno, vero, bono, in hoc loco diſſerunt: meo tamen iudicio extra inſtitutum, ac proinde illorum omnium tractatio conſulto fuit à nobis prætermiſſa. Si quis autem ſciendi cupidus horum omnium cognitionem habere cupit, legat noſtram Metaphyſicam diſputationem de ente, & de eius proprietatibus, aut de Tranſcendentibus æditam, in qua in ſecundo libro de eſſentia, & exiſtentia, & in reliquis de vno, vero, & bono, luculenter ſatis & abunde diſſeruimus.

SECTIO II. DE NVMERO ET DISTINctione Categoriarum, ac de his quæ in illis continentur.

ARGVMENTVM.

ABſoluta priori parte diſputationis, in qua de homonymia, ſynonymia, analogia, & conceptu entis diſſeruimus: ſequitur vt ad ſecundam explicandam deueniamus, in qua de numero, & diſtinctione categoriarum, & de his quæ in illis continentur, erit inſtituenda diſputatio. Sit igitur prima quæſtio de numero categoriarum.

QVÆSTIO I.

Sintne tantum decem categoriæ entium rei.

GRæci interpretes Porphyr. in interrogatio. Dexippus in quæſt. in vltim. cap. Antecategor. Simplicius, & Ammonius in comment. referunt veteres Philoſophos qui poſt Ariſtot.

Digitized by Google

philoſophati fuerunt, varia argumentorum genera aduerſus numerum denarium categoria. ab Ariſt. traditum propoſuiſſe, quæ erunt in hoc loco à nobis diſſoluenda, vt ſententia Ariſt. veritati maxime innixa, luce clarior omnibus appareat. Primo igitur proponemus argum. quæ minorem eſſe numerum categor. confirmare videntur, deinde vero alia trademus quibus plures quam decē eſſe categorias poteſt ſuaderi.

Ad argu. 1. Claſſis.

Sit igitur primum primæ claſſis argumentum. Omnes categoriæ poſſunt reuocari ad vnam categoriam entis, non igitur erunt illæ plures conſtituendæ: confirmatur conſequentia, quia fruſtra fiunt per plura quæ fieri poſſunt per pauciora, & æque bene. Si igitur omnia rerum genera poſſunt ſub vna categoria entis includi (vt reuera poſſunt) fruſtra erunt plures categoriæ conſtituendæ.

2. Argum.

2. Numerus categoriarum peti debet ex diuerſis modis eſſendi, ſed tantum ſunt duo modi eſſendi, nimirum per ſe, & in alio, ergo tantum erunt duæ categoriæ, vna ſubſtantiæ quæ exiſtit per ſe, & alia accidentis quod eſt in alio tanquam in ſubiecto.

3. Argum.

3. Numerus categoriarum peti debet ex diuerſis & variis modis prædicandi, ſed hi tantum ſunt duo, in quid ſcilicet, & in quale: ergo tantum erunt duæ categoriæ in quid vna, & hæc eſt ſubſtantia: & in quale alia, vt categoriæ accidentis.

4. Argum.

4. Tot ſunt categoriæ, vel prædicamenta, quot ſunt prædicabilia, ſed tantum ſunt quinque voces prædicabiles, ergo tantum erunt quinque prædicamenta.

5. Argum.

Demum. Diuerſæ categoriæ non poſſunt habere ſupra ſe naturam aliquam ſynonymam, ſed homonymam, vel analogam, ſed actio & paſſio habent ſupra ſe naturam motus communem, & ſynonymam, ergo actio & paſſio non conſtituent duas categorias, ſed ſat erit conſtituere vnam categoriam motus, quo conſtituto minor erit numerus categoriarum. Confirmatur hoc argumento, Actio & paſſio nihil aliud ſunt quam motus ex Ariſt. 3. *Phyſic. c. 3.* ſed motus non conſtituit determinatam categoriam, ſed reuocatur ad categoriam ſui termini, vt motus ad quantitatem, qui eſt accretio, reuocatur ad quantitatem, & motus ad qualitatem (vt calefacio) ad qualitatem, ergo actio & paſſio non conſtituent peculiares categorias.

1. Argum. 2. Claſſis.

Argumenta ſecundæ claſſis ad confirm. eſſe multo plures quam decem categorias, ſunt hæc. Primum. Vbi, & Quando, ſunt diuerſæ categoriæ à quantitate, quia quantitas eſt interna menſura, hæ vero ſunt externæ, ſed etiam linea eſt externa menſura, vt vlna, v. g. qua metimus longitudinem panni: datur etiam numerus extrinſecus, vt calculi quibus aliquid numeramus, ergo dabuntur duæ aliæ categoriæ, vna quæ conſtituat lineas extrinſecas, & alia numeros extrinſecos.

2. Argum.

2. Categoria habendi (vt eſt habere veſtem) ſignificat aliquid medium, inter veſtem & habentem illam, vt motus eſt aliquid medium inter agens & patiens: ſed motus conſtituit duas categorias vnam actionis, & alteram paſſionis, vt fluit ab agente, & recipitur in paſſo, ergo habitus duas categorias conſtituet, vnam veſtium, quibus aliquis induitur, & alteram hominis ſeipſum veſtibus induentis, ac proinde erunt duæ categoriæ habendi.

3. Vlt. argu.

Præterea, habere veſtem conſtituit nouam categoriam ab aliis diſtinctam, & à categoria ſubſtantiæ, in qua veſtis continetur, ergo habere quantitatem (vt magnitudinem) & qualitatem (vt candorem) conſtituet nouam categoriam, à qualitate & quantitate diſtinctam, quia nō eſt maior ratio, quare habere veſtem conſtituat nouam categoriam ab ea in qua veſtis continetur diſtinctam, & habere quantitatem, vel qualitatem, non conſtituat nouam categoriam à quantitate, & qualitate diſtinctam, quare multo plures quam decem erunt categoriæ. Alia leuiora argumenta aduerſus numerum categoriarum prætermittimus, quæ his ſolutis facile quoque poterunt diſſolui.

Referuntur diuerſa de numero categoria. ſententi.

Variæ extiterunt olim veterum Philoſophorum de numero categoriarum ſententiæ & opiniones, quidam enim tantum conſtituebant vnam categoriam entis, vt Plato, referente Ariſt. *3. lib. Metaph. c. 3* alii vero vt Xenocrates, & Andronicus, referente Simplicio, duas tantum vnam ſubſtantiæ, & alteram accidentium, vnam entium per ſe, & aliam entium quæ ſunt in alio tanquam in ſubiecto faciebant, Stoi. vero auctore Ploti, *Æne. 6. lib. 1. c. 25.* conſtituunt quatuor categorias, ſubſtantię vnam, aliam quantitatis, tertiam eius quod eſt aliquo modo ſeſe habere, & quartam eius quod eſt ad aliud ſe habere. Idem Plotinus etiam quatuor conſtituit categorias vnam ſubſtantiæ, alteram accidentiū, quæ ſunt in ſubſtantia, vt ſunt quantitas, & qualitas: tertiam accidentium in quibus eſt ſubſtantia; vt vbi, & quando, & quartam relationis, & motus. Inter peripateticos Nimphius in ſuis ludicris quatuor quoque ſtatuit categorias, ſcilic. ſubſtantium, quantitatem, qualitatem, & relationem, nam aliæ inquit ad has quatuor reuocantur, vt vbi ad locum, & quando ad tempus, & ſic de aliis. Plato in Sophiſta quinq; eas facit,

Digitized by Google

ens, idem, diuerſum, motum, & quietem. Pitagorici vero viginti collocant, decem bonorum, & totidem malorum, vt docet Ariſt. 1. *Metaph. c.5* Alii vero conſtituunt tantum nouem categorias, nam actionem & paſſionem concludunt ſub vna categoria motus, in qua ſententia extiterunt Cornutus, & Nicoſtratus auctore Simplicio. Sunt & qui conſtituant vndecim, decem entium rei, & vnam entium rationis. Ariſto. vero cum Archita tantum conſtituit decem categorias entium rei, ſcilicet ſubſtantiam, quantitatem, & alias, quam opinionem ſequuntur fere omnes peripatetici tam Græci, quam Latini, quam etiam Arabes. *D. Auguſti 5 lib. de Trinit. cap. 7. tomo 3. & in lib. categor. a ſe adito tomo 1. atque D. Damaſc. in ſua Dialectica.*

Opinio Ariſt.

Quam quidem confirmare poſſumus argumento petito ex eodem Ariſtot. *lib 5. Metaphyſ. cap 7* adhibita eius loci egregia interpretatione D. Th. Tot ſunt categoriæ, quot ſunt modi eſſendi, ſed tantum ſunt decem modi eſſendi, ergo tantum erunt decem categoriæ. Confirmatur aſſumtio à poſteriori & ab effectu in hunc modũ. Tot ſunt modi eſſendi quot ſunt modi prædicandi de prima ſubſtantia, ſed tãtum ſunt decem modi prædicandi de prima ſubſtantia, ergo tantum erunt decem modi eſſendi. Confirmatur aſſumtio. Quidquid prædicatur de prima ſubſtantia, aut prædicatur ſecundum eſſentiam, aut ſecundum accidens: ſi ſecundum eſſentiam, eſt categoria ſubſtantiæ. Si ſecundum accidens efferatur, aut illud inhæret, & eſt intrinſecum, aut eſt extrinſecum, aut partim eſt intrinſecum, & partim extrinſecum. Si prædicatur ſecundum accidens, & inhæreat, eſt categoria quantitatis, qualitatis, & relationis, nam hæ tres categoriæ inhęrent ſubiecto denominato; ſi enim illud cõſequatur materiam, eſt quantitas, ſi formam eſt qualitas; ſi vero in habitudine vnius ad alterum fuerit conſtitutum, eſt relatio. Si vero prædicetur ſecundum accidens, & fuerit extrinſecum conſtituuntur quatuor categoriæ, vbi, quando, ſitum eſſe, & habere, nam ſi huiuſmodi accidens non menſuret primam ſubſtantiam, ſed ornet illam eſt categoria habere: ſi vero fuerit menſura ſubſtantiæ ſecundũ locum, eſt categoria vbi, & ſitum eſſe, quæ eſt diſpoſitio partium in loco: ſi fuerit menſura illius ſecundum tempus, eſt categoria quando. Tandem ſi ea quæ prædicantur partim ſint intrinſeca, & partim extrinſeca conſtituunt duas categorias actionis, & paſſionis: nam actio, & paſſio partim ſunt in agente, & partim in patiente, in agente enim ſunt quo ad principium, & in patiente quo ad terminum. Manet igitur ex his demonſtratum decem eſſe categorias quæ ſunt ſubſtantia, quantitas, & reliquæ aliæ connumeratæ. Rationem aliam paulo ab hac diuerſam tradit Simplicius quam qui voluerit poterit apud ipſum eam conſulere. Has decem categorias in ſua Dialectica Murmelius eleganter ſane his duobus carminibus expreſſit.

Optima ratio ex Ariſt. & D. Tho. petita.

Arbor, Sex, Seruos, Feruore, Refrigerat, Vſtos,

Ruri, cras ſtabo, nec tunicatus ero.

Ex quibus Arbor ſignificat, ſubſtãtiam, Sex, quantitatem, Seruus relationem Feruor qualitatem, Refrigero, actionem. Vſtus, paſſionem, Rus, vbi, Cras, quando, Sto, ſitum eſſe, Tunicatum eſſe, habere, intelligi autem hoc debet de categoriis entium rei, nam præter illas eſſe vndecimam aliam entium rationis collocandam, in hac eadem Sectio. oſtendemus.

Ad argu. 1. Claſſis.
Ad 1. arg.

Ad argu. *Ad primum* reſp. ens non eſſe ſynonymum, ſed analogum vel homonymum ab vno, & ad vnum, & ita nullam poterit categoriam conſtituere, quia ea quæ ſunt homonyma arcenda ſunt omnino à categoriis.

Ad 2.

Ad 2. admittimus propoſitionem, ſi illi modi fuerint ſynonymi, & peculiares, at modus eſſendi in alio non eſt ſynonymus, ſed analogus, & generalis, vt oſtendemus in antecategoriis accidentium, & ita non conſtituet ille aliam categoriam, ſed diuagabitur per omnes nouem categorias accidentium.

Ad 3.

Ad 3. dicimus numerum categoriarum petendum eſſe ex diuerſis modis prædicandi ſynonymis: at prædicari in quale non dicitur ſynonyme de omnibus categoriis accidentium, ſed analogice, nam alio modo prædicatur quantitas in quale, & alio qualitas, & ſic de aliis: vnde prædicari in quale, non conſtituet aliquam Categoriam.

Ad 4.

Ad 4. reſpon. negando propoſitionem, quia numerus prædicabilium peti debet ex numero inferiorum, de quibus voces vniuerſæ prędicantur, & quia tantum ſunt quinque genera inferiorum de quibus quinque dictæ voces vniuerſæ prædicantur, tantum erunt quinque prædicabilia. Cæterum numerus categoriarum peti debet ex diuerſo modo prædicandi de prima ſubſtantia, & quia decem modis contingit aliqua attributa prædicari de illa, decem erunt categoriæ.

Ad 5.

Ad 5. dicimus falſam eſſe aſſumtionem, quia motus non eſt natura ſynonyma, cum diuagetur per multas categorias, ſcil. per quantitatem, qualitatem, & vbi, natura autem ſynonyma non diuagatur per multas categorias, ſed intra limites alicuius eſt comprehenſa. Ad confirma.

reſpon.

reſp actionem, & paſſionem ſecundum rem eſſe eundem motum, at ratione differre ab eo, nam actio eſt motus vt fluens ab agente: paſſio vero eſt motus vt receptus in paſſo, quæ duæ rationes eſſendi, ab aliquo ſcilicet, vel in aliquo, efficiunt duas categorias diuerſas.

Ad argum. 2. Claſſis. Ad arg. vero ſecundæ claſſis in hunc modum ſatisfaciamus. *Ad primum* eſſe diſparem rationem de vbi, & quando, & de linea extrinſeca, & extrinſeca: quia vbi, & quando ex ſua natura ſunt veluti quędam formę continentes id quod eſt in tempore, & in loco, ac propterea ex natura ſua menſurabunt vel durationem rei contentæ, vel magnitudinem illius: at vero linea extrinſeca, & numerus extrinſecus, vt ſunt calculi, ex ſua natura non ſunt vt formæ quædam aliquod ſubiectum continentes, vel menſurantes, ſed ex libera hominum voluntate, volentium pro ſuo arbitrio aliquid his menſuris extrinſecis metiri, ſumuntur tanquam menſura, ac proinde vbi, & quando, conſtituent proprias categorias in ratione menſuræ extrinſecæ, at ſitum eſſe, & habere non conſtituent illas. *(Ad 1.)*

Ad 2. Ad 2. reſp. eſſe latum diſcrimen inter motũ, qui eſt medius inter actionem, & paſſionem, & inter eſſe veſtitum, quod eſt medium inter veſtē, & hominem veſtitum, quia eſſe veſtitum, eſt veluti quædam forma efficiens ſubſtantiam, motus vero, neque actionis, neque paſſionis eſt forma, ſed materia, atque ita cum id quod ſe habet ad modum formæ afficientis peculiari modo ſubſtantiam, conſtituat propriam categoriam, veſtitum eſſe conſtituet categoriam habere diſtinctam à categoriis hominum & veſtium, motus vero cum non afficiat nouo modo ſubſtantiam, neque ſit veluti forma quædam diſtincta ab actione & paſſione, non conſtituet nouam categoriam ab his diſtinctam.

Ad vlt. Ad vlt. reſp. negando conſequentiam, & ratio eſt: quia habere magnitudinem, vel candorem non afficiunt diuerſo modo ſubiectum, quam afficiunt magnitudo ipſa & candor, neq; differunt habere magnitudinem, aut candorem, ab ipſiſmet accidentibus, atque ita non conſtituent nouas categorias, cum eodem modo afficiant ſubiectum. Verum habere veſtem, afficit ſubſtantiam nouo quodam, & diſtincto modo reipſa ab eiſdem veſtibus diſtincto, etenim habere veſtem eſt in homine veſtito tanquam in ſubiecto: veſtes vero non ſunt in aliquo ſubiecto, cum nulli inhæreant, atque ita conſtituet habere veſtem, peculiarem quandam categoriam ab homine veſtito, & à veſtibus quibus induitur, diſtinctam omnino & ſeparatam.

QVÆSTIO II.

An numerus categoriarum petendus ſit ex diuerſis modis prædicandi de prima ſubſtantia.

1. Argum. PArtem negantem his argumentis poſſumus confirmare. *Primum eſt.* Ens rei non poteſt diſtingui per ens rationis, ſed categoriæ ſunt entia rei, & prædicari eſt ens rationis, ergo non poterunt categoriæ diſtingui per diuerſos modos prædicandi.

2. Argum. 2. Si categoriæ diſtinguerentur per diuerſos modos prædicandi, cum in vnaquaque categoria dentur duo modi prædicandi, vnus in concreto, & alius in abſtracto, in vnaquaque categoria darentur duæ categoriæ: atqui hæc aſſerere eſt abſurdum, igitur non diſtinguuntur categoriæ per diuerſos modos prædicandi.

3. Argum. 3 Diuiſio entis in decem categorias eſt omnium prima, ſed diuiſio entis in decem modos prædicandi non eſt omnium prima diuiſio, ergo non poteſt diuidi ens in decem categorias per diuerſos modos prædicandi. Confirmatur aſſumtio. Prior eſt diuiſio in decem modos eſſendi, quam in decem modos prædicandi, ergo non eſt illa prima diuiſio entis.

4. Argum. *Præterea.* Si categoriæ diſtinguerentur per diuerſos modos prædicandi de prima ſubſtantia, ſequeretur in categoriis accidentium tantum contineri concreta & non abſtracta, quia tantum concreta prædicantur de prima ſubſtantia, non enim dicimus hominem eſſe albedinem in abſtracto, ſed album in concreto: atqui hoc eſt aduerſus ea quæ deinde ſumus dicturi, ſcilicet in categoria accidentium contineri abſtracta: ergo categoriæ non diſtinguentur per diuerſos modos prædicandi.

5. Argum. Non eſt leuis diſceptatio inter Thomiſtas, & Scotiſtas de numero categoriarum, à quo videl. ſit ille poſtulandus, nam cum categor. ſint in prima ſubſtantia ſecundum diuerſum modum eſſendi, prædicenturq; de eadem ſecundum varia attributionum genera, quæſtio eſt, ſitne depromendus numerus ipſarũ ex diuerſis modis eſſendi in prima ſubſtantia, vel potius ex diuerſis modis prædicandi de eadem. *1. Opin.* Scotiſtæ enim tuētur petendum eſſe numerum categoriarum ex diuerſis modis eſſendi in prima ſubſtantia, vt videre licet in Scoto 5. *lib. Metaphyſ. quæſt. 6. & Antonio Andrea q. 7. eiuſdem lib.* *2. Opin.* An contra Thomiſtæ, & alii Philoſophi aliam ſententiam ſequuntur, numerum nempe earundem ſumi debere ex diuerſo modo prædicandi de ipſa prima ſubſtantia. Ita docet Thom. *in comment. in cap. 7. lib 5. Metaph Soncin quæſt. 23. eiuſdem lib.*

Iauellus q. 16. Matthias Aquar. q. 8 Suſſanus q. 7.

1. *Obſeru.* Quorum grauiſſimorum virorum ſententiam, vt explicemus, adnotandum erit imprimis duobus modis ſumi poſſe categorias, primo iuxta naturas rerum in illis comprehenſas, abſtrahendo ab omni notione ſecunda: ſecundo iuxta eaſdem naturas, ea tamen ratione qua denominantur à notionibus ſecundis genera, ſpecies, vel indiuidua, ſubiecta, vel attributa.

2. *Obſeru.* Animaduertendum eſt ſecundo eſſe duo genera principiorũ, per quæ diſtingui res poſſunt, & ſeparati ab inuicem, nam quædam ſunt principia prima & remota, alia vero proxima & immediata. Ignis enim, v. g. & aqua, hoc duplici genere principiorum apta ſunt diſtingui, nam per ſuam naturam & formam tanquam per principium primũ ſeparatur ignis ab aqua: per calorem vero, & ſiccitatem tanquam per proximum, & immediatum principium ab eadem ſecernitur. Quando igitur quærimus per quæ principia diſtinguantur categoriæ, intelligendi ſumus de vtroq; principio tam proximo quam remoto.

1. *Concluſio* Quibus adnotatis ſit prima concluſio Si categoriæ ſumantur primo modo pro naturis tantum, præſcindendo ab omni notione ſecunda, neque diſtinguuntur per diuerſos modos prædicandi, neque per diuerſos modos eſſendi, ſed ſeipſis ſecernuntur ac ſeparantur inter ſe, vnde quantitas ſeipſa differt à qualitate, & ſic de aliis categoriis. Confirmatur. Quæ ſunt primo & immediate diuerſa ſe ipſis differunt: ſed categoriæ ſunt primo & immediate diuerſæ, ſunt enim illæ attributiones, in quibus vna categoria negatur ab altera immediatæ, vt oſtendemus 1. lib. de demonſt. cap. 3. ergo categoriæ ſeipſis different.

2. *Concluſio.* 2. *Concl.* Si loquamur de categoriis in ſecunda ſignificatione, vt ſcilic. denotant naturas ſubiectas ſecundis notionibus, diſtinguuntur illæ per diuerſos modos prædicandi de prima ſubſtantia, tanquam per proximum, & immediatum principium. Confirmatur aduerſus Scotiſtas his argum. *Primo* auctoritate Ariſt. qui ex-

1. *Argum.* preſſis verbis *5. lib. Metaph cap. 7.* diſtinguit categorias per diuerſos modos prædicandi de prima ſubſtantia.

2. *Argum.* 2. Ex nominis etymologia eadem concluſio demonſtratur, categoria enim eſt ſeries, ſeu ordo ſubiectorum & attributorum, ergo illæ erunt diuerſæ categoriæ, quæ diuerſa continebunt ſubiecta, & attributa: diſtinguentur igitur per diuerſos modos prædicandi.

3. *Argum.* 3. Secundum Scotum relatio non differt reipſa, neq; habet diuerſam entitatem à ſuo fundamento, ſi fuerit intrinſecus adueniens (vt ſimilitudo) non differt reipſa ab albedine: ſed ſi diſtinguerentur categoriæ per diuerſos modos eſſendi tantum, relatio non conſtitueret diuerſam categoriam à quantitate, vel qualitate in quibus fundatur, quia non habet diuerſam entitatem ab aliis: ergo categoriæ non diſtinguentur tanquam per proximum, & immediatum principium, ex diuerſis modis eſſendi.

3. *Concluſ.* 3. *Concl.* Categoriæ diſtinguuntur per diuerſos modos eſſendi in prima ſubſtantia tanquam per primum, & remotum principium. Vt ſubſtantia primo differt à quantitate, quia eſt in prima ſubſtantia ſecundum eſſentiam, quantitas vero ſecundum accidẽs: quantitas præterea primo differt à qualitate, quia eſt in prima ſubſtantia tanquam menſura, qualitas vero tanquam affectio quædam ipſius. Confirmatur. Modi prædicandi niſi fuerint fictitii, debent fundari in modis eſſendi, quia quælibet attributio fundatur in aliquo eſſe, ergo ſi categoriæ proxime diſtinguuntur per diuerſos modos prædicandi, debent remote diſtingui per diuerſos modos eſſendi, in quibus fundantur illi diuerſi modi prædicandi. Verum eſt adnotandum diuerſos modos eſſendi aliquando eſſe diſtinctos in categoriis actu, & aliquando ſola virtute, & poteſtate: v. g. modus eſſendi ſubſtantiæ actu diſtinctus eſt à modo eſſendi quantitatis, vel qualitatis: at vero modus eſſendi relationis (iuxta multorum opinionem) non eſt actu diſtinctus à modo eſſendi quantitatis, vel qualitatis in quibus fundatur relatio, ſed ſola virtute: & modus eſſendi actionis, non eſt actu diſtinctus à modo eſſendi paſſionis, ſed ſola poteſtate quia intellectus poteſt effingere diuerſos conceptus actionis, & paſſionis, & ita poterit intelligere has categorias tanquam diuerſas. Hanc conclus. proponit D. Thom *q. 1. de verit. artic. 5.* docens ex diuerſis gradibus entis, oriri diuerſas categorias. Contra tamen dicet aliquis. Omne contrahens eſt extra naturam rei contractæ, ſed modi eſſendi categoriarum non ſunt extra naturam entis, ſunt enim vera entia, ergo ens non contrahitur ad decem categorias per decem modos eſſendi. *Obiect.* Reſp propoſitionem eſſe veram ſi natura contrahens ſit vera differentia, quia differentia non participat genus auctore Ariſt. *7. Metaphyſ. c 13* quod ſi non fuerit tale contrahens vera differentia ſed modus quidam duntaxat intrinſecus, non differet à natura rei contractę, ſed includet illam. Et ita cum ens contrahatur ad decem categorias (non quidem per veras differentias) ſed per modos intrinſecos, neganda erit propoſitio.

Ad. arg. Reſtant iam argumenta in initio quæſtioni propo-

Propoſita diſſoluenda. Ad 1. reſpon. ens ratio nis non diſtinguere ens rei, vt ens rei eſt, poſſe tamen diſtinguere ens rei, prout illud afficitur aliqua notione ſecunda: & ita diuerſi modi prædicandi diſtinguunt categorias, vt in illis continentur naturæ denominatæ ſubiecta, vel attributa, à notionibus ſecundis ſubiecti, vel attributi, qua ratione eſt nobis hoc loco de categoriis ſermo.

Ad 2. Ad 2. dicimus categorias diſtingui per diuerſos modos prædicandi de prima ſubſtantia duntaxat, non autem de aliis ſecundis ſcil. ſubſtantiis: at de prima ſubſtantia non prædicantur duobus modis in concreto, & in abſtracto, ſed vno ſolo modo in concreto nimirum, neque enim dicimus Petrum eſſe candorem in abſtracto, ſed eſſe candidum in concreto.

Ad 3. Ad 3. negamus propoſitionem, quia dantur plures alia diuiſiones priores, quam ſit diuiſio entis in decem Categorias, vt late oſtendimus lib. 1 Tranſcendenti cap. 4.

Ad 4. Ad 4. reſp. aliud eſſe loqui de diſtinctione categoriarum, & aliud de conſtitutione earundem, diſtinguuntur namque per diuerſum modum prædicandi in concreto de prima ſubſtantia: conſtituuntur vero per ſeriem, & ordinem ſubiectorum, & attributorum eiuſdem categor. Vnde in categ. accidentium continentur præcipue abſtracta, quia illa ſunt quæ poſſunt obtinere rationem generis aut ſpeciei, reſpectu ſuorum inferiorum. Neganda itaq; eſt propoſitio, nam quamuis ſola concreta predicentur de primis ſubſtantiis, abſtracta nihilominus ſunt, quę obtinēt rationem generis, ſpeciei, & indiuidui.

CAPVT III.

An categoriæ ſint reipſa diuerſæ necne?

1. Argum. NOn eſſe categorias reipſa diuerſa his argumentis poſſumus demonſtrare. *Primum eſt.* Quæ reipſa differunt poſſunt ab inuicem ſeparari, ſed ſubſtantia non poteſt ſeparari ab accidentibus, ergo ſubſtantia non differt reipſa ab illis.

2. Argum. 2. Illa ſunt idem reipſa, quæ ſunt idem numero, ſed accidentia omnia ſunt idem numero cum ſubſtantia, ergo accidentia omnia erunt idem cum ſubſtantia, nec ab ea reipſa different.

2. Inter ſe pugnan. opinio. Quidam veteres exiſtimarunt categorias omnes eſſe vnam, & eandem rem cum ſubſtantia (ſi credimus Petro Nigro 2. p. clypei q. 7.) in qua eadem opinione extitit acerrimi ingenii Philoſophus Herueus, *quodlibeto 1 qu. 9.* docens categorias non diſtingui reipſa, ſed ſola ratione, vel intellectus cogitatione. Cæterum omnes Philoſophi tuentur categorias eſſe reipſa diſtinctas, in cuius opinionis explicationem ſit prima concluſio.

1. Concluſio Categoria ſubſtantiæ in genere, & in cōmuni reipſa differt à categoriis accidentium. Confirmatur. Eſſe per ſe, & eſſe in alio, dependere ab aliquo, & non dependere ab illo ſunt modi reipſa diſtincti. ſed categoria ſubſtantiæ exiſtit per ſe, & non dependet ab alio: categoriæ autem accidentium exiſtunt in ſubſtantia, & dependent ab illa, ergo categoria ſubſtantiæ differt reipſa à categoriis accidentium. *Dictum* autem eſt in genere, quia in particulari optime poteſt aliquod accidens eſſe idem cum ſubſtantia, nam (iuxta multorum opinionem) relatio creaturæ eſt accidens, quæ eſt eadem cum creatura quæ eſt ſubſtantia. *Obſeru. circa concluſio*

2. Concluſ. 2. *Concl.* non omnes categoriæ accidentium inter ſe collatæ differunt reipſa, nam licet quantitas reipſa diſtinguatur à quibuſdam ſpeciebus qualitatis, non tamen eſt neceſſe vt reipſa differat ab aliis. Nam figura quæ eſt 4. ſpecies qualitatis, non differt reipſa à quantitate: preterea relatio non differt reipſa à quantitate, & qualitate, in quibus fundatur (vt multi putant) adhæc actio, & paſſio, non diſtinguuntur reipſa, cum ſint idem numero motus: & tandem categoria vbi, non differt reipſa à categoria loci, & categoria quando à tempore, ex quibus omnibus conſtat in accidentibus non eſſe neceſſe vnam categoriam reipſa diſtingui ab altera.

3. Concluſio 3. *Concl.* Quamuis nō omnes categoriæ accidentium differant reipſa, differunt tamen ratione, & diffinitione. Hæc concluſio eſt manifeſta; etenim quamuis actio, & paſſio ſint eadem res, alia tamen eſt ratio actionis, & alia paſſionis, & idem iudicium eſt de relatione, quantitateq; ac qualitate, quæ quamuis ſint idem re, rationibus tamen, & diffinitionibus maxime differunt.

Ad 1. arg. Satisfaciamus demum argumentis in principio adductis. Ad primum negamus propoſitionem, quia materia prima reipſa differt à forma, quæ tamen non poteſt ſeparari ab ea, vt auctor eſt Ariſt. 7. *Metaph. cap.* 3.

Ad 2. Ad 2. dicimus duobus modis aliqua poſſe dici vnum numero, vno modo intrinſece & alio extrinſece. Illa enim dicuntur idem numero primo modo, quæ ſignificant eandem entitatem, vt ſunt hæc tria Marcus, Tullius, Cicero: Illa vero ſecundo modo & extrinſece dicuntur idem, quæ ſignificant multas entitates, habent tamen illas in eadē materia, vel ſubiecto numero. Propoſitio ergo vera eſt de iis, quæ ſunt eadē numero primo modo, falſa tamen de iis quæ ſunt eadem ſecundo modo, qua ratione ſub-

iectum & omnia accidentia ſunt vnum numero Fuit quæſtio hæc breuiter hoc loco diſputata, quia vberius eſt illa in cap. de quantitate in quæſtione, an quantitas reipſa differat à ſubſtantia, à nobis pertractanda.

CAPVT IV.

An concreta collocentur in categoriis, necne.

Argum. NOn deſunt aliquot argumenta, quibus oſtendi poteſt contineri concreta in categoriis è quibus *primum eſt*. Quantum, & Relatum ſunt concreta accidentium, ſed continentur illa in categoriis apud Dialecticum, Ariſt. enim in categoria quantitatis diuidit quantum in concreto, in coniunctum, & diſiunctum, & in categoria relationis diffinit relata in concreto, quorum tota vis, &c ergo concreta continebuntur in categoriis apud Dialecticum.

2. Argum. 2. Categoriæ diſtinguuntur per diuerſum modum prædicandi de prima ſubſtantia: ſed categoriæ accidentium non prædicantur de prima ſubſtantia in abſtracto, ſed in cõcreto, non enim dicimus Petrum eſſe albedinem, ſed eſſe album: ergo abſtracta non collocabuntur in categoriis ſed concreta. *Solutio.* Quod ſi reſpondeas diſtingui quidem categorias per diuerſum modum prædicandi, vt in præcedenti quæſtione docebamus, non tamen per hunc eundem conſtitui, ſed per ſeriem, & ordinem generum formarum, & indiuiduorum, qua ratione illas accidentia in concreto non complecti certum eſt, cum ea nec genera, nec ſpecies, nec indiuidua nata ſint eſſe; contra ſic inſurgo. Eadem ſunt principia conſtituendi, & diſtinguendi: at categoriæ diſtinguuntur per diuerſum modum prædicandi: igitur & cõſtituentur per eundem, qua ratione ſi conſtituantur, non poſſunt non continere illa ac ſuo ambitu comprehendere accidentia in concreto.

3. Argum. 3 Abſtractum & concretum, vt album, & albedo ſignificant eandem naturam: ſi ergo abſtracta cotinentur in categoriis Dialecticis, etiam & concreta ſub eiſdem comprehendentur.

Ult. argum *Vitimum*. Concreta accidentium (vt album v.g.) ſunt magis entia quam abſtracta (vt quam albedo) idque ſecundum Ariſt. 7 *Metaphyſ. cap. 1.* ergo ſi abſtracta continentur in categoriis, etiam & concreta continebuntur in eiſdem.

1. Opin. Quidam ex recentioribus Philoſophis exiſtimant in categoriis tam abſtracta, quam concreta contineri. vt in categoria v.g. qualitatis nõ albedinem tantum, ſed album etiam eſſe contentum, & idem iudicium eſt de cæteris categoriis, quamuis potiſſime (inquiunt) concreta in eis collocentur, minus vero præcipue abſtracta. In hac ſententia extitit Franciſcus à Toleto *in Poſtcateger. qu. 2.* & nonnulli alii cum eo.

2. Opin. Cæterum vetuſtiores Philoſophi D. Th. *in libel. de ente & eſſen. & in opuſc. 42. de natura generis cap. 9. Auicenna lib. 3. ſua Metaph. cap 3. Caiet. in cap. 7. de ente & eſſen.* & plerique alii cum eis contrariam opinionem iudicant veriorem, in categoriis nimirum accidentium ſola abſtracta poſſe collocari, quia illa ſola nata ſunt denominari genera, ſpecies, & indiuidua, ex quibus tota ſeries categoriæ conflatur. *Nonnulla obſeruanda* Quorum ſententia eſt multo verior, atq; ita vt illam explicemus, nonnulla animaduertemus. *Primum* *Primum* in categoriis quædam contineri per ſe, alia vero reductiue. *Secun.* *Deinde* concreta eſſe in duplici differentia, quia quædam continentur in categoria ſubſtantię vt homo, & animal: alia vero in categoria accidentis, vt album, & muſicum, quæ continentur in categoria qualitatis. *Tertium.* *Adhac* quędam contineri in categoriis apud Metaph. quæ non collocãtur in eiſdem apud Logicum, quod prouenit ex diuerſo modo conſiderandi res ipſas, quia Metaphyſ. conſiderat res ea ratione qua habent naturam, & eſſentiam, & ita omnia illa quæ habent naturam & eſſentiam, continentur in categoriis apud Metaphyſicum. At Dialecticus agit de rebus, prout ſubiiciuntur ſecundis notionibus, & ita ſolum ea quę apta ſunt denominari genera, ſpecies, vel indiuidua, poſſunt contineri in categoriis apud ipſum, cætera vero quæ talia denominari nequeunt, nulla ratione continebuntur.

1. Concluſ. Sit etiam *prima concl.* Cõcreta categorię ſubſtantiæ per ſe, & directe continentur in categoriis tam Metaphyſicis quam Dialecticis, vt homo v.g. & animal. Primam pa tem huius concluſionis contineri ſcil. in categoriis Metaphyſicis confirmamus. Concreta categoriæ ſubſtantiæ ſunt illa quæ habent naturam, & eſſentiam, vt homo, v.g. eſt illud quod habet eſſentiam, ſed in categoriis apud Metaph. continentur omnia illa quæ habent eſſentiam, ergo concreta categoriæ ſubſtantiæ continebuntur in categoriis Metaphyſicis. Secundam vero partem ita ſuademus. Illa continentur in categoriis Dialecticis, quæ ſunt vnum per ſe, poſſuntq; obtinere rationem generis, vel ſpeciei, ſubiecti, vel attributi: ſed concreta categoriæ ſubſtantiæ, ſunt vnum per ſe, poſſuntq. habere rar onem generis, vel ſpeciei, &c. vt homo & animal. v.g. ſunt entia per ſe, & homo eſt ſpecies, animal vero genus: ergo concreta categoriæ ſubſtantiæ per ſe & directe habent locum in categoriis Dialecticis. Quod ſiquis roget de abſtractis horum con-

creto-

cretorum animalitate nimirum, & humanitate, qua ratione contineantur illa in categoriis: reſpondebimus, illa contineri reductiue, quia ſunt principia concretorum: at principia ad categoriam reuocantur principiatorum.

2. Concluſio.

2. *Concluſio.* Concreta accidentium continentur in categoriis apud Metaphyſ. Confirmatur in hunc modum. In categoriis metaphyſicis continentur omnia illa, quæ habent naturam & eſſentiam: ſed concreta accidentium habent vnam & eandem naturam & eſſentiam cum abſtractis, etenim iuxta Ariſt. in categoria ſubſtantiæ album & albedo ſunt vnum & idem, nam album ſolam qualitatem, albedinem ſcilicet ſignificat: iam ergo concreta accidentium continebuntur in categoriis apud Metaphyſ. Vnde quemadmodum albedo apud ipſum continetur in categoria qualitatis, ita etiam & album eſt apud ipſum in eademmet categoria contentum, quia albi & albedinis eſt eadem natura & eſſentia.

3. Concl.

3. *Concluſio.* Concreta accidentium, vt album & muſicum non continentur in categoriis apud Dialecticum. Confirmatur his argumentis.

1. Argum.

Primum eſt. Entia per accidens non continentur in categoriis, vt adnotauimus cum Ariſt 5. *Metaphyſ. cap.* 7. ſed concreta accidentium apud Dialecticum ſunt entia per accidens, ergo non continebuntur in categoriis apud ipſum. Confirmatur aſſumptio. Album, quod eſt concretum categoriæ accidẽtis, ſignificat ſubiectum cum accidẽte, ſignificat enim corpus habens albedinem: ſed ſubiectum cum accidente conſtituit vnum per accidẽs, vt profitetur idem Ariſt. 5 *Metaphyſ. cap.* 7 ergo concreta categoriæ accidentis ſunt entia per accidens. Dictum autem eſt, concreta categoriæ accidentis apud Dialecticum eſſe entia per accidens, nam apud Metaphyſ ſunt entia per ſe, quia Metaphyſicus diſputat de rebus ſignificatis, non de modo ſignificandi, & quia res ſignificata per album, eſt albedo, quæ eſt ens per ſe: propterea apud Metaphyſicum album erit ens per ſe, homo vero albus erit ens per accidens: at vero quia Dialecticus conſiderat modum ſignificandi, & concipiendi, & hoc nomẽ album ex modo ſignificandi ſignificat ſubiectum, & albedinem vt inhærentem (nam albũ eſt corpus habens albedinem) propterea apud Dialecticum album, vel quodlibet aliud concretum erit ens per accidens.

2. Argum.

2. In categoriis Dialecticis tantum continentur ea, quæ poſſunt eſſe genera, vel ſpecies, quia categoria tantum eſt ſeries generum, ſpecierum, & indiuiduorum, ſed concreta accidentium non poſſunt eſſe genera, vel ſpecies: nam quale non eſt genus, ſed qualitas: & album non eſt ſpecies, ſed albedo: ergo in categoriis apud Dialecticum non continebuntur concreta accidentium, ſed abſtracta. Aſſumptionem ita poſſumus confirmare. Genera & ſpecies prædicantur ſynonyme: ſed concreta accidentium non prædicantur ſynonyme, ſed paronyme, vt album paronyme prædicatur tantum de niue: iam igitur concreta accidentium non poterunt eſſe genera, vel ſpecies.

Ad 1. arg.

Occurramus iam argumentis effectis. Ad primum ergo reſp. concreta accidentium contineri in categor. apud Dialecticum reductiue, quia denominantur ab abſtractis, quæ per ſe in categoriis continentur. Vnde concreta categoriæ ſubſtantiæ contrario modo ſeſe habebunt, atq; concreta aliarum categoriarum accidentium: cõcreta enim categoriæ ſubſtantiæ, quia poſſunt eſſe genera, vel ſpecies, per ſe & directe continentur in categoriis, ſecus vero eſt de abſtractis eiuſdem categ. ſubſtantiæ, cum enim ea neque genera, neq; ſpecies, aut indiuidua poſſint eſſe, non erunt per ſe, & directe, ſed reductiue duntaxat in categor. comprehenſa, veluti principia concretorum. At concreta accidentium, quia non poſſunt eſſe genera, vel ſpecies, non continẽtur per ſe, & directe in categoriis, ſed ſolum reductiue, eo quod denominantur ab abſtractis: hæc vero ſc. abſtracta, quia ſunt apta nata, eſſe genera, ſpecies, vel indiuidua, per ſe & directe collocabuntur in categoriis.

Ad 2.

Ad 2. reſp. negando conſeq. nam aliud eſt loqui de diſtinctione categ. & aliud de conſt. earundem. Categoriæ namque diſtinguuntur per diuerſum modum prędicandi: conſtituuntur tamẽ per ſeriem & ordinem generum, formarum, & indiuiduorum, nam hoc exprimitur nomine categ. Et ita cum ſeries nõ petatur per habitudinem ad ſubſtantiam primam, ſed per habitudinem ad ſua inferiora eſſentialia, quę tantum ſunt abſtracta, hęc enim ſola poſſunt eſſe genera, vel ſpecies, quamuis diſtinguantur categoriæ per diuerſum modum prędicandi in concreto de prima ſubſtantia, non tamen conſtituentur per eundem. Et ad confutationem propoſitæ ſolutionis reſp. propoſitionem aſſumptam eſſe falſam in accidẽtibus, nam albedo Petri & Ioannis diſtinguũtur per ſua ſubiecta, quæ tamen non conſtituuntur per illa, ſed per ſua principia eſſentialia.

Ad 3.

Ad 3. negamus conſequentiam, etenim quamuis concretum & abſtractum ſignificent eandem naturam, ſignificant tamen illam alio modo. Ex quo ortum habet, vt abſtracta conti-

neantur in categoriis, cum ſignificentur, vt entia per ſe, & ex conſequenti, vt apta nata eſſe genera, ſpecies, vel indiuidua: concreta vero ab eiſdem arceantur, cum ſignificentur per modū entis per accidens, quod nequit vllo modo eſſe genus, vel ſpecies Idque, vt aperte conſtat, non prouenit ob defectum (vt dicunt) rei ſignificatæ, ſed modi ſignificandi omnino neceſſarii ad id, vt accidentia locum obtineant in categoriis apud Dialecticum, vtpote exprimentis illas per modum entium, quæ optime affici poſſunt notionibus ſecundis, generis, ſpeciei, ſubiecti, vel attributi, &c. ſub qua ratione eſt Dialectico de categoriis ſermo habendus.

vlt. *Ad vltimum* negamus conſequentiam, quia hoc, quod eſt contineri in categoriis, non prouenit ex maiori vel minori entitate, ſed ex eo, quia abſtracta apta ſunt eſſe genera, vel ſpecies, &c. concreta vero nequaquam.

QVÆSTIO V.

Quænam ſint, quæ per ſe, & quæ reductiue in categoriis collocentur.

COmmunis eſt & concors omnium Dialecticorum ſententia, in categor. quædam per ſe, & alia reductiue comprehendi, & per ſe illa comprehendi, quæ ſunt entia rei, per ſe, finita, actu, ſynonyma, & ſimplicia. Quod igitur quærimus, eſt, an alia præter hæc in categ. collocentur Et vt facilius progrediamur contra ſingulas partes, ſingula erunt argumenta proponenda, quibus confirmabimus ea, quæ recenſuimus, non contineri per ſe in categor. Inprimiſque non eſſe, quidquid continetur in categoriis ens rei, confirmatur, quia categoria eſt ſeries & ordo generum, ſpecierum, & indiuiduorum, quæ omnia ſunt entia rationis, non igitur quidquid in eis continebitur, erit ens rei. (rgum.)

(rgum.) 2. Non eſſe ens per ſe, quidquid continetur, confirmatur de concretis accidentium (vt de albo, & muſico) quæ continentur in categoriis, & ſunt entia per accidens, ſignificant enim ſubiectum & formam, quæ in diuerſis categoriis collocantur, vt album ſignificat hominem, qui eſt in categoria ſubſtantiæ, ac proinde non omnia, quæ collocantur in categoriis, erunt entia per ſe.

(rgum.) *Præterea*, non eſſe omnia entia finita, ſic oſtendo, quia ſi eſſet linea infinita, aut extremitas infinita, haud dubie illa eſſent in categor. quantitatis comprehenſa, & ſi eſſet calor infinitus, contineretur in categor qualitatis, quare non quæcunque continentur in categoriis, erunt entia finita.

Iterum, non ſolum actu entia collocari, confirmatur, quia roſa, antequam exiſtat, continetur in categ. ſubſtantiæ, illi ſiquidem conueniunt ea attributa, quæ in illa categ locum habent, nam eſt flos, corpus, & ſubſtantia, quæ profecto attributa propria ſunt huius catego. non igitur ſola entia actu in categ locum habent. *4. argum.*

Ad hæc, non omnia, quæ in categor. reponuntur, eſſe ſynonyma, ita demonſtro. Indiuidua collocantur in recta ſerie alicuius categ. vt Petrus & Ioannes collocantur in recta ſerie categ. ſubſtantiæ, ſed indiuidua non ſunt ſynonyma, quia ſynonyma & nomen & rationem habent communia: at indiuidua nihil habent commune, quare aliqua erunt in categ. comprehenſa, quæ non ſunt ſynonyma. *5. argum.*

Vltimo, comprehendi in catego. aliqua, quæ non ſunt ſimplicia, ita poſſumus ſuadere. Diffinitio non eſt vox ſimplex, ſed compoſita: ſed illa continetur in categor. nam Ariſtot. 1. *de anima*, *cap.* 1. præcipit, ex categor. eſſe hauriendas rerum diffinitiones: ergo non ſolum, quæ ſimplicia ſunt, verùm etiam & compoſita in eis collocabuntur. *6. Argum.*

Nonnullæ diuiſiones proponuntur. At contra aſſerunt omnes Dialectici, pari conſenſu profitentes, in categor. ſola hæc, quæ recenſuimus, contineri, quorum opinionem vt explicemus, præfandæ erunt nonnullæ diuiſiones. *Prima*, entium quædam ſunt rei, & alia rationis. *Secunda*, ens rei quoddam eſt per ſe, & aliud per accidens. Per ſe illud dicitur, quod exprimit formam alicuius categor. vt quantitas: per accidens vero appellatur illud, quod ex rebus diuerſarum categor. conflatur, vt homo albus. *Tertia*. Ens rei & per ſe quoddam eſt finitum, & aliud infinitum, finitum dicitur, quod eſt limitibus & terminis alicuius categor. comprehenſum, vt homo & leo, infinitum vero, quod nullis finibus vel terminis circumſcribitur, vt Deus Opt. Max. *Quarta*. Ens rei per ſe & finitum quoddam eſt actu, & aliud eſt poteſtate, actu dicitur illud, quod exiſtit à parte rei extra ſuas cauſas producentes, vt homo, qui eſt à parte rei: poteſtate vero illud dicitur, quod nondum exiſtit, poteſt tamen exiſtere, vt homo, qui nondum eſt genitus. *Quinta eſt*. Ex his entibus quædam ſunt ſynonyma, vt homo, & leo: & alia homonyma, vt canis, & taurus. *Vltima*. Ex his omnibus entibus quædam ſunt ſimplicia, quæ vna voce exprimuntur, vt homo, & alia compoſita, quæ pluribus vocibus declarantur, vt homo legit, Petrus currit.

Quibus diuiſionibus propoſitis, iam ſit prima concluſio.

1. Concluſio. Entia rei, per ſe, finita, actu, ſynonyma, & ſimplicia ſunt illa, quę per ſe collocantur in categor. Hanc non alio argum. quam Dialecticorum omnium auctoritate confirmamus. Diximus autem, entia rei contineri in categor. vt excludamus entia rationis: per ſe, vt excludamus entia per accidens: finita, vt ſeparemus entia infinita: actu, vt ſeparemus ea, quæ ſunt poteſtate, ita vt neque ſint actu, neque ſint aliquando ita futura, nam quamuis actu non extiterint, ſi tamen habuerint ordinem intrinſecum, ad illum collocabuntur per ſe in categor. diximus præterea ſynonyma, vt excludamus homonyma, ac deniq; ſimplicia, vt voces coniunctas a categoriis arceamus.

2. Concl. 2. *Concluſio.* Multa ſunt, quæ tantum continentur in categor reductiue. Hanc ex eodem vnanimi Dialecticorum conſenſu confirmamus: explicandum tamen ſupereſt, quot modis aliqua reductiue contineantur, quæ ad ſex ordines poſſunt reuocari. Nam *primo* continentur reductiue omnes partes in categoriis, in quibus directe & per ſe continetur earum totum. *Secundo* differentiæ ſunt in categoria ſuarum ſpecierum. *Tertio*, entia poteſtate (vt ſunt poteſtate) reducuntur ad categorias, in quibus ſunt entia actu, contenta. *Quarto* principia & termini continentur reductiue in categoria, vbi ſunt res ortæ ex principiis, & terminatæ per ſuos fines. *Quinto*, motus continetur in ea catego. in qua continetur ſuus terminus, vt dealbatio continetur in catego. qualitatis, in qua albedo continetur. *Sexto*, priuationes & negationes continentur in categoria, in qua ſuæ formæ & affirmationes ſunt contentæ.

Ad 1. arg. Ad argumenta in initio propoſita. *Ad primum* reſpond. genera, ſpecies, & indiuidua poſſe bifariam ſumi, primo pro naturis denominatis: & altero modo pro notionibus denominantibus. Eſt igitur categoria ſeries, ſeu ordo generum, formarum, & indiuiduorum pro naturis denominatis, non autem pro notionibus denominantibus categoria (inquam) rei, de qua nunc loquimur, nam ſi de alia rationis agamus, erit ſeries & ordo generum, formarum, & indiuiduorum pro formis denominantibus.

Ad 2. *Ad ſecundum* reſpond. concreta accidentium apud Logicum non contineri per ſe in categoriis, ſed reductiue, propter rationem in argumen. propoſitam, quia apud ipſum ſunt entia per accidens, & non poſſunt denominationem generis aut ſpeciei ſubire: apud Metaphyſ. vero hæc concreta ſunt entia per ſe, quia ſignificant naturam abſtractorum, ac proinde apud ipſum in categoriis collocabuntur, vt ſatis abunde in quæſtione ſuperiori expoſuimus.

Ad 3. *Ad tertium* reſpond. illud ens infinitum, quod arcetur a categoriis, eſſe infinitum ſimpliciter & abſolute, nimirum illud, quod eſt infinitum ſecundum entitatem, at linea & extremitas ſi eſſent infinitæ ſecundum longitudinem, aut ſecundum latitudinem, eſſent naturæ quædam in entitate finitæ, ac proinde in categoriis quantitatis continerentur.

Ad 4. *Ad quartum* reſpond. nomine entis in actu intelligendum eſſe, vel ens, quod actu exiſtit, vel illud, quod denotat intrinſecum ordinem ad exiſtentiam, & ita roſa, quæ non eſt, poteſt tamen eſſe, eſt ens in actu, de quo hic agimus, quia quamuis non exiſtat actu, habet tamen intrinſecum ordinem ad exiſtentiam, & ita collocabitur in categoriis.

Ad 5. *Ad quintum* reſpond. duplicem eſſe ſynonymiam, vnam poſitiuam, & aliam negatiuam: poſitiua dicitur, cuius nomen & ratio eſt multis communis: negatiua vero eſt, naturam non eſſe homonymam. Itaque nihil aliud erit, eſſe aliquid ſynon. negatiue, quam non eſſe homonymum, de quo genere ſynonymiæ hic loquimur, quando aſſerimus, naturam, quæ continetur in categoriis, debere eſſe ſynonymam, qua ratione indiuidua ſunt ſynonyma, quia non ſunt ſynonyma.

Ad vlt. *Ad vltimum* dicimus, verum eſſe, definitionem hauriendam eſſe ex categoriis, negamus tamē inde ſequi, illam in categoriis eſſe comprehenſam, quia categor. ſunt voces ſimplices, diffinitio vero eſt dictio compoſita.

QVÆSTIO VI.

An ens, quod eſt diuiſum in decem categorias, ſignificet eſſentiam, necne?

APud Ariſtotelem, D. Thomam, & apud alios probatos auctores, nomen entis ſignificare aliquando eſſentiam, & aliquando exiſtentiam, diximus 1. *lib. Tranſcendentium, cap. 3.* vt ſignificat eſſentiam, communi nomine dicitur ens nominaliter, vt autem exprimit exiſtentiam, ens participialiter appellatur. Quærimus igitur, quonam ens ſit illud, quod eſt diuiſum in decem categorias ab

Ariſt.

Ariſtot. nam ens, quod ſignificat eſſentiam, vel potius illud, quod denotat exiſtentiam: nam tantum eſſe illud, quod denotat exiſtentiam, hæc argumenta confirmare videntur.

argum. *Primum.* Ens actu eſt illud, quod eſt diuiſum in decem categorias, vt omnes Dialectici profitentur: ſed ens, vt ſignificat exiſtentiam, eſt ens actu, nõ autem, vt ſignificat eſſentiam, nam eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam, ergo ens, quod ſignificat exiſtentiam, erit illud, quod eſt diuiſum in decem categorias.

.argum. 2 Ens diuiſum eſt in decem categorias iuxta ſuum nobilius ſignificatum, etenim quæ infra limites categoriæ continentur nobiliori modo, ſunt entia, quam illa, quæ ſola poteſtate inter huiuſmodi limites includuntur: ſed exiſtentia eſt nobilior multo, quam eſſentia, eſt enim ipſemet actus rerum, à quo in rebus eſt tota nobilitas haurienda: ergo ens, quod ſignificat exiſtentiam, erit illud, quod eſt diuiſum in decem categorias.

.argum. *Iam.* Illud ens, cui conueniunt proprietates entis, quod eſt tranſcendens, eſt illud idem, quod eſt diuiſum in decem categorias: ſed enti, quod ſignificat exiſtentiam, conueniunt proprietates entis quod eſt tranſcendens: ergo hoc ens erit diuiſum in categorias. Confirmatur aſſumptio, nam propoſitio eſt perſpicua. Bonum eſt proprietas entis: ſed illud tantum conuenit enti, vt ſignificat exiſtentiam, eſt enim ratio illius eſſe appetibile, quod tantum rei exiſtenti poteſt conuenire: ergo proprietates entis, quod eſt tranſcendens, tantum conuenient enti, vt ſignificat exiſtentiam.

.Opinio. Caietanus vir eruditiſſimus, explicans hanc quæſtionem *in comment. in cap. 4. de ente & eſſentia*, in ea eſt opinione, vt exiſtimet, ens, quod eſt diuiſum in decem categorias, eſſe illud, quod ſignificat exiſtentiam, & non illud, quod ſignificat eſſentiam, cuius opinionem multi Philoſophi poſteriores, illius auctoritate ducti, ſequuti fuerunt.

.Opinio. Contrariam tamen ſententiam, nimirum ens, quod ſignificat eſſentiam, eſſe ſolum illud, quod eſt diuiſum in decem categorias, amplectuntur viri celebres, Capreolus *in 1. diſtin. 8. quæſt. 1. ad 10. aduerſus 1. concluſ.* Deça *in eadem diſt. & quæſt. notabili 2.* Ferrarien. *1. contra gentes, cap. 25.* M. Soto *cap. 4. antecateg. q. 1.* & Argen *in 2. diſt 3. q. 1. art. 2.* Quæ certe opinio (bona venia Caietani dictum ſit) eſt multo verior, & probabilior, atque ita vt illam explicemus, ſit prima aſſertio.

1. Concluſio. Illud ens, quod eſt per ſe diuiſum in decem categorias, eſt ens, vt ſignificat eſſentiam, vel, vt aliorum verbis vtar, eſt ens nominaliter ſumptum. Quæ concluſio apertiſſimis teſtimoniis D. Thomæ poteſt confirmari, is enim *1. argum.*
Angelicus Doctor, *quodlib. 2. quæſt. 2. art. 1. & lib. 10. Metaphyſic. lect. 3.* apertiſſime docet, ens, quod eſt diuiſum in decem genera ſuprema, eſſe illud, quod ſignificat cuiuſque rei eſſentiam, atque naturam. Præterea. Illud ens eſt diuiſum in categor. quod eſt diuiſum in actum, *2. argum.*
& poteſtatem, vel quod idem eſt illud, quod aliquando eſt, & aliquando poteſt eſſe, cum non ſit, ita enim Ariſtot. *3. Phyſicor. cap. 1. & 12. lib. Metaphyſic. cap. 4.* docere videtur, inquiens, in vnaquaque categoria dari illud, quod eſt actu, & illud, quod eſt poteſtate, & D. Thomas *in loco citato ex lib. 10 Metaphyſ.* docet in poſtremis verbis illius lectionis, ens, quod eſt diuiſum in categorias, eſſe illud, quod ſignificat eſſentiam actu, vel poteſtate. Verba illius ſunt: *Ens, quod diuiditur in decem prædic. ſignificat ipſas naturas decem generum, ſecundum quod ſunt actu, vel potentia.* Sed ens, quod ſignificat exiſtentiam, non eſt diuiſum in actum & poteſtatem, quia exiſtentia eſt actus ſimplex, imo eſt ipſamet rerum omnium actualitas, at quod eſt actualitas, non poteſt in actum & poteſtatem diuidi: nam ſi diuideretur, fieret, vt actus ſub poteſtate contineretur: eſſentia vero aliquando eſt actu, & aliquando poteſtate, ergo ens, quod eſt diuiſum in decem categorias, erit illud, quod ſignificat eſſentiam. *Ad hæc.* In cate- *3. argum.*
goriis illa tantum attributa continentur, quæ per ſe & neceſſario de ſuis ſubiectis prædicantur: ſed exiſtentia neque neceſſario, neque per ſe de rebus dicitur, non neceſſario, quia omnes creaturæ poſſunt non exiſtere: neque per ſe, cum non ſit de eſſentia ipſarum rerum, aut vero proprietas: ergo non illud ens quod ſignificat exiſtentiam, ſed illud, quod denotat eſſentiam, erit in categor. diſtributum. *Rurſus* Hæc *4. argum.*
eſt ſeries categoriæ ſubſtantiæ, Thomas eſt homo, homo eſt animal, animal eſt corpus animatum, corpus animatum eſt corpus, corpus eſt ſubſtantia, & hæc altera categoriæ quantitatis, linea recta eſt linea, linea eſt quantitas coniuncta, quantitas coniuncta eſt quantitas, ſed in his ſeriebus & coordinationibus, verbum eſt, non ſignificat exiſtentiam, nam ſiue res extiterint, ſiue non extiterint, hæ propoſitiones ſunt conſtantes, & ſemper veræ; ergo non erit ens, quod ſignificat exiſtentiam diuiſum in decem categorias.

Secunda concluſio. Exiſtentia non contine- *2. Concl.*
tur in certa aliqua categoria, ſed ſeſe per omnes diffundit, vnde reductiue continebitur in cate-

goriis

Digitized by Google

goriis hac lege, vt exiſtentia ſubſtantiæ contineatur reductiue in hac categoria, & exiſtentia quantitatis in categor. quantitatis, & ſic de aliis omnibus. Hanc concluſionem profitentur D. Thom *quodlib. 2. q. 2. art. 1. & in 1. diſt. 8. q. 4. art. 2.* Capreolus *in hac diſtinct. q. 1. art. 3. ad 3.* Caietan. *cap. 5. de ente & eſſentia, q. 10.* Scotus *in 2. diſt. 3. q. 3.* Durand. *in 1. diſtin. 8 q. 2.* Soncinas *4. Metaphyſ. q. 12* & Iauellus *in tract. Tranſcend. cap. 4.*

Non contineri in certa aliqua categoria, confirmatur ex eo, quia per omnes illas ſeſe diffundit, & diuagatur: nam & in categoria ſubſtantiæ, & in categor. quantitatis, & in catego. qualitatis datur propria & peculiaris exiſtentia. Et ſane ſi eſſentia ſeſe diffundit per omnes categorias, & exiſtentia quoque, quæ eſt illius terminus, ſeſe diffundet. At contineri reductiue in categoria eſſentiæ, quam terminat, ita vt exiſtentia ſubſtantiæ contineatur in catego. ſubſtantiæ, & quantitatis in categ. quantitatis, his duobus argumentis poſſumus demonſtrare.

1. argum. *Primum.* Actus & potentia continentur in eadem categoria, vt auctor eſt Ariſtot *9. Metaphyſicor. 7. & 2. de anima, cap. 1.* ſed exiſtentia eſt actus eſſentiæ, eſſentia vero eſt potentia quædam recipiens exiſtentiam, & quæ actuatur per eam, cum igitur eſſentia ſubſtantiæ ſit in categor. ſubſtantiæ, & eſſentia accidentium in categoriis eorundem accidentium, exiſtentia ſubſtantiæ continebitur in categoria ſubſtantiæ, & exiſtentia accidentium in categoriis accidentium.

2. argum. 2. A qualibet forma fluit exiſtentia, quemadmodum & eſſentia eiuſdem categor. ergo à forma ſubſtantiali fluet exiſtentia ſubſtantialis, & à forma accidentaria, exiſtentia accidentaria, quare cum forma ſubſtantialis ſit in categoria ſubſtantiæ, & formæ accidentariæ ſint etiam in categoriis accidentium, exiſtentia ſubſtantialis continebitur in categoria ſubſtantiæ, & exiſtentia accidentaria in categoriis accidentium.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta, quæ in principio propoſuimus. *Ad primum* reſpond. Inprimis duplicem eſſe actum, vnum ſecundum eſſentiam, & alterum ſecundum exiſtentiam: ens igitur, quod eſt diuiſum in decem categorias, eſt illud, quod ſignificat actum eſſentiæ, non autem illud, quod ſignificat actum exiſtentiæ. Vel reſpondere poſſumus, ens, vel quod ſignificat actum, vel quod denotat habitudinem ad illum, eſſe illud, quod eſt diuiſum in decem categor: at eſſentia rerum, quæ continentur in categor. denotat intrinſecam habitudinem ad exiſtentiam.

Ad 2. *Ad ſecundum* neganda eſt propoſitio, non enim illa, quæ ſunt nobiliora, quia nobiliora ſunt, continentur per ſe in categor. ſed quæ ſignificant naturas integras, & abſolutas: differentiæ ſiquidem nobiliores ſunt generibus, quæ tamen non per ſe, ſed reductiue in categor. collocantur. Vnde quamuis exiſtentia ſit nobilior eſſentia, quia tamen non ſignificat naturam integram, qualem eſſentia denotat, non per ſe, ſeu reductiue continebitur in categoriis.

Ad 3. *Ad tertium* reſpond. bonum non tantum conuerti cum exiſtentia, ſed etiam cum eſſentia, vt denotat intrinſecum ordinem ad exiſtentiam, eſt enim eſſentia hac ratione ſumpta appetibilis. Itaque ens, quod ſignificat eſſentiam, non vt præſcindit ab exiſtentia, ſed vt denotat intrinſecum ordinem ad eam, erit illud, quod eſt diuiſum in categorias.

QVÆSTIO VLT.

An ſit collocanda vndecima categoria entium rationis, necne?

VLtimo proponenda erit quæſtio, an præter has decem categorias entium rei, ſit alia vndecima entium rationis conſtituenda, necne? vel num hæc entia rationis reductiue in categoriis entium rei contineantur. Et quidem non eſſe vndecimam categoriam conſtituendam, confirmatur *primo* ex Ariſt. *1. argum.* qui accuratiſſime de categoriis earumque numero diſſerens, tantum proponit decem, hanc vndecimam entium rationis prætermittens.

2. argum. 2. D. Thom. *1. p. q. 28. art. 1* conſtituit in categoria relationis cõtineri relationes rationis, vt relationem generis ad ſubiectum, & ſubiecti ad attributum, & alias huius generis: igitur ex ſententia D. Thomæ non conſtituent ipſa entia rationis Logica peculiarem categoriam, ſed collocabuntur in categoriis relatorum.

3. argum. *Ad hæc.* Relata diffiniuntur, quorum tota vis & natura ſita eſt in hoc, vt ad aliud referantur, ſed tota vis entium rationis eſt, vt ad aliud referantur: ergo entia rationis Logica continebuntur in categor. relationis rei, neque peculiarem conſtituent categoriam.

4. argum. *Demum.* Genus ſupremum non eſt incluſum in vltimis differentiis, nam ens ex eo non eſt genus, quia non eſt incluſum in vltimis differentiis, vt docet Ariſtot *3. Metaphyſ. cap. 3.* ſed ens rationis in communi eſt incluſum in vl-

Digitized by Google

timis differentiis entium rationis particularium, nam cum illę non ſint entia rei, erunt entia rationis: ergo ens rationis non poterit eſſe genus ſupremum, & ita non erit collocanda peculiaris categoria entium rationis, in qualibet ſiquidem categor. debet aſſignari aliquod genus ſupremum.

Opinio. Propter hęc, & alia huius generis argumenta, opinantur quidam, entia rationis non conſtituere nouam categoriam, ſed reuocari ad categorias entium rei, hac lege, vt relationes rationis contineantur in categoriis relatorum: priuationes vero, & negationes ad categorias formarum, vel affirmationum, quas priuant, vel negant, vt non hominem ad categor. ſubſtantiæ, in qua homo continetur, & cæcum in categor. qualitatis, in qua viſus collocatur. Hanc ſententiam ſequuntur Sueſanus 7. *Metaphyſ. q 6 cap. 4.* Villalpandus *in Porphyr. cap. de ſpecie. in quæſt. de ſufficien. prædicamen.* Toletus *in quæſt. 1. Poſtcategor.* Burlæus, Buridanus, & alii Nominales, *in comment. huius loci, & in Poſtcategor.*

2. Opinio. Eſſe tamen aliam vndecimam categoriam entium rationis collocandã, profitentur alii Philoſophi, Niger *in 2. part. clypei, q. 6.* M Soto *quæſt. vlt. Antecategor. in calce illius*, Paulus Venetus, & multi ex recentioribus, *in comment. huius loci*, quæ ſane opinio eſt multo verior, & probabilior. *Obſer.* Verum cum ens rationis ſit à nobis diuiſum cum cõmuni ſchola Thomiſtarum, ac ceterorum Philoſophorum (dum agerimus de rebus vniuerſis, *ſect. 3 q. 1.*) in negationem, priuationem, & relationem, negatio eſt, vt non homo, priuatio vt cæcitas, & relatio, vt ſubiectum, vel attributum, qua ratione hæc omnia collocentur in categoriis, his aſſertionibus explicabimus. Sit prima.

1. Concluſio. Entia rationis non collocantur per ſe in categor. entium rei. *1. argum.* Confirmatur primo ex Ariſtotele, qui 5. *Metaphyſ. cap. 7.* à categoriis excludit ens verum, vel in anima, vel, quod idem eſt, ens rationis, vt D. Thomas, Alexander, & Auerroes interpretantur. *2. argum.* *Iam.* Quæ continentur per ſe in aliqua categoria, conueniunt quoque in aliqua natura ſynonyma, nam conueniunt in genere ſupremo, quod eſt natura ſynonyma, at enti rei & rationis nihil, quod fuerit ſynonymum, poteſt eſſe commune, vt in ſuperiori ſectione docuimus.

2. Concluſio. 2. *Concluſio.* Priuationes, & negationes non continentur per ſe in aliqua categoria, ſed reuocantur ad categor. ſuarum formarum, vel affirmationum. Communis eſt & concors hæc ſententia apud Philoſophos, vt videre licet in Simplic. & Ammon *in vlt. cap. Antecategor.* & Dexippo *lib. 1. quæſt. cap 34* & in D. Auguſtin. 5. *lib. de Trinit. cap. 7.* Vnde non arbor continebitur in categoria ſubſtantiæ, vbi arbor collocatur, ſurditas in categor. qualitatis ſub ſecunda ſpecie, in qua auditus continetur: & tenebræ in eadem categor. ſub patibili qualitate, in qua lux eſt contenta.

3. *Concluſio.* Relationes rationis, quas communi nomine notiones ſecundas appellamus, conſtituunt propriam, & peculiarem categoriam, diſtinctam ab aliis categoriis entium rei. Hanc cum M Soto, Nigro, & aliis profitemur, confirmamusq; aduerſus auctores, quos propoſuimus in prima opinione, his argumentis. *3. Concl.*

Primum eſt. Quidquid continetur in categoriis rei, eſt ens per ſe, aut ens in alio, tanquam in ſubiecto, quia hi ſunt duo quidam generales modi contrahentes ens ad accidentia, & ſubſtantiam, & ad omnia alia, quæ ſunt entia rei, ſed ens rationis neque eſt ens per ſe, quia non eſt ſubſtantia, neque eſt in alio, tanquam in ſubiecto, quia inhærere in alio, tanquam in ſubiecto, eſt proprietas fluens ab accidente rei, quæ nulla ratione poteſt enti rationis conuenire, vt oſtendimus, quando egimus de rebus vniuerſis aduerſus Scotum, ergo ens rationis non collocabitur in categoriis entium rei. *1. argum.*

Secundum. Si ens rationis collocaretur in categoriis entiũ rei, vel ex eo eſſet, quia ipſum denominat ens rei, vel quia ens rei eſt fundamentum ipſius: ſed hæ cauſæ nullæ ſunt: ergo ens rationis non collocabitur in catego. rei. Primam rationem eſſe falſam, ſic inprimis demonſtramus. Omnes categoriæ accidentium denominant ſubſtantiam, quædam intrinſece, & alia extrinſece, cum tamen contineantur in categoria ſubſtantiæ: ergo, &c. Deinde neque ſecundam alicuius eſſe momenti, in hunc modum oſtendimus, quia albedo eſt fundamentum ſimilitudinis, quæ tamen eſt in ea categoria contenta, in qua ſimilitudo non continetur, nimirum in categoria qualitatis, à qua ſimilitudo arcetur, cum in categor. relationis ſit comprehenſa: quare licet ens rei ſit fundamentum entis rationis, non tamen ob hanc cauſam ens rationis continebitur in categoria entis rei. *2. argum.*

Tertium argumentum. Omnis attributio per ſe, directa, ſimplex, & ſynonyma eſt in aliqua categoria, ſed hæc attributio, notio generis eſt vniuerſum, eſt per ſe in primo modo, *3 argum.*

Digitized by Google

quia attributum eſt de eſſentia ſubiecti, directa, quia id, quod eſt attributum, habet locum attributi: prætetea eſt ſimplex, quia tam ſubiectum, quam attributum ſignificant rem vnam & eandem, vnoque ſolo duntaxat nomine ac voce exprimuntur: denique eſt ſynonyma, quia ens rationis eſt genus ad notionem generis, ſpeciei, &c. ergo debet in aliqua categoria eſſe contenta: ſed non eſt in aliqua categoria entis rei, vt eſt apertum: ergo conſtituenda erit vndecima categoria entium rationis.

4 argum. *Præterea*, categoria eſt ſeries & ordo generum, formarum, & indiuiduorum, ergo vbicunque reperientur hæc omnia, erit peculiaris categoria conſtituenda, ſed in entibus rationis reperiuntur genera ſuprema, & intermedia, ſpecies infimæ, & indiuidua: ergo conſtituenda erit peculiaris categ. entiũ rationis. Aſſumptio probãda eſt, ꝓpoſita ſerie categ. entiũ rationis, nam ens rationis Logicũ prima diuiſione diuiditur in vniuerſum & ſingulare: deinde ſingulare in ſingulare certum, vt Petrus, ex hypotheſi, vt Sophronici filius, & ex demonſtratione, vt hic homo: atque vagum, vt quidam leo. Prætermiſſis ſingularibus, ens rationis, quod eſt vniuerſum, diuiditur in vniuerſum, quod prædicatur in quid, & quod effertur in quale, prætetea quod prædicatur in quid, in genus & ſpeciem: ad hæc quod prædicatur in quale, in illud, quod prædicatur ſecundum eſſentiam, & hoc eſt differentia, & in illud, quod prædicatur ſecundum accidens, quod ſi fuerit cum ſubiecto, reciprocum eſt proprium: ſi vero latius pateat, eſt commune accidens, ex quibus omnibus colligi poteſt hæc ſeries categor. Genus ſupremum eſt ens rationis Logicum, genera intermedia ſunt vniuerſum, quod continetur immediate infra ens rationis, vniuerſumque prætetea, quod tantum dicitur in quid, quod eſt generi & ſpeciei commune, & vniuerſum, quod dicitur in quale: Rurſus vniuerſum, quod dicitur in quale, ſecundum eſſentiam, & quod dicitur in quale ſecundum accidens Species infimæ ſunt notio generis, & notiones aliarum quinque vocum vniuerſarum. Indiuidua tandem ſunt hæc notio generis, illa notio ſpeciei, & ſic de aliis. Iam igitur conſtituenda erit ſeries & ordo categoriæ in entibus rationis.

Ad 1. argum. Ad argumenta in initio propoſita. *Ad primum* negamus inprimis conſequentiam, argumentum enim petitum ab auctoritate negatiue, nullius eſt momenti: quantumuis enim hæc categoria non ſit conſtituta ab Ariſtotele, non tamen repugnat illius decretis. Vel reſpondere poſſumus, Ariſtotelem in categor. ſolum inſtituiſſe agere de entibus rei, ideoque prætermiſiſſe hanc categor. entium rationis.

Ad 2. *Ad ſecundum* reſpond. ex Caietan. *eo loco*, & Ferrarien. *4. contra gentes, cap. 14.* relationem duobus modis ſumi poſſe, *primo* in communi, vt tantum denotat habitudinem vnius extremi ad alterum: ſecundo in particulari, vt huiuſmodi habitudo contrahitur per ens rei ad categoriam relationum rei. De relatione primo modo non agimus in categor. rei, ſed tantum de relatione ſecundo modo, ſolum namque agimus de relatione rei interueniente inter extrema rei. Vnde D. Thomas intelligendus eſt de relatione primo modo, etenim illa poteſt etiam entibus rationis conuenire: at nos, cum docemus, entia rationis non contineri in categoria relationis, neque in alia categoria entis rei loquimur de relatione ſecundo modo ſumpta, vt eſt contracta per eſſe rei ad categoriam etiam rei, hac enim ratione ſumpta non poteſt continere entia rationis.

Ad 3. *Ad tertium* dicimus, in diffinitione relatorum, de quibus agit Ariſtoteles in categor. relationis rei, ſubintelligi debere particulam iſtam, entia rei, ita vt ſenſus ſit, relata ſunt entia rei, quorum tota vis eſt referri ad aliud, quę diffinitio, ſi hoc modo intelligatur, non amplectitur entia rationis, cum hæc non ſint entia rei.

Ad 4. *Ad quartum & vltimum* reſpond. ens rationis poſſe ſumi duobus modis: primo, vt eſt diuiſum contra ens rei, qua ratione continet omnia entia rationis, tam perfecta, quam imperfecta: ſecundo vero modo ſumitur paulo contractius, vt tantum exprimit naturam integram, quæ non eſt pars, neque differentia alterius. Primo modo ens rationis prædicatur de vltimis differentiis, cæterum hac ratione non eſt genus, ſed analogum, & tranſcendens: ſecundo vero modo non prædicatur de vltimis differentiis, quæ ſunt entia imperfecta, & partes alterius, qua ratione conſtituimus, ens rationis Logicum eſſe genus ſupremum huius categoriæ. Hactenus igitur de prima parte huius operis, nimirum de Antecategoriis.

DE SVBSTANTIA.

CAPVT I.

Argvmentvm Capitis.

DIſtributum eſt caput in tres partes præcipuas, nam in prima Ariſtoteles agit de diuiſione ſubſtantię in primam & ſecundam, proponitq; vtriuſque diffinitiones: in ſecunda confert ſubſtantias primas cum ſecundis, & ſecundas inter ſe: in tertia tandem parte capitis proponit ſex proprietates, quibus quaſi manu ducimur ad naturam & eſſentiam ſubſtantiæ intelligendam.

A *SVbſtantia autem, quæ potiſſimum ac primum & maxime appellatur, ea eſt, quæ nec de ſubiecto vllo dicitur, nec in ſubiecto vllo ineſt, vt quidam homo, quidam equus.* B *Secundæ autem loco ſubſtantiæ vocantur ſpecies, & ea, in quibus, quæ primæ nominantur ſubſtantiæ, inſunt. Itemque earum formarum genera, velut quiſpiam homo ſpecie quidem hominis continetur. Speciei autem genus eſt animal. Hæ igitur ſecundæ ſubſtantiæ nominantur, vt homo, vt animal.* C. *Perſpicuum eſt autem ex iis, quæ dicta ſunt, eorum, quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſſe, & nomen de ſubiecto dici, & definitionem, vt homo, de ſubiecto quopiam homine dicitur, & nomen certe dicitur. Siquidem quempiam hominem, tu hominem recte appellabis. Atque etiam hominis de aliquo homine dicetur definitio. Homo enim quiſpiam, & homo eſt, & animal rationis particeps, mortale. Ergo & nomen de ſubiecto dicetur, & definitio. At vero, quæ in ſubiecto inſunt, permulta ſunt, quorum neque nomen, neque definitio de re ſubiecta dicitur: nonnullorum nomen nihil prohibeat dici de ſubiecto interdum, etiamſi non poſſit definitio. Veluti candidum, cum ſit in ſubiecto corpore, de ſubiecto dicitur. Candidum enim corpus dicitur. At candidi definitio nunquam de corpore dicetur.* D. *Cætera vero omnia, vel de primis ſubſtantiis ſubiectis dicuntur, vel in iis ſubiectis inſunt. Quod perſpici poterit ex ſingulis rebus, ſi eas pro exemplis ſubiicere velimus, veluti animal de homine dicitur, de quopiam igitur etiam homine dicetur. Si enim de ſingulorum hominum nomine, ne de homine quidem dicetur omnino. Rurſum ineſt color in corpore, ergo & in aliquo corpore. Nam ſi in nullo eſt ſingulorum corporum, neque in vniuerſo corpore. Itaque reliqua omnia aut de ſubiectis primis ſubſtantiis dicuntur, aut in eis ſubiectis inſunt.* E. *Quocirca ſublatis primis ſubſtantiis, nihil loci relinquitur cæteris omnibus.* F. *Porro ſecundarum ſubſtantiarum ſpecies magis ſubſtantia eſt, quam genus, quoniam ad primam ſubſtantiam propius accedit. Si enim, quid ſit prima eſſentia, quiſpiam explicet, planius id & familiarius faciat vſus ſpecie, quam ſi genus adhibuiſſet: veluti apertius cuiuſdam hominis naturam explicabit, qui hominem eſſe dicet, quam qui animal. Eſt enim magis propria ſpecies cuiuſpiam hominis, at genus communius. Item, ſi quis, quid ſit aliqua arborum ſingularum aperiat, apertius ac familiarius docebit, ſi arborem dicat eſſe, quam ſi plantam.* G. *Nam prima ſubſtantia, quia cæteris omnibus ſubiecta ſunt, reliquaq; omnia de eis dicuntur, aut in eis inſunt, idcirco maxime ſubſtantiæ nominantur. Quam autem habent rationem ad cætera omnia primæ eſſentiæ, eandem habet ſpecies ad genus. Subiicitur enim generi ſpecies, quippe cum de ſpeciebus genera dicantur, nec ſpecies generibus ex hac parte reſpondeant. Ita fit etiam ex his, vt ſpecies magis, quam genus, nomen obtineat ſubſtantiæ.* H. *At vero ſpecies nulla, earum quæ genera non ſunt, magis quam altera ſubſtantia eſt. Nemo enim cuiquam ſingulorum hominum, nomen hominis adhibebit aptius, quam equi, cuipiam equorum ſingulorum.* I. *Similiterq; in primis eſſentiis ac naturis, nihil magis aliud alio ſubſtantia eſt. Neque enim quiſquam ſingulorum hominum magis eſſentia eſt, quam bos aliquis.* K. *Iure autem poſt primas eſſentias ſpecies ſola ac genera eſſentiæ ſecundæ nominantur. Hæc enim ſola eorum, quæ dicuntur, primam ſubſtantiam deſignant atque declarant. Nam ſi quis velit explicare, quid ſit quidam homo, iſque vel ſpeciem afferat, vel genus, apte ille quidem fecerit, licet planius, ſi hominem eſſe dicat, quam ſi animal feciſſe videatur. At ſi quid cæterorum omnium afferat, alienum id futurum eſt, & ad eam rem minime accommodatum, vt ſi candidum eum dicat, vel currere, aut aliud quiduis generis eiuſdem. Quapropter ex reliquis omnibus, hæ ſola merito ſubſtantiæ vocantur. Præterea quoniam cæteris omnibus primæ ſubſtantiæ ſubiectæ ſunt, quoniamq; reliqua*

de eis

de eis omnia dicuntur, vel inſunt in ipſis, ob eam cauſam principales dicuntur ſubſtantiæ. Quod autem ſunt ad cætera omnia primæ ſubſtantiæ, hoc & genera ſunt & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia. De his enim cætera omnia dicuntur. Vt enim quempiam hominem Grammaticum dices, ſic & hominem Grammaticum & animal: ſimiliterque in cæteris omnibus. L. *Hoc autem omni ſubſtantiæ commune eſt, non ineſſe in ſubiecto. Nam nec in ſubiecto prima ſubſtantia eſt, nec de ſubiecto vllo dicitur: de ſecundis vero ita perſpicuum fiet, eas in nullo eſſe ſubiecto. Homo enim etſi de ſubiecto quopiam homine dicitur, tamen in nullo ſubiecto ineſt. Neque enim in quodam homine homo ineſt. Itemque animal de ſubiecto quopiam homine dicitur, cum interim animal in aliquo homine non inſit. Iam vero eorum quæ in ſubiecto inſunt, nihil impedit, quo minus nomen illud quidem interdum de ſubiecto dicatur, ſed tamen nunquam definitio poteſt. At ſecundarum ſubſtantiarum & definitio poteſt de ſubiecto & nomen dici. Hominis enim alicui homini conuenire dicas definitionem, itemq; animalis. Non igitur in iis quæ in ſubiecto inſunt, eſſe ſubſtantia vllo modo poteſt.* M. *Sed non eſt ſubſtantiæ hoc proprium: quin etiam ſunt in iis, quæ non ſunt in ſubiecto, differentia. Nam gradiens & bipes de ſubiecto aliquo homine dicuntur, nec ſunt in ſubiecto. Neque enim in homine bipes ineſt, neque gradiens. Atque etiam de eo differentiæ diffinitio, cuius eſt differentia, dicitur, vt ſi gradiens de homine dicatur, dicetur etiam de homine gradientis diffinitio. Eſt enim homo id ipſum quod gradiens.* N. *Nec vero conturbare nos debent ſubſtantiarum partes, quaſi inſint in totis, vt in ſubiectis, ne quando eas ſubſtantias negare cogamur. Ea enim in ſubiecto eſſe negauimus, quæ vt partes ineſſent.* O *Hoc autem eſſentiis ipſis & differentiis tributum eſt, vt de quibus ipſa dicuntur ſynonymos ea ab iis dicantur. Omnes enim quæ ex illis ducuntur attributiones ſunt in eo, quod aut indiuiduis, aut formis attribuuntur. Nam ex prima quidem ſubſtantia quoniam de ſubiecto nulla dicitur, nulla attributio ducitur. At ſecundarum ſubſtantiarum forma de indiuiduis dicuntur, genus autem & de ſpeciebus, & de indiuiduis. Itemq; differentia de formis indiuiduiſq; dicuntur. Verum primæ ſubſtantiæ, & formarum etiam ſibi vendicant, & generum definitionem, & ſpeciem illam generis. Quæ enim de attributæ dicuntur, de ſubiecto quoq; dicuntur omnia. Eodemq; modo differentiarum definitio formis & indiuiduis conuenit. Atqui ſynonyma definita ſunt ea, quorum nomen commune eſt, eademq; definitio. Omnia igitur quibus ſubſtantia & differentia attribuuntur, ſynonymos ab his dicuntur.* P. *Omnis &t ſubſtantia hoc aliquid ſignificare videtur. Ac in primis quidem eſſentiis non eſt id dubium: ſed verum eſt eas hoc quiddam ſignificare, præſertim cum indiuiduum, quodq; vnum numero eſt, declaretur illis & exprimatur: ſecundæ autem videntur illæ quidem ſimiliter, figura appellationis, hoc quippiam ſignificare, cum dicitur homo vel animal, non tamen id verum eſt, ſed tale aliquid potius ſignificant. Neq; enim res vna ſubiecta eſt, vt in prima ſubſtantia: ſed de multis homo animalq; dicuntur. Neq; tamen ſimpliciter tale aliquid ſignificant, ſicut album. Nomen enim albi niſi qualitatem nihil ſignificat. At genus & ſpecies in ſubſtantia qualitatem deſignant & adſignificant: Significant enim talem aliquam ſubſtantiam. Verum in genere latius patet quam in ſpecie illa qualitatis adſignificatio: quoniam qui nomen animalis profert, plura quam is qui hominis complectitur.* Q. *Iam hoc etiam ſubſtantiis conuenit, vt ipſis nihil ſit aduerſum. Nam primæ quidem ſubſtantiæ, vt cuipiam homini vel cuipiam animali, quid aduerſum eſſe poſſit? Nihil enim eſt quod ei ſit ex aduerſo oppoſitum. Ne homini quidem aut animali.* R. *Sed hoc proprium non eſt ſubſtantiæ, quin etiam in pleriſq; aliis rebus hoc cernitur, veluti in quantitate. Neq; enim ſi cubito aut tricubito quicquam contrarium eſt, ſed nec numero denario, nec cuiquam rei eiuſdem generis: niſi forte dicat aliquis multa paucis eſſe cõtraria, aut magna paruis: ſed illud profecto verũ eſt, definitis quantitatibus nihil aduerſari.* S. *illud præterea ſubſtantiis cõuenit, vt nec elationem nec ſummiſſionem ſuſcipere poſſint. Quod non ita dictum velim, quaſi ſubſtantia alia, alia nec magis nec minus ſubſtantiæ nomen obtineat, hoc enim conceſſum eſt: ſed hoc volo, nullam ſubſtantiam, id ipſum quod ſuapte natura eſt: illud magis & minus ſibi vendicare. Veluti ſi homo ſubſtantia eſt, nec ipſe ſeipſo magis aut minus eſt, nec alter altero magis eſt aut minus homo. Neq; enim alter altero nomẽ hominis magis obtinet, ſicuti res alba alia, alia albior eſt, & minus alba: & honeſtũ aliud alio honeſtius eſt, & minus honeſtũ. Quin etiam idem ſeipſo magis & minus tale dicitur, vt corpus cum album ſit, hoc tempore quam antea, albius vocatur: & quod calidum eſt, magis minuſq; calidum: At vero eſſentia nec magis nec minus eſſentia nominatur. Neq; enim homo nunc magis quam antea nomen hominis obtinet, nec quicquam eorum quæ ſubſtantiæ appellantur: Quare non patitur ſubſtantia illud magis, aut minus ſibi tribui.* T. *Sed hoc ſubſtantiæ eſt propriũ maxime, vna eademq; cum ſit numero, vim habere accipiendi contraria: ita vt cæterorum omnium quæ non ſint ſubſtantiæ nihil quiſquam afferre poſſit, quod vnum idemq; manens cõtraria poſſit accipere. Vt color qui ſit vnus & idem numero, niger non dicitur, & albus: neq; eadẽ & vna numero actio vitioſa & recta. Eadem*

eſt cæterorũ omnium ratio, quæ ſubſtantiæ non vocantur. At ſubſtantia cum vna ſit eademq́; numero vim habet accipiendi contraria: veluti vnus idemq́; homo alias albus, alias eſt niger: interdum calidus, interdum frigidus, nonnunquam bonus, nonnunquã improbus: quod in cæteris omnibus non reperitur. V. Niſi forte aliquis occurrat, confirmans contraria accipere & orationem poſſe & opinionem: videtur enim eadem vera & falſa oratio, vt ſi vera eſt oratio, ſedere aliquem, cum is ſurrexerit, hæc ipſa oratio falſa erit. Eademq́; eſt ratio opinionis. Si quis enim vere ſedere aliquem ſentiat, cũ ſurrexit falſo exiſtimabit, ſi eandem de eo habeat opinionem. Quod ſi cui hæc probabuntur, attamen in modo magna eſt diſſimilitudo. Nam ſubſtantia ipſa mutata, vim habent accipiendi contraria: cum enim ex calido quippiam fit frigidum, ipſum mutatur: variatur enim quod nigrum fit ex albo, & bonum ex malo. Itemq́; cætera omnia mutatione accedente contraria accipiunt. At vero oratio & opinio manent ipſa quidem immobiles, omni ex parte, ſed re ea quæ ſubiecta eſt immutata, in eis contraria naſcũtur. Manet enim hæc eadem oratio, ſedere aliquem: re vero mutata, interdum vera, interdum falſa eſt. Eadem eſt ratio opinionis. Quapropter hoc quidem pacto proprium erit ſubſtantiæ, immutatione ſui ipſius accipere poſſe contraria. Quanquam autem quis orationem & opinionem contraria accipere comprobet, profecto non ita eſt. Neque enim ex eo quod aliquid acceperint, contraria ſuſcipere dicuntur oratio & opinio: ſed quia in re alia, aliqua affectio nata eſt. Nã quia res eſt, aut non eſt, idcirco vera eſt aut falſa oratio, non quia poſſit ipſa accipere in ſe contraria. Omnino enim a nullo nec oratio mutatur nec opinio. Nunquam igitur contraria accipiendi facultatem habere queant: quandoquidem in eis nulla exiſtit contraria affectio. At ſubſtantia quod contraria in ipſa exiſtunt, eaque in ſe recipit ipſa, ex eo vim habere dicitur accipiendi contraria. Nam & morbum ſuſcipit & valetudinem, & candorem & nigrorem, atque adeo quod huius generis ſingula in ſe accipit, ex eo vim habere accipiendi contraria dicitur. Quare ſubſtantiæ hoc proprium eſt, vim habere accipiendi contraria, immutatione ſui, cum vnum & idem numero maneat. Ac de ſubſtantia quidem hactenus.

COMMENTARIA.

IActa ſunt fundamenta futuræ tractationis de categoriis, proximum eſt, vt de ipſis ſigillatim & ſeorſum diſſeramus, in quarum explicatione à ſubſtantia tanquam à baſi, & fundamento cæterarum erit diſputatio ſuſcipienda. auſpicatur illam Ariſto. à diffinitione primæ ſubſtantiæ, quam in hunc modum diffinit.

.Pars capitis. A *Subſtantia autem quæ potiſſimum, &c.* Subſtantia quæ proprie, primo, & maxime ſubſtantia dicitur ea eſt, quæ neque dicitur de ſubiecto, neque eſt in ſubiecto, vt quidam homo. In qua oratione non cõtinentur duæ diffinitiones, prima in illis tribus aduerbiis, proprie, primo, & maxime, altera vero in reliqua parte orationis, quæ neque dicitur de ſubiecto, neque in ſubiecto. Nam tria illa aduerbia, nullam continent diffinitionem, ſed ſunt quidam præclari tituli, quibus maxime exprimitur dignitas & excellentia ſubſtantiæ primæ, nam illa ſubſtantia quę eſt proprie, primo, & maxime ſubſtantia, principem locum inter reliquas debet ſibi vendicare. Vnde tota diffinitio continebitur in poſterioribus verbis, quæ neq; dicitur de ſubiecto, neque eſt in ſubiecto. Quæ diffinitio eſt accurata cum ſeparet rem diffinitam à quolibet alio, nam per primam particulam, *Quæ neque de ſubiecto, &c.* ſeparatur à ſubſtantiis ſecundis, quæ dicuntur de ſubiecto: per alteram vero particulam, *Neque eſt in ſubiecto, &c.* ſeparatur ab accidentibus, quæ omnia ſiue fuerint vniuerſa, ſiue ſingularia ſunt in ſubiecto, at vero ſubſtantia prima quia ſubſtantia eſt, non eſt in ſubiecto, ſed per ſe cohæret.

B *Secundo autẽ loco, &c.* Proponit deinde diffinitionem ſubſtantiarum ſecundarum, quas in numero plurali ita diffinit. *Subſtantiæ ſecũdæ vocantur genera, & ſpecies, in quibus primæ continentur.* Vt homo, & animal ſunt ſubſtantiæ ſecundæ, quia Petrus, & Ioannes, qui ſunt ſubſtantię primę cõtinentur in homine, & animali. Conſulto tamen adhibita fuit particula. *In quibus primæ continentur.* Nã quamuis in categoriis accidentiũ dentur genera, & ſpecies, illa tamẽ non ſunt ſecundæ ſubſtantiæ, quia ſub ipſis non continentur ſubſtantiæ primæ, nam Petrus non continetur ſecundum eſſentiam ſub colore, qui eſt genus: neque ſub candore qui eſt ſpecies categoriæ qualitatis. Præterea primas contineri in ſecundis intelligendum eſt poteſtate, nam actu ſecundæ ſunt in primis, quia ſunt eſſentialia attributa illarum.

C *Perſpicuum eſt autem, &c.* Nititur Ariſto. in hac parte capitis ſuadere primam ſubſtantiã iure optimo vocatam eſſe proprie, primo, & maxime ſubſtantiam, ad quod ſuadendum repetit quæ dixerat in Antecateg. quædam ſcilic. eſſe in ſubiecto, & alia dici de ſubiecto, id eſt, quædam eſſe accidentia, & alia eſſe ſubſtantias vniuerſas. Quorũ diſcrimen proponit hoc loco Ariſtot. dicens ea, quæ dicuntur de ſubiecto

Digitized by Google

nomine, & ratione dici de illo, quemadmodum homo dicitur de Petro, & ita nomen, & ratio hominis de illo dicuntur: at illa quæ ſunt in ſubiecto, quædam neque nomine, neque ratione dicuntur de illo, alia nomine duntaxat, non tamē ratione efferuntur de eodem: quæ verba, quia obſcura ſunt in Scholiis 2. interpretatio. propoſitis à nobis explicabuntur.

D *Cætera omnia.* Ex iis connectit Ariſt. rationem qua confirmat ſubſtantiā primam iure eſſe dictam proprie, primo, & maxime ſubſtantiam, quæ in hunc modum ſe habet. Illa vocari debet maxime ſubſtantia, cuius ope cætera indigent: ſed omnia indigent ope primæ ſubſtātiæ vt ſint, ergo prima ſubſtantia vocari merito debet maxime ſubſtantia. Aſſumtionem ita confirmat Ariſt. Quæcunq; ſunt aut dicuntur de prima ſubſtantia, aut ſunt in illa tanquam in ſubiecto, ſed tam illa quæ ſunt in ſubiecto, quam illa quæ dicuntur de ſubiecto, egent ope primæ ſubſtantię: ergo ſubſtantia prima eſt cuius ope omnia indigent. Aſſumtionem oſtēdit, quibuſdam in medium propoſitis exemplis, animal (inquit) dicitur de homine, ergo de quodam homine, nam ſi non diceretur de quodam homine, ergo neq; de homine, iam ergo quæ dicuntur de ſubiecto egent ope primæ ſubſtantiæ vt ſint. Pręterea color eſt in corpore, ergo & in quodā corpore, nam ſi non eſſet in quodam corpore neque eſſet in corpore, iam igitur quæ ſunt in ſubiect. vt color indigebunt ope primæ ſubſtantiæ vt ſint.

E *Quo circa ſublatis, &c.* Ex iiſdem etiam colligit Ariſtoteles (cōmendans maxime dignitatem ſubſtantiarum primarum) ſublatis primis ſubſtantiis nihil loci remanere cæteris omnibus, cuius contrarium docebit Plato, putans ſublatis primis ſubſtantiis remanere ideas quaſdā, quas ipſe vocabat, maxime, & vniuerſas ſubſtantias, etenim ſi ſecundæ ſubſtantiæ, & accidentia exiſtunt in primis ſubſtantiis, recte colligetur, ſi primæ ſubſtantiæ pereant, peribunt quoq; cætera omnia, quod intelligendum eſt ſecundum eſſentiam & exiſtentiam, non autem ſecundum veritatem propoſitionum, vt docuimus agentes de rebus vniuerſis.

2. Pars. opin. F *Porro ſecundarum ſubſtantiarum, &c.* In hac ſecunda parte capitis confert Ariſt. ſubſtantias ſecundas inter ſe, explicās ſpecies eſſe magis ſubſtantias, quam genera, quod confirmat his duobus argumentis.

1. Argum. Primū eſt. Illud vocari debet magis ſubſtantia, quod magis accedit ad primam ſubſtantiam, quæ eſt maxime ſubſtantia, etenim illud quod accedit ad rem, quæ eſt maxime talis, dicitur magis tale, ſed ſpecies magis accedunt ad primas ſubſtantias, quam genera: ergo ſpecies erunt magis ſubſtantiæ, quam genera. Confirmat autem Ariſt aſſumtionem in hunc modum. Illud quod magis exprimit naturam primarum ſubſtantiarum, magis accedit ad primas ſubſtantias, ſed ſpecies magis exprimunt naturam ſubſtantiarum primarum, quam exprimant genera, vt homo magis exprimit naturam Petri, quam animal: ergo ſpecies magis accedunt ad ſubſtantias primas, quam genera.

G *Iam prima ſubſtantia, &c.* Secundum arg. 2. Argum. Subſtantiæ primæ ex eo dicuntur maxime ſubſtantiæ, quia pluribus ſubſtant, ſubiiciuntur enim omnibus accidentibus & ſubſtantiis ſecundis, ſed ſpecies pluribus ſubſtant quam genera, nam ſubiiciuntur omnibus quibus ſubiiciuntur genera, & quibuſdam aliis, quibus genera ſubiici non poſſunt, nam ſpecies ſubiiciuntur, eiſdem generibus, quibus genera ſubiici nequeunt, nihil enim poteſt ſibimet ſubiici: ergo ſpecies propter eandem rationem vocandæ erunt magis ſubſtantiæ quam genera.

H *At vero ſpecies nulla &c.* Confert deinde Ariſt ſpecies atomas inter ſe, inquitque non eſſe vnam ſpeciem atomam, magis ſubſtantiam quam ſit altera, quod ita confirmat. Illa quæ accedunt ex æquo ad aliquod maxime tale, ſunt ex æquo talia, ſed ſpecies atomæ huius categoriæ ex æquo accedunt ad ſubſtantias primas: ergo ex æquo vocabuntur ſubſtantiæ. Aſſumptionem hoc modo confirmat Ariſt Illa quæ ex æquo exprimunt naturam primarum ſubſtantiarum, ex æquo accedunt ad primas ſubſtantias: ſed ſpecies atomæ ex æquo exprimunt naturam primarum ſubſtantiarum, nam ita exprimit naturam huius equi, equus, quemadmodum naturam huius hominis (v.g.) Petri exprimit homo: ergo ſpecies atomæ ex æquo accedent ad primam ſubſtantiam.

I *Similiterq; in primis eſſentiis, &c.* Comparat præterea Ariſt. primas ſubſtantias inter ſe, conſtituitq; non eſſe illas ita affectas inter ſe vt vna ſit magis ſubſtantia quam alia, ſed docet omnes ex æquo vocari ſubſtantias, quod ita confirmat. Subſtantia prima ex eo vocatur magis ſubſtantia, quia ſubeſt omnibus accidentibus, & ſubſtantiis ſecundis: ſed vna ſubſtantia prima non ſubeſt magis accidentibus, & ſubſtantiis ſecundis quam altera: ergo vna ſubſtantia prima, non erit magis ſubſtantia, quam altera.

K *Iure autem* Probat autem Ariſtot. duobus argumentis poſt ſubſtantias primas, genera & ſpecies categoriæ ſubſtantiæ vocari debere ſecundas ſubſtantias. 1. *eſt.* Illæ ſunt dicendæ ſubſtantiæ ſecundæ quæ exprimunt naturam primarum ſubſtantiarum. ſed ſola genera & ſpecies

catego-

categoricæ ſubſtantiæ exprimunt naturam primarum ſubſtantiarum: ergo genera, & ſpecies categoriæ ſubſtantiæ vocanda erunt ſubſtantię ſecundæ. 2. Subſtantiæ primæ ex eo vocantur maxime ſubſtantiæ, quia pluribus ſubiiciuntur: ſed genera & ſpecies categoriæ ſubſtantiæ poſt ipſas primas ſubſtantias, ſubiiciuntur pluribus, etenim ſubiiciuntur accidentibus, & generibus ſuperioribus, ergo poſt primas ſubſtantias genera, & ſpecies categoriæ ſubſtantiæ dicentur ſecundæ ſubſtantiæ.

2. Argum.

3. Pars capitis. L *Hoc autem omni ſubſtantia commune, &c.* In hac tertia & poſtrema parte capitis proponit Ariſt. ſex proprietates ſubſtantiæ, quarum prima eſt. Proprium eſt ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto, quam proprietatem conuenire omni ſubſtantiæ, tam primæ, quam ſecundę, quam etiam differentiis, confirmat Ariſt. ad hunc modum. Imprimis conuenire primis ſubſtantiis ita probat. Subſtantiæ primæ diffinitæ ſunt, quæ neq; dicuntur de ſubiecto, neque ſunt in ſubiecto, ergo non eſſe in ſubiecto proprietas erit ſubſtantiæ primæ. *Deinde* conuenire ſecundis ſubſtantiis probat duobus argumentis, primum inductione adhibita. Nam homo non eſt in Petro tanquam in ſubiecto, neque animal eſt in hoc animali tanquam in ſubiecto, & ſic de aliis: at homo, & animal ſunt ſubſtantiæ ſecundæ: ergo ſubſtantiæ ſecundæ non erunt in primis tanquam in ſubiecto *Deinde.* Quæ prædicantur nomine & diffinitione de aliquo non ſunt in eo tanquam in ſubiecto: ſed ſubſtantiæ ſecundæ prædicantur nomine & diffinitione de primis, nam & hoc nomen homo, & hominis ipſius diffinitio, dicuntur de Petro. ergo ſecundæ ſubſtantiæ non erunt in primis tanquam in ſubiecto.

1. Propriet. ſubſtantia.

M *Sed non eſt ſubſtantia hoc proprium &c.* Præterea hanc proprietatem conuenire differentiis quæ non ſunt ſubſtantiæ integræ. Confirmat etiam Ariſt. duobus argumentis. *Primum* eſt deſumptum ex inductione quadam, Gradiens, & bipes, & ſic de aliis ſunt differentię: at gradiens, & bipes non ſunt in animali, aut in homine tanquã in ſubiecto, cum ſint partes ipſorum, ergo differentiæ non erunt in aliquo tanquam in ſubiecto. 2. *arg.* Quæ prædicantur de aliquo nomine & diffinitione non ſunt in eo tanquam in ſubiecto: ſed differentiæ prædicantur de aliquo nomine, & diffinitione. de ſpecie ſcil. quam conſtituunt, ergo differentiæ non erunt in aliquo tanquam in ſubiecto.

N *Nec vero conturbare nos, &c.* Obiicit tamen Ariſt. aduerſus hanc proprietatem ad hunc modũ. Partes ſubſtantiæ ſunt in toto tanquam in ſubiecto, ſed partes ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ, ſiue per partes ſubſtantiæ intelligamus materiam & formam, ſiue partes integras, ergo hæc proprietas non conueniet omni ſubſtantiæ. Reſpondet Ariſtot. falſam eſſe propoſitionem, nam eſſe in ſubiecto, vt dictum eſt in Antecategor. eſt eſſe in aliquo non tanquam pars, & ita partes non erunt in toto tanquam in ſubiecto, nam aliud eſt eſſe aliquid in toto, & aliud eſſe in ſubiecto.

Solutio.

O *Hoc autem eſſentiis, &c.* Secunda proprietas eſt, proprium eſt ſubſtantiis prædicari ſynonyme, quæ proprietas non conuenit ſubſtantiis primis, quæ de nullo prædicantur, ſed ſecundis ſubſtantiis, & differentiis, quibus huiuſmodi proprietatem conuenire ſic confirmat Ariſt. Illa quæ prædicantur de aliquo nomine, & ratione prædicantur ſynonyme: ſed ſubſtantiæ ſecundę, & differentiæ prædicantur de primis nomine & ratione, ergo prædicantur de eiſdem ſynonyme. Aſſumtio ita confirmatur ab Ariſt. Subſtantiæ ſecundæ ſunt genera & ſpecies, ſed genera, & ſpecies eodem nomine & eadem ratione prædicantur de primis ſubſtantiis, homo enim & animal eodem nomine, & eadem diffinitione prædicantur de Petro: tum etiam & differentiæ, vt particeps rationis, ergo tam ſubſtantię ſecundę, quam differentiæ prædicabuntur eodem nomine, & eadem ratione de primis ſubſtantiis. Addit tamen Ariſt. à prima ſubſtantia nullam fieri poſſe attributionem, id eſt, primam ſubſtantiam de nullo prædicari poſſe, nam cum ſub ſe non contineat inferiora de quibus prædicetur, non poterit de aliquo prædicari, quod intelligendum eſt de prædicatione propria, non tamen de vera: etenim ſi loquamur de vera, prima ſubſtantia poteſt prædicari de ſeipſa, vt docuimus in cap. de ſpecie.

2. Proprieta.

Sect. 2. q. 2. P *Omnis etiam ſubſtantia, &c.* Tertia proprietas eſt. Proprium eſt ſubſtantiæ hoc aliquid ſignificare, i. e ſignificare rem certam & determinatam, quæ proprietas maxime competit ſubſtantiis primis, illæ enim ſunt quæ rem certam videntur denotare: at ſubſtantiæ ſecundæ non ſignificant hoc aliquid, id eſt, rem certam & determinatam propter late patentem illarum ſignificationem, niſi inquit Ariſt. propter figurã appellationis, id eſt, quia habent idem nomen cũ ſubſtantiis primis, ſed potius videntur ſignificare quale quid, quæ verba variis modis interpretari ſolent, vt in ſcholiis explicabimus.

3. Proprieta.

Q *Iam hoc etiã ſubſtantiis cõuenit, &c.* Quarta proprietas eſt. Subſtantiis nihil eſt contrariũ, quod ita confirmat Ariſtot. Omnis ſubſtantia aut eſt prima, aut ſecunda: ſed neque primæ neque ſe-

4. Proprieta.

que ſecundæ poteſt aliquid contrariari, non primæ, quia Socrati, aut huic equo quid quæſo poteſt eſſe contrarium? non ſecundæ, quia homini & animali nihil contrariatur, ergo ſubſtantiæ nihil eſt contrarium. Nos vero poſſumus addere duas alias rationes ad confirmandum hanc proprietatem ſubſtantiis conuenire. Prima eſt qua probamus ſubſtantiam non contrariari ſubſtantiæ. Quæ ſunt contraria ſunt in ſubiecto, vt conſtat ex ipſorum diffinitione, ſed ſubſtantia non eſt in ſubiecto, ergo ſubſtantia non poterit eſſe cõtraria ſubſtantiæ. Secunda eſt qua confirmamus neq; accidentia contrariari ſubſtantiæ. Subiecto omnibus communi nihil contrariatur, quia contraria ſe mutuo interimunt, ſubiectum autem tuetur ea quæ recipit, ſed ſubſtantia eſt commune ſubiectum omnium accidentium, ergo ſubſtantiæ non erunt contraria accidentia.

R *Sed hoc proprium non eſt, &c.* Docet Ariſt. hanc proprietatem conuenire aliis à ſubſtantia ſcil. quantitati cui nihil eſt contrarium vt bicubito, vel tricubito nihil contrariatur. Proponit

Obiect.

tamen hãc dubitationem. Magnum contrariatur paruo, & multum pauco, ſed hęc omnia ſunt

Solutio.

quantitatiam ergo quantitati aliquid erit contrarium. Cui dubitationi ſatisfacit Ariſt. quantitatem duplicem eſſe, vnam finitam & alteram infinitam, vnde quantitati finitæ, vt duorum, vel trium cubitorum, nihil contrariabitur, quamuis infinitæ, vt paruo vel magno poſſit aliquid eſſe contrarium.

5. Proprietas.

S *Illud præterea ſubſtantiis, &c.* Quinta proprietas eſt. Subſtantia nõ poteſt recipere magis & minus, intenſionẽ, neq; remiſſionẽ, nam Petrus, v.g. non eſt magis ſubſtantia hodie, quam fuerit heri, neq homo eſt magis ſubſtantia in vno tempore, quã fuerit in altero

Obiect.

Obiicit tamen Ariſt. aduerſus hanc proprietatem ad hunc modum. Dictum eſt à nobis ſubſtantiam primam eſſe magis ſubſtantiam, quam ſecundã, & inter ſecundas ſpecies quam genera, iam ergo non erit proprium ſubſtantiæ non recipere magis &

Solutio.

minus. Reſpondet Ariſt ſubſtantiam poſſe ſumi duobus modis primo in cõmuni, vt denotat illud, ꝙ per ſe exiſtit. ſecundo vero modo in particulari, vt pro homine, & pro equo. Primo modo ſubſtantia recipit magis & minus nam primæ magis per ſe exiſtunt, quam ſecundæ, & inter ſecundas ſpecies quam genera. Si vero ſumantur altero modo, non recipit magis & minus, non enim vnus homo eſt magis homo, vel ſubſtantia, quam alius, in qua ſecũda ſignificatione loquimur de ſubſtantia quando dicimus ſubſtantiam non recipere magis & minus.

T *Sed hoc ſubſtantiæ eſt proprium maxime, &c.* *6. Propriet.*
Sexta & vltima proprietas. Maxime proprium eſt ſubſtantiæ, vt cum ſit vna, & eadem numero, poſſit recipere contraria, vt Petrus vnus numero exiſtens, nunc eſt calidus, deinde frigidus, nunc albus, deinde ater. Quæ proprietas nulla ratione poteſt conuenire accidentibus, vt albedini, vel actioni, neque enim vna & eadem albedo poteſt eſſe candida, vel atra, neque vna & eadẽ actio poteſt eſſe recta, & vitioſa, ob quam cauſam vocatur hæc maxime proprietas ſubſtantiæ, quia non poteſt aliis ab illa conuenire, vt accidentibus.

V *Niſi forte aliquis occurrat, &c.* Cæterum *Obiect.*
aduerſus hanc proprietatem diſputat Ariſtoteles, oratio & opinio poſſunt contraria recipere, nã oratio poteſt eſſe vera, vel falſa: etenim hęc oratio, Petrus ſedet, illo ſedente eſt vera: illo autem ſtante, eſt falſa: ſed oratio & opinio non ſunt ſubſtantiæ, ergo non erit maxime proprium ſubſtantiæ poſſe recipere contraria. Reſpondet *Solut. 1.*
Ariſtoteles huic obiectioni primo, hanc proprietatem intelligendam eſſe de facultate recipiendi contraria cum ſui mutatione, ita vt ſenſus ſit. Maxime proprium eſt ſubſtantiæ poſſe recipere contraria cum ſui mutatione. At oratio quamuis recipiat contraria, vt veritatem, vel falſitatem, non tamen illa recipit cum ſui mutatione, nam eadem oratio immota permanens, nunc eſt vera, deinde vero eſt falſa. Reſpondet ſecun- *2. Solut.*
do Ariſtoteles recipere contraria nihil aliud eſſe quam affici contrariis qualitatibus, vt morbo, aut valetudine, calore, aut frigore: at vero oratio non poteſt affici contrariis qualitatibus, ſed res dumtaxat ſignificatæ per illam. Neque enim dicimus hanc orationem: Petrus eſt calidus, affici calore, vel frigore, ſed Petrum ſignificatum per illam. Ob quam cauſam ſi Petrus afficiatur calore erit vera: ſi vero non afficiatur erit falſa, nam ex eo quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera, vel falſa. Vnde negandum erit orationem proprie poſſe recipere contraria.

SCHOLIA IN CAPVT DE Subſtantia.

A 1. Optima methodo progreſſum fuiſſe Ariſtot. in explicandis his Categoriis ducendo initium à ſubſtantia ex Porphyrio, Ammonio, Boetio, & aliis poſſumus confirmare ex eo, quia ſubſtantia eſt prior accidentibus, vt colligere poſſumus *primo* cum Boetio. Quia ſubſtantia eſt commune ſubiectum omnium accidentium, nam accidentia in ea tanquam in baſi & fundamento fulciuntur, quare cum funda- *1 Obſeru.*

mentum ſit prius iis quæ illi innituntur: merito prius de ſubſtantia, (velut de priori) fuerat diſputandum. *Secundo* cum Ammonio, quia à ſubſtantia ad accidentia non eſt mutuus ſtatus conſequentiæ, non enim bene colligitur, vt ſi ſubſtantia eſt debeant eſſe accidentia, nam Deus eſt ſubſtantia, in quo nulla ſunt accidentia: at ab accidentibus ad illam eſt optima conſequentia, nam recte ſequitur, ſunt accidẽtia, ergo eſt ſubſtantia, vt recte etiam ſequitur, eſt domus, ergo eſt etiam fundamentum, quare cum illa ſint priora natura à quibus ad alia non valet ſtatus conſequentiæ, ſubſtantia prior erit accidentibus. *Tertio* cum Porphyrio quia ſubſtantia per ſe exiſtit, neque aliunde haurit exiſtentiam, ſed in ſe & à ſe illam habet: accidentia vero totam exiſtentiam à ſubſtantia, & in ſubſtantia retinent, nam accidens eſſe (id eſt, exiſtere) eſt ineſſe ſubſtantiæ, quare cum illa quæ per ſe exiſtunt ſint priora iis quæ habent exiſtentiam ab alio & in alio, propterea ſubſtantia prior erit accidentibus omnibus.

2. Obſeru. A 2. Subſtantia nomen ambiguum eſt, variaſque habet ſignificationes, quæ ex variis locis Ariſtotelis peti poſſunt, quæ erunt hoc loco proponendæ, vt quænam ſit ſubſtantia, de qua eſt hoc loco ſuſcepta diſputatio intelligamus. Ariſtoteles igitur *7. lib. Metaphyſ. capit. 3.* quatuor proponit illius ſignificationes. *Prima eſt*, qua ſignificat vniuerſum, cuius nomine Alexander intelligit ideas Platonis, at D. Thomas ſpecies atomas. 2. eſt in qua ſignificat genera, ſub quibus intelligendæ ſunt etiam differentiæ, quemadmodum 1. lib. Topicorum, ſub problemate generis, complectitur etiam Ariſtoteles problema differentiæ. 3. eſt in qua ſignificat eſſentiam, & naturam declaratam per eſſentialem rei diffinitionem. 4 eſt in qua ſignificat ſubiectum, id eſt, ſubſtantiam ſingularem, quæ diuiſa eſt ab eodem Ariſtotele, *tum hoc loco, tum etiam 2. lib. de anima, cap 1* in materiam, formam, & totum compoſitum. Præter has ſignificationes alias etiam tres proponunt interpretes, vt Louanienſes cum aliis multis. 1. eſt in qua ſignificat eſſentiam, & naturam, in qua ſignificatione dicimus accidentia eſſe ſubſtantias quia habent illa veram & legitimam eſſentiam. 2. eſt in qua ſignificat, quidquid non eſt accidens, quæ ſignificatio eſt nimis late patens, ambit enim non ſolum entia finita; verum etiam & infinita, non ſolum ſubſtantias integras, verum etiam partes, & differentias. 3. eſt paulo anguſtior, in qua declarat ſubſtantiam integram, & completam contentam in recta ſerie categoriæ, quæ neque eſt pars, neque alterius differentia. Cum igitur tot ſint ſubſtantiæ ſignificationes de hac vltima eſt ab Ariſtotele inſtituta diſputatio, agit enim tantum de ſubſtantiis primis & ſecundis quæ ſunt ſubſtantiæ integræ, & abſolutæ, ex quibus conflatur recta ſeries categoriæ, vt Porphyrius, Ammon. Simpl. Boet. B. Albert. Mag ac Louanienſes opinantur.

A 3. Chryſoſtomus Iauellus grauiſſimus Philoſophus arbitratur in his verbis duas tradi diffinitiones ſubſtantiæ, vnam in tribus illis aduerbiis. *Quæ primo, proprie, & maxime dicitur ſubſtantia.* Et alteram in verbis ſequentibus. *Quæ neque dicitur de ſubiecto, neq; eſt in ſubiecto.* Fallitur tamen, quia aduerbia illa nullam formam diffinitionis præſeferre videntur, ſed ſunt præclari quidam tituli, & encomia quædam quibus dignitas primæ ſubſtantiæ maxime exprimitur, & declaratur, vnde tota diffinitio continebitur in illis verbis, *Quæ neq; dicitur de ſubiecto, neq; eſt in ſubiecto.* Quæ profecto optima eſt & accurata, cum ſeparet rem diffinitam à quolibet alio, nam per primam particulam, *Quæ nõ dicitur de ſubiecto*, ſeparatur à ſecundis ſubſtantiis quæ dicuntur de ſubiecto, per ſecũdam vero. *Quæ neq; eſt in ſubiecto*, ſeparatur ab accidentibus, quæ omnia ſunt in illo. Reddenda tamen erit ratio illorum aduerbiorum, vbi adnotandum erit D. Auguſt *cap 9 ſuarum categ.* non legere tria hæc aduerbia, ſed duo tantum ſcilicet proprie, & principaliter, prætermittens maxime, nam ita inquit. *Eſt igitur vſia proprie & principaliter dicta quæ neque eſt in ſubiecto, &c.* Cæterum cum omnibus aliis hæc tria aduerbia legit Perionius, quem ſequimur interpretem, quare tria illa erunt explicanda. 1. Igitur eſt. *Proprie.* Quam particulam ita interpretatur B. Albet. Mag. *tractat. 2. categor. cap. 2.* proprie, id eſt, non metaphorice vt ſeparetur ſubſtantia prima à ſubſtantia in illa ſignificatione, qua ſignificat eſſentiam, quæ ſignificatio impropria eſt, & metaphorica huius nominis. Boetius putat ex eo ſic eſſe vocatam primam ſubſtantiam, quia primo, & proprie à nobis cognoſcitur, nam ſubſtantiæ ſecundæ beneficio primarum intelliguntur. Verius tamen cum D. Thom. *opuſc. 48. cap de ſubſtantia* dicimus hanc particulam tributam eſſe primæ ſubſtantiæ: primo, quia illa proprie exiſtit, nam ſecundæ à primis, & in primis exiſtunt. Et ſecundo quia proprie aliis ſubiicitur, nam ſubiicitur ſecundis & accidentibus, quibus omnibus non ſubiiciuntur ſecundæ.

2 Aduerbium eſt *Primo*. Quod exprimit inter *2. Aduerb. explic.*

ſubſtan-

3. Obſeru. *D. Auguſt.* *1. Aduerb. explica.*

Sect. 2. q. 1. ſubſtantias, has ſingulares, & indiuiduas, meritò dictas eſſe primas. Quod aduerbium difficile eſt apud interpretes Ariſt. vt poſtea in quæſtione quadam de prima ſubſtantia, num ſit, recte ita nuncupata explicabimus: interim interpretatio Porphyr. erit proponenda, qui putat has ſubſtantias dici ſubſtantias primas, quia hoc nomen fuit illis primo impoſitum: cum enim impoſitio nominium rerum cognitionem ſequatur, ſintq; ſubſtantiæ primæ prius cognitæ, quam ſecundæ, ob hanc cauſam dictæ fuerunt ab Ariſtot. primæ ſubſtantiæ.

3. Aduerb. explic. 3. Aduerbum eſt. *Maxime.* Quod quia ab eodem Ariſtot. eſt poſtmodum interpretatum, non erit à nobis noua aliqua interpretatione explicandum, ſed dicetur maxime ſubſtantia vt inquit Ariſt. quia maxime ſubſtat, nam ſubſtat ſubſtantiis ſecundis, & accidentibus, quibus omnibus ſecundæ ſubſtare nullo modo poſſunt.

4. Obſeru. B. *His verbis* proponit Ariſt. diffinitionem ſecundarum ſubſtantiarum. *Genera & ſpecies in quibus prima continentur.* Quæ diffinitio optima eſt cum ſeparet diffinitum à quolibet alio, nam per primam partem, *Genera & ſpecies* ſeparantur ſecundæ ſubſtantiæ à prima, quia prima eſt natura ſingularis, ſecundæ vero ſunt naturæ quædam vniuerſæ, quales ſunt genera, & ſpecies. Per ſecundam vero ſeparantur ab accidẽtibus in quibus primæ non continentur, quia non ſunt accidentia de eſſentia primarum: at in ſubſtantiis ſecundis continentur primæ, quia illæ nullam aliam naturam, quam eam quam à ſecundis habent tributam, poſſunt habere.

Dubita. Legendi ſunt Simplic. Ammon Porphyr. & Dexippus ac Caieta. qui cum aliis mirantur ob quam cauſam Ariſt. non propoſuerit communem aliquam, & generalem diffinitionem ſubſtantiæ, primis, & ſecundis ſubſtantiis conuenientem, ſed illa prætermiſſa, tantum tradiderit diffinitiones vtriuſque ſubſtantiæ.

Solutio. Tom. 1. Cui reſpondent (& cum eis Boetius in commentar. & D. Aug. *in ſuis categor. cap. 9.*) non eſſe aliquam diffinitionem eſſentialem traditam, quia non poteſt ita ſubſtantia diffiniri. Nam in omni diffinitione eſſentiali à genere eſt exordiendum, quod ſit ſuperius re diffinita: ſubſtantia vero ſupra ſe nullum habet genus. Si vero de alia diffinitione accidentaria, & deſcriptiua loquamur, fuit illa prætermiſſa ante diffinitiones vtriuſque ſubſtantiæ, vt propoſitis prius his duabus diffinitionibus, intelligeremus quid vtrique ſubſtantiæ eſſet commune, vt illud deinde oratione aliqua poſſemus deſcribere, quæ naturam ſubſtantiæ in communi declaret. Quare cum illud ſit commune vtrique ſubſtantiæ, non eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto, hæc poterit proponi communis diffinitio. *Subſtantia eſt quæ non eſt in aliquo tanquam in ſubiecto.* Quæ num ſit accurata, & nũ ipſa alia melior aſſignari poſſit generi ſupremo huius categ. *in q. ſect. 2.* poſtea explicabimus.

C. Explicans Ariſtot. dignitatem primæ ſubſtantiæ repetit diuiſionem illam propoſitam in Antecategor. eorum quæ ſunt, inquitque ex his quæ ſunt in ſubiecto, quædam eſſe quæ neque nomine, neque ratione dicuntur de illo, & alia eſſe quæ nomine, non tamen ratione prædicantur. *5. Obſeru.*

1. Interpret. Quæ verba obſcura ſunt, & poſſunt duobus modis interpretari, primo cum Ammonio Per ea quæ neque nomine, neque ratione dicuntur de ſubiecto, quædam nomina quæ non ſunt alicuius formæ paronyma intelligentes, vt eſt hoc nomen virtuoſum quod nequaquam paronymum virtutis dici poteſt, atque ita illud neque nomine dicitur de prima ſubſtantia, vt de Thoma v. g. non enim dicimus Thomam eſſe virtuoſum, ſed vel probum, vel virtutis ſtudioſum: neque ratione, quia ratio nomine virtuoſi ſignificata (quæ eſt eſſe maximarum virium) non dicitur de Thoma virtutis amatore. Per alia vero, quæ nomine non tamen ratione dicuntur de ſubiecto, intelligenda eſſe nomina quędam homonyma, quę ſunt multis communia propter varias & diuerſas rationes ſignificatas, vt eſt hoc nomen muſica, quod eſt commune arti, & mulieri muſicæ, quod nomine de vtroq; dicitur, ratione tamen eadem non dicitur, alia ſiquidem ratio eſt artis, & alia mulieris.

2. Interpret. Latini tamen Beat. Albert. Mag. Caieta. Louanienſes, M. Sotus longe aliter hæc verba intelligunt, putant enim per ea quæ neque nomine, neque ratione de ſubiecto dicuntur, intelligenda eſſe accidentia abſtracta, vt iuſtitiam, ſapientiam, & albedinem, quæ certe neque nomine, neque ratione de ſubiecto dicuntur, non nomine, quia non dicimus, Socratem eſſe albedinem, neq; ratione quia non dicimus Socratem eſſe qualitatem diſgregantem viſum. Per alia autem quæ nomine, non tamen ratione dicuntur de ſubiecto, opinantur intelligenda eſſe accidentia concreta, vt iuſtum, ſapiens, & album, etenim album vere dicitur de Socrate, at ratio illius, quæ eſt eſſe qualitatem diſgregantem viſum, de eo nullo modo prædicatur.

E. Faber Stapulenſis *in comment huius loci* exiſtimat hoc conſectarium in pluribus Græcis codicibus non legi: verum cum in multis aliis codicibus legatur, merito illud ab interpretibus Boetio, Petionio, Daniele Barbaro expreſſum fuit, & declaratum, quod certe ſeriẽ is contex- *6. Obſeru.*

 tus

tus inſpicienti, ita enim ſuperioribus cohærere videtur, vt neceſſaria quadam collectione ex illis ſequi videatur. Etenim ſi ex eo animal prædicatur de homine, quia prædicatur de quodam homine, & ex eo color prædicatur de corpore, quia prædicatur de quodam corpore, recte ſane infertur: ergo ſublatis primis ſubſtantiis vt quodam homine, & quodam corpore, nullus locus ſupererit ſubſtantiis ſecundis vt animali, & corpori.

Obſeru. L Præter duas rationes ab Ariſt. effectas quibus confirmat ſubſtantiam ſecundam non eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto Simplicius, & Boetius duas alias tradunt. 1 eſt Simplicii quia pereuntibus ſubſtantiis ſecundis, non remanent primæ, vt pereunte roſa non remanet hæc roſa, at pereunte natura quæ eſt in ſubiecto adhuc remanet illius ſubiectum, vt pereunte calore a manu adhuc remanet manus, quare ſubſtantiæ ſecundæ non erunt in primis tanquam in ſubiecto 2 eſt Boetii, quia ſi ſubſtantiæ ſecundæ eſſent in ſubiecto, & primæ quoque eſſent in eodem, nam quando aliquod ſuperius ſecundum eſſentiam eſt in ſubiecto, in illo quoque eſt inferius, vt quia color qui eſt ſuperior ad candorem eſt in ſubiecto, candor quoque eſt in illo: at ſubſtantiæ primæ non ſunt in ſubiecto, quare neque ſecundæ erunt in illo.

Obſeru. P Docet Ariſt. proprium eſſe ſubſtantiæ hoc aliquid ſignificare, quod vere & proprie tantum poteſt primis conuenire, & non ſecundis, niſi propter figuram appellationis, id eſt (vt in commentariis ſumus interpretati) quia habent idem nomen cum primis, nam ſubſtantiæ inquit ſecundæ potius videntur ſignificare quale quid, quam hoc aliquid, quæ verba difficilia ſunt, & ita à Porph. interpretantur primo, quia ſubſtantiæ ſecundæ componuntur ex generibus & differentiis, & quia genera prædicantur in quid, differentiæ vero in quale, ob hanc rationē ſubſtantiæ ſecundæ dicuntur in quale quid. Verum hæc interpretatio non poteſt accommodari generi ſupremo huius categor. quod eſt ſubſtantia ſecunda, quia genus ſupremum non componitur ex genere, & differentia. Nonnulli Latini dicunt in ſubſtantia ſecunda dari naturam, & notionem ſecundam, ex quibus natura ſignificat quid notio vero qualitatem: quare cum natura ſubiecta notioni ſit quæ prædicatur de primis, propterea ſubſtantiæ ſecundæ dicentur in quale quid. Hæc etiam interpretatio falſa eſt, quia eadem ratione poſſemus dicere ſubſtantias primas ſignificare quale quid, quia illę ſignificant naturam indiuiduam, & notionem ſecundam, à qua primæ, & indiuiduæ nominantur. Quare verius multo cum D. Th. & Alexandro Aphrodiſæo *in c. 13. 7. Metaph.* (in quo hæc eadem verba leguntur) reſp. ſubſtantias ſecundas eſſe attributa quædam vniuerſa, & eſſe de eſſentia primarum: vt ſunt attributa vniuerſa denotant qualitatem, omne enim attributum qualitas eſt ſubiecti: vt autem ſunt de eſſentia ſignificant earum quidditatem, atque ita ſignificabunt quale quid: quale quia ſunt attributa, quid vero, quia ſunt de eſſentia primarum. Multa alia quæ circa contextum ſe poterant offerre explicanda, in quæſtionibus clarius multo proponemus.

1. Interpret. Porph. *Reiicit.* *2. Interpret.* *Reiicit.* *3. Interpret.*

DISPVTATIO DE SVBSTANTIA IN TRES Sectiones Diſtributa.

ARGVMENTVM.

IN tres partes diſputationem hanc de ſubſtantia diſtribuemus, in quarum prima de prioritate illius in habitudine ad accidentia diſputabimus, in ſecunda de diffinitionibus, diuiſionibus & proprietatibus ab Ariſtot. in cap. traditis diſſeremus, & tandem in vltima quæ in hac categoria contineantur explicabimus. Vt igitur primam partem explicemus, quærimus primo.

SECTIO I. QVÆSTIO I.

An ſubſtantia ſit prior accidentibus diffinitione.

SEptimo libr. *Metaphyſ. c. 1.* de ſubſtantia diſputans Ariſt. inquit illam eſſe priorem diffinitione, tempore, cognitione, & natura accidentibus, quam auctoritatem in hoc loco nitemur explicare, per ſingulas partes hanc rationē prioritatis declarantes, imprimiſque auſpicabimur ab

Tempor.

mur ab hac, ſitne ſubſtantia prior diffinitione accidentibus, necne? & quia idē eſt, eſſe ipſam illis priorem diffinitione, quod diffiniri accidentia per illam, confirmandum eſt quibuſdam argum. accidentia non eſſe diffinienda per ſubſtantiam, vt ita conſtet, nō eſſe ipſam priorem diffinitione accidentibus.

1. argum. *Primum eſt.* Illa, quæ conſtant genere & differentia, diffiniri debent per genus & differentiam: ſed accidentia habent genus & differentiam: ergo per ea diffinientur, & non per ſubſtantiam.

2. argum. *Secundum.* Albedo eſt accidens, ſed in illius diffinitione non continetur ſubſtantia, nam ita diffinitur, color diſgregans viſum, in qua diffinitione apertum eſt, non contineri ſubſtantiam: ergo accidentia non diffinientur per ſubſtantiam.

3. argum. *Tertium.* Mathematici diffiniunt quantitatem ſine ſubiecto, nam diffiniunt lineam eſſe longitudinem ſine latitudine, in qua diffinitione non continetur ſubiectum: ergo accidentia non diffinientur per ſubiectum, ſcilicet per ſubſtantiam.

4. argum. *Quartum.* Non minus dependent creaturæ à Deo, quam accidens à ſubſtantia: ſed creaturæ non diffiniuntur per Deum, quemadmodū homo diffinitur per animal particeps rationis, in qua diffinitione non continetur Deus: ergo quamuis accidentia dependeant à ſubſtantia, non propterea erunt per illam diffinienda.

5. argum. *Ad hæc.* Subſtantia naturalis diffinitur per naturam, & natura diffinitur per motum & quietem ab Ariſtot. 2. *Phyſic. cap.* 1. ergo & ens naturale debet diffiniri per accidentia. Hoc conſtituto, ita argumentor. Illa ſunt priora diffinitione, per quæ cætera diffiniuntur: ſed ſubſtantia naturalis diffinitur per accidentia, ergo accidentia ſunt priora diffinitione ſubſtantia, & ita ſubſtantia non erit prior diffinitione accidentibus.

At contrarium aſſerit Ariſt. 7. *Metaph. cap.* 1. & omnes Metaphyſici cum eo, cuius opinionem vt explicemus, quædam priori loco animaduertenda exiſtimamus. *Sit primum.* Accidentia poſſe ſumi tribus modis, primo vt entia

1. Obſeruat. ſunt, ſecundo vt accidentia ſunt in communi, & tertio, vt ſunt accidētia in particulari, quemadmodum candor, v.g. vel ater, poſſunt ſumi, aut vt entia ſunt, aut vt accidentia in communi, aut vt talia accidentia, &c.

2. Obſer. *Animaduertimus* deinde ex accidentibus, quædam eſſe propria, & alia communia: propria ſunt, quæ vni tantum ſubiecto conueniunt, à cuius natura fluunt, vt riſibilitas eſt proprietas hominis: communia vero dicuntur illa, quæ multis ſubiectis poſſunt conuenire, à quorum natura nullo modo fluunt, vt albedo, vel nigredo. Quæ diuiſio non eſt ita intelligenda, vt ea, quæ ſunt accidentia communia, nullo modo poſſint fieri propria, etenim quamuis illa accidentia, quæ ſunt accidentia communia, relata ad vnum aliquod ſubiectum, in habitudine ad illud ipſum, non poſſint dici propria: ſi tamen cum altero ſubiecto conferantur, dici poterūt propria, vt quamuis albedo ſit accidens commune, ſi conferatur cum homine, aut cum equo, nihilominus ſi conferatur cum corpore mixto, non erit accidens commune, ſed proprium, vt deinde in quæſtionibus proœmialibus categoriarum accidentium oſtendemus.

Ad hæc obſeruamus quaſdam eſſe naturas abſolutas, quæ non dependent ab aliquo extrinſeco, vt ſunt homo, & aliæ ſubſtantiæ integræ, quæ continentur in categoria ſubſtantiæ: & alias eſſe naturas relatas, illas ſcilicet, quę ab aliquo extrinſeco dependent, vel tanquam à termino, vel tanquam à ſubiecto, vel tanquam à materia, vel tanquam ab obiecto, vt ſunt relationes omnes (paternitas nimirum, filiatio, & aliæ huiuſmodi) quæ dependent a ſuis terminis, accidentia omnia, quæ dependent a ſuis ſubiectis, & formæ ſubſtantiales, quæ dependent a materia prima, & tandem facultates omnes, quæ dependent a ſuis obiectis. Vnde cum ſint res diffiniendæ iuxta earum naturam & eſſentiam, quædam diffinitiones ita erunt tradendæ, vt in illis præter genus & differentiam nihil extrinſecum contineatur, cuiuſmodi ſunt diffinitiones hominis, & animalis: aliæ vero ita erunt tradendæ, vt in illis neceſſario contineri debeat aliquod additum, & extrinſecum, vt ſunt diffinitiones accidentium, formarum, relationum, & facultatum. 3. Obſer.

Sit iam prima concluſio. Accidentia neceſſario debent diffiniri per ſubſtantiam. Legendi ſunt de hac, & ſequenti concluſione *Metaphyſ. lib. 7. cap. 1.* Soncinas *q. 6.* Sueſſanus, Iauellus, Aquatins, Andreas, *q. 3.* & Scotus *q. 4.* Confirmatur his argumentis. *Primum eſt.* Eo modo aliqua debent diffiniri: quo habent eſſentiam declaratam per diffinitionem: ſed accidentia omnia habent eſſentiam dependentem a ſubſtantia, nam tota natura illorum eſt eſſe in ſubiecto, ergo, &c. *Præterea*, ſubiectum, vt dictum eſt a nobis *in cap. de proprio*, eſt cauſa efficiens accidentium, & materia ac finis eorundem: ergo accidentia neceſſario debent diffiniri per ſubſtantiam. Confirmatur hoc argum. 1. Concluſ. 1. Argum. 2. argum.

Formæ ſubſtantiales diffiniuntur per materiam, à qua dependent, vt anima diffinitur per corpus, ab Ariſt. 2. *de anima, cap. 1.* ad hunc modum: *Anima eſt actus corporis organici potentia vitam habentis.* Sed accidentia non minus dependent à ſubſtantia, quam forma à materia: ergo accidentia neceſſario diffinienda erunt per ſubiectum. *3. Argum.* Accidentia tribus modis ſumi poſſunt, vel vt entia ſunt, vel vt accidentia in communi, vt tantum denotant in ſubiect. vel vt accidẽtia priuata: ſed quouis modo ex iis tribus ſumantur, neceſſario debẽt diffiniri per ſua ſubiecta: ergo accidentia erunt per ſubiectum diffinienda. Cõfirmatur aſſumptio. Inprimis ſi ſumantur primo modo vt entia ſunt, diffiniri debere per ſubiectum, ita ſuademus. In analogis attributionis membrum minus præcipuum diffiniri debet per membrum magis præcipuum: ſed ens, quod dicitur de ſubſtantia & de accidente, eſt analogum attributionis, auctore Ariſtot. 4. *Metaphyſ. cap. 2.* ergo cum accidens ſit membrum minus præcipuum, ſubſtantia autem magis præcipuum, debet accidens (vt ens eſt) diffiniri per ſubſtãtiam. *Præterea* diffiniri quoque per illam vt accidens eſt in communi, ita confirmamus. Accidentis eſſe eſt ineſſe, ex Ariſt 7. *Metaphyſ. cap. 1.* ergo tota eſſentia accidentis petenda erit à ſubſtantia, vnde & diffiniendum erit illud per ſubſtantiam. Tandem eſſe diffiniendum accidens per ſubſtantiam, vt eſt accidens priuatum, ita colligimus. Accidentia priuata vel ſunt propria, vel communia: ſi fuerint propria, apertum eſt, diffinienda eſſe per ſubſtantiam, vt ſimitas diffinitur per naſum, ad hunc modum. Simitas eſt naſi curuitas. Si vero fuerint communia, vt albedo, cum etiam illa in propria & peculiari ratione includant inhærentiam ad ſubiectum, diffinientur quoq; per ſubiectum.

Obſer. in intellectum concl. Animaduertendum eſt tamen, in diffinitionibus accidentium aliquando contineri ſubſtantiam expreſſe vel explicite, & aliquando implicite vel ſub intellectu ad hunc modum. Si fuerint accidentia propria, ſiue ſumantur in concreto, ſiue in abſtracto, continetur in eorum diffinitione ſubiectum expreſſe, vt conſtare poteſt ex his diffinitionibus. Simitas eſt naſi curuitas. Et ſimum eſt naſus curuus, in quibus diffinitionibus naſus, qui eſt ſubiectum ſimitatis, continetur expreſſe. Si vero fuerint accidentia communia, & diffiniantur in concreto, ſubiectum expreſſe continetur in illorum diffinitione, vt in hac diffinitione albi: Corpus diſgregans viſum (in qua diffinimus albedinem in concreto) continetur ſubiectum expreſſe: ſi autem diffiniatur in abſtracto ſubiectum, continetur implicite, vt in hac diffinitione, in qua diffinimus albedinem in abſtracto. Albedo eſt color diſgregans viſum, implicite ſub colore continetur corpus, nam ſi diffiniamus colorem, debemus illum per corpus diffinire, hac ratione, color eſt actus corporis colorati. Conſtat igitur in diffinitione accidentium, debere contineri ſubiectum aliquando quidem expreſſe, & aliquando implicite.

2. Concluſio. *2. Concluſio.* Subſtantia eſt prior diffinitio omnibus accidentibus. Hæc aſſertio aperte colligitur ex ſuperiori, quam tamen ita poſſumus confirmare cum Ariſt. Illa, per quæ cætera diffiniuntur, ſunt priora diffinitione, ſed probatum eſt in ſuperiori concluſione, accidentia omnia per ſubſtantiam diffiniri: ergo ſubſtantia erit prior diffinitione omnibus accidentibus. Hoc eodem genere argumenti vſus fuit deinde Ariſt. 9. *lib. Metaphyſ.* ad confirmãdum, actum eſſe priorem diffinitione poteſtate, quia poteſtas diffinitur per actum.

Oportet iam vt argumentis propoſitis reſpondeamus. *Ad primum* igitur dicimus, veram eſſe propoſitionem de iis, quæ ſunt abſoluta, & à nullo dependentia, vt ſunt homo, vel equus, quia hæc diffinienda ſunt per proprium genus, & per propriam differentiam: falſam autem de illis naturis, quæ dependent ab aliquo extrinſeco, huiuſmodi namque diffiniendæ ſunt per illud extrinſecum, à quo dependent, quemadmodum pater diffinitur per filium, & magiſter per diſcipulum. *Ad 1. arg.*

Ad 2. reſp. in diffinitione albedinis implicite contineri ſubſtantiam ſub colore, vt explicuimus, quamuis non expreſſe contineatur. *Ad 2.*

Ad 3. reſp. eodem modo, quod quamuis in his diffinitionibus expreſſe non contineatur ſubiectum, continetur tamen implicite, nam longitudo, quæ obtinet in hac diffinitione locum generis, cum ſit ens & accidens, debet includere ſubiectum. *Ad 3.*

Ad 4. reſpond. creaturas poſſe duobus modis ſumi, vel vt ſignificantur propriis nominibus, & abſolutis, vel vt ſignificantur nomine creaturæ, quod nomen relatum eſt, vt homo poteſt ſignificari hoc nomine homo, vel hoc nomine creatura. Si primo modo ſignificentur, non denotant dependentiam aliquam ad Deum, & ita non diffiniuntur per illum, ſed per ſua propria attributa, vt homo, qua exprimitur hoc nomine homo, non denotat depẽdentiam ad Deum, ſed exprimit rem abſolutam, vnde nec diffinitur per habitudinem ad illum, ſed per habitudinem ad ſua principia eſſentia- *Ad 4.*

ſentialia, ſcilicet ad animal particeps rationis. Si vero altero modo vſurpentur, denotant dependentiam ad Deum, vnde & per illum debent diffiniri creaturæ, etenim qua creaturæ ſunt, denotant habitudinem ad creatorem, debentque ex conſequenti per creatorem diffiniri.

Ad 5. *Ad 5.* reſp. ſubſtantiam poſſe ſumi duobus modis, primo in communi, quatenus non eſt contracta ad ſubſtantiam naturalem: ſecundo vero in particulari, vt pro ſubſtantia, v. g. naturali. Si primo modo ſumatur, ſubſtantia eſt prior diffinitione accidentibus, qua ratione nullo modo per illa diffinitur, ſed è conuerſo accidentia erunt per illam diffinienda. Si vero ſumatur ſecundo modo, ſubſtantia eſt poſterior diffinitione accidentibus, quia ſubſtantia naturalis includit materiam ſenſilem, materia autem ſenſilis includit accidentia ſenſilia, vt calorem, frigus, & alia huiuſmodi. Cum autem nos docuimus cum Ariſt. ſubſtãtiam eſſe priorem diffinitione accidente, non ſumus loquuti de ſubſtantia naturali, ſed de ſubſtantia in communi, & abſolute.

QVÆSTIO II.

An ſubſtantia ſit prior tempore accidentibus.

NOn ſolum docuit Ariſt. ſubſtantiam eſſe priorem accidentibus diffinitione, verum etiam addidit, & tempore quoque eſſe priorem. Aduerſus quam ſententiam ſe offerunt hæc argumenta.

1. argum. *Primum eſt.* Æterno nihil eſt prius, ſed motus & tempus ex Ariſt. ſunt æterna, ergo nihil eſt prius tempore & motu, & ita ſubſtantia nõ erit prior tempore omni accidente: nam hæc duo accidentia ſunt.

2. argum. 2. Homo eſt ſubſtantia, ſed homo non eſt prior riſibilitate, aut colore, quæ ſunt accidentia, cum ſimul oriantur illa cum homine, & cum eo intereant: ergo ſubſtantia non erit prior tempore accidentibus.

3. argum. 3. Ea, quæ ſunt priora tempore, ſunt imperfectiora ex Ariſtot. *9. Metaphyſ. cap. 9.* ſed ſubſtantia eſt perfectior omnibus accidentibus, ergo ſubſtantia non erit illis prior tempore.

Eſſe tamen ſubſtantiam priorem tempore accidentibus, non eſt cur debeat à nobis certa aliqua ratione demonſtrari, eſt enim res apertiſſima, & quæ ſola auctoritate Ariſtot. poterit confirmari. Tantum itaque eſt controuerſia de modo, quo ſit illa prior tempore, ſunt enim in hac re explicanda diuerſæ interpretum ſententiæ & opiniones, quas inprimis recenſere oportebit, vt falſis confutatis, veram deinde facilius poſſimus intelligere. Eſt igitur prima opinio Auerrois *7. Metaphyſ. cap. 1.* Ianduni *q. 5. eiuſdem*, & aliorum Auerroiſtarum, aſſerentium, ſubſtantiam poſſe ſumi duobus modis, primo ratione ſui, ſecundo ratione alicuius partis, ſcilicet materiæ primæ. Conſtituunt itaque, ſubſtantiam eſſe priorem tempore, & antiquiorem accidentibus ſeparabilibus ratione ſui, cum poſſit eſſe ſine illis, nam Petrus nunc eſt calidus, deinde frigidus, poteſtque eſſe in aliquo temporis interuallo ſine calore vel frigore: eſſe autem priorem accidentibus inſeparabilibus, non ratione ſui (cum non poſſit eſſe ſine illis per aliquam temporis moram) ſed ratione materiæ primæ, quia materia prima, quæ eſt in qualibet ſubſtantia, eſt prior & antiquior omni accidente etiam inſeparabili. *Prima opinio.*

Cæterum hanc opinionem ita poſſumus confutare. Inprimis quia materia prima nunquam denudatur ab aliqua forma, cum itaque omnem formam ſequantur aliqua accidentia, materia prima nunquam denudabitur ab accidentibus, & ita ſubſtantia non erit prior tempore accidẽtibus ratione materiæ primæ, quia ſcilicet materia prima eſt prior tempore accidente, etiam inſeparabili. *Præterea.* Illa ſubſtãtia eſt prior tempore accidẽtibus, quæ eſt prior diffinitione & cognitione: ſed materia prima non eſt prior diffinitione accidentibus, cum diffiniatur per illa, nam *7. lib. Metaph. cap. 3.* ad hunc modum diffinitur: Materia prima eſt, quæ neque eſt quid, neque quantum, neque quale, &c. ergo ſubſtantia non erit prior tempore omnibus accidentibus etiam inſeparabilibus ratione materiæ primæ. *1. Confut.* *2. Confut.*

Scotus *2. lib. ſent. diſt. 1. q. 5. & 7. Metaph. q. 2.* Antonius Andreas *in eod. lib. q. 2.* & cum eis alii Scotiſtæ exiſtimant, ſubſtantiam ex eo eſſe vocatam priorem tempore accidentibus, quia non dependet ab illis, & quia non repugnat ei abſque eiſdem exiſtere, quod apertum eſt, ſi conferamus ſubſtantiam cum accidentibus ſeparabilibus, nam illa neque ratione ſui, & propriæ entitatis, neque ratione cauſæ dependet ab ipſis. *Præterea*, ſi conferatur cum accidentibus inſeparabilibus, & proprietatibus, eſt etiam apertum: quamuis enim ſubſtantia, vt cauſa eſt, habeat neceſſariam connexionem cum proprietatibus, quia non poteſt non producere illas, at vero iuxta propriam entitatem non dependet ab illis, & ita poterit eſſe ſine accidentibus inſeparabilibus & proprietatibus, quam opinionem ſequutus eſt doctiſſimus Ferrar. *2. contra gent. cap. 95.* *2. Opinio.*

Verum

Digitized by Google

Verum illam eſſe falſam, ex eo colligimus, quia Scotus cōfundit prioritatem naturæ cum prioritate temporis. Illa enim vocantur priora natura, quæ poſſunt eſſe ſine aliis, & alia non poſſunt eſſe ſine ipſis, vt animal eſt prius natura homine, quia poteſt eſſe ſine illo, homo tamen eſt eodem animali poſterior natura, quia non poteſt eſſe ſine animali, vt docebat Ariſt. *in Poſtcateg. r cap. 8.* Cum ergo Scotus ex eo exiſtimet ſubſtantiam eſſe priorem tempore accidentibus, quia poteſt eſſe ſine illis, & accidētia non poſſint eſſe ſine ipſa, confundit, quod eſt prius natura, cum eo, quod eſt prius tempore.

2. Confut. *Præterea.* Iuxta Ariſt. *in eodem cap. de priori, & cap. 11. lib. 5. Metaphyſ.* ea ſolum vocantur priora tempore, quæ ſunt antiquiora aliis, quemadmodum res Troianorum ſunt priores tempore rebus Medorum, quia ſunt antiquiores, ſed quamuis ſubſtantia non dependeat ab accidentibus & proprietatibus, non proinde eſt illis antiquior, cum & accidentia omnia etiam inſeparabilia, & proprietates creantur ſimul, & intereant cum ea, ergo nō erit ſubſtantia prior tempore accidentibus, quia non pendet ab illis, & quia poteſt exiſtere ſine ipſis. His & aliis multis argumentis Antonius Zimara *in ſuis Theorematib. theorem. 3. ex 7. Metaphyſ. cap. 1.* petitio confutat opinionem Scoti, qua confutata, tertiam aliam interpretationem ipſe confingit, dicens, Ariſtotelem non ſine cauſa conſtituiſſe ſubſtantiam eſſe priorem tempore, & natura accidentibus, nam cum ſint quædam accidentia inſeparabilia, & alia ſeparabilia: ſubſtantia eſt prior tempore accidentibus ſeparabilibus, & eſt prior natura accidentibus inſeparabilibus. Miratur autem maxime, huc uſque interpretes Ariſt. hanc tam apertam interpretationem non inſpexiſſe.

3. Interpret.

Reuera tamē fallitur maxime Zimara, quia particula illa, in qua dicimus, ſubſtantiam eſſe priorem natura accidentibus, non eſt Ariſtotelis, ſed addita fuit deinde ab interpretibus poſterioribus, quod conſtare poterit: *primo*, quia neque Alexander Aphrodiſeus, neque Diuus Thomas, neque alii veteres particulam illam legunt, neque interpretandam ſuſceperunt. *Secundo*, quia ſi illa particula eſſet Ariſtot. quemadmodum interpretatur in eodem loco, & exponit, quare ſubſtantia conſtituta fuerit prior diffinitione, tempore, & cognitione, ita quoq; reddidiſſet rationem, quare diceretur de ſubſtantia prior natura: quod cum non ſit præſtitum ab illo, proculdubio particula propoſita non erit Ariſtot. ſed erit ab aliquo Peripatetico ad litera textui

1. argum. *2. argum.*

4. Opinio. Quarta interpretatio eſt quorundam Thomiſtarum recentiorum, auctore Aquatio 7. *lib. Metaphyſ. q. 2.* qui arbitrantur, ſubſtantiam eſſe priorem tempore accidentibus, non quia ſit antiquior, ſed quia ſit prior ortu & generatione. Cæterum quia duobus modis poſſunt aliqua eſſe priora ortu: primo, quia ortus vnius tempore antecedat ortum alterius, vt pater eſt prior ortu filio: ſecundo vero, quia vnum illorum oritur primo, & per ſe: alterum vero ex conſequenti, & ſecundario, ſubſtantia (inquiunt hi auctores) erit prior ortu accidentibus, non primo modo, quia ortus Petri nō eſt prior ortu quantitatis vel coloris eiuſdem Petri: ſed ſecundo duntaxat modo, quia generatio primo & per ſe terminatur ad ſubſtantiam, & ſecundario ad accidentia.

Reiicitur. Hæc etiam opinio conſtare nullo modo poteſt, quia ex illa ſolum colligitur, ſubſtantiam eſſe priorem natura, quia primo terminat generationem: non autem eſſe priorem tempore, quia quamuis vnum è duobus ſit terminus primarius (vt aiunt) generationis, & alterum ſecundarius, ſi tamen ſimul tempore oriantur illa, non erit vnum altero prius tempore, vt colligere poſſumus ex Ariſt. in cap. ſuperioribus.

His igitur opinionibus reiectis, proponendæ erunt duæ aliæ opiniones veræ, quarum prima eſt Alexandri, & altera colligitur ex Diuo Thoma, vnde eſt quinta opinio Alexandri in comment. illius loci, Ariſt tantum comparaſſe ſubſtantiam cum accidentibus ſeparabilibus, & ita docuiſſe ſubſtantiam eſſe priorem tempore accidentibus, nam quemadmodum, inquit, amphora eſt prior tempore vino, vel aqua, quæ intra ſe recipit, & quæ poſſunt ab illa ſeparari: ita quoque ſubſtantia eſt prior tempore, calore vel frigore, quæ in ſe recipit, & quę poſſunt ab ipſa ſeparari.

5. Opin. Alexan.

6. Opin. D. Thomæ. Sexta opinio eſt, quam ego colligo ex Diuo Thom. *in commentar. etiam illius loci*, qui inquit, ſubſtantiam eſſe priorem tempore accidentibus: quia datur in genere ſubſtantiæ aliqua ſubſtantia, in qua nulla ſunt accidentia, cuiuſmodi eſt ſolus Deus Opt. Max. cum tamē non detur in tota ſerie accidentium aliquod accidens, quod eſſe poſſit ſine ſubſtantia. Iuxta quam interpretationem dicimus, Ariſtot. non comparaſſe hanc ſubſtantiam determinatam cum hoc accidente determinato, vt Petrum cum hoc colore, vel hac figura, ita enim falſum eſt, ſubſtātiam omnem eſſe priorem tempore accidente: nam Petrus non eſt prior tempore accidente vt ſua quantitate, cum ſimul

oriatur

oriatur cum ea, ſed comparaſſe categ. ſubſtantiæ cum categ accidentium Inter quas hoc intereſt, quia multa ex iis, quæ continentur in categoria ſubſtantiæ, poſſunt eſſe ſine multis ex iis, quæ continentur in catego. accidentium. Nam inprimis Deus Opt Max. qui eſt ſubſtātia, & principium categ ſubſtantiæ, eſt ſeparatus ab omni accidente. Deinde etiam Petrus & Ioannes, qui continentur in categ. ſubſtantiæ, ſeparantur per aliquod temporis interuallum à multis accidentibus, nam Petrus in aliquo tempore eſt ſine frigore, & in alio ſine calore. Cæterum nulla ex his, quæ in categ accidentium continētur, poſſunt vel per minimum temporis momentum eſſe abſque his, quæ cōtinentur in categoria ſubſtantiæ. Et hæc eſt ratio propoſita ab Ariſtotele, quare ſubſtantia ſit prior tempore accidētibus, quia ſcilicet illa (vt ipſe inquit) eſt ſeparabilis, accidentia vero non ſunt ſeparabilia, id eſt, quia multa ex iis, quæ continentur in categor. ſubſtantiæ, poſſunt per aliquod tempus abſq; multis ex his, quæ continentur in catego. accidentium, cohærere, cum tamen nullum accidens vel per vnum temporis punctum poſſit eſſe ſine ſubſtantia, & ita erit ſubſtantia prior tempore accidentibus. Dicimus itaque (& vere quidem) hanc propoſitionem, ſubſtantia eſt prior tempore omni accidente, eſſe veram, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, id eſt, nō quod quælibet ſubſtantia certa & diffinita ſit prior tempore quolibet accidente diffinito, ſed quia genus categoriæ ſubſtantiæ eſt prius genere categ. accidentium, quemadmodum dicimus, omne animal extitiſſe in arca Noæ, eſſe propoſitionem veram, non pro ſingulis generum, ita vt omne animal ibi fuerit: ſed pro generibus ſingulorum, quia ex omnibus generibus fuerunt ibi aliquot animalia.

Ex hac opinione facilimum eſt diſſoluere
Ad 1. argum. argumenta propoſita, nam ad *primum* reſpon. admittentes illud libentiſſime, quia nihil contra nos concludit: etenim hic non loquimur de particulari ſubſtantia, & de particulari accidente, vt de ſubſtantia cœli, & motu eiuſdem, hac enim ratione ſubſtantia non eſt prior tempore omni accidente: ſed agimus de categor. ſubſtantiæ in communi, & de catego. accidentium in communi, multa enim, quæ continētur in categ. ſubſtantiæ, ſunt priora his, quæ in categoriis accidentium ſunt contenta.

Ad 2. *Ad ſecundum* eodem modo reſpon. hic, non loqui Ariſtot. de determinata ſubſtantia, vel de determinatis accidentibus, vt ſunt homo & riſibilitas, ſed de categoriis ſubſtantiæ, & de categoriis accidentium eo modo, quo expoſuimus.

Ad tertium reſp. propoſitionem eſſe veram *Ad 3.*
de his, quæ continentur in eadem categoria, cuiuſmodi ſunt ſemen, embrio, & homo, nam illa, quę ſunt priora tempore in iis, ſunt imperfectiora, vt ſemen eſt imperfectius embrione, & embrio homine: falſam autem de his, quæ continentur in diuerſis categoriis, quorum vnum non deſtinatur ſecundum eſſentiam ad alterum, vnde cum ſubſtantia & accidentia conſtituant diuerſas categorias, quamuis ſubſtantia ſit prior tempore accidentibus, non tamen erit illis imperfectior.

QVÆSTIO III.

An ſubſtantia ſit prior cognitione accidentibus.

IN eodem 7. *lib. Metaphyſ. cap.* 1. docuit Ariſt. ſubſtantiam eſſe priorem cognitione accidentibus, aduerſus quam ſententiam ita ago.

Primo. Illud, cuius ope aliud cognoſcimus, eſt *1. argum.*
prius cognitione: ſed ope accidentium deuenimus nos in cognitionem ſubſtantiæ, ſecundum Ariſt. 1. *de anima. cap.* 1 ergo accidentia erunt priora cognitione ipſa ſubſtantia.

Deinde. Quæ ſunt minus entia, prius cog- *2. argum.*
noſcuntur, Ariſt. enim 7. *Metaphyſ. cap* 4. docet, ſubſtantias materiales, quæ ſunt minus entia, cognoſci prius quam ſubſtantias immateriales, quæ ſunt magis entia, ſed accidētia ſunt minus entia quam ſubſtantia, ergo accidentia prius origine cognoſcentur à nobis.

Ad hac. Illa prius cognoſcuntur ab intelle- *3 argum.*
ctu, quorum ſpecies ipſi prius imprimuntur: ſed ſpecies accidentium prius imprimuntur in intellectu patibili, quam ſpecies ſubſtantiæ, ergo accidentia prius cognoſcentur ab intellectu. Confirmatur aſſumptio. Illa prius imprimunt ſuam ſpeciem in intellectu, quorum ſunt phantaſmata: at phantaſmata tantum ſunt accidentium, ergo prius impriment accidentia ſpeciem & imaginem ſuam in intellectu, quam ſubſtantia.

Rurſus. Imago prius repræſentat rem, cuius *4. argum.*
eſt imago: at phantaſmata, quorum ope intellectus patibilis omnia cognoſcit, ſunt imagines quædam accidentium, vt eſt apertum, ergo intellectus prius cognoſcet accidentia, quam cognoſcat ſubſtantiam.

Tandem. Intellectus, qui haurit cognitionē *5. argum.*
à ſenſibus prius cognoſcit ſenſilia, quam intellectilia, ex eo enim petit cognitionem à ſenſibus, vt prius cognoſcat ea, quæ ſunt ſenſilia: ſed ſola accidentia ſunt ſenſilia cum illa ſola, pri-

mo, & per ſe à ſenſibus percipiantur: ſubſtantiæ vero ſunt intellectiles, quia primo & per ſe ſolo intellectu poſſunt apprehendi, ergo accidentia primo cognoſcentur ab intellectu.

1. Opinio. In hac quæſtione quidam exiſtimaut, ſubſtantiam eſſe priorem cognitione accidentibus, ſecundum dignitatem & excellentiam, quia eſt obiectum præſtantius omnibus illis, eſſe vero poſteriorem cognitione, ſecundum originem & ortum, quia prius apprehendimus accidentia per intellectum, quam apprehendamus ſubſtantiam, vel indefinitam, & vniuerſam, vel determinatam in diffinitam, vt prius apprehendo albedinem, vel nigredinem, quæ intueor eſſe contraria, deinde vero apprehendo, ſubſtantiam eſſe naturam illam, quæ eſt ſuſceptiua harum contrariarum qualitatum: determinatam vero ſubſtãtiam poſterius cognoſci, quam accidentia, hoc etiam exemplo conſtat, quia prius cognoſcimus riſibilitatem, vel figuram: deinde vero cognoſcimus hæc accidentia, ſimul nulli alteri poſſe conuenire, quã homini: ex qua cognitione deuenimus in cognitionem ipſius hominis, qui eſt ſubſtantia certa & diffinita. In hac ſententia extiterunt Herueus *quodlib* 3. *q.* 12. Antonius Andreas 7. *Metaphyſ. q.* 4 Iandunus *in eod. lib. q.* 5. Alii

2. Opinio. tamen multo verius opinantur, ſubſtantiam vtroq; modo, & tempore, & dignitate eſſe prius cognitam ab intellectu omnibus accidentibus, quam ſententiam ſecuti ſunt Soncinas 7. *Metaphyſ. q.* 13. Iauellus *q.* 3. Sueſanus & Aquarius *q.* 4 *eiuſdem lib.*

Huiuſmodi igitur ſententiam vt explicemus, animaduertimus primo, duplicem eſſe

1. Obſer. cognitionẽ, vnam ſenſus, & alterã intellectus.

2. Obſer. Secundo obſeruamus, cognitionem intellectus quandam eſſe ſimplicem, quæ vocatur ſimplicium apprehẽſio: & aliam coniunctam, quæ ratiocinatio vel diſcurſus nuncupatur, vt alio loco expoſuimus.

3. Obſer. Animaduertimus tertio, cognitionem ſimplicem intellectus vnam eſſe confuſam, & alteram diſtinctam, vel apertam: confuſa vel obſcura dicitur illa, quam conſequimur de aliqua re, iuxta attributa ſuperiora, ignoratis attributis inferioribus, vt cognitio, qua cognoſcimus hominem eſſe ſubſtantiam, vel corpus ibi ſiſtẽdo, dicitur confuſa: diſtincta vero illa appellatur, quam conſequimur de re iuxta omnia attributa illius eſſentialia, vel, vt dicunt, quam habemus de re à prima potentia vſque ad vltimum actu n, id eſt, à primo attributo vel genere categoriæ, quod eſt prima potentia, vſque ad vltimam differentiam atomam, & indiuiduam, quæ eſt vltimus actus. Sicut cognitio hominis, qua cognoſcimus illum eſſe ſubſtantiam corpoream, animatam, ſentientem, participem rationis, eſt illius cognitio aperta & diſtincta, quia cognoſcimus hominem à primo genere categoriæ, vſque ad vltimam differentiam.

Animaduertimus quarto, duobus modis vnam cognitionem eſſe priorem alia, tempore ſcilicet, quia eſt antiquior, aut dignitate, quia eſt de obiecto nobiliori, vt in principio quæſtionis docuimus. 4. Obſer.

Sit iam prima concluſio. Cognitione ſenſus accidentia prius, quam ſubſtantia cognoſcentur. Hæc concluſio eſt aperta, quia viſu prius cognoſcimus colorem, quam hominem, & auditu ſonum, quam corpus ſonans, eſtq; huius concluſionis apertiſſima ratio: Quia obiectum per ſe prius eſt obiecto per accidens: ſed accidentia ſunt obiectum per ſe ſenſuum (vt color viſus) & ſubſtantia eſt obiectum eorundem per accidens: ergo cognitione ſenſus accidentia prius cognoſcentur, quam ſubſtantia. 1. Concl.

2. Concluſio. Cognitione intellectus ſubſtãtia prius cognoſcitur, quam accidentia, prioritate perfectionis, & excellentiæ. Confirmatur. Illa cognitio eſt prior altera nobilitate & dignitate, quæ eſt de obiecto nobiliori: ſed cognitio ſubſtantiæ eſt de obiecto nobiliori, quã cognitio accidentis, ſubſtantia namque nobilior eſt omni accidente: ergo cognitione intellectus cognitio ſubſtantiæ erit prior cognitione accidentium, ſecundum dignitatem & excellentiam. 2. Concl.

3 Concluſio. Cognitio ſubſtantiæ eſt etiam prior generatione, & ortu cognitione accidentium, ſi loquamur de ſimplici apprehenſione, & de cognitione confuſa. Confirmatur quatuor argumentis. *Primum* eſt petitum ex auctoritate Ariſtot qui expreſſis verbis docet 7. *Metaphyſ. cap.* 1. ſubſtantiam eſſe priorem cognitione accidentibus, quod nõ de alia, quam de hac cognitione intelligi poteſt. 2. *eſt.* Illa, quæ primo mouent aliquam facultatem, primo cognoſcuntur: ſed ſubſtantia naturalis primo mouet intellectum corpori vnitum, iudicio Ariſt. & omnium Philoſophorum: ergo ſubſtantia erit, quæ primo apprehendetur ab intellectu. Propoſitio eſt aperta, quia color, qui primo mouet facultatem videndi, eſt, qui primo percipitur ab eadem facultate, quare verum erit, ea prius percipi ab intellectu, quæ primo mouent ad intelligendum. 3. Obiectum commune, & adæquatum intellectus, ſub cuius ratione omnia apprehendit, eſt ens ea ra- 3. Concl. 1. Argum. 2. Argum. 3. Argum.

tione, qua eſt ens, ſed in ſubſtantia maxime repetitur ratio entis, & primo: ergo ſubſtantia erit, quæ primo percipietur ab intellectu.

4. argum. 4. *Argum.* Quæ continentur in diffinitione alicuius, debent prius cognoſci, quia cognitio rei diffinitæ dependet à partibus diffinientibus: ſed probatum eſt à nobis in ſuperioribus cum Ariſt. accidentia diffinienda eſſe per ſubſtantiam: ergo ſubſtantia erit prior cognitione accidentibus.

4. Concl. 4. *Concluſio.* Cognitio perfecta & diſtincta ſubſtantiæ, dependet (tanquam ex priori) ex cognitione confuſa, & diſcurſiua accidentium & communium proprietatum. Confirmatur inprimis ex Ariſt. qui 1. *de anima cap.* 1. conſtituit, accidẽtia multum iuuare ad cognitionem ſubſtantiæ & naturæ cuiuſque rei. Confirmatur deinde. Rei naturæ latentes ſunt & obſcuræ, vnde debent manifeſtari per ea, quę ſunt viciniora, & magis proportionata ſenſibus noſtris, ſed huiuſmodi ſunt accidentia, proprietates, effectus, & alia huiuſmodi: ergo prius cognoſcenda ſunt accidentia cognitione confuſa, quam cognoſcamus ſubſtantiam cognitione

Obſer. diſtincta. Vnde adnotandum eſt, hanc cognitionem, qua media deuenimus ex cognitione accidentium in cognitionem ſubſtantiæ, non eſſe ſimplicem, ſed diſcurſiuam, nam cognitis (diſcurſu, & ratiocinatione) accidentibus, poſtmodum cognoſcimus ſubſtantiam: vt cognitis, v. g. in igne leuitate, raritate, calore, & ſiccitate, per diſcurſum colligimus naturam ignis (alioquin nobis obſcuram) talem eſſe debere, cui debeantur ex propria vi & facultate calor, & alia accidentia enumerata, quæ ab eius natura fluunt.

5. Concluſio. 5. *Concluſio.* Cognitio diſtincta accidentium dependet (tanquam ex priori) ex cognitione diſtincta ſubſtantiæ. Confirmatur iſta

1. Argum. concluſio. *Primo.* Cognitio diſtincta alicuius effectus & principiati dependet à cognitione diſtincta ſuæ cauſæ, & principii, auctore Ariſt. 1. *Phyſ. cap.* 1. ſed ſubſtantia eſt principium & cauſa omnium accidentium: ergo cognitio diſtincta ſubſtantiæ erit prior cognitione diſtin-

2. argum. cta accidentium. *Deinde.* Cognitio diſtincta rei diffinitæ dependet à cognitione diſtincta partium diffinitionis, ſed accidentia diffiniuntur per ſubſtantiam, vt riſibilitas per hominem diffinitur ad hunc modum, facultas vel potentia hominis ad ridendum: ergo cognitio diſtincta accidentium dependebit à cognitione diſtincta ſubſtantiæ.

Coroll. Ex quibus colligendum erit, hunc eſſe ordinem cognoſcendi inter ſubſtantiam & accidentia. Quod primo apprehenditur cognitione confuſa, eſt ſubſtantia, & non accidentia, nam prius cognoſcimus confuſe hominem eſſe ſubſtantiam, quam cognoſcamus eadem cognitione confuſa, illum eſſe riſibilem. Deinde antequã cognoſcamus diſtincta cognitione ſubſtantiam, debemus prius tempore cognoſcere accidentia confuſa cognitione. Tandemque vt cognoſcamus accidentia cognitione diſtincta, & manifeſta, debemus prius cognoſcere ſubſtantiam cognitione diſtincta & aperta.

Iam ad argumenta. *Ad* 1. reſp. illud confirmare noſtram quartam concluſionem, in qua aſſeruimus, accidentia multum conferre cognitione confuſa, ad aſſequendam cognitionem diſtinctam ſubſtantiæ. *Ad 1. argum.*

Ad 2. dicimus, falſam eſſe propoſitionem, neque Ariſt. docuit, ſubſtãtias materiales, quia ſunt minus entia, prius cognoſci, ſed ſubſtantias materiales, quæ ſunt minus entia, prius cognoſci, non quidem quia ſunt minus entia, ſed quia magis ſunt accommodatæ & proportionatæ intellectui noſtro, quam ſint ſubſtantiæ intellectuales, & immateriales, quæ ob nimiam entitatem ſunt eidem improportionatæ *Ad 2.*

Ad 3. reſp. negando aſſumptionem, ad probationem vero diſtinguimus propoſitionem, nam aut phantaſmata ſumuntur, antequam ſint illuminatã, vel poſtquam iam ſunt illuminata. Propoſitio ergo vera eſt de illis, quorum ſunt phantaſmata illuminata: at vero phantaſmata illuminata non ſunt accidentium, ſed ſubſtantiæ, vt phantaſma illuminatum Petri non repræſentat accidentia, ſed attributa eſſentialia, & ſubſtantialia, & ita accidentia non imprimunt primo imaginem in intellectu. *Ad 3.*

Ad 4 reſp. eodem modo phantaſma non illuminatum eſſe imaginem accidentium: illuminatum vero non eſſe imaginem illorum, ſed ſubſtantiæ: at phantaſma illud, cuius ope intellectus omnia cognoſcit, non eſt phantaſma non illuminatum, ſed illuminatum, & ita intellectus non primo apprehendet accidentia, ſed ſubſtantiam. *Ad 4.*

Ad 5. negamus propoſitionem, neq; enim ex eo intellectus haurit cognitionem a ſenſibus, qua prius cognoſcit ſenſilia, ſed ex eo, quia quam diu eſt vnitus cum corpore, non poteſt rem aliquam intelligere, niſi prius ſe conuertat ad phantaſmata illuminata, quæ haurienda ſunt a ſenſibus: cæterum phantaſmata illuminata prius repræſentant intellectui ſubſtantiam, quam repræſentent accidentia. *Ad 5.*

Ariſt. eſt omnia fieri, & eſt ſicut tabula raſa in qua nihil eſt depictum, poſſunt tamẽ in illa depingi omnium rerum imagines, ergo poterit intellectus recipere non minus imo magis multo ſpecies intellectiles ſubſtantiæ, cum repræſentent naturam perfectiorem, quam ſpecies accidentis.

Ad 1. arg. Soluamus iam argumenta in principio effecta. Ad primum reſpondemus falſam eſſe propoſitionem, quia imago Petri depicta in pariete eſt accidens, quæ tamen repræſentat Petrum qui eſt ſubſtantia.

Ad 2. Ad 2. reſpon. falſam eſſe propoſitionem, imo illa habent ſpeciem quæ habent phantaſmata, vel quæ habent naturã inuolutam cum phantaſmatibus, vnde quamuis ſubſtantia per ſe non habeat phantaſmata, habet tamen naturam inuolutam cum illis, & ita poterit obtinere propriam ſpeciem per quam cognoſcatur.

Ad 3. Ad 3. dicimus phantaſmata ante illuminationem tantum repræſentare accidentia, poſt illuminationem vero repræſentare ſubſtantiam, & naturam vniuerſam, atque ita à phantaſmatibus illuminatis producuntur ſpecies intellectiles in intellectu patibili, per quas poteſt intellectus, tanquam per proprias ſimilitudines intelligere ſubſtantias. Animaduertendum eſt tamen phantaſmata illuminata non producere huiuſmodi ſpecies intellectiles propria vi, ſed facultate illis tributa, tum ab obiecto quod repræſentant, tum etiam à lumine intellectus agentis.

Ad 4. reſp. propoſitionem eſſe veram de cognitione ſenſus, quia cum ſenſus tantum feratur circa ſingularia, quorum tantum eſt præſentia, vel abſentia, ſenſus poterit percipere per ſpeciẽ ſibi impreſſam rem eſſe præſentem, vel abſentem, at intellectus cum tantum feratur in naturas vniuerſas, quæ ſuperant omnem præſentiam, vel abſentiam, & omnem temporis differentiam, non intelliget per ſpeciem ſibi impreſſam rem eſſe præſentem, vel abſentem, ſed illius attributa eſſentialia percipiet. In ſacramento vero altaris cognoſcimus abeſſe panem, non per ſpeciem quæ eſt, ſed per ſpeciem quæ fuit. *Ad 4.*

SECTIO II. DE SVBSTANTIA IN QVA DE diffinitionibus, diuiſionibus, & proprietatibus illis diſputatur.

ARGVMENTVM.

Egimus in ſuperiori Sectione de proprietate ſubſtantiæ, ſequitur vt in hac ſecunda de natura illius diſputemus, & quia latens natura alicuius rei, diffinitionibus, diuiſionibus, & cognitione proprietatum maxime declaratur, de his omnibus erit in hac ſectione ſuſcipienda diſputatio.

SECTIO II. DE SVBSTANTIA. QVÆSTIO I.

An ſubſtantiæ ſingulares merito ſint primæ vocatæ.

ORdinem Ariſt ſequentes qui primo omnium de ſubſtantia prima, quam de reliquis omnibus diſſeruit, de eadem prima ſubſtantia erit in hac Sect. 2. ſermo primo habendus. Et vt à nomine exordiamur quærimus, num ſubſtantia ſingularis recte fuerit ab Ariſt prima nuncupata. Non enim merito eſſe ipſi tale nomen tribuendũ, his argumẽtis poſſumus demonſtrare.

1. Argum. 1. Illa ſunt priora à quibus non valet ſtatus conſequentiæ, vt animal eſt prius homine, quia non ſequitur, animal eſt, ergo homo eſt, vt docebit Ariſt. in Poſtpræd. c. de priori, ſed non valet ſtatus conſequentiæ à ſubſtantia vniuerſa ad ſingularem, ergo ſubſtantiæ vniuerſæ vocandæ erunt primæ ſubſtantiæ. Aſſumtio eſt aperta, quia nõ recte ſequitur homo eſt, ergo Petrus eſt.

2. Ariſt. 8. *Metaph. c. 1.* docet ſubſtantias vniuerſas eſſe vocandas magis ſubſtantias, quam ſingulares, ergo ſubſtantiæ vniuerſæ vocabuntur primæ & maximæ ſubſtantiæ. *2. Argum.*

3. Subſtantia ſignificat eſſentiam, ſed eſſentia primo cõpetit rebus vniuerſis, ergo ſubſtantiæ vniuerſæ vocabuntur primæ ſubſtantiæ. *3. Argum.*

4. Æterna & incorruptibilia priora ſunt iis quæ oriuntur & intereunt: ſed ſubſtantiæ vniuerſæ ſunt incorruptibiles, ſingulares vero corruptibiles, ergo ſubſtantiæ vniuerſæ erunt ſubſtantiæ primæ. *4. Argum.*

Digitized by Google

Vltimũ argum.

Vltimum argu. Materia prima magis ſubeſt, quam omnes ſubſtantiæ ſingulares, ergo ſi ex eo ſingulares vocantur primæ ſubſtantiæ, quia primo & maxime ſubſtant, materia prima vocanda erit ſubſtantia prima, quod tamen eſt omnino falſum.

In hac quæſtione de re nulla eſt concertatio, nam omnes cum Ariſt. profitentur ſubſtantias ſingulares merito eſſe dictas primas, ſed de ſola cauſa ob quam ſint illæ ſic nuncupatæ diſcrepatio eſt inter interpretes, ſunt enim in illa reddenda diuerſa iudicia, atque ſententiæ.

Interpret. Boetii.

Seuerinus Boetius exiſtimat illas ob hanc cauſam dictas eſſe primas, quia prius nomine ſubſtantiæ ſignificatæ fuerunt, nam cum illæ ſint magis affines ſenſibus primo ſubſtantiç appellatio fuit illis tributa, & quia in hac diſputatione eſt inſtituta controuerſia de nominibus, & vocibus, propterea voluit Ariſto. has ſubſtantias primatum nomine ornare. Hæc tamen interpretatio nullius eſt momẽti, primo. Quia innititur falſo fundamento nimirum tantum eſſe in catego. de vocibus inſtitutam diſputationem, hoc enim falſum eſſe docuimus iam in prolegomenis huius operis. *Secundo* noſtra cognitio nullam confert rebus cognitis nobilitatem: at ſubſtantiam ſingularem eſſe primam, eſt profecto magna nobilitas, quare illud ex noſtra cognitione non habebit. Hoc argumento, Plotinus Ænea 6. lib. 3. cap. 9. olim exploſerat hanc opinionem Boetii.

Confuta. — *Confuta.*

Interpret.

B. Albert. Magn. *tract. 2. categor. cap. 3.* refert quandam interpretationem nonnullorum veterum, qui diſtinguebant de ſubſtantia vel vt ſignificat actum eſſendi, vel vt exprimit actum ſubſtandi. Primo modo dicunt ſubſtantiam ſecundam debere vocari primam, quia eſſe primo competit ſecundis quam primis, verum altero modo ſingulares iure optimo dictas eſſe primas, quia primo, & magis ſubiiciuntur, ſecundis ſubſtantiis, & accidentibus. Cæterum neque hi mentem Ariſt. attingunt imo ipſi aduerſantur, quia ſubſtantiæ vniuerſæ etiam ſecundum actum eſſendi, ſunt poſteriores primis, nam a primis, & in primis exiſtunt: vnde dicebat Ariſt. in cap ſublatis primis ſubſtantiis nihil loci remanere ſecundis, quare etiam iuxta actum eſſendi ſingulares erunt merito primæ nuncupatæ.

Interpret.

Idem B. Albert. Mag. aliam [illegible] interpretationem, inquitq; ſubſtantiam ſumi poſſe vel in ratione cauſæ, vel in ratione ſubſiſtendi, in ratione cauſæ vniuerſæ priores ſunt ſingularibus, nam ſunt cauſæ quædam formales ipſarum, ſunt enim attributa quædam generalia, quæ ad cauſam formalem reuocari debent. Altero tamen modo in ratione ſubſiſtendi, ſingulares merito eſſe primas nuncupatas, quia ſingulares primo & magis ſubſiſtunt, quam vniuerſæ, & quia Ariſt. in hoc loco agit de ſubſtantia in ratione ſubſiſtendi, ob hanc cauſam ſingulares ſubſtantias primas vocauit. Hæc tamen interpretatio (bona venia tanti viri dictum ſit) non eſt ex omni parte vera, quia etiam in ratione cauſæ ſecundæ dependent à primis, nam exiſtunt in ipſis, & ab ipſis, vnde exiſtentia ſecundarum tanquam à vera, & legitima cauſa dependet ab exiſtentia primarum.

4. Interpret.

His igitur opinionibus reiectis tribus aliis modis poſſumus hanc dubitationem diſſoluere. *Primo* cum Porph. *in interrogat. de ſubſtantia cap. 5.* ſingulares nomine primarum inſigniri, quia ſubſtantiæ nomen fuit illis prius impoſitum, nam cum ratio tam ſubſiſtendi, quam exiſtendi fuerit prius cognita in ſubſtantiis primis, quam in ſecundis, nomen ſubſtantiæ prius fuit impoſitum ſingularibus quam vniuerſis.

5. Interpret. Caieta.

2. Cum Caietano dicimus duobus modis aliqua dici priora *vno modo*, quia ab illis ad alia non valet ſtatus conſequendi, qua ratione animal eſt prius homine: *& altero* quia ſunt cauſæ cæterorum, quos duos modos propoſuit Ariſt. *in Poſtcategor. cap. de priori.* Si igitur loquamur de prioritate ſecundum ſtatum cõſequendi ſingulares non ſunt vocatæ ab Ariſt. primæ, quia ab ipſis ad ſubſtantias vniuerſas, bene valet ſtatus conſequendi, recte enim ſequitur, Petrus eſt, ergo homo eſt, vel animal eſt. Altero igitur modo prioritatis ſubſtantiæ ſingulares dicentur primæ, quia nimirum primo illis tanquã cauſis competit ratio nominis ſubſtantiæ ſignificata. Etenim ſubſtantia vel ſumitur ab actu per ſe exiſtendi, vel per ſe ſubſiſtendi, ſi ab actu exiſtendi ſumatur certum eſt, & exploratum, huiuſmodi actũ prius ſubſtantiis ſingularibus, quam vniuerſis conuenire, & vniuerſis non alia ratione, quam ſingularium beneficio poſſe adaptari. De ſubſiſtentia vero prius illam ſingularibus, quam vniuerſis conuenire, ex eo certe fit manifeſtum, quia ad actum ſubſiſtendi primo, & per ſe duo ſunt neceſſaria, primum vt illud quod primo ſubſiſtit, vel ſubiicitur, à ſe neget prius aliquod ſuſtentans, cui tanquam baſi innitatur: ſecundo vt ipſum omnia alia ſua firma, & conſtanti exiſtentia fulciat atque ſuſtentet, quæ certe duo ſubſtantiis ſingularibus conueniunt maxime, nam primo non habent infra ſe aliquod ſubiectum, cui tanquam fundamento innitantur, ſed à ſe neg[illegible]t & excludunt, huiuſ-

modi

modi fundamentum, & ſubiectum, tam inhæſionis, quam prædicationis: inhæſionis quia non ſunt accidentia, prædicationis vero, quia non habent infra ſe indiuidua de quibus prædicentur. Secundo quia ſubſtantiæ ſingulares omnia in ſe fulciunt, & ſuſtentat, omnibuſque tam accidentibus, quam ſubſtantiis vniuerſis ſubiiciuntur, quare merito fuerunt illæ nomine ſubſtantiarum primarum inſignitæ.

6. Interpret. noſtra, & multo verior. 3. Et vltimo modo, (& fortaſſis magis ad mentem, & inſtitutum Ariſt.) dicimus aduerſus ideas Platonis quas ſemper capitali odio eſt proſequutus, docuiſſe ſubſtantias ſingulares vocandas eſſe primas. Etenim cum Plato in ea eſſet opinione, vt arbitraretur ſubſtantias vniuerſas (quas ille ideas vocabat à ſingularibus reipſa ſeparatas) eſſe primo, & maxime ſubſtantias, cum ſemper eodem modo conſiſterent, & nunquam mutationem aliquam, aut ortum, vel interitum ſubirent, è contra vero ſingulares eſſe minime, & poſterius nomine ſubſtantiæ inſigniendas, tanquam fragiles, & caducas, & quæ tantum eſſent adumbratæ quædam imagines, & ſimilitudines vniuerſarum, vt hanc ſententiam Platonis Ariſt. euerteret, è contra ipſe philoſophatur, ſubſtantias vniuerſas eſſe ſecundo, vel poſteriori loco vocandas ſubſtantias: ſingulares vero eſſe primo ſic nuncupandas, idque quia vel pluribus & primo ſubiiciuntur, quam ſubſtantiæ vniuerſæ, quod nomen ſubſtantiæ præ ſe ferre videtur, & quia prius per ſe exiſtunt quam vniuerſæ, quod eſt ratio & natura ſubſtantiæ, nam vniuerſæ & à ſingularibus, & in ſingularibus ſubſtantiis habent exiſtentiam, ac proinde merito ſingulares vocatæ fuerunt primæ ſubſtantiæ, vniuerſæ vero ſecundæ.

Ad 1. arg. Superſunt demum argumenta diluenda. *Ad primum* reſpondemus ex his quæ cum Caietano diximus, ſubſtantias ſingulares priores eſſe vniuerſis, non in conſequendo, ſed ſecundum cauſam, eo quod ſingulares ſint cauſæ, vt vniuerſæ exiſtant. Vnde optime dictum eſt ab Ariſt. ſublatis primis ſubſtantiis nihil loci remanere ſecundis. Quidam alii dicunt aliud eſſe loqui de hac determinata ſubſtantia ſingulari, vt de Petro, & aliud de omnibus ſubſtantiis ſingularibus, vnde quamuis à ſubſtantia vniuerſa ad vnã ſingularem non valeat conſequentia, ab illa tamen ad omnes ſingulares valet illa quidem: quamuis enim non recte colligatur, homo eſt, ergo Petrus eſt: bene tamen, & accommodate colligitur, homo eſt, ergo indiuidua humana ſunt, nam ſi illa non eſſent, neque homo eſſet, vt Ariſt. in hoc cap. docuit.

Ad 2. dicimus cum Alexan. & D Tho. Ariſt. loquutum eſſe eo loco ex opinione Platonis conſtituentis ſubſtantias vniuerſas, & ideas eſſe magis ſubſtantias quam ſingulares. Vel dicimus ſubſtantias vniuerſas eſſe vocatas magis ſubſtantias, nõ quia magis per ſe cohæreant, ſed quia ſunt perfectiores ſubſtantiis ſingularibus, cum habeant eſſe minus obnoxium mutationibus, quam habeant ipſæ ſingulares. *Ad 2.*

Ad 3. reſpon. ſignificationem illam ſubſtantiæ in qua denotat eſſentiam eſſe impropriam, cum propria ſignificatio illius ſit, qua ſignificat illud quod per ſe exiſtit, & ita negamus conſequentiam, quia quamuis eſſentia prius competat vniuerſis ſubſtantiis tamen per ſe exiſtere prius competit ſubſtantiis ſingularibus, & ita ſingulares ſubſtantiæ dicuntur primæ. *Ad 3.*

Ad 4 reſpon. propoſitionem eſſe veram de naturis quæ non exiſtunt in ſubſtantiis quæ oriuntur, & intereunt, vt ſunt naturæ cœlorum, & angelorum, falſam autem de his naturis quæ exiſtunt in rebus ortui, & interitui obnoxiis, non enim illæ ſunt priores ſecundum exiſtentiam, ſed poſteriores, & ita cum naturæ vniuerſæ exiſtant in ſingularibus, quæ oriuntur, & intereunt, non erunt priores ſingularibus, imo erunt eis poſteriores. *Ad 4.*

Ad vltimum reſpon. ad id vt aliquid ſit ſubſtantia prima præter hoc quod eſt primo ſubeſſe, vel per ſe exiſtere, debere eſſe naturam integram. Vnde quamuis materia prima pluribus ſubſit, quia tamen non eſt natura integra, ſed pars totius naturalis, non dicetur ſubſtantia prima. *Ad vlt.*

CAPVT III.

Sitne optima diffinitio primæ ſubſtantiæ, & quid in ea diffiniatur.

Eſſe vitioſam propoſitam primæ ſubſtantiæ diffinitionem, *Quæ neque dicitur de ſubiecto, neque eſt in ſubiecto*, his argumentis poſſumus demonſtrare.

1. Illa eſt vitioſa diffinitio quæ traditur per negationes: ſed hæc eſt huiuſmodi, nam traditur per duas negationes, quæ ſunt neque eſſe, neque dici de ſubiecto, ergo erit vitioſa diffinitio. *1. Argum.*

2. Subſtantia prima eſt ſubſtantia ſingularis, ſed ſingularia non diffiniuntur, vt auctor eſt Ariſt. 7 *Metaph. cap.* 15. non igitur prima ſubſtantia recte fuit ab Ariſt. diffinita. *2. Argum.*

Præterea. Hæc diffinitio competit alteri à re diffinita, ergo erit vitioſa, conſequentia nota eſt, confirmatur antecedens. Homo, v.g. iuxta ſua *3. Argum.*

ta ſua eſſentialia attributa cõſideratus, in quantum nimirum eſt animal particeps rationis, neque eſt in ſubiecto, neque dicitur de illo, qui tamen non eſt prima ſubſtantia, ergo hæc diffinitio conueniet alteri à re diffinita.

4. Argum. *Iam.* Illa diffinitio eſt vitioſa cuius partes repugnant rei diffinitæ, ſed hæc eſt huiuſmodi, ergo, &c. Confirmatur aſſumtio. Res diffinita eſt ſubſtantia prima in communi, & in vniuerſum, ſed ſubſtantia prima ita ſumpta dicitur de ſubiecto, nam dicitur de hac ſubſtantia prima quæ eſt Petrus, & de illa quæ eſt Antonius, iam ergo partes diffinitionis repugnabunt rei diffinitæ.

5. Argum. *Iterum.* Ariſt. poſt traditam primam diffinitionem ſubſtantiæ illico ſubiungit exemplum de quodam homine, ſed quidam homo dicitur de ſubiecto, nam Petrus eſt quidam homo, & Ioannes eſt quidam homo, ergo ſubſtantia prima iam dicetur de aliquo ſubiecto.

6. Argum. *In hac q.* non tam eſt dubitatio ſitne optima propoſita diffinitio quam de illius diffinito, quod ſcilicet nomine primæ ſubſtantiæ in propoſita diffinitione fuerit diffinitum, atque ita à primo breuius nos expediemus, ſecundum vero fuſius explicabimus. Sit igitur prima concluſio:

1. Concluſio. Hæc diffinitio optima eſt & accurata Cõfirmatur ex Ariſt. & omnium interpretum auctoritate, qui illam tanquam accuratam proponſit. Et certe cum illa ſeparet rem diffinitam à quolibet alio, nam per primam partem, *quæ neq; dicitur de ſubiecto* ſeparat ſubſtantiam primam à ſecundis: per alteram vero *neque eſt in ſubiecto*, ſeparat eandem primam ſubſtantiam ab accidentibus, profecto erit accurata & optima diffinitio.

2. Concluſ. 2. *Concluſ.* Hæc diffinitio non eſt eſſentialis, ſed deſcriptiua. Hanc Simplicius, Ammonius, Porphyrius, Dexippus, & fere omnes interpretes profitentur. Confirmatur *primo*, quia difficile eſt eſſentiales diffinitiones tradere, maxime vero horum generum ſupremorum, propter latentem, & obſcuram illorum eſſentiam, quæ vix, ac ne vix quidem poteſt à nobis cogitatione aliqua comprehendi. *Secundo*, quia diffinitio eſſentialis non eſt tradenda per negationem, vt 6. *Topico. cap* 3. aperte teſtatus Ariſtot. nam negatio non explicat quod res ſit, ſed quid non ſit: at diffinitiones gratia rem ipſam explicandi debent adhiberi. quare non erit illa eſſentialis, ſed deſcriptiua. Addo eſſe traditam per quandam proprietatem ſubſtantiæ quæ eſt non eſſe in aliqu tanquam in ſubiecto, at diffinitiones quæ traduntur per proprietates, deſcriptiuæ ſunt, & non eſſentiales. Hæc quidem breuiter ſint dicta de primo: accedamus iam ad explicandum, quodnam ſit illius diffinitum, neq; enim in hac re omnes idem ſentiunt, ſunt enim tres doctiſſimorum virorum inter ſe diſcrepantes opiniones.

1. Eſt Caietani, duplex eſſe diffinitum vnum quod, & alterum quo, diffinitum quod eſt res ſingularis, vt Petrus v. g. vel Paulus, ad diffinitum quo, eſt modus quidam incommunicabiliter exiſtendi, communis omnibus indiuiduis vt auctor eſt D. Thom. 1. *par. quæſt.* 29. *artic.* 1. *ad* 1. Itaque iuxta Caietanum tam pro materiali quam pro formali, vel tam diffinitum quod, quam diffinitum quo erit notio prima. *1. Opin.*

Canterus putat diffiniti ens per accidens, nimirum aggregatum quoddam ex Petro, & notione ſecunda ratione cuius neque eſt in ſubiecto, neque de illo dicitur, quod confirmat, quia diffinitum huius diffinitionis eſt membrum quoddam illius quadrimembris diuiſionis propoſitæ in Antecategor. ſcilicet eorum quæ ſunt, quædam ſunt, quæ neque ſunt in ſubiecto, neque dicuntur de ſubiecto, vt Porphyrius, Ammo. & Simplicius in hoc loco teſtantur, at in illa diuiſione membrum propoſitum ſignificat aggregatum aliquod ex prima, & ſecunda notione. *2. Opin.*

3. Opinio eſt M. Soto *q.* 1. *huius cap in ſolut.* 2. *argum.* qui putat diffinitum huius diffinitionis eſſe notionem ſecundam primæ ſubſtantiæ, non tamen ſupponere pro illa, ſed pro ſubſtantia aliqua ſingulari, vt pro Petro, v. g. vel Ioanne. *3. Opin.*

Nos tamen vt hanc litem diffiniamus, animaduertimus, nos poſſe agere de prima ſubſtãtia vel Metaphyſice, vel Dialectice; Metaphyſice ſumitur iuxta id quod in ſe eſt, & habet à parte rei ab ea ſeparando omnem notionem ſecundam, & accidentia rationis, nam Metaphyſicus non agit de conſiderationibus intellectus, ſeu notionibus ſecundis, ſed de his quæ conueniunt rebus, vt in ſe ſunt, & à parte rei. Dialectice vero vſurpatur ea ratione, qua concipitur ab intellectu. vel vt afficitur notione aliqua ſecunda, & accidente rationis, aut vt nata eſt intra rectam ſeriem categoriæ collocari, omnibuſque ſuperioribus tam generibus quam formis ſubeſſe, quo animaduerſo ſit tertia concluſio. *Obſeru.*

Diffinitum huius diffinitionis eſt quidpiam vniuerſum. Hanc profitetor D. Thom. 1. *par. vbi ſupra*, confirmaturque imprimis, quia illud diffinitur quod dicitur de multis ſynonyme, illud ſiquidem diffinitur quod dicitur de Dominico, & Thoma (qui ſunt primæ ſubſtantiæ) *3. Concluſ. 1. Argum.*

ſyno-

ſynonyme: at quod dicitur de multis ſynonyme quidpiam vniuerſum eſt. *2. Argum.* 2. Quia ſolæ res vniuerſæ ſunt perpetuæ, at quod definitur res eſt perpetua, nam diffinito tantum eſt rerum æternarum, quare diffinitum erit quidpiam commune & vniuerſum.

4. Concluſio. 4 *Concluſ.* Diffinitum huius diffinitionis non eſt aliquid aggregatum ex natura & notione primæ ſubſtantiæ. Hæc eſt aduerſus Canterum quæ confirmatur, quia huiuſmodi aggregatum eſt ens per accidens, nam conſtatur ex rebus diuerſarum categor. nimirum ex ente rei, & ente rationis: at nullum ens per accidens natum eſt diffinitione aliqua comprehendi, eſt enim diffinitio vna oratio, & quæ vnum per ſe indicat; vt Ariſtot. 8 *Metaph. cap. 6.* teſtatur. Neq; argumentum, quo ille vtitur, eſt alicuius momenti, libenter enim admittimus illud eſſe diffinitum in hac diffinitione quod eſt comprehenſum ſub illo membro diuiſionis aſſignatæ, negandum tamen erit in illa eſſe diuiſum aggregatum aliquod ex natura, & notione, quid autem ſit ibi diuiſum, & quæ ſunt etiam membra diuidentia in illo loco (*cap. ſcilicet 4. Antecategor.*) *quæſt. 1.* expoſuimus.

5. Concluſio 5. *Concluſio.* Si agamus de prima ſubſtantia Dialectice diffinitum huius diffinitionis quod ſignificatur per illam eſt notio ſecunda primæ ſubſtantiæ, diffinitum vero pro quo ſumitur diffinitio, vel in quo exercentur partes diffinitionis, aut (quod idem eſt) de quo illæ vere affirmantur, eſt notio prima ſingularis, vt Vincentius, v. g. vel Antoninus. Hanc profitemur cum M. Soto, cuius primam partem nimirum diffinitum quod exprimitur per diffinitionem *1. Argum.* eſſe notionem ſecundam oſtendimus *primo*, quia modus diffiniendi ſequitur modum conſiderandi, ita enim res diffinimus ſicut intelligimus: ſed in Dialectica conſideramus res ſub notionibus ſecundis, vt conſtat ex his quæ diximus quando egimus de illius obiecto: ergo diffinitum huius diffinitionis erit notio ſecunda. *2. Argum.* Iam non dici de ſubiecto eſt notio ſecunda, ſed hæc diffinitio traditur per non dici de ſubiecto: ergo diffinitum illius erit notio ſecunda. Confirmatur propoſitio, quia dici de ſubiecto eſt notio ſecunda, ergo etiam non dici de illo erit notio ſecunda, nam ſi vnum ex contrariis fuerit notio ſecunda, & alterum quoque eſſe debet.

Confir. denique ad 2. p. Alteram partem eiuſdem aſſertionis, ſcilicet diffinitum pro quo ſumitur eſſe notionem primam ſingularem, confirmatur, quia tantum illa, vt Dominicus (v.g.) eſt de qua partes diffinitionis affirmantur, vel in qua exercetur diffinitio: illa ſiquidem eſt quæ neque eſt in ſubiecto, neque dicitur de illo.

6. Concluſ. 6. *Concl.* Apud Metaphy. diffinitum formale diffinitionis primæ ſubſtantiæ eſt notio prima, ſcilic. modus quidam incommunicabiliter exiſtendi. Hæc eſt acutiſſimi Caiet. quam vt probe intelligamus adnotandum eſt triplicem eſſe incommunicabilitatem. Primam quæ opponitur cōmunicabilitati qua accidens communicatur ſubiecto. Secundam qua aliquid eſt incommunicabile incommunicabilitate oppoſita communicationi, qua ſuperius communicatur inferiori: *Obſeru.* Tertiam quæ opponitur communicabilitati, qua pars ſuo toto communicatur. Quæ tres incommunicabilitates cōueniunt ſubſtantię primę, nam quia ſubſtantia eſt non communicatur alicui eo modo quo accidens cōmunicatur ſubiecto, & quia ſingularis eſt, non poteſt cōmunicari eo modo quo ſuperius ſecundum eſſentiam communicatur ſuis inferioribus: & tandem quia eſt natura integra, non poteſt cōmunicari alicui eo modo quo pars communicatur toti. Itaque diffinitum formale huius diffinitionis eſt modus hic exiſtendi incommunicabiliter his tribus generibus incommunicabilitatis, quod quidē ita eſſe in hunc modum poſſumus confirmare. *Confir. concluſ.* Illud eſt diffinitum formale huius diffinitionis, ratione cuius ſubſtantia prima neque dicitur de ſubiecto neque in ſubiecto eſſe nullo modo poteſt, ſed ratione huius modi incommunicabiliter exiſtendi ſubſtantia prima neque dicitur de ſubiecto, neque eſt in illo: ergo hic modus erit formale diffinitum huius diffinitionis. Propoſitio perſpicua eſt, confirmatur aſſumpt. Imprimis cum ſubſtantia prima non ſit accidens, non communicabitur eo modo, qua accidens communicatur ſubiecto, ac proinde ratione illius non erit in ſubiecto: deinde quia ſubſtantia prima non communicatur eo modo quo ſuperius ſuis inferioribus, vel quo pars ſuo toti, non dicetur de aliquo tanquam de ſubiecto, de quo vel ſuperiora, vel partes prædicantur. Ratione igitur huius modi exiſtendi incommunicabiliter ſubſtantia prima neq; dicetur de ſubiecto neque erit in illo. Diximus diffinitum formale, vel quod ſignificatur per diffin. quia diffinitum materiale ſunt ipſæmet ſubſtantiæ primæ, vt Iacobus, vel Ioannes, quæ neque de ſubiecto dicuntur, neque ſunt in illo quibuſque hic modus exiſtendi incommunicabiliter adaptatur.

Ad 1. arg. Ad argumenta igitur quæ in initio propoſuimus. *Ad primum* reſpon. imprimis ex Simplicio hanc eſſe deſcriptionem, ac proinde optime potuiſſe per negationem tradi. Vel cum eodem,

Digitized by Google

& M. Soto dicimus illas negationes h bere locum alicuius affirmationis huius nimirum, primo & per ſe exiſtere, nam quod primo & per ſe exiſtit, neque eſt neque dicitur de ſubiecto. At quando aliqua diffinitio traditur per negationem quæ habeat locum affirmationis, non erit illa tanquam vitioſa reprehendenda. Aut certe cum Boetio in lib. de diuiſionibus reſp. non eſſe ſemper vitioſam diffinitionem quæ traditur per negationem, nam ſomnum ita optime per negationem diffinimus, eſſe animal nihil operari, maxime vero quando res diffinitæ ſunt primæ in illo genere, vt recte fuit ab Ammonio animaduerſum. Nam Deum per negationem diffinimus eſſe illud quod neque eſt corpus, neque materia, neque forma, neque quidpiam creatum: qua ratione Plato in Timeo illum diffiniendum eſſe volebat. Et materiam primam diffinimus eſſe illud quod neque eſt quid, neque quantum, neque quale, neque quidpiam cæterarum categor. quare cum ſubſtantia prima in genere ſubſtantiæ principem ſibi vendicet locum, potuit recte ab Ariſt. per has duas negationes diffiniri.

7. Metaphyſ. cap. 3.

Ad 2. Ad 2. reſp. ſingularia, vt ſingularia ſunt, non poſſe diffiniri, rationem tamen omnibus illis communem bene poſſe, atq; ita ſubſtantia prima vt ſingularis eſt, non diffinietur, ratio tamen communis, quæ eſt apud Metaphyſ. modus exiſtendi incommunicabiliter iuxta Caietanum, vel notio ſecunda apud Dialecticum, erit limitibus huius diffinitionis circumſcripta.

Ad 3. Ad 3. reſpon. falſum eſſe hanc diffinitionem competere alteri a re diffinita. Et ad confirmationem dicimus, diffinitionem intelligendam eſſe de non dici, neque eſſe in ſubiecto, actu & aptitudine: at quamuis homo actu non dicatur ſecundum ſuam eſſentiam de ſubiecto, dicitur tamen aptitudine, nam eſt natus & aptus dici de hominibus ſingularibus.

Ad 4. Ad 4. reſp. hanc diffinitionem non repugnare diffinito materiali, vel illi pro quo ſumitur diffinitio, aut in quo exercentur partes diffinientes, nam Socrates v. g. qui eſt diffinitum materiale, aut diffinitum in quo exercentur partes diffinitionis, neque dicitur de ſubiecto, neque eſt in illo: at vero diffinitum quod exprimitur per diffinitionem quod eſt vel notio ſecunda, vel modus exiſtendi incōmunicabiliter de ſubiecto dicetur. Non enim debent partes diffinitiones in huiuſmodi diffinito exerceri, aut vere de illo affirmari, neque enim ex eo hoc diffitum debet ſic nuncupari, quia diffinitio dicatur de illo ſed quia per eandem diffinitionem ſignificatur.

Ad vlt. reſpon. cum Scoto q. 1. *huius categor.* Ariſtot. nomine cuiuſdam hominis non rem quandam communem, ſed ſubſtantiam certam, & determinatam vt Ioannem, vel Antonium intellexiſſe.

QVÆSTIO III.

An diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam ſit optima necne?

ESſe optimam hanc diuiſionem apud neminem (quantum opinor) fuit vnquam dubium, atq; ita non erit cur in hac re confirmanda immoremur. Verum qualis illa ſit difficile ſemper maximeq; controuerſum extitit apud interpretes. Sunt enim in hac re explicanda tot fere opiniones, quot capita. in qua ita nos geremus, vt falſis aliorum opinionibus primo loco confutatis, veram deinde opinionem proponamus. Verum quia ſcire oportet, de qua ſubſtantia agimus in hac quæſtione, hoc erit prius explicandum. *De qua ſubſtant. ſit ſerm. in hac quæſt.* Imprimis igitur aſſerimus rem diuiſam non eſſe ſubſtantiā quę eſt diuiſa contra accidēs, nam hæc eſt integra natura, at illa quæ eſt diuiſa contra accidens, non eſt integra, cum ambiat differentias & modos internos. Aſſerimus ſecundo neque rem diuiſam eſſe ſubſtantiam, quæ eſt genus ſupremum categ quia in optima diuiſione res diuiſa non debet ſub aliquo ex membris diuidentibus cōtineri: at ſubſtantia quæ eſt genus ſupremum continetur ſub ſubſtantia ſecunda, ſunt enim ſubſtantiæ ſecundæ genera, & ſpecies, in quibus etiam primæ continentur. Aſſerimus tandem rem diuiſam eſſe ſubſtantiam integram & completam contentam in recta ſerie categoriæ. Ita vt ſenſus diuiſionis ſit ſubſtantia integra & completa contenta in recta ſerie categoriæ, quædam eſt prima, & alia ſecunda. Præterea ex ſecundis quædam ſunt ſpecies atomæ, aliæ genera intermedia, & tandem alia genera ſuprema.

Hoc ergo tanquam firmiſſimo iacto fundamento, eſt prima ſententia hanc non eſſe diuiſionem, ſed enumerationem vocis ambiguæ in ſua ſignificata, in hac ſiquidem diuiſione nihil diuidimus, ſed tantum enumeramus ſignificata diuerſa huius vocis ſubſtantia. *1. Opin. Græcor.* Vnde ſenſus diuiſionis erit ſubſtantia alia eſt prima, & alia ſecunda, id eſt res quæ nomine ſubſtantiæ ſignificantur, quædam primo, & aliæ ſecundo hoc nomine inſignitæ fuerunt. Hanc ſententiam ſequuntur Græci, Simpl. Ammo. Dexippus, & inter recentiores Villalpandus in commenta. huius loci. *Reiicit.* Verum hæc ſententia falſa eſt, quia in diuiſione vocis homonymæ membra diuiden-

tia, præter nomen nihil habent commune, vt in ea diuiſione qua diuidimus canem in cœleſtem, domeſticum, & marinum, canes qui ſunt membra diuidentia, nihil habent præter nomen commune: at ſubſtantiæ primæ, & ſecundæ, quę ſunt huius diuiſionis membra diuidentia, præter nomen ſubſtantiæ, aliquid habent commune, nimirum eſſe per ſe, & non eſſe in alio tanquã in ſubiecto. Quare non poterit diuiſio hæc eſſe enumeratio vocis ambiguæ in ſua ſignificata. *2.Opin. Petrus. Tartar.* 2. Opinio eſt quorundam recentiorum, vt auctor eſt Villalpandus, & in qua quidam Scotiſtæ in Commentar. huius loci extiterunt, eſſe diuiſionem hanc generis in ſpecies, quia inquiunt, id quod diuiditur eſt ſubſtantia, quam eſſe genus nullus certe eſt qui dubitet. *Reiicit.* Nihilominus hæc ſententia exploditur *primo*, *1 Argum.* quia inter ſpecies quæ diuidunt aliquod genus, vna non poteſt ſecundum eſſentiam de altera prædicari: ſed ſubſtantiæ ſecundæ prædicantur de primis: ergo illæ non diuident genus aliquod ſuperius. *Iam.* Inter ſpecies quæ diuidunt aliquod genus vna perempta non perimitur altera, quia inter ſe nullum retinent ordinem prioris, & poſterioris: at peremptis primis ſubſtantiis, pereunt etiam ſecundæ, vt inquit Ariſt in hac categ quare ſubſtantiæ primæ, & ſecundæ, non erunt differentiæ diuidentes aliquod genus: ac proinde neque hæc diuiſio erit generis in ſpecies. Falluntur tamen hi auctores ex eo putantes hanc eſſe diuiſionem generis in ſpecies, quia ſubſtantia eſt genus ſupremum, nam hæc quæ eſt genus ſupremum, non eſt res diuiſa, ſed membrum diuidens, vt iam in principio quæſt. adnotauimus.

3.Opin. Louanien. 3. Opinio eſt Louanienſium eſſe hanc diuiſionem accidentis in accidentia, nam res diuiſa eſt notio ſubſtantiæ, membra vero diuidentia ſunt notiones primæ & ſecundæ ſubſtantiæ, at notio ſubſtantiæ in communi, notiones etiam primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ, accidentia *Reiicitur.* quædam ſunt rationis. Hæc etiam opinio non aſſequitur veritatem, quia in diuiſione accidentis in accidentia, res diuiſa non prædicatur ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum accidens de membris diuidentibus, vt quando diuidimus candidum, in ſapiens, & inſipiens, candidum, quod eſt res diuiſa, ſecundum accidens prædicatur de ſapiente, & inſipiente: accidit ſiquidem ſapienti, vel inſipiente, eſſe candidum, vel atrum; ſed notio ſecunda ſubſtantiæ non accidit notioni ſecundæ, ſubſtantiæ ſecundæ, vel primæ, eſt enim notio ſubſtantiæ in communi ratio quædam per ſe exiſtendi, quæ certe non accidit ſubſtantiæ primæ, neque ſecundæ: ergo non erit hæc diuiſio accidentis in accidentia.

4. Opinio eſt Burlæi, Mercadi, & quorundam aliorum, qui putant eſſe diuiſionem ſubiecti in accidentia, nam res diuiſa eſt ſubſtantia, quæ eſt ſubiect. membra vero diuiden. ſunt notio primæ & ſecundæ ſubſtantiæ, quæ ſunt illius accidentia. Quæ certe opinio ſi intelligat in hac diuiſione, ſolam diuiſionem ſubiecti in accidentia contineri, errat maxime, cum præter illã, alia etiam diuiſio contineatur, vt in aſſertionibus oſtendemus: ſi vero præter illam aliam faciat diuiſionem, hanc & nos ſententiam amplectimur. *4.Opin.*

5. Opinio eſt apud viros graues communior multo, eſſe hanc diuiſionem analogi in analogata. Sequuntur hanc D. Tho. *quæſt. 2. de poten. art. 2. ad 6. B. Alb. Magn. Mag. Soto, Caieta. Toletus, in comment. huius cap. Iauell. 5. Metaphyſ. quæſt. 17.* & plerique ex recentioribus, quæ ſane ſententia veriſſima eſt, atque ita ad eam explicandam animaduertendum erit rem diuiſam huius diuiſionis, vel poſſe eſſe notionem primam ſubſtantiæ, & naturam realem einſdem, aut notionẽ illius ſecundam, quo animaduerſo ſit prima concluſio. *5.Opin.*

Si res diuiſa fuerit natura primæ ſubſtantiæ propoſita diuiſio eſt ſubiecti in accidentia, quẽ admodum & diuiſio hominis in candidum, & atrum. *1.Conclus.* *Confirmatur.* Illa diuiſio in qua res diuiſa eſt ſubiectum, membra vero diuidentia ſunt illius accidentia, eſt diuiſio ſubiecti in accidẽtia: ſed in hac diuiſione res diuiſa eſt ſubiectum, membra vero diuidentia ſunt accidentia, accidit enim ſubſtantiæ eſſe primam, vel ſecundam, ergo propoſita diuiſio erit ſubiecti in accidentia. *1.Argum.* *Præterea.* Hæc diuiſio eſt eadem cum illa qua diuiditur ſubſtantia in vniuerſam, & ſingularem, quia ſubſtantia ſecunda eſt vniuerſa, prima vero ſingularis: ſed diuiſio ſubſtantiæ in vniuerſam, & ſingularem, eſt ſubiecti in accidentia, ergo & diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam, erit ſubiecti in accidentia. *2.Argum.*

2. Concluſio. Si res diuiſa in hac diuiſione fuerit notio ſubſtantiæ, propoſita diuiſio eſt analogi in ſua analogata. *2.Conclus.* Confirmatur. Illa diuiſio in qua diuiſum prædicatur per prius & poſterius de membris diuidentibus, eſt analogi in analogata, qualis eſt diuiſio ſani in animal ſanum, vrinam, & medicinam ſanam: ſed in diuiſione propoſita res diuiſa prędicatur per prius & poſterius de membris diuidentibus, ergo erit diuiſio analogi in analogata. Confirmatur aſſumtio. Ratio vel notio ſubſtantiæ eſt per ſe exiſtere, vel vt alii dicunt ſubiici accidentibus, ſed vtraque ratio prius dicitur de prima, quam

de ſecunda, nam prima, primo & per ſe cohæret, imo etiam primo, & per ſe ſubiicitur accidentibus: ergo in propoſita diuiſione res diuiſa prius de prima ſubſtantia, & poſterius de ſecunda dicetur.

QVÆSTIO IV.

An ſubſtantiæ primæ ſint magis & perfectiores ſubſtantiæ, quam ſecundæ.

LOnga ſatis & diffuſa oratione in cap. cõtulit Ariſtot. ſubſtantias primas cum ſecundis, & ſecundas cum primis, atque inter ſeſe, aſſerens ſubſtantias primas eſſe magis ſubſtantias, quam ſecundas, verum quia non deſunt qui contrarium aſſerant putentque Ariſtot. non ex propria ſententia, & opinione, ſed iuxta morem vulgi has primas magis ſubſtantias appellaſſe, quia ſunt magis ſenſibus familiares, erit hæc res diligenter examinanda. Sit igitur primum argumentum aduerſus hanc ſententiam Ariſt. Species ſunt magis inſtitutæ à natura, quam indiuidua, imo indiuidua non videntur ob alium finem, niſi ob conſeruationem ſpecierum inſtituta: ſed illud quod eſt magis & per ſe inſtitutum, eſt perfectius, & longe nobilius: ergo ſpecies erunt longe nobiliores, quam indiuidua, & ex conſequenti ſubſtantiæ ſecundæ quam primæ. *1. Argum.*

2. Argum. 2. Subſtantia non recipit magis & minus, vt Ariſtot. in cap. docebat, ergo ſubſtantia prima non erit magis ſubſtantia quam ſecunda, nam ſi eſſet, haud dubie ſuſciperet magis & minus.

3. Argum. 3. Propter vnumquodque tale, & illud magis debet eſſe tale *ex 1. lib. de demonſtrat. cap. 2.* ſed ſubſtantiæ primæ ſubiiciuntur multis attributis, & accidentibus propter ſecundas, ergo magis ſubiicientur ſecundæ, quam primæ, ac proinde erunt magis ſubſtantiæ. Confirmatur aſſumptio. Petrus v. g. ex eo ſubiicitur animali, corpori viuenti, & ſubſtantiæ, tum proprietatibus horum generum, quæ ſunt accidentia, quia homo omnibus illis ſubiicitur, ergo magis ſubiicietur homo his attributis quam Petrus.

4. Argum. 4. Addo ſubſtantiam dictam eſſe à ſubiiciendo, ſed ſubſtantiæ ſecundæ magis ſubiiciuntur quã primæ, ergo erũt magis ſubſtantiæ. Cõfirmatur aſſumptio. Homo v. g. qui eſt ſubſtantia ſecunda, pluribus ſubiicitur, quam Petrus, qui eſt ſubſtantia prima, nam ſubiicitur eiſdem, quibus ſubiicitur Petrus, & multo pluribus nimirum accidentibus, quæ ſunt in Dominico, Vincentio, Thoma, & Antonino, & in aliis indiuiduis naturæ humanæ.

5. Argum. Verum quid immoramur in congerendis pluribus argumentis cum Ariſtot *in Metaphyſ. lib. 8. cap. 1.* vbi de rebus omnibus diſſeruit accuratiſſime, aperte ſuam ſententiam proferens docuerit ſubſtantias vniuerſas eſſe magis ſubſtantias, quam ſingulares? verba illius ſunt, *Præterea alio modo genus magis* (ſubintelligendum eſt ſubſtantia) *quam ſpecies, & quod vniuerſum eſt quam res ſingula.* At ſubſtantiæ vniuerſæ ſunt ſubſtantiæ ſecundæ, ſingulares ſunt primæ, quare ſubſtantiæ ſecundæ erunt magis ſubſtantiæ, quam primæ.

Opinio. His & aliis argumentis ſibi perſuadere potuerunt quidam Philoſophi periti, ſubſtantias primas neque eſſe magis, neque perfectiores ſubſtantias, quam ſecundas, quod ſi Ariſt. contrarium in cap. aſſerere videatur, id certe populari ratione docuit, vt & multa alia quæ in his categoriis Dialecticis tradita fuerunt, nam in Metaphyſicis vbi de rebus ſubtiliter, & accurate diſſeruit, contrarium docuit, vt conſtat ex illa auctoritate ex 8. Metaph. propoſita. Ita Ammonius & Villalpandus conſtituerunt.

Opinio. Contra tamen ſentiunt interpretes omnes Græci, Latini, & Arabes in comment huius cap. qui incunctanter aſſeuerant ſubſtantias primas eſſe magis ſubſtantias, quam ſecundas, eſſeque ipſis perfectiores longeque nobiliores, quorum ſententiam vt explicemus, ſciendum eſt ſubſtantiam dictam eſſe, vel à ſubſiſtendo, vel à per ſe exiſtendo, vt poſtea explicantes quænam ſit ratio ſubſtantiæ, in communi oſtendemus. Vnde vt colligamus quæ nam ſit magis ſubſtantia quam altera, aliquam ex his rationibus inſpicere debemus, ſi enim aliqua magis alicui conuenerit, colligere profecto licebit illam eſſe magis, aut minus ſubſtantiam nuncupãdam, ſit igitur concluſio.

Concluſio. Subſtantiæ primæ, magis ſunt, & perfectius ſubſtantiæ, quam ſecundæ. Eſſe magis ſubſtantias, confirmatur imprimis teſtimonio Ariſt. qui ex profeſſo hanc rem pertractandam ſuſcipiens in hac categor. docet ſubſtantias primas magis eſſe ſubſtantias, quam ſecundas. Neque ferendum eſt quod Ammonius, & Villalpandus dicunt, Ariſtot. hoc docuiſſe morem ſequens vulgi, apud quem hæ ſubſtantiæ tanquam cognitu faciliores magis ſubſtantiæ nuncupantur. Etenim quamuis admittamus Ariſtot. aliquando populari ratione de categ. in Dialectica diſputaſſe, vt in cap. ſequenti de quantitate oſtendemus, at quando ex inſtituto, & non obiter de rebus ipſis diſſerit (vt euenit in hac re) non populari ratione, ſed ex propria ſententia, & opinione, intelligendum eſt ipſum de ea diſſeruiſſe.

Secun-

2. argum. *Secundo.* Subſtantia vel dicitur à ſubſiſtendo, vel à ſubiiciendo, vel à per ſe exiſtẽdo: ſed iuxta vtramque rationem ſubſtantiæ primæ ſunt magis ſubſtantiæ quam ſecundæ, ergo ſimpliciter & abſolute ſubſtantiæ primæ erunt magis ſubſtantiæ, quam ſecundæ. *Confirmatur aſſumptio.* Inprimis ſi rationem ſubſiſtendi vel ſubiiciendi inſpiciamus, ſubſtantiæ primæ pluribus ſubiiciuntur, quam ſecundæ, ſubiiciuntur ſiquidem omnibus, quibus ſecundæ ſubiiciuntur, & nonnullis, quibus ſecundæ ſubiici nequeunt, vt Petrus ſubiicitur omnibus, quibus homo, & præterea ſubiicitur ipſimet homini, cui quidem homo ſubiici nequit: ergo in ratione ſubſiſtendi, ſubſtantiæ primæ erunt magis ſubſtantiæ, quam ſecundæ. *Secundo.* In ratione per ſe exiſtendi eſſe magis ſubſtantias, confirmari poteſt, quia magis per ſe exiſtunt, quam ſecundæ, quia a ſe, & in ſe exiſtunt: ſubſtantiæ vero ſecundæ a primis, & in primis habent exiſtentiam, atque ita docebat Ariſtot. ſecundas egere ope primarum, vt exiſtant: nam primis inquit ſublatis, nihil loci relinquitur ſecundis.

Præterea eſſe perfectiores primas, quam ſecundas, ex eo colligi poterit, quod exiſtentia magis & prius conueniat primis, quam ſecundis: at perfectio & nobilitas alicuius ex exiſtẽtia peti debet, quæ principem locum nobilitatis ſibi vendicat, vt 2. *lib. Tranſcen. cap.* 5. docuimus: erunt igitur ſubſtantiæ primæ magis ſubſtantiæ, & longe perfectiores, quam ſecundæ.

Iam ad argumenta, quæ in initio propoſuimus. Ad 1. argum. *Ad primum* reſpon. negando aſſumptionem, quia perfectio alicuius ex exiſtentia peti debet, quæ certe prius & magis in ſubſtantiis primis, quam in ſecundis reperitur. Addo, primas non egere aliquo ſuſtentante, vt exiſtant, quod profecto maximam nobilitatem præ ſe ferre videtur: at ſecundæ primis egent, velut ſubiectis, in quibus cohæreant.

Ad 2. *Ad ſecundum* reſpon. ſubſtantias poſſe conferri inter ſe, vel eas, quæ ſunt eiuſdem, aut quæ ſunt diuerſi ordinis. Si conferantur ſubſtantiæ, quæ ſunt eiuſdem ordinis inter ſe, non eſt vna magis ſubſtantia, quam altera, vt inter ſubſtantias primas vna non eſt magis ſubſtantia, quam altera: & inter ſpecies atomas, non eſt vna magis ſubſtantia, quam altera, verum ſi ſubſtantiæ vnius ordinis cum ſubſtantiis alterius ordinis conferantur, poterit ſubſtantia recipere magis & minus, nam ſubſtantiæ primæ ſunt magis ſubſtantiæ, quam ſecundæ; & inter ſecundas ſpecies, quam genera, vt in cap. docebat Ariſtot. atque ita recte poterunt ſubſtantiæ primæ eſſe magis ſubſtantiæ, quam ſecundæ, cum ſint primæ diuerſi ordinis a ſecundis. Aliam ſolutionem in hac ſectione agentes de proprietatibus ſubſtantiæ, trademus huic argumento.

Ad tertium reſpon. quod ſi de ratione ſubſtantiæ, quæ eſt per ſe exiſtere, agamus, argumentum nihil colligit aduerſus noſtram ſententiam, negandum ſiquidem erit, conuenire exiſtentiam illorum attributorum ſubſtantiis primis propter ſecundas, imo econtra competit ſubſtantiis ſecundis propter primas, nam ex eo homo exiſtit animal, & corpus viuens, quia Petrus, v. g. exiſtit animal, & corpus viuens. Si vero agamus de ſubſtãtia, vt ſubiicitur, vel ſubeſt ſuperioribus, & accidentibus, reſp. verum eſſe, ſubſtantias primas ſubeſſe attributis eſſentialibus propter ſecundas, hæ vero ſubſunt etiam multis accidentibus propter primas. Vnde in hac re ſe habent, veluti excedens & exceſſum. Vincuntur tamen ſecundæ a primis, quia primæ ita ſuſtentant, & fulciunt in ſe attributa ſuperiora, atque accidentia, vt non egeant aliquo alio ſuſtentante: at ſecundæ ita ſubſunt ſuis attributis, vt egeant aliquo alio ſuſtentante, nimirum ſubſtantiis primis. Ad 3.

Ad quartum, diſtinguenda eſt aſſumptio, nam magis ſubeſſe duobus modis contingere poteſt, vno modo intenſiue, & alio extenſiue, ſubeſſe magis extenſiue, eſt pluribus ſubeſſe: ſubeſſe vero magis intenſiue, eſt propria vi, & non ratione alterius ſubeſſe. Subſtantiæ itaque ſecundæ ſubſunt magis extenſiue, vt colligit argum. quia pluribus ſubſtant: at primæ ſubſtant magis intenſiue, quia per ſe, & propria vi, & nõ ratione alterius ſubſtant: ſecundæ vero hac ratione minus ſubſtant, quia non ratione ſui, ſed ratione primarum ſubſtant. Ad 4.

Ad vltimum reſpond. inprimis, ſubſtantias vniuerſas dictas eſſe ab Ariſtot. eo loco magis ſubſtantias, quia pluribus ſubſtant extenſiue: at primæ dictæ ſunt magis ſubſtantiæ in hoc loco, quia pluribus ſubſtant intenſiue. Ita reſpond. Toletus. Reſpondet ſecundo M. Sotus, ſubſtantias vniuerſas dici magis ſubſtantias, quia ſunt magis perpetuæ, & magis auulſæ a materia, non autem, quod magis per ſe exiſtãt, aut magis ſubſiſtant. Vera tamen, & legitima interpretatio eſt, quam proponunt in eo loco D. Thomas, Alexander, Auerroes, & Sueſſanus, illa verba non eſſe propoſita ab Ariſtotele ex propria ſententia, ſed ex opinione Platonicorum, qui conſtituebant, ideas eſſe maxime ſubſtantias, quas ipſi ſubſtantias vniuerſas appellabant. Ex illorum ergo opinione quaſi col- Ad vlt.

ligens ex iis, quæ aduerſus eos antea dixerat, inquit, ſi huiuſmodi ideæ eſſent extra ſubſtantias ſingulares collocandæ, quæ per ſe & primo haberent naturam: ſequeretur, ſubſtantias vniuerſas, cum ſint huiuſmodi ideæ, eſſe eſſe magis ſubſtantias, quam primas, quod quaſi incommodum infert, & non tanquam ex propria opinione illud profert.

QVÆSTIO V.

Vtrum vna ſubſtantia ſecunda ſit magis ſubſtantia, quam altera.

CONtulimus in ſuperiori quæſt. ſubſtantias primas cum ſecundis, conferamus iam ſecundas ſubſtantias inter ſe, perpendamusque ſitne vna ſubſtantia ſecunda magis ſubſtā-tia, quam altera, vt num vna ſpecies infima ſit magis ſubſtantia, quam altera.

1. argum. Et quidem ita eſſe, his tribus argum. poſſumus ſuadere. *Primum* petitum eſt ex Ariſt. qui *lib. 3. Metaphyſ. cap 5.* elementa vocat maxime ſubſtantias, at elementa ſpecies ſunt atomæ, & indiuiduæ, iam ergo vna ſpecies erit magis ſubſtantia, quam altera.

2. argum. *Secundum.* Subſtantia vocata eſt à ſubſtando, vel ſubiiciendo, ſed vna ſpecies infima pluribus ſubiicitur, quam altera: erit igitur vna magis ſubſtantia, quam altera. Confirmatur aſſumptio. Gabriel (v g.) & homo ſunt ſpecies infimæ, ſed homo magis ſubiicitur, quam Gabriel, nam Gabriel tantum ſubiicitur accidentibus ſpiritalibus, & quam pauciſſimis attributis eſſentialibus, vt ſpiritui, ſubſtantiæ, & enti: homo vero ſubiicitur accidentibus corporeis & ſpiritalibus, & pluribus attributis eſſentialibus, ſcilicet animali, corpori viuenti, corpori, ſubſtantiæ, & enti, ergo homo magis ſubiicietur, quam Gabriel.

3. argum. *Præterea*, Homo & cygnus ſunt ſpecies infimæ: ſed cygnus pluribus ſubeſt, quam homo: ergo vna ſpecies infima pluribus ſubeſſe poterit, quam altera, & ex conſequenti vna erit magis ſubſtantia, quam altera. Confirmatur aſſumptio. Homo tantum ſubeſt proxime vni generi intermedio, ſcilicet animali, cygnus vero ſubeſt duobus, nimirum volucri, & bruto: ergo pluribus ſuberit cygnus, quam homo.

At contra ſtatuit Ariſt. intra ſpecies infimas omnes ex æquo eſſe ſubſtantias, & non eſſe inter eas vnam magis aut minus ſubſtantiam, quam altera aſſeuerans. Sit tamen pro explica- *1. Concluſio.* tione dubitationis prima concluſio. Inter ſubſtantias ſecundas ſpecies infimæ ſunt magis ſubſtantiæ, quam genera. Hanc docet Ariſt. in *1. argum.* cap. *Primo*, quia infimæ magis accedunt ad primas, quæ ſunt maximæ ſubſtantiæ, at quo aliquid magis accedit ad id, quod eſt maxime tale, tanto eſt magis tale. *Secundo*, quia ſpecies *2. argum.* magis naturam primarum ſubſtantiarum exprimunt, quam genera: nam magis exprimitur, quid ſit Petrus, nomine hominis, quam nomine animalis: erunt igitur ſpecies infimæ magis ſubſtantiæ, quam genera.

2. Concl. 2 *Concluſio*. Inter genera vnum eſt magis ſubſtantia, quam alterum, etenim cum ex illis quædam magis accedant, & alia magis recedāt à prima ſubſtantia, quæ magis recedent, dicentur minus ſubſtantiæ, & quæ minus, magis ſubſtantiæ erunt: vt in categor. ſubſtantiæ, animal erit magis ſubſtantia, quam corpus animatum, & hoc, quam corpus, & corpus, quam genus ſupremum categoriæ. Hæc ſatis eſt nota, quia ex acceſſu aut receſſu eius, quod eſt maxime tale, debent aliqua magis aut minus illius nominis appellationem ſubire.

3. Concl. 3 *Concluſio*. Omnes ſpecies infimæ ſunt ex æquo ſubſtantiæ ſecundæ, & non poteſt vna magis, quam altera ſubſtantia nuncupari. Hæc colligitur aperte ex Ariſt. *in cap.* & ex interpretibus Ammon. Simplic. Porph. *in interrogat. in cap. de ſubſtan cap.* tt. Caietano, Iauello, & aliis. Confirmatur primo, quia omnes ſpecies infimæ ex æquo diſtant à ſubſtantiis primis. Secundo, quia omnes ex æquo exprimunt naturam ſubſtantiarum primarum, quare cum ex acceſſu ad primas, vel receſſu ab eiſdem ſit appellatio ſubſtantiæ alicui tribuenda, omnesq; ex æquo ſpecies infimæ ad primam ſubſtantiam accedant, non erit vna quam altera magis ſubſtantia nuncupanda.

Non deſunt quidam recentiores, qui putēt, hanc aſſertionem intelligendam tantummodo eſſe de ſpeciebus infimis, quæ ſub eodem genere proximo continentur, nam ſi contentæ fuerint ſub diuerſis generibus proximis, vna recte poterit eſſe magis ſubſtantia, quam altera, v.g. equus non eſt magis ſubſtantia, quam leo, quia ambo ſub eodem genere proximo (nimirum bruto) continentur: verum cygnus, qui continetur ſub diuerſo genere proximo, ſcilicet ſub volucri, erit magis ſubſtantia, quam leo, quia pluribus ſubſtat, etenim ſubſtat bruto, cui ſubſtat leo, & ſubſtat volucri, cui leo ſubeſſe nullo modo poteſt.

Confut. recent. *Cæterum* horum virorum limitatio gratis & abſque vllo fundamento eſt propoſita, nam cum Ariſt. abſolute, & abſque vlla diſtinctione profiteatur (in hac categor.) inter ſubſtantias ſecundas, ſpecies infimas non eſſe quaſdam magis ſubſtantias, quam alias, quorſum quæſo

erit huiuſmodi limitatio proponenda, cum neque à Græcis, neque à veteribus Latinis interpretibus fuerit illa adhibita? Quam autem futile ſit fundamentum illorum, ex eo quaſdam ſpecies infimas eſſe magis ſubſtantias, quam alias, quia pluribus ſubſtant, in ſolutione 3. arg. quæſt. oſtendemus.

Ad 1. argum. Ad argumenta igitur, quæ in initio propoſuimus, ita occurrimus. *Ad primum* dicimus, Ariſt. vocaſſe elementa magis ſubſtantias non quia naturam & eſſentiam ſubſtantiæ magis, quam aliæ ſubſtantiæ ſecundæ obtineant, ſed quia ſunt magis nobis nota, quam aliæ ſubſtantiæ ſecundæ. Quæ ſane interpretatio optima eſt, & ex eodem Ariſt. hauſta, qui cum iterum *7. lib. Metaphyſ. cap. 2.* de hac re ſermonem habuiſſet, inquit, corpora (nimirum elementa) ex eo eſſe magis ſubſtantias, quia ſunt omnibus notiſſima. Verba illius ſunt: *Eſſentia* (id eſt, ſubſtantia) *autem in corporibus ineſſe clariſſime videtur*. In qua auctoritate Ariſt. aperte ſatis exprimit id, quod in 3. lib docuerat.

Ad 2. *Ad ſecundum* reſp. diſtinguendo aſſumptionem, nam duobus modis poſſunt aliqua magis ſubeſſe intenſiue, & extenſiue: illa ſubſunt extenſiue, quæ pluribus ſubſunt: illa vero magis ſubſunt intenſiue, quæ, quibus ſubſunt, maiori vi & facultate ſubſunt. Itaque homo magis ſubeſt extenſiue, quam Gabriel, quia pluribus ſubeſt, vt probat argumentum, non tamẽ ſubeſt magis intenſiue, neque enim maiori vi & facultate ſubeſt, quibus ſubeſt, quam ſubſit Gabriel, etiam iis, quibus ipſe ſubeſt. Verum quia ſubſtantia non à ſubeſſe extenſiue, ſed intenſiue dicta fuit, quamuis homo pluribus ſubſit extenſiue, non propterea erit magis ſubſtantia, quam Gabriel

Ad 3. *Solut. Louanien.* *Ad tertium* reſpondent Louanienſes, admittentes, cygnum pluribus ſubiici, quam homo, negant tamen inde ſequi, illum eſſe magis ſubſtantiam, quia præter maiorem ſubiectionem ad magis ſubſtantiam requiritur aliud, vt quod ſubeſt, ſubſit illi in habitudine, ad quod dicitur magis ſubſtantia, & quia cygnus non ſubeſt homini, propterea quamuis pluribus ſubſit, non erit magis ſubſtantia, quam ille: at homo eſt magis ſubſtantia, quam animal, quia pluribus ſubeſt, & quia ſubeſt eidem animali, ad quod collatus dicitur magis ſubſtantia. Verum hæc ſententia Louanienſium nulla eſt, & Ariſt. apertiſſime aduerſatur, ex illa ſiquidem ſequeretur, Petrum non eſſe magis ſubſtantiã, quam ſit equus, quia quamuis pluribus ſubſit, quam equus, non tamen ſubeſt equo in habitudine, ad quem dicitur magis ſubſtantia, quod certe repugnat Ariſt. abſolute in cap. dicenti, omnem ſubſtantiam primam eſſe magis ſubſtantiam, qualibet alia ſubſtantia ſecunda. Quare hac ſolutione prætermiſſa reſpondeo *Solutio propria.* modo, quo ſatisfecimus in ſuperioris argum. ſolutione, cygnum magis ſubiici extenſiue, quam hominem, quia pluribus ſubeſt, non tamen ſubiici magis intenſiue, quia quibus ſubeſt, non maiori vi & facultate ſubeſt, quam ſubſit homo his, quibus ipſe ſubeſt.

QVÆSTIO VI.

An per ſe exiſtere ſit eſſentia ſubſtantia, necne?

EGimus de primis & ſecundis ſubſtantiis in ſuperioribus quæſtionibus, ſequitur, vt de ratione & quidditate vtriuſque in hac quæſtione diſputemus, quærimus igitur, ſitne hæc ratio per ſe exiſtere, vel ſubiici ſuperiori, & accidentibus, vel aliqua alia, necne? Et certe per ſe exiſtere, non eſſe rationem ſubſtantiæ, imo potius ſubiici hæc argumenta confirmant. *Primum* petitum eſt ex Ariſtot qui in hac cate- *1. Argum.* goria ex eo confirmat, ſubſtantiam primam eſſe magis ſubſtantiam, quia pluribus ſubeſt, iam ergo ſubeſſe erit propria ratio ſubſtantiæ.

Secundum. Ariſtot. in hac eadem categoria *2. Argum.* tradens proprietates ſubſtantiæ, inquit, poſſe recipere contraria cum ſui mutatione, eſſe maxime proprium huius categoriæ: ergo ratio illa, quæ nomine huius proprietatis declarabitur, erit ratio & eſſentia illius, quia proprietates & accidentia nos manuducunt ad latentem eſſentiam intelligendam, vt teſtatur Ariſt. *1. de anima, cap. 1.* ſed nomine huius proprietatis exprimitur ſubiecto ſubſtantiæ ad accidentia; etenim ex eo aliquid poteſt recipere contraria; quia poteſt ſubiici illis, ergo ſubeſſe erit propria ratio ſubſtantiæ.

Præterea. Humanitas Chriſti eſt vera ſub- *3. argum.* ſtantia, at illa non exiſtit per ſe. ergo de ratione ſubſtantiæ non erit per ſe exiſtere. Confirmatur aſſumptio, quia humanitas Chriſti non habet propriam & peculiarem exiſtentiam humanam; ſed exiſtit per exiſtentiam verbi diuini, vt auctor eſt D. Thom *3. p. q. 17. art. 2.* ergo humanitas Chriſti non per ſe exiſtet.

Addo: Si per ſe exiſtere eſſet ratio ſubſtan- *4. argum.* tiæ, vel eſſet per ſe exiſtere actu, vel aptitudine: ſed nihil ex his dici poteſt, non ergo per ſe exiſtere erit ratio ſubſtantiæ Confirmatur aſſumptio. Inprimiſque per ſe exiſtere actu, non eſſe rationem, confirmatur ex argum. proxime effecto de humanitate Chriſti, quæ eſt ſubſtan-

Digitized by Google

tia, & non exiſtit per ſe actu propria exiſtentia. Deinde neque exiſtere aptitudine, eſſe rationem, confirmatur de partibus integrantibus, quę non habēt aptitudinē, vt poſſint per ſe exiſtere ſine toto, quæ tamen ſunt veræ ſubſtātiæ. Confirmatur etiam de materia prima, quæ eſt vere ſubſtantia, & non poteſt exiſtere per ſe abſque vlla forma, iuxta placita D. Thom. ergo per ſe exiſtere aptitudine, non erit ratio ſubſtantiæ.

argum. *Iam.* Si ens per ſe exiſtens eſſet ratio ſubſtantiæ, ſequeretur, vel in hac diffinitione committi nugationem, vel eſſe per ſe, eſſe nihil, quod ita confirm. Vel dictio. per ſe, includit ens, vel non includit, ſi non includit, ergo eſt nihil, nam quod non includit ens, nihil eſt: ſi vero includit, ergo bis repeteremus ens, ſemel nomine proprio, quando dicimus ens, & iterum, quando dicimus, per ſe exiſtens, quare committeremus nugationem, quæ omnia, cum ſint manifeſta abſurda, ſequitur, hanc non eſſe rationem ſubſtantiæ.

Opinio. Non eſt eadem interpretum ſententia in aſſignanda natura, & ratione ſubſtantiæ. Græci, Porph. *in interrog in cap. 1. de ſubſtan.* & Dexippus *cap. 17. lib. 2. quaſt.* putant, illam eſſe conſtitutam in eo, quod eſt non eſſe in ſubiecto.

Opinio. Seuerinus Boetius, & multi ex Latinis exiſtimant, rationem eius eſſe ſubiici accidentibus, & ſubſtantiis ſecundis, hoc enim ſubſtantiæ nomen præ ſe ferre videtur, nam ſubſtantia a ſubſtando, vel a ſubiiciendo deducta eſſe videtur.

3. Opinio. At alii grauiſſimi viri putant, rationem illius eſſe per ſe exiſtere, vel (quod idem eſt) per ſe cohærere, quæ legitur in lib. de cauſis in hūc modum: *Subſtantia eſt, qua per ſe ſtat.* Quamuis hic libet, vt Franciſcus Patricius annotat *lib. 4. diſcuſſionum peripatet.* non eſt Ariſt. ſed cuiuſdam poſterioris Arabis. Eandem D. Damaſcenus *in ſua Dialectica, cap. 23.* ſequitur, ſubſtantiam in hunc modum diffiniens: *Subſtantia eſt res per ſe exiſtens, non indigens altero ad conſiſtentiam.* D etiam Thomas *opuſc. 42. de natura generis*, hanc eandem amplectitur opinionem, quam denique fere omnes recentiores vno conſenſu profitentur.

1. Obſeruat. Hanc igitur ſententiam vt explicemus, animaduertimus inprimis, nomine ſubſtantiæ nos non intelligere ſubſtantiam in illa anguſta ſignificatione, in qua ſignificat genus ſupremum categor. ant id, quod in recta ſerie continetur, ſed ipſam in late patente illa ſignificatione, in qua ſignificat omne id, quod non eſt

2. Obſer. accidens. *Iterum*, adnotamus in vnaquaque re illam eſſe ipſius rationem conſtituendam, quæ rei primo conuenit, nihil enim prius in re eſt, quam ipſius eſſentia atque natura. vnde & Ariſtot. docebat 7. *Metaphyſ. cap.* 4. eſſentiam eſſe, quod per ſe, & primo de re dicitur.

Sit igitur prima concluſio. Ratio & eſſentia ſubſtantiæ, non eſt non eſſe in aliquo tantum in ſubiecto. Hanc aduerſus Porph. & Dexippū profitemur, quam primo confi. mamus. Nulla negatio eſt alicuius natura & eſſentia conſtituenda, ſed non eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto, eſt negatio: ergo non erit hæc ratio & natura ſubſtantiæ conſtituenda. *Iam.* In vnaquaque re illa eſt ratio & eſſentia aſſignanda, quæ primo illi competit, ſed non eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto, non competit primo ſubſtantiæ, non ergo hæc poterit eſſe illius ratio & natura. Propoſitio conſtat ex illo, quod ſecundo loco admonuimus. Confirmatur aſſumptio. Omnis negatio debet inniti alicui affirmationi, & entitati poſitiuæ, quæ primo rei conueniat, vt non lapis (in homine) innititur rationis participi, cum quo non poteſt lapis cohærere, quod primo homini adaptatur: ergo non eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto innititur alicui affirmationi, & entitati poſitiuæ, quæ primo ſubſtantiæ conueniat, quare hæc non poterit eſſe ratio illius. Addo, non eſſe in ſubiecto, conſtitutum eſſe ab Ariſtotele inter proprietates ſubſtantiæ, non igitur poterit eſſe illius natura.

1. Concluſ. 1. argum. 2. argum.

2. *Concluſio.* Subiici accidentibus, non conſtituit naturam & eſſentiam ſubſtantiæ. Confirmatur aduerſus Boetium, *primo*, quia ſubſtantia non diffinitur per habitudinem ad accidentia, ob hanc ſiquidem cauſam docuit Ariſt. 7. *Metaphyſ. cap.* 1. illam eſſe priorem diffinitione, quia non diffinitur per accidentia, cum hæc per illam diffiniri debeant: ſed ſubiici accidentibus, denotat habitudinem ad accidentia, ergo non erit hæc ratio illius. *Secundo.* Quia ſi hæc eſſet ratio illius, diffiniretur ſubſtantia per aliquid additum & extrinſecum, nam diffiniretur per accidentia, quibus ſubeſſet, vnde fieret, naturam illius non eſſe abſolutam, ſed ab alio dependentem, quæ certe eum ſubſtantiæ nullo modo poſſint conuenire, illius ratio non erit ſubiici, vel ſubeſſe accidentibus.

2. Concl. 1. argum. 2. argum.

3. *Concluſio.* Neque illius ratio eſt ſubeſſe attributis eſſentialibus. Confirmatur aduerſus eundem, quia quod non conuenit rei primo, non poteſt eſſe illius ratio, atque natura: ſed ſubeſſe attributis ſuperioribus non competit primo ſubſtantiæ: non ergo poterit eſſe illius natura. Confirmatur aſſumptio. Prius aliquid in ſe 3. Concl.

in ſe eſt, quam ad aliud referatur (loquor in naturis abſolutis, vt eſt ſubſtantia,) ſed ſubeſſe attributis ſuperioribus, eſt referri ad aliud: ergo prius ſubſtantia in ſe erit, quam quod ad illa referatur. At in illo priori ſubſtantia iam habet naturam, ergo ſubiiei ſuperioribus, non poterit eſſe natura ſubſtantiæ. Addo, rationem debere eſſe communem omni ſubſtantiæ, at ſubiici attributis (ſynonymis intelligo, de quibus hic agimus) non eſt commune omni ſubſtantiæ, nam inprimis genus ſupremum categoriæ nulli ſubeſt. Deinde ſubſtantia vt denotat quidquid non eſt accidens, nulli ſubeſt: non igitur ſubeſſe ſuperioribus, erit illius ratio & natura.

4.Concl. 4.*Concluſio.* Per ſe exiſtere erit ratio ſubſtantiæ, vel (vt cum aliis conueniamus) per ſe cohętere. Hanc tanquam communiorem cum D. Damaſceno, D. Thoma, & aliis conſtituimus. Et confirmatur *primo*, quia eorum, quæ
1.Argum. ſunt analoga, debet eſſe eadem ratio ſecundum analogiam: ſed Deus, & ſubſtantiæ creatæ (quæ ſolæ in hac categoria continentur) analogantur in ſubſtantia, ſicuti & in ente, & in omnibus attributis eſſentialibus, ergo habebunt eandem rationem ſubſtantiæ communem ſecundum analogiam: ſed ratio ſubſtantiæ in Deo eſt per ſe exiſtere, non autem ſubiici accidentibus, quia in Deo nulla ſunt accidentia, ergo & per ſe eſſe erit ratio ſubſtantiæ creatæ, & quæ intra limites huius categoriæ
2.argum. continetur. *Secundo.* Quemadmodum ſeſe habent accidentia ad eſſe in alio, tanquam in ſubiecto, ita & ſubſtantia ad eſſe per ſe, nam eſſe per ſe, & in alio, ſunt duo quidam generales modi contrahentes ens ad ſubſtantiam, & ad accidentia: ſed ratio & natura accidentis eſt eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto, ergo ratio ſubſtantiæ erit exiſtere per ſe. Verum cum hoc duobus modis poſſit euenire, vel ſecundum actum, vel ſecundum aptitudinem, ſit quinta
5.Concl. concluſio.

Eſſentia ſubſtantiæ eſt per ſe exiſtere ſecundum aptitudinem, & non ſecundum actum. Hanc apertiſſimis verbis profitetur D. Thom. 3.*p.q.*77.*artic.*1.*ad* 2. vbi inquit, quidditatem ſubſtantiæ eſſe illud, cui debetur eſſe per ſe, & non in alio, tanquam in ſubiecto, ac ſi diceret, naturam ſubſtantiæ non eſſe actu eſſe per ſe, ſed poſſe eſſe per ſe, aut habere aptitudinem ad
1.argum. per ſe exiſtendum. Confirmaturque *primo.* Eo modo, quo ſe habent accidentia ad eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto, quoque ſe habet ſubſtantia ad eſſe per ſe: ſed ratio & eſſentia accidentium non eſt eſſe in ſubiecto ſecundum actum, ſed ſecundum ſolam aptitudinem: ergo eſſentia ſubſtantiæ non erit eſſe per ſe ſecundũ actum, ſed ſecundum aptitudinem *Iam.* Hu- **2.argum.**
manitas Chriſti Domini eſt vera & legitima ſubſtantia, quæ tamen actu non exiſtit per ſe propria exiſtentia, ſed ſecundum ſolam aptitudinem: ergo ratio ſubſtantiæ non erit eſſe per ſe actu, ſed ſola aptitudine & poteſtate.

Satiſfaciamus iam argumentis, quæ in initio propoſuimus. *Ad primum* reſp. rationem **Ad 1.arg.**
propoſitam ab Ariſtot eſſe à poſteriori, non à priori, nam quia ſubſtantia prima maxime ſubeſt, colligimus tanquam per effectum, ſubſtantiam primam maxime per ſe cohærere, nam quæ maxime ſubſunt, maxime per ſe exiſtunt, & ita colligimus eſſe maxime ſubſtantiam.

Ad ſecundum reſpon dubium eſſe, ſitne hæc **Ad 2.**
proprietas quarto modo ſubſtantiæ, vt infra explicabimus. Verum quamuis admittamus eſſe proprietatem quarto modo, reſpon. poſſe recipere contraria a duobus principiis promanare, ab vno proximo, & ab altero remoto, proximum eſt, poſſe illis ſubiici, aut ſubeſſe, remotum vero per ſe exiſtere, nam ex eo, quia ſubſtantia per ſe exiſtit, habetque firmam & conſtantem entitatem, poteſt in ſe fulcire, & recipere contrarias qualitates. Cum igitur in vnaquaque re illa ſit ipſius ratio aſſignanda, quæ primo illi competit, non ſubiici, ſed per ſe cohærere, erit illius natura.

Ad tertium reſpond. primo, humanitatem **Ad 3.**
Chriſti per ſe exiſtere, quamuis non propria, ſed aliena exiſtentia, ſcil. verbi, neque enim eſt neceſſe ad rationem ſubſtantiæ, vt res exiſtat exiſtentia propria: etenim materia prima eſt vera & legitima ſubſtantia, quæ tamen non exiſtit propria, ſed aliena exiſtentia, formæ nimirum. Iterum dicimus, humanitem Chriſti etiam aptitudine exiſtere propria exiſtentia, nam eſt nata & apta, vt ab ea profluat propria & humana exiſtentia, quæ certe ab ea fluxiſſet, niſi a verbo diuino (illam ſupponente) fuiſſet præuenta, ratio autem ſubſtantiæ non eſt per ſe exiſtere actu, ſed aptitudine, aut poteſtate.

Ad quartum dicimus, eſſentiam ſubſtantiæ **Ad 4.**
eſſe, per ſe exiſtere aptitudine. Ad impugnationem vero reſpon. poſſe per ſe exiſtere, vt in hoc loco ſumitur pro notione ſubſtantiæ, non denotare poſſe, eſſe ſine alio, vel ab alterius exiſtentia poſſe ſeparari: ſed habere entitatem firmam, & conſtantem, a nullo tanquam a ſubiecto dependentem, qua ratione tam partes, quam materia prima per ſe exiſtunt, quia non

Digitized by Google

habent entitatem vel minimam ab alio, tanquam à ſubiecto dependentem, nam neq; partes ſunt in toto, tanquam in ſubiecto, neque materia à forma, tanquam à ſubiecto, continetur, ac proinde vere & proprie ratio ſubſtantiæ illis adaptabitur.

Ad 5. *Ad quintum* reſp. negando primam conſequentiam, neque enim in hac oratione, ens per ſe exiſtens, committimus aliquam nugationem, quia in nugatione bis idem repetitur expreſſe, & eodem modo, at in illo modo, qui eſt per ſe exiſtere, non exprimitur ratio entis eodem modo, imo potius ratio ſubſtantiæ ſola eſt, quæ illa dictione declaratur.

QVÆSTIO VII.

An tres priores proprietates ſubſtantiæ ſint recte traditæ ab Ariſt.

1. Argum. ADuerſus primam proprietatem ſubſtantię traditam ab Ariſt. eſt primum argum. Omnis proprietas denotat entitatem aliquam poſitiuam, ſed non eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto, non denotat huiuſmodi entitatem, (quia eſt negatio) ergo non erit proprietas ſubſtantiæ.

2. Argum. 2. Elemẽta ſunt in mixto, cum omnia mixta ex illis coaleſcant, ſed elementa ſunt ſubſtãtiæ, ergo ſubſtantia erit in aliquo, tanquam in ſubiecto.

3. argum. 3. Partes & differentiæ non ſunt ſubſtantiæ, quia non denotãt naturam integram, quæ ſola in categoria ſubſtantiæ comprehenditur, at illis competit nõ eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto, nam eſſe in ſubiecto, eſt eſſe in aliquo, non tanquã pars, ergo non erit proprietas ſubſtantiæ, cum conueniat aliis à ſubſtantia.

4. argum. *Iam.* Concreta accidentium, vt album, v.g. non ſignificant ſubſtantiam, ſed qualitatem, ſed hæc concreta non ſunt in aliquo, tanquam in ſubiecto, nam album nulli inhæret, ergo hęc proprietas conueniet aliis à ſubſtantia, ac proinde non erit proprietas illius.

5. argum. *Addo* aduerſus ſecundam proprietatẽ, quæ eſt ſynonyme, aut vniuoce prædicari, hanc nõ conuenire omni ſubſtantiæ, nam non competit primis à quibus nulla poteſt fieri attributio, vt loquit Ariſt in hac categoria. Præterea neq; competit ſoli, nam competit generibus & formis categoriarum accidentium, quę prædicantur in quid, & ſynonyme de naturis ſibi ſubiectis, non igitur erit hæc proprietas ſubſtantiæ

6. argum. *Iterum* contra tertiam proprietatem. Si ſubſtantiæ ſecundæ ſignificarent quale quid, ergo dicerentur in quale, ergo ſubſtantiæ ſecundæ neque eſſent genera, neque ſpecies, quia genera & ſpecies in quid prædicantur, & non in quale. Deinde hæ eædem ſubſtantiæ ſecundæ habent certa & diffinita attributa, ergo ſignificabunt hoc aliquid, quia rem certam & diffinitam deſignant, quare non recte docuit in hac proprietate Ariſt. ſubſtantias ſecundas non ſignificare hoc aliquid. His igitur, & aliis leuioribus argumentis poterunt labefactari ea, quæ de his proprietatibus ab Ariſtot. fuerunt propoſita.

At eſſe veriſſima ea, quæ ab eodem de his proprietatibus tradita fuerunt, & illius teſtimonio, & ex omnium Dialecticorum conſenſu poſſumus confirmare. Legendi ſunt Simplicius, Ammonius, Boetius & Caietanus *in comment.* Porph. *in interrogat.* Dexippus *2. lib. quæſt. cap. vlt.* B. Albertus Magnus *tract. 2. categoriarum, cap. 6 7. & 8.* M. Soto *quæſt. 2. huius categoriæ*, qui abunde ſatis his & aliis difficultatibus à calumniatoribus propoſitis occurrerunt. *Veriſſima affirmantur, quæ dicta ſunt ab Ariſt.*

Obſer. circa 1. propriet. *Circa primam* animaduertendum eſt, ſubſtantiam poſſe ſumi vel pro ea tantum, quæ eſt in recta ſerie categoriæ, in qua tantum naturæ integræ continentur: vel vt eſt diuiſa contra accidens, ſub qua naturæ incompletæ, vt partes & differentiæ continentur. Si ſubſtantia fuerit primo modo ſumpta, hæc proprietas non eſt quarto modo, ſed ſecundo, quia competit omni, non tamen ſoli: nam competit ſubſtantiæ integræ, quæ in recta ſerie categoriæ eſt comprehenſa, non tamen ſoli, cum conueniat partibus & differentiis, quæ non ſunt in aliquo tanquam in ſubiecto. Si vero ſumpta fuerit in ſecunda ſignificatione, habet modum proprietatis quarto modo, quia competit omni, ſoli, & ſemper, & reciprocatur cum ſubſtantia: non tamen eſt vera proprietas, quia non denotat entitatem poſitiuam, qualem neceſſario debet omnis proprietas quarto modo denotare.

Obſer. circa 2. propriet. *Circa ſecundam* proprietatem ex M. Soto, Villalpando, & aliis annotandum erit, ſynonyme prædicati ſumi poſſe vel abſolute, vel in habitudine ad primam ſubſtantiam. Si abſolute ſumatur, non eſt vera & legitima proprietas, ex illis quatuor, quas recenſuit Porphyr *in cap. de proprio.* Nam non competit ſoli, non tamen omni, cum conueniat accidentibus vniuerſis, reſpectu ſuorum inferiorum, de quibus dicuntur ſynonyme. Neque competit omni, non tamen ſoli, quia non competit ſubſtantiis ſingularibus. Neque competit aliis duabus vltimis ſignificationibus, in quibus hæ duæ priores ſunt incluſæ, quare non poterit ita eſſe

vera & legitima proprietas. Si tamen ſynonyme prædicari ſumptum fuerit in habitudine tantum ad primam ſubſtantiam, erit proprium primo modo, quia competit ſoli, non tamen omni: nam competit ſolis ſubſtantiis ſecundis ita prædicari de primis, non tamen competit omni ſubſtantiæ, cum non conueniat ipſis primis.

Obſer. circa 3. propriet. *Circa tertiam* proprietatem iam admonuimus in ſcholiis, quid eſſet ſignificare hoc aliquid, & quid prædicari in quale quid. Addimus nunc ex M. Soto, Cantero, & Toleto, ſubſtantias ſecundas propter figuram appellationis poſſe ſignificare hoc aliquid, quia nimirum ſignificantur per modum ſuppoſiti, & ſubſtantiæ primæ, quæ ſignificat hoc aliquid, vt homo, qui eſt ſubſtantia ſecunda, ſignificatur per modum ſuppoſiti, vt Petri, vel Pauli, qui hoc aliquid ſignificant, id eſt, ſubſtantiam certam & diffinitam.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta, quæ propoſuimus, reſpond. facile & breuiter. *Ad primum* dicimus, hanc negationem habere locum affirmationis & entitatis poſitiuæ, quæ eſt per ſe exiſtere, ac proinde poſſe habere locum proprietatis. Vel ex hoc argumento ſolum colligitur, non eſſe veram proprietatem, non tamen non habere modum illius, vt in prima obſeruatione docebamus.

Ad 2. *Ad ſecundum* dicimus, elemēta eſſe in mixto, non tanquam in ſubiecto, ſed tanquam partes, ex quibus illud coaleſcit: nō quidem quòd ſubſtantiæ elementorum refractæ remaneant, vt multi volunt, ſed quia vires & facultates eorundem in eis perſiſtant, vt in noſtra Phyſiologia de elementis diſputatione (quæ Deo auctore ſtatim euulgabitur) luculenter ſatis & abunde oſtendemus.

Ad 3. *Ad tertium* iam diximus in prima obſeruatione, hanc habere modum proprietatis quarto modo, ſi ſumpta fuerit ſubſtantia, vt eſt diuiſa contra accidens, & vt ambit differentias & partes, & eſſe proprietatem ſecundo modo, ſi illa ſumpta fuerit, vt ſignificat naturam integram, in rectà ſerie categoriæ comprehenſam, quia competit omni, nō tamen ſoli, cum conueniat differentiis & partibus, quæ non continentur in recta ſerie

Ad 4. *Ad quartum* dicimus, concreta accidentium ratione ſignificati formalis, ſignificare accidēs, & hac ratione eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto: ratione vero ſignificati materialis, non ſignificare accidens, ſed ſubiectum, & hac ratione non eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto.

Ad 5. *Ad quintum*, iam conſtat, quid reſpondere debeamus ex ſecunda obſeruatione, quare non eſt, cur illa iterum repetantur.

Ad 6. *Ad ſextum*, neganda eſt prima conſequentia, quia prædicari in quale quid, non eſt prædicari in quale, ſed eſt eſſe attributum, quod ſecundum eſſentiam dicitur de ſubiecto, ea enim parte, qua dicitur ſecundum eſſentiam, dicitur in quid, vt vero habet rationem attributi, dicitur in quale, quia omne attributum qualitatem ſignificat, vt in ſcholio vltimo admonuimus. Ad confirmationem iam expoſuimus ibidem, & in tertia obſeruatione huius quæſt. qua ratione ſubſtantiæ ſecundæ poſſint hoc aliquid ſignificare.

QVÆSTIO VIII.

Sitne rectè tradita quarta proprietas ſubſtantiæ, necne?

QVarta proprietas ſubſtantiæ erat, *Subſtantiæ nihil eſt contrarium*, quam quidem falſò ſubſtantiæ ab Ariſt. tribui, hæc argumenta videntur ſuadere.

Primum eſt. Ignis & aqua ſunt ſubſtantiæ: ſed ignis contrariatur aquæ: ergo ſubſtantiæ aliquid eſt contrarium. *1. argum.*

2. Differentiæ ſubſtantiales ac formæ itidem contrariantur inter ſe: ſed tam differentiæ, quam formæ, ſunt ſubſtantiæ, ergo ſubſtantiæ aliquid eſt contrarium. *2. argum.*

3. Priuatio contrariatur formæ: ſed forma eſt ſubſtantia, ergo ſubſtantiæ aliquid eſt contrarium. *3. argum.*

Præterea. Rationis particeps contrariatur experti: at vtrumque eſt ſubſtantia, ergo ſubſtantiæ aliquid erit contrarium. *4. argum.*

Iterum, non ſubſtantia opponitur ſubſtantiæ, erit igitur ſubſtantiæ aliquid contrarium. *5. argum.* His & aliis huiuſmodi argumentis Plotinus, & alii veteres, vt teſtatur Simplicius, aduerſus hanc proprietatem ab Ariſt. traditam vtebantur. Sunt igitur in hac quæſtione explicanda tres opiniones.

Prima eſt quorundam, exiſtimantium, ſubſtantiæ vere & proprie aliquid eſſe contrarium, quam ſententiam ſequuntur plerique Medici conſtituentes qualitates primas, vt caliditatē, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem eſſe formas eſſentiales elementorum, nam cum hę qualitates inter ſe pugnent, ſi illæ ſunt ſubſtantiæ elementorum, elementa quoque inter ſe pugnabunt apertiſſime. *1. Opinio.* *Galen. 1. lib. de elementis, vt nos late docemus in noſtro 1. lib. de elemen.*

Secunda opinio eſt Philoponi *in commen. in 2. lib de ortu*, exiſtimantis, ſubſtantiæ integræ, quæ totū eſt, nihil eſſe contrarium, ſubſtantiæ vero incompletæ aliquid contrariari, nam for *2. Opinio.*

Digitized by Google

mæ ſubſtantiales contrariantur inter ſe, & differentiæ quoque, quæ tantum ſunt ſubſtantiæ incompletæ.

Opinio. *Tertia* opinio eſt aliorum, exiſtimantium, ſubſtantiæ tam integræ, quam incompletæ nihil contrariari vera contrarietate, quam amplectuntur omnes interpretes Ariſtotelis, in commentar. huius loci, Ammonius, Simplic. Porphyr. Dexippus, Boetius, D. Albertus Magnus, & quamplurimi hos ſequuti. Quæ ſententia eſt verior, vnde vt illam explicemus, animaduertendum eſt, duplicem eſſe contrarietatem, vnam propriam, & aliam impropriam. *Obſeruat.* Impropria dicitur oppoſitio duorum extremorum quę ſub eodem genere conſtituta maxime inter ſe diſtant, & eidem rei ſimul nulla ratione conuenire poſſunt, vt ſunt particeps & expers rationis. Contraria vero propria præter hæc omnia exigunt, vt eidem ſubiecto viciſſim inſint, à quo ſe mutuo expellant, niſi alterum inditum fuerit à natura.

Obſeru. Animaduertendum eſt deinde, ſubſtantiam ſumi poſſe duobus modis: primo, vt ſubſtantia eſt, ſeu ratione ſui: ſecundo vero modo ratione qualitatum contrariarum, quibus illa afficitur, vt homo ſumi poteſt, vel ea ratione, qua eſt homo, vel ſubſtantia: aut ea, qua eſt candidus, vel ater, calidus, vel frigidus.

1. Concl. *Sit prima concluſio.* Subſtantiæ tam integræ, quam incompletæ, nihil contrariatur vera contrarietate. Confirmatur. Subiecto communi omnibus contrariis nihil eſt contrarium: nam contraria ſe mutuo interimunt, ſubiectum vero fouet, & conſeruat ea, quæ ſunt in ipſo: ſed ſubſtantia eſt commune ſubiectum omnium contrariorum, ergo ſubſtantiæ nihil erit contrarium propria contrarietate. Hoc eodem genere argumenti vſus fuerat Ariſtoteles 1. *Phyſicor. cap.* 7. ad confirmandum, materiam primam neque eſſe contrariam formæ, neque priuationi, quia materia prima eſt ſubiectum commune vtriuſque, hæc concluſio intelligenda eſt de ſubſtantia, ratione ſui.

2. Concl. *2. Concluſio.* Subſtantiæ ratione qualitatum, quibus afficitur, eſt aliquid contrarium propria contrarietate. *1. Argum.* *Confirmatur.* Ignis & aqua contrariantur ratione qualitatum primarum, quia ignis eſt calidus & ſiccus, aqua vero frigida & humida: præterea homo candidus, & homo ater contrariantur inter ſe ratione qualitatum, quia candidus diſgregat viſum: at vero ater congregat. *2. Argum.* *Præterea*, inter animalia (quæ ſunt ſubſtantiæ) datur contrarietas, vt lupus contrariatur oui, & canis feli, ratione temperamenti & qualitatum, & quædam herbæ ſunt noxiæ animalibus multis, cum interimant illa ratione eiuſdem temperamenti & qualitatum, & ſic de aliis, ergo ſubſtantiæ ratione qualitatum aliquid eſt contrarium vera contrarietate.

3 *Concluſio.* Subſtantiæ incompletæ aliquid contrariatur, non vera, ſed impropria contrarietate. *3. Concl.* Confirmatur. Duæ formæ eiuſdem generis ſunt contrariæ impropria ratione, quia inter ſe maxime diſtant, & eidem materiæ ineſſe ſimul nullo modo poſſunt, & eadem ratione duæ differentiæ ſubſtantiales ſunt contrariæ impropria contrarietate, vt oſtendimus luculenter *in cap. de differen.* ſed tam formæ, quam differentiæ ſubſtantiales ſunt ſubſtantiæ incompletæ, ergo ſubſtantiis incompletis aliquid poterit eſſe contrarium contrarietate huius generis.

Ex iis facile diſſolui poterunt argumenta, quæ in initio propoſuimus. *Ad primum*, reſpond. ignem & aquam non ratione ſui, ſed ratione primarum qualitatum eſſe contraria. *Ad 1. arg.*

Ad ſecundum reſpon. differentias & formas ſubſtantiales contrariari inter ſe impropria contrarietate, non tamen propria. *Ad 2.*

Ad tertium reſp. nos non loqui (cum Ariſtot.) de contrarietate priuatiua, ſed de poſitiua, nam quamuis priuatiue ſubſtantiæ aliquid contrarietur, poſitiue tamen nihil poteſt ei eſſe contrarium ratione ſui, legitima & vera contrarietate. Vel cum Simplicio dicimus, formam & eſſe ſubſtantiam, & habitum, contrariatur itaque priuatio formæ, non vt eſt ſubſtantia, ſed vt eſt habitus. *Ad 3.*

Ad quartum. Ammonius inquit, negandum eſſe rationis expers aduerſari participi: nam particeps conſeruat, & procreat illud, vt Deus, qui eſt particeps rationis, bruta animalia, quæ ratione carent, produxit, & conſeruat. *Ad 4.* Melius tamen dicimus, hæc opponi impropria & imperfecta contrarietate, qualis intercedit inter differentias, aut inter affirmationem & negationem, quam inter ſubſtantias interuenire non negamus. Simplicius ex Iamblico quandam tradit ſolutionem, quam poterit apud eum conſulere, qui voluerit, neque enim illi & mihi omnino ſatisfacit.

Ad vltimum reſpond. idem Simplicius multis verbis, & obſcure ſatis, nos breuiter reſpondimuſque, illam contrarietatem eſſe impropriam, & imperfectam, nam eſt inter negationem & affirmationem. *Ad vlt.*

* *

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

An ſubſtantia recipiat magis & minus.

QVinta proprietas ſubſtantiæ erat. *Proprium eſt ſubſtantiæ non recipere magis, & minus.* Hanc ſubſtantiæ immerito conceſſam eſſe ab Ariſt. hęc argumenta demonſtrare videntur. *Primum eſt.* 1. *Argum.* Ariſt. docet hoc in loco ſubſtantiam primam eſſe magis ſubſtantiam quam ſit ſecunda, & inter ſecundas, ſecundas, ſpecies quã genera: ergo ſubſtantia recipiet magis, & minus.

2. *Argum.* 2. Illa cauſa cuius effectus recipit magis, & minus, debet etiam recipere magis, & minus: ſed calor qui effectus ignis recipit magis & minus, vt in ferro candente eſt maior calor, quam in ligno: ergo ignis recipiet magis, & minus, & cum ſit ſubſtantia, ſubſtantia recipiet magis, & minus.

3. *Argum.* 3. Animæ hominum ſunt inæquales, quemadmodum plerique Theologi grauiſſimi profitentur, vt Caieta. 1. *p. q.* 85. *art.* 7. *Ferrar.* 2. *contr. gent. c.* 3. & *Medina* 3. *p. q.* 5. *art.* 3. ſed anima eſt ſubſtantia: iam ergo ſubſtantia recipiet magis & minus.

1. *Opin.* In hac quæſtione quidam exiſtimant ſubſtantiam incompletam recipere magis & minus, docent enim formas elementorum intendi, & remitti. De horum numero primus eſt Auerr. 3. *lib. de cælo commentar.* 67. ipſum ſequitur Zimara *Theoremate* 1. vtrumque vero Paulus Pernumia *in Philoſophia*, ipſis aſſentiuntur omnes tum Auerroiſtæ, tum etiam & Scotiſtæ vnanimi conſenſu profitentes omnes formas (vnica excepta anima rationis compote) recipere magis, & minus.

2. *Opin.* Alii tamen permulti, iique grauiſſimi, & acutiſſimi Philoſophi conſtituunt cum Ariſt. ſubſtantiam neque integram, neque incompletam recipere poſſe magis, & minus. Quam ſententiam vt & nos cum illis explicemus animaduertimus cum Caietano aliud eſſe rem aliquam habere perfectius eſſe, atq; nobilius in vno, quam in alio, & aliud rem illam recipere magis, & minus, intendi, vel remitti, animal ſiquidem perfectius multo, atque nobilius eſſe habet in homine, quam in equo, non tamen eſt magis animal in homine, quam in equo, quia ex equo vterque eſt capax ſenſus & appetitus. Cæterum vt aliquid vere & proprie recipit magis, & minus, debet eſſe præditum his duabus proprietatibus, prima eſt, vt res illa vehementius, aut minus vehementer ſubiecto imprimatur, etenim intentio vel remiſſio deducuntur à fidibus cytharæ, vel lyræ, quę quando vehementius ſonant, redduntque ſonum acutiorem, dicuntur intenſæ, at vero quando ædunt ſonum grauiorem, & minus vehementem dicuntur remiſſæ. Ad eundem igitur modum in accidentibus quando formæ vehementer ſubiecto imprimentur, vocabuntur intenſæ, quando vero non ita vehementer eidem imprimẽtur, dicentur remiſſæ, vt ſimitas intenditur, aut remittitur, quando vehementius, aut minus vehementer imprimitur in ipſis naribus.

1. *Obſeru.* (left margin, beside the paragraph "Alii tamen permulti")

2. *Obſeru.* Secundo annot. debere illud quod recipit magis, & minus eſſe permixtum cum ſuo contrario auctore Ariſt. 5. lib. Phyſico. c. 2. vt albedo intenditur, & remittitur quia eſt permixta cum nigredine, intenditur quidem quando minus permiſcetur cum ea, remittitur vero quando magis permiſcetur cum eadem. Hanc rem accuratiſſime explicat Ammonius in commentariis, quem legendum conſulo.

1. *Concluſ.* Sit iam prima concl. Inter ſubſtantias vna eſt nobilior, longeq; præſtantior altera. Confirmatur quia primæ nobiliores ſunt ſecundis, & inter ſecundas, ſpecies quam genera. Præterea ſubſtantiæ ſuperiores præſtantiores ſunt inferioribus, & incorruptibiles corruptibilibus, iam ergo ſubſtantia vna eſt præſtantior altera.

2. *Concluſ.* 2. Concluſ. Nulla ſubſtantia neque integra, neque incompleta (vt ſunt formæ) poteſt vere & proprie recipere magis, & minus. Confirmatur. Illa quæ proprie recipiunt magis, & minus, debent (vt adnotauimus) vehementius, aut minus vehementer imprimi ſubiecto, prætereа debent permiſceri ſuo contrario: ſed ſubſtantia neque eſt in ſubiecto, neque habet aliquid contrarium: ergo nulla ſubſtantia vere, & proprie poteſt recipere magis, & minus, quemadmodum etiam in hac proprietate profitetur Ariſt.

Ad 1. *arg.* Diſſoluamus iam argumenta propoſita. Ad primum reſpon. imprimis Ariſt. per magis ſubſtantiam intellexiſſe perfectiorem ſubſtantiam, eſt ergo prima ſubſtantia, magis ſubſtantia, quã ſecunda, id eſt, perfectior, quia nobiliori modo per ſe cohæret, & ſubiicitur. Reſpon. deinde negando conſequentiam, quia vt aliquid dicatur recipere magis, & minus, debet vnum, & idem numero exiſtens, nunc intendi, & deinde remitti, vnde ſubſtantia prima non recipit magis, neque minus, quia non eſt magis ſubſtantia quam fuit antea, & erit deinde: & ſubſtantia ſecunda vt eſt ſpecies, non recipit magis & minus quia non eſt nunc magis ſubſtantia, quam deinde futura ſit, aut antea fuerit. Quod autem prima ſubſtantia ſit magis ſubſtantia, hoc non eſt ſubſtantiam recipere magis, & minus, quia

non ſumitur vna, & eadem numero ſubſtantia quæ nunc intendatur, & deinde remittatur. Solutio hæc aperte colligitur ex D. Tho *1.p.qu.93. art.3. ad 3.arg.* & quã aperte ſatis in hoc cap. indicat Ariſt. ſi attente legatur.

Ad 2. *Ad ſecundum* primo reſpon. propoſitionem eſſe falſam, vt alio loco dicemus. Cæterum ſecundo eidem ſatisfacimus in gratiam eorum qui contrariam tenent opinionem, propoſitionem eandem admittentes, ſi tamen cauſa fuerit adæquata, & totalis effectus ipſius, at ignis non eſt totalis & adæquata cauſa maioris, aut minoris caloris, ſed materia in qua ipſe calor recipitur: Et ita cum ferrum conſtet materia duriori, & compreſſiori quam lignum, proinde ſit, vt calor in ferro ſit multo maior, quam ſit in ligno.

Ad vlt. *Ad vltim.* reſpon. negando conſequentiam: nam hoc argumentum tantum concludit, animam perfectiori modo eſſe in vno homine, quam ſit in altero, non autem quod recipiat magis, & minus, quia anima neque inhæret ſubiecto, neque habet contrarium. At M. Sotus reſpon. hoc quod quidam homines ſint aliis acutiores intellectu (quod indicare videtur vnam animam eſſe altera nobiliorem) non prouenire ab anima, ſed à corpore, quia illi qui ſunt acutiores, habent inſtrumenta corporea magis, apta, & accommodata vt poſſint deſeruire intellectui, ob idque ſunt illi acutiores quia vtuntur inſtrumentis aptioribus, magiſq; ad intelligendum accommodatis. Verum de hac re 3 lib. de anima Deo ſtudiis & laboribus noſtris bene fauente.

CAPVT X.

An ſexta proprietas ſubſtantiæ ſit proprietas quarto modo.

AD extremum circa vltimam proprietatem rogamus, num ſexta, & vltima proprietas quæ eſt. *Vt cum ſit vna & eadem numero poſſit recipere contraria.* ſit quarto modo necne? Etenim non eſſe his argu. ſuademus. Argum. *1. eſt.* Ariſtot. docet hanc proprietatem conuenire ſubſtantiæ, quæ eſt vna numero, ſed ſubſtantiæ ſecundæ non ſunt vnæ numero: ergo hæc proprietas non conueniet ſubſtantiis ſecundis, & ita non erit proprietas quarto modo, cum non conueniat omni ſubſtantiæ.

Argum. 2. Orbes cœleſtes, & angeli, ſunt ſubſtantiæ ſecundæ, at non poſſunt recipere contraria, quia omne quod recipit contraria eſt obnoxium interitui, cui hæ ſubſtantiæ non ſubiiciuntur ergo non eſt proprium ſubſtantiæ recipere contraria.

3. Æthiops non poteſt recipere eandorem, neque ignis frigus, ergo non eſt proprium ſubſtantiæ recipere contraria. 3. Argum.

4. Extremitas recipit albedinem, & nigredinem, & intellectus ſcientiam, & ignorantiam, at hæc non ſunt ſubſtantiæ: ergo non eſt proprium ſubſtantiæ recipere contraria. 4. Argum.

Vltimum. Accidentia in ſacramento Euchariſtiæ (vt quantitas) recipiunt cõtraria tanquam id quod, nam quantitas eſt calida, vel frigida: non ergo proprium erit ſubſtantiæ recipere contraria tanquam quod recipit illa. Vlt. argum.

Nonnulli viri graues in ea ſunt opinione vt exiſtiment hanc non eſſe proprie quarto modo, 1. Opinio. ſed primo, quia competit ſoli ſubſtantiæ non tamen omni, nam non competit ſubſtantiæ ſecundæ, quæ nõ eſt vna numero, ſed ſpecie dumtaxat, vel genere. Hanc amplectuntur Porphyr. in interroga. Ammonius, & Canterus.

Contra tamen (eſſe nimirum proprietatem quarto modo) opinantur Simpl. Boet. Beatus 2. Opin. Alb. Caieta. Soto, Villalpandus, & nonnulli alii. Hanc igitur vt & nos explicemus adnotamus 1. Obſeru. primo duobus modis poſſe aliquid recipere cõtraria, ſcilicet vel tanquam principium quo, vel tanquam principium quod, principium quod illud dicitur quod denominatur à contrariis, principium vero quo illud, ratione cuius id quod denominatur recipit contraria

Animaduertendum eſt deinde duobus etiam 2. Obſeru. aliis modis poſſe aliquid recipere contraria, vno modo actu, quando actu afficitur aliquo contrariorum: altero vero modo poteſtate, quando nimirum poteſt affici aliquo ex contrariis.

Sit iam (his animaduerſis) prima concluſio. 1. Concluſ. Actu recipere contraria non eſt proprietas ſubſtantiæ. Confirmatur. Nulla proprietas indicat actum, ſed aptitudinem: ergo cum actu recipere contraria ſit actus quidam, non erit proprietas ſubſtantiæ.

2. *Concluſio.* Poſſe recipere contraria tan- 2. Concluſ. quam id quo non eſt proprietas ſubſtantiæ. Confirmatur. Quia hoc competit aliis ab ea: nam competit quantitati quæ recipit calorem, & frigus, & intellectui qui recipit ſcientiam, & ignorantiam.

3. *Concluſio.* Poſſe recipere contraria tan- 3. Concluſio. quam id quod eſt proprietas quarto modo ſubſtantiæ. Confirma. imprimis ex Ariſt. docente eſſe maxime proprium ſubſtantiæ cum ſui mutatione recipere poſſe contraria: nam ſi eſt maxime proprium, erit proculdubio proprium quarto modo, illud enim ſolum maxime proprium merito dici poteſt. Præterea proprium

Digitized by Google

quatto modo eſt illud quod competit omni, ſoli, & ſemper, & reciprocatur cum ea re cuius eſt proprium: ſed recipere contraria cum ſui mutatione competit omni ſubſtantię, non ſolum primæ, ſed etiam ſecundæ, nam quemadmodum dicimus Petrum eſſe calidum, vel frigidum ita etiam dicimus hominem eſſe calidum, vel frigidum: præterea competit ſoli, quemadmodum diffuſe docet Ariſt. *in textu*; probans non poſſe illam conuenire accidentibus: conuenit etiam ſemper vt eſt apertum, quia poſſe recipere contraria eſt in ſubſtantia ſemper: & tandem reciprocatur cum ea, quia omne quod poteſt recipere contraria eſt ſubſtantia, & omnis ſubſtantia poteſt recipere contraria: ergo poſſe recipere contraria tanquã id quod erit proprietas quarto modo ſubſtantiæ. Animaduertendum eſt tamen intelligi debere concluſionem de facultate recipiendi contraria non ſimul, ſed ſucceſſiue, nam poſſe recipere contraria ſimul, repugnat omnino ſubſtantiæ, cum contraria nullo modo poſſint eſſe in aliquo ſubiecto ſimul.

Obſeru. circa Concluſio:

Argumentis tandem in principio adductis reſpondeamus. Ad primum dicimus falſam eſſe aſſumtionem, quia ſubſtantiæ ſecundæ quamuis ex ſua natura non ſint vnæ numero, ſed vnæ vel ſpecie, vel genere, attamen vt ſunt in ſingularibus (quæ ſunt vnum numero) ſunt etiam vnæ numero, per vnitatem numericam ſingularium, & ita poſſunt recipere contraria. Vel dicere poſſumus hoc dictum eſſe ab Ariſtot propter exercitium recipiendi contraria: commune enim eſt omnibus proprietatibus, vt tantum in inferioribus exerceant ſuos actus, quare cum ſubſtantia ſingularis (in qua actus recipiendi contraria exercetur) ſit vna numero, docuit Ariſt. eſſe proprium ſubſtantiæ, vt cum ſit vna numero poſſit recipere contraria.

Ad 1. arg. 1 Solut.

Ad ſecundum reſp. negando aſſumtionem: nam quamuis angeli, & cœli non poſſint recipere contrarias qualitates ducentes ad interitum, poſſunt tamen alias qualitates recipere, vt moueri ad diuerſa loca & contraria, nam cœli nunc ſunt in ortu, deinde vero ſunt in occaſu, quæ duo ſunt termini contrarii motus: & planetæ aliquando eleuantur à centro terræ, vt quando ſunt in auge & aliquando accedunt ad centrum, vt quando ſunt in oppoſito augis, & aliquando ſunt Boreales, & aliquando Auſtrini. Angeli etiam aliquando mouentur ad locum ſuperum, & aliquando ad inferum: aliquando ad dextram, & aliquando ad ſiniſtram. *Ad 2.*

Ad tertium negamus conſequentiam, quia quamuis Æthiops non poſſit recipere candorem, poteſt tamen recipere calorem, & frigus, & quamuis ignis non poſſit recipere frigus, poteſt tamen ſubiici motibus contrariis, & aliis qualitatibus ſecundis, quando enim dicimus ſubſtantiam poſſe recipere contraria, non debemus illud intelligere de omnibus contrariis, ſed de quibuſdam dumtaxat. *Ad 3.*

Ad ultimum reſp. accidentia in ſacramento Euchariſtiæ obtinere locum ſubſtantiæ, ac modum illius, nam quantitas ſibi per ſe cohæret, & ita poſſunt recipere contraria ratione modi ſubſtantiæ quo afficiuntur. *Ad vlt. Lege Theologos. 3. p. q. 77.*

SECTIO III. DE HIS QVÆ IN CAtegoria ſubſtantiæ continentur.

ARGVMENTVM.

Vt vltimam manum huic diſputationi de Subſtantia imponamus, ſupereſt vt explicemus, quænam ſint quæ in hac categoria locum habent. Et quia ex ſubſtantiis quædam ſunt æterna, & infinita, & alia finita, quædam habent rationem partis, & alia totius, de illis omnibus inueſtigandum erit, quænam per ſe & directe, & quænam reductiue in hac categoria contineantur. Et vt a partibus auſpicemur, quærimus primo.

SECTIO III. DE SVBSTANTIA. QVÆSTIO I.

An partes per ſe & direct. in hac categoria contineantur.

1. Argum. PArtem aientem his argumentis poſſumus confirmare. *Primum.* Ex Ariſt *qui 7. Metaphyſ. cap. 3. & 2. de anima, cap. 1.* diuidens ea quæ per ſe in hac categoria continentur, illa diſtribuit in materiam, formam, & totum compoſitum: ſed materia, & forma ſunt partes: ergo partes per ſe in hac categoria continebuntur.

2. Subſtantiæ integræ cõtinentur per ſe, & directe in *2. Argum.*

recta ſerie categoriæ in materiam, formam, & totum compoſitum, ſed ſubſtantiam indiuiduam, & ſingularem, quæ primo dicitur de toto, deinde vero de materia, & forma tanquam partibus illius. Hinc tamen non fit has partes per ſe iuxta Ariſt. in hac categor. contineri.

Ad 2. Ad 2 reſpond. negando aſſumptionem ad eius confirmationem dicimus, non omnem ſubſtantiam, quæ componitur ex materia, & forma eſſe naturam integram, ſed illam quæ componitur ex materia, & propria forma: at partes ſubſtantiæ non componuntur ex propria aliqua forma, ſed ex forma communi totius, non enim in aliquo toto eſt aliqua alia forma præter formam totius, vt 1 *lib. de ortu & interitu*, *cap* 5. de hac re agentes oſtendemus.

Ad 3. Ad 3. dicimus proprietatem illam intelligendam eſſe de vere ac poſitiue contrariis, & de ſubiecto quod, qua ratione dicimus, neque materiæ, neque formæ hanc proprietatem conuenire, nam quamuis recipiat ortum, & interitum, quæ inter ſe maxime pugnant, non tamen contrariantur poſitiue ſed priuatiue; & quamuis anima recipiat virtutem, & vitiũ, nõ recipit illa tanquam ſubiectum quod, ſed tanquam quo mediante, his duabus qualitatibus afficitur homo.

QVÆSTIO II.

An differentiæ per ſe in hac categoria contineantur.

GRauis ſeſe offert de differentiis categor. ſubſtantiæ exagitanda quæſtio, ſint ne illæ ſubſtantiæ, necne? nam non eſſe his argumentis poſſumus demonſtrare.

1. argum. I. eſt petitum ex Ariſt. qui multis in locis docet differentias ſubſtantiales eſſe qualitates, vt *4. lib. top cap 6. 5. Phyſ. c. 2. 4. metaph. c 14. & c. 28.* ergo differentiæ ſubſtantiales non erunt ſubſtantiæ, ſed accidentia.

2. argum. 2. Ariſt. in hac categ. proponens primam proprietatem ſubſtantiæ, quæ eſt non eſſe in ſubiecto, inquit, illam conuenire ſubſtantiis, & differentiis, vbi ſeparat differentias à ſubſtantia, ergo differentiæ ſubſtantiales non erunt ſubſtantiæ, ſed accidentia.

3. Argum. 3. Genus ſupremum huius categ prædicatur de omnibus, quæ continentur in hac categoria; ſed genus ſupremum non prædicatur de differentiis, vt dictum eſt in *cap. de differen.* ex Ariſtot. 3. *lib. Metaph. cap.* 3. ergo differentiæ ſubſtantiales non erunt ſubſtantiæ.

4. Vnumquodque collocatur in ea categoria, in qua continetur ſuum præcipuum ſignificatum, quemadmodum album continetur in categoria albedinis, quæ eſt præcipuum ſignificatum illius: ſed differentiæ ſubſtantiales ſignificant præcipue qualitatem, vt docet Ariſtot. 5. *Metaphyſ ca.* 14. ergo differentiæ ſubſtantiales continebuntur in categoria qualitatis. *4 argum.*

De hac quæſt. diuerſæ ſunt Philoſophorum ſententiæ. Prima eſt Boetij Græci (ſi credimus Simplicio) qui differentias neque ſubſtantias neque accidentia eſſe volebat, ſed alterius cuiuſdam naturæ ab his duabus omnino diuerſæ. *1. Opinio*

2. eſt: Eſſe illas veras qualitates ſub quadã ſpecie innominata qualitatis comprehenſas. Ita de quibuſdam refert Lemoſ. 2. *lib. paradox. errore* 22. *2. Opinio.*

3. eſt: Simplicii, neque eſſe omnino ſubſtantias, neque eſſe omnino accidentia, ſed mediæ cuiuſdam naturæ inter ſubſtantiam & accidentia, idem profitetur Dexippus. 2. *lib. q. c* 22 Sicut quædam viuentia imperfecta, conchilia, oſtreæ, & alia Zoophita, neque ſunt omnino plantæ, neque omnino animalia, ſed mediæ cuiuſdam naturæ inter plantas, & animalia, nam cum plantis habẽt vitam communem, cum animalibus vero ſenſum tactus: differunt tamen a plantis propter ſenſum, & ab animalibus, quia non mouentur loco vt plantæ, cum animalia omnia ad aliquam differentiam loci moueantur. Idem docuerunt Auerroiſtæ de formis elementorum, eſſe in mixtum illas ita imperfectas, vt neque omnino ſint ſubſtantiæ, neque omnino accidẽtia, ſed mediæ cuiuſdam naturæ & inter ſubſtantiam, & accidentia, vt teſtatur D Th. in *opuſc. de mixt. elem:* *3. Opinio.*

4. Eaque veriſſima opinio eſt differentias eſſe vere, & proprie ſubſtantias, & huiuſmodi nomine eſſe abſolute inſigniendas. Sequuntur illam Ammon Porphy *in interrog* D. Tho, *opuſc. 42. c. 10. & 5. Metaphyſ. lect.* 16. B. Alber. M *tractat. 2. categor. cap. 6.* Scot. *quæſtio. 14. categor.* Caietan. Sotus, Villalpandus & innumeri alii, inter quos merito recenſeri debet Lemoſius, qui (in loco ſuperius indicato) accuratiſſime hanc quæſtionem pertractatam reliquit. *4. Opinio.*

Hanc igitur eandem quæſtionem, vt & nos explicemus adnotandum inprimis exiſtimamus ex Seuerino Boetio, triplicem eſſe ſubſtantiam vnam ſecundum rem, & non ſecundum modum, ſicut abſtracta ſubſtantia- *Obſeru.*

tum, verbi gratia humanitas, quæ eſt vera & legitima ſubſtantia, non tamen habet modum illius, quia ſignificatur vt forma alteri inhærens; alteram ſecundum modum non tamen ſecundum rem, cuiuſmodi ſunt abſtracta accidentium, quæ ſunt vere in ſubiecto, non tamen ſignificantur per modum exiſtētis in illo, ſed ad modū per ſe exiſtentis vt albedo, quæ reuera eſt in ſubiecto, non tamen denotatur per modum illi inhærentis, ſed per ſe exiſtentis; alteram denique ſecundum rem & modum, vt ſunt concreta ſubſtantiarum vt homo, & animal, & alia quæ ſunt ſubſtantiæ, & per modum illius vere ſignificantur.

1. concluſ. Hac iam animaduerſione conſtituta ſit prima concluſio aduerſus Boetum Græcum. Differentiæ huius categoriæ debent eſſe neceſſario vel ſubſtantiæ, vel accidentia. Confirmatur.

1. Arg. 1. Quia omne ens rei vel eſt ſubſtantia vel accidens; at differentiæ huius categoriæ ſunt entia rei, quare erunt vel ſubſtantiæ, vel accidentia. Iam hæ differentiæ vel per ſe exiſtunt, vel in alio, neque enim dari aliquid poteſt, quod ſub ambitu horum duorum generalium modorum entis non comprehendatur; ſi per ſe exiſtunt, igitur ſunt ſubſtantia, quod ſi in alio exiſtant, erunt accidentia, etū itaque differentiæ neceſſario vel ſubſtantiæ, vel accidentia.

2. Arg. Deniq; ſi daretur aliquod ens rei medium inter ſubſtantiam, & accidentia, profecto Ariſtoteles vndecimam aliam categoriam, in qua huiuſmodi entia continerentur conſtituiſſet, alioquin enim nō concluſiſſet omnia entia rei, & finita, ſub limitibus categoriarum, quod certe cum non effecerit, ſequitur differentias non habere mediam naturam inter ſubſtantias & accidentia.

2. concl. 2. concl. Differentiæ non ſunt mediæ naturæ inter ſubſtantiam, & accidentia. Confirmatur aduerſus Simplicium. Inter ens per ſe, & ens non per ſe, vel in alio non datur medium aliquod, ſunt quippe duo termini contradictionis, inter quos nullum medium poteſt reperiri; ſed ſubſtantia eſt ens per ſe, accidentia vero ſunt entia in alio teſte Ariſtot. 7. *Metaph. c. 1.* ergo differentiæ ſubſtantiales neceſſario vel erunt ſubſtantiæ, vel accidentia.

Hoc eodem argumento poteſt Auerroiſtarum opinio confutari, non eſſe nimirum formas elementorū mediæ naturæ inter ſubſtantiam, & accidentia. Legat qui voluerit D. Thomam vbi ſupra, & doctiſſimum Villalpandum hoc in loco, de hac re diſputantem.

3. concl. 3. concl. Si ſumatur ſubſtantia vt eſt genus ſupremum catego. vel ea ratione qua eſt ſubſtantia integra, differentiæ non ſunt ſubſtantiæ. Confirmatur inprimis prima pars cōcluſionis. Genera ſuprema non prædicantur per ſe de differentiis, vt oſtendimus *in c. de diff.* cū Ariſt. 3. *lib. Metaphyſ. c. 3.* ergo genus ſupremum categoriæ ſubſtantiæ non prædicabitur per ſe de differentiis ſubſtantialibus, & ita differentiæ non erunt ſubſtantiæ, ſumpta ſubſtantia hoc modo. Confirmatur deinde ſecunda pars eiuſdem conclu. Differentiæ ſunt partes componentes ſpeciem, non habentes naturam integram, neque completam; ergo non erunt illæ vocandæ ſubſtantiæ, ſumpta ſubſtantia vt denotat naturam integram, atque completam.

4. concl. 4. concluſ. Differentiæ ſubſtantiales ſunt veræ ſubſtantiæ in hac categoria comprehēſæ, ſi ſubſtantia ſumatur in late patente illa ſignificatione, ſecundum quam eſt diuiſa contra accidens vel (vt cum aliis loquamur) ſunt ſubſtantiæ ſecundum rem. Confirmatur aduerſus ſecundam opinionem his argumentis:

Primum petitum eſt ex Ariſt. 6. *Top. c. 3.* cōſtituente differentias contineri in eadem categoria in qua continentur genera, quæ diuidunt ſicut differentiæ ſubſtantiales, & ſpecies quas eædem conſtituunt, continentur in hac categ. ſubſtantiæ, vt eſt apertum; iam ergo & differentiæ ſubſtantiales erunt veræ ſubſtantiæ, & vt tales, in hac categoria comprehenſæ.

2. Arg. 2 Subſtantia non componitur, ex nō ſubſtantiis ſecundum Ariſt. 1. *Phyſic. cap. 6.* at ſubſtantia componitur ex ſubſtantialibus differentiis, vt homo ex rationali, & bipede: ergo differentiæ ſubſtantiales non erunt non ſubſtantiæ, & accidentia, ſed veræ, & legitimæ ſubſtantiæ.

3. argum. Præterea: Res vnius categ. non prædicatur ſecundum eſſentiam de re alterius categ. vt albedo, quæ eſt qualitas non prædicatur ſecundum eſſentiam de homine, vt Ariſt. 1. *de poſteriori analyſi, cap. 11. & 18.* docet; at differentiæ ſubſtantiales prædicantur ſecundum eſſentiam de ſubſtantia, vt rationis particeps de homine: iam ergo differentiæ ſubſtantiales non continebuntur in aliqua alia categor. quam in categoria ſubſtantiæ.

4. Arg. Adhæc: Omne accidens eſt in ſubiecto; at differentiæ ſubſtantiales non ſunt in ſubiecto teſte

teſte Ariſtot. in prima proprietate ſubſtantiæ, ergo nulla differentia ſubſtantialis erit accidens.

5. argum. Denique accidentia vel ſolo nomine prædicantur de ſubiecto, & non ratione, vel neq; nomine, neq; ratione de illo dicuntur, quemadmodum Ariſtoteles docet in hac categoria at differentię ſubſtantiales, tam nomine, quā ratione prædicantur de ſubſtantia, vt ratio nis particeps, verbi gratia, dicitur nomine, & ratione de homine, vt eſt perſpicuum: differentiæ igitur ſubſtantiales non erunt accidentia.

5. concl. 5 concluſ. Differentiæ ſubſtantiales non ſunt ſubſtantiæ ſecundum modum, ſed qualitas. De hac concluſ. lege Boet. Toletum, & alios in commentariis. Confirmatur, quia differentiæ ſumuntur vt actus quidam limitantes, coercentes, & vt ita dicam qualificantes potentiam generis, quæ munera propria ſunt vel qualitatis, vel habētis modum illius: erunt igitur ſecundum modum qualitates. & non ſubſtantiæ. Vel vnico verbo cum B. Alb. dicimus differētias reſpectu generis eſſe qualitates, quia qualificant, & coercent illius poteſtatem; reſpectu tamen ſpeciei quam componunt eſſe veras ſubſtantias. Verum de hac re abunde ſatis egimus *in c. de Gen. ſect. 0.1. q. 2.* quæ ne iterum repetamus conſulto prætermittimus.

Ad 1. arg. Reliquum eſt tandem argumenta initio propoſita diſſoluere. Ad 1. dicimus, duplicem eſſe qualitatem vnam eſſentialem, aliam vero accidentariam Eſſentialis qualitas limitat & coercet potentiam eſſentialem, cuiuſmodi eſt potentia generis, aut materiæ primæ, quarum vtraque eſt eſſentialis potētia, vnde forma vocatur qualitas materiæ primæ, quia coercet illius late patentem ambitum: & differentia præterea dicitur qualitas generis, quia limitat illius facultatem. Accidentaria vero qualitas ea vocatur, quæ limitat potentiam accidentariam, quemadmodum albedo eſt qualitas accidentaria, quia limitat facultatem accidentariam ſubiecti, quæ eſt in illo ad recipienda accidentia. Quando igitur A. riſt. docet differentiam ſubſtātialem eſſe qualitatem, locutus eſt de qualitate eſſentiali, nō de accidentaria; at qualitas eſſentialis in categ. ſubſtantiæ comprehenditur, nam etiam docet Ariſt. genera & ſpecies categ. ſubſtantię prædicari in quale quid, quæ tamen ſunt veræ & legitimæ ſubſtantiæ.

Ad 2. Ad 2. reſp. Villalpandus ex Ammo. Porphy. & Dexippo Ariſt. excluſiſſe à numero ſubſtantiarum differentias, motem ſecutus vulgi, apud quem ſolæ ſubſtantiæ compoſitæ videntur eſſe ſubſtantiæ. Verum reſp. poſſumus Ariſto. ei. in loco iſto intellexiſſe nomine ſubſtantiæ ſubſtantiam integram, & cōpletam, ita vt ſenſus ſit, non eſſe in ſubiecto competit ſubſtantiis, ſub intelligē integris, & differentiis, quæ quamuis non ſint ſubſtantiæ integræ, ſunt tamen ſubſtantiæ, ſumpta ſubſtantia prout diuiditur contra accidens.

Ad 3. reſp. Negando propoſitionem, quia partes ſubſtantiæ continentur in hac categoria, vt oſtendebamus *quæſt. ſuper.* de quibus tamen non prædicatur genus ſupremum, quod tantum dicitur de ſubſtantiis integris, & abſolutis. *Ad 3.*

Ad 4. diſtinguimus aſſumptionem, nam aut loquimur de qualitate eſſentiali, aut de accidētaria, ſi de eſſentiali loquamur, admittimus libenter aſſumptionem, attamen illa quæ ſignificant qualitatem eſſentialem in categoria ſubſtantiæ continentur: quod ſi de qualitate accidentaria agamus, eandem tanquam falſam negamus, neque vnquam Ariſt. docuit differentiam eſſe qualitatem accidentariam. *Ad 4.*

QVÆSTIO III.

Qua ratione collocentur differentiæ in hac categoria.

SVperiorem quæſtionem hæc altera proxime ſequitur dubitatio, qua ſcilic. ratione differentiæ in hac categoria contineantur, num directe, & per ſe, vel indirecte potius, & reductiue? Nam per ſe in illa contineri, hæc argumenta confirmant.

1. eſt: Omne attributum vniuerſum per ſe continetur in aliqua categoria, nam eſt totū quoddā vniuerſum multa inferiora ſui ambitu comprehendens; ſed differentia eſt attributum quoddam vniuerſum, numeratur enim inter voces vniuerſas à Porphy. ergo per ſe in hac categoria collocabitur. *1. Argum.*

2. Differentiæ non ſunt accidentia, ergo erunt ſubſtantiæ ſub genere ſupremo comprehenſæ, iam igitur per ſe in hac categ. collocabuntur, quia ſi per ſe ſub genere continentur, per ſe quoq; in categoria collocantur. *2. Argum.*

3. Eadem eſt ratio differentiarum, & generum: atqui genera continentur per ſe, & directe in recta ſerie categoriæ, ergo differentiæ continebuntur etiam per ſe in recta ſerie categoriæ. *3. Arg.*

Quidam vt teſtatur Fonſeca 5. *Metaph c. 8. q. 2. ſect. 2.* opinantur differentias ſubſtant. per *1. Opinio.*

Ad 3. 1. *Solut. Boet.* Ad 3. reſpond. inprimis cum Boetio negandam eſſe conſequentiam, quia quamuis in eo, quod eſt eſſe totum, & partem reſpectu ſpecierum non differant genus & differentia: differunt tamen, quia genus eſt ſubſtantia ſecundum rem. & ſecundum modum, differentia vero tantum eſt ſubſtantia ſecundum modum, vt expoſuimus in quæſtione ſuperiori, & quia ſolum ea, quæ ſunt ſubſtantiæ ſecundum rem. & ſecundum modum, continentur in recta ſerie categor æ per ſe & directe, propterea genera continentur in recta ſerie categoriæ directe. 2. *Alb. Mag. Solut.* Reſpond. deinde cum B. Alber. Magno, falſam eſſe propoſitionem. quamuis enim in eo, quod eſt eſſe totum, & partem, reſpectu ſpecierum non differant genus, & differentia, tamen differunt, quia omne genus eſt compoſitum, aut compoſitione phyſica, ex materia & forma, aut metaphyſica ex genere, & differentia, aut ex iis, quæ habent locum iſtorum, at vero differentiæ cum ſint omnino ſimplices, non componentur aliqua compoſitione neque phyſica, neque metaphyſica. Et ita cum ea ſolum, quæ ſunt compoſita, & integra, contineantur per ſe & directe in recta ſerie ea egoriæ, genera continebuntur in illa per ſe. & directe, differentiæ vero non continebuntur.

QVÆSTIO IV.

An orbes cœleſtes in hac categoria collocentur, nec ne?

PErgamus vlterius in explicatione eorum, quæ in hac categ. continentur, perpendamuſq; num orbes cœleſtes & corpora incorruptibilia in hac categoria locum habeant?

1. *Arg.* Et quidem non habere, confirmatur primo: Quæ in hac categ. continentur, conuenire in genere ſupremo illius: ſed cœli, & hæc corpora inferiora non poſſunt in aliquo genere conuenire, ergo cum ſubſtantiæ corruptibiles & hæc corpora inferiora in hac categ. contineantur, cœli in illa non continebuntur. Confirmatur aſſumptio ex Ariſt. 1. *Metaph. cap. vlt.* dicente, corruptibile & incorruptibile genere differre: ſed cœli ſunt incorruptibiles, & hæc corpora inferiora ſunt corruptibilia: ergo cœli, & illa genere differunt.

2. *Arg.* Deinde: Subſtantia, quæ in hac categoria continetur, poteſt recipere contrarias qualitates, nam eſt maxime proprium his, quæ continentur in hac categoria, vt eum ſui mutatione poſſint recipere contraria: ſed orbes cœleſtes nō poſſunt recipere contrarias qualitates, quia neque poſſunt calefieri, neque frigefieri, neque vllis qualitatibus affici, vt luculenter oſtendit Ariſt. 1. *lib. de cœlo, cap. 3.* ergo orbes cœleſtes non continebuntur in hac categoria.

3. *Arg.* Præterea: Quæ continentur in categoria, conſtantur ex actu & poteſtate, vt auctor eſt Ariſt. 3. *Phyſ. cap. 1. & 12. Metaph. cap. 4.* Sed orbes cœleſtes non conſtantur ex actu & poteſtate, tum quia in æternis nulla eſt potentia, ex Ariſt. 9. *Metaphyſ. cap. 9* tum etiam, quia in eiſdem æternis idem eſt eſſe, & poſſe, iuxta eundem Ariſt. 3. *Phyſ. c. 8.*

4. *Arg.* Ad extremum confirmatur auctoritate lucidiſſimi Themiſtii, cuius apud omnes Philoſophos maxima debet eſſe auctoritas in paraphraſi *ad 12. libr. Metaphyſicorum*, in qua, inquit, corruptibili, & incorruptibili (vt ſunt corpora cœleſtia, & hæc inferiora) nihil poſſe eſſe commune vniuocum, vel ſynonymum: ergo ſubſtantiæ incorruptibiles ſeu corpora cœleſtia non erunt in eodem genere categor. ſubſtantiæ, in quo continentur hæ ſubſtantiæ inferiores.

1. *Opin.* Propter hæc & alia huius generis argumenta multi Philoſophi partem negantem, nimirum non eſſe corpora cœleſtia in hac categoria comprehenſa, defendendam ſibi ſuſcepe runt. Ita Auerr. in Porphyr. *in cap. de ſpecie. & 10 lib. Metaph. cap. v't commentar. 26.* & omnes eius alumni, Iandun. to *Metaphyſ. quæſt 22.* Sueſſan. *in eodem lib. diſputat 9* & Zimara *theorem. 40.*

2 *Opin.* Contrariam tamen ſententiam ſequuntur omnes, tam Græci, quam Latini, ex Græcis Plotinus *Ænead. 6 lib. 1 cap. 2.* Iamblicus, Simplicius, Ammonius, Porphyr. Dexipp. *in commentar. huius categor.* ex Latinis Boetius, B Albert. Magn *tractat. 2 categor. cap. 1.* D. Thom. *opuſcul. 42. cap. 7.* & alii, vt innumeram recentiorum multitudinem prætermittam, quos, ne recitando faſtidium generem, hoc loco non recenſeo.

His igitur opinionibus propoſitis noſtram ſententiam in hunc modum explicamus. Sit prima concluſio.

1. *conclus.* Ratio generis ſupremi huius categoriæ eſt ens per ſe exiſtens, implicite, vel poteſtate continens ſua inferiora. Hanc profitetur D. Thom. *opuſc. 42. cap 19.* Dicimus ens per ſe exiſtens, quia hæc eſt ratio communis omni ſubſtantiæ, vt eſt diuiſa contra accidens: nam in hac re ſeparatur ſubſtantia ab accidentibus, quia accidentia ſunt in aliquo tanquā in ſubiecto, ſubſtantia vero per ſe exiſtit. Dicimus deinde poteſtate continens ſua inferiora: quia

ſubſtantia, quæ eſt genus ſupremum, poteſtate continet differentias diuidentes, vt corporeum & incorporeum, ſentiens & non ſentiens, &c. quarum acceſſione ſpecies huius categoriæ componuntur, vt per acceſſionem corporei cum ſubſtantia, quæ eſt genus, componitur cœlum, & per acceſſionem incorporei cum eadem, conflatur angelus, vt Gabriel. In quo re ſeparatur ſubſtantia, quæ eſt genus ſupremum, ab ea, quæ eſt diuiſa contra accidens, quia hæc poſterior actu cōtinet omnem ſubſtantiam, etiam vltimas differentias, cum ſit inclusa in conceptu eſſentiali earum: at vero, quæ eſt genus ſupremum, non continet actu, cum non ſit inclusa in conceptu vltimarum differentiarum: nam nullum genus eſt incluſum in conceptu ſuarum differentiarum, ex Ariſt. 3. *Metaph c* 3.

concluſ. 2. concl. Genus ſupremum huius categoriæ non eſt genus phyſicum, & naturale. Hæc aſſertio (ni fallor) eſt expreſſis verbis ab Ariſtot. teſtata 10. *Metaph c Vlt.* Vnde inquit corruptibili, & incorruptibili, nihil poſſe eſſe commune, quod certe cum nequeat intelligi de communi logice, vel ſecundum conceptum, ita enim aliquid eſt commune corporibus ſuperioribus, & inferioribus, nimirum affirtiua dimenſione, intelligi neceſſario debet de communi phyſice, & naturaliter, quod ſi non eſt illis aliquid commune phyſicum, non poterit ratio ſubſtantiæ, quæ competit generi ſupremo huius categoriæ, eſſe genus phyſicum & naturale, illa ambiat corruptibilia & incorruptibilia.

concluſ. 3. concluſ. Genus ſupremum huius categoriæ eſt genus logicum & metaphyſicum. Hanc communiter profitentur recentiores, de qua legendus eſt Fonſec 5 *lib. Metaphyſ. c. 8. quæſt. 4.* Et confirmatur ex definitione generis logici & metaphyſici Genus metaphyſicum eſt vnitas naturæ, quę à parte rei nata eſt multis ſpecie differentibus conuenire: ſed corporibus ſuperioribus, & inferioribus, imo omnibus ſubſtantiis finitis, tam ſpiritalibus, quam corporeis, datur communis à parte rei vnitas naturæ ſubſtantiæ, quæ eſt per ſe ex ſtare, quæ certe ratio communis eſt à parte rei omnibus illis, ergo ſubſtantia, quæ eſt genus ſupremum huius categoriæ, erit genus metaphyſicum. Præterea eſſe genus logicum confirmatur, quia genus huius rationis eſt natura multis communis ſpecie differentibus, vt afficitur notione ſecunda generis: ſed ſubſtantia, quæ eſt genus ſupremum huius categoriæ, eſt natura communis ad omnem ſubſtantiam, tam corpoream, quam incorpoream, tam corruptibilem, quam incorruptibilem, vt afficitur per intellectum notione ſecunda generis, ergo erit illa genus logicum.

Obiect. Quod ſi quis obiiciat nobis auctoritatem D. Thom. *in opuſc 42. quod eſt de natura generis, cap* 7. & aliis, aſſerentis genus ſupremum huius categoriæ tantum eſſe genus logicum, & non metaphyſicum. *Solut. quorund.* Reſpondent quidam, hoc opus, quamuis eruditum, non eſſe D. Tho. ſed alterius poſterioris Philoſophi ex ipſius familia: nonnulla enim opuſcula, quæ nomine D. Thom. circumferuntur, non ipſius, ſed aliorum eſſe teſtantur viri graues, inter quos legendus eſt Sixtus Senenſis *lib 4. bibl io theca ſancta*, in quadam appendice illi libro ſub.ecta, & ita in operibus D. Thomæ, iuſſu Pii V. vere pii & ſanctiſſimi Pontificis, editis, hæc opuſcula, de quib. ſuboriri poterat dubitatio, eſſentne D. Thomæ, ſunt minoribus charactetib. edita fuerunt, inter quæ hoc opus, de quo agimus, numeratur. *Solut. noſtra.* Vel quamuis fateamur, hoc opus eſſe D. Thom. reſpond. D. Thom. nullo modo nobis aduerſari, quia nomine generis metaphyſici non ſumit id, quod nos metaphyſ. appellamus: ſed ſumpſit illud, quod nos phyſicum diximus, nimirum naturam, quæ ab hac vel illa materia petitur, & quia materia corporum ſuperiorum genere differt à materia horum inferiorum, ob hanc cauſam, inquit, ſubſtantiam, quæ communis eſt ad corpora cœleſt a & inferiora, non eſſe genus metaphyſicum, quia materia, à qua petitur in corporibus ſuperioribus ratio generis, differt genere phyſico à materia, à qua petitur in his inferioribus.

4. concluſ. 4. concluſ. Corpora cœleſtia continentur in hac categoria. Confirmatur aduerſus Auerroem, & eius alumnos. *1. Arg.* Primo, quia omne ens finitum actu, & per ſe continetur in aliqua categoria, cum igitur orbes cœleſtes ſint entia finita actu, & per ſe continebuntur in aliqua categoria quare cum non poſſint in alia, quam in categoria ſubſtantiæ contineri, in hac profecto collocabuntur. *2. Arg.* 2. Quia orbes cœleſtes conueniunt genere logico cum corporibus his inferioribus: ſed genus ſupremum huius categoriæ eſt genus logicum, vt conſtat ex ſuperioribus aſſertionibus, ergo orbes cœleſtes in hac categoria ſub genere ſupremo continebuntur.

Ad 1. arg. Ad argumenta, quæ initio propoſuimus: Ad primum reſpond. Ariſtot. in illa auctoritate intelligendum eſſe de genere phyſico, & non de logico. Itaque corruptibile, & incor-

ruptibi-

Digitized by Google

ruptibile differunt genere phyſico, quia ratio nominis generis ſignificata nobiliori modo in incorruptibilibus, quam in corruptibilibus reperitur: conceptus tamen vnus & idem eſt in vtriſque naturis. Vel reſpondere poſſumus cum D. Thom. & Alexandro Ariſtotelem nomine generis eo in loco intellexiſſe materiam primam, vnde corruptibile & incorruptibile, genere, id eſt, materia differunt, quia alia eſt materia corporum ſuperiorum, & alia inferiorum.

Ad 2. Ad 2. reſpond. quando inquit Ariſtoteles, in hac proprietate eſſe proprium ſubſtantiæ recipere contraria nomine contrariorum non intellexiſſe omnes contrarias & patibiles qualitates, ſed quæuis alia contraria, qua ratione orbes cœleſtes recipiunt contraria, nimirum contrarios terminos motus, ſunt enim aliquando in ortu, aliquando in meridie, & aliquando in occaſu. Afficiuntur etiam raritate, & denſitate, quæ ſunt contrariæ qualitates, nam Planetæ ſunt partes denſiores ſui orbis, reliquæ vero ſunt rariores: & in luna partes maculoſæ ſunt rariores, quæ ob tenuitatem non poſſunt lumen continere: luminoſæ vero ſunt partes denſiores, quæ propter materiæ multitudinem lumen ipſum queunt in ſe recipere, & continere.

Ad 3. Ad 3. reſpond. negando aſſumptionem falſum enim eſt, corpora cœleſtia non eſſe ex actu & poteſtate conſtituta. Ad auctoritates vero Ariſt. reſp. Ariſt. in illis tantum docere, in æternis (vt ſunt orbes cœleſtes iudicio ipſius) non eſſe potentiam ad eſſe, ita vt in aliqua temporis duratione ſit potentia ſine actu exiſtendi, non autem docere, non eſſe in ipſis compoſitionem ex actu & poteſtate.

Ad vlt. Ad vltim. reſpond. Themiſtium intelligendum eſſe de ſynonymia aut vniuocatione phyſica, qua ratione nihil eſt cõmune corporib. ſuperioribus, & inferioribus, non tamen eſſe intelligendum de vniuocatione logica, qua ratione conſtituimus, genus ſupremum huius categoriæ eſſe genus.

QVÆSTIO V.

An ſubſtantia ſeparata in hac categoria collocentur, nec ne?

EGimus in ſuperiori quæſtione de ſubſtantia corporea (iudicio Ariſtotelis æterna) ſequitur de alia ſubſtantia incorporea etiam æterna, diſputemus, nimirum de ſubſtantiis ſeparatis, num ſcilicet illæ in hac categoria collocentur. Et quidem non collocari, hæc argumenta videntur ſuadere.

1 Genus ſupremum huius categoriæ eſt ſubſtantia corporea, ita enim teſtantur viri celebres, Iamblicus, Syrianus, Porphyrius, Dexippus, Simplicius, & Boetius, aſſerentes, in hac categoria tantum egiſſe Ariſtot. de ſubſtantia ſenſili, quæ eſt compoſita ex materia & forma: ſed ſubſtantiæ ſpirituales, & ſeparatæ non ſunt corporeæ, ergo non continebuntur illæ in hac categoria. *1. Arg.*

2. Quæ continentur in categoria, conſtant genere & differentia, ſed angeli non poſſunt conſtare genere & differentia, quia genus petitur à materia, quæ non reperitur in ipſis: ergo angeli non continentur in categoria ſubſtantiæ. *2. Arg.*

3. Corruptibile, & incorruptibile genere differunt, auctore Ariſt. 10. *Metaphyſic. cap. vltimo*, ſed angeli ſunt ſubſtantiæ incorruptibiles: ſubſtantiæ vero corporeæ ſunt ſubſtantiæ corruptibiles, ergo angeli & ſubſtantiæ corporeæ differunt genere, & ita non continebuntur in eadem categoria. *3. Arg.*

4. Quæ ſunt omnino ſimplicia, non componuntur ex genere & differentia: ſed angeli ſunt omnino ſimplices, ergo non componentur ex genere & differentia, & ita non continebuntur in categoriis. *4. Arg.*

De hac quæſtione eſt prima opinio Plotini *Ænead. 6. lib. 1 cap. 2.* Ammonii, Simplicii, Nicoſtrati, Boetii, quam inter Latinos ſequutus eſt Ægidius Romanus *quodlib. 1. q. 8.* & Auerr. cum Auerroiſtis in locis quæſtione ſuperiori propoſitis, ſubſtantias ſeparatas nullo modo eſſe in hac categoria comprehenſas. *1. Opin.*

Verum contrariam opinionem ſequuntur Alexander Aphrodiſæus, vt teſtatur Simplicius, Themiſtius *lib. 3. Phyſicor. cap. 1.* D. Thom. *opuſcul. 42 cap. 5 & 1. part. quæſt. 50. art. 2. ad 1.* & omnes fere recentiores. *2. Opin.*

In cuius explicationem ſit prima concluſio. Subſtantiæ ſeparatæ ſunt limitibus alicuius generis comprehenſæ. Hanc poſitionem aduerſus Zimaram *theorem* 40. Iandun. 7. *Meta. q. 9* Durand. *in 2. diſt. 8 quæſt. 1. art. 1. in fine.* & Marſil. *in 2. quæſt. 2.* qui vno ore profitentur, ſubſtantias ſeparatas nullam generis & differentiæ compoſitionem admittere. Confirmatur tamen primo: Omnis natura finita eſt limitibus alicuius generis circunſcripta: ſed natura ſubſtantiarum ſeparatarum eſt finita, ergo erit limitibus alicuius generis circumſcripta. *1. Arg.* Deinde, Omnis natura, quæ poteſt concipi conceptu determinabili, & conceptu determinate, eſt ex genere & differentia conſtituta, quia cõceptus determinabilis eſt cõceptus *2. Arg.*

præſtabimus, quas vel omnino prætermittemus, vel ita breuiter ab eis nos expediemus, vt potius ipſas attigiſſe, quam explicaſſe videamur. Igitur infinitum ens, vt eſt Deus Optim. Max. contineri in categoria ſubſtantiæ hæc argumenta breuiter confirmare videntur.

1. Arg. 1. eſt: Cui competit definitio, eidem etiam & definitum: at definitio ſubſtātiæ, quæ continetur in hac categoria, conuenit Deo, eſt enim illa ens per ſe exiſtens, quæ ratio optime Deo competit: ergo Deus continebitur in hac categoria.

2. Arg. 2. ſit, Paternitas, & filiatio, quæ reperiuntur in diuinis, ſunt veræ, & legitimæ relationes: ſed omnis relatio legitima & vera continetur in categoria relationis: ergo paternitas & filiatio diuina continebuntur in categoria relationis. At paternitas & filiatio diuina ſunt Deus: ergo Deus continebitur in categoria relationis.

3. Arg. 3. Si aliquid obeſſet, quo minus Deus contineretur in categoriis, ex eo eſſet, quia eſt infinitus, at hæc ratio nullius videtur eſſe momenti, quia etiam ſi daretur linea infinita, adhuc illa contineretur in categoria quantitatis: ergo Deus, non obſtante ſua infinitate, continebitur in aliqua categoria.

4. Arg. 4. Chriſtus Dominus eſt Deus: ſed Chriſtus continetur in hac categoria ſubſtantiæ: ergo etiam & in eadem Deus continebitur.

5. Arg. 5. Menſura & menſuratum continentur in eadem categoria, vt ait Ariſt. 10. *Metaph cap.* 2. ſed Deus eſt prima menſura omnis ſubſtantiæ: ergo Deus continetur in categoria ſubſtantiæ. Et confirmatur argum. ex D. Thom. *1. ſent. diſt* 8. *q.* 4. *art* 2. *ad* 3. *& q* 7. *de potent. art.* 5. *ad vlt. arg.* conſtituente Deum contineri reductiue in categoria ſubſtantię, ſicuti illius principium: ergo ſaltim reductiue Deus in hac categoria continebitur.

1. Opin. In hac quæſtione multi exiſtimant, infinitum ſecundum entitatem (cuiuſmodi eſt Deus Opt. Max.) contineri in categoriis. Hanc ſententiā ſequūtur Nominales, vt Greg. Ocham, Gabriel *in* 1. *diſt.* 8. Greg *q* 3. Gabr. & Ocham. *q.* 5. & Marſil. *in eod.* 1 *q* 12.

2. Opin. Secunda eſt D. Tho. *in* 1. *diſt.* 8. *q.* 4. *art.* 2. *ad* 3. *& q.* 7. *de poten ar.* 3. *ad vlt.* Deum Opt. Max. per ſe non cōtineri in hac categ. contineri tamen reductiue tanquam principiū illius, nam principia reductiue in categ. ſuorum principiatorum continentur.

3. Opin. Tertia eſt eiuſdem D. Thom. hac priori reiecta, 1. *p. q.* 3. *art.* 5. 1. *contr. gent. c.* 25. D. Bonau. Ricardi, Ægidii, Argentinæ *in* 1. *diſt.* 8. Scot. *ibi. q.* 2. Durand. *in eod. lib diſt* 3. *q* 1. Caietan. *cap* 6. *de ente & eſſentia*, *& in loco notato ex* 1. *part.* in quo legendi ſunt interpretes D. Tho. M. Bannes, Zumel, & Perez, qui omnes profitentur, Deum neq; per ſe, neque reductiue eſſe in hac categoria comprehenſum.

1. Obſeru. Hanc igitur ſententiam vt explicemus, annotandum eſt primo, ex infinitis quædam dici infinita ſecundum eſſentiam quorum ſcilicet eſſentia nullis finibus entis eſt circumſcripta, ſed ambit totam rationem entitatis, ita vt neque minimus gradus entitatis illi deeſſe vllo modo poſſit: alia vero eſſe ſecundum durationem, quorum ſcilicet duratio nunquam incepit, nec vnquam deſinet eſſe, qua ratione mundus eſt infinitus, iuxta ſententiam Ariſtotelis, vel ſi ipſe conditus fuiſſet ab æterno à Deo (vt reuera potuit condi) fuiſſet hac ratione infinitus: & alia eſſe ſecundum quantitatem, vt eſt linea infinita, quæ nullis limitibus ſecundum longitudinem clauderetur: ac denique alia eſſe ſecundum qualitatem, qua ratione eſſet albedo infinita, ſi eſſet ab omni ſubiecto auulſa, & ſeparata ita enim contineret illa omnes gradus albedinis, vt nullus ſibi deeſſe vlla ratione poſſet: quod genus infiniti ſecundum intenſionem communi nomine nuncupatur.

2. Obſeru. Iterum ſciendum eſt, quædam in categoriis per ſe contineri, alia vero reductiue, vt ſæpe in ſuperioribus admonuimus.

1. concluſ. His animaduerſis, ſit prima concluſio: Infinita ſecūdum durationem, ſecundum quantitatem, & ſecundum intenſionem (ſi eſſent) continerentur per ſe in categoriis. Confirmatur inprimis: Orbes cœleſtes (iuxta Ariſt.) ſunt infiniti duratione, hi autem continentur in categoria ſubſtantiæ, ergo, &c. Præterea linea finita, ſi illa daretur, eſſet quidem ſecundum quantitatem infinita, quæ tamen in ipſa categoria quātitatis contineretur, eſſet enim vera quantitas. Tandemque ſi eſſet albedo ſeparata ab omni ſubiecto, eſſet infinita ſecundum intenſionem, quæ tamen eſſet vera qualitas comprehenſa in categoria qualitatis: nam eſſet patibilis qualitas, ergo hæc tria genera infiniti (ſi illa eſſent) continentur in categoria.

2. concluſ. 2. concluſ. Infinitum ſecundum eſſentiam non continetur per ſe in categor. Confirmatur iis argumentis.

1. Arg. Primum eſt: Quicquid continetur in categoriis, conſtat genere & differentia: ſed ens infinitum, quod eſt Deus Opt. Max. non conſtat genere, & differentia: quia genus indicat

potentiam paſſiuam, contrahibilem per contrarias differentias, quæ potentia nullo modo poteſt reperiri in Deo, cum ſit actus ſimplex, ergo Deus non continetur in categoriis vllo modo.

2. Arg. Secundum: Quæ continentur in categoriis habent exiſtentiã diſtinctam ab eſſentia, nam ea, quæ continentur in aliquo genere, conueniunt in natura, & differunt in eſſe, vt homo. & leo conueniunt in natura animalis, & diſtinguuntur in eſſe: aliud enim eſſe habet animal in homine, & aliud in equo: ſed in Deo non differt eſſe ab eſſentia, iuxta fidem, ergo Deus non continebitur in vlla categoria.

3. Arg Tertium: Illa, quæ ſunt infinita, non continentur in categoriis, eo quod categoriæ exprimant certos & determinatos gradus entis: ſed Deus eſt infinitus ſecundum eſſentiam, ergo non continebitur in categoriis directe & per ſe. Aliæ rationes ex Theologis, maxime vero ex D. Thoma, vbi ſupra peti poterunt.

concluſ. 3. concluſ. Neque reductiue, veluti principium, poteſt Deus contineri in categoriis. Confirmatur: Principium vel eſt intrinſecum, vel extrinſecum: at Deus non poteſt contineri vt principium intrinſecum, neque vt extrinſecum, ergo Deus nulla ratione poterit contineri in categor. Confirmatur aſſumptio. Inprimis non poteſt contineri vt principium intrinſecum, quia huiuſmodi principia ſunt in certa & determinata categoria, at Deus nequit ob ſuam infinitatem in certa aliqua categoria contineri. Deinde neque vt extrinſecum, quia illud, quod continet omnia, conferens omnibus eſſe, non poteſt contineri ſub illis: at Deus continet omnes categorias, conferens omnibus illis eſſe, ergo nõ poterit hac ratione contineri in categoriis.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta: Ad 1. reſpond. negando aſſumptionem, quia ratio ſubſtantiæ non eſt ens per ſe exiſtens, ſed per ſe exiſtens finite, & limitate, quæ ratio nullo modo poteſt Deo conuenire.

Ad 2. Ad 2. dicimus, eodem modo falſam eſſe aſſumptionem, non enim omnes veræ relationes continentur in categoria relationis, ſed illæ tantum, quæ ſunt finitę & limitatæ: at paternitas, & filiatio diuina, non ſunt finitæ, ſed infinitæ relationes.

Ad 3. dicimus, ſolam rationem infiniti ſecundum eſſentiam impedire, ne aliquid contineatur in categor. vnde quamuis linea eſſet infinita ſecundum longitudinem, non tamen ſecundum eſſentiam eſſet infinita, ſed finita, & ita contineretur in categoria quantitatis. At quia Deus eſt infinitus ſecundum eſſentiam, nulla ratione poterit contineri in categoriis. *Ad 3.*

Ad 4. reſpond. negando conſequentiam, committitur enim in hac argumentatione fallacia accidentis. nam eſſe in categoriis eſt accidens rationis, quod dicitur de Chriſto ea ratione, qua eſt homo, at accidentia rationis conuenientia Chriſto non eſt neceſſe conueniant Deo: nam eſſe prædeſtinatum competit etiam Chriſto ea ratione, qua homo eſt, quod tamen nullo modo poteſt Deo conuenire. Ad confirmationem vero dicimus, Deum eſſe reductiue in categoria ſubſtantiæ, non ſicuti contentum, ſed ſicuti continens illam: non ſicuti qui continetur, ſed in quo continetur tota ratio categoriæ ſubſtantiæ. Et ita dicimus D. Thom. intelligendum eſſe in locis in ſecunda opinione recenſitis, quemadmodum illum intellexerunt Capreol. *in 1. ſentent. diſt.* 8 *quæſt.* 2. & Caieran. 1 *p.q* 3 *art.* 5 Quod ſi aliquando ſancti Patres, vt D. Auguſt. 5 *libr. de Trinit. c.* 2. & D. Seuer Boet. *in libello de Trinitate*, doceant, in Deo proprie reperiri ſubſtantiam, & relationem, non ſunt intelligendi de categoria ſubſtantiæ, & de categoria relationis, cum ipſemet D Auguſtin. 7. *de Trinit. cap.* 5. doceat, Deum abuſiue vocari ſubſtantiam, ſed de ſubſtantia & relatione, quæ ſunt analoga ad ſubſtantiam & relationem, quæ in Deo, & in creaturis reperiuntur. *Ad 4.*

Solet etiam agitari quæſtio: An anima particeps rationis ſit prima ſubſtantia, nec ne? quę quamuis aliquando fuerit à nobis hoc loco propoſita, quia tamen multa poſtulat ex his, quæ in libris de anima pertractantur, ob hanc cauſam viſum fuit ipſa min hoc loco prætermittere. Hactenus igitur de ſubſtantia. *Obſer.*

PRÆFATIO IN CATEGORIAS ACCIDENTIVM.

CAtegoria ſubſtantiæ, illiuſque diſputationibus abſolutis, ſequitur, vt de categoriis accidentium diſputemus. Verum cum duplex ſit (inter alias) accidentis ſignificatio, vna, qua ſignificat illud, quod neque eſt genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, quod communi nomine accidens prædicabile nuncupatur, & alia, in qua ſignificat id, quod alteri inhæret, vel, vt dicunt, in qua ſignificat accidens categoriæ ſeu prædicamentale, de primo luculenter ſatis egimus in commen. in Porph. de ſecundo ſupereſt vt in his categor. diſputemus. Quia vero hæ categoriæ multa habent communia, nimirum eſſentiam, exiſtentiam, definitionem, & alia, æquum erit, vt, antequam de ſingulis ſigillatim & ſeorſum diſputemus, de his omnibus, quæ ipſis communia ſunt, prius diſſeramus. Quod certe ea, qua poterimus, diligentia præſtabimus. ſperamus namq; hanc diſputationem eſſe maximo vſui omnibus Dialecticis futuram, quam vnica ſectione comprehendemus.

SECTIONIS VNICÆ DE ACCIDENTIBVS, QVÆSTIO I.

An inhærentia ſit de eſſentia accidentis?

A Natura accidentis diſputationem auſpicantes, quærimus 1. an ſit illa inhærentia in ſubiecto, nec ne: Etenim non eſſe, his argg.
1. Arg. poſſumus confirmare: 1. eſt, Nulla relatio eſt de eſſentia abſoluti, alioquin enim ſequeretur omnia abſoluta eſſe relata: ſed inhærentia aptitudinalis eſt relatio quædam ad ſubiectum, ergo inhærentia aptitudinalis non poteſt eſſe de accidentis, cum inter illa dentur multa
2. Arg. accidẽtia abſoluta. 2. arg. Si inhærentia aptitudinalis eſſet de eſſentia accidentis, vel illa eſſet quippiam abſolutum, vel quippiam relatum: ſed neutrum horum eſſe poteſt non abſolutum, quia non conueniret illa accidentibus relatis, neq; relatum, quia non conueniret accidentibus abſolutis: ergo huiuſmodi inhærentia non erit de eſſentia accidentis.
3. Arg. 3. In omni relatione fundamentum vel ſubiectum illius ſunt priora ſaltim natura ipſa relatione. ſed ſubiectum relationis inhærentiæ ad ſubſtantiam eſt accidens, nam illud eſt, quod denominatur inhærẽs, ergo accidẽs erit prius natura inhærentia, & ita non poterit eſſe de eſſentia illius, quia illud, quod eſt de eſſentia
4. Arg. prius eſt re habente eſſentiam. 4. Si inhærentia eſſet de eſſentia accidentis, ſequeretur, genera ſuprema habere ſupra ſe naturã aliquam ſynonymam, etenim poſſe inhærere ſubiecto eſt natura quædam communis accidentibus, & ex æquo illis conueniens, ſed genera ſuprema nõ poſſunt obtinere ſupra ſe naturam aliquam ſynonymam omnium Philoſophorum iudicio, quia ſunt illa primo diuerſa: ergo inhærentia non eſt de eſſentia accidentis. Ad-
hæc: Nulla res poteſt intelligi abſq; eo, quod 5. Arg.
eſt de eſſentia illius, ſed Mathematici intelligunt quantitatem ſine inhærentia, & nos etiam poſſumus intelligere accidentia per ſuum genus, & differentiam, ſine vlla prorſus habitudine ad ſubiectum, ergo inhærentia non erit de eſſentia accidentis. Et confirmatur arg. Poteſt intelligi accidens ſine inhærentia ad ſubiectum, ergo non erit illa de eſſentia accidentis. Confirmatur antecedens de accidentibus in abſtracto, vt de albedine, vel ſapientia, quæ intelliguntur ſine vlla habitudine ad ſubiectũ, nam apprehenduntur per modum per ſe ſtantis, & non per modum alteri inhærentis.

Ad extremum: Eſſentia alicuius rei non 6. Arg.
poteſt de illa per demonſtrationem concludi, vt docet Ariſtoteles 2. *de demonſtrat.* quia de eſſentia præcognoſcẽdum eſt, antẽ demonſtrationem illam conuenire ſubiecto, vt idem Ariſtotel. profitetur 1. *de demonſtr. cap.* . ſed per demonſtrationem concludimus inhærentiam accidentis ad ſubiectum, vt inhærentiam riſibilitatis ad hominem, ergo inhærentia non erit de eſſentia accidentis.

Quæſtio hæc celebris eſt & apud dialecticos,

tum apud Metaphyſicos valde agitata, in qua eſt prima opinio Auerrois, Ianduni *q.1. libr.7. Metaph.* Ioannis Bachonis *lib.1. ſent. diſt* 28. & aliorum Auerroiſtarum exiſtimantiũ, vtramque inhærentiam actualem, & aptitudinalem eſſe de eſſentia accidentis.

2. Opin. 2. opinio eſt huic ex diametro oppoſita aliorum, qui conſtituunt, neutram inhærentiam eſſe de eſſentia accidentis, neque actualem, neque aptitudinalem, quæ ſententia placuit Scoto 4. *lib. ſentent. diſt.* 12. *q.* 1. & 7. *Metaph. quaſt.* 1. Antonio Trombetæ, Anton Andreæ 7. *Metaphyſ. q.* 1. Nicolao Boneto *in ſua Metaph.* & aliis Scotiſtis, & ex Thomiſtis Soncin. *lib.* 7. *Metaph. q* 1 & Flandr. *q.* 1. *art.* 1. & 2. & Zimaræ *theorem.* 3. *ex lib* 7. *Metaph.*

3. Opin. 3. opinio eſt aliorum exiſtimantium, inhærentiam actualem non eſſe de eſſentia ſubiecti: aptitudinalem vero eſſe de ipſius natura, quam amplectitur D. Thom. 3. *p. q.* 77. *art.* 1. 4. *lib. ſentent. diſtinct.* 12. *q.* 1. *art.* 1. *in ſolut.* 1. *argum.* & alibi ſæpiſſime, Caietan. *cap.* 7. *libelli de ente & eſſentia.* Ferrarienſ. 4. *contra gentes, capit* 65. Iauellus, Aquarius, Sueſanus 7. *lib. Metaphyſ. quaſt* 1: Capreol. *in* 4 *diſtinct.* 12. Herueus, Pet. Niger *quaſt. vltim. in* 1. *part clypei*, omnes Thomiſtæ, & denique omnes recentiores, qui recte philoſophantur.

Obſeru. His igitur opinionibus propoſitis, vt quæſtionem explicemus, ſciendum erit, duplicem eſſe inhærentiam, vnam ſecundum actum, & alteram ſecundum aptitudinem, vel (vt alii dicunt) vnam actualem, & alteram aptitudinalem. Inhærentia accidentium ſecundum actum eſt vnio eorum actualis in ſubiecto: ſecundum aptitudinem vero eſt aptitudo quædam & potentia, vt poſſint illi inhærere, quãuis actu non inhæreant.

1. concluſ. Hoc igitur animaduerſo ſit prima concluſio aduerſus Auerroiſtas: Inhærentia actualis non eſt de eſſentia accidentis. Confirmatur ad hunc modum: Illud quod eſt de eſſentia alicuius rei, non poteſt ſeparari ab illa etiam per potentiam diuinam: ſed actualis inhærentia accidentis in ſubiecto ſeparatur aliquando ab accidente, vt in ſacramento Euchariſtiæ ſeparatur à quantitate, eſt enim ibi quantitas ſine ſubiecto aliquo iuxta fidem: ergo actualis inhærentia non erit de eſſentia accidentis. Eſſe autem de fide accidentia in ſacramento Euchariſtiæ abſque inhærentia in ſubiecto exiſtere cõſtat ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. vbi inter varios errores Iohannis Hus ab eo condemnatos, ſecundus eſt, accidentia nõ eſſe in Euchariſtiæ ſacramẽto abſq; ſubiecto. Præterea ante demonſtrationẽ prænoſcendum eſt de ſubiecto, quænam ſit illius natura & eſſentia, auctore Ariſt. 1. *de demonſtr. c.* 1. vnde non poteſt eſſentia concludi per demonſtrationem, ſed cõcludimus per demonſtrationem, actualem inhærentiam accidentis ad ſubiectum, vt actualem inhærentiam riſibilitatis in homine: ergo actualis inhærentia non erit de eſſentia accidentis.

2. concluſ. Eſſentia accidentium eſt inhærentia ſecundum aptitudinem in ſubiecto, vel vt alii dicunt, eſt inhærentia aptitudinalis. *2. concluſ.* Hæc concluſio apud eos, qui recte ſentiunt, *1. Arg.* nulla ratione poteſt eſſe dubia, præſertimque apud eos, qui doctrinam Ariſtotelis profitentur, cum ipſe 7. *lib. Metaphyſ cap.* 1. doceat, accidentia nullam aliam habere entitatem, niſi illam, quam ab inhærentia in ſubiecto conſequuntur, quia accidentis, inquit, eſſe eſt ineſſe. Et apertius multo *capite 4. eiuſdem lib.* inquirens, num in accidẽtibus, quemadmodum & in ſubſtantiis detur eſſentia, quæ explicetur eſſentiali definitione, conſtituit dari quidem, non tamen primo, & per ſe, ſed ſecundo loco, & per aliud, ſcilicet per habitudinem ad ſubiectum, & attributionem ad illud, quare, inquit, homonyme dicetur ab vno, & ad vnum de ſubſtantia, & de accidentibus. Deinde, In *2. Arg.* vnaquaque re illa aſſignari debet natura & eſſentia, quæ illi competit, amoto quocunque extrinſeco, & non eſſentiali, his enim amotis, ſola attributa eſſentialia ſuperſunt: ſed amoto ab accidentibus quocunque extrinſeco, & non eſſentiali, adhuc ſupereſt in eis aptitudinalis inhærentia ad ſubiectum: ergo hæc inhærẽtia erit illorum natura & eſſentia. Propoſitio eſt apertiſſima, cõfirmatur aſſumptio: Si ab aliquo accidente (vt à magnitudine, v.g.) amoueamus omnia extrinſeca, & non eſſentialia, vt eſſe candidam, vel atram, calidam, vel frigidam, aſperam, vel lenem, duorum vel trium cubitorum, & ſic de aliis: rogo num conueniat magnitudini aptitudinalis inhærentia, vel non. Si conueniat, erit igitur illa de eſſentia accidentium: ſi vero non conueniat, ergo magnitudo erit ſubſtantia, quod ita confirmo: Illud, quod eſt ens, & non eſt in aliquo tanquam in ſubiecto, neque actu, neque aptitudine, eſt ſubſtantia, quia hæc eſt natura ſubſtantiæ, neque actu, neque aptitudine eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto: ſed amoto quocunque extrinſeco, & nõ eſſentiali, magnitudo eſt ens, & neque actu, neque aptitudine eſt in aliquo tanquam in ſubiecto: ergo erit ſubſtantia. Rurſus: In analogis attri- *3. Arg.*

butionis analoga minus præcipua ſecundum eſſentiam denotant habitudinem ad analogum magis præcipuum, vt in analogia ſani medicamenta, vrina, & dieta, denotant ſecūdum eſſentiam habitudinem aut cauſſæ, aut ſigni ad ſanitatem animalis, quæ huius analogiæ eſt magis præcipuum analogum: ſed ens eſt analogum attributionis ad ſubſtantiam, & ad accidentia, quemadmodum ſanū auctore Ariſt. 4. *lib. Metaphyſ. cap. 2. & 11 cap. 3. & 12. cap. 4.* ergo cum in hac analogia accidentia ſint membra minus præcipua, indicabunt illa ſecundum eſſentiam habitudinē ſecundum inhærentiam aptitudinalem ad ſubiectum.

4. Arg. Iam: De natura & eſſentia accidentis eſt dependere à ſubſtantia; vel ergo erit de eſſentia dependere ab ea ſecundum actum, vel dependere ſecundum aptitudinem, ſecundum actum dependere nō eſſe naturam probatum eſt in ſuperiori concluſio. dependebit igitur ſecundum aptitudinem: quare aptitudinalis inhærentia erit de eſſentia accidentis.

5. Argum. Rurſus: Eo modo ſe habent accidentia ad eſſe in alio, quo ſe habet ſubſtantia ad eſſe per ſe: ſed de ratione ſubſtant. eſt eſſe per ſe ſecundum aptitudinem; ergo de accidentis ratione erit eſſe in alio ſecundum aptitudinem.

Interrog. Quod ſi quis roget quænam ſit ſententia Ariſt. in hac re Reſpondendum erit, ipſum nihil certum de hac dubitatione ſtatuiſſe:

Solutio. at quantum ex illo colligi poteſt primam ſententiam Auerrois videtur ſuiſſe ſecutus. Quod ſane colligi poteſt primo quia 7. *Metaphy. cap.* 1. inquit accidentis eſſe (id eſt eſſentiam & exiſtentiam) eſſe ineſſe ſubiecto, & in *eodem cap.* profitetur accidentia concreta eſſe magis entia, quam abſtracta, quia ſignificantur, vt magis inhærentia ſubiecto, & *cap. 4. eiuſdem lib.* admittit eſſentiam in accidentibus, dependentem tamen à ſubſtantia, & *cap.* 13. & 1. *Phyſic. cap.* 7: pro maximo abſurdo colligit accidentia eſſe ſeparabilia a ſubiecto. Ex quibus locis perſpicue ſatis colligi poteſt iuxta Ariſtot. eſſentiam accidentis eſſe actu inhærere ſubiecto: Non dicturus haud dubie ſi ſuperiori lumine, quam naturali fuiſſet perfuſus, nimirum lumine fidei, hoc ſiquidem lumine mentem illuſtrante, hanc ſententiam eſſe falſam iam in prima concluſione collegimus. de accidentibus ſanctiſſimi ſacramenti Eucharistiæ, quæ veram habent ac legitimam eſſentiam, cum tamen nulli ſubiecto inhæreant ſecundum actum.

Supereſt argumentis quæ in initio proaliorum opinione propoſuimus occurramus.

Ad 1. argum. Ad 1. dicimus duplicem eſſe relationem vnam tranſcendentem, & alteram categ. primo illa eſt relatio ad ſubiectum; ſecunda vero ad terminum cuiuſmodi eſt relatio patris ad filium, vel magiſtri ad diſcipulum. Relatio igitur qua accidens ad ſubiectum refertur, non eſt relatio categoriæ, ſed tranſcendens, & hęc eſt de eſſentia abſoluti, nam quamuis relationes categoriæ non ſint de eſſentia abſoluti, vt paternitas non eſt de eſſentia hominis; relationes tamen tranſcendentes ſunt de eſſentia eiuſdem entis abſoluti. Conſulite de hac ſolutione Caiet.

Ad 2. Ad 2. reſpon aptitudinalem inhærentiam, neque eſſe quippiam abſolutum, neque quippiam relatum, ſed abſtrahere ab vtroque, quemadmodum omnia ſuperiora abſtrahunt à rationibus ſuorum inferiorum. Neque illa diuiſio entis in abſolutum, & relatum competit enti in communi, ſed enti quod continetur in categoriis, ita vt ea quæ continentur in categoriis, vel ſint abſoluta, vel relata: at poſſe inhærere ſubiecto non continentur in aliqua categoria, ſed diffunditur per omnes categorias accidentium.

Ad 3. Ad 3. dicimus propoſitionem eſſe veram in relationibus categ. eſſe autem falſam in relationibus tranſcendentibus, & hæc cum relatio inhærentiæ ſit tranſcendens, ſubiectum illius non erit prius, ſed poſterius, quia non eſt ſubiectum ſecundum rem, ſed ſecundum modum.

Ad 4 reſp. propoſitionem eſſe falſam, quia eſſentia non prędicatur ſynonyme cum ſit incluſa in vltimis differentiis accidentium, ſed analogice, vt oſtendemus *in vlt. quaſt. proœm. accidentium.*

Ad 5. reſp. Mathematicos implicite etiam intelligere quantitatem cum illius inhærentia ad ſubiectum: nam quamuis illi abſtrahāt quantitatem à materia ſenſili, non tamen abſtrahunt à materia intellectibili; quæ eſt ſubſtantia ſine qualitatibus, & quando aliquis cognoſcit accidens per ſuum genus, & differentiam, implicite cognoſcit habitudinem illius ad ſubiectum.

Ad eius confirm. Ad confirmationem eiuſdem argum. Reſp. eodem modo in accidentibus in abſtracto denotari habitudinem ad ſubiectum implicitam. Vel reſpondere poſſumus accidentia poſſe ſumi vel ſecūdum rem, vel ſecundum modum ſignificandi, ſecūdum rem ſemper denotant inhęrentiam aptitudinalem ad ſubiectum: ſecundum modum autē ſignificandi, poſſunt aliquando non deno-

tare illam, quando ſcilicet ſignificantur per modum ſubſtantiæ, vt quando ſignificantur in abſtracto: nam eſt ita proprium ſubſtantiæ neque actu, neque aptitudine alicui inhærere, vt non ſolum illa quæ eſt vera, & legitima ſubſtantia, verumetiam quidquid habet modum illius (vt afficiitur huiuſmodi modo) neque actu, neque aptitudine denotet aliquam inhærentiam in ſubiecto. Cæterum hæc collectio nulla eſt, accidens vt ſignificatur in abſtracto non denotat inhærentiam aptitudinalem ad ſubiectum, ergo abſolute, & iuxta propriam entitatem non denotabit illam, nã argumentamur a modo rei ad rem, vel a re ita concepta, ad eandem abſolute ſumptam, qui modus argumentãdi fallax eſt, & nullius momenti.

Replica. Quod ſi quis dicat ſine his, quæ ſunt de eſſentia rei non poteſt res vllo modo concipi, etiam in prima operatione intellectus: ſed accidentia in abſtracto poſſunt concipi ſine aptitudinali inhærentia, ergo huiuſmodi inhærentia, non erit eſſentia accidentium.

Solutio. Reſpondendum erit duplicem eſſe cognitionem vnam confuſam, & alteram diſtinctam, ſi loquamur de diſtincta, verum eſt non poſſe neque in prima operatione intellectus rem aliquam cognoſci ſine omnibus attributis ſuis eſſentialibus; ſi vero agamus de confuſa recte poteſt cognoſci ſine aliquibus attributis, nam hominem, verbi gratia, confuſa cognitione cognoſcere poſſumus eſſe ſubſtantiam viventem ratione, abſq; eo quod cognoſcamus illum eſſe animal vel corpus ſentiens atq; ita ſi agamus de confuſa cognitione, accidentia in abſtracto cognoſci poterunt ſine inhærentia aptitudinali, quæ eſt attributum ipſorum eſſentiale, diſtincte tamen nullo modo poterimus ita cognoſcere, ſed neceſſe ad hanc diſtinctam cognitionem, vt cognoſcatur inhærentia aptitudinalis. Quare non debuit propter hoc argum. Flandrenſis, illuſtris alioqui Thomiſta, & Metaphy. à veriſſima ſententia D Tho. à nobis explicata recedere.

Ad 6. Ad 6. dicimus, tantum concludi per demõſtrationem inhærentiam actualem accidentis ad ſubiectum, non autem aptitudinalem, quæ præcognoſcenda eſt ante demonſtrationem: at inhærentia actualis non eſt iuxta nos eſſentia ipſius accidentis, ſed proprietas dumtaxat.

Replic. Vrgent tamen adhuc aduerſarii. Datur aliquod accidens, quod nullam neque actu, neque aptitudine denotat inhærentiam cum ſubiecto; ergo inhærentia aptitudinalis non erit de eſſentia accidentis. Conſequentia eſt perſpicua, confirmatur antecedens. Relatio eſt accidens (etiam in propria & peculiari ratione ſumpta) ſed illa non denotat inhærentiam ad ſubiectũ, ſed ad terminum, ergo datur aliquod accidens, quod non denotet inhærentiam aptitudinalem ad ſubiectum.

Cæterum, neque hoc arg. nos commouere vllo modo debet, vt a vera ſententia recedamus; negandum ſiquidem eſt relationem etiã in propria ratione nõ denotare inhærentiam aptitudinalem ad ſubiectum, differt tamẽ ab aliis accidẽtibus abſolutis in eo, quia reliqua accidẽtia tam in communi, quam in propria ratione, ſolam & præciſam habitudinem denotant ad ſubiectum; at vero relatio in communi (ratione accidentis) denotat habitudinem eandem ad illud: in propria vero & peculiari, vt ab aliis categoriis ſecernitur, ad idem etiam ſubiectum denotat habitudinem, verũ non ſolam, & præciſam, ſed cum illa denotat habitudinem ad ſuum terminum, vt in categoria relatorum latius oſtendemus.

QVÆSTIO II.

An ſit, & quid ſit exiſtentia accidentium.

QVid ſit eſſentia accidentis explicatum ſupereſt in quæſtione ſuperiori, ſequitur vt de eorundem exiſtentia diſſeramus, an nimirum ſit, & quid illa ſit num ſcilicet ſit vnio vel inhærentia eorum ſecundum actum in ſubiecto.

Et quidem non eſſe hanc vnionem, confirmatur primo quia in ſanctiſſimo Eucharistię ſacramento quantitas, & alia accidentia exiſtunt propria & peculiari exiſtentia accidentium; at illa iuxta fidem non inhærent ſecundum actum alicui ſubiecto, ergo exiſtẽtia accidentium non erit actualis inhærentia illorum in ſubiecto. *1. Arg.*

Solutio. Quod ſi quis dicat: In ſacramento Euchariſtiæ accidentia non exiſtere per naturalem exiſtentiam, ſed per ſupernaturalem, & miraculoſam, nos autem tantum hic agere de exiſtentia naturali accidentium, & hanc dicimus eſſe vnionem actualem cum ſubiecto, quam Deus vi ſua, & per miraculum ſupplet in ſacramento.

Reiicitur. Contra ita ago. Deus non poteſt ſupplere vices materiæ, quemadmodum omnes Theologi vno ore profitentur; ſed ſubiectum cõcurrit in genere cauſſæ materialis ad exiſtentiam accidentium (quia hoc genere cauſſæ concurrit ad vnionem eorundem) ergo Deus non poterit ſupplere exiſtentiam accidentium in ſacramento.

Præterea:

Ad 2. Præterea: Relationes rei habent propriam & peculiarem exiſtentiam, ſed illa nõ eſt haurienda ex inhærentia actuali, & vnione eum ſubiecto, ergo exiſtentia accidentium non erit vnio actualis eorum in ſubiecto. Confirmatur aſſumptio. Eſſe relatorum ad aliud, nimirum ad terminum ſe habere, vt conſtat ex illorum definitione, ergo & exiſtentia quoq; ex habitudine ad terminum, & non ex vnione actuali cum ſubiecto erit haurienda.

1. concluſio. Sit tamen in explicationem quæſtionis prima concluſio. In accidentibus rei (nam de his agimus) datur vera & legitima exiſtentia. Confirmatur. Accidentia habent veram & legitimam naturam, eamque integram, & quæ non ſit pars alterius: ſed ab omni natura integra fluit exiſtẽtia eiuſdem categoriæ, ergo & ab exiſtentia accidentium fluet quoque exiſtentia accidentaria. Secundo: Exiſtentia eſt actus primus quo vna quæque res eſt à parte rei exiſtens extra ſuas cauſſas producẽtes: ſed in accidentibus datur huiuſmodi actus, vt in quantitate v.g. datur actus, quo ipſa primo ſit a parte rei extra ſuam cauſſam producentem, ergo in accidentibus dabitur vera & realis exiſtentia.

2. concl. 2. concluſ. Hæc exiſtentia non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid vocanda exiſtentia.

1. argum. Hæc confirmatur primo, quia eo modo habet aliquid exiſtentiam, quo eſt ens; ſed accidentia nõ ſunt entia ſimpliciter, vt auctor eſt Ariſt. 7. *Metaphy. cap. 1* ergo non erit illa ſimpliciter, & abſolute exiſtentia.

Ad 2. Secundo, quia illa exiſtentia, quæ eget alterius ope, vt ſit, nõ eſt ſimpliciter exiſtentia, quia in ſuo genere indiget altero; ſed exiſtentia accidentium indiget altero vt ſit, nimirum exiſtentia ſubiecti, ergo non erit exiſtentia ſimpliciter, & abſolute.

De his duobus aſſertionibus nulla eſt controuerſia, eſt autem non leuis de quidditate & natura illius, quid nimirum illa ſit, num ſcilicet ſit vnio actualis accidentium cum ſubiecto, vel quippiam aliud ab hac vnione diſtinctum.

1. Opinio. Eſt enim prima opinio Durandi *in 1. diſtinct. 8. q. 2. ad 2.* exiſtentiam non eſſe vnionẽ actualem in ſubiecto, ſed quippiã aliud, quod quid ſit non explicat ille.

2. Opinio. At contra ſentiunt Socin. *7. lib. Metaphyſ. cap 2. in fin.* Flandrenſis *eod lib. q. 5. art. 3.* & multi alij (nam hæc eſt communis inter recentiores Philoſophos opinio) quorum veſtigiis inhærentes hanc tertiam ſubiicimus aſſertionem.

3. concluſ. Exiſtentia accidẽtium nulla eſt alia, quam vnio vel inhærentia illorum ſecundum actũ in ſubiecto. Hanc his argum. effiracibus ſatis ſuadẽmus.

I. Exiſtentiam accidentium eſt actus, vel ergo eſt per ſe exiſtens, vel alteri inexiſtens, nam hæ ſunt duæ differentiæ ambientes omnem actum; non ergo non ſit actus per ſe ſubſiſtens, cum huiuſmodi actus tantum conueniat ſubſtantiis ſeparatis, & animæ cum pari rationis, erit haud dubie actus inexiſtens. Deinde: Actus inexiſtens quidam exiſtit in materia, & alius in ſubiecto, prioris generis actus ſunt formæ ſubſtantiales, quæ exiſtunt in materia prima, igitur exiſtentia erit actus ſecundi generis exiſtens in ſubiecto: cum ergo in exiſtere ſubiecto nihil aliud ſit, quam vnio ſecundum actum in illo, hæc erit exiſtentia accidentium. 1. Argum

1. Confirm. Confirmatur arg. Ineſſe accidentis eſt vniri actu cum ſubiecto, nam ineſſe ſi nominis vim contemplemur eſt eſſe in aliquo; ſed ineſſe accidentis eſt illius exiſtentia, vt perſpicuis verbis docet Ariſtot. 7. *Metaphyſ. cap. 1* inquiens accidentis eſſe, vel exiſtentiam nihil aliud eſſe, quam ineſſe, ergo vnio in actu exiſtentia accidentium.

2. Confirm. Præterea: Quemadmodum ſe habet ſubſtantia ad vtramque cohærentiam, vel exiſtentiam per ſe, ſecundũ actum nimirũ, & ſecundum aptitud nem: ita etiã ſe habebit accidens ad vtramq; inhærẽtiam ſecundũ actum, & ſecundum aptitudinem, quia quod eſt ſubſtantiæ eſſe per ſe, eſt accidentibus eſſe in alio; ſed eſſentia ſubſtantiæ eſt eſſe per ſe ſecundum aptitudinem, vt auctor eſt diuus Thom. 3. p. 77. art 1. ad 2. exiſtentia vero eſt eſſe per ſe actu; ergo inhærere ſubiecto ſecundum aptitud nem erit eſſentia accidentis, inhærere vero ſecundum actum erit illius exiſtentia.

3. Arg. Tertium: Exiſtentia eſt primus actus quo vnaquæque res eſt à parte rei extra ſuas cauſſas; ſed accidentia ſunt à parte rei extra ſuas cauſſas per vnionem actualem cum ſubiecto, quæ vnio eſt primus actus accidentium, vt eſt apertum: ergo illa erit exiſtentia accidentium.

4. Arg. Rurſus, Ille actus, qui primo fluit ab eſſentia ſi prætermittatur ſuæ naturæ eſt exiſtentia. Hæc propoſitio eſt perſpicua, quia exiſtentia eſt actus primo fluens ab eſſentia; at inhærentia ſecundum actum eſt actus, qui primo fluit ab eſſentia accidentis, ſi prætermittatur ſuæ naturæ, quemadmodum in ſanctiſſimo Eucharistiæ ſacramento, ſi accidentia prætermitterentur ſuæ naturæ, ſtatim vnirẽtur ſecũdum actũ cum ſubiecto. cum ſemper obtineant naturalem proclinitatem, & pro-

penſionem

penſionem ad ſubiectum, ergo inhærentia ſecundum actum erit ex ſtentia accidentium.

5. *Arg.* Ad extremū egregio quodam teſtimonio D. Th. noſtram aſſertionem confirmamus. Is ſiquidem in *comment. in 1 cap. lib. 1. de demonſtr.* explicans cauſſam ob quam de proprietate cognoſcere debeamus ante demonſtrationem quid ſit, & non an ſit, inquit cauſſam eſſe, quia proprietates habent naturam, quæ poteſt ante demonſtrationem prænoſci per diffinitionem; at quia proprietates eſſe, vel exiſtere, concluditur per demonſtrationem (quia concludimus in illa actualem vnionem proprietatis in ſubiecto, quæ & in ipſis, & in reliquis accidentis eſt propria, & naturalis exiſtentia) propterea non prænoſcitur ante demonſtrationem an ſit, nam quod concluditur non debet prænoſci. Subijeiam verba D. Thom. vt facilius multo poſſit quilibet eius mentem percipere. *De paſſione autem poteſt quidem ſciri quid eſt, quia quodammodo diffinitionem habet. Paſſionis autem eſſe, & cuiuslibet accidentis eſt ineſſe ſubiecto, quod quidem in demonſtr. concluditur.* Igitur concludendum eſt exiſtentiam accidentium eſſe illorum inhærentiam ſecundum actum in ſubiecto.

Ad 1. arg. Ad argumenta in principio propoſita. Ad 1. reſp. noſtram aſſertionem intelligendam eſſe de exiſtentia naturali accidentium id eſt, de ea quæ ab ipſorum eſſentia flueret, ſi prætermitterentur illa ſuæ naturæ: at in ſacramento Euchariſtiæ, accidentia non exiſtunt per aliquam exiſtentiam naturalem, ſed per miraculoſam, & ſupernaturalem, quæ nū ſit ſola manutenentia Dei, vel modus aliquis per modum ſubſtantiæ illis collatus cum ſitiet Theologica, Theologis examinanda prætermittitur 3. p. q. 77. *art. 1. & in 4. ſent. d. ſt. 12.* Ad huius ſolutionis noſtræ confutationem reſpond. in materia reperiri tres actus quorum primus eſt vniri, cum forma, ſecundus componere totum, & tertius ſuſtentare formam. Quamuis ergo Deus Optim. Max. non poſſit ſupplere vices materiæ ratione primi, & ſecundi actus, quia neque poteſt vniri cum forma, neque poteſt componere totum, poteſt tamen ſupplere vices materiæ ratione tertii actus, qui eſt ſuſtentare formam, non per informationem, ſed vel per manutenētiam, vel alio modo. Et ita in hac re poterit Deus ſupplere vices ſubiecti ſuſtinendo ſcil. accidentia in ſacramento Euchariſtiæ, quę antea ſuſtinebat in ſubiecto.

Ad 2. Ad 2. dicimus falſam eſſe aſſumptionem, quia relationes quemadmodum & alia accidentia obtinent ſuam exiſtentiam à ſubiecto. Ad confirmationem vero reſp. in definitione relatorum quando definimus illa eſſe quorū totum eſſe eſt ad aliud ſe habere, nomine eſſe non debere intelligi eſſe quod ſignificat exiſtentiam, ſed eſſe quod ſignificat eſſentiam, ac ſi apertius illa ita definiremus. Relata ſunt quorum eſſentia eſt ad aliud referri, vt docet D. Thom. 1. *ſenten. diſt. 26. q. 2. art. 1. in corp.* & aperctius mul e *diſt. 33. q. 1. art. 1. in ſolut. ad 1.* & ita nomine illius particulæ eſſe, quam Boetius in ſua interpretatione adhibuit in propoſita definitione, Ioachimus Perionius interpretatus eſt, vim & naturam, ita enim ille vertit. Relata ſunt quorum vis & natura in eo poſita eſt, vt ad aliud referantur, quæ interpretatio illuſtriorem multo, & clariorem reddit diffinitionem relatorum, quam ſit prior illa Boetij.

QVÆSTIO III.

An exiſtentia accidentis differat ab accidente.

NON diſtingui argumenta iſta demonſtrant. 1. Nulla res poteſt diſtingui re ipſa à transcenden ſeu à modis internis enti: at inhærentia actualis eſt tranſcendens, cum diuagetur per omnes categ. accidentium, ſitque modus internus entis coercens illius naturam ad accidentia, ergo inhærentia actualis, vel quod idem eſt exiſtentia accidentium, non differet reipſa ab accidentibus, & ab ipſorum natura. Confirmatur argumentum. Proprietates quæ non deſtinantur ad agendum, ſed ad eſſendum non differunt reipſa à ſuis ſubiectis, ſed exiſtentia accidentium eſt proprietates eſſentiæ, & non deſtinatur ad agendum, ſed ad eſſendum, ergo exiſtētia accidentiū non differet reipſa ab eorum eſſentia. *1. argum.*

2. Si exiſtentia accidentium reipſa diſtingueretur ab accidente, vel illa eſſet ſubſtantia vel accidens: at neutrum dici poteſt, ergo nō differet reipſa ab eo. Propoſitio eſt perſpicua, confirmatur aſſumptio. Inprimis apertum eſt non eſſe ſubſtantiam, deinde confirmo non eſſe accidens. Omne accidens inhæret alicui ſubiecto, igitur ſi exiſtentia accidentium eſt accidens inhærebit alicui ſubiecto. Rogo iam de hac ſecunda inhærentia num illa differat ab accidente, necne? Si non differt ergo aſſequimur inſtitutum; ſi vero differt, ergo cum non ſit illa ſubſtantia erit accidens, atque ita inhærebit ſubiecto media alia inhærētia, ſicque abibimus in infinitum, quod cum ſit falſum, ſequitur inhærentiam accidentis non differre ſecundum rem ab eo. *2. Argum.*

In hac quæſtione Soncinati placuit 7. *libr. Metaph. q.* 1. conſtituere exiſtentiam accidentium non eſſe diſtinctam ab eis ſecundum rē. At diuus Thom. 4. *lib. ſent. diſt.* 12. *q* 1 *art.* 1 *q.* 3. *ad* 5. docet contrarium huius, inquiens in accidentibus ſeparatis in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento diſtingui ſecundum rem eſſe & eſſentiam, eſſeque ibi compoſitionem ex quo eſt, & quod eſt, ſicut in angelis. Idem profitentur Capreol. in 1. *diſt.* 8. *q* 2. *ad* 6. *argu. contra primam aſſert.* Caietan. 1 *p. quaſt.* 28. *art.* 2 *ad* 2. Scot. 7. *lib. Metaph. q* 1. *dicto* 3. Aquarius *q* 4. *lib. Metaph.* & alij.

In huius poſterioris opinionis tāquam verioris, & rationi magis conſonæ explicationem, ſit hæc vnica concluſio. In accidentibus exiſtentia, & ab accidentibus, & ab illorum eſſentia reipſa diſtinguitur.

1. *argum.* Confirmatur primo: Inhærentia ſecundū actum, & ſecundum aptitudinem, reipſa diſtinguuntur; ſed exiſtentia accidentium eſt inhærentia ſecundum actum, inhærentia vero ſecundum aptitudinem eſt earundem eſſentia; eſſentia igitur & exiſtentia in accidentibus reipſa diſtinguentur. Aſſumptio conſtat ex ſuperioribus. Confirm. propoſitio. Quando aliqua ita ſunt affecta, vt vno pereunte, alterum remaneat reipſa diſtinguuntur, alioquin eadem periret, & non periret, remaneret, & non remaneret, ſimulque eſſet, & non eſſet; at pereunte actuali inhærentia, remanet aptitudinalis, vt videmus in ſacramēto Euchariſtiæ, in quo accidentia non inhærent actu in ſubiecto, ſed ſola poteſtate, vnde & pereunte inhærentia actuali, remanet aptitudinalis, ergo hæ inhærentiæ reipſa diſtinguentur.

2. *argum.* Deinde: Hoc intereſt inter effectum alicuius formæ primum, & ſecundum, quod a primo effectu non differt forma reipſa, bene tamen à ſecundo diſtinguitur reipſa, nam ſi a ſecundo non differret, quemadmodum à primo non poteſt ſeparari, quia non differt ab eo; ita neque a ſecundo poſſet, quod tamen in humanitate Chriſti domini cernimus eſſe falſum, quæ ſeparatur ab effectu eius ſecundo, qui eſt eſſe exiſtentiæ: at inhærentia actualis eſt effectus ſecundus formæ accidentariæ, quia primus eſt eſſe eſſentiæ, vel eſſe inhærentiæ actualis reipſa differt a formis accidentariis, & ex conſequenti in accidentibus eſſentia, & exiſtentia reipſa diſtinguentur.

3. *Argum.* Præterea: In omnibus creaturis exiſtentia reipſa differt ab eſſentia, & ab ipſiſmet creaturis, vt eum diuus Thom & alii Philoſophi late docuimus 2. *lib. tranſc nd cap.* 8. ergo & in accidentibus exiſtentia illorum reipſa differet, & ab eſſentia eorūdem, & ab ipſiſmet accidentib. Et certe quamuis ſint naturæ quædam ſimplices non propterea non diſtinguetur exiſtentia ab illis, nam ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt etiam naturæ ſimplices, a quibus tamē exiſtentia reipſa ſeparatur.

Iam ad argumenta in initio propoſita. Ad primum reſpond. negando aſſumptionem, quia exiſtentia accidentium non eſt tranſcēdens, cum neque ſit de eſſentia accidentium, neque includatur in vltimo eorum conceptu, quæ duo debent neceſſario omni tranſcendenti conuenire. Vnde quemadmodum in ente illud, quod denotat exiſtentiam non eſt tranſcendens, ſed illud quod exprimit eſſentiam, ita quoque in accidente illud, quod denotabit exiſtentiam non erit tranſcendens ſed illud quod ſignificabit eſſentiam. Ad confirmationem vero reſpond proprietates, quæ non deſtinantur ad agendum, ſed ad eſſendū non diſtingui reipſa a ſuis ſubiectis, ſi non attineant ad exiſtentiam ipſius ſubiecti, vt eſt appetitus in materia prima, & Vnum, ac Verum in ente, quæ proprietates eædem ſunt cum ſuis ſubiectis, quia non ſpectant ad eorum exiſtentiam. At ſi attinuerint ad ſui ſubiecti exiſtentiam, reipſa diſtinguentur ab eo, vnde exiſtentia differet ab eſſentia, quamuis ſit illius proprietas non deſtinata ad agendum. 1. *argum.*

Ad 2. Ad 2. reſp exiſtentiam accidentium neque eſſe ſubſtantiam neque accidens per ſe, ſed eſſe actum, & terminum accidentium, & ita nō inhærebit accidenti media inhærentia, ſed erit id, ratione cuius omnia accidentia ſubiecto inhæreant, quamuis ipſa non inhæreat; quemadmodum albedo eſt id ratione cuius aliquid vt nix v. g. eſt alba, cum tamen ipſa nō ſit alba. Etenim quod eſt inhærere ſubiecto tantum competit ipſi accidenti, quod per ſe eſt accidens non autem eius modo, aut vltimo actui qualis eſt exiſtentia.

QVÆST. IV.

An accidentia habeant propriam, & peculiarem exiſtentiam.

ACcidentia non habere propriam & peculiarem exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſed exiſtere illa per eandē exiſtentiam per quam & ipſa ſubſtantia exiſtit, argumenta iſta non admodum leuia confirmare videntur.

1. *argum.* Primum; Illa quę generantur eadem gene-

dem exiſtentiam. Vnde cum ſubiectum & accidentia generentur, ſimul tempore, non tamen ſimul natura non erit vna, & eadem exiſtentia ſubſtantiæ, & accidentis. Reſp. deinde terminum generationis (v.g Petri) eſſe duplicem primum vnum, alterum vero ſecundum, primus eſt ipſemet Petrus, ſecundus vero ſunt illius quantitas, candor, & alia indiuiduantia accidentia, vnde & duplex etiam eſt exiſtentia vna ſubſtantiæ, alia autem accidentis, candoris ſcilicet, vel magnitudinis. Vnde hoc argumentum non colligit accidentia non habere exiſtentiam propriam, ſed non habere illam primo loco vt ſubſtantia, ſed ſecundo dumtaxat.

Ad 2. Ad 2. dicimus, exiſtentiam accidentium eſſe actualem inhærentiam; ſi loquamur de exiſtentia illorum naturali, quod ſi in ſacramento altaris accidentia aliter exiſtant, hoc non eſt naturaliter, ſed miraculoſe, & ſupernaturaliter, vnde ibi veriſſimum eſt ipſorum exiſtentiam non eſſe ſitam vllo modo in vnione actuali, ſed tãtum in virtute diuina, quæ num ſit manutenentia diuina, vt M. Sotus & alii volunt, vel modus ſubſtantiæ collatus accidentibus vt opinatur Caiet. Theologis diſcutienda prætermittimus 3. *p. q.* 77.

Ad 3. Ad 3. negamus cõſequentiam ex hoc enim loco tantum colligitur ſubſtantiam eſſe cauſam exiſtentiæ, & entitatis accidentium, vel efficientem, vel formalem, vel materialem, non autem exiſtere accidentia per exiſtentiam ſubſtantiæ.

Ad 4. Ad 4. admittimus libentiſſime in eodem ſubiecto dari multas exiſtentias, accidentarias, tot ſcil. quot ſunt in eo accidentia, non autem ſubſtantiales, nam hæc quemadmodum & forma ſubſtantialis vnica dumtaxat eſt in vnico ſubiecto, vt ingenue profitetur D. Tho. 3. *part. q.* 17 *art.* 2.

QVÆST. IV.

An omnia accidentia vendicent ſibi determinatum ſubiectum.

1. Argum. PArs negan. his rationib. & argumentis niti videtur. 1. eſt: Si omnia accidentia vendicarent ſibi certum ſubiectum a cuius natura fluerent, ſequeretur omnia accidentia eſſe propria, illa namque dicuntur accidentia propria, quæ fluũt a natura determinata ſubiecti; hoc autem dicere eſt abſurdum, cum dentur pleraque accidentia communia, ergo non vendicabunt ſibi omnia quotquot ſunt accidentia ſubiectum certum à cuius natura fluant.

2. Fides, ſpes, & charitas ſunt accidentia contenta in categoria qualitatis: hæc autem non fluunt a natura alicuius ſubiecti, ſunt enim accidentia ſupernaturalia, quæ a Deo tãtum queunt prouenire, ergo non omnia accidentia vendicãt ſibi certum aliquod ſubiectum a cuius natura fluant. 2. Argum.

3. argum 3. Accidentia illa, quæ ſubiectum aliquod certum ſibi vendicant taliter ſunt ad illud affecta, vt illis peremptis, etiam & ſubiectum pereat: ſed peremptis quamplurimis accidentibus, comprobatur experimento remanere ſæpe ſæpius integrum, atque illæſum ſubiectum, non ergo omnia accidentia vendicant ſibi certum ſubiectum à cuius natura fluant.

Quæſtionem iſtam luculenter ſatis ac erudite pertractant Caiet. c. 7 *lib. de ent. & eſſen.* Ferrar. 3. *cont. gen. c.* 7. quam eandẽ, & vt nos explicemus duo ex D. Tho. animaduertemus, 1. eſt ex *q.* 1. *de virtutib. in commu. art* 3. triplicem eſſe habitudinem ſubſtantiæ in ordine ad accidentia, prima eſt potentiæ ad actũ, ſubſtantia enim poteſt recipere accidentia, quare eſt in potentia ad illa, velut ad actum aliquem, ſecunda eſt principij ad illud quod habet ortum ex principijs, eo quod accidentia omnia deriuantur velut a proprio principio a ſubſtantia, ſicut riſibilitas ab homine, & calor ab igne; tertia eſt ſubſtantiæ ſeu ſuſtinentis, ad rem quæ ſuſtentatur, omnia ſiquidem accidentia à ſubſtantia, & in ſubſtantia ſuſtentantur, non ſecus quam parietes a tectis domus ſuſtentari. 1. Obſeru.

Secundo annotat ex eodem D. Thom in 2. *ſentent. diſtinct.* 26. *queſt.* 1 *art* 2 *ad* 2. quædam accidentia fluere a ſubſtantia ſecũdum actum perfectum, ſicut calor fluit ab igne, alia vero ſolum fluere ab eiſdem ſecũdum poteſtatem, ſicuti eſſe lucidum, fluit ſecundum ſolam poteſtatem ab aere: nam qui eſt illud diaphanus & tranſparens, habet inſitam facultatem, vt poſſit lumen recipere; etenim actu non ab illo, ſed à Sole fluere manifeſtum eſt ſatis: tandemq; alia eſſe, quæ ſunt in ſubſtantia ab extrinſeco, & per coactionem, ſicuti eſt calor in aqua, non enim ille ab aquæ natura fluit, ſed in ipſa aqua ab igne paulatim introducitur ac deriuatur. 2. Obſeru.

His animaduerſis queſtionem propoſitam his concluſionibus declaramus Prima eſt: Omnia accidentia vendicant ſibi certum ſubiectum, in quo ſuſtententur, vel cui inhæreant. Confirmatur. Omnia accidẽtia, vel ſunt corporea, vt albedo, & dulcedo, vel ſpiritalia, 1. concluſio.

modo poſſit conuenire. Reſpond. deinde, omnia accidentia eſſe propria, & eſſe communia reſpectu diuerſorum ſubiectorum, vt albedo eſt accidens commune, ſi referatur ad hominem, vel equum, eſt tamē accidens proprium, ſi referatur ad corpus mixtum, eſt itaq; optima huiuſmodi diuiſio accidentis, ſi intelligatur illa reſpectu diuerſorum.

Ad 2. Ad 2. reſpon. primo, accidentia hæc, quamuis non ſecundum actum, ſecundum poteſtatem tamē fluere à natura ſubiecti, nam quemadmodum egregie docet D. Aug. *cap. 5. in lib. de ſanctorum prædeſtinatione*, quamuis habere fidem, ſicuti & habere charitatem, ſit gratiæ fidelium, poſſe tamen habere fidem & poſſe habere charitatem naturæ eſt hominum. Reſp. deinde accidentia iſta eſſe ſupernaturalia, nobis autem de naturalibus ſolum accidentibus ſermo eſt in præſenti quæſtione.

Ad 3. Ad 3. dicimus, accidentia duobus modis poſſe perire, aut ſecundum actum, aut ſecundum aptitudinem, vnde quamuis peremptis quibuſdam accidentibus ſecundum actum, non pereat ſubiectum, peremptis tamen eiſdem ſecundum aptitudinem, etiam & ſubiectum perit, nam licet perempto calore ſecundum actum non pereat, verbi gratia, Petrus, eum poſſit interim affici frigore, ſi tamen pereat calor ſecundum aptitudinem à Petro, vel homine, neceſſe eſt illico Petrum, ſeu hominem perire. Vnde peremptis quibuſdam accidentibus ſecundum actum, perit aliquando ſubiectum, & peremptis ſecundum aptitudinem, debet etiam neceſſario perire & illud.

QVÆSTIO V.

An accidens prædicetur ſynonymôs de 9. categor. accidentium.

IN poſtrema quæſtione quærendum ſupereſt, qua ratione accidens ſit affectum ad nouem, quæ illi ſubiiciuntur, categorias. Et quidem accidens quidpiam ſynonymum eſſe, reſpectu nouem categoriarum accidentium, his rationibus conantur nonnulli demonſtrare:

1. Arg. Primo: Illa ſunt ſynonyma, quorum nomen commune eſt, & ratio nomini accommodata etiā eſt eadē: at nomen illud accidens eſt cōmune ad 9. categ. ratio etiam illo ſignificata vna eſt, & eadem in omnibus illis, eſt enim illa poſſe inhærere ſubiecto, quæ dicitur de omnibus accidentibus: ergo accidens erit ſynonymum ad nouem categorias.

2. Arg. Deinde, Quando aliquod ſuperius ita prædicatur de ſuis inferioribus, vt non prædicetur priùs de vno, quam de altero, eſt ſynonymum, ſed accidens non prædicatur prius de quantitate, & deinde de aliis accidentibus per attributionem ad illam, vt docuimus: ergo accidens erit natura ſynonyma.

3. Arg. Iterum: Subſtantia eſt incluſa in conceptu vltimo differentiarum vltimarum ſuæ categoriæ: ſed hoc non impedit, quominus ſit genus ſupremum: quamuis ergo accidens ſit incluſum in conceptu vltimarum differentiarum accidentium, erit nihilominus illud genus, & ſynonymum. Quod ſi reſpondeat aliquis, ſubſtantiam, quæ eſt incluſa in vltimis differentiis, non eſſe illam, quæ eſt genus ſupremum, & natura ſynonyma, ſed illam, quæ eſt diuiſa contra accidens. Vlterius progredior, percontorque, quare cum accidens ſumi etiam poſſit duobus modis, ſicuti & ſubſtantia, primo, vt eſt diuiſum contra ſubſtantiam, & ſecundo, vt denotat naturam integram & abſolutam, ſicut ſubſtantia, vt denotat naturam integram, eſt genus ſupremum, accidens etiam vt ſignificat naturā integram, non erit genus ſupremum etiam conſtituendum.

4. Arg. Ad hæc: Accidentia inhærent ſubiecto media quantitate, vt candor inhæret manui media extremitate: ergo reliqua accidentia erunt accidentia per attributionem ad quantitatem, cuius contrarium videtur eſſe verum, iam ergo, &c.

1. Opin. In hac quæſtione M. Sotus *q. 2. cap. 4. Antecategor. in ſolut. 1. arg.* in eam abiit ſententiam, vt exiſtimarit, accidens eſſe ſynonymum ad 9. categorias accidentium, eo quod (inquit) eodem nomine, & eadem ratione de omnibus illis prædicetur. Hanc opinionem antea docuerat Herueus *quodlib. 2. quæſt. 7. ad 8.* & inter recentiores Zumel *1. p. q. 13. art. 5.* & multi ex neotericis Philoſophis.

2. Opin. Alii diſtinguunt accidens in illud, quod ſignificat naturam integram, & completam contentam in recta ſerie categor. & in illud, quod ſignificat, quidquid non eſt ſubſtantia, quę ſignificatio eſt late patens, continet enim ſub ſe non ſolùm naturam integram accidentis, verum etiam differentias, & modos illius, huiuſmodi quippe differentiæ, partes, & modi, cum non ſint ſubſtantiæ, erunt accidentia. Hac præmiſſa diſtinctione conſtituunt accidens, quod ſignificat naturam integram, non ſolùm eſſe ſynonymum ad nouem categorias, verum etiam eſſe verum genus ad illas: idem vero accidens, prout eſt diuiſum contra ſubſtantiam, non eſſe ſynonymum, ſed eſſe analogum, nō ſecus de accidente, quam de ſubſtan-

tia philoſophantrs, prout illa ſignificat vel naturam integram & completam, vel quidquid diuiditur contra accidens, in hac opinione exſtitunt nonnulli huius ætatis Philoſophi.

Veriorem tamen opinionem amplectuntur alii abſolute docentes, accidens non eſſe ſynonymum, ſed analogum ad has categorias. Hanc ſequuntur Caietanus *capite 7. libelli de ente & eſſentia, in ſolutione 3. argument. in ea q. in qua quærit, an inhærentia ſit de eſſentia accidentis.* Ferrar. 1. *contr. gent. cap. 32.* Soncin. 4. *Metaphyſic. quæſt. 4. ad 2.* Viguerius *cap 2. Inſtitutionum, §. 2. Verſ 2.* Petrus Fonſeca 4. *Metaphyſic. cap 2. quæſt. 2. in ſolut. vltim.* aliique multi cum eis.

Nos autem, vt quæſtionem propoſitam ex-
concluſ. plicemus, has ſubiicimus concluſiones: Prima eſt; Accidens vt eſt diuiſum contra ſubſtantiam non eſt aliquid ſynonymum ad nouem categorias accidentium. Confirmatur
1. Arg. his argg. Primum: Illa prædicantur ſynonyme, quæ prædicantur eodem nomine, & eadem ratione: ſed accidens non prædicatur eadem ratione de nouem categoriis: ergo non prædicabitur ſynonyme. Confirmatur aſſumptio: Quantitas ea ratione, qua eſt accidens, aliquid includit, quod non includit qualitas, & qualitas aliquid, quod non quantitas, nam differentia vel modus internus, per quem ſeparatur quantitas à qualitate, cum nõ ſit ſubſtantia, erit accidens, qui tamen ita competit quantitati, vt nullo modo poſſit conuenire qualitati, ergo accidens non prædicatur ea
2. Arg. dem ratione de categoriis accidentium. Secundum: Omnis vox ſimplex quæ nata eſt dici de multis ſynonyme, vel eſt genus, vel differentia, vel ſpecies, aut alia ex quinque prædicabilibus, ſicut docuimus *ſectione vltima de rebus vniuerſis, quæſt. 1.* & D. Thom. docet 1. *cont. gent. c. 32. rat. 3.* ſed accidens eſt vox communis & ſimplex, quæ nata eſt dici ſynonyme de multis, iuxta Sotum: ergo vel erit genus, vel ſpecies, vel alia ex quinque vocibus vniuerſis: at neque poteſt eſſe accidens commune, neque proprium: hæ namque duæ voces prædicantur accidentario, accidens vero prædicatur in quid, & ſecundum eſſentiam de nouem categoriis: neque poteſt etiam differentia eſſe, quia non prædicatur de illis in quale: neque poteſt eſſe ſpecies, cum prædicetur de multis ſpecie differentibus, de nouem nimirum categoriis: ergo erit genus. Sed hoc eſt falſum, vt oſtendemus in ſequenti concluſione, & eſt aduerſus Sotum in eodem loco aſſerentem, accidens non eſſe genus, quamuis ſit ſynonymum: ergo accidens non erit quippiam ſynonymum ad nouem categorias.

2 concluſ. Idem accidens non eſt genus ad nouem categorias. Confirmatur inprimis, 2. concluſ.
quia omne genus eſt natura ſynonyma: at accidens non eſt natura ſynonyma, vt fuit pro 1. Arg.
batum: ergo, &c. Deinde ex eo ens non eſt ge- 2. Arg.
nus quia eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum, auctore Ariſt. 3. *Metaphyſ. c. 3.* atqui accidens etiam eſt incluſum in conceptu vltimarum differentiarum, quia differentiæ accidentium ſunt vera accidentia: ergo accidens non erit genus ad nouem categorias. Cæterum, quia aduerſarii poſſunt reſpondere, duo hæc argumenta tantum conuincere accidens, quod eſt diuiſum contra ſubſtantiam, non eſſe genus, quia hoc eſt incluſum in vltimis differentiis: nihil autem probare de accidente, quod ſignificat naturam integram, hoc namque non eſt incluſum in ipſis differentiis, hanc tertiam adhibemus concluſionem.

Accidens, quod ſignificat naturam inte- 3. concluſ.
gram & completam, neque eſt natura ſynonyma, neque generica. Non eſſe ſynonymam,
confirmatur 1. Quia quælibet natura ſynony- 1. Arg.
ma vendicat ſibi certam aliquam categoriam, in qua contineatur, neque aſſignari poterit natura aliqua ſynonyma, quæ non contineatur in certa aliqua & determinata categoria, ſed accidens huiuſmodi (integrum & completum) in nulla certa categoria accidentium continetur: ſeſe enim per omnes illas diffundit, & diuagatur, igitur non erit natura ſyno
nyma. 2. Quia natura ſynonyma eſt præciſa 2. Arg.
à conceptu ſuorum inferiorum: denotat enim certum, & definitum gradum non includentem ſua inferiora, vt natura animalis eſt præciſa à conceptu hominis & bruti, denotatque certum gradum, nimirum naturam ſentientem, quæ neque hominem, neque brutum includit: ſed natura huius accidentis non eſt præciſa à quantitate, qualitate, & aliis (loquimur de conceptu illius perfecto) etenim accidens ſignificat quantitatem, qualitatem, & reliquas categorias. vt ſunt inter ſe ſimiles in entitate accidentaria, ergo non erit natura ſynonyma.

Præterea, non eſſe genericam, confirmatur primo ex his, quæ nuper diximus: Quia natura accidentis non eſt ſynonyma, atqui quælibet natura generica debet eſſe ſynonyma. Secundo: Genera ſuprema (vt ſunt omnes categoriæ) ſunt primo diuerſa iuxta Ariſt. & omnes philoſophos 8 *Met. c. 6.* ſed quæ ſunt primo

diuerſa,

diuerſa, non poſſunt conuenire in aliqua natura generica communi, nam ſi conuenirent, differrent etiam in eadem natura per aliquas differentias: ergo accidens non poterit eſſe genus ad nouem categorias.

4. concluſ. 4. concluſ. Accidens eſt analogum proportionalitatis ad eaſdem nouem categor. Confirmatur. Quemadmodum quantitas ſeſe habet ad eſſe in alio quo tanquam in ſubiecto (quod eſt eſſe accidens) ita etiam ſeſe habet qualitas ad eſſe in alio quo tanquam in ſubiecto: ſed hoc modo ſe habent analoga proportionalitatis, vt ſcilicet, quemadmodum hoc ſe habet ad illud, ita etiam & hoc ad illud ſeſe habeat: vt quemadmodum ſe habet pes animalis ad animal, ita etiam pes ſcamni ad ſcamnum: ergo accidens erit analogum proportionalitatis.

5. concluſ. 5. concluſ. Accidens non ſolum eſt analogum proportionalitatis, verum etiam attributionis ad nouem accidentium categorias, quicquid nonnulli aſſerant, contrarium opinantes. Vnde quemadmodum ens eſt analogum attributionis, & proportionalitatis ſimul ad ſubſtantiam & ad accidentia, ita etiam accidens vtroque ſimul genere analogiæ erit analogum ad nouem categorias.

Obſeru. circa concluſ. Cæterum annotandum eſt, duplicem eſſe analogiam ſecundum attributionem, auctore D. Tho. 1 *p. q. 13. art. 5.* vnam vnius per attributionem ad aliud, cuiuſmodi eſt analogia ſani, prout dicitur de vrina ſana, & de animali ſano, eſt enim vrina ſana propter attributionem ad ſanitatem animalis: alia vero ſunt analoga nõ quia vnum alteri tribuatur, ſed quia alia duo, vel plura referuntur ad vnum tertium, cuiuſmodi eſt analogia ſanitatis ea ratione, qua dicitur de vrina, & medicina, non enim medicina eſt ſana, quia refertur ad vrinam, neque vrina, quia refertur ad medicinã: ſed ex eo vocantur hæc vtraque ſana, quia referuntur ad vnum tertium, ſanitatem ſcilicet animalis.

Qua ratione ſit accidens analogum. Cum ergo ſit hæc duplex analogia, accidẽs eſt analogum analogia illa, qua aliqua referuntur ad vnum tertium, nam quantitas, qualitas, & alia accidentia propriam rationem accidentis, & peculiarem, quæ eſt eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto, conſequuntur per habitudinem ad ſubſtantiam: non tamen ſunt analoga attrib. per habitudinem vnius ad alterum, ita vt quantitas ſit primum, & per ſe accidens, qualitas vero, & reliqua accidentia ſint accidentia per attributionem ad quantitatem, velut quibuſdam videtur, vt Viguerio, quorum huiuſmodi ſententiam falſam eſſe ex iis poterimus colligere: Primo, quia ſunt multa accidentia, quæ inhærent ſubiecto, & non media quantitate, cuius generis ſunt omnia accidentia ſpiritualia. Deinde quia in analogis attributionis vnius ad alterum minus præcipuum analogum per magis præcipuum analogum debet definiri, vt ſanitas vrinæ definienda eſt per ſanitatem animalis: at alia accidentia non definiuntur per quantitatem, nam albedo definitur color diſgregans viſum, in qua definitione mentio fit quantitatis. Præterea, quia eſſentia accidentis eſt inhærentia aptitudinalis, at huiuſmod. inhærentia non competit aliis accidentibus propter quantitatem, nam ſi Deus ſepararet qualitatem à quantitate, vt albedinem, verbi gratia, adhuc illa in ſui ratione includeret inhærentiam aptitudinalem ad ſubiectum, quæ tamen eſſet à quantitate ſeparata: quare ex iis aperte conſtabit, accidens non eſſe analogum attributionis, eo quod primo prædicetur de quantitate, & deinde de aliis accidentibus, media ante illa, & per attributionem ad eam: ſed eſſe analogum aliquorũ plurium ad vnum tertium, quia ſc. omnia accidentia, vt accidentia ſunt, referuntur ad ſubſtantiam, à qua obtinent ſuam naturam, quemadmodum ens eſt analogum attributionis ad Deum & ad creaturas, quia creaturæ referuntur ad vnum, ſcilicet ad Deum, à quo tanquam à cauſa obtinent ſuam naturam & entitatem. *Confut. quorundã opin.*

Ad 1. arg. Occurramus tandem argumentis propoſitis. Ad primum negamus aſſumptionem, ſi loquamur de ratione adæquata, & totali, inhærere enim in communi tantum, non eſt ratio adæquata accidentis, ſed inadæquata, & imperfecta, non enim exhaurit totam naturam accidentium ſingularium: ſed in quantitate inhærere ſubiecto, vt menſura illius, eſt adæquata ratio ipſius: & in qualitate inhærere ſubiecto, vt affectio illius eſt tota & perfecta ratio accidentis. Vnde cum inhærere ſubiecto ſicut illius menſura ita competat quantitati, vt qualitati nullo modo conuenire queat, neganda erit proinde aſſumptio, accidens nimirum eadem ratione effetti de nouem categoriis.

Ad 2. Ad 2. reſpond. negando propoſitionem, quia pes analogice dicitur de pede animalis, & de pede ſcamni, & tamen non dicitur de pede animalis, per attributionem ad pedem ſcamni, vel è conuerſo.

Ad 3. Ad 3. reſpond. ſubſtantiam, quæ eſt incluſa in vltimis differentiis, non eſſe illam, quæ eſt genus ſupremum, & natura ſynonyma,

Digitized by Google

ſed illam, quæ eſt diuiſa contra accidens Et ad petitionem diſparis rationis inter accidens & ſubſtantiam, dicimus rationem eſſe, quia ſubſtantia, vt ſignificat naturam integram, continetur intra limites ſuæ categoriæ, nec eſt communis ad plura genera ſuprema, ſed tantum continet infra ſe genera intermedia, & ſpecies infimas: accidens autem etiam, prout denotat naturam integram, qua ratione in differentiis non eſt incluſum, & ad nouem genera ſuprema accidentium commune, cum vero genera ſuprema ſupra ſe aliud genus nequeant continere, eapropter accidens non erit genus ad nouem categorias accidentium, etiam vt denotat naturam integram, nec in differentiis eſt incluſum, bene tamen ſubſtantia hac ratione ſumpta poterit eſſe genus ſupremum.

Ad 4. Ad quartum reſpond. inprimis negando antecedens, nam accidentia ſpiritalia non ſunt in ſubiecto media ipſa quantitate. Reſpon. deinde negando etiam conſequentiam, quamuis enim accidentia corporea ſint in ſubiecto media quantitate, non tamen ſunt media illa velut cauſa, & ratione eſſendi, quia hoc, quod eſt, accidentia eſſe in ſubiecto prouenit ex eo, quia ſubſtantia eſt ens primo & per ſe, ſed inhærent media quantitate, velut conditione ſine qua non, quia accidentia corporea nō eſſent in ſubſtantia, niſi ipſa eſſet affecta quantitate, at vero quod eſt conditio ſine qua non, non eſt id per attributionem, ad quod cætera dicantur eſſe talia.

Diſputant etiam nonnulli, num accidentia definiantur per additum, nec ne? verum quia hæc quæſtio in duobus locis fuit à nobis explicata, nimirum *ſection 1. quæſt. 4. in cap. vltim. antecategoriarum, & quæſt. 1. ſect. 1. in c. de ſubſtantia.* illam hoc loco prætermittimus. Hæc igitur de antecategoriis accidentium, in quibus de accidentibus in communi diſſeruimus, ſequitur, vt de ſingulis categoriis ſigillatim, & ſeorſum diſputemus.

CAPVT II.

De Quantitate.

ARGVMENTVM CAPITIS.

POſt categoriam Subſtantiæ ſequitur illic categoria Quantitatis, quam duabus partibus abſoluit Ariſtoteles, in 1. proponit tres diuiſiones illius, & in 2. tres eiuſdem tradit proprietates.

A *QVantorum autem aliud deiunctum eſt, aliud continuatum, & partim ex partibus conſtant, quæ ſitum quendam inter ſe habent, partim ex iis, quæ non habent. Eſt autem deiunctum, vt numerus, vt oratio. Continuum, vt linea, extremitas, corpus, & præterea locus, & tempus.* B. *Nam numeri partium terminus communis nullus eſt, quo eius partes coniungantur. Velut ſi quinque ſint partes decem, nullo communi termine quinque & quinque coniuncta ſunt, ſed ſeparata, neq; tribus & ſeptem vllus communis terminus attōmodatur. Nec poſſis omnino in numero communem vllum partium terminum reperire, ſed ſemper ſecreta ſunt ac ſeparata. Ita numerus ex iis eſt, quæ ſecreta ſunt.* C. *Similis eſt ratio orationis. Nam quandam eſſe orationem ex hoc perſpici poteſt, quod ſyllaba breui longaq; ponderatur. Id quod de vocis oratione intellectū volo. Partes enim eius nullo communi termino coaptātur, quoniam terminus communis nullus eſt, quo ſyllabæ cohæreant, verum per ſe quæque ſecreta eſt.* D. *Linea autem continuata eſt. Licet enim cōmunem ſumere terminum, punctum videlicet, quo eius partes coniunguntur; & extremitatis lineam. Nam extremitatis partes ad certum communem terminum omnes pertinent. Item in corpore potes reperire communem terminum, lineam vel extremitatem, qua coniuncta ſint partes corporis. Atq; etiam locus & tempus ſunt generis eiuſdem. Nam & id tempus, quod adeſt, quodq; præſens eſt, cum præterito & futuro copulatur. Eſt vero & locus ex numero continuorum; locum enim certum corporis partes occupant, quæ aliquo communi termino coaptantur. Loci ergo partes, quæ ſingulas corporis partes cōtinent, eodem termino, quo corporis partes, copulantur. Ita in continuatis eſt locus, quandoquidem ad certum communem terminum eius partes pertinent.* E. *Præterea alia ex partibus conſtant, quæ habent ſitum inter ſe: alia ex iis, quæ non habent, veluti lineæ partes ſitum certum tenent, quoniam vnaquæque alicubi ſita eſt: poteſque vbi quæque ſita ſit, in*

plano explicare, quaque eum parte reliquarum omnium coaptetur. Item quæ plani partes ſitum certum obtinent. Æque enim doceri poteſt, vbi ſingula ſita ſint, & quæ inter ſe ſunt apta. Eadem eſt ratio ſolidi corporis, & loci partium. At vero in numero, quem eius partes inter ſe ſitum habeant, aut vbi ſita ſint, aut quæ inter ſe vincta atque apta, docere nemo poteſt. Ne temporis quidem: pars enim nulla manet temporis. Quod autem non manet, qui ſitum certum habeat? quin potius ordinem certum id obtinere poſſis dicere, quia temporis pars alia prior, alia poſterior eſt. Similiterque in numero, quod vnum prius quam duo, & duo antequam tria numerantur. F. Ita ordinem quendam certum obtinent, ſitum autem eorum nunquam certe poſſis recipere. Eadem eſt ratio orationis. Nulla enim eius pars manet, ſed prolata & miſſa vox iam nuſquam eſt, nec vſpiam capi poteſt. Non igitur ſitus vllus erit eius partium, ſiquidem nulla manet. Alia igitur ex partibus conſtant, quæ ipſa certo quodam ſitu conſtant. Alia ex iis, quæ non conſtant. G. Sed propriè quanta nominantur ea ſola, quæ diximus, impropriè & ex accidente cætera omnia. Hæc enim ſpectantes & intuentes, cætera quanta appellamus: veluti multum album aliquid dicimus, quod extremitas magna ſit: actionem longam, quod multum in ea cõſumitur temporis, ac multus etiam motus. Neque enim quicquam eorum per ſe quantum dicitur: ut ſi quis doceat, quanta ſit actio, eum tempore definiet, annuam eſſe dicens, aut ſic quodam modo. Et qui res quam ſit alba exprimet, extremitatis ratione explicabit. Nam quam longa eſt extremitas, tam album aliquid eſſe confirmauerit. Ita fit, vt ſola ea, quæ enumerata ſunt, propriè quanta dicantur, reliqua omnia non per ſe, ſed ex accidente. H. Iam quantis nihil contrarium eſt. Nam certis ac definitis perſpicuum eſt nihil aduerſari, vt rei trium aut duorum cubitorum, vel extremitati, neque vlli eorum, quæ ſunt generis eiuſdem. Nihil enim eſt, quod ſit eis quaſi ex aduerſo oppoſitum. Niſi forte dicat aliquis, & multa paucis, & magna paruis eſſe contraria. Atqui non ſunt hæc in quantis, ſed in iis, quæ cum aliquo comparantur. Nihil enim per ſe magnum aut paruum dicitur, ſed quod cum alio comparatur. Vt mons paruus, milium magnum: quia hoc maius ſit omnibus iis, quæ ſunt eiuſdem generis: ille quia minor aliis eiuſdem generis. Fit igitur cum altero collatio. Nam ſi per ſe magna aut parua dicerentur, nunquam certe mons paruus, nec milium magnum vocaretur. Præterea in vico multos eſſe, Athenis paucos, cum ſint multo plures, dicimus: & domi multos, in theatro paucos, cum ſit multo maior numerus. Iam res duarum & res trium cubitorum, cæteraque eiuſdem generis, quantum ſit aliquid, ſignificant: magna autem & parua non quantum ſit, ſignificant, ſed potius comparationem. Nam ex altero ſpectatur, quod magnum eſt, & quod paruum. Perſpicuum eſt igitur, ea in iis eſſe, quæ cum aliquo comparantur. I. Præterea ſiue quis hæc ponat in quantis, ſiue non ponat, tamen nihil eis eſt contrarium. Quod enim non poteſt per ſe intelligi, ſed cum aliquo comparatur, qui poteſt ei quicquam eſſe contrarium? Præterea ſi magna paruis contraria ſunt, iis eadẽ ſimul contraria erunt, & idem ſibi ipſi aduerſum. Accidit enim, vt res eadem ſit ſimul magna, & parua. Eſt enim ad hanc parua, eadem magna ad alteram. Eadem igitur res eodem tempore & parua & magna. Ita ſimul contraria accipit. Nihil autem ſimul contraria accipit: vt in ſubſtantia perſpici poteſt, in qua cum eſſe contraria poſſint, tamen nulla ſimul in morbo eſt, & valet, nec alba, & nigra ſimul eſt, nec aliud quicquam eſt, in quo ſimul contraria eſſe poſſint. Atque etiam eadem res ſibi ipſa aduerſa erit. Si enim res magna paruæ contraria eſt, eadem autem ſimul & magna & parua eſt, certe eadem res ſibi erit contraria. At fieri non poteſt, vt aliquid ſibi ſit contrarium. Non igitur ſunt parua magnis contraria, nec multa paucis. Ex quibus efficitur, vt etiam ſi quis hæc non dicat in eis eſſe, quæ cum aliquo comparantur, ſed in quantis, tamen eis nihil ſit contrarium futurum. K. Sed quantorum repugnantia in loco apparet maxime. Summũ enim locum infimo contrarium ponunt, mediam regionem infimum locum appellantes, quod inter medium, & mundi terminos, longiſſimum interiectum ſit interuallum. Atque etiam ex his ducta videtur cæterorum aduerſorum definitio. Aduerſa enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimum diſtant inter ſe. L. Nec vero illud magis aut minus in quantis reperitur. Vt bicubitum, neque enim alterum altero magis eſt bicubitum. Quod eodem modo iudicandum eſt de numero, veluti tria non magis quam quinque numeri nomen obtinent, nec quinque potius quam tria: ne tempus quidem aliud alio magis aut minus temporis appellatur nomine. Quanta igitur nec magis nec minus dicuntur. M. At quantorum maxime proprium eſt, æqualia, & inæqualia nominari: quanta enim, quæ diximus, omnia vel æqualia, vel inæqualia vocantur, vt corpus æquale vel inæquale dicitur: Itemque numerus & tempus æquale & inæquale. Similiterque ſingula, quæ dicta ſunt, vel æqualia, vel inæqualia dicuntur. Cætera vero, quæ non ſunt in quantis, non admodum æqualia vel inæqualia nominantur. Vt diſpoſitio non admodum dicitur æqua vel non æqua, ſed potius ſimilis vel diſſimilis: & res alba non fere æqua vel non æqua: ſed ſimilis vel diſſimilis. Eſt igitur hoc quantorum maxime proprium, vt æqualia & inæqualia dicantur.

COMMENTARIA.

Exorditur Ariſt. à diuiſionibus quantitatis, prætermiſſa definitione, vel quia genera ſuprema, in quorum numero continetur quantitas, non obtinent eſſentialem definitionem, vel quia eum diſputet de categoriis in Dialectica populari quadam & communi ratione, eam prætermittendam cenſuit: vel denique quia iam tradiderat 5. *lib. Metaph. c.* 13. Duas proponit diuiſiones, ita dicens.

pars cap. diuiſio.

A. *Quantorum autem aliud diſiunctum, &c.* Prima diuiſio eſt. Quantorũ aliud eſt diſiunctum, ſiue diſcretum, & aliud coniunctum, ſiue continuum. Vbi animaduertendum eſt, Ariſtotel. vſum fuiſſe in hac diuiſione nomine paronymo pro ipſa forma, eo quod paronymum ſit nobis notius ipſa forma, iuxta quod hunc reddet ſenſum: quantitas alia eſt coniuncta, alia diſiuncta. Quantitatis coniunctæ duæ, inquit, ſunt ſpecies, numerus videlicet, & oratio: coniunctæ vero quinque, linea, extremitas, corpus, locus, & tempus. Secunda diuiſio eſt. Quantitas alia eſt, cuius partes fixæ ſunt ac permanentes, vt corpus, & extremitas, alia vero eſt, cuius partes non ſunt permanentes, ſed ſtatim labuntur, ſicut tempus, nam pars præterita illius iam non eſt, ſed euanuit, futura nondum eſt, præſens vero ſtatim elabetur. Obſeruat autem hunc ordinem Ariſtoteles in his ſpeciebus explicandis, vt prius diſputet de quãtitate diſiuncta, quam de coniuncta, eo quod ſit illa prior natura quantitate coniuncta, nam principium quantitatis deiunctę eſt vnitas, cõiunctę vero punctum, at vnitas prior natura eſt, & ſimplicior puncto.

B. *Nam numeri partium, &c.* Explicans autem ſpecies quantitatis diſiunctæ nullam tradit definitionem earum, nos vero quantitatem diſiunctam ita definimus. Quantitas diſiuncta eſt, cuius partes non copulantur termino aliquo communi. Vocamus autem terminum communem rem indiuiduam, quæ eſt principium vnius, & alterius finis. Explicat ergo primam ſpeciem quantitatis diſiunctæ, quæ eſt numerus, attamen non confirmat numerum eſſe quantitatem, quia hoc eſt apertum & manifeſtum, neque enim videtur poſſe collocari numerus in alia categoria, quam in categoria quantitatis. Cæterum ad hunc modum poſſumus confirmare, numerum eſſe quantitatem. Quantitas eſt illud, quo mediante metimur ſubſtantiam, ſed medi ante numero metimur ſubſtantiam, nam ſi cupimus ſcire quot homines ſint in hoc gymnaſio, mediante numero denario, aut alio huiuſmodi, illos metimur, dicimus enim eſſe decem homines, vel viginti: ergo numerus erit quantitas. Eſſe vero ipſum numerum quantitatem diſiunctam, hoc argumento demonſtrat Ariſt. Quantitas diſiuncta definitur, cuius partes non copulantur termino aliquo communi: ſed partes numeri non copulantur termino aliquo communi, ergo numerus erit quantitas diſiuncta. Aſſumtio eſt nota, quia ſi denarium diuidamus in duos quinarios, certum eſt illos non connecti inter ſe vinculo aliquo, & termino communi.

C. *Similis eſt ratio orationis, &c.* Secunda ſpecies quantitatis diſiunctæ eſt oratio, quam quidem eſſe quantitatem ſic Ariſtot. oſtendit: Illud, quod menſuratur ſyllaba longa, & breui, eſt quantitas: ſed oratio menſuratur ſyllaba longa, & breui: ergo oratio erit quantitas. Quæ quidem ratio infirma eſſe videtur, tantum enim probat orationem eſſe quantã, non autem quantitatem: ſi tamen illa recte inſpiciatur, etiam probat orationem eſſe quantitatẽ, quia menſura orationis eſt oratio, vnumquodque enim debet metiri per illud, quod eſt eiuſdem generis, vt docet Ariſtoteles 2. *Metaphyſ cap.* 1. vnde ſi oratio menſurat orationem, & omnis menſura eſt quantitas, oratio menſura etiam erit, & ſic quantitas, & nõ tantum quanta. Vnde quemadmodum linea eſt quantitas, & eſt quanta, ita oratio quantitas ſimul, & quanta erit. Confirmat deinde Ariſt. orationem eſſe quantitatem diſiunctam in hunc modum. Quantitas diſiuncta eſt illa, cuius partes non copulantur termino aliquo communi, vt partes huius orationis, Deus, nõ cohærent inter ſe, nec vniuntur termino aliquo communi, cum ſeorſum proferantur: ergo oratio non erit quantitas diſiuncta. Quid autem nomine orationis intelligamus, poſtea in quæſtionibus explicabimus.

Quid ſit oratio.

D. *Linea autem, &c.* Probat lineam, extremitatem, corpus, locum, & tempus eſſe quantitates coniunctas. Illa eſt quantitas coniuncta, cuius partes copulantur termino aliquo communi, ſed partes harum ſpecierum terminantur aliquo termino communi, nam partes lineæ copulantur puncto, partes extremitatis linea, partes corporis extremitate, partes temporis, quę ſunt præteritum & futurũ momento, vel inſtanti, partes loci eiſdem, quibus copulantur partes corporis, nimirum extremitate, nam vel eſt corpus, vel in corpore, ergo erunt hæ ſpecies quantitatis coniunctæ.

E. *Pra-*

2. diuiſ. quantitatis. E. *Praeterea alia ex partibus conſtant, &c.* Explicata diuiſione priori quantitatis, accedit iam Ariſt. ad explicandam ſecundam diuiſionem, quæ eſt quantitatis, in eam, quæ habet ſitum, & poſitionem in partibus, & in eam, quæ caret huiuſmodi ſitu. Quam diuiſionem vt probe intelligamus, animaduertendum eſt, vt aliquid habeat partes ſitu, & poſitione diſtinctas, debere illud eſſe ornatum his tribus proprietatibus. Prima eſt, vt illius partes ſint cohærentes, & connexæ aliquo vinculo: ſecunda eſt, vt illius partes ſint fixæ ac permanentes, & non fluidæ: tertia eſt, vt eius partes ſint alicubi, id eſt, in aliqua parte magnitudinis, ita vt poſſint indicari in priori, media, vel poſteriori, dextera vel ſiniſtra. Colligimus igitur, has quatuor eſſe ſpecies quantitatis, habentis ſitum in partibus ſcilicet lineam, extremitatem, corpus, & locum, quia hæ quatuor ſunt, quę habent partes cohærentes, permanentes, & quæ habent ſitum in magnitudine, vt quiſque facillimo negotio poterit intueri. Colligimus præterea, numerum, tempus, & orationem eſſe ſpecies quantitatis non habentis ſitum in partibus, numerum ob defectũ primę proprietatis, quia non habet partes cohærẽtes: tempus ob defectum ſecundæ, quia non habet partes permanentes: orationem vero ob defectum omnium illarum, quia non habet partes cohærentes, neque permanentes, neque eas, quæ alicubi ſint.

F. *Ita ordinem quendam, &c.* At vero Ariſtot. inquit, quamuis partes harum trium ſpecierum non habeant ſitum ac poſitionem, obtinent nihilominus inter ſe ordinem, nam quædam ſunt priores, & aliæ poſteriores, vt in numero binarius eſt prior ternario, & in tempore pars præterita eſt prior præſenti, & præſens eſt prior futura: in hoc enim ſeparatur ab æternitate: & in oratione vna ſyllaba eſt prior alia, quia prius profertur vna, quam profertur altera.

3. diuiſ. quantitatis. G. *Sed propria quanta nominantur, &c.* Tertia diuiſio eſt, quantorum quædam ſunt per ſe quanta, alia vero per accidens quanta: quanta per ſe ſunt ſeptem illæ ſpecies quantitatis propoſitæ, quinque coniunctæ, & duæ disiunctæ, quanta vero per accidens illæ vocantur, quæ ſunt quanta ratione harum ſpecierum, vt albedo quę dicitur multa vel pauca, eſt quanta ratione extremitatis, nã illa eſt multa, quæ eſt in maiori extremitate, illa vero dicitur pauca, quæ eſt in minori extremitate. & actio aliqua, vt lectio, v. gr. dicitur longa, vel breuis ratione temporis, longa, quia fit tempore longiori, breuis vero, quia abſoluitur tempore breuiori.

H. *Iam quantitati nihil contrarium, &c.* In ſecunda parte capitis proponit Ariſtotel. tres 2. pars cap.
proprietates quantitatis, vt iis manuducamur ad intelligendam illius naturam, & eſſentiam. Earum prima eſt, quantitati nihil eſſe contrarium, nam neque lineæ, neque extremitati, vt bicubito, vel tricubito, poteſt aliquid eſſe contrarium. Aduerſus tamen hanc proprietatem obiicit Ariſtoteles duo argumenta: Primum eſt; Magnum repugnat paruo, & multum pauco: ſed hæc omnia ſunt quantitates, ergo quantitati aliquid erit contrarium. Huic argumento duas adhibet Ariſtoteles ſolutiones: Primo negat aſſumptionem, nam hæc non ſunt quantitates, ſed relationes quædam, nulla enim res abſolute, & ad ſe dicitur magna, vel parua, ſed per comparationem, & habitudinem ad alia, dicimus enim montem magnum, & milium paruum, per habitudinem ad diuerſa corpora, nam ſi mons comparetur cum Olympo, dicitur paruus, ſi vero cum alio minori, dicetur magnus. Milium etiam dicitur paruum, ſi comparetur cum aliis granis eiuſdem vel diuerſæ frugis, & Athenis dicimus eſſe paucos homines, ſi conferamus illos cum hominibus alterius vrbis maioris, & in domo dicimus eſſe multos homines, ſi conferamus domum iſtam cum domo alia habente pauciores. Ex quibus exemplis aperte colligimus, magnum & paruum, multum & paucum, non eſſe quanta, ſed relata, cum non dicantur ad ſe, ſed ad alia.

(Margin notes: 1. proprietas. — Obiect. — 1. Solut.)

I. *Praeterea ſi quis, &c.* Reſpondet ſecundo loco eidem argumento Ariſtot. negando propoſitionem, ſcilicet hæc eſſe contraria, quod quidem vt vere negatum eſſe videatur, confirmat tribus argumentis. Primum eſt: Vera contraria non reperiuntur in relatis, ſed in abſolutis, vt inter albedinem, & nigredinem: ſed magnum & paruum ſunt relata, ergo non poterunt illa eſſe vere contraria. Secundum eſt. Contraria nequeunt eidẽ ſubiecto ſimul conuenire, nec eiis ſubſtantiæ, quę ſimul nõ poteſt affici optima valetudine, & ægritudine: atqui videmus magnum & paruum ſimul conuenire eidem ſubiecto: ergo nõ poterunt eſſe contraria. Tertium. Idem non poteſt ſibi ipſi aduerſari; ſed ſi magnum & paruum eſſent contraria, idem ſibi ipſi repugnaret: quia homo reſpectu diuerſorum dicitur magnus, & paruus: ergo magnum & paruum nulla ratione erunt contraria. Colligit itaque Ariſtoteles quamuis fateamur magnum & paruum eſſe quan- 2. Solut.

Digitized by Google

quanta, negandum nihilominus eſſe, illa eſſe contrar a.

2. Obiect. K. *Sed quantorum repugnantia in loco, &c.* Secunda obiectio eſt huiuſmodi: Locus eſt quãtitas, ſed locus ſuperior repugnat inferiori: ergo quantitati aliquid eſt contrarium. Huic

Solut. obiectioni non ſatisfacit Ariſtotel. nos tamen poſſumus reſpondere, locum poſſe ſumi duobus modis, mathematice, vel naturaliter. Sumitur igitur mathematice, vt tantum denotat extremitatem intimam corporis ambientis: ſumitur naturaliter, quando præter hanc extremitatem denotat facultatem quandã conſeruandi corpora, quæ ſunt in loco. Si de loco primo modo loquamur, ſuperior, & inferior locus non contrariantur, quia eadem eſt ratio vtriuſque, ſcilicet continere locatum, & hac ratione locus ſuperior & inferior continentur in hac categ. Si autem loquamur de loco naturaliter, locus ſuperior cõtrariatur haud dubie loco inferiori, alia quippe facultas eſt in loco ſuperiori conſeruandi ſua corpora, & alia in loco inferiori. At locus hac ratione non continetur in hac categor. ſed in categor. qualitatis ſub ſecunda illius ſpecie, quæ eſt naturalis vis & facultas.

Proprietas. L. *Nec vero illud magis aut minus, &c.* Secunda proprietas eſt, proprium eſt quãtitati non recipere magis aut minus, neque enim vnum tempus eſt magis tempus, quam aliud, aut vnus numerus eſt magis numerus, quam alius, quamuis enim vna linea ſit altera longior, vel maior, non dicitur eſſe magis linea: ſic enim linea minor eſt lõgitudo ſine latitudine, quẽadmodum linea maior. Hanc proprietatem conuenire quantitati non cõfirmat Ariſt. nos tamen illud ita poſſumus ſuadere. Illa tantum recipiunt magis & minus, quæ permiſcentur cum ſuo contrario, iuxta Ariſt. *5. Phyſ. c. 2.* ſed quantitati nihil eſt contrarium: ergo quantitas non recipit magis & minus. Verum quia hæ duæ proprietates ſunt communes quantitati cum ſubſtantia, cui etiam illæ conueniũt, aſſignanda erit quædam alia proprietas.

Proprietas. M. *At quantorũ maxime proprium, &c.* Tertia proprietas eſt. Maxime proprium eſt quantitati, vt ab ea res dicantur æquales, vel inæquales, nã duo homines ſunt æquales inter ſe, quia habent æqualia corpora. & duæ lectiones ſunt æquales, quia abſoluuntur æqualibus temporibus, ſi tamen vna earum abſoluatur breuiori tempore vocabuntur inæquales. Cum ergo corpus, & tempus ſint quantitates, & ſic de aliis, maxime proprium erit quantitati, vt ab ea res dicantur æquales vel inæquales.

SCHOLIA IN CAPVT DE QVANTITATE.

A 1. Cum ſit præceptum ab Ariſt. in Topicis, voces ambiguas eſſe prius diſtinguẽdas, quam definiendas de nominis multiplici ſignificatione perturbari poſſimus; ſitq; quãtitatis nomen ambiguum, erunt prius illius ſignificationes proponẽdæ. Illas tradit D. Th. *1 p. q. 42 art. 1. ad 1.* duas illas proponens. Quarum prima eſt, in qua ſignificat perfectionem virtutemq; cuiuſq; naturæ, quæ quidem ſignificatio late patens eſt, ſeſe enim diffundit per omnes categorias, nam in omnibus illis reperitur natura perfecta, & omnibus ſuis numeris abſoluta, quæ etiam Deo Opt. Max. tribuitur, eſt enim ille natura perfectiſſima, & in Pſalmis dicitur Magnus Dominus, non corpore, ſed perfectione & virtute naturæ. De hac etiam quantitate intelligendus eſt D. Auguſtin. *6. lib. de Trin c. 8.* ita dicens, in his, quæ non mole, ſed virtute magna ſunt idem, eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe, ac ſi apertius ita diceret, obtinere magnitudinem in his naturis idem eſt, quod habere naturam meliorem, multoque perfectiorem. 2. Significatio quantitatis eſt, in qua denotat quantitatem molis & magnitudinis, id eſt, vel longitudinẽ, vel latitudinem, vel profunditatem. Quæ quidem ſignificatio tantũ poteſt adaptari rebus corporeis, non tamen ſpiritualibus, quia ſpirituales neque longæ ſunt, neque latæ, neq; profundæ. Cum ergo dentur hæ duæ ſignificationes quantitatis, prætermiſſa priori, cum illa non contineatur in certa categoria, agendum erit de quantitate in ſecunda ſignificatione, vt ſcilicet, ſignificat quantitatem molis, & magnitudinis.

1. Obſeru. | 1. Significati quantit. | 2. eius ſignif.

In hac autem ſignificatione tribus definitur definitionibus. Prima, quę tradita eſt ab Ariſt. *5. lib. Metaph. cap. 13.* eſt huiuſmodi: *Quantum eſt illud quod diuidi poteſt in ea, quæ inſunt, quorũ vnumquodque natum natum eſt eſſe hoc aliquid.* Huius definitionis prima particula. *Quæ diuidi poteſt in ea, quæ inſunt*, reddit hunc ſenſum, quæ diuidi poteſt in partes, quæ actu ſunt in toto, vt linea diuiditur in partes lineæ, quæ actu ſunt in illa. Per quam partem diuiſio quantitatis diſtinguitur (vt annotat D. Thomas) à diuiſione totius mixti in elemẽta, quia elementa non ſunt actu in mixto, ſed poteſtate: vel vt annotat Alexander, ſeparatur à diuiſione generis in differentias, quæ ſola poteſtate cõtinentur in genere. Secunda particula, quorum vtrumque ſi fuerint multæ partes,

1. Quantit. definit.

Digitized by Google

vel vnumquodque ſi fuerit vna ſola natum eſt hoc aliquid eſſe, id eſt, habere eandem naturam totius ſi a toto ipſo ſeparentur, vt partes lineæ ſeparatæ à linea ſunt lineæ, & partes extremitatis ſunt quoque extremitates, & partes corporis corpora, per quam partem ſeparatur à diuiſione ſubiecti in accidēt a, in qua membra diuident a non obtinent naturam rei diuiſæ. Adnotandum eſt tamen hanc diffinitionem non conuenire omni quantitati, ſed ſoli quantitati permanenti, non enim conuenit tempori, neque motui, nam partes harum quantitatum non permanent ſeparatæ à toto, ſed ſtatim euaneſcunt; neque etiam conuenit numero, quia binarius v.g. non poteſt diuidi in partes quæ habeant eandem rationem cum ſuo toto; nam diuiditur in duas partes nimirum vnitates, quarum nulla per ſe ſumpta poteſt eſſe numerus. Vnde ſi cupimus definire quātitatem in communi, illam diffiniemus iuxta hanc ſecundam definitionem, quæ ambiat omnes ſpecies quantitatis, quæ quidem habet ſe in hunc modum.

2. Diffin. Quantitas eſt; quæ diuidi poteſt in partes diſtinctas ſecundum ſitum, ſecundum ſucceſſionem, & ſecundum ordinem. Per primam partem complectimur lineam, extremitatē, corpus, & locum hæ namque ſpecies habent partes extra partes diſtinctas ſecundum ſitū; per ſecundam complectimur tempus, & orationem; quia partes harum ſpecierum ſunt diſtinctæ ſucceſſione, quędam enim aliis ſuccedunt; per tertiam denique comprehendimus numerum ipſum, qui obtinet partes diſtinctas ſecundum ordinem, hic enim ordo reperitur in partibus numeri, vt binarius ſit prior ternario, & extra illum, & ternarius ſit prior quaternario.

3. Diffin. 3 Diffini. quantitatis eſt Concilii Louanienſis definientis quantitatem (ea ratione qua Ariſt. diffinivit qualitatem in propria categ.) nimirum à qua res quantæ, vel aliquot, quantæ nominatur, vt quando à linea dicuntur lōgæ ab extremitate latæ, à corpore vero profundæ: aliquot vero vt a numero; nam interrogationi effectæ per hoc aduerbium quot; reſp. numerum rei.

4. Diffin. 4. diffin. eſt. Quantitas eſt menſura ſubſtantiæ, nam cum duplex ſit menſura vna extrinſeca; & alia intrinſeca; linea extremitas, & corpus ſunt menſuræ ſubſtantiæ intrinſecæ; locus vero & tempus ſunt menſuræ extrinſecæ, vt multo vberius deinde dicemus.

Obſeru. 1. Animaduerſione tamen dignum eſt, inter has diffinitiones quantitatis propoſitas hunc eſſe ordinem, vt duæ priores ſint eſſentiales, tertia ſit tradita per effectum, & quarta per quandam proprietatem quantitatis.

A. 2. Ob quam cauſſam auſpicatus fuerit hanc categoriam a diuiſione prætermiſſa definitione dubitant interpretes. Caietan. inquit cauſam eſſe, quia Ariſt. non inſtituit rerū naturas & eſſentias in hoc loco explicare, ſed tantum quæ quibus locis & ſedibus continerentur: ac proinde cum diffinitio eo tradatur vt rerum naturam, & eſſentiam latentem explicet, fuit illa prętermiſſa. At quia ex diuiſione colligitur quænam ſpecies ſub quibus locis & ſedibus collocentur, ob hanc cauſſam, categoriam à diuiſione fuit auſpicatus. B. Albert. M. *tract. 3 categ. c. 1.* reſp. hoc ideo factum eſſe, quia in hac categor. agitur de quantitate ſub ratione menſuræ, & quia quantitatis ſub hac ratione non poteſt eſſe vna & eadē ratio, etenim ſi cupimus ſcire multitudinē, & quæramus quot ſint res reſp. eſſe tot, ſcilicet decē aut viginti; ſi vero ſcire deſideramus magnitudinem, & quæramus quanta ſit res reſp. eſſe tantam, nimirum trium, vel quatuor cubitorum: at rationes tot & tanti in ratione menſuræ ſunt longe diuerſæ, ob hanc cauſſam nō fuit tradita vna aliqua definitio omni quantitati conueniens. *2. Obſeru.*

Vel reſpondere poſſumus hoc ideo feciſſe Ariſtotel. quia cum quantitas ſit genus ſupremum, non poterat aliqua eſſentiali definitione diffiniri: ſed debuit prius Ariſtot. illius proprietates proponere, vt ex ipſis facilius multo poſſet quilibet diffinitionem aliquam accidentariam tradere ex his proprietatibus collectā, quod & nos fecimus ſuperiores definitiones proponentes.

A. 3. Eſſe accuratam hanc diuiſionem quāti in continuum, & diſcretum, vel in coniunctum & deiunctum, eſſeque recte vtrinſque ſpecies ab Ariſtot. recenſitas; in hunc modum poſſumus confirmare. *3. obſeruat.* Primumque eſſe optime ita diuiſam quantitatem. Partes alterius quantitatis, vel inter ſe connectuntur, & copulantur termino aliquo communi, vel non connectuntur, neque huiuſmodi termino copulantur, ſi copulentur inter ſe termino aliquo communi, erit quantitas coniuncta, ſi vero nō copulentur erit quantitas deiuncta, ergo optime erit diuiſa quantitas in coniunctam, & deiunctam. Præterea has quinque, lineam, ſuperficiem, corpus, tempus, & locum, in numero ſpecierum quantitatis coniunctæ eſſe iure optimo recenſitas, ex hoc arg. colligere

gere poterimus apertiſſime. Quantitas eſt menſura ſubſtantiæ, vel ergo metimur illam interne, vel externe, ſi interne, vel metimur ſecundum ſolam longitudinem & eſt linea, vel ſecundum latitudinem & eſt ſuperficies, vel ſecundum profunditatem & eſt corpus; ſi externe metiamur, vel metimur ſecundum aliquam durationem & eſt tempus, vel ambiendo rem illam & eſt locus. Adhæc numerum & orationem eſſe ſpecies quantitatis deiũctæ in hunc modum oſtendimus. Quantitas deiuncta eſt, cuius partes non copulantur termino aliquo communi, quæ vel ſunt permanentes, vel ſucceſſiuæ, ſi fuerint permanentes eſt numerus, ſi ſucceſſiuę eſt oratio, optime igitur erunt hæ ſeptem ſpecies quantitatis recenſitæ, quinq; coniunctæ & duæ deiunctæ.

4. *Obſeru.* A 4. Merito poterit aliquis dubitare ob quam cauſam cum concreta accidentium nõ contineantur per ſe in categoriis, vt luculenter in quæſtionibus anteecategoriarum *ſect. 2. in cap. 6. quæſt.* 4 oſtendimus, diuiſerit quantitatem in concreto dicens quantorum quoddam eſſe deiunctum, & aliud coniunctum. Huic dubitationi reſp. Ariſt. nomine concreti abſtractum intellexiſſe, nam idem eſt dicere: Q*uantorum aliud deiunctum, & aliud coniũctum*, quod dicere quantitas alia eſt coniuncta, & alia deiuncta, vt iam in commentarijs admonebamus. Vnde Boet. grauiſſimus interpres Ariſt. in abſtracto ita interpretatur Ariſt. *Quantitas autem aliud eſt diſcretum, aliud continuum, &c.* Ratio autẽ, ob quam id quod diuiditur in hac categoria fuerit diuiſum in concreto eſt, quia proprium eſt huius categoriæ, vt ſeipſam poſſit denominare, ſitque vna & eadem res & quanta, & quantitas quamuis diuerſa ratione, nam ſi conferatur cũ ſubſtantia quantitas erit, ſi vero ad aliam quantitatem referatur quanta dicetur, vt linea ſi referatur ad ſubſtantiam erit quantitas, ſi vero ad aliam lineam comparetur dicetur quãta. Etenim cum omnis quantitas & ſit menſura ſubſtantiæ, & ab alia quantitate menſuretur, vt linea panni menſuratur à linea ligni, & corpus menſuratur à corpore, vt in ponderibus intuemur vt eſt menſura eſt quantitas, vt vero menſuratur eſt quanta. Et quia in habitudine ad ſubſtantiam eſt menſura ob hanc cauſam ſi cũ ſubſtantia conferatur erit quantitas, ſi vero cum alia quantitate quanta nuncupabitur.

G Ariſt 5. *lib Metaphyſ. cap.* 13. hanc eandem repetit diuiſionem quædam (inquit) ſunt quanta per ſe, alia per accidens. Per ſe quanta dicuntur aliqua duobus modis, vel quia ſunt ſpecies illius, vt linea corpus, extremitas, &c. vel quia ſunt proprietates eiuſdem, vt multũ, & paucum, quæ ſunt proprietates numeri, longum, & breue lineæ, anguſtum & latum extremitatis altum & humile, tum etiam graue, & leue corporis. Eademque ratione quanta per accidens dicũtur aliqua etiam duobus modis, vel quia accidunt quanto per ſe vt album & muſicum dicuntur quanta per accidens, vel quia diuiduntur ad diuiſionem alterius, vt tempus & motus appellantur quanta per accidens, quia tempus diuiditur ad diuiſionem motus, & motus ad diuiſionem magnitudinis. Multa alia poteramus hoc loco obſeruare, verum quia illa erunt in quæſtionibus proponenda, hoc loco illa prætermittimus. 5. *obſeruat.*

SECTIO I.

DISPVTATIO DE QVANTITATE in tres ſectiones præcipuas diſtributa.

ARGVMENTVM.

Sequitur vt poſt ſubſtantiam de quantitate illico diſputemus: Verum, quia in hac categoria multa ſeſe offerunt explicanda, vt recta methodo in illis progrediamur totam diſputationem in tres partes diſtribuemus in prima de natura & proprietatibus illius diſputabimus, & num à ſubſtantia diſtinguatur nec ne: in ſecunda de ſpeciebus quantitatis diſiunctæ, & tandem in tertia de aliis quantitatis coniunctæ diſſeremus.

QVÆSTIO I.

An prius agendum ſit de quantitate, quam de aliis categoriis accidentium.

CVm ſint multæ categ. accidentium certo ordine inter ſe connexæ, ac concatenatæ, æquum eſt vt inueſtigemus, quænam ex illis illico poſt ſubſtantiam ſubſequi debeat, num quantitas, vel qualitas, vel aliqua alia necne? etenim qualitatem eſſe priorem, ac proinde ab ea exordiendum fuiſſe hæc argumenta confirmare videntur.

1. Argum. Leſt: Id quod indiuiduum eſt, prius eſt, eo quod diuiduum eſt; ſed quantitas eſt diuidua; ergo qualitas erit prior quantitate.

2. Arg. 2. eſt: Ea quæ ſunt vniuerſaliora, ſunt priora minus vniuerſis, ſed qualitas eſt vniuerſalior quantitate, cum conueniat ſubſtantiis corporeis, & incorporeis, quantitas vero ſolis corporeis ſubſtantiis; iam ergo agendũ prius erit de qualitate, quam de quantitate.

3. argum. 3. Generatio eſt prior quantitate, ſed generatio eſt qualitas; ergo qualitas erit prior quantitate, & ita prius agendum erit de illa. Confirmatur aſſumptio Generatio eſt prior ſubſtantia: ſed ſubſtantia eſt prior quantitate: ergo generatio erit de quantitate.

4. Arg. Iam. Subſtantiæ ſpiritales ſunt priores corporeis, ergo accidentia ſpiritalia erunt quoque priora corporeis, ſed quantitas eſt accidens corporeum, multæ vero qualitates ſunt ſpiritales, ergo qualitas erit prior quantitate.

1. Opinio. Architas Tarentinus vt teſtatur Simplicius *in comment.* & Plotin. vt refert Dexippus 3. *lib. q.c.*2. propter hæc & alia huius generis argumenta reprehendunt Ariſt. eo quod ante qualitatem egerit prius de quantitate, putant enim qualitatem eſſe priorem quantitate, ac proinde de ea prius Ariſtotel. diſputare debuiſſe.

Cæterum optima methodo prius de quantitate, quam de qualitate egiſſe nonnullis argum. ex Simpl. Amm. & Boet. *in comm.* Dexip. *ubi ſup. Porph. in inter. de quant. c.*1. B. Alb. M. *tracta.*1 *de quant. c.*1. & aliis interpretibus collectis poſſumus demonſtrare.

1. argum. Leſt: Quia quantitas immediatius conſequitur ſubſtantiam, quam qualitas, nam eo ipſo quo eſt ſubſtantia, vel eſt vna, vel multiplex, quæ numerum indicant ſub quantitate cõprehenſum, at non eo ipſo quo eſt ſubſtantia eſt calida, vel frigida, atra vel candida, quæ ſunt qualitates, tum etiam quia *ſuper. cap.* ſubſtantia diuiſa fuit in primam, & ſecundã, quæ numerum ſub quantitate continentur præſe ferre videntur.

2. Arg. 2. eſt: Omne corpus illico affici debet trina dimenſione, nimirum longitudine, latitudine, & profunditate, at nõ illico afficitur qualitate, non enim illico afficitur candore, vel atrore, vel alia huiuſmodi qualitate; nam vt his qualitatibus afficiatur debet prius affici dimenſione aliqua, quare quantitas prior erit qualitate, ac proinde de ea prius, quam de qualitate fuit inſtituenda diſputatio.

3. Argum. Adhæc: Quantitas affinior eſt ſubſtantiæ, quam qualitas, nam neque habet contrariũ, neque recipit magis & minus, at qualitas diſſimilis eſt ſubſtantiæ, cum & habeat contrarium, & magis ac minus recipiat. Cum igitur prius ſit agendum de accidente affiniore ſubſtantiæ, quam de illo, quod minorem habet affinitatem, procul dubio agendum prius fuit de quantitate, quam de qualitate.

Ad ult. Cæterum quamuis omnes hæ rationes ſint ſatis accommodatæ, ſi tamen inſtitutum Ariſtot. in his categ. perpendamus iure optimo prius de quantitate, quam de qualitate egiſſe intuebimur apertiſſime, inſtituit enim potiſſime agere de ſubſtantia corporea, & materiali, eo quod vicinior illa ſit noſtris ſenſibus, ipſique ad cognoſcendum facilior, aliæ namque ſeparatæ ſubſtantiæ obſcuræ ſunt, & cognitu difficiles. Vnde agendum erit prius de his accidentibus, quæ prius ac immediatius inſunt ſubſtantiæ materiali, cumque interil la quantitas prius & immediatius, inſit ſubſtantiæ materiali, quam qualitates corporeæ agendum fuit ipſi prius de quantitate, quam de qualitate. Quantitatem autem conſequi prius, & immediatius ſubſtantiam, quam qualitatem, ex eo colligere poterimus; quia quãtitas conſequitur materiam, qualitas vero formam, at accidentia conſequentia materiam priora ſunt iis quæ conſequuntur formam, ſicuti & materia ipſa prior eſt forma. Quamuis itaq; qualitates ſpiritales ſint priores quantitate, tamen propter rationem aſſignatam agendum eſt prius de quantitate, quam de qualitate.

Occurramus demum argumentis propoſitis. Ad 1. reſp. propoſitionem eſſe veram, ſi indiuiduum eſt principium, & cauſa diuidui: quemadmodum vnitas eſt principium numeri, eſſe autem falſam ſi indiuiduum non ſit cauſa diuidui, & quia qualitas, quamuis indiuidua, nõ eſt cauſa quantitatis nõ propterea erit illa prior. Ad 2. reſp. propoſitionẽ eſſe verã ſi minus vniuerſa ſecundum eſſentiam con- Ad 1. arg. Ad 2.

tineatur

tineantur ſub magis vniuerſis: ſin minus eſſe falſam, quemadmodum animal eſt prius homine, quia homo continetur ſub animali. at vero quantitas non continetur ſub qualitate, & ita non erit prius agendum de qualitate, quam de quantitate.

Ad 3. Ad 3 reſp. Inprimis negando propoſitionem; quia generatio non eſt qualitas, ſed reuocatur ad categoriam ſubſtantiæ, quæ generatur. Reſp. Deinde quaſdam eſſe qualitates quæ ſunt viæ ad ſubſtantiam cuiuſmodi eſt generatio, & alias eſſe, quæ conſequũtur ſubſtantiam conſtitutam idque genus ſunt albedo, & nigredo Eſt igitur quantitas prior accidentibus, & qualitatibus conſequẽtibus ſubſtantiam conſtitutam, vt albedinẽ v.g. & nigredinem, non eſt autem prior iis qualitatibus, quæ ſunt viæ ad ſubſtantiam conſtituendam.

Ad 4. Ad 4. reſpond. Admittentes multas qualitates ſpiritales eſſe priores quantitate, quantitas tamen eſt prior omnibus qualitatibus corporeis, & quia præcipuum Ariſtot. inſtitutum eſt agere de ſubſtantia corporea, & eius accidẽtibus, inter quæ principem ſibi locum vendicat quantitas, propterea agendum erit prius de quantitate, quam de qualitate, & de relatione, quia fundamentum relationis eſt quantitas, quamuis quædam relationes fundentur in ſubſtantia vt eſt relatio identitatis quibus quamuis ſit poſterior quantitas, eſt tamen prior omnibus relationibus quæ fundatur in aliquo accidẽte corporeo, & ita prius agendum fuit de quantitate, quam de relatione.

QVÆSTIO II.

An Dialecticus & Metaphyſicus diſputent de quantitate ſub eadem ratione.

HÆc controuerſia ortum habet ex eo, quod Ariſt. 5. *Metaphyſ cap* 13. diſputans de quantitate paulo aliter de ipſa, quam in hoc loco differere viſus fuit: quod non leue eſt argumentum, illum diuerſo conſilio in Metaphyſica, & in hoc loco de quantitate diſputaſſe. *Dubitat. [...]njetur.* Quatuor igitur ſunt dubitationes, quæ ex Metaphyſico colliguntur, aduerſus ea quæ hoc loco tradita fuerunt. Prima eſt, quia in hac categoria docet tempus eſſe ſpeciem quantitatis per ſe, at 5. *Metaphy* conſtituit eſſe quantitatem per accidens. Secũda, quia cum 5 *lib. Metaphyſ.* decernat motum eſſe quantitatem quamuis per accidẽs, hoc loco nullam facit de illo mentionem. Tertia eſt, quia in hac catego. inter ſpecies quantitatis per ſe recenſuit locũ, at 5. *Metaph.* ne vnum profert de loco verbum. Quarta eſt de oratione, nam in hac categ. illam adducit inter ſpecies quantitatis: *lib. autem* 5. *Metaph.* ne recordatur ſolum illius. Propter has dubitationes, vt Ariſt. conciliate videantur interpretes quidam exiſtimant Ariſt. alio atque alio inſtituto, & conſilio agere de quantitate in his vtriſque locis, vtpote in Dialectica de ratione menſuræ, in Metaphyſica vero ſub ratione diuiſionis. Hæc ſententia eſt D. Tho. *in comm. in c.13. lib. 5. Met.* B. Alb M. *tract.* 8 *dial. c. 10.* Ianelli 5. *lib. Metaph. tract. 2. c. 8.* Sonci. & fere omnium Latinorum. *1. Interpret.*

2. Interpret. Alii tamen exiſtimant vno, & eodem conſilio atque ratione, Ariſt. de quantitate & in dialectica, & in Metaphyſica diſputaſſe, ſub vtraque ratione menſuræ nimirum, & diuiſionis vtrobique de quantitate inſtituens ſermonem. Quæ ſententia multis ex recentioribus placuit. Ego vero exiſtimo Ariſt. in metaphyſ. agere de quantitate ſub ratione diuiſionis, quia tantum agit de eius natura, quæ eſt diuidi poſſe remote: in Dialectica vero agere de eadem ſub vtraque ratione. & menſuræ, & diuiſionis, quamuis præcipue agat de quantitate ſub ratione menſuræ, & vult D. Tho. minus vero præcipue ſub ratione diuiſionis. Agere autem etiam ſub ratione diuiſionis de quantitate in Dialectica conſtare poteſt; tum primo, quia definit in categ. iſta quantitatem continuam illam, quæ habet partes copulatas termino communi, deiunctam vero, quæ habet partes non copulatas termino aliquo cõmuni; hoc autem nihil aliud eſt, quam diuidi in partes. Tum ſecundo, quia Dialecticus non mutat rerum eſſentias, cum ergo quantitas vnam obtineat eſſentiam, quę eſt diuidi poſſe aget proculdubio Dialecticus hoc in loco de quantitate etiam ſub ratione diuiſionis. Diſputare vero ſub ratione menſuræ ex eo confirma. quia probat in hac categoria orationem eſſe quantitatem, quia menſuratur ſyllaba longa, & breui. Verum, quia ad Dialecticum non ſpectat agere de rerum eſſentiis, niſi ea ratione, vt earum beneficio probe teneamus proprietates, & cætera, quæ pertractantur in arte. propterea Dialecticus potiſſime diſputat de quantitate ſub ratione cuiuſdã proprietatis, quæ eſt eſſe menſuram ſubſtantiæ & non ſub ratione diuiſionis.

ÆQuum erit iam propoſitis difficultatibus ſatisfacere, animaduerſo prius Ariſt. diſputaſſe in Dialectica, de categorijs communi quadam, & populari ratione, prætermiſiſſeque multa quæ accurate poterant pertractari. Et- *1. obſeruatio*

enim

enim in categoria ſubſtantiæ prætermiſit diuiſionem illius in materiam, formam, & totũ compoſitum, tam approbatam ab ipſo in aliis operibus.

2. obſeruatio. Animaduerſo deinde Ariſt. tantum propoſuiſſe in Metaphyſ. ſpecies quantitatis per ſe, quæ primo, & per ſe diuiduntur, cæteras vero quæ non diuiduntur primo & per ſe, ſed ratione alterius, non propoſuiſſe inter ſpecies quantitatis per ſe, quia cum agat de quantitate ſub ratione diuiſionis illas vocat ſpecies per ſe, quæ primo & per ſe diuiduntur, & illas per accidens, quæ diuiduntur ad diuiſionem alterius. Quibus annotatis. Breuiter ab his difficultatibus propoſitis expedit ſe Auerroes *in comment. in c. 13 lib. 5. Metaph.* dicens Ariſt in hac catego conſtituiſſe ex aliorum opinione locũ, tempus, & orationem eſſe ſpecies quantitatis, quia (inquit) ſuo ſæculo hæ erant famoſæ ſpecies quantitatis. Cæterum *5. lib. Metaph.* propriam proferens ſententiam, hęc tria reiicit a numero ſpecierum quantitatis per ſe. Secutum autem eſſe Ariſt in hac catego aliorum opinionem ex eo conſtare poteſt, quia locum docuit eſſe corpus, & habere eundem terminum cum corpore, quam quidem opinionem 4. *Phyſic. cap.* 4. confutat multis argumentis.

2. Solutio. Alii vero cum Simplicio reſpond. eiſdem hac ratione. Ad primam, & vltimam (de oratione nimirum ac tempore) dicunt hæc vtraque *5. lib. Metaph.* eſſe prætermiſſa inter ſpecies quantitatis per ſe, quia hæc non diuiduntur primo, tempus enim diuiditur ad diuiſionem motus, & oratio ad diuiſionem ſpiritus emiſſi, illam enim vocamus orationẽ longiorem, quæ emittitur maiori ſpiritu, breuiorem vero quæ ſpiritu minori emittitur; Metaph. autem tantum diſputat de quantitatib. quæ primo, & per ſe diuidũtur. At vero, quia Logicus craſſa Minerua diſputat de quantitate ob hanc cauſam agit de tempore & oratione, quæ ſunt quædam quantitates ratione aliorum Ad ſecundam vero de motu dicunt illum eſſe connumeratũ inter ſpecies quantitatis per accidens, quia non diuiditur per ſe, ſed ad diuiſionem magnitudinis: eſſe autem prætermiſſum, in hac categ. eo quod ſolum in illa ſint propoſitæ ſpecies, quæ quantitatis duntaxat, & non alterius cuiuſpiam categ. ſunt ſpecies, at motus non quantitatis ſolius, ſed multarum etiã aliarum categ. eſt ſpecies, nam vt fluit ab agẽte actio, vt recipitur in patiente eſt paſſio & ratione termini aliquando eſt in categ. quantitatis, vt eſt motus augmenti & decrementi, aliquando in categ. vbi ſicut eſt motus alterationis, & aliquando in categ. vbi, ſicut eſt motus ad locum, & ita non continetur in hac categ. nec inter eius ſpecies recenſetur. Ad aliam vero dubitationem de loco dicunt illum non diuidi primo & per ſe, ſed ratione extremitatis, & ita fuiſſe prætermiſſum ab Ariſt. in metaph at vero in hoc loco fuiſſe connumeratũ inter quantitatis ſpecies, quia diſputat de quantitate craſſa minerua.

D. Tho. his dubitationibus accurate reſp. *3. Solutio.* animaduertens prius Dialecticum diſputare de quantitate ſecundum menſuram; Metaph. vero ſub ratione diuiſionis. Vnde primæ, ſecundæ, & tertiæ dubitationi reſpon. in Metaphyſ. tempus, & motum dici quanta per accidens, quia diuiduntur ad aliorum diuiſionem tempus ad diuiſionem motus, & motus ad diuiſionem magnitudinis, & orationem eſſe prætermiſſam ob eandem rationem, quia nõ diuiditur per ſe, ſed ratione aeris verberati. In Dialectica autem recenſuiſſe Ariſt tempus & orationem inter quantitates per ſe, quia tempus obtinet propriam rationem menſuræ diſtinctam à motu, & oratio itidem, quæ eſt menſura ſyllabæ longæ & breuis.

Ad tertiam vero de loco, eodem modo reſpondet locum non diuidi per ſe, ſed ratione extremitatis, & ita fuiſſe prætermiſſum ab Ariſt. in Metaphy. in hoc autem loco cum agat de quantitate ſub ratione menſuræ, & locus ſit menſura diſtincta a ſuperficie, quia locus eſt menſura extrinſeca: ſuperficies vero menſura intrinſeca ob hanc cauſam fuit ab Ariſt. propoſitus inter ſpecies quantitatis per ſe. *4. Solutio.*

Quidam recentiores propoſitas dubitationes hoc modo diſſoluunt. Ad primam, ſecundam, & quartam, dicunt motum, & tempus eſſe propoſita inter ſpecies quãtitatis per accidens, & orationem eſſe prætermiſſam, quia Ariſt. in Metaphyſ. tantum diſputat de quantitate, quæ habet partes permanentes, vt conſtat ex definitione quanti propoſita cuius vltima particula indicat quantum eo loco explicatum debere eſſe permanens, vt expoſuimus in annotationibus explicãtes definitionem; at vero cum Ariſt. in hac categor. diſputet de omni quantitate tam permanente, quã ſucceſſiua, recenſuit tempus, & orationem inter ſpecies quantitatis per ſe, motum autem prætermiſit, quia eſt idem cum tempore. Ad ſecundam vero dubitationem de loco reſpõdent non fuiſſe prætermiſſum *5. lib Metaphyſ.* nam cum locus ſit extremitas, nomine extremitatis complexus eſt etiam locum.

Digitized by Google

QVÆST. III.

An diuidi poſſe ſit eſſentia quantitatis, necne?

HÆc quæſtio valde agitata & controuerſa eſt inter Philoſophos, in qua primo confirmandum erit eſſe menſuram eſſe propriam rationem quantitatis deinde poſſe diuidi non eſſe rationem eiuſdem.

1. argum. 1. Igitur argumentum ſit ex D. Tho petitū, qui in opuſculo de natura loci hanc ſententiam apertiſſime profitetur.

2. Argum. 2. Ariſtot hic ex eo probat orationem eſſe quantam, quia menſuratur ſyllaba longa, & ſyllaba breui: ergo eſſe menſuram erit ratio quantitatis.

3. Arg. 3. Si ratio menſuræ nō eſſet eſſentia quantitatis ſequeretur locum, & ſuperficiem, non eſſe ſpecies diſtinctas ipſius, quia non differūt in ratione diuiſionis, ſed tantum in ratione menſuræ, quia locus eſt menſura extrinſeca, ſuperficies vero menſura intrinſeca: atqui hoc repugnat Ariſt. conſtituenti in hoc categ. locum, & ſuperficiē eſſe diſtinctas ſpecies quantitatis: ergo ratio menſuræ erit eſſentia quantitatis.

Deinde oſtendamus poſſe diuidi non eſſe illius eſſentiam.

1. Arg. Primo in hunc modum. Potentia & actus continentur in eadem categ. vt paſſim docet Ariſt. *in Metaphy* ſed actu diuidi non eſt de eſſentia quantitatis; ergo neque poſſe diuidi erit de eſſentia illius.

2. argum. Præterea: Eſſentia alicuius generis debet ex æquo conuenire omnibus ſuis ſpeciebus; ſed poſſe diuidi non competit ex æquo quantitati coniunctæ, & diſiunctæ, quia diſiuncta actu eſt diuiſa, coniuncta vero ſola poteſtate; ergo poſſe diuidi nō erit eſſentia quantitatis.

3. Argum. Adhæc: nulla relatio eſt de eſſentia abſoluti, ſed poſſe diuidi eſt relatio quædam rei, quę diuiditur ad partes in quas diuiditur; cum ergo quantitas ſit ens abſolutum, diuidi poſſe non erit de eſſentia illius.

1. Opin. De quæſtiſta (graui illa quidem) eſt prima opinio quorūdam aſſerentium nullam eſſentiā quantitatis poſſe a nobis aſſignari, ſed eſſe illam obſcuram & latentem; nam hæc omnia quatuor quæ ſunt tributa quantitati ab Ariſt. nimirum poſſe diuidi, eſſe finitam, vel infinitam, eſſe æqualem, & eſſe menſuram, ſunt illius proprietates ita inuerſe affectæ, vt poſſe diuidi ſit prima proprietas ſecunda eſſe finitum, tertia eſſe æquale, vel inæqua e, quarta eſſe menſuram ſubſtantiæ. Hanc opinionem tenent Anton Andr. *5. lib. Metaph. q.* 10 & Scot. *in eod. lib. quæſt* 9. & cum ipſis reliqui Scotiſtæ.

id opina per M. Feijoo tom. 8 Theatri crit. n. 13

2. Opinio. 2 Opinio eſt multorum veterum Latinorū aſſerentium eſſe mēſuram ſubſtantiæ eſſe naturam, & eſſentiam quantitatis. Quam opinionem ſequuntur ducti auctoritate D Tho. *in opuſc. de natura loci*, vbi confutatis aliis opinionibus inquit hanc eſſe eſſentiam quantitatis.

3. Opinio 3. Opin eſt, quam ſequitur D. Th. *1. ſen. diſt.* 19. *q* 1 *art.* 1. *ad* 1. *arg. & in comm. in lib.* 5. *Metaph. c.* 13. atq; multis aliis in locis, & fere omnium Thomiſt. vt Sonc. *5. lib Metaph. q.* 25. Iauel. *q* 20. & Aquat *q.* 11 exiſtimantium eſſentiam quantitatis eſſe poſſe diuidi in partes eiuſdem rationis cum ſuo toto, quia hanc naturam tribuit illi Ariſt, *in Metaphyſ.* vbi explicantur omnium rerum naturæ & eſſentiæ.

4. Opinio. 4. Opinio eſt Soti *in hu commen.* Petri Nigri 2 *p. clypei q.* 15. Tolet. *q.* 1. & Durand. *in 4. diſt.* 3. *q.* 1. *in fin.* ac multorum recentiorum conſtituentium rationem & eſſentiam quantitatis eſſe habere partium dilationem, & extenſionem, ſeu habere partem extra partem, nam hoc eſt multo prius quam poſſe diuidi, ex eo enim quantitas diuidi poteſt in partes quæ inſunt, quia prius habet partes extenſas, & dilatatas, vnde non diuidi poſſe, ſed habere partes extenſas erit eſſentia quantitatis.

1. obſeruatio. Nos vero his omnibus propoſitis, vt verā ſententiam explicemus animaduertimus primo cum Sueſſano *q.* 9. *lib.* 5. *Metaphy.* duplicem eſſe potentiam ad diuidendum, proximam vnam, & alteram remotam. Proxima eſt, quæ immediate eſt ratio, vt quantitas diuidi poſſit in partes eiuſdem rationis, remota vero eſt à qua fluit huiuſmodi potentia proxima: quēadmodum duplex eſt in homine facultas & potentia ad ratiocinandum vna proxima, & hæc eſt intellectus, qui immediate ratiocinatur; & altera remota, quæ eſt ipſa anima à qua fluit intellectus. Scio hanc diſtinctionem non placere Aquario propter argumentum ſatis futile, quia inquit idem nequit eſſe attributum de eſſentia, & proprietas vel accidens alicuius rei; ſed potentia ad diuiſionem iuxta nos eſt accidens quantitatis, ergo non erit de illius eſſentia. Cui reſpondendum breuiter eſſe poten iam proximam ad diuiſionem eſſe accidens, & proprietatem: remotam vero eſſe illius naturam, vnde cum hæ duæ potentiæ ſint ab inuicem diſtinctæ, non ſequitur eandem rem eſſe de eſſentia, & eſſe accidens.

2. Obſeru. Animaduertimus ſecundo potentiam remotam ad diuiſionem in quantitate nihil

aliud

aliud eſſe, quam habere partium extẽſionem & dilatationẽ, ex eo ſiquidem poteſt quantitas diuidi in partes eiuſdem rationis, vt linea in partes lineæ, quia ſunt illę prius in toto extenſæ, & dilatatæ.

3. Obſeru. Adnotamus tertio eſſe multa genera diuiſionum, ſicuti & multa ſunt genera totius, nam quædam eſt diuiſio totius naturalis in materiam & formam, alia eſt totius Metaph. in genus & differentiam, alia totius vniuerſi in ſua inferiora, alia totius poteſtate in ſuas potentias cuiuſmodi eſt diuiſio animæ in intellectum, memoriam, & voluntatem: alia eſt diuiſio totius integri vel in partes eiuſdem rationis cuiuſmodi eſt diuiſio carnis, vel in partes diuerſæ rationis ſicut diuiſio corporis in caput, brachia, & pedes. Cum ergo tot ſint genera diuiſionis, quando in hac quæſtione quærimus, an diuidi poſſe ſit eſſentia quantitatis, tantum quærimus de diuiſione totius in partes continuas, vt totius in partes ſimilares, vel in partes diſcretas quarum vna ſit extra aliam.

1. concluſio. His conſtitutis ſit prima concluſ. Eſſe menſuram non eſt ratio, & eſſentia quantitatis. Confirmatur his argumentis.

1. argum. Primum eſt: Eſſe menſuram conuenit primo vnitati ſecundum Ariſt. 10. *lib. Metaph. cap.* 2. ſed vnitas nõ eſt quantitas, ſed principium illius; ergo eſſe menſuram non erit eſſentia quantitatis cum conueniat primo alteri à quantitate.

2. argum. 2. Ratio quantitatis debet eſſe ex æquo ſuis ſpeciebus competere: ſed ratio menſuræ non competit ex ęquo quantitati coniunctę, & diſiunctæ, cum prius competat quantitati diſiunctæ (vt numero) ex Ariſt. loco citato, ergo ratio menſuræ non erit ratio quantitatis.

3. argum. 3. arg. Ratio menſuræ reperitur in omnibus generibus, vnumquodque enim, quod eſt perfectiſſimum in aliquo genere eſt menſura cæterorum, quæ in tali genere ſunt contenta, vt in genere colorum albedo eſt menſura & in genere ſaporum dulcedo, vt docet Ariſtotel. 10. *Metaphyſ. cap.* 2 ſed eſſentia quantitatis non poteſt ſe diffundere ad alias categorias; ergo eſſe menſuram non erit ratio quantitatis.

4. argum. Iam: Eſſentia quantitatis debet conuenire omni quantitati, ſed eſſe menſuram nõ competit omni quãtitati, nam ſi daretur linea infinita eſſet illa vera quantitas, quæ tamẽ neq; poſſet menſurare, neque menſurari, quia infinitum neque eſt menſura, neque menſurabile, ergo non erit hæc ratio quantitatis.

2. concluſ. Poſſe diuidi ſi ſumatur pro potentia proxima ad diuiſionem non eſt de eſſentia quantitatis. Hanc concluſionem ita confirmamus. *2. concl.*

1. Eſſentia cuiuſque rei eſt illud quod primo illi competit; ſed poſſe diuidi non competit primo quantitati, ſed habere partem extra partem, quia ex eo aliquid poteſt diuidi, vt adnotauimus, quia habet partium extenſionem, ergo poſſe diuidi non erit eſſentia quantitatis. *1. argum*

2. Eſſentia non poteſt concludi per demonſtrationem de re habente illam, cum ſit illa ante demonſt. prænoſcenda, vt docet Ariſt. 1. *de demonſt.* at Ariſt. 6 *Phyſ.* concludit de quantitate illam poſſe diuidi; ergo poſſe diuidi non erit eſſentia quantitatis. Quod ſi dicas Ariſt. non concludere de quantitate, eo loco poſſe diuidi, ſed poſſe diuidi in infinitum; & hoc nõ eſſe eſſentiam, ſed proprietatem, quia eſſentia tantum eſt poſſe diuidi abſolute. Hãc ſolutionem ita reiicio. Ariſtotel. ex eo probat quantitatem coniunctam, vt lineam poſſe diuidi, quia componitur ex partibus diuiſibilibus, vt linea ex eo diuiditur, quia cõponitur ex partibus lineæ: ſed hæc ratio probat abſolute quantitatem diuidi poſſe, & non tantum in infinitum; ergo ſolutio eorum nulla erit. Præterea infinitum diuiſione, cum ſit infinitum poteſtate, & ſecundum quid non poteſt vlla ratione mutare naturam & eſſẽntiam rei, ſed poſſe diuidi abſolute iuxta illos eſt natura quantitatis, ergo & poſſe diuidi in infini. Vnde quemadmodum dicunt Ariſt. cõcludere de quantitate poſſe diuidi in infinitum, debent etiam aſſerere poſſe diuidi abſolute cõcludi ab Ariſt. de quantitate. *2. Argu.*

3. concluſ. Habere partem extra partem, vbi habere partes extenſas, & dilatatas eſt natura & eſſentia quantitatis. Confirmatur his argumentis. *3. concl.*

Primum eſt: Illud eſt de eſſentia cuiuſque rei in quod reſoluuntur eiuſdem proprietates; at proprietates quantitatis reſoluuntur in hoc, quod eſt habere partem extra partem, nam prima quantitatis proprietas, quę etiam iuxta Scotiſtas eſt poſſe diuidi, reſoluitur in hoc, quod eſt habere partes extenſas, quia ex eo poteſt aliquid diuidi in partes, quia habet prius illas in toto extẽſas, quod ſi prima proprietas reſoluitur in hanc rationem, & reliquæ quoque debent in eandem reſolui; ergo habere partium extenſionem erit ratio quantitatis. *1 argum.*

Secundũ. Illa eſt aſſignanda ratio alicuius *2. argum.*

ſuperioris, quæ competit ex æquo omnibus inferioribus, quemadmodum eſſe ſubſtantiā corpoream animatam ſentientem, eſt natura animalis; quia hæc competit ex æquo homini, equo, & aliis omnibus animalib. inferioribus, ſed habere partem extra partem competit ex æquo, & ſecundũ eſſentiam omni quantitati tam deiunctæ, quam coniunctæ; ergo habere partem extra partem eſt de eſſentia, & natura quantitatis. Confirmatur aſſumptio. Quantitas diſiuncta eſt illa cuius partes non copulantur termino aliquo communi, coniuncta vero cuius partes copulantur termino communi; eſt ergo commune vtrique quantitati habere partem extra partem in eodem toto, proprium autem habere partes copulatas, vt quantitati coniunctæ, & habere illas non copulatas, vt quantitati diſiunctæ; & ita propria ratio quantitatis erit habere partem extra partem.

3. Arg. 3. arg. Illud quod primo & per ſe alicui rei competit eſt illius natura & eſſentia, ſed habere partem extra partem competit primo & per ſe quantitati, non autem poſſe diuidi potentia proxima, nam ſi aliquid poteſt diuidi ex eo eſt, quia prius in ſe obtinet partem extra partem, ergo habere partem, extra partem eſt eſſentia quantitatis.

Cæterum cum adnotatum ſit à nobis idem eſſe habere partem extra partem, quod poſſe diuidi in partes eiuſdem rationis.

4. concl. Sit 4. concl. Poſſe diuidi potentia remota, & prima eſt de eſſentia quantitatis. Confirmatur, quia hæc nihil aliud eſt, quam habere partium extenſionem, & dilatationem, vt admonuimus, quæ eſt illius eſſentia & natura. Vnde quemadmodum poſſe vti ratione potentia proxima & immadiata, non eſt de eſſentia hominis, ſed illius proprietas, hæc enim potentia intellectus eſt, qui non eſt hominis eſſentia & natura, ſed facultas, & potētia illius; poſſe tamen vti ratione potentia prima & remota eſt eiuſdem eſſentia, & natura; ita pariter poſſe diuidi in partes eiuſdem rationis potentia proxima, non eſt de eſſentia quantitatis, ſed illius proprietas, at vero poſſe diuidi in partes eiuſdem rationis potentia remota, erit eſſentia quantitatis.

Obſeru. Animaduertendum tamen erit habere partem extra partem duobus modis euenire poſſe, primo in eodem toto, ita vt vna pars ſit extra alteram, neq; enim partes alicuius totius ſunt inter ſe, aut permixtæ, aut confuſæ, ſed caput eſt extra pedes, & pedes extra brachia; altero vero modo quando vna pars eſt extra aliam in eodem loco, ita vt vna ſit extra locũ alterius, nam caput eſt in loco ſuperiori, pedes in inferiori, vna manus eſt ad dextram, & altera ad ſiniſtram. Cum itaq; his duob. modis poſſit eſſe vna pars extra aliam, quādo eſt a nobis cōſtitutum habere partem, extra partem eſſe de eſſentia quantitatis, ſermo nobis fuit de eo, quod eſt habere partem extra partem in toto, non autem in loco. Nam corpus Chriſti Domini in ſanctiſſimo Euchariſtię ſacramento eſt vere quantum quidquid in hac re dicat Durand. conſtituens ſolam ſubſtantiā corporis Chriſti eſſe in ſacramento, & non eius quantitatem, quod tamen nō habet partem extra partem in loco, cum totum corpus, & omnes eius partes ſint in qualibet particula quantumuis minima ſacramenti Euchariſtiæ; Attamen habet illud corpus ſacroſanctum partem extra partem in eodem toto nā eſt revera ibi os infra nares, & pectus infra collum. Vnde cōcludendum erit habere partem extra partem eſſe eſſentiam quantitatis, ſiue ſint vna extra aliam ſecundum extenſionem, vt in quantitate coniuncta, ſiue ſecundum diſcretionem, vt in deiuncta quantitate.

Tandem argumenta in oppoſitum diſſoluamus. Ad 1. dicimus, D. Th. conſtituiſſe eſſe eſſentiam quantitatis, quia ex illa poteſt facile quænam ſit quantitatis eſſentia, tanquā ab effectu manifeſtari. *Ad 1. arg.* Vel re melius inſpecta in locis à nobis ſupra propoſitis mutauit ille ſententiam, ſtatuens poſſe diuidi eſſe ipſius naturam.

Ad 2. reſpond. Hoc argumentum non eſſe à priori, & per cauſam, ſed à poſteriori, & per effectum, eſt enim idem ac ſi ita argumentaremur, Petrus eſt capax diſciplinæ, ergo eſt homo; quæ argumentatio non eſt a priori, & per cauſam, ſed a poſteriori, nam ex eo, quia proprietas hominis cōpetit Petro colligimus illũ eſſe hominē. Pari ergo ratione ex eo, quia oratio menſuratur ſyllaba lōga, & breui, colligimus tanquam ex proprietate orationem eſſe quantam, quia menſura eſt proprietas quantitatis. *Ad 2.*

Ad 3. reſpond. Locum & ſuperficiem ſumi poſſe duobus modis, nimirum vel in ratione menſuræ qua ratione tractantur à dialectico, vel in ratione diuiſionis vt tractantur à metaphyſico. *Ad 3.* Primo modo ſunt ſpecies diſtinctæ quantitatis non quia habent diuerſam naturam, cum ſit in illis vna & eadem, quæ eſt habere partem extra partem, ſed quia habent diuerſam rationem menſuræ; quia locus eſt menſura extrinſeca, ſuperficies autem intrin-

ſeca &

Digitized by Google

ſeca, & ita conſtituuntur a logico dictæ ſpecies, quia logicus non diſputat de quantitate ſub illius natura, ſed ſub quadam ipſius proprietate, nimirum menſurare: at Metaphyſicus, qui diſputat de rebus, iuxta earum naturas, non conſtituit locum, & ſuperficiem diuerſas ſpecies quantitatis, vt oſtendemus deinde.

Ad 1. arg. Ad 1. argum. ſecundi ordinis admittimus propoſitionem, ſi illa intelligatur in hunc modum: quemadmodum actus continetur in aliqua categoria, ita potentia ad illum actum continetur in eadem categoria: hac autem ratione intellecta huiuſmodi propoſitione, nihil contra nos concludit argumentum, tantum enim colligit, quod quemadmodum actus diuiſionis continetur in categoria quantitatis, ita & potentia ad diuidendum continetur in eadem categoria. Quam eandẽ propoſitionem negamus, ſi hoc alio modo illa intelligatur. Quemadmodum actus non eſt de eſſentia alicuius, ita neq; potentia eiuſdẽ, nam actu moueri non eſt de eſſentia entis mobilis, poſſe tamẽ moueri eſſe de eſſentia illius: vnde quamuis actu diuidi non ſit de eſſentia quantitatis, poſſe tamẽ diuidi erit de eſſentia illius.

Ad 2. Ad 2. reſpondent Soncinas & Iauellus, quantitatem deiunctam non eſſe actu diuiſam (vt eſt numerus) ſi ſumatur illa formaliter, quamuis ſit diuiſa materialiter, nam numerus quaternarius vt continetur ſub ſua forma, non eſt actu diuiſus in alias formas, & ſpecies, quia forma eſt vna & indiuiſa, quamuis ſit diuiſus ſecundum vnitates, quæ ſunt materia numeri. Et ita poſſe diuidi ex æquo competit vtrique quantitati coniunctæ & deiunctæ.

Ad 3. Ad 3. reſp. relationem categor. non eſſe de eſſentia abſoluti, vt paternitas non eſt de eſſentia hominis, relationem tamen tranſcendentem, cuiuſmodi eſt hæc relatio rei, poſſe eſſe de eſſentia entis abſoluti.

QVÆSTIO IV.

An eſſe menſuram, & diuidi poſſe ſint proprietates quantitatis?

Conſtitutum eſt in ſuperiori quæſtione, nec eſſe menſuram, nec diuidi poſſe, eſſe eſſentiam quantitatis, conſequens iam videtur examinemus, ſintne duo hæc proprietates ſaltim ipſius, nec ne? Et quidem neutrum illorum debere proprietatem quantitatis conſtitui, hæc argumenta ſuadent.

1. Arg. 1. Minima caro eſt vere quanta, quia eſt affecta quantitate, ſcilicet corpore: ſed minima caro nequit diuidi, repugnat enim minimo poſſe diuidi: ergo diuidi poſſe non eſt proprietas quantitatis.

2. Arg. 2. Totum naturale diuiditur in materiam & formam, & totum metaphyſicum in genus, & differentiam, atqui hæ diuiſiones non conueniunt rebus ratione quantitatis, vt ex ſe apertum ſatis ac manifeſtum eſt: ergo diuidi poſſe non erit proprietas quantitatis.

3. Arg. 3. Diuidi poſſe competit primo ſubſtantiæ quã quantitati: ergo non eſt prima illius proprietas. Confirmatur antecedens. Quando aliquod attributum competit cauſę & effectui, prius competit cauſæ quam effectui, ſed diuidi poſſe competit ſubſtantiæ, & quantitati: & ſubſtantia eſt cauſa quantitatis: ergo prius competet ſubſtantiæ, quam quantitati.

1. Obſeru. In huius quæſtionis explicationem animaduertimus primo menſuram definiri ab Ariſtot. 10 *lib. Meta. c.* 2. illud, ratione cuius quantitatem rei certo ſcimus, ſicut vlna eſt menſura panni, nam media illa cognoſcimus quantitatem panni. Debet autem menſura eſſe res indiuidua in illo genere, vnde auctore eodem Ariſt. vnitas, quæ eſt ex ſua natura indiuidua, eſt prima menſura rerum omnium. Debet præterea menſura eſſe huius rationis, vt nihil nec illi addi, nec eidẽ adimi vllo modo queat: quia ſi aliquid vel adderetur, vel adimeretur, non poſſet reddere nos certos de quantitate rei, quæ menſuratur.

2. Obſeru. Animaduertimus deinde ex D. Thom. *in opuſcul. Dialectica, tract.* 3. *cap.* 1. duplicem eſſe menſuram, vnam actiuam & alteram paſſiuam, actiua eſt, ratione cuius cognoſcimus quantitatem rei, paſſiua vero dicitur quantitas illa, quæ cognoſcitur, quemadmodum vlna panni vocatur menſura actiua, quantitas vero panni dicitur menſura paſſiua.

3. Obſer. Animaduertimus tertio, duplicem eſſe menſuram, vnam intrinſecam, & alteram extrinſecam, menſura intrinſeca eſt, quæ inhæret ſubiecto menſo: extrinſeca vero eſt, quæ inhæret in alieno ſubiecto: quemadmodum quantitas, quæ eſt in aqua, eſt illius menſura intrinſeca: at vero ſuperficies amphoræ, quæ metitur aquam extrinſece, quæ in amphora continetur, eſt menſura extrinſeca: quia non eſt in aqua, quæ menſuratur, ſed in amphora.

4. Obſeru. Animaduertimus denique, neq; ſubſtantiam, neque alia accidentia eſſe diuiſibilia per ſe, ſed ratione quantitatis, quod de accidentibus, vt albedine, v. gr. eſt apertum, diuiditur enim illa ad diuiſionem corporis, in quo reperitur: de ſubſtantia etiam eſt manifeſtum, nam illa ex ſua natura indiuidua eſt, obti-

Digitized by Google

quanta, negandum nihilominus eſſe, illa eſſe contraria.

Obiect. K. *Sed quantorum repugnantia in loco, &c.* Secunda obiectio eſt huiuſmodi: Locus eſt quãtitas, ſed locus ſuperior repugnat inferior: ergo quantitati aliquid eſt contrarium. Huic

Solut. obiectioni non ſatisfacit Ariſtotel. nos tamen poſſumus reſpondere, locum poſſe ſumi duobus modis, mathematice, vel naturaliter. Sumitur igitur mathematice, vt tantum denotat extremitatem intimam corporis ambientis: ſumitur naturaliter, quando præter hanc extremitatem denotat facultatem quandã conſeruandi corpora, quæ ſunt in loco. Si de loco primo modo loquamur, ſuperior, & inferior locus non contrariantur, quia eadem eſt ratio vtriuſque, ſcilicet continere locatum, & hac ratione locus ſuperior & inferior continentur in hac categ. Si autem loquamur de loco naturaliter, locus ſuperior cõtrariatur haud dubie loco inferiori, alia quippe facultas eſt in loco ſuperiori conſeruandi ſua corpora, & alia in loco inferiori. At locus hac ratione non continetur in hac categor. ſed in categor. qualitatis ſub ſecunda illius ſpecie, quæ eſt naturalis vis & facultas

Proprietas. L. *Nec vero illud magis aut minus, &c.* Secunda proprietas eſt, proprium eſt quãtitati non recipere magis aut minus, neque enim vnum tempus eſt magis tempus, quam aliud, aut vnus numerus eſt magis numerus, quam alius, quamuis enim vna linea ſit altera longior, vel maior, non dicitur eſſe magis linea: ſic enim linea minor eſt lõgitudo ſine latitudine, quẽadmodum linea maior. Hanc proprietatem conuenire quantitati non cõfirmat Ariſt. nos tamen illud ita poſſumus ſuadere. Illa tantum recipiunt magis & minus, quæ permiſcentur cum ſuo contrario, iuxta Ariſt. *5. Phyſ. c. 2.* ſed quantitati nihil eſt contrarium: ergo quantitas non recipit magis & minus. Verum quia hæ duæ proprietates ſunt communes quantitati cum ſubſtantia, cui etiam illæ conueniũt, aſſignanda erit quædam alia proprietas.

Proprietas. M. *At quantorũ maxime proprium, &c.* Tertia proprietas eſt. Maxime proprium eſt quantitati, vt ab ea res dicantur æquales, vel inæquales, nã duo homines ſunt æquales inter ſe, quia habent æqualia corpora. & duę lectiones ſunt æquales, quia abſoluuntur æqualibus temporibus, ſi tamen vna earum abſoluatur breuiori tempore vocabuntur inæquales. Cum ergo corpus, & tempus ſint quantitates, & ſic de aliis, maxime proprium erit quantitati, vt ab ea res dicantur æquales vel inæquales.

SCHOLIA IN CAPVT DE QVANTITATE.

A 1. Cum ſit præceptum ab Ariſt. in Topicis, voces ambiguas eſſe prius diſtinguẽdas, quam definiendas de nominis multiplici ſignificatione perturbari poſſimus; ſitq; quãtitatis nomen ambiguum, erunt prius illius ſignificationes proponẽdæ. Illas tradit D. Th. *1 p. q. 42 art. 1. ad 1.* duas illas proponens. Quarum prima eſt, in qua ſignificat perfectionem virtutemq; cuiuſq; naturæ, quę quidem ſignificatio late patens eſt, ſeſe enim diffundit per omnes categorias, nam in omnibus illis reperitur natura perfecta, & omnibus ſuis numeris abſoluta, quæ etiam Deo Opt. Max. tribuitur, eſt enim ille natura perfectiſſima, & in Pſalmis dicitur Magnus Dominus, non corpore, ſed perfectione & virtute naturæ. De hac etiam quantitate intelligendus eſt D. Auguſtin *6. lib. de Trin c. 8.* ita dicens, in his, quæ non mole, ſed virtute magna ſunt idem, eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe, ac ſi apertius ita diceret, obtinere magnitudinem in his naturis idem eſt, quod habere naturam meliorem, multoque perfectiorem. 2. Significatio quantitatis eſt, in qua denotat quantitatem molis & magnitudinis, id eſt, vel longitudinẽ, vel latitudinem, vel profunditatem. Quæ quidem ſignificatio tantũ poteſt adaptari rebus corporeis, non tamen ſpiritualibus, quia ſpiritales neque longæ ſunt, neque latæ, neq; profundæ. Cum ergo dentur hæ duæ ſignificationes quantitatis, prætermiſſa priori, cum illa non contineatur in certa categoria, agendum erit de quantitate in ſecunda ſignificatione, vt ſcilicet, ſignificat quantitatem molis, & magnitudinis.

In hac autem ſignificatione tribus definitur definitionibus. Prima, quę tradita eſt ab Ariſt. *5. lib. Metaph. cap. 13.* eſt huiuſmodi: *Quantum eſt illud, quod diuidi poteſt in ea, quæ inſunt, quorũ vnumquodque natum natum eſt eſſe hoc aliquid.* Huius definitionis prima particula *Quæ diuidi poteſt in ea, quæ inſunt*, reddit hunc ſenſum, quæ diuidi poteſt in partes, quæ actu ſunt in toto, vt linea diuiditur in partes lineæ, quæ actu ſunt in illa. Per quam partem diuiſio quantitatis diſtinguitur (vt annotat D. Thomas) à diuiſione totius mixti in elemẽta, quia elementa non ſunt actu in mixto, ſed poteſtate: vel vt annotat Alexander, ſeparatur à diuiſione generis in differentias, quæ ſola poteſtate cõtinentur in genere. Secunda particula, quorum vtrumque ſi fuerint multæ partes,

1. Obſeru.

1. Significatio quantit.

2. eius ſignif.

1. Quantit. definit.

vel

vel vnumquodque ſi fuerit vna ſola natum eſt hoc aliquid eſſe, id eſt, habere eandem naturam totius ſi a toto ipſo ſeparentur, vt partes lineæ ſeparatæ à linea ſunt lineæ, & partes extremitatis ſunt quoque extremitates, & partes corporis corpora, per quam partem ſeparatur à diuiſione ſubiecti in accidẽs a, in qua membra diuident a non obtinent naturam rei diuiſæ. Adnotandum eſt tamen hanc diffinitionem non conuenire omni quantitati, ſed ſoli quantitati permanenti, non enim conuenit tempori, neque motui, nam partes harum quantitatum non permanent ſeparatæ à toto, ſed ſtatim euaneſcunt; neque etiam conuenit numero, quia binarius v.g. non poteſt diuidi in partes quæ habeant eandem rationem cum ſuo toto; nam diuiditur in duas partes nimirum vnitates, quarum nulla per ſe ſumpta poteſt eſſe numerus. Vnde ſi cupimus definire quãtitatem in communi, illam diffiniemus iuxta hanc ſecundam definitionem, quæ ambiat omnes ſpecies quantitatis,
2. Diffin. quæ quidem habet ſe in hunc modum.

Quantitas eſt; quæ diuidi poteſt in partes diſtinctas ſecundum ſitum, ſecundum ſucceſſionem, & ſecundum ordinem. Per primam partem complectimur lineam, extremitatẽ, corpus, & locum hæ namque ſpecies habent partes extra partes diſtinctas ſecundum ſitũ; per ſecundam complectimur tempus, & orationem; quia partes harum ſpecierum ſunt diſtinctæ ſucceſſione, quędam enim aliis ſuccedunt; per tertiam denique comprehendimus numerum ipſum, qui obtinet partes diſtinctas ſecundum ordinem, hic enim ordo reperitur in partibus numeri, vt binarius ſit prior ternario, & extra illum, & ternarius ſit prior quaternario.

3. Diffin. 3 Diffin. quantitatis eſt Concilii Louanienſis definientis quantitatem (ea ratione qua Ariſt. diffinit qualitatem in propria categ.) nimirum à qua res quantæ, vel aliquot, quantæ nominatur, vt quando à linea dicuntur lõgæ ab extremitate latæ, à corpore vero profundæ: aliquot vero vt a numero, nam interrogationi effectæ per hoc aduerbium quot; reſp. numerum rei.

4. Diffin. 4. diffin. eſt. Quantitas eſt menſura ſubſtantiæ, nam cum duplex ſit menſura vna extrinſeca; & alia intrinſeca; linea extremitas, & corpus ſunt menſuræ ſubſtantiæ intrinſecæ; locus vero & tempus ſunt menſuræ extrinſecæ, vt multo vberius deinde dicemus.

Obſeru. 1. Animaduerſione tamen dignum eſt, inter has diffinitiones quantitatis propoſitas hunc eſſe ordinem, vt duæ priores ſint eſſentiales, tertia ſit tradita per effectum, & quarta per quandam proprietatem quantitatis.

A. 2. Ob quam cauſſam auſpicatus fuerit hanc categoriam a diuiſione prætermiſſa definitione dubitant interpretes. 2. Obſeru. Caietan. inquit cauſam eſſe, quia Ariſt. non inſtituit rerũ naturas & eſſentias in hoc loco explicare, ſed tantum quæ quibus locis & ſedibus continerentur: ac proinde cum diffinitio eo tradatur vt rerum naturam, & eſſentiam latentem explicet, fuit illa pręternmiſſa. At quia ex diuiſione colligitur quænam ſpecies ſub quibus locis & ſedibus collocentur, ob hanc cauſſam, categoriam à diuiſione fuit auſpicatus. B. Albert. M. *tract. 3. categ. c. 1.* reſp. hoc ideo factum eſſe, quia in hac categor. agitur de quantitate ſub ratione menſuræ, & quia quantitatis ſub hac ratione non poteſt eſſe vna & eadẽ ratio, etenim ſi cupimus ſcire multitudinẽ, & quæramus quot ſint res reſp. eſſe tot, ſcilicet decẽ aut viginti; ſi vero ſcire deſideramus magnitudinem, & quæramus quanta ſit res reſp. eſſe tantam, nimirum trium, vel quatuor cubitorum; at rationes tot & tanti in ratione menſuræ ſunt longe diuerſæ, ob hanc cauſſam nõ fuit tradita vna aliqua definitio omni quantitati conueniens.

Vel reſpondere poſſumus hoc ideo feciſſe Ariſtotel. quia cum quantitas ſit genus ſupremum, non poterat aliqua eſſentiali definitione diffiniri: ſed debuit prius Ariſtot. illius proprietates proponere, vt ex ipſis facilius multo poſſet quilibet diffinitionem aliquam accidentariam tradere ex his proprietatibus collectã, quod & nos fecimus ſuperiores definitiones proponentes.

A 3. Eſſe accuratam hanc diuiſionem quãti in continuum, & diſcretum, vel in coniunctum & deiunctum, eſſeque recte vtriuſque ſpecies ab Ariſtot. recenſitas; in hunc modum 3. obſeruat. poſſumus confirmare. Primumque eſſe optime ita diuiſam quantitatem. Partes alicuius quantitatis, vel inter ſe connectuntur, & copulantur termino aliquo communi, vel non connectuntur, neque huiuſmodi termino copulantur, ſi copulentur inter ſe termino aliquo communi, erit quantitas coniuncta, ſi vero nõ copulentur erit quantitas deiuncta, ergo optime erit diuiſa quantitas in coniunctam, & deiunctam. Præterea has quinque, lineam, ſuperficiem, corpus, tempus, & locum, in numero ſpecierum quantitatis coniunctæ eſſe iure optimo recenſitas, ex hoc arg. colli-

gere

gere poterimus aperiiſſime. Quantitas eſt menſura ſubſtantiæ, vel ergo metimur illam interne, vel externe, ſi interne, vel metimur ſecundum ſolam longitudinem & eſt linea, vel ſecundum latitudinem & eſt ſuperficies, vel ſecundum profunditatem & eſt corpus; ſi externe metiamur, vel metimur ſecundum aliquam durationem & eſt tempus, vel ambiendo rem illam & eſt locus. Adhæc numerum & orationem eſſe ſpecies quantitatis deiũctæ in hunc modum oſtendimus. Quantitas deiuncta eſt, cuius partes non copulantur termino aliquo communi, quæ vel ſunt permanentes, vel ſucceſſiuæ, ſi fuerint permanentes eſt numerus, ſi ſucceſſiuę eſt oratio, optime igitur erunt hæ ſeptem ſpecies quantitatis recenſitæ, quinq; coniunctæ & duæ deiunctæ.

4. Obſeru. A 4. Merito poterit aliquis dubitare ob quam cauſam cum concreta accidentium nõ contineantur per ſe in categoriis, vt luculenter in quæſtionibus antecategoriarum *ſect. 2. in cap. 6. quæſt. 4* oſtendimus, diuiſerit quantitatem in concreto dicens quantorum quoddam eſſe deiunctum, & aliud coniunctum. Huic dubitationi reſp. Ariſt. nomine concreti abſtractum intellexiſſe, nam idem eſt dicere: *Quantorum aliud deiunctum, & aliud coniũctum*, quod dicere quantitas alia eſt coniuncta, & alia deiuncta, vt iam in commentarijs admonebamus. Vnde Boet. grauiſſimus interpres Ariſt. in abſtracto ita interpretatur Ariſt. *Quantitas autem aliud eſt diſcretum, aliud continuum, &c.* Ratio autẽ, ob quam id quod diuiditur in hac categoria fuerit diuiſum in concreto eſt, quia proprium eſt huius categoriæ, vt ſeipſam poſſit denominare, ſitque vna & eadem res & quanta, & quantitas quamuis diuerſa ratione, nam ſi conferatur cũ ſubſtantia quantitas erit, ſi vero ad aliam quantitatem referatur quanta dicetur, vt linea ſi referatur ad ſubſtantiam erit quantitas, ſi vero ad aliam lineam comparetur dicetur quãta. Etenim cum omnis quantitas & ſit menſura ſubſtantiæ, & ab alia quantitate menſuretur, vt linea panni menſuratur à linea ligni, & corpus menſuratur a corpore, vt in ponderibus inuenimus vt ei menſura eſt quantitas, vt vero menſuratur eſt quanta. Et quia in habitudine ad ſubſtantiam eſt menſura ob hanc cauſam ſi cũ ſubſtantia conferatur erit quantitas, ſi vero cum alia quantitate quanta nuncupabitur.

G Ariſt *5. lib Metaphyſ. cap. 13.* hanc eandem repetit diuiſionem quædam (inquit) ſunt quanta per ſe, alia per accidens. Per ſe quanta dicuntur aliqua duobus modis, vel quia ſunt ſpecies illius, vt linea, corpus, extremitas, &c. vel quia ſunt proprietates eiuſdem, vt multũ, & paucum, quæ ſunt proprietates numeri, longum, & breue lineæ, anguſtum & latum extremitatis altum & humile, tum etiam graue, & leue corporis. Eademque ratione quanta per accidens dicũtur aliqua etiam duobus modis, vel quia accidunt quanto per ſe vt album & muſicum dicuntur quanta per accidens, vel quia diuiduntur ad diuiſionem alterius, vt tempus & motus appellantur quanta per accidens, quia tempus diuiditur ad diuiſionem motus, & motus ad diuiſionem magnitudinis. Multa alia poteramus hoc loco obſeruare, verum quia illa erunt in quęſtionibus proponenda, hoc loco illa prætermittimus. 5. obſeruat.

SECTIO I.

DISPVTATIO DE QVANTITATE in tres ſectiones præcipuas diſtributa.

ARGVMENTVM.

SEquitur vt poſt ſubſtantiam de quantitate illico diſputemus: Verum, quia in hac categoria multa ſeſe offerunt explicanda, vt recta methodo in illis progrediamur totam diſputationem in tres partes diſtribuemus in prima de natura & proprietatibus illius diſputabimus, & num à ſubſtantia diſtinguatur necne: in ſecunda de ſpeciebus quantitatis diſiuncta, & tandem in tertia de aliis quantitatis coniuncta diſſeremus.

QVÆSTIO I.

An prius agendum ſit de quantitate, quam de aliis categoriis acciden-tium.

CVm ſint multæ categ. accidentium certo ordine inter ſe connexæ, ac concatenatæ, æquum eſt vt inueſtigemus, quænam ex illis illico poſt ſubſtantiam ſubſequi debeat, num quantitas, vel qualitas, vel aliqua alia necne? etenim qualitatem eſſe priorem, ac proinde ab ea exordiendum fuiſſe hæc argumenta confirmare videntur.

1. Argum. Leſt: Id quod indiuiduum eſt, prius eſt, eo quod diuiduum eſt; ſed quantitas eſt diuidua; ergo qualitas erit prior quantitate.

2. Arg. 2. eſt: Ea quæ ſunt vniuerſaliora, ſunt priora minus vniuerſis, ſed qualitas eſt vniuerſalior quantitate, cum conueniat ſubſtantiis corporeis, & incorporeis, quantitas vero ſolis corporeis ſubſtantiis, iam ergo agendũ prius erit de qualitate, quam de quantitate.

3. argum. 3. Generatio eſt prior quantitate, ſed generatio eſt qualitas; ergo qualitas erit prior quantitate, & ita prius agendum erit de illa. Confirmatur aſſumptio: Generatio eſt prior ſubſtantia: ſed ſubſtantia eſt prior quantitate: ergo generatio erit de quantitate.

4. Arg. Iam. Subſtantiæ ſpiritales ſunt priores corporeis, ergo accidentia ſpiritalia erunt quoque priora corporeis, ſed quantitas eſt accidens corporeum, multæ vero qualitates ſunt ſpiritales, ergo qualitas erit prior quantitate.

1. Opinio. Architas Tarentinus vt teſtatur Simplicius *in comment.* & Plotin. vt refert Dexippus *3. lib. q. c.* 5. propter hæc & alia huius generis argumenta reprehendunt Ariſt. eo quod ante qualitatem egerit prius de quantitate, putant enim qualitatem eſſe priorem quantitate, ac proinde de ea prius Ariſtotel. diſputare debuiſſe.

Cæterum optima methodo prius de quantitate, quam de qualitate egiſſe nonnullis atgum. ex Simpl. Amm. & Boet. *in comm.* Dexip. *Vbi ſup. Porph. in inter. de quant. c. 1.* B. Alb. M. *tract. 1 de quant. c. 1.* & aliis interpretibus collectis poſſumus demonſtrare.

1. argum. Leſt: Quia quantitas immediatius conſequitur ſubſtantiam, quam qualitas, nam eo ipſo quo eſt ſubſtantia, vel eſt vna, vel multiplex, quæ numerum indicant ſub quantitate cõprehenſum, at non eo ipſo quo eſt ſubſtantia eſt calida, vel frigida, atra vel candida, quę ſunt qualitates, tum etiam quia *ſuper. cap.* ſubſtantia diuiſa fuit in primam, & ſecundã, quæ numerum ſub quantitate continentem præſe ferre videntur.

2. eſt: Omne corpus illico affici debet trina dimenſione, nimirum longitudine, latitudine, & profunditate, at nõ illico afficitur qualitate, non enim illico afficitur candore, vel atrore, vel alia huiuſmodi qualitate; nam vt his qualitatibus afficiatur debet prius affici dimenſione aliqua, quare quantitas prior erit qualitate, ac proinde de ea prius, quam de qualitate fuit inſtituenda diſputatio. 2. Arg.

Adhæc: Quantitas affinior eſt ſubſtantiæ, quam qualitas, nam neque habet contrariũ, neque recipit magis & minus, at qualitas diſſimilis eſt ſubſtantiæ, cum & habeat contrarium, & magis ac minus recipiat. Cum igitur prius ſit agendum de accidente affiniore ſubſtantiæ, quam de illo, quod minorem habet affinitatem, procul dubio agendum prius fuit de quantitate, quam de qualitate. 3. Argum.

Cæterum quamuis omnes hæ rationes ſint ſatis accommodatæ, ſi tamen inſtitutum Ariſtot. in his categ. perpendamus iure optimo prius de quantitate, quam de qualitate egiſſe intuebimur apertiſſime, inſtituit enim potiſſime agere de ſubſtantia corporea, & materiali, eo quod vicinior ſit noſtris ſenſibus, ipſique ad cognoſcendum facilior, aliæ namque ſeparatæ ſubſtantiæ obſcuræ ſunt, & cognitu difficiles. Vnde agendum erit prius de his accidentibus, quæ prius ac immediatius inſunt ſubſtantiæ materiali, cumque inter illa quantitas prius & immediatius inſit ſubſtantiæ materiali, quam qualitates corporeæ agendum fuit ipſi prius de quantitate, quam de qualitate. Quantitatem autem conſequi prius, & immediatius ſubſtantiam, quam qualitatem, ex eo colligere poterimus; quia quãtitas conſequitur materiam, qualitas vero formam, at accidentia conſequentia materiam priora ſunt iis quæ conſequuntur formam, ſicuti & materia ipſa prior eſt forma. Quamuis itaq; qualitates ſpiritales ſint priores quantitate, tamen propter rationem aſſignatam agendum eſt prius de quantitate, quam de qualitate. Ad ult.

Occurramus demum argumentis propoſitis. Ad 1. reſp. propoſitionem eſſe veram, ſi indiuiduum eſt principium, & cauſa diuidui: quemadmodum vnitas eſt principium numeri, eſſe autem falſam ſi indiuiduum non ſit cauſa diuidui, & quia qualitas, quamuis indiuidua, nõ eſt cauſa quantitatis nõ propterea erit illa prior. Ad 2. reſp. propoſitionẽ eſſe verã ſi minus vniuerſa ſecundum eſſentiam contineatur Ad 1. arg. Ad 2.

tineantur ſub magis vniuerſis: ſin minus eſſe falſam, quemadmodum animal eſt prius homine, quia homo continetur ſub animali. at vero quantitas non continetur ſub qualitate, & ita non erit prius agendum de qualitate, quam de quantitate.

Ad 3. Ad 3 reſp. Inprimis negando propoſitionem; quia generatio non eſt qualitas, ſed renocātur ad categoriam ſubſtantiæ, quæ generantur. Reſp. Deinde quaſdam eſſe qualitates quæ ſunt viæ ad ſubſtantiam cuiuſmodi eſt generatio, & alias eſſe, quæ conſequūtur ſubſtantiam conſtitutam idque genus ſunt albedo, & nigredo. Eſt igitur quantitas prior accidentibus, & qualitatibus conſequētibus ſubſtantiam conſtitutam, vt albedinē v.g. & nigredinem, non eſt autem prior iis qualitatibus, quæ ſunt viæ ad ſubſtantiam conſtituendam.

Ad 4. Ad 4. reſpond. Admittentes multas qualitates ſpirituales eſſe priores quantitate, quantitas tamen eſt prior omnibus qualitatibus corporeis, & quia præcipuum Ariſtot. inſtitutum eſt agere de ſubſtantia corporea, & eius accidētibus, inter quæ principem ſibi locum vendicat quantitas, propterea agendum erit prius de quantitate, quam de qualitate, & de relatione, quia fundamentum relationis eſt quantitas, quamuis quædam relationes fundentur in ſubſtantia vt eſt relatio identitatis quibus quamuis ſit poſterior quantitas, eſt tamen prior omnibus relationibus quæ fundatur in aliquo accidēte corporeo, & ita prius agendum fuit de quantitate, quam de relatione.

QVÆSTIO II.

An Dialecticus & Metaphyſicus diſputent de quantitate ſub eadem ratione.

HÆc controuerſia ortum habet ex eo, quod Ariſt. *5. Metaphyſ. cap* 13. diſputans de quantitate paulo aliter de ipſa, quam in hoc loco differere viſus fuit: quod non leue eſt argumentum, illum diuerſo conſilio in Metaphyſica, & in hoc loco de quantitate diſputaſſe. *Dubitat. mjetur.* Quatuor igitur ſunt dubitationes, quæ ex Metaphyſico colliguntur, aduerſus ea quæ hoc loco tradita fuerunt. Prima eſt, quia in hac categoria docet tempus eſſe ſpeciem quantitatis per ſe, at *5. Metaphy* conſtituit eſſe quantitatem per accidens. Secūda, quia cum *5 lib. Metaphyſ.* decernat motum eſſe quantitatem quamuis per accidēs, hoc loco nullam facit de illo mentionem. Tertia eſt, quia in hac catego. inter ſpecies quantitatis per ſe recenſuit locū, at *5. Metaph.* ne vnum profert de loco verbum. Quarta eſt de oratione, nam in hac categ. illam adducit inter ſpecies quantitatis: *lib. autem 5 Metaph.* ne recordatur ſolum illius: Propter has dubitationes, vt Ariſt. conciliare videantur interpretes quidam exiſtimant Ariſt. alio atque alio inſtituto, & conſilio agere de quantitate in his vtriſque locis, vtpote in Dialectica de ratione menſuræ, in Metaphyſica vero ſub ratione diuiſionis. Hęc ſententia eſt D. Tho. *in comm. in c. 13. lib. 5. Met.* B. Alb M. *tract.* 8 *dial. c.* 10. Iauelli *5. lib. Metaph. tract. 2. c. 8.* Sonci. & fere omnium Latinorum. *1. Interpret.*

2. Interpret. Alii tamen exiſtimant vno, & eodem conſilio atque ratione, Ariſt. de quantitate & in dialectica, & in Metaphyſica diſputaſſe, ſub vtraque ratione menſuræ nimirum, & diuiſionis vtrobique de quantitate inſtituens ſermonem. Quæ ſententia multis ex recentioribus placuit. Ego vero exiſtimo Ariſt. in metaphyſ. agere de quantitate ſub ratione diuiſionis, quia tantum agit de eius natura, quæ eſt diuidi poſſe remote: in Dialectica vero agere de eadem ſub vtraque ratione & menſuræ, & diuiſionis, quamuis pręcipue agat de quantitate ſub ratione menſuræ, & vult D. Tho. minus vero præcipue ſub ratione diuiſionis. Agere autem etiam ſub ratione diuiſionis de quantitate in Dialectica conſtare poteſt; tum primo, quia definit in categ. iſta quantitatem continuam illam, quæ habet partes copulatas termino communi, deiunctam vero; quæ habet partes non copulatas termino aliquo cōmuni; hoc autem nihil aliud eſt, quam diuidi in partes. Tum ſecundo, quia Dialecticus non mutat rerum eſſentias, cum ergo quantitas vnam obtineat eſſentiam, quę eſt diuidi poſſe aget proculdubio Dialecticus hoc in loco de quantitate etiam ſub ratione diuiſionis. Diſputare vero ſub ratione menſuræ ex eo confirma. quia probat in hac categoria orationem eſſe quantitatem, quia menſuratur ſyllaba longa, & breui. Verum, quia ad Dialecticum non ſpectat agere de rerum eſſentiis, niſi ea ratione, vt earum beneficio probe teneamus proprietates, & cætera, quæ pertractantur in arte. propterea Dialecticus potiſſime diſputat de quantitate ſub ratione cuiuſdā proprietatis, quæ eſt eſſe menſuram ſubſtantiæ & non ſub ratione diuiſionis.

Æquum erit iam propoſitis difficultatibus ſatisfacere, animaduerſo prius Ariſt. diſputaſſe in Dialectica, de categorijs communi quadam, & populari ratione, prætermiſiſſeque multa quæ accurate poterant pertractari. Et- *1. obſeruatio*

enim

enim in categoria ſubſtantiæ prætermiſit diuiſionem illius in materiam, formam, & totũ compoſitum, tam approbatam ab ipſo in aliis operibus.

2. Obſeruatio. Animaduerſo deinde Ariſt. tantum propoſuiſſe in Metaphyſ. ſpecies quantitatis per ſe, quæ primo, & per ſe diuiduntur, cæteras vero quæ non diuiduntur primo & per ſe, ſed ratione alterius, non propoſuiſſe inter ſpecies quantitatis per ſe, quia cum agat de quantitate ſub ratione diuiſionis illas vocat ſpecies per ſe, quæ primo & per ſe diuiduntur, & illas per accidens, quæ diuiduntur ad diuiſionem alterius. Quibus annotatis. Breuiter ab his difficultatibus propoſitis expedit ſe Auerroes *in comment. in c. 13. lib. 5. Metaph.* dicens Ariſt. in hac catego. conſtituiſſe ex aliorum opinione locũ, tempus, & orationem eſſe ſpecies quantitatis, quia (inquit) ſuo ſæculo hæ erant famoſæ ſpecies quantitatis. Cæterum 5. *lib. Metaph.* propriam proferens ſententiam, hęc tria reiicit a numero ſpecierum quantitatis per ſe. Secutum autem eſſe Ariſt. in hac catego. aliorum opinionem ex eo conſtare poteſt, quia locum docuit eſſe corpus, & habere eundem terminum cum corpore, quam quidem opinionem 4. *Phyſic. cap. 4.* confutat multis argumentis.

2. Solutio. Alii vero cum Simplicio reſpond. eiſdem hac ratione. Ad primam, & vltimam (de oratione nimirum ac tempore) dicunt hæc vtraque 5. *lib. Metaph.* eſſe prætermiſſa inter ſpecies quantitatis per ſe, quia hæc non diuiduntur primo, tempus enim diuiditur ad diuiſionem motus, & oratio ad diuiſionem ſpiritus emiſſi, illam enim vocamus orationẽ longiorem, quæ emittitur maiori ſpiritu, breuiorem vero quæ ſpiritu minori emittitur; Metaph. autem tantum diſputat de quantitatib. quæ primo, & per ſe diuidũtur. At vero, quia Logicus craſſa Minerua diſputat de quantitate ob hanc cauſam agit de tempore & oratione, quæ ſunt quædam quantitates ratione aliorum. Ad ſecundam vero de motu dicunt illum eſſe connumeratũ inter ſpecies quantitatis per accidens, quia non diuiditur per ſe, ſed ad diuiſionem magnitudinis: eſſe autem prætermiſſum, in hac categ. eo quod ſolum in illa ſint propoſitæ ſpecies, quæ quantitatis duntaxat, & non alterius cuiuſpiam categ. ſunt ſpecies, at motus non quantitatis ſolius, ſed multarum etiã aliarum categ. eſt ſpecies, nam vt fluit ab agẽte actio, vt recipitur in patiente eſt paſſio & ratione termini aliquando eſt in categ. quantitatis, vt eſt motus augmenti & decrementi, aliquando in categ. vbi ſicut eſt motus alterationis, & aliquando in categ. vbi, ſicut eſt motus ad locum, & ita non continetur in hac categ. nec inter eius ſpecies recenſetur. Ad aliam vero dubitationem de loco dicunt illum non diuidi primo & per ſe, ſed ratione extremitatis, & ita fuiſſe prætermiſſum ab Ariſt. in metaph. at vero in hoc loco fuiſſe connumeratũ inter quantitatis ſpecies, quia diſputat de quantitate craſſa minerua.

D. Tho. his dubitationibus accurate reſp. animaduertens prius Dialecticum diſputare de quantitate ſecundum menſuram; Metaph. vero ſub ratione diuiſionis. Vnde primæ, ſecundæ, & tertiæ dubitationi reſpon. in Metaphyſ. tempus, & motum dici quanta per accidens, quia diuiduntur ad aliorum diuiſionem tempus ad diuiſionem motus, & motus ad diuiſionem magnitudinis, & orationem eſſe prætermiſſam ob eandem rationem, quia nõ diuiditur per ſe, ſed ratione aeris verberati. In Dialectica autem recenſuiſſe Ariſt. tempus & orationem inter quantitates per ſe, quia tempus obtinet propriam rationem menſuræ diſtinctam à motu, & oratio itidem, quæ eſt menſura ſyllabæ longæ & breuis. 3. Solutio.

Ad tertiam vero de loco, eodem modo reſpondet locum non diuidi per ſe, ſed ratione extremitatis, & ita fuiſſe prætermiſſum ab Ariſt. in Metaphy. in hoc autem loco cum agat de quantitate ſub ratione menſuræ, & locus ſit menſura diſtincta a ſuperficie, quia locus eſt menſura extrinſeca; ſuperficies vero menſura intrinſeca ob hanc cauſam fuit ab Ariſt. propoſitus inter ſpecies quantitatis per ſe.

Quidam recentiores propoſitas dubitationes hoc modo diſſoluunt. Ad primam, ſecundam, & quartam, dicunt motum, & tempus eſſe propoſita inter ſpecies quãtitatis per accidens, & orationem eſſe prætermiſſam, quia Ariſt. in Metaphyſ. tantum diſputat de quantitate, quæ habet partes permanentes, vt conſtat ex definitione quanti propoſita cuius vltima particula indicat quantum eo loco explicatum debere eſſe permanens, vt expoſuimus in annotationibus explicãtes definitionem; at vero cum Ariſt. in hac categor. diſputet de omni quantitate tam permanente, quã ſucceſſiua, recenſuit tempus, & orationem inter ſpecies quantitatis per ſe, motum autem prætermiſit, quia eſt idem cum tempore. Ad ſecundam vero dubitationem de loco reſpõdent non fuiſſe prætermiſſum 5. *lib. Metaphyſ.* nam cum locus ſit extremitas, nomine extremitatis complexus eſt etiam locum. 4. Solutio.

QVÆST. III.

An diuidi poſſe ſit eſſentia quantitatis, necne?

HÆc quæſtio valde agitata & controuerſa eſt inter Philoſophos, in qua primo confirmandum erit eſſe menſuram eſſe propriam rationem quantitatis deinde poſſe diuidi non eſſe rationem eiuſdem.

1. argum. 1. Igitur argumentum ſit ea D. Tho petitũ, qui in opuſculo de natura loci hanc ſententiam apertiſſime profitetur.

2 Argum. 2 Ariſtot hic ex eo probat orationem eſſe quantam, quia menſuratur ſyllaba longa, & ſyllaba breui: ergo eſſe menſuram erit ratio quantitatis.

3. Arg. 3 Si ratio menſuræ nõ eſſet eſſentia quantitatis ſequeretur locum, & ſuperficiem, non eſſe ſpecies diſtinctas ipſius, quia non differũt in ratione diuiſionis, ſed tantum in ratione menſuræ, quia locus eſt menſura extrinſeca, ſuperficies vero menſura intrinſeca: atqui hoc repugnat Ariſt. conſtituenti in hoc categ. locum, & ſuperficiẽ eſſe diſtinctas ſpecies quantitatis: ergo ratio menſuræ erit eſſentia quantitatis.

Deinde oſtendamus poſſe diuidi non eſſe illius eſſentiam.

1. Arg. Primo in hunc modum. Potentia & actus continentur in eadem categ. vt paſſim docet Ariſt. *in Metaphy* ſed actu diuidi non eſt de eſſentia quantitatis: ergo neque poſſe diuidi erit de eſſentia illius.

2. argum. Præterea: Eſſentia alicuius generis debet ex æquo conuenire omnibus ſuis ſpeciebus; ſed poſſe diuidi non competit ex æquo quantitati coniunctæ, & disiunctæ, quia diſiuncta actu eſt diuiſa, coniuncta vero ſola poteſtate; ergo poſſe diuidi nõ erit eſſentia quantitatis.

3. Argum. Adhæc: nulla relatio eſt de eſſentia abſoluti, ſed poſſe diuidi eſt relatio quædam rei, quę diuiditur ad partes in quas diuiditur; cum ergo quantitas ſit ens abſolutum, diuidi poſſe non erit de eſſentia illius.

1. Opin. De quæſtiſta (graui illa quidem) eſt prima opinio quorũdam aſſerentium nullam eſſentiã quantitatis poſſe a nobis aſſignari, ſed eſſe illam obſcuram & latentem, nam hæc omnia quatuor quæ ſunt tributa quantitati ab Ariſt. nimirum poſſe diuidi, eſſe finitam, vel infinitam, eſſe æqualem, & eſſe menſuram, ſunt illius proprietates ita inter ſe affectæ, vt poſſe diuidi ſit prima proprietas ſecunda eſſe finitum, tertia eſſe æquale, vel inæquale, quarta eſſe menſuram ſubſtantiæ. Hanc opinionem tenent Anton Andr. *lib. Metaph. q.* 10 & Scot. *in eod. lib. quæſt* 9. & cum ipſis reliqui Scotiſtæ.

id opinio per M. Feijoo tom. 8 Theatri critici pag. 13

2. Opinio eſt multorum veterum Latinorũ aſſerentium eſſe mẽſuram ſubſtantiæ eſſe naturam, & eſſentiam quantitatis. Quam opinionem ſequuntur ducti auctoritate D Tho. *in opuſc. de natura loci*, vbi confutatis aliis opinionibus inquit hanc eſſe eſſentiam quantitatis. 2. Opinio.

3. Opin eſt, quam ſequitur D. Th. *1. ſen. diſt.* 19. *q. 1 art. 1. ad 1. arg. & in comm. in lib. 5. Metaph. c.* 13. atq; multis aliis in locis, & fere omnium Thomiſt. vt Sonc. *5. lib Metaph. q.* 25. Iauel. *q.* 20. & Aquar *q.* 11 exiſtimantium eſſentiam quantitatis eſſe poſſe diuidi in partes eiuſdem rationis cum ſuo toto, quia hanc naturam tribuit illi Ariſt. *in Metaphyſ.* vbi explicantur omnium rerum naturæ & eſſentiæ. 3. Opinio

4. Opinio eſt Soti *in hu commen.* Petri Nigri *2 p. clypei q.* 15. Tolet. *q.* 1. & Durand. *in 4. diſt.* 5. *q.* 1. *in fin.* ac multorum recentiorum conſtituentium rationem & eſſentiam quantitatis eſſe habere partium dilationem, & extenſionem, ſeu habere partem extra partem, nam hoc eſt multo prius quam poſſe diuidi, ex eo enim quantitas diuidi poteſt in partes quæ inſunt, quia prius habet partes extenſas, & dilatatas, vnde non diuidi poſſe, ſed habere partes extenſas erit eſſentia quantitatis. 4. Opinio.

Nos vero his omnibus propoſitis, vt verã ſententiam explicemus animaduertimus primo cum Sueſſano *q. 9. lib. 5. Metaphy.* duplicem eſſe potentiam ad diuidendum, proximam vnam, & alteram remotam. Proxima eſt, quæ immediate eſt ratio, vt quantitas diuidi poſſit in partes eiuſdem rationis, remota vero eſt à qua fluit huiuſmodi potentia proxima: quẽadmodum duplex eſt in homine facultas & potentia ad ratiocinandum vna proxima, & hæc eſt intellectus, qui immediate ratiocinatur; & altera remota, quæ eſt ipſa anima à qua fluit intellectus. Scio hanc diſtinctionem non placere Aquario propter argumentum ſatis futile, quia inquit idem nequit eſſe attributum de eſſentia, & proprietas vel accidens alicuius rei; ſed potentia ad diuiſionem iuxta nos eſt accidens quantitatis, ergo non erit de illius eſſentia. Cui reſpondendum breuiter eſt potentiam proximam ad diuiſionem eſſe accidens, & proprietatem: remotam vero eſſe illius naturam, vnde cum hæ duæ potentiæ ſint ab inuicem diſtinctæ, non ſequitur eandem rem eſſe de eſſentia, & eſſe accidens. 1. obſeruatio

Animaduertimus ſecundo potentiam remotam ad diuiſionem in quantitate nihil 2. Obſeru.

aliud

aliud eſſe, quam habere partium extẽſionem & dilatatiõnẽ, ex eo ſiquidem poteſt quantitas diuidi in partes eiuſdem rationis, vt linea in partes lineæ, quia ſunt illę prius in toto extenſæ, & dilatatæ.

3. Obſeru. Adnotamus tertio eſſe multa genera diuiſionum, ſicuti & multa ſunt genera totius, nam quædam eſt diuiſio totius naturalis in materiam & formam, alia eſt totius Metaph. in genus & differentiam, alia totius vniuerſi in ſua inferiora, alia totius poteſtate in ſuas potentias cuiuſmodi eſt diuiſio animæ in intellectum, memoriam, & voluntatem: alia eſt diuiſio totius integri vel in partes eiuſdem rationis cuiuſmodi eſt diuiſio carnis, vel in partes diuerſæ rationis ſicut diuiſio corporis in caput, brachia, & pedes. Cum ergo tot ſint genera diuiſionis, quando in hac quæſtione quærimus, an diuidi poſſe ſit eſſentia quantitatis, tantum quærimus de diuiſione totius in partes continuas, vt totius in partes ſimilares, vel in partes diſcretas quarum vna ſit extra aliam.

1. concluſio. His conſtitutis ſit prima concluſ. Eſſe menſuram non eſt ratio, & eſſentia quantitatis. Confirmatur his argumentis.

1. argum. Primum eſt: Eſſe menſuram conuenit primo vnitati ſecundum Ariſt 10. *lib. Metaph. cap.* 1. ſed vnitas nõ eſt quantitas, ſed principium illius; ergo eſſe menſuram non erit eſſentia quantitatis cum conueniat primo alteri à quantitate.

2. argum. 2. Ratio quantitatis debet eſſe ex æquo ſuis ſpeciebus competere: ſed ratio menſuræ non competit ex ęquo quantitati coniunctę, & diſiunctæ, cum prius competat quantitati diſiunctæ (vt numero) ex Ariſt. loco citato, ergo ratio menſuræ non erit ratio quantitatis.

3. argum. 3. arg. Ratio menſuræ reperitur in omnibus generibus, vnumquodque enim, quod eſt perfectiſſimum in aliquo genere eſt menſura cæterorum, quæ in tali genere ſunt contenta, vt in genere colorum albedo eſt menſura & in genere ſaporum dulcedo, vt docet Ariſtotel. 10. *Metaphyſ. cap.* 2. ſed eſſentia quantitatis non poteſt ſe diffundere ad alias categorias; ergo eſſe menſuram non erit ratio quantitatis.

4. argum. Iam: Eſſentia quantitatis debet conuenire omni quantitati, ſed eſſe menſuram nõ competit omni quãtitati, nam ſi daretur linea infinita eſſet illa vera quantitas, quæ tamẽ neq; poſſet menſurare, neque menſurari, quia infinitum neque eſt menſura, neque menſurabile, ergo non erit hæc ratio quantitatis.

2. concl. 2. concluſ. Poſſe diuidi ſi ſumatur pro potentia proxima ad diuiſionem non eſt de eſſentia quantitatis. Hanc concluſionem ita confirmamus.

1. argum. 1. Eſſentia cuiuſque rei eſt illud quod primo illi competit; ſed poſſe diuidi non competit primo quantitati, ſed habere partem extra partem, quia ex eo aliquid poteſt diuidi, vt adnotauimus, quia habet partium extenſionem, ergo poſſe diuidi non erit eſſentia quantitatis.

2. Argum. 2. Eſſentia non poteſt concludi per demonſtrationem de re habente illam, cum ſit illa ante demonſt. prænoſcenda, vt docet Ariſt. 1. *de demonſt.* at Ariſt 6 *Phyſ.* concludit de quantitate illam poſſe diuidi, ergo poſſe diuidi non erit eſſentia quantitatis. Quod ſi dicas Ariſt non concludere de quantitate, eo loco poſſe diuidi, ſed poſſe diuidi in infinitum; & hoc nõ eſſe eſſentiam, ſed proprietatem, quia eſſentia tantum eſt poſſe diuidi abſolute. Hãc ſolutionem ita reiicio. Ariſtotel. ex eo probat quantitatem coniunctam, vt lineam poſſe diuidi, quia componitur ex partibus diuiſibilibus, vt linea ex eo diuiditur, quia cõponitur ex partibus lineæ: ſed hæc ratio probat abſolute quantitatem diuidi poſſe, & non tantum in infinitum; ergo ſolutio eorum nulla erit. Præterea infinitum diuiſione, cum ſit infinitum poteſtate, & ſecundum quid non poteſt vlla ratione mutare naturam & eſſentiam rei, ſed poſſe diuidi abſolute iuxta illos eſt natura quantitatis, ergo & poſſe diuidi in infinitum. Vnde quemadmodum dicunt Ariſt. cõcludere de quantitate poſſe diuidi in infinitum debent etiam aſſerere poſſe diuidi abſolute cõcludi ab Ariſt. de quantitate.

3. concl. 3. concluſ. Habere partem extra partem, vbi habere partes extenſas, & dilatatas eſt natura & eſſentia quantitatis. Confirmatur his argumentis.

1. argum. Primum eſt: Illud eſt de eſſentia cuiuſque rei in quod reſoluuntur eiuſdem proprietates; at proprietates quantitatis reſoluuntur in hoc, quod eſt habere partem extra partem, nam prima quantitatis proprietas, quę etiam iuxta Scotiſtas eſt poſſe diuidi, reſoluitur in hoc, quod eſt habere partes extenſas, quia ex eo poteſt aliquid diuidi in partes, quia habet prius illas in toto extẽſas, quod ſi prima proprietas reſoluitur in hanc rationem, & reliquæ quoque debent in eandem reſolui; ergo habere partium extenſionem erit ratio quantitatis.

2. argum. Secundũ. Illa eſt aſſignanda ratio alicuius

ſeca, & ita conſtituunt a logico dictæ ſpecies, quia logicus non diſputat de quantitate ſub illius natura, ſed ſub quadam ipſius proprietate, nimirum menſurare: at Metaphyſicus, qui diſputat de rebus, iuxta earum naturas, non conſtituit locum, & ſuperficiem diuerſas ſpecies quantitatis, vt oſtendemus deinde.

Ad 1. arg. Ad 1. argum. ſecundi ordinis admittimus propoſitionem, ſi illa intelligatur in hunc modum: quemadmodum actus continetur in aliqua categoria, ita potentia ad illum actum continetur in eadem categoria: hac autem ratione intellecta huiuſmodi propoſitione, nihil contra nos concludit argumentum, tantum enim colligit, quod quemadmodum actus diuiſionis continetur in categoria quantitatis, ita & potentia ad diuidendum continetur in eadem categoria. Quam eandē propoſitionem negamus, ſi hoc alio modo illa intelligatur. Quemadmodum actus non eſt de eſſentia alicuius, ita neq; potentia eiuſdē, nam actu moueri non eſt de eſſentia entis mobilis, poſſe tamē moueri eſſe de eſſentia illius: vnde quamuis actu diuidi non ſit de eſſentia quantitatis, poſſe tamē diuidi erit de eſſentia illius.

Ad 2. Ad 2. reſpondent Soncinas & Iauellus, quantitatem deiunctam non eſſe actu diuiſam (vt eſt numerus) ſi ſumatur illa formaliter, quamuis ſit diuiſa materialiter, nam numerus quaternarius vt continetur ſub ſua forma, non eſt actu diuiſus in alias formas, & ſpecies, quia forma eſt vna & indiuiſa, quamuis ſit diuiſus ſecundum vnitates, quæ ſunt materia numeri. Et ita poſſe diuidi ex æquo competit vtrique quantitati coniunctæ & deiunctæ.

Ad 3. Ad 3. reſp. relationem categor. non eſſe de eſſentia abſoluti, vt paternitas non eſt de eſſentia hominis, relationem tamen tranſcendentem, cuiuſmodi eſt hæc relatio rei, poſſe eſſe de eſſentia entis abſoluti.

QVÆSTIO IV.

An eſſe menſuram, & diuidi poſſe ſint proprietates quantitatis?

Conſtitutum eſt in ſuperiori quæſtione, nec eſſe menſuram, nec diuidi poſſe, eſſe eſſentiam quantitatis, conſequens iam videtur examinemus, ſintne duo hæc proprietates ſaltim ipſius, nec ne? Et quidem neutrum illorum debere proprietatem quantitatis conſtitui, hæc argumenta ſuadent.

1. Argu. 1. Minima caro eſt vere quanta, quia eſt affecta quantitate, ſcilicet corpore: ſed minima caro nequit diuidi, repugnat enim minimo poſſe diuidi: ergo diuidi poſſe non eſt proprietas quantitatis.

2. Totum naturale diuiditur in materiam & formam, & totum metaphyſicum in genus, & differentiam, atqui hæ diuiſiones non conueniunt rebus ratione quantitatis, vt ex ſe apertum ſatis ac manifeſtum eſt: ergo diuidi poſſe non erit proprietas quantitatis. *2. Arg.*

3. Diuidi poſſe competit primo ſubſtantiæ quā quantitati: ergo non eſt prima illius proprietas. Confirmatur antecedens. Quando aliquod attributum competit cauſę & effectui prius competit cauſæ quam effectui, ſed diuidi poſſe competit ſubſtantiæ, & quantitati & ſubſtantia eſt cauſa quantitatis: ergo prius competet ſubſtantiæ, quam quantitati. *3. Arg.*

In huius quæſtionis explicationem animaduertimus primo menſuram definiri ab Ariſtot. 10 *lib. Meta. c.* 1. illud, ratione cuius quantitatem rei certo ſcimus, ſicut vlna eſt menſura panni, nam media illa cognoſcimus quantitatem panni. Debet autem menſura eſſe res indiuidua in illo genere, vnde auctore eodem Ariſt. vnitas, quæ eſt ex ſua natura indiuidua, eſt prima menſura rerum omnium. Debet præterea menſura eſſe huius rationis, vt nihil nec illi addi, nec eidē adimi vllo modo queat: quia ſi aliquid vel adderetur, vel adimeretur, non poſſet reddere nos certos de quantitate rei, quæ menſuratur. Animaduertimus deinde ex D. Thom. *in opuſcul. Dialectica, tract. 3, cap.* 1. duplicem eſſe menſuram, vnam actiuam & alteram paſſiuam, actiua eſt, ratione cuius cognoſcimus quantitatem rei, paſſiua vero dicitur quantitas illa, quæ cognoſcitur, quemadmodum vlna panni vocatur menſura actiua, quantitas vero panni dicitur menſura paſſiua. Animaduertimus tertio, duplicem eſſe menſuram, vnam intrinſecam, & alteram extrinſecam, menſura intrinſeca eſt, quæ inhæret ſubiecto metito: extrinſeca vero eſt, quæ inhæret in alieno ſubiecto: quemadmodum quantitas, quæ eſt in aqua, eſt illius menſura intrinſeca: at vero ſuperficies amphoræ, quæ metitur aquam extrinſece, quæ in amphora continetur, eſt menſura extrinſeca: quia non eſt in aqua, quæ menſuratur, ſed in amphora. Animaduertimus denique, neq; ſubſtantiam, neque alia accidentia eſſe diuiſibilia per ſe, ſed ratione quantitatis, quod de accidentibus, vt albedine, v. gr. eſt apertum, diuiditur enim illa ad diuiſionem corporis, in quo reperitur: de ſubſtantia etiam eſt manifeſtum, nam illa ex ſua natura indiuidua eſt, obtinet- *1. Obſeru.* *2. Obſeru.* *3. Obſer.* *4. Obſeru.*

tro, nulla eſt continuitas in eius natura, & ita non fluet ac redigerur in punctum. Maneret ergo, meo iudicio, huiuſmodi natura indiuidua ſecundum quantitatem, eſſetq; illa in loco definitiuo, quia ita eſſet ibi, vt alibi non eſſet, non autem circumſcriptiuo, cum nullam haberet quantitatem. Verum de hac re poſtea in quæſtione quadam huius categoriæ erit d ffuſior oratio iterum repetenda.

QVÆSTIO V.

An quantitas re ipſa diſtinguatur à ſubſtantia, nec ne?

INter eas quęſtiones, quę fuerunt olim multis clamoribus inter Philoſophos agitatæ, hæc vna eſt, ſitne quantitas re ipſa diſtincta à ſubſtantia, nec ne? quibuſdam mordicus aſſerentibus, non eſſe diſtinctam: aliis vero contra ſentientibus, eſſe diſtinctam. Proponemus igitur optimis argumenta illorum, qui contendunt probare, non eſſe re ipſa diſtinctam, nam formaliter differre omnes admittunt.

1. *Arg.* Primum eſt: Subſtantia ex ſua natura habet partem extra partem, ergò cum habere partem extra partem ſit eſſentia quantitatis, ſubſtantiæ & quantitas vnum atque idem erunt. Confirmatur antecedens. Quemadmodum ſubſtãtia eſt prior quantitate ita & partes ſubſtantiæ ſunt priores quantitate: ſed in ſubſtantia vna pars eſt extra aliam, ergo ſubſtantia ex ſua natura habet partem extra partem.

2. Subſtantia ex ſua natura habet partem extra partem, ergo non differt re ipſa à quantitate. Confirmatur antecedens. Sit aliquis homo (v.g. Petrus) in aliquo loco, ponamuſque Deum auferre ab eo quantitatẽ, rogo tũc temporis Petrus erit in loco, vel non erit? Si eſt in loco, cum omne, quod eſt in loco, debeat habere partem extra partem in illo, Petrus habebit partem extra partem ſine quantitate. Si vero non ſit in loco, in quo antea ponebamus eſſe, ſic argumentor: Quidquid non eſt in loco, in quo antea erat, non poteſt non eſſe in illo; niſi quia mouetur ex illo ad alium locum: ſed omne, quod mouetur, ſecundum Ariſtot. 6. *Phyſicor.* eſt diuiſibile, & habet partem extra partem: cum igitur eſſentia quantitatis ſit habere partem extra partem, quæ (vt probatum eſt) competit ſubſtantiæ ex ſua natura, ſubſtantia non diſtinguetur re ipſa à quantitate.

3. *Arg.* 3. Quælibet res poteſt intelligi abſq; eo quod eſt idem ſibi ipſi: ſed ſubſtantia corporea non poteſt intelligi ſine corpore, quod eſt quantitas, ergo quantitas eſt idem cum ſubſtantia.

4. *Arg.* Ad hæc, quæ ſimul oriuntur, & intereunt, ſunt vnum & idem, ſed ſubſtantia & quantitas ſimul oriuntur, & intereunt, vt eſt notum: ergo ſubſtantia & quantitas vnum & idem erunt.

5. *Arg.* Tandem: Maxime proprium eſt ſubſtantiæ recipere contraria: at quantitas recipit contraria, vt albedinem & nigredinem: ergo quantitas erit ſubſtantia.

1. *Opin.* Opinio fuit veterum Stoicorum (ſi credimus Alexandro Aphrod. *in comment. 3. lib. Metaphyſ.*) exiſtimantium, quantitatem non diſtingui re ipſa à ſubſtantia, ſed eſſe vnã & candem rem cum illa. Quam opinionem iam fere obliuioni traditam ſuſcitarũt poſtmodum Ochamus *in ſua Dialectica cap. 44. & 45. 4. lib. ſent. q. 4. in tractat. de Sacram. Euchariſt. cap. 29.* Gabriel *ſuper Canonem Miſſ. lect.* 43 Gregorius, Marſilius, & omnes, quotquot Nominal.um nomine glorientur.

2. *Opin.* Secunda tamen opinio eſt omniũ aliorum Philoſophorum conſtituentium quantitatem eſſe re ipſa diſtinctam à ſubſtantia, quam opinionem ſequuntur D. Thom *3. p q 77. artic. 2. 4. lib. ſent. d ſt. 12. q 1. art. 1 q. 3. in comment. in c. 2. lib. 1. Phyſic.* & latiſſime *in commentar. lib. 3 Metaphyſ. text. 17.* Scotus 4 *lib. ſentent. diſtinct. 12. quaſt. 1.* Capreol. *in 2. diſt. 8. q 1. concluſ. 1.* Soncin. *5. Metaphyſ. quaſt. 19* Aquarius *3. lib. Metaphyſ. q* 8 Benedict. Percy.a *lib. 10. ſua philoſophia c. 1 & 2.* M. Soto *q. 2. huius categoria.* quam ſententiam tanquam veriorem amplectentes in illius explicationem ſtatuimus iſtam vnicam concluſionem.

Quantitas re ipſa diſtinguitur à ſubſtantia.

1. *Arg.* Confirmatur his argg. Primum eſt petitum ex auctoritatibus Ariſt. nam 1. *lib. Phyſicor. cap. 2.* diſputans aduerſus Parmenidem & Meliſſum, arbitrantes, omnia, quæcunque ſunt, eſſe vnum, ita argumentatur: Si omnia eſſent vnum, aut illud eſſet ſubſtantia, aut eſſet accidens, non ſubſtantia, quia neque eſſet finita, neque infinita, quia hæc tantum conueniunt quantitati: neque accidens, quia accidens non poteſt eſſe ſine ſubſtantia. Quod ſi dicas, illud vnum, quod omnia ſunt, continere ſubſtantiam, & quantitatem, ita argumentatur Ariſt. Subſtantia & quantitas nõ ſunt vnũ, ſed duo: ergo illud vnum non poteſt eſſe ſubſtantia, & quantitas. Ex quo loco aperte ſatis colligitur, ſubſtantiam & quantitatem re ipſa diſtingui, & eſſe duo. Et 7. *lib. Metaph. cap. 3.* inquit, longitudinem, latitudinem, & profunditatem non eſſe ſubſtantias, ſed quantitates, quia quantitas, inquit, non eſt ſubſtantia, ſed

maxime

maxime differt ab ea. *2. Arg.* Secundum, Eſſe per ſe, & non eſſe per ſe, reipſa differunt, quia ſunt termini contradicentes, ſed ſubſtantia eſt ens per ſe, quantitas vero nō eſt per ſe, ſed in alio, ergo ſubſtātia & quantitas re ipſa diſtinguentur. *3. Arg.* Tertium, Quæ ſunt primo diuerſa, re ipſa differunt, ſed quantitas & ſubſtantia ſunt primo diuerſa, ergo re ipſa differēt. *4. Arg.* Ad hæc, Quæ ita ſunt affecta inter ſe, vt mutato vno ſecundum eſſentiam, alterum maneat immotum, re ipſa differūt: ſed mutata quantitate ſecundum eſſentiam, remanet ſubſtantia immota, quemadmodum in accretione remanēte ſubſtantia eadem numero, mutatur quantitas, fit enim maior de minori, ergo ſubſtantia & quātitas diſtinguentur re ipſa. *5. Arg.* Denique confirmatur. Magis differunt ſubſtantia, & quantitas, quam duæ albedines, vel duo homines, quia duo homines continentur in eadem categoria, ſicut & duæ etiam albedines in vna aliqua categoria ſunt cōtentæ, ſubſtantia vero & quantitas conſtituunt diuerſas categorias, ſed duo homines, & duæ albedines re ipſa differunt, ergo ſubſtantia & quantitas etiam re ipſa different. His argg. non ſolum theologice, ſed naturaliter etiam, & phyſice quantitatem à ſubſtantia re ipſa differre colligitur, quidquid in hac re dicat Petcyra loco citato, conſtituens opinionem Nominalium philoſophice loquendo eſſe probabilem, quamuis ſi theologice loquamur, poſſit ægre & cum difficultate ſuſtineri.

Ad 1. arg. Diluamus jam argumenta propoſita. Ad 1. reſpond. ſubſtantiam ſumi poſſe vel abſolute vt eſt ens per ſe exiſtens, vel vt habet partem extra partem. Primo modo ſubſtantia prior eſt quantitate, ſecundo vero modo poſterior eſt illa: at primo modo negandum eſt, ſubſtantiam habere partem extra partem, cum tantum hoc illi competat, prout ſumitur ſecundo modo. Quemadmodum homo abſolute loquendo prior eſt (iuxta horum ſaltim opinionem) albedine: at vero ſi ſumatur albedo, vt eſt color diſgregans viſum, homo tunc temporis affectus albedine eſt poſterior ipſa, quia non poteſt diſgregare viſum ſine albedine, quemadmodum effectus formalis non poteſt eſſe ſine ea re, cuius eſt effectus formalis.

Ad 2. negamus antecedens. Ad confirm. dicimus, quod ſi Deus auferret quantitatem à Petro, non eſſet ille in eodem loco circumſcriptiue, non quidem propter aliquem motum, ſed quia careret quantitate, quæ eſt ratio formalis exiſtendi in loco circumſcriptiue, vnde & ex conſequenti, ſi ab eodem Petro amoueretur quantitas, neque haberet ille partem extra partem, neque moueretur, neque eſſet in loco circumſcriptiue. *Ad 2.*

Ad 3. dicimus, duplex eſſe corpus, vnum categoriæ ſubſtantiæ, & alterum categ. quantitatis, corpus categoriæ quantitatis eſt trina dimenſio, corpus vero categoriæ ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, cui debetur habere trinam dimenſionem. Subſtantia igitur corporea non poteſt intelligi ſine corpore, quod eſt de categoria ſubſtantiæ, bene tamen intelligi poteſt ſine corpore, quod eſt de categoria quantitatis. Vnde liquet, non eſſe ſubſtantiam idem re ipſa cum quantitate. *Ad 3.*

Ad 4. admittimus inprimis propoſitionem de iis, quæ ſimul tempore & natura oriuntur, & intereunt, cuiuſmodi ſunt Petrus & homo: eandem tamen negamus de iis, quæ ſimul tempore oriuntur, non autem ſimul natura. Vnde cum ſubſtantia, & quantitas, licet ſimul tempore producantur, non tamen ſimul natura oriantur (eſt enim ſubſtantia prior natura, quantitate) non erunt illa vnum & idem. Reſpond. deinde propoſitionem eſſe veram de iis, quæ continentur in eadem categoria, ſicuti homo & animal, nam ex iis, quæ ſimul oriuntur, ſunt vnum & idem: eſſe tamen falſam de iis, quæ continentur in diuerſis categoriis; vnde cum quantitas contineatur in alia categoria diſtincta à categoria ſubſtantiæ, quantitas & ſubſtantia non erunt idem re ipſa. *Ad 4.*

Ad 5. reſpond. proprium eſſe ſubſtantiæ recipere contrarium, vt quod, at quantitas non recipit contrarium, vt quod, ſed vt quo mediante. Niſi conferatur illi à Deo per miraculum modus ſubſtantiæ, vt fit in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, nam tunc temporis quantitas, cum gerat vices ſubſtantiæ, recipiet contraria, vt quod. *Ad 5.*

Digitized by Google

SECTIO II.

In Cap. de Quantitate, de ipſius Quantitatis ſpeciebus.

ARGVMENTVM.

IN ſuperiori ſectione ea propoſuimus, quæ ad naturam & proprietates quantitatis attinere videbantur: conſequens eſt, vt ſigillatim, & ſeorſum de illius ſpeciebus, nimirum de quantitate coniuncta, & deiuncta diſputemus. Hac tamen lege; vt prius agamus de quantitate deiuncta, quam de coniuncta, vt veſtigia Ariſt. in hoc imitemur, qui prius de deiuncta, quam de coniuncta quantitate in capite diſputauit. Exordiemur à numero, & deinde ad orationem accedemus. Verum quia quæ communia ſunt, prius proponi debent, prius inquiremus, ſitne quantitas genus ad coniunctam, & deiunctam, ad habentem ſitum, & illum non habentem, nec ne?

SECTIONIS SECVNDÆ

QVÆSTIO I.

An quantitas ſit genus ad coniunctam, & deiunctam, ad habentem ſitum in partibus, & non habentem?

QVantitatem non eſſe genus, ad quatuor iſta, quæ recenſuimus, hæc perſuadent argumenta.

1. Arg. Primum eſt; Vna ſpecies non prædicatur de altera denominatiue, quia ſunt contrariæ, & vnum contrarium non dicitur de altero: ſed quantitas deiuncta prædicatur de coniuncta, nam de lineis prædicatur numerus, dicimus enim decem lineas, ergo quantitas non erit genus ad coniunctam & deiunctam.

2. Arg. Secundum: Nullum genus prædicatur denominatiue de ſuis ſpeciebus, ſed ſynonyme: at quantitas denominatiue prædicatur de coniuncta & deiuncta, ergo quantitas non erit genus. Confirmatur aſſumptio, quia dicimus, denominatiue lineam eſſe quantam, & numerum eſſe quantum.

3. Arg. Tertium: Vna ſpecies non componitur ex altera, quia ſunt contrariæ: ſed quantitas deiuncta componitur ex coniunctis, nam ex diuiſione continui fit numerus, vt ſi lignum, quod eſt continuum, diuidatur in decem partes, fit numerus denarius; ergo quantitas non eſt genus ad coniunctam, & deiunctam.

4. Arg. Iam: Nullum genus prædicatur ſecundum prius, & poſterius de ſuis ſpeciebus; ſed quantitas prædicatur prius de coniuncta, quam de deiuncta; ergo quantitas non erit genus ad coniunctam & diſiunctam. Confirmatur aſſumptio Quantitas deiuncta, vt numerus, fit ex diuiſione continui, ergo quantitas prius prædicatur de quantitate coniuncta, quam de diſiuncta.

In hac quæſtione Simplicius eam tenet opinionem, vt exiſtimet, quantitatem eſſe verum genus, ad eam, quæ habet ſitum, & non habet ſitum ad coniunctam & diſiunctam. 1. Opin.

Communis tamen opinio eſt aliorum Philoſophorum, veriſſime exiſtimantium, quantitatem non eſſe genus ad eam, quæ habet ſitum, & non habet ſitum, verum nihilominus eſſe genus ad quantitatem coniunctam & diſiunctam. Hanc tanquam veriorem his aſſertionibus explicamus. 2. Opin.

Prima eſt; Quantitas vt ſuo ambitu continet non ſolum quantitates integras, verum etiam differentias, & modos ſuæ categoriæ, non eſt genus ad coniunctam, & deiunctam. Confirmatur. Ens, ſecundum Ariſtotelem, ex eo non eſt genus, quia prædicatur de vltimis differentiis; ſed vltimæ ſpecierum quantitatis differentiæ ſunt quantitates: quemadmodum vltimæ differentiæ ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ; ergo quantitas hoc modo ſumpta non erit genus ad quantitatem coniunctam, 1. concluſ.

continuo, at vero punctum ſecundario, & ratione quantitatis huiuſmodi ſitum habere, eo quod ſit principium illius.

QVÆSTIO II.

An numerus ſit ſpecies quantitatis?

1. Arg. PArs negans his argumentis ſuadetur. Primum eſt: Secundum Ariſt. 4. *Phyſicor. cap. vlt.* ſublata anima, tollitur numerus: ergo numerus dependet ab anima: erit ergo ens rationis, nam illud eſt ens rationis, quod cōſequitur rem, vt eſt in anima: at in hac categoria ſola entia rei collocantur, ergo numerus non erit ſpecies quantitatis.

2. Arg. Secundum: Ens rei non poteſt fundari in ente rationis; ſed numerus fundatur in ente rationis, vt numerus quinque vocum prædicabilium; ergo numerus non erit ens rei.

3. Arg. Tertium argum. Nulla ſpecies atoma realis poteſt eſſe communis enti reali, & rationis: ſed numerus, vt binarius, eſt ſpecies atoma, & communis enti rei, & rationis, nam quemadmodum datur binarius entium rei, ita quoque & entium rationis: ergo numerus non erit ens rei.

4. Arg. Ad hæc: In entibus rei non eſt progrediendum in infinitum; ſed in numero progredimur in infinitum, ergo numerus non eſt ens rei. Confirmatur aſſumptio. Sumamus duos binarios, quorum vnus ſit hominum, & alius leonum, hi duo binarii per alium binariū ſunt binarii, conſtituunt enim vnum binarium, & ille binarius alium, & ſic infinitum, ergo numerus non eſt ens rei.

5. Arg. Præterea; Nullum accidens rei fundatur in ſubiectis ſitu, & loco diſtinctis: ſed numerus fundatur in ſubiectis, loco, ſitu, & poſitione maxime diſtinctis, quemadmodum hic numerus ternarius trium hominum fundatur in tribus hominibus loco diſtinctis: ergo numerus non erit ens rei.

6. Arg. Rurſus; Obiectum Arithmeticæ eſt ens rei, ſed ſubiectum Arithmeticæ eſt numerus abſtractus, ergo numerus abſtractus erit ens rei. & ita non abſtrahet ab ente rei & rationis, vt & docebimus.

7. Arg. Iterum: Illud eſt ens per accidens, quod componitur ex multis entibus in actu, ſed numerus componitur ex multis entibus in actu, vt numerus quaternarius quatuor hominum componitur ex quatuor hominibus, qui ſunt entia in actu: ergo numerus erit ens per accidens, ac proinde non erit in hac categoria.

8. Arg. Denique; Illud, quod eſt vnum per aggregationem, eſt ens per accidens, ſicut acervus lapidum: ſed numerus eſt aggregatio multarum vnitatum, ergo numerus erit ens per accidens: quare non erit ſpecies quantitatis.

1. Opin. De hac quæſtione tres ſunt inter ſe diſcrepantes opiniones. Prima eſt Aureoli, vt refert Greg. *1. ſent. diſt. 24 q. 2. art. 1.* exiſtimantis, numerum ſecundum formam eſſe ens rationis.

2. Opin. Secunda opinio eſt Gregorii *in ead. q. art. 2.* arbitrantis, numerum eſſe ens per accidens.

3. Opin. Tertia opinio eſt communis fere omnium Philoſophorum exiſtimantium, numerum eſſe ens rei, & per ſe, & ita eſſe ſpeciem quantitatis. Quam ſententiam ſequitur D. Thom. 8. *lib. Metaph. lect.* 3. Capr. *1. ſent. diſt.* 24. *q. 1. concl.* 5. Soncin 10. *Metaph. q.* 7 *&* 8 Iauell. *q.* 9. 8. *Meta.* Petr. Niger *in 2. p. clypei q.* 1.

1. Obſeru. Hiis opinionibus propoſitis, vt quæſtionem explicemus, annotandum erit primo, numerum definiri collectionem multarum vnitatum, quemadmodum numerus decem hominum eſt collectio decem illarū vnitatum. Eſt autem duplex numerus, vnus categoriæ quantitatis, & alius tranſcendens, quæ diuiſio ortum habet ex duplici genere vnitatum, ex quibus conflatur numerus: nam quædam eſt vnitas tranſcendens, & alia eſt vnitas ſecundum quantitatem. Tranſcendens eſt indiuiſio rei ſecundum eſſentiam & entitatem, vt vnitas naturæ Petri, vel huius leonis eſt vnitas tranſcendens, vnitas vero quantitatiua eſt indiuiſibilitas rei ſecundum quantitatem, vt vnitas corporis Petri vel Antonii eſt vnitas ſecundum quantitatem. Cum ergo ſit hæc duplex vnitas, duplex erit numerus, tranſcendens vnus, qui componitur ex vnitatibus tranſcendentibus: quantitatiuus alius, qui componitur ex vnitatibus ſecundum quantitatem

2. Obſeru. Animaduertendum eſt deinde, triplicem eſſe numerum numerantem, qui eſt anima, quo numeramus, vt duo, tria & quatuor: & numeratum, vt quatuor homines, & quinque equi. Præterea numerus, quo numeramus, duplex eſt, vnus abſtractus, auulſus, & denudatus à rebus numeratis, vt eſt numerus binarius, vel ternarius, abſolute ſumptus, alius vero eſt numerus coniunctus, concretus, & applicatus rebus, quæ numerantur, vt quando dicimus quinque equos, & decem homines: nam numerus quinarius eſt applicatus equis & denarius hominibus.

1. concluſ. Sit iam 1 concluſ. Numerus non eſt ens per accidens, ſed eſt ens per ſe. Confirmatur aduerſus Gregor. his argumentis.

1. Arg. Primo: Quæ componūtur ex genere & differentia, ſunt entia per ſe: ſed numerus eſt com-

ponitur ex genere, & differentia; ergo numerus erit ens per ſe. Confirmatur aſſumpt. quia quaternarius cōponitur ex quantitate deiuncta, tanquam ex genere, & ex compoſitione quatuor vnitatum, tanquam ex differentia.

2. Arg. Deniq;, Genera & ſpecies ſunt entia per ſe; ſed numerus eſt genus ad binarium, & ternarium, ſuntque binarius & ternarius illius ſpecies; ergo numerus erit ens per ſe.

3 Arg. Deinde, De ente per accidens non poſſunt concludi proprietates, quia non eſt vnum vnitate eſſentiæ, à qua ſola fluunt proprietates: ſed in Arithmetica concluduntur variæ proprietates de numero: ergo numerus non erit ens per accidens.

concluſ. 2. concluſ. Numerus eſt ens rei, & non rationis. Confirmatur aduerſus Aureolum his argumentis.

1. Arg. Primo: Obiectum Arithmeticæ eſt ens rei: ſed numerus eſt illius obiectum, ergo numerus erit ens rei.

2. Arg. Deinde, Vbi eſt paronymum denominatum, debet quoque eſſe forma denominans: ſed dantur à parte rei res numeratæ, quæ ſunt paronyme numeri: dicimus enim à parte rei eſſe decem homines ergo à parte rei debet dari forma numeri denominans, & ita numerus non erit ens rationis. Vl imo, obiectum ſenſus eſt ens rei, & non rationis, quia eſt prius omni actione intellectus, quę ſola eſt cauſa entis rationis: at numerus eſt obiectum commune ſenſus, vt pręfitetur Ariſt. 2 *lib. de anima. cap. 6.* ergo numerus erit ens rei. Reliquum tamen videtur, vt explicemus, qua ratione intelligi debeat propoſita cōcluſio, & qua ratione numerus conſtitui debeat ſpecies quantitatis.

1. Obſeru. Quam rem vt explicemus, annotandum eſt numerū abſolutum neq; eſſe ens rei; neq; rationis, ſed abſtrahere ab vtroq;, nā ſi ille accommodetur enti rationis, eſt ens rationis, ſi vero applicetur enti rei, eſt ens rei, cuius ratio eſt: quia numerus eſt collectio vnitatum, vnde ſi illæ fuerint vnitates rationis, numerus erit ens rationis, ſi vero fuerint vnitates rei, numerus erit ens rei.

Obſeru. Animaduertendum eſt deinde, numerum, qui eſt ſpecies quantitatis, eſſe numerum applicatum rebus diſcretis, affectis tamen quantitate coniuncta, quemadmodum docet D Thom. 1 *p. q. 30. art. 3. & 1. ſent. diſt. 24 q. 1. articulo 3.* Dicimus igitur inprimis, numerum, qui eſt ſpecies quantitatis, debere eſſe applicatum rebus diſcretis, vt ſunt decem lapides, & viginti arbores, per quam partem ſeparatur à ratione numeri, qui conſtituit hanc ſpeciem, numerus applicatus rebus affectis quantitate coniuncta, non tamen diſcreta, nam hic numerus non eſt quantitas diſiuncta, ſed coniuncta, quemadmodum & res ipſa, cui applicatur, vt numerus denarius decem vlnarum alicuius panni non eſt quantitas deiuncta, ſed coniuncta, quemadmodum pannum, cui applicatur, eſt continuum, neq; eſt ens rei ſed rationis, quia decem vlnę non ſunt in panno diſtinctæ à parte rei, ſed tantum diſtinguuntur per intellectum conſiderantem decem vlnas in panno. Per alteram vero partem ſeparatur numerus conſtituens hanc ſpeciem à numero applicato rebus non affectis quantitate coniuncta, vnde cum angeli non habeant quantitatem coniunctam, numerus angelorum non continebitur in hac categoria, nam eſt numerus tranſcendens. Et numerus etiam ternarius perſonarum diuinarum excludetur quoque ab hac categoria, tum quia eſt infinitus, tum etiam, quia in ſanctiſſima Trinitate nulla eſt quantitas coniuncta. Ex quibus erit concludendum numerum abſolute ſumptum non eſſe ens rei, neque rationis, ſed abſtrahere ab vtroque, & numerum applicatum entibus rationis eſſe ens rationis, & applicatum entibus rei, eſſe ens rei: & tandem ſolum numerum applicatum entibus rei diſcretis conſtituere hanc primam ſpeciem quantitatis deiunctæ, ſi tamen res illæ fuerint affectæ quantitate coniuncta.

Æquum eſt iam occurramus argumentis propoſitis. Ad 1. reſpond. inprimis in numero *Ad 1. arg.* tria reperiri, eſſentiam, proprietatem, quæ eſt eſſe menſuratam, & actu menſurare rem aliquam, nam hoc poſtremum diſtinguitur à ſecundo, quia de ratione menſuræ non eſt actu menſurare rem aliquam, ſed habere potentiam ad menſurandum. Dependet igitur numerus ab anima non ſecundum eſſentiam, neque ſecundum proprietatem, ſed ſecundum actum menſurandi, quia actu menſurare decē vel duodecim, eſt functio ipſius animæ. Reſp. deinde, Ariſtotelem in eo capite fuiſſe loquutum de numero applicato quantitati coniunctæ, ſcilicet motui primi cœli, agebat enim tunc temporis de tempore, quod eſt numerus partium motus primi cœli: at iam docuimus numerum applicatum rei coniunctæ, & non diſcretæ eſſe ens rationis, vt eſt numerus decē vlnarum in panno: nos vero tantum dicimus numerum applicatum rebus diſcretis affectis quantitate coniuncta, eſſe ens rei.

Ad ſecundum reſpon. numerum, qui eſt ens rei; non fundari in ente rationis, ſed illum, *Ad 2.*

qui

Digitized by Google

qui eſt ens rationis, iam enim diximus numerum ex ſua natura neque eſſe ens rei, neq; rationis, ſed applicatum entibus rei diſcretis eſſe ens rei, & applic. tum entibus rationis eſſe ens rationis.

Ad 3. Ad 3. eodem modo ſatisfacimus numerum communem entrei, & rationis non eſſe ens. rei, ſed abſtrahere ab vtroque illumque ſolũ eſſe ens rei, qui applicatur enti rei, & illum ens rationis, qui applicatur entibus rationis, vnde binarius communis enti rei, & rationis abſtrahit ab vtroque.

Ad 4. Ad 4. reſp. Non eſſe progrediendum in infinitum in iis binariis, nam ſecundus binarius per quem duo priores ſunt binarii, non eſt binarius, quantitatiuus, ſed tranſcendens, cõſurgit enim ex exiſtentia, & entitate prioris bina ij.

Ad 5. Ad 5. reſp. Quedam eſſe accidentia omnino ſimplicia, quæ habent ſuam entitatem ab vnico ſubiecto, vt albedo, vel dulcedo, & alia eſſe compoſita ex multorum collectione, vt eſt numerus, qui componitur ex multis rebus collectis: propoſitio ergo falſa eſt de accidentibus compoſitis, eſt autem vera de accidentibus ſimplicibus.

Ad 6. Ad 6. dicimus cum D. Tho *1. lib. ſent. diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 3. falſam eſſe aſſumptionem, quia numerus, qui eſt obiectum Arithmeticę tantum eſt ille qui poteſt applicari enti rei diſcreto, & affecto quantitate coniuncta.

Ad 7. Ad 7. dicimus, falſam eſſe aſſumptionem. Ad probationem dicimus, vnitates quinque hominum, vt ſunt partes numeri quinarii nõ eſſe entia actu, ſed poteſtate, quia ſunt materia numeri, & poſtrema vnitas eſt forma, ex quibus vtriſque tanquam ex actu, & poteſtate coaleſcit ipſe numerus.

Ad vlt. Ad 8. & vltimum reſpond. Falſam eſſe aſſumptionem, quia vnitas numeri non eſt vnitas aggregationis, ſed compoſitionis per ſe, ex actu & potentia, nam in vnitate aggregationis non habet locum potentiæ vna pars, & altera locum actus: ſed omnes partes ſunt entia actu; at vero in cõpoſitione numeri quædam pars habet locum potentiæ, & materiæ, & vltima vnitas habet locum actus, & formæ.

QVÆSTIO III.

An numerus ſit ſpecies infima vel ſubalterna.

SVnt quæ partem negantem huius quęſtionis huiuſmodi argumentis confirmare nitantur.

1. argum. 1. Ariſtot. 3 *Metaphyſ. cap.* 3. docet in numeris & figuris non eſſe genus, quia per prius & poſterius prædicantur, ergo numerus non erit genus.

Deinde, ſpecies infimæ ſunt certæ & determinatæ à qu bus non eſt progrediendum in infinitum, vt docet Porph. *in cap. de ſpecie*; ſed numeri non ſunt certi & finiti, poteſt enim augeri numerus in infinitum addita vnitate, ergo numerus non erit genus. 2. Arg.

Præterea: Quemadmodum ſe habent in magnitudine magnum & paruum, ita & in multitudine ſeſe habent multum & paucum; ſed magnum & paruum non conſtituunt diuerſas ſpecies, vt linea magna & parua non differunt ſpecie, ergo neque multum & paucum different ſpecie; ſed numeri tantum differunt penes multum & paucum, ergo numeri non differunt ſpecie. 3. argum.

Adhæc: Nullum genus prædicatur prius & poſterius de ſuis ſpeciebus: at numerus prædicatur per prius, & poſterius de ſuis ſpeciebus. vt prius dicitur de binario, quam de ternario, & de ternario prius quam de quaternario, & ſic de aliis, ergo numerus non erit genus. 4. Arg.

Denique: In ſpecieb. alicuius generis ſublata vna nõ tollitur alia, quemadmodum ſublato equo non tollitur leo; ſed ſublato binario aufertur ternarius, ergo binarius & ternarius non ſunt ſpecies numeri. 5. argum.

Conſtituimus in quæſt. ſup. numerum eſſe ſpeciẽ quantitatis, conſeq. videtur vt perpendamus ſitne infima, vel intercecta ſpecies quanti, necne?

Quidam enim exiſtimant numerum eſſe ſpeciem infimam quantitatis, binariumq; ac ternarium non differre ſpecie, ac forma, ſed ſola materia, quia binarius cõponitur ex duabus vnitatibus tanquam ex materia, & quaternarius ex quatuor. 1. Opinio.

Alij tamen (quorum opinio eſt multo verior) cenſent numerum eſſe ſpeciem ſubalternam quantitatis, & illius ſpecies infimas eſſe binarium, ternariũ, & alios numeros. Quam eandem ſententiam, & nos tanquam veriorẽ amplectentes, in eius confirmationem, ita argumentamur. 2. Opinio

Primo; Magis differunt ternarius, quam duo ternarii; ſed duo ternarij differunt numero, ergo ternarius, & quaternarius differẽt ſpecie, vnde numerus genus erit ad binarium & ternarium. 1. Arg.

Deinde: Species eſt, quæ prædicatur de multis numero differentibus in quid, ſed binarius prædicatur de hoc binario, & de illo, qui differunt numero, idemq; iudicium eſt de 2. Arg.

ternario, & alijs numeris. ergo binarius ternarius, aliiq; huiuſmodi numeri erunt ſpecies infimæ, vnde ſupererit confir. numerum eſſe genus.

1. Argum. Præterea: Quæ differũt eſſentia differunt ſpecie, ſed binarius & ternarius differunt eſſentia, nam Ariſt. 8. *lib. Metaph. c. 3* comparat eſſentiam numeris, quia vt in numeris addita vel detracta vnitate mutatur ſpecies numeri, ita & in eſſentia addito vel detracto attributo eſſentiali mutatur eſſentia, & ita binarius & alij numeri differunt ſpecie, quod ſi ſpecie differunt, numerus igitur genus erit ad binarium & ternarium: quia prædicatur de multis ſpecie differentibus.

Ea tandem quæ in contrarium adduximus arg. diſſoluamus Ad 1. igitur dicimus Ariſt. locutum eſſe iuxta opin. Plat. & aliorum Philoſophorum conſtituentium numerum, & figuram nõ eſſe genus, quia per prius & poſterius efferuntur.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Species numerorum actu eſſe finitas, poteſtate tamen eſſe infinitas, nam ſi cuilibet numero addatur vnitas, iam fit alia ſpecies numeri, & quia poſſunt addi vnitates in infinitũ, proinde ſpecies numeri augeri poſſunt in infinitum. Porph. vero docens ſpecies infimas finitas eſſe, locutus eſt, de infinito actu, non poteſtate, ſunt enim finitæ actu, & infinitæ poteſtate.

Ad 3. Ad 3. negamus propoſitionem, cuius ratio eſt, quia in quantitate coniuncta additio vnius particulæ non mutat rei naturam, & eſſentiam, ſi enim lineæ duodecim palmorum addatur vnus palmus, ſemper eſt illa eiuſdem eſſentiæ; at vero quantitas deiuncta mutat naturam & eſſentiam, per additionem vnitatis, nam ſi ternario addatur vnitas fit quaternarius, & ita non ſe habent eodem, ſed diſpari modo, multum & paucum in numeris, magnumque ac paruum in quantitate cõiuncta.

Ad 4. Ad 4. reſp Prius & poſterius ſumi poſſe vel ſecundum ordinem, vel ſecundum cauſam; ſi ſumamus prius & poſterius ſecundum ordinem, ratio prioris & poſterioris nõ aufert naturam, & eſſentiam genericam, nam enuntiatio eſt verum genus ad aientem, & negantem, in quibus tamen aiens eſt prior ſecũdum ordinem negante. ſi autem loquamur de priori & poſteriori ſecũdum cauſam, aufert quidem illa a qualibet natura communitationem genericæ naturæ, quemadmodum, quia ſubſtãtia prior eſt accidente ſecundum cauſam, ens quod eſt commune vtriq; non eſt genus. Vnde cum numerus binarius tãtum ſit prior ternario ſecundum ordinem, non tamen ſecundum cauſam, proinde numerus qui ad illos eſt communis, obtinebit veram rationem generis. Reſp ſecundo binarium, ternarium, reliquoſque huiuſmodi numeros ſumi poſſe vel vt conferuntur inter ſe, vel vt diuidunt idem genus: primo modo binarius eſt etiam prior ternario, ſecundo vero modo non eſt prior, nam omnes numeri diuidunt ex æquo numerum in commune, qui eſt genus ad illos.

Ad 5. reſp. ad aſſump. binarium ſumi poſſe aut ſecũdum materiam, aut ſecundum formã illo ſublato non aufertur ternarius, ſi vero ſumatur ſecundum materiam ablato ea, etiam & ternarius aufertur, quia binarius eſt materia ternarii, hinc tamen nõ colligitur numerum non eſſe genus. *Ad 5.*

QVÆSTIO IV.

An numerus differat reipſa à rebus numeratis.

ET quidem non diſtingui à rebus numeratis hęc non leuis ponderis argumenta demonſtrare videntur.

1. Si Deus à tribus hominibus remoueret quantitatem, adhuc illi eſſent tres; igitur numerus ternarius nequaquam diſtinguetur reipſa à tribus hominibus. Confir. conſequentia, quia illud, quod cõpetit rei ſublato quocunque extrinſeco eſt idem ſibi ipſi, ſed ſublata quantitate (quæ eſt extrinſeca) adhuc illi homines ſunt tres: ergo numerus nõ diſtinguetur reipſa ab illis. *1. argum.*

Deinde: Tot, & quot, ſunt differ. numeri, ſed in tribus leonibus ſublata qualitate qualibet, dicimus eſſe tot & quot, ſc. tres, vel quatuor; numerus ergo non diſtinguetur à rebus numeratis. *2. Arg.*

Iterum: Effectus formalis non differt reipſa ab ipſa forma vt docent omnes Metaphyſ. ſed res numeratæ ſunt effectus quidam formales numeri, qui eſt forma rerum, quæ numerantur, ergo numerus nõ diſtinguetur reipſa à rebus numeratis. *3. argum.*

Iam: Nulla forma reipſa differens à ſubiecto, reperitur in pluribus ſubiectis; ſed numerus reperitur in pluribus ſubiectis, ergo non poteſt eſſe forma reipſa diſtincta à rebus numeratis. *4. argum*

In hac quæſt. eſt 1. opinio Gregorii *in 1. diſt. 24. q. 2. art. 2.* exiſtimantis numerum eſſe eandem rem cum rebus numeratis, ſolaque ratione diſtingui ab illis, quam ſententiam ſequuntur Nominales. *1. Opinio.*

2. Opinio eſt Capr *in 1. diſt. 24. concl. 1.* Sonc. 10. *lib. metaph. q. 11.* Iauel. 8. *lib. q* 8. Petri Nigri *2. Opinio.*

2. clyp.

Digitized by Google

2. *elyp.q.*19. & aliorum multorum exiſtimantium numerum reipſa diſtingui à rebus numeratis.

3. Opinio. 3. Opinio eſt multorum recentiorum diſtinguentium rem numeratam, nam quædã eſt quæ primo & per ſe numeratur, alia vero eſt quæ ſecundo loco numeratur, ſumamus v.g. numerum ternarium trium hominum, tres quantitates illorum ſunt illa, quæ primo & per ſe numerantur, ſubſtantiæ vero illorum ſunt quæ ſecundo loco numerantur. Dicunt igitur numerum non diſtingui reipſa a rebus quæ primo & per ſe numerantur, diſtingui tamen reipſa à rebus, quæ ſecundo loco numerantur. Cæterum cum dictum ſit duplicem eſſe numerum, vnum tranſcendentem, & alterum categoriæ quantitatis hac prætermiſſa diſtinctione, has ſubnectimus aſſertiones.

1. concluſ. Prima ſit. Numerus tranſcendens non diſtinguitur reipſa a rebus numeratis. Confirmatur. Quod competit rei ſublato quocunq; extrinſeco, & non eſſentiali, eſt ipſi vnum & idem, ſed ſublato a numero ternario (trium hominum, v.g.) quocunque extrinſeco, & nõ eſſentiali, adhuc illi homines ſunt tres ſecundum eſſentiam, ergo numerus tranſcendens erit idem cũ rebus numeratis. Præterea. Numerus eſt collectio multarum vnitatum, ſed vnitates tranſcendentes non diſtinguuntur ab entitate & eſſentia cuiuſque rei, ergo neq; numerus conflatus ex huiuſmodi vnitatibus, differt reipſa a rebus numeratis.

2. concl. 2. concl. Numerus categoriæ quantitatis reipſa differt a rebus numeratis. Confirmatur

1. Argum. primo. Vnitas ſecundum quantitatem differt à ſubſtantia, quia eſt accidens, & omne accidens reipſa differt a ſubſtantia, ſed numerus categoriæ quantitatis nihil aliud eſt quã collectio vnitatum quãtitatiuarum, ergo numerus reipſa differt a ſubſtantia, atqui ſubſtantia eſt res numerata, ergo numerus reipſa differt a re numerata.

2. Si numerus non diſtingueretur reipſa à re numerata ſequeretur numeros æquales, vt duos ternarios eſſe diuerſarum ſpecierum, & numeros inæquales (vt vnum quaternarium, & alterum quinarium) eſſe eiuſdem ſpeciei; at qui hæc omnia ſunt abſurda, ergo numerus diſtinguetur reipſa a rebus numeratis. Confirmatur propoſitio. Inprimis ſequeretur numeros pares eſſe diuerſarum ſpecierum, ſumamus enim duos ternarios vnum hominũ, & alterum equorum, tunc ita argumentor. Tres homines, & tres equi ſpecie differunt, ergo ſi numerus ternarius hominum non differt ab hominibus, & numerus ternarius equorum nõ differt ab equis, ſequeretur duos numeros pares eſſe diuerſarum ſpecierum. Deinde ſequeretur duos numeros diuerſæ rationis eſſe eiuſdem ſpeciei, nam ſi ſumantur ex vna parte quatuor homines, & ex alia quinque, cum homines ſint eiuſdem ſpeciei, ſi numerus quaternarius non differt reipſa a quatuor hominibus, & quinarius a quinque, ſequeretur numerum quaternarium, & quinarium eſſe eiuſdem ſpeciei. Quod ſi quis dicat argumenta hæc confirmare quidem aduerſus Gregorium, numerum diſtingui reipſa a ſubſtantia, quæ eſt loco ſecundo numerabilis, non tamen diſtingui reipſa ab vnitatibus quantitatiuis quæ primo numerãtur, quemadmodum conſtituunt auctores tertiæ opinionis. Reſpondemus verum quidem eſſe hæc argumenta tantum labefactare opinionem Gregorii, aliorum tamen opinionem ita poſſumus confutare.

Numerus quantitatiuus non menſuratur per alium numerum quantitatiuum, ſed per alium diſtinctum numerum, tranſcendentem nimirum, nam ſi menſuraretur per numerum quantitatiuum, eſſet progreſſus in infinitum, *3. argum.*
ſed numerus ſecundum quantitatem nihil aliud eſt quam collectio quantitatiuarum vnitatum, ergo vnitates ſecundum quantitatẽ non ſunt numeratæ, ſed ſunt ipſe numerus, & ita non recte conſtituunt illi vnitates quantitatiuas eſſe illud quod primo numeratur numero quantitatiuo.

Argumenta in principio propoſita, erunt ſic diſſoluenda. Ad primum reſpondemus in eà hypotheſi, ſi Deus amoueret quantitatem ab illis hominibus remanere illos tres, non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum numerum tranſcendentem, hunc autem docuimus non diſtingui à rebus numeratis. *Ad 1. arg*

Ad 2. dicimus tot, & quot non tantum eſſe numeros ſecundum quantitatem, ſed etiam eſſe numeros tranſcendentes, & ita ſublata quantitate a ſtonibus illi eſſent tot, vel quot, tantum per numerum tranſcendentem. *Ad 2.*

Ad 3. negamus aſſumptionem, quia res numeratæ non ſunt effectus numeri, nam effectus illius eſt rem eſſe numeratã, qui effectus non differt a numero, quemadmodũ res alba non eſt effectus albedinis, ſed rẽ eſſe albã, qui nõ diſtinguitur ab ipſa albedine. Ad 4. cõcedimus ꝓpoſitionem de forma ſimplici, q̃ nõ eſt vna p collectionẽ, vt eſt albedo, vel calor, eãdẽ aũt negam' de forma cõiuncta, quæ eſt vna p collectio. multorũ, & quia numerus non eſt *Ad 3.* *Ad 4*

1. obſeruatio. ad alios duos homines; ſed formam eſſe ſtructam illam, & compoſitionem vnitatum.

His opinionibus propoſitis animaduertendum eſt duplicem eſſe formam, totius vnam, alteram partis. Forma partis dicitur illa quæ vna cum materia conſtituit totum, vt in homine anima eſt forma partis, quia vna cum corpore conſtituit hominem: forma vero totius eſt illa, quæ reſultat ex vnione formæ cum materia, vt in eodem homine humanitas eſt forma totius, quia reſultat illa vt totum aliquod ex vnione animæ.

2. obſeruatio. Adnotandum eſt, deinde numerum non eſſe quamlibet collectionem vnitatum, ſed eam quæ eſt ordinata, vt Ariſt. apertiſſime *in cap. profitetur*: in aceruo ſiquidem lapidum datur collectio vnitatũ, in qua nullus eſt numerus. Vnde cum in omni ordine à parte rei ſit aliquid prius, & aliquid poſterius, in numero etiam erit à parte rei aliqua vnitas prior, & aliqua poſterior: quare cum id quod eſt poſterius habe. locum formæ, & actus, vltima vnitas in numero habebit locum formæ, & actus.

3. Obſeru. Præterea ſciendum erit vltimam vnitatem poſſe ſumi tribus modis, vel vt res quædam eſt, vel vt eſt vltima formaliter, qua ratione denotat habitudinem ad primam, vel deniq; vt eſt vltima fundamentaliter, nimirum vt eſt fundamentum illius relationis, quæ eſt ad primam.

1. concluſ. Sit iam prima aſſertio. In numeris forma totius eſt illud, quod reſultat ex compoſitione, & vnitatum ſtructura, vt in ternario ternitas, & in quaternario quaternitas, & ſic de aliis. Hanc profitetur Auicenna 3. *Metaphyſ. c. 5.* Confirmaturque, quia illa eſt forma totius, quæ ex partium vnitate reſultat; at ex vnione plurium vnitatum inter ſe, reſultat hæc compoſitio, & ſtructura numeri, vt ex vnione ternarii compoſitio trium vnitatum, & ex compoſitione quaternarii, compoſitio quatuor vnitatum: ergo hæc erit forma totius. Iam: forma totius dicitur illa, quæ exprimitur nomine abſtracto, vt in homine forma totius eſt humanitas, & in leone, leoneitas; at hæc forma in numero eſt certa vnitatum eius cõpoſitio & ſtructura, ſicut in quaternario quaternitas, quæ eſt compoſitio quatuor vnitatum, exprimitur enim illa (vt patet) nomine abſtracto; ergo hæc erit forma totius.

2. concl. 2. concl. Vltima vnitas non eſt forma partis numeri, vt ſumitur materialiter & vt res quædam eſt, neque vt exprimit relationem formalem ad primam & ad alias vnitates. Confirmatur primo non eſſe formam, vt res quædam eſt, quia hac ratione eſt materia numeri, non enim magis componitur numerus tanquam ex materia, ex primis vnitatibus, quam ex poſtrema. Deinde non eſſe altero modo formam conſtat, quia numerus eſt res abſoluta, at vltima vnitas ita ſumpta eſt relatio quædam, & habitudo ad priores vnitates.

3. concluſ. Vltima vnitas eſt vt vltima fundamentaliter, eſt forma numeri, vt in quaternario quarta vnitas, & ſic de aliis, confirmatur his argumentis. *3. concluſ.*

1. eſt; Forma partis vocatur illa, quæ conſtituit vnamquamque rem in ſua eſſentia, & natura: ſed quilibet numerus conſtituitur in ſuo eſſe determinato, ac certo per vltimam vnitatem, vt docet Ariſt. 8. *Metaph. c. 3.* dicens, in numeris addita, vel detracta vnitate, mutari eſſentiam numeri, vt quaternarius detracta quarta vnitate mutatur quidem in ternarium, additaque eidem vna alia vnitate etiam mutatur in quinarium, ergo vltima vnitas eſt forma numeri. *1. argum.*

2. Illud quo ſublato, & etiam ſecundum eſſentiam amouetur, & quo conſtituto conſtituitur etiam res aliqua in ſuo eſſe eſt proculdubio forma talis rei: ſed in quolibet numero amota vltima vnitate amouetur numerus, eademque econtra conſtituta conſtituitur, vt ſi à quaternario amoueatur quarta vnitas, etiam & ipſe amouetur, & cum primum illa conſtituitur, etiam & ipſe remanet conſtitutus; ergo vltima vnitas erit forma numeri. *2. argum.*

3. Illud per quod ſpecies alicuius generis ſeparantur ſecundum eſſentiam inter ſe, debet merito forma vniuſcuiuſque illarum exiſtimari; ſed ſpecies numeri ſeparantur ab inuicem ſecundum eſſentiam per vltimam vnitatem, vt quaternarius v. g. diſtinguitur à quinario per quartam vnitatem, ergo, &c. *3. Arg.* Præterea Omne ens per ſe componi debet ex duabus partibus, quarum vna ſit actu, & altera poteſtate ſecundum Ariſt. 8 *Metaphy. c. vlt.* ſed numerus eſt ens per ſe, ergo debet conſtare ex duabus partibus, quarum vna ſit actu, & altera poteſtate. Sed priores vnitates nequeũt habere rationẽ actus, quia actus habet rationẽ poſterioris; ergo vltima vnitas obtinebit rationem actus; at forma & actus ſunt vnum & idem, ergo vltima vnitas obtinebit rationẽ formæ, non ſolum in numero abſtracto verũ etiam in numero applicato, nam hæc argumenta de vtroq; numero probant vltimam vnitatem eſſe eius formam, & naturam.

Digitized by Google

1. arg. Iam argumenta erunt diſſoluenda. Ad 1. reſpond. vltimam vnitatem eſſe formam, non vt eſt vnitas, neque vt eſt vltima formaliter, ſed tantum vt eſt vltima fundamentaliter, prout in 3. *concl. diximus*, at eſſe vltimum fundamentaliter aliquid abſolutum eſt, ſicut eſſe ſimile formaliter quippiam relatum eſt, eſſe tamen ſimile fundamentaliter eſt quid abſolutum.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Capreol duplicem eſſe formam intrinſecam, & extrinſecam, præterea intrinſecam aliam eſſe naturalem, & aliam arte conſtitutam. Intrinſeca eſt, quæ actuat materiam, & componit totum, vt anima actuat materiam, & componit totum: extrinſeca vero dicitur quæ terminat & conſtituit rem in certa natura, quemadmodum color eſt forma extrinſeca viſus, quia terminat actionem videndi, & confert naturam viſui. Propoſitio ergo vera eſt de forma extrinſeca & naturali, eſt autem falſa de forma extrinſeca; at vltima vnitas eſt forma extrinſeca, terminat enim alias vnitates, & cōſtituit rem ſub certa ſpecie, & ita non erit in tota materia numeri.

Ad 3. Ad 3. dicimus propoſitioni addendam eſſe hanc particulam, & eſt terminus conſtituitq; numerum ſub certa ſpecie; ita vt ſenſus ſit illa eſt forma numeri qua poſita ponitur numerus, & qua amota amouetur eſtque terminus, ac conſtituit numerū ſub certa ſpecie: at priores vnitates quamuis amoueant numerum amotæ, vel conſtituant conſtitutæ, non tamen terminant ipſum & conſtituunt ſub certa natura, & ita non erit forma illius. Quemadmodum in homine amoto corde amouetur etiam & ipſe homo non tamen eſt forma illius, quia non conſtituit hominem ſub certa natura, hoc enim præſtat anima, quæ eſt forma animalis.

Ad 4. Ad 4. dicimus eandem rem eodem modo ſumptam non eſſe formam, & materiam reſpectu eiuſdem, alio tamē, & alio modo ſumptam, eſſe materiam, & formam. & ita ipſa vltima vnitas ea quidem ratione qua eſt vnitas, eſt conſtituta materia numeri: ea tamen ratione qua eſt vltima fundamentaliter, eſt eiuſdem forma.

Ad 5. Ad 5 negamus aſſumptionem, ad confirmationem vero dicimus à parte rei dari in quolibet numero primum & vltimum, ante operationem intellectus numerantis, quod ſi intellectus auſpicatur numerando ab vltimo, non propterea vltimum à parte rei erit primum, ſed ſemper erit vltimum, quia noſter intellectus non habet facultatem tribuendi numeris rationem prioris, & poſterioris.

Ad 6. dicimus a parte rei in illis hominibus creatis dari primum & vltimū, quamuis nos ignoremus quiſnam eorum ſit primus, & vltimus, nam Deus Opt. Max. omnia condidit in numero, pondere, & mēſura. Etenim cum numerus ſit ens per ſe, & non ſit veluti aceruus aliquis, debet obtinere partes certo ordine inter ſe conſtitutas, ſecūdum rationem prioris, & poſterioris, quemadmodum etiam docet Ariſt. in hac categ. *Ad 6.*

Ad 7. reſp. eandem vnitatem ſumptam eadem ratione non poſſe eſſe vltimam in duob. diuerſa tamen ratione bene poſſe, & ita quāuis identice, & ſecundum rem (vt illa vnitas, quæ erat in quaternario vltima, fiat deinde in ternario vltima) attamen non fit idem vltimum eadem ratione, ita enim erit illa vltima vnitas in quatern. vt terminaret tres vnitates priores: ita vero exiſtit in ternario vltima, vt duas ſolum terminet vnitates, terminate autē duas, vel tres vnitates diuerſæ ſunt rationes. *Ad 7.*

QVÆST. VI.

In qua proponitur cenſura quarundam dubitationum, quæ de numero ſe nobis efferunt explicanda.

NE plus iuſto in his quæſtionibus de numero detineamur cogimur nonnullas quæſtiones breuiter explicare propoſitis tantum illarum cenſuris, noſtraque ſubiecta opinione. Prima earum eſt ſit ne quilibet numerus vnus numero, ſecunda fiatne vnus numerus ex alio, tertia in quo ſubiecto ſit numerus, & quarta an numerus quantitatiuus reperiatur in ſubſtantiis ſeparatis. *Nonnul. q. propon.*

In explicationem primæ quæſt. hæc ſit prima concluſ. Quilibet numerus ſingularis (nā de hoc loquimur vniuerſus namque vel eſt vnus ſpecie, vel vnus genere, nō vero numero) eſt vnus numero, vnitate tranſcendēti, vt hic ternarius v. g. trium hominum) eſt vnus numero vnitate tranſcendenti. Confirmatur quia ens, & vnum, conuertuntur: at quilibet numerus ſingularis eſt ens, igitur & vnus vnitate tranſcendenti. *In explicat. 1. concluſio.*

2. concluſ. Nullus numerus eſt vnus, vnitate quantitatiua. Confirm. Quæ ſunt vnum ſecundum quantitatem ſunt affecta quantitate coniuncta, vt ſupra diximus, ſed nullus numerus eſt affectus quantitate coniuncta, cum ſit quantitas deiuncta, & ex conſequenti neque eſt affici quantitate coniuncta; ergo nullus numerus erit vnus vnitate ſecundum quantitatem. *2. concl.*

Obiectio. Quod ſi obiicias aduerſus primam aſſertionem. Illud quod eſt vnum, eſt indiuiduum: ſed quilibet numerus eſt diuiſus in plures vnitates: ergo nullus numerus eſt vnus vnitate ſecundum numerum. *Solutio.* Reſp. Illud quod eſt vnum ea ratione qua eſt vnũ, eſſe indiuiſum, alia tamen ratione poſſe eſſe diuiſum, & ita quod eſt vnum genere eſt multiplex ſpecie, & quod eſt vnum ſpecie eſt multiplex numero. Numerus itaque ea ratione qua eſt vnus, ſiue qua eſt ternarius, non poteſt diuidi in alios ternarios, quamuis diuidatur in tres vnitates.

Cenſura ſecunda quæſtionis.

In explic. 2. 1. concluſio. SEcundæ quæſtioni ſatisfacimus duabus ſubiectis aſſertionibus. Prima eſt: Vnus numerus non componit alium ſecũdum formam. Confirmatur. Vna ſpecies non componit aliam eiuſdem generis, quia ſunt inter ſe ſe contrariæ, ſed omnes numeri, vt binarius, ternarius, quaternarius ſunt ſpecies numeri, ergo non poterit vnus numerus componere alium ſecundum formam.

2. concl. Secunda aſſertio. Vnus numerus componit alium ſecundum materiam, v binarius componit ternarium, & quaternarius octonarium, & ſic de aliis. Confirmatur. Vnitates ſunt materia numeri; ſed vnitates vnius numeri poſſunt eſſe vnitates alterius numeri, vt vnitates quaternarii poſſunt eſſe vnitates octonarii, ergo vnus numerus ſecundum materiam poteſt componi ex alio.

Obiectio. Quod ſi quis dicat Ariſt. 5. *Met. c. 14.* docere bis tria non eſſe ſex, ſed ſemel cõponere ſex, ſex vnde videtur fieri conſequens non componi numerum vnum ex alio numero. *Solutio.* Reſp. bis tria ſecundum formam non componere ſenarium, ſed ſolum ſecundum materiam, & hoc modo intel igi (noſtro iudicio) debet Ariſt. nimirum de ternario ſecundum formãs; ille enim vt ſic, non conſtituit ſenarium, vt in 2. concluſ. docebamus.

Cenſura tertia quæſtionis.

In explic 3. Vnica aſſert. QVæſtionem tertiam explicamus aientes numerum obtinere vnitatem numericam a ſubiecto in quo reperitur, nam eſt accidens, & omnia accidentia obtinent vnitatem numericam à ſubiecto in quo ſunt. *Obſeru.* Verũ animaduertendum eſt duplex eſſe ſubiectum numeri, vnum adæquatum, vt totale, & alterum partiale, ſeu inadæquatum, ſubiectum numeri adæquatum, ſunt omnes res numeratæ per illum, vt in quaternario hominũ ſubiectum adæquatum ſunt quatuor homines, ſubiectum autem inadæquatum eſt vna, vel altera res numerata, vt in eo lem quaternario duo homines, vel tres ſunt ſubiectum inadæquatum, vel partiale numeri.

Obiectio. Quod ſi quis dicat nullum accidẽs numero poteſt eſſe in pluribus ſubiectis, ſed numerus aſt accidẽs, quod eſt vnum numero, vt docuimus, ergo non poterit eſſe in pluribus ſubiectis, vt quaternarius in quatuor hominib. *Solutio.* Reſpond. eſſe duo genera accidentium, quædam enim ſunt ſimplicia, vt albedo & nigredo, & alia ſunt compoſita ex pluribus, vt eſt numerus, qui conflatur ex pluribus vnitatib. Propoſitio ergo vera eſt de accidentibus ſimplicibus, quia vno numero albedo tantum eſt in ſubiecto numero, eſt autem falſa de accidentibus coniunctis vt eſt numerus, nam cũ huius generis accidentia componantur ex multis debent etiam eſſe in multis ſubiectis, tanquam in vno ſubiecto a ſequato, & totali.

Cenſura quarta quæſtionis.

In explicat. cap. 4. quæſt. A Quæſtione quarta demum nos expedientes aſſerimus, numerum categoriæ quantitatis non reperiri in ſubſtantiis ſeparatis, vt in angelis, quod in hunc modum oſtendimus. Numerus huius categoriæ tantũ reperitur in rebus diſcretis affectis quantitate coniuncta, vt iam ſupra docuimus, ſed ſubſtantiæ ſeparatæ non afficiuntur quantitate coniuncta, vt corpore, quemadmodum docet Ariſtot 8. *Phyſic. c. vlt.* ergo numerus huius categ. non reperietur in ſubſtantiis ſeparatis. Naque nos latet Gregor. *in 1. diſt. 2. art. 2* exiſtimare in ſubſtantiis ſeparatis reperiri numerum huius categoriæ, cuius ſententia ex ſuperiori arg à nobis effecto, remanet ni fallimur ſatis confutata. Nec argum ntum quo ille vtitur illius eſt momenti, quod huiu modi eſt. Par & impar ſunt proprietates numeri contenti in hac categ. at in angelis datur numerus par, & impar, nam tres angeli ſunt numeri imparis, quatuor vero numeri paris, ergo numerus huius categ. reperietur in angelis. Reſpond. enim negando propoſitionem, non enim par, & impar, ſunt proprietates numeri huius catego. ſed numeri abſolute ſumpti, qui eſt communis ad numerum tranſcendentem, & numerum quantitatiuum: & ita cum angeli numerentur numero tranſcendenti, erunt pares, & impares, ſecundum numerum.

QVÆSTIO VII.

An oratio ſit ſpecies quantitatis.

1. Argum. PArs negans his argumentis ſuadetur. Primum eſt. Ariſt 5. *Metaphyſ. cap. 13.* omiſit orationem enumerans ſpecies quantitatis, ergo oratio non erit conſtituenda inter ſpecies quantitatis.

2. Arg. 2. Principium cuiuslibet quantitatis, vel eſt punctum, vel vnitas, punctum coniunctæ, vnitas vero deiunctæ, ſed principium orationis, neque eſt punctum, neq; vnitas; non punctum, quia oratio non eſt quantitas coniuncta, neque vnitas, quia non eſt ipſa numerus, cuius ſolus eſt vnitas principiũ, ergo oratio nullo modo erit ſpecies quantitatis.

3. argum. 3. Quantitas deiuncta eſt illa cuius partes ſeparantur ſubiecto: ſed partes orationis, quæ ſunt ſyllabæ non ſeparantur ſubiecto, cum ſint in vno & eodem ſubiecto numero, ſcil. in aere emiſſo ab ore animalis, ergo oratio non erit quantitas deiuncta.

4. Arg. Præterea: Quidquid fundatur in quantitate coniuncta obtinet vnitatem quantitatis coniunctæ: ſed oratio fundatur in aere, qui eſt quantus quantitate coniuncta, ergo oratio erit quantitas coniuncta.

1. Opinio In hac quæſtio. Concilium Louanienſe in *comment. huius categ.* conſtituit orationem nõ eſſe ſpeciem quantitatis, ſed qualitatis. Ariſtotelemque docentem hoc loco orationem eſſe ſpeciem quantitatis locutum fuiſſe ex opinione aliorum, nam 5. *lib. Metaph.* vbi diſputat de categoriis ex propria opinione, nõ appoſuit inter ſpecies quantitatis orationem.

2. Opini. 2. Opinio eſt, quam indicare videtur Caietanus in his commentariis, orationem eſſe quidem ſpeciem quantitatis, non tamen eſſe diſtinctam à tempore diſcreto: nam præter tempus continuum conſtituendum eſt aliud tempus diſcretum à D. Tho. & Auguſt. à quo non diſtinguitur oratio, vt oſtendemus deinde.

3. Opin. 3 Opinio eſt fere omnium recentiorũ conſtituentium orationem eſſe ſpeciem quantitatis per ſe omnino diſtinctam à tempore & ab aliis ſpeciebus illius. Hanc ſecutus eſt D. Tho. *opuſ. 48. c. 2. de quant.* Soto, Tolet. Venet. Villalp. & multi alij.

obſeruatio. Cæterum vt hanc quæſtionem explicemus animaduertimus inprimis eſſe triplicem orationem vnam intra mentem retentam, aliam ore prolatam, & vltimam ſcriptam. Vnde cum quærimus in hac quæſtione, an oratio ſit ſpecies quantitatis, non agimus de oratione mentis, quemadmodum etiam docet Ariſtot. in hac categoria, neque de oratione ſcripta, cum enim hæc ſolum ſignificet figuram caracterum, continetur in quarta ſpecie qualitatis. Solum igitur quærimus de oratione, quæ ore profertur, an illa ſit ſpecies quantitatis necne?

2. obſeruat. Adnotandum ſecundo in oratione prolata varia reperiri, inprimis ſpiritum emiſſum ex ore animalis; deinde verberationem illius media lingua, & aliis inſtrumentis naturalib. ex qua verberatione ſequitur multiplex diſtinctio ſyllabarum, nam ex qualibet verberatione fit vna ſyllaba, vt quando ego profero hanc vocem dominus, in prolatione ſunt tres verberationes, & ita etiam ſunt tres ſyllabæ, reperitur etiam ſignificatio vocis, & tandem numerus durationum ſyllabarum, nam quælibet ſyllaba, quando profertur conſumit moram, & aliquam durationem, & ita poſſunt omnes durationes ſyllabarum ſub certo numero comprehendi, ſcilicet ternario, quaternario ſeu alio huiuſmodi. Ex quibus omnib. tria priora non complent rationem orationis, ſpiritus namque emiſſus eſt materia illius, verberatio vero eſt actio, ſignificatio autem eſt relatio rationis, vnde id quod vltimo loco eſt à nobis propoſitum, erit quod cõſtituet eſſentiam orationis. Erit itaq; oratio nihil aliud quam numerus durationum ſyllabarum prolatarũ, vt in oratione Deus in qua ſunt duæ ſyllabæ breues, numerus binarius duarum durationum illarum ſyllabarum eſt oratio. Quia vero tempus diſcretũ iuxta Philoſophos nihil aliud eſt, quam numerus durationum actionum diſcretarum, vt volitionum, vel intellectionum, propria ratio orationis eadem erit, nec differet vllo modo à tempore diſcreto, ſed idem tempus vt applicatur actionibus diſcretis quales ſunt intellectiones, & volitiones dicetur tempus, & vt applicatur ſyllabis diſcretis in ſpiritu emiſſo ex ore animalis, dicetur oratio.

1. concluſio. His animaduerſis ſit 1. concluſ. Oratio eſt quantitas per ſe, & diſcreta. Confirmatur eſſe quantitatem per ſe, quia habet partem extra partem, vt ſyllabam extra ſyllabam, natura autem quantitatis eſt habere partem extra partem. Eſſe autem diſcretam confirmamus, quia partes illius non copulantur termino communi, nam ſyllabæ cuiuslibet dictionis, & orationis, non ſunt coniunctæ, ſed diſtinctæ, & ab inuicem ſeparatæ.

2. concl. 2. concl. Oratio non diſtinguitur à tempore diſcreto, ſed eſt vnum, & idem cum illo.

Confir.

Confirmatur. Tempus diſcretum eſt menſura durationis actionum diſcretarum, vt intellectionum, vel volitionum: ſed oratio eſt menſura durationum ſyllabarum diſcretarum, ergo oratio non differt a tempore diſcreto. Præterea, In rebus ſucceſſiuis & fluidis longum & breue ſunt proprietates temporis, nam illam vocamus actionem longam, quæ exercetur longo tempore, & illam breuem, quæ abſoluitur breui tempore: at in oratione quę eſt ens ſucceſſiuum & fluidum, datur longum & breue, nam quędam ſyllabæ illius ſunt longæ, & aliæ breues, ergo oratio non differet a tempore ipſo diſcreto.

3. concluſ. 3. concluſ. Oratio componitur ex rebus indiuiduis, quemadmodum etiam numerus, nam cõponitur ex multis durationibus, quarum quælibet eſt vna & indiuiſa, quemadmodum numerus componitur ex pluribus vnitatibus, quarum quælibet eſt indiuiſa. Confirmatur in hunc modum: Omnis quantitas deiuncta componitur ex indiuiſibilibus, quia omnis illa reſoluitur in indiuiſibilia, & vnumquodque ex iis componitur, in quæ reſoluitur: ſed oratio eſt quantitas deiuncta, ergo componetur ex rebus indiuiduis. Deinde proprietas quantitatis coniunctæ nequit accommodari quantitati deiunctæ; quia ſunt hæ quantitates ſpecie diuerſæ: ſed poſſe diuidi in partes diuiſibiles, ſeu in ſemper diuiſibilia, eſt proprietas quantitatis coniunctæ, quemadmodum latiſſime docet Ariſt. *6. Phyſicor.* ergo non poterit vllo modo conuenire orationi (cum ſit quantitas deiuncta) poſſe diuidi in ſemper diuiſibilia, & ita componetur oratio ex indiuiſibilibus.

Ad 1. arg. Superſunt denique argumenta diluenda. Ad primum iam ſatisfecimus *ſupra ſect. 2. in hoc cap. quæſt. 2.*

Ad 2. Ad 2. reſpond. principium orationis eſſe vnitatem, non quælibet, ſed illa, quæ eſt applicata durationi ſyllabarum, nam in hac oratione, Deus, duratio prima, primæ ſyllabæ eſt vna, & illa bis repetita conſtituit orationem, vt Deus, ſunt enim in illa duæ vnitates durationis orationis.

Ad 3. Ad 3. dico, aerem emiſſum ab ore animalis poſſe ſumi duobus modis, primo, vt eſt vnus, & continuus, & hac ratione non eſt ſubiectum orationis; ſecundo vero modo ea ratione, qua habet partes diſcretas, ſcilicet diuerſas verberationes, & percuſſiones, quæ non ſunt cõiunctæ, ſed deiunctæ, nam quando ego in ſpiritu produco hanc vocem, Roma, & profero duas verberationes, & duas ſyllabas, fundo rationem orationis in illis. Vnde negandum erit, partes orationis eſſe in voce emiſſa, prout eſt vnum ſubiectum, ſed eſſe in illa ea ratione, qua poteſt illa diuidi in diuerſa ſubiecta, & diſtinctas verberationes.

Ad 4. Ad 4. reſpond. negando propoſitionem, numerus namque quantitatiuus fundatur in rebus affectis quantitate coniuncta, qui tamen non eſt quantitas coniuncta, ſed deiuncta. Illud itaque, quod fundatur in quantitate coniuncta, ea ratione, qua eſt coniuncta, eſt vnum vnitate quantitatis coniunctæ. At illud, quod innititur quantitati coniunctæ, ea ratione, qua induit quantitatem deiunctam, poteſt eſſe quantitas diſiuncta, vt docuimus de numero, & ita cum oratio fundetur in ſpiritu emiſſo, ea ratione, qua induit naturam quantitatis deiunctæ, erit oratio quantitas deiuncta. Non eſt tamen prætermittendum, ſub oratione contineri omnia genera carminum, pedum, & concentuum muſicorum, nam in omnibus illis continetur diſcretio harum morarum & durationum. Conſulite de hac quæſtione Petrum Nigrum *in 1. part. clypei. quæſtion. 26 & 27.* qui etiam noſtram ſententiam tuetur, orationem ſcilicet non diſtingui à tempore diſ[illegible]cret[illegible].

SECTIO III.

De Quantitate, in qua de ſpeciebus quantitatis coniunctæ diſputatur.

ARGVMENTVM.

VLtimo ſequitur, vt de ſpeciebus quantitatis coniunctæ; nimirum linea; ſuperficie; corpore, loco, & tempore diſputemus; quod vt recte præſtare poſſimus; erit illa quæſtio prius

explicanda, qua ratione terminus communis in hac quantitate contineatur, num actu, vel ſola poteſtate. Quærimus ergo.

SECTIONIS TERTIÆ
In Cap. II. Categor. Ariſtotel. de Quantitate,
QVÆSTIO I.
An terminus communis ſit actu in magnitudine.

Diſputaturi de ſpeciebus quantitatis coniunctæ (quam diximus eſſe, cuius partes copulantur termino aliquo communi) æquum erit, vt, antequam de ſingulis illius formis diſputemus, vt de termino communi, nonnulla prius proponamus. Quærimus igitur, an terminus communis ſit actu in quantitate coniuncta, nec ne? Eſt enim communis opinio Dialecticorum conſtituentium, terminum communem nō eſſe actu, ſed poteſtate in magnitudine. Sunt tamen quidam poſteriores Philoſophi, qui arbitrantur terminum communem eſſe actu in magnitudine, & non ſola poteſtate.

Obſer. Cæterum, vt noſtram ſententiam exponamus, animaduertendum eſt, terminum communem poſſe ſumi duobus modis, primo ea ratione, qua eſt terminus communis, & ſecundo ea ratione, qua eſt ens, poteſt enim hæc diſtinctio variis rebus accommodari, vt partibus alicuius totius, quæ ſumi poſſunt, vel in ratione partis, vel in ratione entis.

1. concluſ. Sit iam 1. concluſio: Terminus communis ea ratione, qua eſt terminus, eſt actu in magnitudine. Intelligimus autem per terminum ea ratione, qua eſt terminus, rem indiuiduam ea ratione, qua eſt principium vnius partis, & finis alterius, connectentem vtramq; partem inter ſeſe. Vnde terminū communem ea ratione, qua eſt terminus, eſſe actu in magnitudine, nihil aliud erit, quam in magnitudine dari actu rem aliquā indiuiduam, quæ ſit principium vnius partis, & finis alterius, & connectat ambas partes inter ſe. Confirmatur his argumentis.

1. Arg. Primum eſt: Terminus communis eſt principium vnius, & finis alterius: ſed in magnitudine ante diuiſionē datur aliquid indiuiduū, quod ſit principium vnius, & finis alterius, nam facta diuiſione, apertum eſt, in qualibet parte magnitudinis diuiſa non eſſe aliquod principium vnius, & finis alterius, ergo in magnitud ne datur actu terminus communis.

2. Arg. 2. Inſtans eſt terminus communis temporis connectens partem futuram cum præterita: ſed inſtans eſt actu in tempore, imo de tempore ſecundum Ariſtot. nihil aliud habemus, quam inſtans, ergo terminus actu erit in magnitudine.

3. Partes magnitudinis ſunt actu inter ſe connexæ, & copulatæ: ergo debent habere actu terminum copulantem, & connectentem, & ita terminus communis actu erit in magnitudine. *3. Arg.*

2. concluſ. Terminus communis ea ratione, qua eſt terminus, non eſt actu ens, ſed poteſtate. *2. concluſ.* Confirmatur. Idem iudicium proferendum eſt de termino communi, quod *1. Arg.* profertur de partibus magnitudinis, quarum dicitur eſſe terminus: ſed partes magnitudinis, vt ſunt in magnitudine, non ſunt entia actu, ſed poteſtate, nam iudicio Philoſophorum, in continuo partes non ſunt entia actu, ſed poteſtate, ſunt ſiquidem in illo indiuiſæ, retinentq; totius continui vnitatem, ſed fiunt entia actu, quando diuiduntur ab illo, ergo terminus communis non erit actu ens, ſed poteſtate.

2. Si terminus communis actu eſſet ens in magnitudine, cum dentur in eadem infiniti *2. Arg.* termini communes (dantur enim in magnitudine infinitæ partes copulatæ) daretur actu infinita entia: atqui repugnat omnibus Philoſophis conſtituentibus non dari infinitum in actu: ergo terminus communis non erit ens actu, ſed poteſtate. Dicimus autem eſſe poteſtate ens, quia ſi fiat diuiſio magnitudinis, vt lineæ, verbi gr. in qualibet parte eſt actu punctum, quod ſola poteſtate erat in linea ante diuiſionem.

Quod ſi quis dicat: Omnis terminus eſt *Obiect.* ens: ſed terminus communis eſt actu terminus: ergo terminus communis erit actu ens. Reſpond. terminum communem in ratione *Solut.* termini eſſe actu terminum, in ratione tamen entis eſſe ens poteſtate: quemadmodū etiam partes cōtinui in ratione partis ſunt actu partes, in ratione tamē entis ſunt poteſtate entia, quæ fiunt actu entia per diuiſionem continui. Argumenta vero, quibus auctores citati confirmant ſuas opiniones, ſunt à nobis propoſita in confirmationibus concluſionum, nam

eum

Digitized by Google

cum nos mediam opinionem ſequamur, vtriuſque opinionis argumenta deſumpſimus ad illam duabus ſubiectis aſſertionibus explicatam confirmandam.

QVÆSTIO II.

An linea, extremitas, corpus, & locus ſint ſpecies quantitatis, nec ne?

NOnnulla ſe offerunt argumenta tam aduerſus numerum & diſtinctionem ab inuicem harum ſpecierum, quam etiam aduerſus definitionem nonnullarum earum.

1. Arg. Primum eſt: Vna ſpecies non fit ex alia, ſed extremitas fit ex lineis, & corpus ex extremitatibus: ergo linea, extremitas, & corpus non erunt ſpecies diuerſæ.

2. Arg. 2 Linea à parte rei habet latitudinem, nam quælibet linea depicta eſt lata: ergo non recte dictum eſt, lineam eſſe longitudinem ſine latitudine.

3. Arg. 3. Linea curua & inflexa differunt definitionibus, nam recta definitur, cuius partes ex æquo iacent inter duo puncta: curua vero, cuius partes non ex æquo iacent inter duo puncta: ſed quæ differunt definitionibus, differunt ſpecie, ergo linea curua & recta ſpecie differunt.

4. Arg. Præterea: Linea recta & curua prædicantur de multis numero differentibus, de hac ſcilicet, vel de linea illa recta, & curua, ergo erunt ſpecies lineæ.

5. Arg. Vltimo: Nulla res poteſt eſſe in diuerſis categoriis ſecundum eſſentiam: ſed corpus continetur in categoria ſubſtantiæ, ergo non erit ſpecies categoriæ quantitatis.

Quidquid autem ſit de argumentis, nos propoſitam quæſtionem his aſſertionibus conſtitutis explicamus. *1. concluſ.* Prima eſt: Linea eſt ſpecies infima quantitatis, quæ ita eſt ſpecies, vt nullo modo poſſit eſſe genus. Confirmatur. Si linea eſſet ſpecies interiecta, & genus, maxime ad lineam rectam, & curuam, ſed linea recta, & curua non differunt ſpecie, ergo linea non erit genus. Confirmatur aſſumptio. Rectum, & curuum ſunt quædam qualitates contentæ ſub figura: ſed quæ differunt qualitatibus, non differunt ſpecie, ergo linea recta & curua non differunt ſpecie.

2. concluſ. 2. concluſ. Extremitas eſt verum genus ad extremitatem extrinſecam, & intrinſecam, nam intrinſec. conſtituit ſecundam ſpeciem quantitatis, nimirum ſuperficiem, extrinſeca vero alteram ſpeciem, quæ eſt locus.

Obſeru. Hanc concluſionem vt confirmemus, annotandum eſt, extremitatem in communi denotare ſolam longitudinē & latitudinem, hęc autem eſt diſtributa deinde in longitudinem & latitudinem intrinſecam, quę conſtituit ſecundam ſpeciem, atq; in longitud. & latitud. extrinſecam, per quam cōſtituitur altera ſpecies, locus nempe. Vnde extremitas in communi dicetur ſecūdum eſſentiam de extremitate, & de loco, quę duo differunt ſpecie. Quo conſtituto, ita argumentor: Illud, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus, eſt genus: ſed extremitas prædicatur in quid de extremitate intrinſeca, & de extrem. extrinſ. (loco ſc. & ſuperfic.) quæ differunt ſpecie: ergo extremitas erit genus, & ſpecies ſubalterna quantitatis. *Argum.* Vnde colligimus, locum & ſuperficiem, quæ eſt ſecunda ſpecies quantitatis, eſſe diuerſas ſpecies extremitatis in communi, tum primo, quia habent diuerſam rationem habendi partem extra partem, quia ſuperficies habet partem extra partem ad intra, & in eodem toto: locus vero habet partem extra partem ad extra, ſcilicet reſpectu corporis contenti in ipſo: tum 2. quia locus eſt menſura extrinſeca corporis locati, extremitas vero eſt menſura intrinſeca. Verum de hac concluſione *infra quæſt. 4. huius ſectionis* iterum erit habenda oratio.

3. concluſ. Corpus eſt vera & legitima ſpecies quantitatis. *3. concluſ.* Cæterum vt hanc concluſionem intelligamus, obſeruandum eſt, duplex eſſe corpus, vnum, quod ſignificat trinam dimenſionem, ſcilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & alterum, quod ſignificat ſubſtantiam ſubiectam huic trinæ dimenſioni. Corpus igitur, quod eſt ſpecies huius categoriæ, eſt trina dimenſio, nam illud, quod ſignificat ſubſtantiam ſubiectam huic trinæ dimenſioni, non continetur in hac categoria, ſed in categoria ſubſtantiæ. Confirmatur autem corpus eſſe legitimam ſpeciem quantitatis ex eo, quia habet partē extra partem, & poteſt diuidi in tres dimenſiones, quæ duo ſoli quantitati poſſunt conuenire: in his enim illius naturam eſſe conſtitutam, iam *ſup. ſect. 1. q. 3.* docuimus.

Iam ad argumenta, quæ in initio propoſuimus. *Ad 1. arg.* Ad 1 concedimus propoſitionem de ſpeciebus ſecundum formam: negamus autem eandem de ſpeciebus ſecundum materiā, & ita extremitas fit ex lineis, & corpus ex extremitatibus ſecūdem materiam, hinc tamen non fit, omnes has tres ſpecies quantitatis eſſe vnam & eandem.

Ad 2. dicimus, duplicem eſſe lineam, vnam mathematicam, & alterā naturalem. Mathe-

matica

Digitized by Google

matica eſt ſola longitudo ſine latitudine, qua ratione conſideratur a mathematico: naturalis vero eſt linea ſubiecta qualitatibus ſenſibilibus, vt albedini, vel nigredini. Hæc igitur à parte rei vnita eſt quidem cum latitudine, ſed non inde fit, latitudinẽ eſſe de illius eſſentia, quamuis enim homo ſit a parte rei vnitus cum albedine, non ex eo fit conſequens, albedinem eſſe de eſſentia illius.

Ad 3. Ad 3. concedimus aſſumptionem, ſi intelligatur de definitionibus eſſentialibus: quod ſi non de eſſentialibus, ſed de aliis definitionib. illa intelligatur, eandem negamus: hæ autem definitiones lineæ rectæ & curuæ non ſunt eſſentiales, ſed accidentariæ, traditæ per proprietatem, quare nec differunt inter ſe ſpecie.

Ad 4. Ad 4. negamus conſequentiam, quia non prædicatur in quid, ſed accidentario: quemadmodum quamuis homo albus prædicetur de hoc vel illo homine alto, non tamen eſt ſpecies, quia non effertur in quid, ſed accidentario.

Ad 5. Ad 5. reſpond. corpus, quod eſt ſpecies categoriæ ſubſtantiæ, eſſe aliud à corpore, quod eſt ſpecies in categoria quantitatis: illud enim ſignificat ſubſtãtiam ſubiectam trinæ dimenſioni: hoc vero ſignificat ipſam trinam dimenſionem. Legendus eſt Flandrenſis 5. *Metaphyſ. quæſt.* 14. *art.* 8.

QVÆSTIO III.

An linea, extremitas, & corpus ſint entia poſitiua, & re ipſa diſtincta.

HAs eſſe ſpecies quantitatis, conſtat ex ſuperiori q. ſupereſt inueſtigandum ſintne inter ſe re ipſa diſtinctæ, & entia poſitiua, & num in magnitudine actu reperiantur, nec ne? Et certe punctum, atq; hæc tria eſſe entia priuatiua inter ſe minime re ipſa diſtincta, hęc argumenta confirmant.

1. Arg. 1. Ariſtoteles *in libello de animalium motu*, docet, indiuidua, vt ſunt Poli mundi, non eſſe ſubſtantiam à parte rei, ergo cum punctum ſit quidpiam indiuiduum, non erit à parte rei, ſed tantum habebit eſſe per intellectum, eritque ens rationis.

2. Arg. 2. Definitio puncti traditur per priuationem, definitur enim indiuiduum habens ſitum in continuo, indiuiduum autem eſt priuatio diuidui, at nulla priuatio eſt ens rei, ergo punctum non erit ens rei.

3. Arg. 3. Omne accidens re ipſa diſtinctum ab altero vendicat ſibi ſubiectum aliquod adæquatum: ſed punctum nullum ſubiectum adæquatum ſibi vendicat, ergo non erit accidens diſtinctum ab ipſa linea. Confirmatur aſſumptio. Si punctum vendicaret ſibi certum aliquod ſubiectum adæquatũ, vel eſſet ſubſtantia, vel linea, at non poteſt eſſe ſubſtantia, neque linea, quia vtrumque horum eſt diuiſibile, punctum vero eſt indiuiſibile, ergo punctum non differet re ipſa a linea.

Præterea: Linea, & extremitas ſunt etiam termini, & principia magnitudinum: ſed linea & extremitas vendicant ſibi certum & adæquatum ſubiectum, ergo quamuis punctum ſit terminus & principium, vendicabit ſibi certum & adæquatum ſubiectum. *4. Arg.*

Ad hæc: Nullum ens abſolutũ, diſtinctum re ipſa ab altero poteſt acquiri per diuiſionem & amitti per vnionem, quæ ſunt quidam motus ad locum: ſed punctum, linea, & extremitas oriuntur per diuiſionem, & pereunt per vnionem, vt ſi aquam exiſtentem in aliquo vaſe diuidamus in duas portiones, in qualibet illarum eſt de nouo orta extremitas, quod ſi vniantur iterum illæ aquæ portiones, pereunt extremitates antea ortæ, ergo punctum, linea & extremitas non diſtinguentur re ipſa. *5. Arg.*

Iam: Omne ens abſolutum re ipſa diſtinctum ab altero poteſt eſſe ſine illo per potentiam diuinam, ſed linea non poteſt eſſe ſine punctis, neque extremitas ſine linea, neque corpus ſine extremitate, ergo hæc non diſtinguentur re ipſa. *6. Arg.*

De hac quęſtione eſt prima opinio Ocham *in ſua Dialectica cap. de quantitate, & in tractat. de Sacrament. Euchariſtia, cap.* 1. & 2. Gregor. *in* 2. *diſtinct.* 2. *q.* 2. *art.* 1. & aliorum Nominalium conſtituentium punctum, lineam, & extremitatem, qua termini ſunt, vel principia magnitudinum, non eſſe entia poſitiua, ſed priuatiua, punctumque à linea, & lineam ab extremitate, atque extremitatem denique à corpore minime diſtingui, atq; differre, ſed vnam potius ac eandem rem eſſe hæc omnia. Cui opinioni adhæſit Benedict. Pererius *in ſua philoſoph. lib.* 10. *c.* 6. *1. Opin.*

2. Opinio eſt grauiſſimorum Philoſophorum conſtituentium contrariam opinionem, ſcilicet punctum, lineam, & extremitatem eſſe entia poſitiua, & re ipſa ab inuicem diſtincta, in qua extitere Capreol. 2. *lib. ſentent. diſt.* 2. *q.* 1. Soncin. 5. *Metaph. q.* 20. Petr. Niger 2. *part. clypei. q. etiam* 20. M. Sot. *in hac categ. q.* 2. Matthias Aquat. 3. *Metaph. q.* 7. Burlæus 1. *lib. Phyſ. c.* 2. innumerique alii Philoſophi. *2. Opin.*

Verum vt & nos hanc quæſt explicemus, animaduertimus primum, punctum eſſe rem omnino indiuiſam, lineam eſſe rem indiuiſam

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum latitudinem, & diuiſam penes longitudinem: extremitatem eſſe rem diuiſam iuxta profunditatem, eſſeque diuiſam quoad longitudinem, & latitudinem.

1. *Obſeru.* Obſeruamus deinde, in linea dari duo genera punctorum, nam quædam ſunt claudentia lineam, vel (vt dicunt) extrinſeca, omnis namque linea iacet inter duo puncta, & alia eſſe connectentia partes lineæ inter ſe, quæ vocantur puncta intrinſeca, nam in continuo debent eſſe omnes illius partes copulatæ aliquo termino communi, qui ſit intra partes illius: eodemq; modo in extremitate ſunt duæ lineæ quædam claudentes extremitatem, & aliæ connectentes partes illius: parique demum ratione in corpore ſunt duo genera extremitatum, quædam, quibus illud clauditur, & aliæ, quibus illius partes ad inuicem coniunguntur.

1. *concluſ.* Sit iam (his animaduerſis) 1. concluſ. Si loquamur de punctis claudentibus, & de lineis, & extremitatibus eiuſdem generis, punctum, linea, & extremitas ſunt actu in magnitudine. Confir. Omnis magnitudo eſt actu finita: at omne, quod eſt actu finitum, debet habere terminos actu finitos: ergo cum termini finiti ſint vel punctum, vel extremitas vel linea, erũt illa tria actu in magnitudine. Eſt quidem certa hæc concl. de his tribus modo expoſito ſumptis, eſſet nihilominus cõtrouerſia de puncto, linea, & extremitate, prout connectunt partes magnitudinis ad inuicẽ, num omnia illa ſub hac ratione ſint in magnitudine, actu, vel poteſtate, quod idem nonnulli diſcutiũt ſub hoc titulo, an terminus communis ſit actu, l. poteſtate in ea re, cuius eſt terminus in quo ſenſu iam remanet illa q. t. huius ſect. luculenter ſatis explicata.

2. *concluſ.* 2. concluſ. Punctum, linea, & extremitas ſunt entia poſitiua, & non priuatiua. Confirmatur inprimis, quia priuatio ſumpta formaliter eſt ens rationis, habens tantum eſſe per intellectum: at punctum, linea, & extremitas ſunt à parte rei, præter omnem actionem intellectus. Præterea nulla quantitas coniuncta eſt priuatiua, imo neque illud etiam quod habet ſitum in continuo: ſed linea, tum etiam extremitas, & ſunt quantitates coniunctæ, punctum autem habet ſitum in magnitudine, quæ eſt quantitas coniuncta, ex Ariſtotel. *lib. 5. Metaphyſ. cap. 6.* ergo hæc erunt entia poſit ua.

Animaduertendum eſt tamen, non dici ab Ariſtot. punctum habere ſitum in continuo, eo quod vel habeat partem extra partem in eodem toto, vel in eodem loco, ſed ex eo, quia vel claudit lineam, vel connectit partes illius, & omne, quod claudit, vel connectit aliquam magnitudinem, neceſſe eſt, vt habeat ſitum & poſitionem in ea.

3. concluſ. Punctum re ipſa differt à linea, & linea ab extremitate, & extremitas à corpore. Confirmatur inprimis concluſio iſta de puncto. Omne indiuiduum re ipſa differt ab omni diuiduo, alioquin enim ſequeretur indiuiduum, & diuiduum eſſe idem: at punctum eſt indiuiduum, linea vero eſt diuidua ſecundum longitudinem, ergo punctum re ipſa differet à linea. Confirmatur præterea, extremitatem re ipſa diſtingui à corpore, & lineam ab extremitate duplici alio medio. 3. *concluſ.*

Primum eſt: Illa differunt re ipſa, quorum vnum includit aliquam entitatem, vel rationem, quam alterum non includit: at extremitas includit aliquam entitatem & rationem, quam non includit linea, & corpus; aliquam, quam non includit extremitas, ergo linea ab extremitate, & extremitas à corpore re ipſa diſtinguentur. Confirmatur aſſumptio. Extremitas includit latitudinem, quam non includit linea, vt admonuimus, corpus etiam ambit ſub ſe profunditatem, quam non includit extremitas: at latitudo, & profunditas ſunt quædam entitates & rationes, ergo aliquam rationem includit extremitas, quam non includit linea, & aliquam corpus, quam non includit extremitas. 1. *Arg.*

2. Terminus alicuius magnitudinis re ipſa differt ab illa, alioquin enim ſequeretur idem terminare ſe ipſum, quod fieri nulla ratione poteſt: ſed linea eſt terminus extremitatis, & extremitas corporis, ergo hæc tria inter ſe re ipſa diſtinguentur. Cæterum animaduertendum eſt, argumenta hæc non ſolum concludere de iis, quatenus concludunt magnitudinem, verum etiam quatenus connectũt illius partes, ſi eorum vis ac robur paulo attentius inſpiciatur. 2. *Arg.*

Occurrendum eſt iam argumentis propoſitis. Ad 1. reſpond. Ariſtotel. tantum docuiſſe indiuidua non eſſe ſubſtantias, nõ autem non eſſe entia à parte rei, vnde quamuis punctum non ſit ſubſtantia, erit ens à parte rei. *Ad 1. arg.*

Ad 2. dicimus, dari quædam entia poſitiua, quæ per negationem aliorum definiuntur, ſicut Deus Opt. Max. & materia prima: vnde quamuis punctum definiatur per priuationem & negationem, erit nihilominus ens rei, & poſitiuum. *Ad 2.*

Ad 3. Ad 3. reſpond. propoſitionem eſſe veram de accidente integro, & completo, quod neque eſt principium, neque terminus alicuius, cuiuſmodi eſt albedo, vel nigredo: at vero punctum non eſt accidens integrũ, ſed principiũ, & terminus lineæ, & ita non vendicabit ſibi certum aliquod ſubiectum adæquatum, ſed erit in eodem ſubiecto, in quo eſt linea.

Ad 4. Ad 4. dicimus, diuerſam eſſe rationem de puncto, & linea, quia punctum ita eſt principium, & terminus quantitatis, vt nullo modo poſſit eſſe quantitas: at linea, & extremitas, quantumuis ſint principia & termini magnitudinum, ſunt tamen in ſe veræ quantitates, & ita poterunt vendicare ſibi certum aliquod & adæquatum ſubiectum, non autem ita erit de puncto.

Ad 5. Ad 5. negamus propoſitionem in continuis, eo quod in illis ex propria ratione oriuntur per diuiſionem nouæ extremitates, & per vnionem corrumpuntur, & quia extremitas, linea, & punctum ſunt termini quantitatis coniunctæ, aut quantitas coniuncta ob hanc cauſam variata quantitate (quemadmodum reuera fit in diuiſione, & vnione) debent variari, & oriri diuerſi termini.

Ad 6. Ad 6. negamus etiam propoſitionem, nam materia & forma ſunt entia abſoluta ac re ipſa inter ſe diuerſa, atque diſtincta, cum tamen materia prima etiam per diuinam potentiam abſque forma nullo modo eſſe poſſit, propter neceſſariam connexionem, quæ inter ipſam & formam intercedit. Eodemque prorſus modo, quamuis punctum, linea, & extremitas re ipſa differant, ob neceſſariam nihilominus ipſorum inter ſe habitudinem & connexionem, neque extremitas poterit abſque linea eſſe, neque linea punctis carere.

QVÆSTIO IV.

An locus ſit vera ſpecies quantitatis coniunctæ?

NOn eſt leuis diſceptatio inter Philoſophos de loco, tempore, & motu, ſintne ſpecies quantitatis coniunctæ, necne? ac proinde erunt tres quæſtiones de hac re à nobis explicandæ, vna de loco, alia de tempore, & tertia de motu. Et certe locum non eſſe ſpeciem quantitatis, his argumentis fieri poterit manifeſtum.

1 Arg. 1. Quia Ariſt. 5. *lib. Metaph cap* 14. de ſpeciebus quantitatis differens, non meminit huius ſpeciei, ſed omnino locum inter ſpecies quantitatis recenſere prætermiſit.

2. Arg. 2. Si locus eſſet quantitas, ergo cum à quantitate res formaliter ſint quantæ, à loco etiam eſſent res formaliter quantæ: at hoc eſt falſum, quia locus non efficit, ſed ſupponit rem formaliter quantam, tantumque efficit illam formaliter locatam: non igitur erit quantitas.

3. Si locus eſſet ſpecies quantitatis, eſſet haud dubie vna ſpecies, & cum iuxta Ariſtot. ſit ſuperficies, eſſet vna ſuperficies ſecundum ſpeciem: hoc autem falſum eſt, nam datur locus aliquis (non tantum vnus ſecundum ſpeciem, verum etiam & ſecundum numerũ) qui non eſt vna ſuperficies, vt conſtat de loco nauis, quæ partim eſt in aere, & partim in aqua, ergo non erit locus ſpecies quantitatis. *3 Arg.*

Præterea, Motus & terminus motus in eadem categor. continētur, ergo in ead. categoria continebitur locus, qui eſt terminus motus ad locum, in quo ipſe motus continetur: ſed motus ad locum non continetur in categoria quantitatis, ſed in categoria Vbi, ergo neque locus continebitur in categoria Vbi. *4. Arg.*

Iam: Immobilitas non eſt de ratione alicuius quantitatis: ſed illa eſt de ratione loci, vt docet Ariſt. 4. *Phyſ. c.* 4. ergo locus non erit ſpecies quantitatis. *5. Arg.*

Hæc certe argumenta adeo firma viſa fuerunt quibuſdam Philoſophis, vt aſſeruerint, locum non eſſe numerandum inter ſpecies quantitatis, ſed reiiciendum eſſe ab hac categoria, & collocãdum in categoria, in qua motus ad locum comprehenditur, in categoria nimirum Vbi. Hanc opinionem amplectitur Scot. *q.* 21. *&* 22. *prædicam.* Anton. Andre. eius diſcipulus 5. *Metaph. q* 10. *in ſolut.* 5. *arg.* Burlæus *in comment. huius cap.* & Louanienſ. Fonſeca 5. *Metaph. c.* 13. *q.* 7. *ſect.* 2. & multi alii ex recentioribus, qui horũ veſtigia imitantur. At contra ſentiunt veteres omnes Philoſophi cum Ariſt. profitentes, locum eſſe veram & legitimam ſpeciem quantitatis I'a Porphyr. Simpl. Ammon. Dexip *in comment. huius loci.* D. Tho. 5. *lib. Metaph. c.* 13. *& in opuſc. de natur. loci.* B. Albert. Mag. *tract.* 3. *categor c.* 10. Flandrenſ. 5. *lib. Metaph. q.* 14 *art.* 9 M. Sot. Tolet. Villalpan. Vera-cruce, & alii, quos, ne citando moleſtiam pariam, prætermitto. *1. Opin.* *2. Opin.*

Hanc igitur ſententiam vt explicemus, prætermiſſis his, quæ de loco 4. *libr. Phyſicor.* ab Ariſt tradita fuerunt, & quę in hoc loco commode explicari nequeunt, in explicationem ſit prima concluſio.

Locus eſt vera & legitima ſpecies quantitatis. *1. concluſ.*

Confirmatur 1. auctoritate Ariſtot. in hac *1. Arg.*

cate-

categoria, vbi locum inter alias ſpecies quantitatis recenſet.

2. Arg. 2. Cui conueniunt proprietates alicuius ſubiecti, debet quoque & illius natura conuenire: ſed proprietates quantitatis conueniunt loco, vt eſſe menſuram, eſſe æquale & inæquale, nam locus metitur rem locatam, & ſi fuerit communis, eſt inæqualis, ſi vero proprius, eſt æqualis: ergo & eſſentia quantitatis etiam eidem adaptabitur.

3. Arg. Præterea: Locus eſt extremitas, ita enim ab Ariſtotele definitur 4. *Phyſicor. cap. 4.* extremitas intima corporis ambientis: ſed iudicio eiuſdem Ariſt. extremitas eſt vera & legitima ſpecies quantitatis: ergo & locus erit ſpecies illius.

Iam: Eſſe menſuram ſubſtantiæ ſoli quantitati aut principio illius, nimirũ vnitati conuenit, vt profitetur Ariſt. 10 *Metaph. c. 1.* ſed locus eſt vera & legitima menſura ſubſtantiæ, nam omne, quod ambit, mẽſura eſt eius, quod ambitur, locus autem ambit locatum, erit igitur ille vera & legitima quantitas.

2. concluſ. 2. concluſ. Locus eſt ſpecies quantitatis coniunctæ. Hanc profitetur Ariſtot. in cap. &

1. Arg. confirmatur, quia locus eſt extremitas, at extremitas quantitas eſt coniuncta. Tum etiam quia partes illius connectũtur termino communi, nam vel eſt corpus, aut ſpatium quoddam natum recipere in ſe corpora locata, vt volebant veteres, & Galen. Philoponus, Valleſius, & alii recentiores, vt 4 *Phyſic cap* 4. explicabimus: vel eſt extremitas intima corporis ambientis, vt placuit Ariſt. & Peripateticis. Si fuerit corpus, partes eius copulabuntur extremitate, quemadmodum Ariſt. in cap profitetur, inquiens, locum habere eundem terminum communem, quem habet corpus: ſi vero fuerit extremitas, partes eius connectentur linea, quemadmodum & extremitates aliæ linea connectũtur, erit igitur locus quantitas coniuncta.

3. concluſ. 3. concluſ. Locus apud Dialecticum eſt ſpecies diſtincta à ſuperficie. Dixi quidem apud Dialecticum ipſum, quia apud Metaphyſicum non ſunt ſpecies diuerſæ, cum habeant eandem rationem diuiſionis ſecundum longitudinem, & latitudinem.

Obſer. Sciendum tamẽ eſt, extremitatem in communi tantum denotare longitudinem, & latitudinem, quæ duobus modis diuidi poteſt, in intrinſecam, & extrinſecam. Intrinſeca eſt, quæ inhæret ſubiecto lato, & longo: extrinſeca vero eſt, quæ non inhæret ſubiecto lato, & longo, ſed alteri ab eo diuerſo. Cum itaque ſint duæ ſpecies extremitatis, ſecunda ſpecies quantitatis coniunctæ, quę eſt extremitas, intelligenda eſt de extremitate intrinſeca, altera

Confir. concluſ. vero, quę eſt locus de extrinſeca. Confirmatur iam. Eſſe menſuram intrinſecam, & extrinſecam, ſpecie differunt in ratione menſuræ: ſed locus eſt menſura extrinſeca, ſuperficies vero intrinſeca, ergo locus, & ſuperficies, in ratione menſuræ ſpecie proculdubio differunt. Aſſumptio perſpicua eſt, confirmatur propoſitio. Quantitas coniuncta, & deiuncta ſpecie differunt: ſed ex eo aliqua ſpectant ad quantitatem coniunctam, & deiunctam, quia ſpectant ad menſuram extrinſecam, & intrinſecam, vt numerus binarius applicatus panno, qui eſt menſura illius intrinſeca, vel per inhærentiam, eſt quantitas coniuncta (vt *ſect.* 2. a genere de numero ſæpe docuimus) numerus vero abſtractus, qui eſt menſura extrinſeca, eſt quantitas deiuncta: ergo menſura extrinſeca & intrinſeca conſtituent ſpecies alicuius generis differentes.

Arg. quorũ. 1. Arg. Sed contra hanc concluſionem quidam ita argumentantur. 1. Si ratio menſuræ ſufficiens eſſet ad diſtinguendas ſpecies quantitatis, fieret, vt omne illud, quod eſt menſura, eſſet inter ſpecies quantitatis recẽſendum: at qui hoc falſum eſt, quia vnitas habet primo rationem menſuræ, quæ tamen non eſt quantitas.

2. Arg. 2. Quia extrinſecum, & intrinſecum non efficiunt ſpecies diuerſas, ſunt enim quædam accidentia communia: ergo menſura extrinſeca & intrinſeca non diſtinguentur ſpecie: neque igitur locus, & ſuperficies in ratione menſuræ ſpecie differunt.

3. Arg. Præterea, ſi ſuperficies intrinſeca & extrinſeca (nimirum locus, & extremitas) in ratione menſuræ conſtituerent diuerſas ſpecies fieret etiam eſſe duas ſpecies temporis conſtituendas in ratione menſuræ, ſc. extrinſecum & intrinſecum, nam tempus eſt menſura intrinſeca motus primi cœli, extrinſeca vero omnium aliorum motuum: at Ariſt nihil tale vnquam docuit, conſtituere nempe tempus duas ſpecies in ratione menſuræ: neque igitur ſuperficies in ratione menſuræ conſtituet duas ſpecies, vnam, quæ eſt menſura intrinſeca, & aliam, quæ ſit menſura extrinſeca.

Soluit. 1. Arg. His tamen obiectionibus ita ſatisfacimus. Ad 1. reſpon. cum Flandrenſi, vbi ſupra duplicem eſſe menſurã, vnam per adæquationem, vt vlna ligni, eſt menſura vlnæ panni, nam ſunt duæ vlnæ pares, & æquales inter ſe: & alteram per multiplicationem, quæ ſcilicet ſæpius multiplicata, & repetita, rem aliquam

ordine & continguitate ſunt vnum. Ex parte vero formæ neceſſe eſt, vt ſit vna & eadem ratio continendi: & quia in his duabus ſuperficiebus eſt eadem ratio continendi, propterea erit vnus, & idem locus ſecundum formam, ac proinde vnus ſimpliciter, quia natura rei a forma peti debet.

Ad 4. Ad 4. reſpond. duplicem eſſe terminum intrinſecum & extrinſecum, intrinſecus dicitur, qui eſt in ſubiecto quod mouetur, extrinſecus vero qui in diuerſo ſubiecto reperitur: motus itaque & terminus intrinſecus qui per illum adquiritur ſunt idem, & in eadem categoria continentur, idem autem & terminus extrinſecus neque ſunt idem, neque in eadem categoria comprehenſa: at terminus intrinſecus, qui per motum ad locum comparatur non eſt locus ſed eſſe in loco, locus enim terminus eſt extrinſecus, ac proinde quamuis motus ad locum in categoria vbi collocetur, non propterea locus in illa collocabitur, ſed tantum eſſe in loco.

Ad vlt. Ad vltimum dicimus illud eſſe infirmum, & nullius roboris; nam quamuis immobilitas non ſit de ratione alicuius quantitatis, poterit tamen eſſe de ratione loci: quemadmodum quamuis longum & breue, non ſint de ratione extremitatis, aut corporis, ſunt de ratione lineæ: quædam ſiquidem ſunt propria alicuius ſpeciei quantitatis, quæ aliis conuenire nulla ratione queunt. Qua autem ratione conueniat immobilitas loco 4. Phyſ. (Deo fauente) explicabimus.

QVÆSTIO V.

An tempus ſit per ſe ſpecies quantitatis necne?

Parti negāti fauent maxime hæc argumenta. Primum. Ariſt. 5. *Metaphyſ. cap.* 13.
1. argum. docet tempus eſſe quantitatem per accidens non ergo erit quantitas per ſe.

2. Argum. Deinde: Cui competit ratio ſubiecti per accidens debēt & proprietates fluentes ab illo per accidens conuenire, ſed tempori conuenit ratio quantitatis, quæ eſt poſſe diuidi per accidens, ergo & eſſe menſuram, quod eſt proprietas fluens ab eſſentia quantitatis, cōueniet etiam illi per accidens, atque ita in ratione menſuræ non erit quantit. per ſe.

3. Arg. Præterea: cui competit per aliud eſſentia, etiam proprietas ab illa fluens competit per aliud, ſed eſſe menſuram; quod eſt proprietas quantitatis, non competit tempori propter aliud, ſed propter ſe, ergo natura & eſſentia quantitatis per ſe tempori conueniet, & non per aliud ratione nimirum motus vel magnitudinis, vt poſtea dicemus.

Iam: Tempus eſt numerus motus, ſed numerus eſt quantitas deiuncta, ergo tempus erit quantitas deiuncta.

Conſtituimus reliquimus ſupra de ratione diſputantes duplex eſſe tempus, vnū quod *Obſeru.*
eſt numerus partium motus primi cœli ſecūdum prius, & poſterius, alterum vero, quod eſt numerus rerum fluentium, & diſcretarū velut intellectionum, & volitionum. De vtroq; itaque tempore explicandum nobis eſſe videtur an ſit quantitas per ſe, & deiuncta: nec tamen latiſſime id hoc loco a nobis fiet, ſed potius breuiter, ac ſuccincte; cum magis diſputatio iſta ad 4. *lib. Phyſ.* attineat vbi de ipſo luculentiſſime diſputabimus.

Sit igitur 1 concluſ. Tempus eſt quantitas *1. concl.*
per ſe, & non per accidens. Hanc concluſionē ſtatuimus aduerſus Soncin. 5. *lib. Metaph. q.* 24. & nonnullos etiam alios. Confirmamus eam inprimis auctoritate Ariſt. *in hac categ.* conſtituentis tempus eſſe ſpeciem quantitatis. & dū *in fin. cap.* diſtingueret quantitatem in per ſe, & per accidens ait, ſpecies quantitatis enumeratas, eſſe quantitates per ſe, de quarum numero vna eſt tempus. Deinde, quia quantitas per ſe eſt illa quæ ex ſe habet partem extra partem; at tempus ſuapte natura habet partē extra partem, vt futuram extra præteritam, tempus igitur erit quantitas per ſe.

2. concluſ. Tempus applicatum motui pri- *2. concluſ.*
mi cœli, eſt quantitas coniuncta. Hanc profitemur cum communi opinione aduerſus Sōcinatem vbi ſupra & Ferrarienſ. 4. *Phyſ. q.* 5. qui opinantur illud eſſe quantitatem diſcretam ſub numero comprehenſam. Confirmatur tamen primo Ariſt. teſtimonio, conſtituentis in hac categ. tēpus ipſum inter ſpecies quantitatis coniunctæ. Confirmatur 2. Quantitas coniuncta ea eſt cuius partes copulantur aliquo termino communi; at partes temporis, quod eſt numerus motus primi cœli copulantur termino communi, inſtanti nimirum; inſtans namq; eſt, quod connectit partem præteritam temporis, cum parte futura, ergo tempus erit quantitas coniuncta.

3. concluſ. Tempus applicatum actioni- *3. concluſ.*
bus fluidis, & diſcretis, vt intellectionibus; & volitionibus eſt quantitas deiuncta. Confirmatur: Illa eſt quantitas deiuncta cuius partes non copulantur termino aliquo communi; at partes intellectionis, quæ ſunt diuerſæ intellectiones nō copulantur termino aliquo

communi, vna cuim intellectio diſcreta, & ſeparata eſt ab altera ergo tempus quod eſt numerus harum operationum erit quantitas deiuncta contenta ſub numero applicato rebus diſcretis fluidis & ſucceſſiuis. Verum de hoc tempore diſcreto agere non eſt huius inſtituti, ſed in 4. *Phyſ.* in quo loco abunde ſatis de illo diſputabimus.

Ad 1. arg. Diſſoluamus iam argumenta in principio adducta. Ad primum dicimus t. Ariſt in *Metaphyſ.* tantum egiſſe de quantitate permanente non de fluida, & ſucceſſiua, illam itaq; ſolam vocat quantitatem per ſe, quæ habet partes permanentes, illam vero cuius partes ſunt ſucceſſiuæ, velut tẽpus, & motus, vocat quantitatem per accidens. Secundo dicimus cum D. Thom. *in commentar. illius loci* Ariſt. in dialectica egiſſe de tempore ſub ratione menſuræ in Metaphyſ. vero ſub ratione diuiſionis, & quia tempus habet propriam rationem menſuræ conſtitutum eſt in dialectica inter ſpecies quantitatis per ſe at vero, quia non diuiditur per ſe, ſed ad diuiſionem motus conſtitutum eſt inter ſpecies quantitatis per accidens.

Ad 2. Ad 2. dicimus duobus modis poſſe aliquid per accidens alicui conuenire, primo accidẽtaria ratione, quemadmodũ dicimus hominem eſſe album per accidens; ſecundo per aliud qua ratione dicimus ignem eſſe calidum per accidens, id eſt, per aliud, nimirum per calorem. Quãdo igitur eſſentia alicuius ſubiecti competit per accidens, id eſt, accidentario alicui, & proprietates fluentes à tali eſſentia debent etiam accidentario eidem cõuenire; quando vero ratio ſubiecti competit per accidens alicui, id eſt, per aliud proprietates dimanantes à tali natura non conuenirẽt illi accidentario, ſed per ſe Et ita diuidi poſſe, quod eſt ratio quantitatis competit tempori per accidens, id eſt, per aliud, ſcilicet propter motum, & ita eſſe menſuram non conueniet illi accidentario, ſed per ſe.

Ad 3. Ad 3. dicimus poſſe aliquod attributum alicui conuenire per aliud duobus modis, primo per aliud tanquam per cauſſam efficientem, ſecundo vero modo tanquam per attributum & rationem eſſentialem ſuperiorem, vt dicimus hominem eſſe ſentientẽ per aliud ſcilicet per animal, quod eſt attributum eſſentiale hominis, eiuſque genus. Propoſitio igitur vera eſt, quando ratio à qua fluit proprietas competit ſubiecto per aliud, tanquam per rationem, & attributum eſſentiale; falſam autem quando natura conuenit ſubiecto per aliud tanquam per cauſam efficientem, nam motus & magnitudo ſunt cauſſæ efficientes, ob quas tempus habet partes extra partes, & diuidi poſſit, ac proinde eſſe menſuram primo & per ſe, & non per aliud illi conueniet, cum conueniat ei ratione alicuius attributi ipſi eſſentialis.

Ad 4. Ad 4 dimus, numerum applicatum rebus diſcretis, quantitate tamen coniũcta affectis, eſſe quantitat. diſcretam; applicatum nihilominus rei continuę non eſſe quantitatem deiunctam, ſed coniunctam, cuiuſmodi eſt numerus decem palmorum in ligno, qui quidẽ qantitate eſt coniuncta, eo quod lignum cui applicatur eſt affectum quantitate cõiuncta. Cum ergo numerus, qui continetur in diffinitione temporis, ſic applicatus motui primi cœli, qui eſt quantitas coniuncta, erit etiam & ille quantitas coniuncta.

QVÆSTIO VI.

An motus ſit quantitas per ſe.

VLtimo quærendum eſt ſitne motus quãtitas per ſe nec ne? quæ quidem quæſtio ſicuti & ſuperior, quia multa poſtulat ex iis, quæ de motu 5. *Phyſ* diſputari ſolent erit breuiter hoc loco à nobis explicanda.

1. argum. Et quidem motum eſſe quantitatem per ſe confirmatur primo, quia motus habet propriam diuiſibilitatem diſtinctam à diuiſibilitate magnitudinis, nam diuiſibilitas magnitudinis eſt in partes cohærentes ſimul in eodem toto: motus vero in partes ſucceſſiuas, & quæ ſimul cohærere nulla ratione poſſunt, quæ certe diuiſibilitates alterius ſunt rationis, quare cum diuiſibilitas ſit propria ratio quantitatis, motus erit quantitas per ſe.

2. Arg. 2. Habere partem extra partem eſt de natura & eſſentia quantitatis; ſed in motu datur per ſe pars extra partem, nam eſt ens ſucceſſiuum, de cuius ratione eſt habere partes ſibi inuicem ſuccedentes, erit igitur quantitas per ſe.

3. argum. 3. Eſſe menſuram eſt proprietas quantitatis, ſed eſſe menſuram competit motui, ergo erit motus quantitas per ſe. Confirmatur aſſumptio, quia motu aliquando metimur tempus, nam ex deambulatione aliquando metimur quanta portio temporis fuerit elapſa.

4. argum. Iam: Maius & minus proprietates ſunt quantitatis: ſed motus habet propriũ maius, & minus diſtinctum a maiori & minori maguitudinis, nam exiſtente eadẽ magnitud ne

poteſt

poteſt motus eſſe aliquando maior, & aliquando minor, maior vt ſi mobile, quod percurrit talem magnitudinem fuerit tardius, minor vt ſi aliud mobile, quod eandem percurrat fuerit velocius: erit igitur motus quãtitas per ſe.

5. *argum.* Ad extremum: partes motus connectuntur aliquo termino communi diſtinctio à termino communi quo connectuntur partes magnitudinis, nam partes motus connectuntur mutato eſſe tãquam termino communi, magnitudinis vero partes coniunguntur vel puncto, vel linea, vel aliquo huiuſmodi, ergo erit illa quantitas coniuncta, per ſe, & diſtincta à magnitudine.

Obſtru. In motu hæc omnia contemplari poſſunt, eſſe ab alio, eſſe in alio, forma fluens, & fluxus ipſius formæ. Sit exemplum in calefactione, quæ eſt quidam motus, in qua hæc quatuor licet animaduertere, nã inprimis eſt ab alio, nimirum ab igne, eſt in alio, ſcilicet in aqua, tertio eſt calor quidam inchoatus, & imperfectus; & tandem eſt fluxus eiuſdem caloris imperfecti ad eſſe perfectum. Ex quibus certum eſt motum vt eſt ab alio, vel vt recipitur in alio non eſſe quantitatem, vt eſt ab alio, eſt in categ. actionis, vt vero recipitur in altero, in categ. paſſionis collocatur. Tota igitur diſceptatio eſt de motu vt eſt forma fluens, vel vt ſignificat fluxum ipſius formæ, num ſcilicet hac ratione contineatur in hac categoria, necne?

1. *Opinio.* Et quamuis Antonius Andreas 5. *lib. Metaphy. q.* 10 propter arg. propoſita admittat motum per ſe & formaliter eſſe quantitatem, quamuis ſit effectiue ab alio ſeilic à magni-
2. *Opinio.* tudine, contrariam tamen opinionem aperte ſatis exprimit Ariſt. 5. *lib. Metaph. cap.* 13. inquiens motum eſſe quantitatem per accidẽs, ratione nimirum magnitudinis, quam eandẽ profitentur omnes eius interpretes D. Thom. Alexand. Auerroes, Sueſſanus *in commenta. huius cap. & in eodem lib.* Soncin. *q.* 24. Flandrenſ. *q.* 14. *art.* 12. Fonſeca *q.* 8 *in cap.* 13. multique alii, quam opinionem tanquam veriorem his aſſertionib. explicamus, quarum prima ſit.

1. *concl.* Motus vt ſignificat formam fluentem non eſt quantitas per ſe, imo neque in aliqua categ. determinata continetur, ſed reducitur ad eam categor. in qua illa forma perfecta comprehenditur, vt calefactio continetur in categ. qualitatis in qua eſt calor, accretio in categor. quantitatis in qua eſt quantitas, & motus ad locum in categ. vbi quæ eſt eſſe in loco.

1. *Argum.* Confirmatur primo, quia motus non eſt præter eas categor. ad quas eſt motus vt inquit Ariſtot. 3. *Phyſicor. cap.* 1. Si ergo fuerit motus ad qualitatem erit in categ. qualitatis, & ſi ad quantitatem in categ. quantitatis.

2. Quia motus non differt reipſa a termino ſuo, nam motus & terminus tantum differunt ſicuti perfectum, & imperfectum, in eadem forma; at terminus non continetur in certa aliqua categ. nam aliquando eſt quantitas, & aliquando qualitas: ergo neque motus in certa categor. continebitur, ac proinde non erit quantitas per ſe, neque vlla ratione ſub limitib. quantitatis comprehendetur.

2. concluſ. Motus pro fluxu formæ non eſt quantitas per ſe, ſed per accidens. Animaduertendum eſt ex Soncinate duplicem diuiſionem motui conuenire, vnam extrinſecam, & aliam intrinſecam: extrinſeca competit illi ratione magnitudinis per quam fit ipſe, nam prima pars motus diuiditur ratione primæ partis magnitudinis, & ſecunda ratione ſecũdæ, & ſic de aliis: intrinſeca vero competit illi ratione formæ, quæ acquiritur per motum; etenim quia omnis forma, quæ poteſt per ipſum comparari eſt diuiſibilis, ita vt vna pars poſt aliam comparetur, propterea motus erit etiam diuiſibilis. Quando igitur facimus motum quantitatem per accidens, loquimur de illo vt eſt diuiſibilis extrinſece ratione magnitudinis, nam quia ipſe diuiditur ad diuiſionem magnitudinis erit etiam quantus aliena vi, & accidentaria ratione. Hanc non alio argumento, quam auctoritate Ariſt. cõfirmamus, qui *in lo. citato ex Metaphyſ.* motum profitetur eſſe quantitatem per accidens, quia diuiditur ad diuiſionem magnitudinis. 2. *concl.*

3. concluſ. Si agamus de motu vt eſt diuiſibilis intrinſece ad diuiſionẽ formæ quæ acquiritur per motum ille nullo modo eſt quãtitas neque per ſe, neque per accidens. Confirmatur, quia talis diuiſibilitas non differt a diuiſibilitate formæ quæ acquiritur, at diuiſibilitas formæ v.g caloris, aut alterius qualitatis, non cõtinetur in categ. quantitatis, ſed in categ. qualitatis, nam eſt latitudo graduũ illius qualitatis, quæ non differt à qualitate. Hoc autẽ intelligi debet de aliis formis, quæ acquiruntur per motum, excepta quantitate, quæ acquiritur per motum accretionis: nam ſi de hoc motu agamus, erit etiam ille contẽtus in eadem categ. quantitatis, propter eandem rationem, quia ſc. diuiſio partium huius formæ in hac categ. continetur: nam eſt diuiſio partium quantitatis. 3. *concluſ.*

Ad argum. igitur quæ in initio propoſuimus. Ad primum reſpon. negando aſſumptio.

quia

C. Reperitur etiam in iis quæ cum aliquo conferuntur aduerſarum repugnantia, vt virtus vitio eſt contraria, cum vtrumque in iis ſit quæ cum aliquo comparantur: & ignorationi ſcientia. Nec vero omnibus data ſunt ſua quædam aduerſa. Duplo enim nihil aduerſatur, nihil triplo, nec vlli eiuſdem generis. D. Illud autem magis & minus in iis reperitur quæ cum aliquo conferuntur. Nam & quod ſimile ac diſſimile eſt ſimilius, diſſimiliuſq; dicitur: & quod par & diſpar eſt, aliud alio magis par & diſpar, cum vtrumq; in numerum eorum veniat, quæ cum aliquo conferuntur. Quod enim ſimile eſt, cuipiam ſimile: & quod par eſt, alicui par eſſe dicitur. Quanquam non omnia quæ cum aliquo comparantur, illud magis & minus admittunt. Neque enim duplum magis, aut minus duplum, quam aliud habetur, nec quicquam eiuſdem generis. E. Omnia vero quæ ad aliquid ſunt, reciprocantur, velut ſeruus, domini ſeruus: viciſſimq; dominus, ſerui dominus eſſe dicitur. Et vt duplum ſimpli, ſic viciſſim ſimplum dupli ſimplũ habendum eſt. Itemq; & maius minore maius, & minus maiore minus dicitur. Eadẽ eſt ratio cæterorum, niſi quod interdũ caſus diſſimilitudo rationem dicendi commutabit. Quanquã enim ſcientia, ſcibilis ſcientia dicatur, tamen ſcibile ſcientia ſcibile non dicitur, ſed ſcientia ſcibile, & ſenſus ſenſibilis ſenſus eſt, at ſenſibile ſenſu ſenſibile. F. At enim reciprocari non nunquam iſta non videbuntur: quoties non accõmodatum ad id quod dicitur, verbũ exprimit is qui rem declarat. Vt ſi quis pennam auis eſſe dixerit, non viciſſim dicat auem pennæ eſſe, cum præſertim primum quod dedit, non eſſet verbum proprium, cum ſcil. dixit pennam auis eſſe pennam. Non enim hoc ipſo quia auis ſit, penna eius propria eſt, ſed quia pennata ſit. Siquidem pleriſq; aliis penna attributa ſunt, quæ in numero auium non habentur. Ergo ſi apte & accommodate ad rationem dicendi verbum exprimatur, continuo reciprocantur. Velut penna pennati penna, viciſſimq; pennati penna pennatum. G. Atq; etiam hoc loco interdum ſane ſi nullum accommodatum ſit rebus nomen impoſitum, nomina facienda ſunt neceſſario. Vt ſi gubernaculum dicatur nauis eſſe gubernaculum haud probe fiat. Neq; enim hoc ipſo quod nauis ſit, eius gubernaculum eſſe dicitur, cum naues ſint, quæ nulla gubernacula habeant. Itaque non eſt hoc loco reciprocatio. Nauis enim non ſolet dici gubernaculi nauis: aptiorq; ratio dicendi fiat, ſi gubernaculum gubernati, aut alio quouis modo eſſe dicatur, neque enim nomen poſitum eſt. Et profecto ſi apte accommodatum ſit, reciprocabitur: gubernatum enim gubernaculo gubernatum eſt. Similis eſt ratio cæterorum, vt caput aptius capitati dicitur quam animalis: quippe cum non quà animal eſt, caput habeat, carent enim capite multa animalia. Sed ita faciliſime nomina imponentur rebus, quarum nulla ſunt propria ſi a primis, eorum ĩs, declinatione quadam, deducãtur nomina, quibus cum ipſa prima comparantur. Id quod in iis perſpici poteſt, de quibus modo diximus, vt a penna pennatum, a clauo clauatum. Quare quæ cum aliquo conferuntur, ſi apte & accommodate exprimantur, reciprocantur omnia. Nam ſi cum alio quouis conferantur quam quod proprie ac per ſe reſpiciunt, non reciprocantur. D. Dico autem ne ea quidem viciſſim inter ſe reſpondere poſſe, quæ omnium conſenſu reciprocantur, etiam ſi impoſita eis ſint nomina ſi ad aliquid eorum quæ accidunt, non ad id ad quod proprie affecta ſunt, accommodabuntur. Veluti ſeruus ſi non domini, ſed hominis, aut bipedis, aut cuiuſpiam eius generis ſeruus dicatur, certo nulla futura eſt inter eos reciprocatio. Neque enim homo eſſe ſerui homo dici poteſt, propterea quod non eſt ea apta & propria dicendi ratio. Quod ſi apte & accommodate ad id ad quod refertur, verbum exprimatur, apta ad ipſum illud ſemper erit dictio, etiam ſi omnia quæ aduẽtitia ſunt, detrahantur, iis ſolis remanentibus, cum quib' illa conferuntur. Vt ſeruus ſi cum domino conferatur, profecto ſublatis detractiſque omnibus, quæ domino aſcititia & aduentitia ſunt: velut cum bipedem eſſe, & natum ad ſcientiam & cognitionem, & hominem, relicto illo ſolo, cum herum eſſe, tamen ſemper ad ipſum refertur. Siquidem ſeruus, domini ſeruus nominatur. At ſi parum accommodatum ad id cum quo confertur, nomen reddatur, ſeparatis cæteris omnibus, relicto autem eo vno, cui adiunctum erat, minime cum eo conferetur. Accommodetur enim exempli gratia. ſeruus ad hominem, & penna ad auem, ſeiungaturque ab homine heri appellatio, iam ſeruus cum homine non comparabitur, itemque ab aue ſeparetur pennati ratio, non iam penna veniet in numerum eorum quæ cum aliquo conferuntur. Sublato enim pennato, nullius certe penna eſt futura. Quapropter verbum accipiendum eſt cum quo alterum rite conferatur. Quod ſi nomen ſit impoſitum, facilis eſt verbi accommodatio. Sin nullum ſit, profecto faciendum nouum neceſſario eſt. Quæ ſi hoc pacto omnia tribuantur, perſpicuum eſt, quæ cum alio conferantur, reciprocatum iri omnia. I. Iam quæ ſunt in hoc genere, ſimul ſunt natura ordine. Ac in pleriſque id verum eſt, in aliis non item. Simul enim atque duplum eſt, & ſimplum eſt: & ſi ſimplum ſit, duplum quoque eſt: & ſi dominus ſit, ſeruum ſit neceſſe eſt: & ſi ſeruum ſit, & dominus. Similis eſt ratio cæterorum. Atque etiam tollunt hæc inter ſe omnia. Neque enim ſublato duplo eſſe ſimplum vllo pacto poteſt, aut ſimplo ſublato, duplo loci aliquid relinquitur. Eadem eſt aliorum ratio, quæ ſunt eiſdem generis. K. At non

in omnibus iis quæ cum aliquo conferuntur, id vere dici videtur, ea ſimul eſſe ordine naturæ. Nam res ea quæ ſcientiæ ſubiecta eſt, prior eſt naturæ ordine ſcientia. quod fere res poſtquam iam ſunt ſcientia comprehendamus. In paucis enim, aut in nullis potius ſcientiam ſimul eſſe cum re quæ ſub ſcientiam illam cadit, perſpici poteſt. L. *Præterea ſublata re quæ ſub ſcientiam cadit, ſcientia quoq; tollitur. At ſublata ſcientia id quod cadit ſub ſcientiam non tollitur. Siquidem ſi nulla ſit res ſubiecta ſcientiæ, non eſt ſcientia quoniam nullius erit res ſcientia. At vero ſublata ſcientia, nihil prohibet rem eſſe eam quæ ſub ſcientiam cadat. Vt de orbis quadratura (ſi ſcientia comprehendi poſſit) nec dum ſcientia eſt, cum interim cadere poſſit ſub ſcientiam.* M. *Iam vero ſublato animante, nullus locus ſcientiæ relinquitur, cum interim res multæ comprehendi poſſint ſcientia.* N. *Similis etiam ratio eorum eſt: quæ in ſenſibus cernimus. Res enim ſubiecta ſenſui, ſenſu antiquior eſt. Sublata enim re, quæ cadit ſub ſenſum, ſenſus tollatur neceſſe eſt, ſenſu vero ſublato, non tollitur quod ſenſu percipi poteſt. Nam ſenſus & in corpore ſunt, & circa corpora verſantur. Atqui ſublata re quæ ſenſus mouet, etiam corpus, quoniam in iis quæ ſenſus mouentia ſunt habetur, tollitur. Et ſi nullum ſit corpus, nullus futurus eſt ſenſus. Res igitur quæ ſubiecta eſt ſenſui, ſublata, ſenſus vna tollitur: ſenſus autem ſi ſubtrahantur, ſenſus mouentia quæ ſunt, minime tolluntur.* O. *Sublato enim animali, ſenſus quidem tollitur: corpus autem quod cadat ſub ſenſum, remanet, vt calida, dulcia, amara, cæteraque omnia quæ ſenſum mouent. Poſtremo ſenſus vna cum eo quod vim habet ſentiendi exiſtit: quandoquidem vna cum animali ſenſus oritur. Res autem ſubiecta ſenſibus, animali & ſenſu antiquior eſt. Nam & ignis & aqua, & cætera eius generis ex quibus conſtant animantes, animalibus & ſenſibus omnibus antecedunt. Senſu igitur id quod ſenſus mouet, eſt antiquius.* P. *Sed hoc loco quæſtio quædam exiſtit, nullane ſit eſſentia, id quod videtur, in iis quæ cum aliquo conferuntur, an id fieri poſſit in nonnullis ſecundis ſubſtantiis. Nam id quidem verum eſt de primis ſubſtantiis, quippe cum nec tota, nec partes primarum ſubſtantiarum ad aliquid referantur. Neque enim aliquis homo cuiuſpiam homo dicitur, neque hic vel ille bos alicuius certus bos. Similis eſt ratio partium. Manus enim aliqua non appellatur alicuius certa manus, ſed alicuius manus: & caput quoddam non cuiuſpiam quoddam caput, ſed alicuius caput vocatur. Quod idem pleriſque ſecundis eſſentiis contingit. Vt homo cuiuſpiam homo non dicitur, nec bos: bos alicuius nec lignum, alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſio. Atq; id quidem perſpicuum eſt, hæc talia omnia in iis non eſſe quæ cum aliquo conferuntur. De quibuſdam autem ſecundis eſſentiis quæſtio eſt. Veluti caput alicuius caput: & manus, cuiuſpiam manus dicitur: itemq; cætera generis eiuſdem. Videntur igitur hæc in iis eſſe quæ cum aliquo conferuntur. Ac ſi ſatis explicata perfecteque tradita eorum eſt definitio quæ cum aliquo conferuntur, profecto aut magni negotii eſt ſubſtantiam nullam in hoc genere eſſe dicere, aut certe id fieri non poteſt. Sin ſecus, ſunt quoque demum in iis quæ cum aliquo conferuntur.* Q. *Quorum vis omnis & natura in eo poſita eſt, vt ad aliquid affecta ſint, certo aliquid quod contra hæc valeat, afferatur. Et quanquam prior definitio in omnia ea valeat, quæ cum aliquo conferuntur tamen non idem eſt, rem aliquam id ipſum quod eſt alterius dici, & rem aliquam id modo eſſe quod cum aliquo comparatur.* R. *Ex quo perſpicuum eſt, eum qui definite ſciat aliquod eorum quæ in hoc genere ſunt, etiam illud cum quo cõfertur, deſignate intellecturum: quod etiam hinc intelligi poteſt. Nam ſi quis quippiam in iis eſſe quæ cum aliquo conferuntur ſciat, (eſt autem vis & natura eorum quæ ſunt in hoc genere ad aliquid certo quodam modo affecta eſſe) illud etiam ſciat neceſſe eſt, quam ad rem idipſum quoquo pacto ſit affectum. Nam ſi quam ad rem illud affectum ſit quoque modo, prorſus ignorat, ne illud quidem intelliget, an ad aliquid affectum ſit quoque modo. Atq; id in rebus ſingulis perſpici poteſt. Vt ſi quis hoc vel illud definite ſciat duplum eſſe, is continuo cuius id ſit duplum definite nouerit. Si enim nullius certa ac definita rei duplum eſſe nouerit, ne illud quidem an ſit duplum prorſus intelliget. Itemque ſi certo ſciat quiſpiam hoc vel illud eſſe melius, idem quo illud ſit melius ſtatim definite intelligat neceſſe eſt. Ob id autem quod deterius ſit præſtantius nõ incerte cognoſcet: quia opinio tum exiſtit non ſcientia. Neq; enim adhuc plane ac perfecte ſcit, deteriore melius eſſe: quoniam ſi res ita ferat nihil eo ſit deterius. Quapropter illud quidem perſpicuum eſt, ſi quis definite norit aliquid eorum quæ cum aliquo conferuntur, eum neceſſe eſſe illud etiam definite noſſe, cum quo conferatur.* S. *At vero caput manum, & cætera eiuſdem generis, quæ ſunt in eſſentiis, ea quidem quidquid ſunt, quiſpiam definite ſciat: id vero cum quo conferantur, non neceſſe eſt. Cuius enim hoc caput ſit, cuiuſque hæc manus, cognito capite, cognitaq; manu deſignate ſciri non poteſt. Non ſunt igitur hæc in iis quæ cum aliquo conferuntur. Quod ſi hæc non ſunt in iis quæ cum aliquo conferuntur, certe vere dicitur, ſubſtantiam nullam in numerum eorum venire quæ cum aliquo conferantur. Quanquam autem difficile eſt aliquem qui in his non ſit multum diuque verſatus, de his talibus certum aliquid affirmare, tamen ſingulatim de his quæſtionem ponere, magnæ vtilitatis eſt.*

COMMEN-

COMMENTARIA.

MVltæ rationes potuerunt compellere Ariſt. ob quas de relatis, prius quã de quali. diſſeruerit, inter quas illam hoc loco proponere merito poſſumus, quia in ſuperiori cap. in dubitatione illa de magno, & paruo fuerat effecta mentio Relatorum. Ne igitur diutius ſuſpenſi tenerentur animi audientium, poſt quantitatem, mox de Relatis agendum eſſe iudicauit. Auſpicatur autem à diffinitione, quam veteres de relatis tradiderunt. Ea ſic ſe habet.

1. Pars capit. A *Ea autem quæ cum aliquo, &c.* Relata ſunt quæ, id quod ſunt aliorũ eſſe dicuntur, vel quouis modo alia cum alis cõferuntur, vt ſimplum, & duplum, pater & filius, magiſter & diſcipulus dicuntur relata, nam pater, id quod eſt, alterius eſt ſ. filii, & filius patris, & ſic de aliis, quæ diffinitio ſitne l gitima, & num relatis omnibus adaptetur in diſputat explicabimus.

B *Sunt etiam hæc in iis, &c.* Colligit Ariſt. ex ſuperiori diffinitione habitum, & diſpoſitionem, ſcientiam & ſitum contineri in hac categoria relationis, eo quod hæc omnia, id quod ſunt aliorũ eſſe dicuntur, nam ſcientia eſt rei quę ſcitur ſcientia, & habitus rei habentis illũ, & ſitus rei quæ eſt in loco ſitus. Animaduertit tamen Ariſtot. ſpecies ſitus quæ ſunt ſeſſio, ſtatio, & accubatio eſſe de genere relatorum, & in hac categor contineri, nam ſi genus (quod eſt ſitus) eſt relatum, & illius etiam ſpecies relationem indicabunt: accubare vero, ſedere, & ſtare, quæ ſunt concreta illorum abſtractorum, non eſſe in hac categ ſed in categ. ſitum eſſe. Vnde colligendum erit, in alia categor. eſſe formas abſtractas, & in alia ipſa concreta.

2. Pars capit. C *Reperitur etiam in iis, &c.* In hac ſecunda parte cap. tradit Ariſt. proprietates relatorũ, vt his manu ducamur ad intelligendam eius naturam Prima eſt. Relata habent contraria, ſiue relatis aliquid eſt contrarium, quam quidem

1. Proprietas relatorum. proprietatem relatis conuenire, ita confirmat Ariſt Simile, & diſſimile ſunt relata, vitium prætetea & virtus, ſcientia, & ignorantia: ſed vitio contrariatur virtus, & ſcientiæ ignorantia: ergo relatis aliquid erit contrarium. Animaduertit tamen Ariſt. hanc proprietatem non conuenire omnibus relatis, ſed quibuſdam, nam duplum, & triplum ſunt relata, cum tamen illis nihil contrarietur.

2. Proprietas. D *Illud autem magis, & minus, &c.* Secunda proprietas. Relata recipiunt magis, & minus, quam proprietatem relatis conuenire ſic oſtendit Simile, & diſſimile, par, & impar ſunt relata: atqui hæc recipiunt magis & minus, nam quædam ſunt aliis ſimiliora, & alia diſſimiliora: ergo iam relata recipient magis, & minus, &c. Animaduertit tamen Ariſtot. hanc proprietatem non conuenire omnibus relatis vt duplo, vel triplo, nam vnum duplum non eſt magis duplum quam aliud, & vnum triplum non eſt magis triplum quam aliud.

E *Omnia vero quæ ad aliquid ſunt, &c.* Tertia proprietas. Relata reciprocantur inter ſeſe, ad inuicemq; conuertuntur, quemadmodum pater, & filius nam ſi eſt pater eſt filius, & è contra. 3. Propriet. Reciprocari autem nihil aliud eſt quam idem dici de ſeipſo, cum expreſſione alterius extremi in caſu obliquo, vt in eodem exemplo pater qui reciprocatur cum filio dicitur de ſeipſo cum expreſſione filii, dicimus enim patrem eſſe filii patrem.

F *At enim reciprocari, &c.* Animaduertit autem Ariſt. aliquando euenire vt extrema relata non reciprocentur inter ſeſe, quia non ſumuntur debite, ſicut ala. quæ eſt extremum relationis nõ refertur aliquando, quia extremum eius non ſumitur debite, ſi enim ſumamus auem ſicut extremum, non reciprocabitur quamuis enim omnis auis habeat alas, non tamen omne quod habet alas eſt auis, vt Scarabei. Quod ſi debite inquit extrema relationis ſumantur, omnia relata reciprocantur ad inuicemque conuertuntur, vt in exemplo propoſito ſi pro extremo alæ ſumatur alatum, procul dubio illa reciprocabuntur, omnis namq; ala eſt alicuius alati ala, & è conuerſo omne alatum eſt aliqua ala alatum. Vt vero intelligamus, quando extrema debite ſumuntur, tradit Ariſt duas regulas. Primam in his verbis. Obſeru.

1. Regula. G *Atque etiam hoc loco, &c.* Si extrema inquit relata non fuerint debite ſumpta eo quod alterum fuerit incognitum debite ſumentur ſi ab extremo cognito deductum fuerit aliquod nomen, extremoque incognito poſtmodum imponatur, tunc enim erunt illa extrema maxime accommodata relationis & debite ſumpta. Sit exemplum. Extremum gubernaculi ignotum eſt nobis, nauis enim nequit illius eſſe extremum quippe cum multæ ſint naues ſine gubernaculo. Deriuemus igitur à gubernaculo, nomen hoc gubernatum, imponamuſque illud extremo gubernaculi nobis incognito. Nunc quidem iam hæc duo extrema gubernaculum, & gubernatum erunt extrema relationis debite, & vt par eſt ſumpta, gubernaculum namque eſt gubernati gubernaculum, & gubernatum eſt à gubernaculo gubernatum. Itidem. Ignora-

Digitized by Google

mus extremum relati huius nobis cogniti (v.g. capitis) illud namq; non eſt animal, multa enim ſunt animalia abſq; capite, vt vermes & conchilia, deriuandum igitur erit ab hoc extremo cognito quod eſt caput nomẽ capitati, imponendumq; erit extremo incognito, ſicq; illa extrema relationis erunt apta & accommodata, nam omne caput eſt alicuius capitati caput, & omne capitatum eſt aliquo capite capitatum.

Regula.

H. *Dicunt autem ne ea quidem, &c.* Secunda regula eſt. Si ſumptis alicuius relationis extremis, & amotis omnibus accidentibus adhuc inter illa extrema ſupereſt mutua habitudo, & relatio, illa erunt debita extrema relationis: ſi vero amotis ab illis omnibus accidẽtibus ſtatim perit habitudo, non erunt illa extrema relationis debite ſumpta. Quemadmodum dominus, & ſeruus, ſunt extrema relationis debite ſumpta, eo quod ablatis ab vtroq; omnibus accidentibus adhuc ſupereſt relatio dominii, & ſeruitutis inter illos, ſi enim ab illis amoueas cãdorem, vel attorem, eſſe bipedem, vel aliud huiuſmodi, adhuc vnus illorum eſt dominus, & alter ſeruus: At vero homo, & ſeruus, non ſunt debita extrema relationis dominii, & ſeruitutis, ſi enim ab homine amoueamus omnia illius accidentia inter quæ continetur dominium, homo non erit dominus, ſicque euaneſcet illius habitudo ad ſeruum.

Proprietas

I. *Iam quæ ſunt in hoc genere, &c.* Quarta proprietas eſt Relata ſunt ſimul natura, quam relatis inertio adaptari hoc argumento demonſtrat. Illa ſunt ſimul natura, quæ ſe mutuo conſeqũtur, vnumq; non eſt cauſa alterius ex Poſtcateg. *c. 9.* atqui relata ſe mutuo conſequuntur, vnumque illorum non eſt alterius cauſa, ſicuti dominus, & ſeruu. ſe mutuo cõſequuntur, nã ſi dominus eſt, ſeruus etiam eſt, & è contra ſi ſeruus eſt, etiam dominus eſt: nec vnum præterea alterius cauſa eſt, vt dominus ſerui, aut ſeruus domini; vt ex ſe apertum ſatis manifeſtumque eſt, ergo, &c.

...mina ro... a ſunt ſi... l natura.

K. *At non in omnibus his, &c.* Conſtituit Ariſt. hanc proprietatem non conuenire omnibus relatis, nam ſcientia, & res quæ ſcitur: & ſenſus ac res quæ ſentitur ſunt relata, quæ tamen nõ ſunt ſimul natura, nã res quæ ſcitur prior eſt ſcientia, & res quæ ſentitur prior ſenſu: ea autem nequeunt eſſe ſimul natura in quibus vnum eſt prius natura altero. Rem vero quæ ſcitur priorem eſſe ſcientia, confirmatur Ariſt. tribus argum.

Argum.

Primum eſt, quia antequam alicuius rei ſcientiam conſequamur, debet res illa eſſe, illud namq; quod non eſt, nullo modo poteſt ſciri, vt antequam conſequamur ſcientiam ſiderum, & cœlorum, iam erant ſidera, & cœli, ergo, &c. Addit tamen Ariſt. in nonnullis ſcientiam eſſe ſimul, vel priorem re quæ ſcitur, quæ adhibita fuit propter monſtra, & figmenta animi quæ ſciuntur, hæc namque poſteriora ſunt ipſa ſcientia, cum ab illa producantur, quamuis reuerá illa nulli ſcientiæ propriе ac vere ſubiacere queant, ſcientia namque de æternis eſt, huiuſmodi autem res fragiles ſunt, ac cito pereuntes.

Ita Ammon. & Boet.

2. Argum.

L. *Præterea ſublata re, &c.* Secundum argu. Illud quo ſublato aufertur alterum, & non è conuerſo, cenſeri debet prius natura: at ſublata re quæ ſcitur aufertur ſcientia, non tamen è cõuerſo, ergo &c. Confirmatur aſſumtio. Imprimis ſcientia tantum eſt verorum: at rei veritas aufertur re illa ſublata cuius erat veritas, ex eo namque quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa: ſublata igitur re quæ ſcitur, aufertur ſcientia illius. Deinde ſublata ſcientia non auferri rem, quæ ſcitur ita oſtendit. De quadratura circuli nulla hactenus inuẽta, & excogitata eſt ſcientia: atqui eſt illa res apta, & nata ſciri: iam igitur, &c. Vt interim prætermittamus paucarum rerum nactos nos eſſe ſcientiam, eſſeque propemodum innumerabiles res, quæ poſſunt ſciri, quarum tamen nullam adepti ſumus adhuc ſcientiam, vnde ſublata ſcientia non aufertur res quæ ſcitur.

3. Argum.

M. *Iam vero ſublato animante, &c.* Tertium arg. Sublato animali aufertur ſcientia, nã ſubiecto ſublato tollitur etiam & quodlibet accidens illius: at animali ſublato non tollitur res quæ ſcientia comprehenditur, quamuis enim omnia, quotquot ſunt animalia, auferrentur, adhuc ſupereſſent elementa, orbes cœleſtes, cõplurimaque alia, quæ aliqua ſcientia apta ſunt comprehendi: non itaque ſublata ſcientia aufertur res illa quæ ſcitur, conſtatq; inde ſatis aperte rem quæ ſcitur eſſe priorem ſcientia.

Res ſenſilis eſt prior ſenſu.

1. Argum.

N. *Similis eſt ratio, &c.* Probat deinde Ariſtot. duobus argu. rem ſenſilem eſſe priorem natura ſenſu, & ita quamuis ſint illa relata, non tamen eſſe ſimul natura. Illa ſunt priora natura, quæ poſſunt eſſe abſque aliis, cum tamen nequeant alia abſq; ipſis eſſe: at res ſenſilis poteſt eſſe abſque ſenſu, ſenſus vero nequit eſſe abſque re ſenſili: iam ergo, &c. Confirmatur aſſumtio. Res quæ ſenſu percipitur eſt corpus ſenſile: at corpore ſenſili ſublato, etiam & ſenſus aufertur, quia ſenſus eſt in corpore ſenſili: è contra vero ſublato ſenſu non aufertur res ſenſilis, quantumuis enim omnes ſenſus perirent, adhuc ſupereſſent elementa, & alia mixta: iam igitur res ſenſilis eſt prior ſenſu.

2. Argum.

O. *Sublato enim animali, &c.* Secundum arg.

Subla-

Digitized by Google

Sublato animali, tollitur ſenſus, ſenſus enim in ſolo animali reperitur, at animali ſublato, non tolleretur res ſenſilis, adhuc enim reliqua eſſent elementa, aliaque id genus qualitatibus ſenſilibus affecta, dulcia, amara, & colorata, igitur res ſenſilis prior natura erit ipſo ſenſu.

3. Pars cap. P *Sed hoc loco, &c.* In tertia & poſtrema parte huius capitis proponit Ariſtoteles quandam dubitationem de partibus ſubſtantiæ, an contineantur illæ in hac categoria: Vbi animaduertit Ariſtoteles, hanc dubitationem non eſſe intelligendam de ſubſtantia integra & completa, tam prima, quam ſecunda, certum enim eſt, has ſubſtantias non contineri in hac categoria, non enim illæ id, quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, ſed ſui, vt homo non eſt alterius homo, ſed ſui: neque intelligendam eſſe de partibus ſubſtantiæ ſingularis, vt de hac manu, & illo pede, non enim hæ partes ea ratione, qua ſunt ſingulares, ſunt alterius, etenim manus non eſt alterius manus: ſed intelligi debere de partibus ſubſtantiæ in communi, vt de capite, pedibus, vel manibus, an ſcilicet huiuſmodi partes in communi contineantur in hac categoria. Nam cum illæ id quod ſunt, alterius eſſe dicantur, vt manus non eſt ſui manus, ſed animalis, proculdubio videntur in hac categoria eſſe contentæ, ſi diffinitio à veteribus de relatis tradita optima eſſet. Nihilominus cum hoc ſit abſurdum, conſtituenda erit alia accurata diffinitio, quæ omnibus, ſoliſque relatis conueniat.

Diffin. legit. relatorum. Q *Quorum vis omnis & natura, &c.* Relata ſunt, quorum tota vis & natura ſita eſt in hoc, vt ad aliud referantur, quemadmodum pater & filius ſunt relata, quia tota natura patris eſt habere filium, & tota vis filii eſt habere patrem. Alii vero diffinitionem iſtam his verbis proponunt. Relata ſunt, quorum totum eſſe eſt referri ad aliud, nimirum ad terminum, vbi verbum eſſe non ſignificat eſſe exiſtentiæ, quia relatio non habet exiſtentiam à termino, ſed à ſubiecto, vt præclare animaduerterat D. Tho. *1. ſentent. diſtinct. 33. q. 1. art. 2. in ſolut. 1. argum.* Ex hac diffinitione colligit Ariſt. quintam proprietatem relatorum.

5. Proprietas. R *Ex quo perſpicuum eſt, &c.* Quinta proprietas eſt: Qui certo ac diffinite cognoſcit vnum relatum, debet etiam certo & diffinite alterum nouiſſe, nam ſi tota vis vnius relati eſt referri ad alterum, qui probe nouit vnum relatum, debet proculdubio & alterum probe nouiſſe. Sed tamen cum illa & in communi poſſint ſumi, & in particulari, ita qui probe nouit vnum relatum in communi, debet etiam in communi alterum nouiſſe, ſicut qui patrem agnouit in communi, debet etiam & filium nouiſſe in communi, & qui patrem in particulari cognoſcit, debet & filium in particulari cognoſcere, non quidem ex facie, aut nomine, aut vt ſubſtantia, ſed ſub ratione relationis, vt ſcilicet pater eſt, aut filius.

S *At vero caput, manum, &c.* Concludit Ariſtoteles partes ſubſtantiæ, vt caput vel manus non contineri in hac categoria, ſed in categoria ſubſtantiæ, quod confirmat ex ſuperiori proprietate. In relatis qui probe nouit vnum, debet etiam & alterum nouiſſe: ſed euenire poteſt, vt cognita probe vna vel altera parte, ignoremus, cuius ſit illa pars: quemadmodum ſi quis per feneſtram proferat manum, reliquo corpore occultato, cognoſcimus quidem, illam eſſe manum, ignoramus tamen, cuius ſit: ergo manus, & aliæ partes ſubſtantiæ non continebuntur in hac categoria, quamuis difficile, inquit, ſit, propter difficultatem diſcernere, in qua categoria contineantur. *Soluitur difficultas.* Diuus quidem Seuerinus Boetius hoc argumento confirmat, partes ſubſtantiæ non contineri in hac categoria, ſed in categoria ſubſtantiæ. *Argum. Boetii.* Nulla ſubſtantia componitur ex non ſubſtantiis: ſed ſubſtātia integra, vt homo, componitur ex partibus integris, vt ex capite, pedibus, & manibus: igitur partes ſubſtantiæ non continebuntur in hac categoria.

SCHOLIA IN CAPVT de Relatis.

A 1. Non diffinit Ariſtoteles relationem in abſtracto, ſed relata tantum in concreto, poſſumus tamen illam in hunc modum diffinire: Relatio eſt comparatio, vel habitudo vnius extremi ad alterum, vt habitudo, qua pater ad filium refertur, relatio nuncupatur, nam conferimus patrem cum filio, & filium rurſus ad patrem comparamus. Nomine vero extremorum intelligimus illa, quæ inter ſe ad inuicem conferuntur, vt in eodem exemplo pater & filius ſunt extrema relata, nam illa ſunt, quę inter ſe conferuntur: ab hac igitur relatione aliqua relata nuncupantur, quemadmodum omnia concreta à ſuis abſtractis talia eſſe dicuntur *1. Obſer.*

2. Obſer. A 2. Æquum erit: vt quædam veluti fundamenta iaciamus ad futuras diſputationes intelligendas prorſus & omnino neceſſarias, nimirum quaſdam diuiſiones, & quarundam etiam vocum explicationes, quibus crebro in tractatione de relatis vtuntur Philoſophi, vt ſunt hæc nomina, relatum, correlatum, extre-

mum fundamentum, modus fundandi, terminus, &c. Proponemus inprimis diuiſiones, quas ad ſex poſſumus in hunc modum reuocare.

1. *Diuiſio.* *Prima eſt.* Relata quædam ſunt rei, & alia rationis: rei ſunt illa, quæ habent eſſe præter omnem operationem intellectus, vt pater & filius: rationis vero dicuntur, quæ ſolum habent eſſe illius ope & beneficio, vt ſubiectum & attributum, genus & ſpecies, de quibus poſtea inferius in ſequentibus diſputabimus.

2. *Diuiſio.* *Secunda eſt.* Relata quędam ſunt ſecundum eſſe, & alia ſecundum dici, ſecundum eſſe ſunt illa, quorum tota vis eſt referri ad aliud, cuiuſmodi ſunt pater & filius: relata vero ſecundum dici ſunt illa, quæ denotant rem abſolutam, conceptam tamen in habitudine ad aliud, vt ſcientia & ſcibile, ſenſus & ſenſibile.

3. *Diuiſio.* *Tertia diuiſio eſt.* Relata quædam referuntur ſine aliquo caſu, vt magnum refertur ad paruum: alia vero referuntur cum aliquo caſu, vt pater & filius, dominus & ſeruus. Et hæc, quæ referuntur cum aliquo caſu, quædam referuntur cum caſu gignendi, ſicut dominus & ſeruus, & alia cum caſu auferendi, vt ſcibile & ſcientia: dicimus enim, ſcibile eſſe ſcientia ſcibile, referuntur etiam alia cum aliis caſibus.

4. *Diuiſio.* *Quarta diuiſio eſt.* Relata quædam ſunt eiuſdem nominis, vt ſimile, vel diſſimile, nam duo parietes candidi habent idem nomen ſimilitudinis: alia vero ſunt diuerſorum nominum, vt pater & filius, magiſter & diſcipulus. Relata prioris generis vocantur à veteribus relata æquiparantiæ: poſteriora vero relata diſquiparantiæ nuncupantur.

5. *Diuiſio.* *Quinta diuiſio.* Relata quædam ſunt mutua, & alia non mutua. Mutua ſunt illa, quæ eiuſdem ſunt ordinis, inter quæ intercedit mutua dependentia, vt ſunt dominus & ſeruus, non mutua vero illa vocantur, inter quæ non eſt mutua dependentia, ſed vnum dependet ab altero, non tamen è conuerſo, ſicut ſcientia & ſcibile: nam ſcientia dependet à ſcibili, at vero ſcibile non dependet à ſcientia.

6 *Diuiſio.* *Sexta diuiſio.* Relata quædam ſunt per ſe, & alia per accidens, per ſe dicuntur vel ratione ſui, vel ratione ſui generis, ratione ſui, ſicut pater & filius, ratione ſui generis, vt medicina, quæ ex eo dicitur relata, quia ſcientia, quæ eſt ſuum genus, dicitur relatum. Per accidens relata nuncupantur, ſubiecta affecta forma relata, ſicut homo, qui afficitur paternitate vel filiatione, eſt relatus per accidens.

3 *Obſer.* ¶ 3. His diuiſionibus ſtatutis, explicanda ſunt nomina illa propoſita. Relata inprimis ſunt illa, quæ à relatione talia dicuntur, nimirum, quæ à relatione ad alia referuntur, vt pater & filius, dominus & ſeruus, magiſter & diſcipulus: etenim hi omnes à relatione paternitatis, vel dominii, vel magiſterii, patres, domini, & magiſtri nuncupantur. Correlatum autem illud dicitur, quod relato ex altera parte correſpondet, vt pater eſt correlatum filii, & magiſter diſcipuli, quia filio ex altera parte correſpondet pater, & magiſter diſcipulo. Extremum vocatur ſubiectum, quod afficitur aliqua relatione, vt in relatione patris ad filium, Petrus, qui afficitur relatione paternitatis, & Iacobus qui afficitur relatione filiationis, dicuntur extrema relata, hoc tamen intelligi debet non tantum de ſubiecto quod, ſed etiam de ſubiecto quo, vel de ſubiecto denominationis, nam duæ quantitates æquales ſunt extrema relationis æqualitatis, quæ non ſunt ſubiecta, quibus inſit æqualitas, ſed quibus mediis hæc relatio ſubſtantiæ inhæreat, vel ſunt ſubiecta, quæ ab æqualitate æqualia denominantur. Fundamentum illud eſt, quod eſt cauſa, ob quam extremum, vel ſubiectum ad aliud referatur, vt quantitas eſt fundamentum æqualitatis, nam eſt cauſa, ob quam Petrus & Paulus, qui ſunt æquales inter ſe, referantur, hæc autem fundamenta per varias categorias ſeſe diffundunt, vt poſtea de his fundamentis agentes explicabimus. Modus fundandi, vel (vt alii dicunt) fundamentum proximum eſt conditio, ſine qua non relatio nequit ſequi ſuum fundamentum, vt in æqualitate & ſimilitudine, vnitas ſpecifica eſt modus fundandi, neque enim æqualitas poteſt ſequi quantitatem, neque ſimilitudo qualitatem, niſi interceſſerit vnitas ſpecifica inter quantitates æquales, & qualitates ſimiles. Terminus vero dicitur illud, ad quod relatum directe per ſe & primo refertur, vt filius eſt terminus patris, & diſcipulus magiſtri, quia pater primo fertur in filium, & magiſter in diſcipulum.

¶ 4. Vtitur in explicatione huius categoriæ nomine plurali, dicens, *Relata dicuntur*, vel vt vertit Perionius, *Ea, quæ cum aliquo conferuntur*, quia proprium eſt huius categoriæ, vt inter duo extrema verſetur, atque ita, niſi plura fuerint, non poterunt dici relata, quemadmodum optime fuit a Porphyrio *in interrogat. circa hoc cap.* animaduerſum. Nonnulla alia, quæ circa caput iſtud poterant obſeruari, in quæſtionibus proponentur.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO DE RELATIS IN TRES ſectiones diſtributa.

ARGVMENTVM.

QVam ſit hæc de Relatis diſputatio Philoſophis & Theologis neceſſaria, norunt illi, qui in vtraque Philoſophia prima & naturali, & ſacra Theologia progreſſus aliquos fecerunt. Atque ita venia nobis erit concedenda, ſi fuſius diſputationem hanc, quam ſuperiores explicemus. Partiemur autem illam in tres partes, in quarum prima de natura & proprietatibus illius, in ſecunda de fundamentis, quibus relationes omnes innituntur, & tandem in vltima de terminis, in quos feruntur, differemus, ſic enim fiet, vt totam hanc diſputationem omnibus ſuis numeris abſolutam proponamus.

SECT. I. IN CAP. DE RELATIS. QVÆST. I.

An optima methodo egerit Ariſtoteles de relatis prius, quam de qualitate.

VT ab ordine has quæſtiones auſpicemur, quærimus, num ante qualitatem recte prius de relatis diſſeruerit, & quidem agendum eſſe prius de qualitate, confirmo primo. *1. argum.* Ariſtoteles diuidens in Antecategor. ens in decem categorias, prius recenſuit qualitatem, quam relationem, 5. etiam lib. Metaphyſ. prius egit de qualitate, quam de relatione, ergo methodo naturæ prius agendum erat de qualitate, quam de relatione. *Deinde.* *2. argum.* Fundamentum prius natura eſt relatione: ſed qualitas eſt fundamentum relationis ſimilitudinis; ergo prius debuit de qualitate agi, quam de relatione.

1. Opinio. In hac quæſtione explicanda eſt prima opinio Ammonii, & Louanien. qui putãt, methodo arbitraria ſiue prudentiæ agi prius debuiſſe de relatione, quam de qualitate, methodo vero naturæ prius agendum fuiſſe de qualitate, quam de relatione.

Alii tamen, vt Simplicius, Porph. & Boetius arbitrantur, vtraque methodo eſſe prius agendum de relatione, quam de qualitate, quam opinionem nos tanquam veram amplectimur. Vt igitur illam explicemus, ſit prima concluſ.

1. Concluſio. Methodo arbitraria & prudentię, agendum eſt prius de relatione, quam de qualitate. Confirmatur. Ariſt. in ſuperiori catego. dum explicaret primam proprietatem quantitatis, fecit mentionem relatorum, agẽs de magno & paruo; igitur methodo prudentiæ ſeruata, ne diutius renerentur animi audientium ſuſpenſi, non intelligentes, quid ſit relatio; poſt præfatam categoriam quantitatis, ſtatim merito agendum fuit de categoria relationis prius, quam de categoria qualitatis.

2. Concl. 2. *Concluſio.* Non ſolum methodo arbitraria, verum etiam methodo naturæ agi debuit prius de relatione, quam de qualitate. Confirmatur primo. Methodo naturæ de illis prius agendum eſt, quæ ſunt priora: ſed relatio à toto genere eſt prior qualitate: ergo agendum fuit de ipſa prius, quam de qualitate. Confirmatur aſſumptio. Inter accidentia illa ſunt priora, quę ſunt viciniora & intimiora ſubſtantiæ: ſed relatio eſt vicinior & intimior ſubſtantiæ, quam ſit qualitas, ergo eſt prior. Confirmatur aſſumptio. Subſtantia eo ipſo, quo eſt ſubſtantia, antequam in ea intelligantur qualitates, vel eſt eadem, vel diuerſa cum aliquo ente, ſed identitas & diuerſitas ſunt quædam relationes & prædicamentales (iuxta aliquos) intimior igitur & vicinior eſt relatio ipſi ſubſtantiæ, quam qualitas. Deinde. Quantitas eſt prior natura qualitate: ſed in quantitate immediate fundatur relatio æqualitatis vel inæqualitatis, ergo relatio erit prior qualitate.

Ad 1. arg. Ad argumenta vero. *Ad primum* negamus conſequentiam, quia Ariſt. in rebus explicandis non ſemper obſeruabit methodum naturæ, ſed interdum ſequutus eſt methodum & ordinem dignitatis, ea prius tractans, quæ nobiliora ſunt. Egit itaque aliis in locis de qualitate prius, quam de relatione iuxta methodum & ordinem dignitatis, quia qualitas dignior eſt relatione, cum relatio minimæ entitatis ſit inter cætera omnia entia.

Digitized by Google

d 2.

Ad ſecundum admittimus aliquam relationem (vt ſimilitudinis, v. g.) eſſe poſteriorem qualitate, hinc tamen non fit, relationem omnem eſſe illa poſteriorem, quamuis enim relatio ſimilitudinis, vt diximus, ſit poſterior, dantur nihilominus pleræque relationes, ſicut relatio eiuſdem, & diuerſi in ſubſtantia: æqualis & inæqualis in quantitate, quæ priores ſunt omni qualitate. Vnde relatio à toto genere (vt aiunt) prior natura erit ipſa qualitate, & ita nō methodo ſolum doctrinæ, & arbitraria, verum etiam methodo naturæ agendum erit prius de relatione, quam de qualitate.

QVÆSTIO II.

Sitne relatio ens rei, vel rationis.

PArtem negantem, nimirum nullam dari relationem rei, ſed omnem eſſe rationis, *Argum.* his argumentis poſſumus demonſtrare. 1. Quæ habent eſſe beneficio intellectus ſunt entia rationis: at relatio eſt huiuſmodi: nam eſt comparatio, *Argum.* comparatio autem actio eſt intellectus, erit igitur relatio ens rationis. 2. Nullum ens rei poteſt alicui aduenire abſque ſubiecti mutatione: ſed relatio aduenit ſubiecto abſque illius mutatione, vt auctor eſt Ariſtoteles 5. *Phyſicor. cap.* 2. ergo nulla relatio erit ens rei. *argum.* 3. Omne ens rei, quod de nouo oritur, non poteſt alia ratione, quam per actionem ad ſe terminatam, de nouo oriri: ſed relatio non oritur per actionem ad ſe terminatam, quia ad relationem non eſt per ſe motus, vt auctor eſt Ariſtot. *in eodem 5. lib. Phyſic. cap.* 2. iam ergo relatio non erit ens reale. *argum.* *Præterea* ſigillatim hoc ipſum confirmemus, de relatis primi, ſecundi, & tertii generis, non eſſe illa entia rei, inprimiſque de relatis primi generis. Hæc fundantur in vnitate communi, & vniuerſa, vt æqualitas in vnitate ſpecifica duarum quantitatum, & ſimilitudo in vnitate ſpecifica duarum qualitatum: ſed vnitas communis & vniuerſa eſt ens rationis: ergo relata primi generis erunt entia rationis. *argum.* *Præterea* de relatis ſecundi generis idipſum ita confirmamus. Relata huius generis fundantur in actione præterita, vt relatio paternitatis in actione præterita generandi: ſed actio præterita eſt ens rationis, quia iam non eſt: ergo fundamentum relatorum huius generis erit ens rationis, ac proinde hæc relata erunt entia rationis. Iam de relatis tertii generis hoc ipſum confirmamus: Relatio, quæ eſt entis ad non ens, eſt relatio rationis, ſed aliquando relatio tertii generis eſt entis ad non ens, vt eſt relatio ſcientiæ de roſa ad roſam, quæ non eſt, & Dialecticæ ad ens rationis, quod non eſt à parte rei, ergo, &c. *Vlt. argum.* Ad extremum confirmatur in genere de omnibus relatis. Omne ens rei vel eſt per ſe, vel in alio, ſed relatio neque eſt per ſe: quia non eſt ſubſtantia, neque in alio, quia propria ratio relationis non eſt eſſe in ſubiecto, ſed referri ad terminum: ergo relatio non eſt ens reale.

Vna opinio. Multi ex veteribus Philoſophis, vt Stoici, & alii, quemadmodum Ammon. & Simplicius *in commentar huius loci* teſtantur, exiſtimarunt, nullam dari relationem rei, ſed omnem relationem conſtare tantum beneficio & ope intellectus rem vnam ad alteram comparantis. Eandem ſequuti fuerunt deinde quidam alii Philoſophi, vt Auicenna *lib. 3. Metaphyſ.* & Auerroes *lib. 12. comment 19* profitentur, quam obliuioni iam penitus traditam Aureolus apud Capreolum fuit amplexus.

1. Concluſio. Sit tamen pro explicatione prima concluſio. Non ſunt omnes, quotquot ſunt, relationes rationis, ſed pleræque ex illis ſunt reales, quæ nimirum habent eſſe à parte rei, præter omnem operationem intellectus. Profitentur hanc ex Græciis Simplicius, Ammon. & Porphyr *in comment. huius loci*, ex Arabibus Auicenna, & Auerroes, *vbi ſupra*, ex Latinis Diuus Thom. *1. p. 13. art 7. q. 28. art. 1. in 1. diſt. 26. q. 2. art. 1* B. Albertus Magnus *cap. 1 huius categor.* Scotus *in 2. diſtinct. 1. q. 5.* Theologi fere omnes, quidam in hoc loco, & alii *in 1 diſt. 31.* & Metaphyſ. Soncinas, Flandren. Iauellus, Sueſſanus, Aquarius, Andreas, & alii, *in lib 5 Metaph. c. 15.*

1. argum. Et confirmatur his argum. *Primum.* Nullum ens rationis habet eſſe præter operationē intellectus: ſed dantur multæ relationes, quæ habent eſſe præter omnem operationem intellectus, vt relationes ſimpli & dupli, patris & filii, diſcipuli & magiſtri, ergo non omnes relationes erunt rationis, ſed aliquæ erunt entia rei. *2. argum.* 2. Aliquæ relationes conſiderantur per ſe in ſcientiis realibus, ergo aliquæ illarum erunt entia rei. Conſequentia eſt perſpicua, confirmatur antecedens, de Arithmetica, quæ conſiderat proportiones numerorum, & de Geometria, quæ proportiones figurarum contemplatur, quæ certe proportiones ſunt quædam relationes. *3. argum.* *Præterea.* Relatio eſt quoddam genus entis contentum ſub ente diuiſo in decem categorias: ſed ens diuiſum in categor. eſt ens rei: ergo aliqua relatio erit ens rei. *Vlt. argum.* *Vltimo.* Nullum ens rationis ſpectat ad decorem vniuerſi, quia ceſſante actione intellectus illico euaneſcit ens rationis: at nondum labitur perfectio vniuerſi: ſed aliqua relatio ſpectat ad decorem & perfectionem vniuerſi, nimirum ordo, qui

inter

Digitized by Google

inter partes illius intercedit, vtpote inter corpora ſupera & infera, inter orbes cœleſtes, & inter elementa inter ſeſe, vt auctor eſt Ariſt. *12. Metaphyſ. cap. vlt.* erit ergo aliqua relatio rei, & non omnes erunt rationis.

2. Concluſio. 2. *Concluſio.* Non omnes relationes ſunt reales, ſed dantur aliquæ rationis Hanc omnes Philoſophi in ſuperiori concluſione recenſiti profitentur, quæ confirmatur inprimis: Quia ſunt multæ relationes, quę conſequuntur tantum actionem intellectus, vt ſubiectum & attributum, genus & ſpecies, at quidquid conſequitur actionem intellectus, eſt ens rationis. Deinde quia illæ vocari debent relationes rationis, quæ non conſequuntur rem ipſam ex natura fundamenti: at dantur multæ relationes, quæ non conſequuntur rem ex natura fundamenti, vt ſunt relationes generis ad ſpeciem & ſpeciei ad genus, nam poſitis, v.g. animali, & homine, nondum ſequitur relatio generis ad ſpeciem, & ſpeciei ad genus, niſi accedat actio intellectus agẽtis, vel patibilis, erunt igitur aliquæ relationes rationis.

3. Concl. 3 *Concluſio.* Optime diuiditur relatio in cõmuni in relationem rei & rationis. Hæc ſequitur ex ſuperioribus, in quibus diximus dari quaſdam relationes rei, & alias rationis. Confirmarique poteſt, quia omnis relatio vel conſequitur rem ex natura fundamenti, vel actionem intellectus, ſi fuerit prioris generis, eſt relatio rei, ſi alterius poſterioris eſt rationis, ergo omnis relatio vel erit rei, vel rationis. Animaduertendum eſt tamen, hanc non eſſe diuiſionem vniuoci in vniuocata, ſed analogi in analogata, quia enti rei & rationis tantum poteſt eſſe aliquid commune analogum.

Requiſita ad relat. rei. Quæret tamen aliquis, quæ requirantur ad relationem rei, & quæ ad relationem rationis? Reſpon. inprimis, ad relationem rei hæc omnia requiri,

1. *primo*, vt extrema ſint realia, & realiter diſtincta. Diximus, vt ſint realia, quia ſi fuerint entia rationis, non poterit relatio realis inter illa interuenire: vnde inter genus & ſpeciem cum ſint extrema rationis, non intercedet relatio rei. Præterea diximus, debere illa eſſe realiter diſtincta, idque propter hanc rationem, quia relatio eſt oppoſitio, at oppoſitio tantum intercedit inter extrema re ipſa diſtincta, eiuſdem enim ad ſeipſum nulla poteſt eſſe oppoſitio

2. Requiritur *ſecundo*, vt extrema ſint eiuſdem ordinis, nam ſi fuerint diuerſi, quamuis vtrumque ſit ens rei, & ab altero realiter diſtinctum, non intercedet ex parte vnius extremi relatio rei: ex parte ſcilicet illius, quod eſt ordinis ſuperioris: vnde quamuis creator & creatura ſint extrema realia, & realiter diſtincta, quia tamen non ſunt eiuſdem ordinis, propterea ex parte creatoris nulla interueniet relatio realis ad creaturas: & in omnibus relatis tertii generis, ex parte menſuræ non interueniet vlla relatio realis ad menſurabile, quia menſura eſt alterius ordinis à re menſurabili. 3.

Tertio requiritur, vt fundamẽta ſint realia, & realiter diſtincta, quod docet D. Tho. 1 *p. q. 28. art. 4. ad 4. & q. 42. art. 1. ad* 4. Vnde ſi eadem albedo numero eſſet in duobus hominibus, ſimilitudo, quæ inter illos interueniret, non eſſet relatio rei, ſed rationis, quia albedo, quæ eſt fundamentum, non eſſet realiter diſtincta in his duobus extremis. Vnde colligit D. Tho. æqualitatem & ſimilitudinem in diuinis non eſſe relationes rei, ſed rationis, quia natura diuina, quæ eſt fundamentum ſimilitudinis, eſt eadem numero in tribus perſonis.

Requiſita ad relationes rationis. Iam relationem rationis hæc alia conſtituunt.

1. *Primum.* Si extrema relata non fuerint realia, vel realiter diſtincta. Vnde inter genus & ſpeciem erit relatio rationis, quia extrema nõ ſunt realia, & eiuſdem quoque ad ſeipſum, erit relatio rationis, quia idem non differt realiter à ſeipſo.

2. Si fundamentum relationis fuerit vnum & idem in extremis relatis, atque ita in diuinis relatio ſimilitudinis & æqualitatis eſt rationis, quia fundamentum (quod eſt natura diuina) eſt vnum & idem in tribus perſonis.

3. Si alterum extremum fuerit ordinis ſuperioris, nam ex parte illius tantum erit ad ſuum correlatum relatio rationis: & ita creatoris ad creaturam erit relatio rationis, quia creator, qui eſt alterum extremum relationis, eſt ordinis ſuperioris.

4. Si vtrumque, vel alterum extremum, non fuerit in rerum natura, & ita Adami, ad Antichriſtum futurum, eſt relatio rationis, quia neutrum illorum extremorum eſt in rerum natura, & relatio præſentis vel præteriti ad futurum erit relatio rationis, quia alterum extremum ſcilicet vel præteritum, vel futurum, non eſt in rerum natura.

5. Si fundamentum proximum non fuerit à parte rei, ſed ſolum habuerit eſſe ope ac beneficio intellectus: vnde relatio ſubiecti ad attributum, generis ad ſpeciem, erunt relationes rationis, quia earum fundamentum non eſt à parte rei, ſed eſt actio ſolius intellectus agentis, vel patibilis, denudantis naturam à phantaſ. vel eam ad aliud comparandam.

Sequitur iam, vt argumentis in principio effectis occurramus. *Ad 1. argu.* *Ad primum* reſpond. falſam eſſe aſſumptionem: nam comparatio non ſignificat hoc loco actionem intellectus com-

parantis, ſed habitudinem vnius ad alterum, quæ certe in quamplurimis à parte rei & extra operationem intellectus reperitur. *Ad 2.* *Ad 2.* reſpon. diſtinguendo maiorem propoſitionem, quia vel illud ens rei, quod aduenit, eſt relatum, vel abſolutum: ſi fuerit relatum, falſa eſt propoſitio, poteſt ſiquidem abſque vlla ſubiecti mutatione rei aduenire: ſi vero fuerit abſolutum, vera eſt propoſitio: Verum relatio non continetur ſub hoc genere entis. *Ad 3.* *Ad 3.* reſpon. duplicem eſſe terminum, qui de nouo oritur, vnum, qui primo, & per ſe, & alterum, qui ſecundario, & ex conſequenti oritur: terminus igitur, qui primo & per ſe oritur, debet oriri per actionem ad ſe terminatam: ille vero, qui oritur ſecundario, non oritur per actionem ad ſe, ſed ad aliud terminatam: quemadmodum proprietates, quæ ſecundario oriuntur, non oriuntur per actionem ad ſe, ſed ad ſubiectum earum terminatam: relationes autem non oriuntur primo & per ſe, ſed ſecundario, & ex conſequenti, ac proinde non orientur per actionem ad ſe, ſed ad ipſarum fundamentum terminatam: Vnde relatio ſimilitudinis orietur per actionem ad albedinem, quæ eſt illius fundamentum, terminatam. *Ad 1. de relat. 1. generis.* *Ad 4.* reſpond. inprimis de relatis primi generis, fundamentum illorum eſſe duplex, remotum vnum, alterum proximum, remotum eſt quantitas, vel qualitas, vel alia categoria, proximum autem eſt vnitas ſpecifica in quantitate, vel qualitate. Quamuis igitur admitteremus, fundamentum proximum eſſe ens rationis, non propterea erunt hæ relationes entis rationis, quia primum & remotum fundamentum, à quo ſortiuntur entitatem, eſt ens rei. Vel dicimus, duplicem eſſe vnitatem ſpecificam, vnam poſitiuam, & alteram negatiuam, vel per conformitatem. Prima illa eſt ens rationis, cum beneficio ſolius intellectus conſtet: altera vero eſt ens rei: at fundamentum harum relationum non eſt vnitas poſitiua, ſed negatiua, ac proinde erunt illæ entia rei. *Ad 2.* *Ad 2.* de relatis ſecundi generis dicimus, duplex eſſe fundamentum relationis, vnum proximum, & alterum remotum, inter quæ hoc intereſt, quia ad fundamentum proximum (vel modum fundandi) tantum requiritur, vt actu ſit, non autem, vt conſeruetur, quod alii dicunt eſſe neceſſarium ad relationem in fieri non autem in facto eſſe: fundamentum vero remotum & primum non ſolum eſt neceſſarium ad relationem, vt illa ſit, verum etiam vt conſeruetur, atq; permaneat, quod alii dicunt requiri ad relationem in fieri, & in facto eſſe. Dicimus igitur ad argum. propoſitionem eſſe veram de fundamento remoto, quod eſt neceſſarium ad relationem in fieri, non autem in facto eſſe. Cæterum fundamentum remotum non eſt actio generandi, ſed facultas generandi, quæ certe nulla ratione euaneſcit, neque nullo modo perit, licet actio ipſa pereat, imo perſeuerat in eodem ſubiecto, & ita relatio paternitatis erit ens rei. *Ad 3.* de relatis tertii generis reſp. cum M. Medina 1 p. q. 13. art. 7. *in manuſcriptis comment.* nomen, vel ens rationis eſſe duplex, nam vnum eſt, quod nullo modo natum eſt per ſe mouere intellectum ad aliquam veritatem conſequendam, vel aliquam in ipſo inprimere intellectilem ſpeciem: alterum vero, quod aptum eſt hoc vtrumque præſtare in ipſo intellectu, quod quidem hac ratione aptum erit menſurare intellectum reſpectu alicuius veritatis. Vnde nõ ens atque ens rationis primo modo nequeunt terminare relationem rei, vt chimera, & quælibet monſtra, quæ ab intellectu effingi poſſunt: ſecundo autem modo optime quidem idipſum poſſunt, roſa namque illa, quæ non eſt, cum relinquat ſpeciem ſui impreſſam in intellectu, qua media illum mouere apta eſt ad aliquam veritatem de ſeipſa cognoſcendam, optime poteſt eſſe terminus relationis ſcientiæ ad ipſam, quod idem iudicium de ente rationis proculdubio ferendum eſt. *Ad vltimum* reſp. diuiſionem illam entis in ens per ſe, & in alio eſſe tantum entis rei, & non entis, quod eſt commune ad hæc duo membra, atque ita ſi agamus de relatione in communi, vt ambit relationem rei & rationis, ſub nullo ex his membris continebitur: ſi vero loquamur de relatione rei, dicimus, illam ſub altero membro, ſcilicet ſub ente in alio contineri. Nec tantum illa habet hoc, quod eſt referri ad aliud, ſed præter hanc habitudinem denotat etiam habitudinem ad ſubiectum, quę exprimitur nomine eius, quod eſt eſſe in alio: vnde differet ab aliis categoriis accidentium, quia aliæ & in communi, & in propria ratione, ſolam denotant habitudinem ad ſubiectum, relatio vero præter habitudinem ad illud, denotat aliam ad terminum. *Ad vlt.*

QVÆSTIO III.

An dentur relationes rationis a parte rei abſque operatione intellectus.

IN quæſtione ſuperiori diximus, dari præter relationes rei, quaſdam alias rationis. Quærimus igitur, num hæ relationes ſint à parte rei præter omnem operationem intellectus, necne? Et quidem dari à parte rei, his argumentis poſſumus ſuadere *Primum.* Paries ante omnẽ *1. argum.*

opera-

operationem intellectus eſt viſus, ſed parietem eſſe viſum, eſt relatio rationis, ergo dantur relationes rationis ante omnem operationem intellectus.

2. argum.

2. Ante omnem operationem intellectus Deus eſt Dominus: ſed Deum eſſe Dominum, eſt relatio rationis, quod fatentur omnes Theologi, præſertimque D. Thomas 1 *par. q. 13. art. 7. & 2 lib contra gen. cap. 12.* ergo dantur relationes rationis ante operationem intellectus.

3. argum.

3. Voluntas poteſt referre rem aliquam ſtudioſam ad aliquem finem imperfectum, vt voluntas hypocritæ referre poteſt aliqua opera ſtudioſa, ad id, vt ex illis captet auram popularem, ergo iam dantur per actionem voluntatis aliquæ relationes rationis, & non erunt omnes per intellectum.

4. argum.

4. Vniuerſum formale eſt ens rationis, ſed vniuerſum formale habet eſſe per operationem intellectus agentis: ſaltem igitur non per intellectum patibilem, verum etiam per agentem dabitur relatio rationis.

1. Opinio.

Scotus 1. *lib. ſent. diſt. 45.* cenſet, dari multas relationes rationis præter omnem operationem intellectus, cuiuſmodi eſt relatio parietis viſi ad oculum videntem, & relatio amati ad voluntatem amantem: vnde, inquit, non ſolum per actionem intellectus, verum etiam per actionem aliarum potētiarum, etiam ſenſitiuarum, vt ſenſuum externorum, ac memoriæ, & per actionem quoque voluntatis poterunt produci relationes rationis. Quam ſententiam ſequuti ſunt multi Thomiſtæ, e quorum numero fuit inſtitutor noſter Medina *3. p. q. 35. art. 5. & 1. p. q. 13. artic. 7.* & eidem M. Bannes *in hoc eodem loco* adhæſit.

1. Obſer. Medin.

Adnotabat autem M. Medina in huius opin. explica. eſſe quatuor genera entium rationis, quædam enim ſunt, quæ nullum habent fundamentum in re, vt ſunt chimeræ, & monſtra animi: alia, quæ fundamentum quidem habent in re, eſt tamen illud in eadem re denominata, cuiuſmodi ſunt relationes ſubiecti & attributi, generis & ſpeciei, nam animal, quod denominatur genus, eſt fundamentum relationis genericæ: alia præterea ſunt, quorum fundamentum à parte rei eſt, non tamen reperitur illud in re denominata, ſed in aliqua facultate, & potentia naturali, ſicut relatio parietis viſi ad oculum videntem, habent namque illa fundamentum à parte rei, illud nihilominus non eſt in pariete, qui denominatur viſus, ſed in potentia videndi, oculo nimirum, actio quippe oculi eſt huiuſmodi relationis fundamentum: alia denique ſunt, quæ ex eo dicuntur entia rationis, quia ſunt priuationes aut negationes entium rei, vt cæcitas, quæ priuat animal viſu, & non homo, quod eſt negatio hominis. Inquit ergo, entia rationis primi & ſecundi generis tantum habere eſſe per operationem intellectus, quæ autem ſunt tertii & quarti generis, habere eſſe præter illam, & quia pleræque relationes rationis continentur ſub ente rationis tertii generis, proinde quamplurimæ relationes rationis erunt (eius iudicio) à parte rei, præter omnem operationem intellectus. Hanc eandem opinionem antea ſequutus fuerat Iauellus 10 *lib. Metaph. q. 10.*

2. Opinio.

Secunda opinio eſt aliorum Philoſophorum, exiſtimantium, nullam relationem rationis habere eſſe præter operationem intellectus, & à parte rei, ſed quamlibet habere eſſe formaliter & ſecundum eſſentiam per operationem intellectus. Quam opinionem amplexus fuit Caietan. 1. *q. 28. artic. 1.* Soncinas 4. *lib. Metaphyſ. q. 21. & 6. q. 18* Ferrarien. 2. *contra gentes, cap. 11.* quam opinionem nos multo veriorem iudicamus, in cuius explicationem has ſubiicimus aſſertiones.

1 Concluſio.

Prima aſſertio. Relationes rationis fundamentaliter ſunt à parte rei præter omnem operationem intellectus. Hæc aſſertio aperta eſt apud omnes Philoſophos, fundamēta etenim relationum, & cæterorum entium rationis, ſunt entia rei: at entia rei a parte rei eſſe præter omnem operationem intellectus, quis in dubium vertet.

2. Concl.

Secunda aſſertio aduerſus auctores primæ opinionis. Nulla relatio rationis ſumpta formaliter & ſecundum eſſentiam habet eſſe a parte rei, & præter omnem operationem intellectus. Confirmatur his argumētis.

1. argum.

Primum eſt. Relationes rationis formaliter & ſecūdum eſſentiam ſunt entia rationis: ſed nullum ens rationis ſumptum formaliter, & ſecundum eſſentiam, habet eſſe præter operationem intellectus, illius enim eſſentia, iuxta omnes Philoſophos, eſt habere eſſe per intellectum, vt docuimus *ſect. 3. de vniuerſis, q. 1. &* 2. de ipſo diſputantes: nulla igitur relatio rationis habet eſſe præter operationem intellectus.

2. argum.

Deinde. Omnis relatio & habitudo competit rebus, vel ex natura rei, quemadmodum relatio patris ad filium: vel per intellectum eiſdem adaptatur, ſicuti relatio ſubiecti ad attributum: at relatio rationis non competit rebus ex natura rei, omnis enim (id genus) relatio, eſt relatio rei: competet igitur rebus per intellectum, & ita non dabuntur relationes rationis præter operationem intellectus. Huius argumentationis propoſitiones aperiſſimæ ſunt apud omnes. quæ etiam fuere traditæ à D. Tho. propoſitio

1.*p.q.*28 *art.*1. aſſumptio autem *in eadem part. q.* 13 *art.*7 Præterea In hac attributione, paries
argum.
eſt viſus, (aliisq; huius generis) attribuimus ſubiecto relationem rationis, attributum enim eſt quædam entitas ſecundum rationem, in hac, inquam, verbum *eſt*, neque indicat eſſentiam, neque exiſtentiam, quia ens rationis nullam habet exiſtentiam in ſubiecto. ſed ſignificat veritatem propoſitionis, quemadmodum docuit Ariſtot. 6. *Metaphyſ. cap. vlt.* ſed veritas propoſitionis tantum habet eſſe per intellectum, vt in eodem loco auctor eſt Ariſtot. & *in lib. Perihermen. cap.*1 ergo parietem eſſe viſum, tantum habebit eſſe per operationem intellectus, & ita relationes rationis non conuenient
Vlt. argum.
rebus a parte rei. *Vltimo* confirmatur auctoritate D Thomæ, qui nullibi docet, relationem rationis habere eſſe præter operationem intellectus, & *in* 1.*p.q.*13 iam citata expreſſe fatetur, relationem rationis per ſolam intellectus actionem habere eſſe.

Noſtra igitur ſententia explicata, reliquum eſt, vt argumenta diſſoluamus, offerunt ſe tamen duo nobis antequam id præſtemus, anim-
1. Obſer.
aduertenda. Primum eſt, in relatis tertii generis quædam vocari relata, non quia referantur ad alia, ſed ex eo, quia alia referantur ad ipſa, quemadmodum ſcibile eſt relatum ſcientiæ, nō quia referatur ad illam, ſed potius, quia ſcientia ipſa refertur ad ſcibile. Verba iſta expreſſe habentur ab Ariſt 5 *lib. Metaph. cap.* 15.

2. Obſer.
Deinde animaduertendum eſt, duobus modis poſſe aliqua vocari relata, vno modo relatiue, & altero terminatiue: Relata terminatiue vocantur, quæ terminant relationem aliorum ad ſe, qua ratione ſcibile eſt relatum terminatiue, quia terminat relationem ſcientiæ ad ſe: illa autem relata relatiue nuncupantur, quæ media aliqua alia relatione ad alia referuntur, & non tantum, quia terminant relationem aliorum ad ſe. Hanc diſtinctionem egregie explicat Ferrarienſis *loco citato.*

Iam ad ſolutionem argum. accedamus. *Ad*
Ad 1. argu.
primum diſtinguimus propoſitionem, poteſt enim paries eſſe viſus ante operationem intellectus, vel terminatiue, quia ſcilicet terminat actionem videndi; vel relatiue, quia nimirum ad viſum refertur per aliquam relationem. Paries igitur ante operationem intellectus eſt viſus terminatiue, quia actio videndi terminatur ad illum, non tamen eſt viſus relatiue, eo quod referatur per aliquam relationem ad ſ... [illegible] videndi; hoc enim tantum conſequitur beneficio intellectus. *Ad ſecundum* reſpon-
Ad 2.
eodem modo Deum ante operationem intellectus eſſe Dominum, non relatiue, quaſi per aliquam relationem rationis referatur ad creaturam, ſed eſſe Dominum terminatiue, quia ante operationem intellectus terminat relatio-
nem creaturæ ad ſe. *Ad tertium* dicimus, hu- *Ad 3.*
iuſmodi actiones voluntatis, antequam intellectus operetur aliquid circa illas, tantum eſſe relationes fundamentaliter, deinde vero adueniente actione intellectus, fiunt relationes for-
maliter. *Ad quartum* admittimus ipſum to- *Ad 4.*
tum, neque enim aliquid contra nos concludit, cum non docuerimus, per ſolum intellectum paribilem dari relationes rationis. Admittimus enim, etiam per agentem dari relationes & entia rationis, vt *ſect.* 3. *de rebus vniuerſis*, *q.*1 & 2. docebamus.

QVÆSTIO IV.

An relatio conſtituat peculiarem categoriam ab aliis diſtinctam.

ET quidem non conſtituere, confirmatur
primo, quia relatio confunditur & permi- *1 Argum.*
ſcetur cum omnibus categoriis, nam relatio æqualitatis & inæqualitatis permiſcetur cum quantitate, & relatio ſimilitudinis aut diſſimilitudinis cū qualitate, & ſic de aliis: at id, quod permiſcetur cum aliis categ. non conſtituit pe-
culiarem categ. ergo, &c. *Deinde*, quod eſt cō- *2. argum.*
mune enti rei & rationis, non conſtituit peculiarem categ. ſed relatio eſt communis enti rei & rationis, nam ex relationibus quædam ſunt rei, & aliæ rationis: ergo relatio non conſtituet peculiarem categoriam. Aſſumptio aperta eſt, propoſitio vero ex eo confirmari poteſt, quia enti rei & rationis nihil eſt commune vniuocum: at omne genus ſupremum categ. deno-
tat naturam aliquam vniuocam. *Præterea.* Re- *3. argum.*
latio continetur in conceptu formali aliarum categ. ergo non conſtituet peculiarem categoriam. Conſequentia perſpicua eſt, antecedens ita confirmamus. In primisque in omnibus accidentibus eſſe incluſam in conceptu formali conſtat, quia omnia denotant habitudinem ad ſubiectum, omnia enim denotant inhærentiam aptitudinalem. In ſubſtantiis vero confirmatur, quia forma denotat habitudinem ad materiam, & differentia ad genus, cuius eſt qualitas, includetur igitur in cōceptu vltimo omniū
differen. aliarum catego. *Vlt.* Si in hac catego. *4. argum.*
eſſet aliquod genus ſupremum conſtituendum, cum hæc categ. relatorum haberet illud aliquod correlatum, nam omni relato correſpondet aliquod correlatum, vnde fieret, vt in hac categ. darentur duo genera ſuprema, quod certe non videtur admittendum.

1 Opin. Stoici (vt Zeno) & alii (quemadmodum hoc loco refert B. Albert. Mag.) exiſtimarunt relata non conſtituere peculiarem aliquam categoriam vel particulare aliquod genus entis, ſed ſeſe illa per omnes categor. ac rerum genera diffundere, cum omnibuſque confundi, & permiſceri. At contra Ariſt. Plato, Academici omnes, & Peripatetici conſtituunt relata conſtituere peculiarem aliquam categor. ab aliis catego. ſeparatam. Quorum opinionem his aſſertionibus explicamus, earum prima ſit.

1. Concluſio. Relatio conſtituit peculiarem categ. ab aliis omnibus categ diſtinctam. Cõfirmatur *primo*. *1. Argum.* Particulares modi eſſendi conſtituunt peculiares categor ſed relata habent ac conſtituunt peculiarẽ modum eſſendi diſtinctum à modis eſſendi, aliarum categor. vt ſubſtantiæ quantitatis &c nam ſubſtantia eſt per ſe, quantitas, & qualitas in propriis rationibus ſunt in alio: relatio vero eſt ad aliud: ergo conſtituet categ peculiarem ab aliis categ diſtinctam. Secundum. *2. Argum.* *Diuerſa* categ. ex diuerſis modis prędicandi de prima ſubſtantia colliguntur: ſed relatio diuerſo modo prædicatur de prima ſubſtantia, quam aliæ categ. nam ex aliis ſubſtantia prædicatur in quid de illa, quantitas, & qualitas accidentario, quantitas velut mensura, qualitas, veluti affectio, relatio vero veluti referens ipſam primam ſubſtantiam ad ſuum terminum: ergo relatio conſtituet peculiarem quandam categor.

2. Concluſ. 2 *Concluſ.* In hac categor. conſtituendum eſt aliquod genus ſupremum. Confirmatur *1. Argum.* quia in omnibus aliis categor. conſtituendum eſt genus aliquod ſupremum: ergo & in hac *2. Argum.* etiam debet illud conſtitui. 2. quia in omni categ. debẽt omnia ad vnum reuocari, nam eſt ſimilis familiæ in qua omnia ad vnum caput reuocantur vt auctor eſt Porphyr. in cap. de specię: ſed illud vnum eſt genus ſupremum, ergo in qualibet categor (ac proinde & in hac relatorum) erit genus aliquod ſupremum collocandum.

3. Concluſ. 3. *Concl.* Sub hoc genere ſupremo neq; relationes infinitæ, neque relationes rationis, ſed ſolæ relationes rei, & finitæ continentur, itaq; hæc categor. ſignificabit eſſe ad contractum per eſſe reale, & finitum. Confirmatur quia in categ. ſola entia finita & rei collocantur vt iam ſupra in antecateg. *ca 6. ſectio 2. q 5.* admonuimus. Vnde colligimus relationes diuinas non contineri in hac categor quia ſunt infinitæ. Colligimus ſecundo relationes rationis, vt ſubiecti ad attributum, generis ad ſpeciem non contineri in eadem. Colligimus tertio relationem (quæ tantum denotat eſſe ad, qua ratione eſt communis ad realem & rationis, finitam & infinitam) eſſe naturam analogam: nam cum ſit communis, & non ſecundum vniuocationem, erit communis ſecundum analogiam. Quod ſi quis nobis obiiciat auctoritatem D Thom. docentis 1. *p. p. qu.* 28. *artic.* 1. Proprium eſſe huius categoriæ vt in ea aliquid rationis contineatur. Reſpon. erit D. Thom. nomine huius categoriæ intellexiſſe, relationem in communi, quæ tantum ſignificat habitudinem ad terminum, quæ eſt analoga ad relata rei & rationis, & non intellexiſſe hanc categoriam, quæ tantum ſignificat ad reale. Legendi ſunt *Caieta. & interpretes in eo loco.*

4. *Concluſio.* Sub hoc genere ſupremo continentur varia genera intermedia, ſpecies infimæ, & indiuidua. Genera intermedia petuntur ex diuerſis fundamentis proximis, & modis fundandi, quæ ſunt tria illa primi, ſecundi, & tertii generis. Primi quæ in quantitate ſecundi quæ in actione & paſſione, & tertii quæ in menſura & menſurabili fundatur. Species infimæ petuntur ex diuerſis terminis in quos feruntur, vt relationes paternitatis, & ſimilitudinis, ſpecies differunt, quia filiatio, & ſimilitudo quæ ſunt termini illarum relationum, ſpecie differunt, ſunt etiam relationes æquiparantiæ & diſquiparantiæ, & aliæ. Indiuidua vero ſunt hæc relatio paternitatis, & illa ſimilitudinis. *4. Concluſ.*

Ad argum igitur quæ in initio propoſuimus. *Ad 1. arg.* Ad 1. reſpond. relationem ratione fundamenti ſeſe diffundere per varias categorias, eſt enim ita exiguæ, & minimæ entitatis, vt egeat aliquo fulciente ipſam in ſubiecto: Hinc tamen non colligitur illam permiſceri, & confundi cum aliis categor. habet enim naturam ab aliis omnino diſtinctam. Quemadmodum materia prima fulcit etiam formam, quam in ſuo ſinu recipit, atq; fouet, nõ tamen hinc fit, vt forma confundatur cum materia, aut permiſceatur cum ea, nam habent hæ duæ partes naturam omnino diſtinctam. Ad 2. dicimus relationem illam *Ad 2.* communem enti rei, & rationis, non contineri in hac categor. ſed eſſe naturam quandam analogam. Quænam autem relatio conſtituat genus ſupremum huius categor & quæ ſub ambitu illius comprehendantur in aſſertionibus expoſuimus. Ad 3. reſp. relationem hanc quę con- *Ad 3.* tinetur in conceptu aliarum categ. non eſſe illam de qua agimus in hoc loco, nimirum prædicamentalem, quæ fundatur in quantitate, qualitate, vel in aliquo accidente abſoluto: ſed eſſe tranſcendentem, quę fundatur in intimis rerum attributis, & eſſentiis, quæ non habet certam ſedem ſed per omnia rerum genera diuagatur.

Digitized by Google

Ad 4. Ad vltimum reſpon. in hac categor. tantum dari vnum genus ſupremum ſuo ambitu omnia relata comprehendens. Neq; omni relato correſpondet aliquod correlatum, hoc enim verum eſt io relationibus particularibus, & non in relatione communi.

CAPVT V.

An in categoria Relationis ſint duo genera ſuprema necne.

1. Argum. QVæſtio (quam nunc examinandam propooimus) celebris eſt, & quç noo paruum ſplendorem ad hanc tractationem intelligendã poterit nobis conferre, cuius partem aientem (dari nimirum duo genera ſuprema) his argu. poſſumus confirmare. 1. Ariſt. ioſcribit hanc categ. io numero plurali de relatis: præter ea tradit diffinitionem eorum io numero plurali, quũ ergo numerus pluralis ſignificet multa, in hac categ. erunt duo ſaltim genera ſuprema, & noo vnum. *2. Argum.* *Deinde.* Omnis relatio habet aliquod paronymum ſeu denominatum: igitur & relatio quæ conſtituit genus ſupremum huius categor. obtioere debet ſuum paronymum: ſed omne parony. relatum habet terminum: ergo io categor. duplex erit genus ſupre. Confirmatur. arg. Omni relato competit diffinitio relatorum: at in diffinitione relatorũ exprimitur hoc, quod eſt habere terminum, diffiniuntur enim relata, quorum tota vis eſt referri ad aliud, in qua diffinitione per particulam, ad aliud, intelligi debet proculdubio terminus: ergo huic relato quod eſt genus ſupremum reſpondet aliud correlatum. *3. Argum.* 3. Relatio in communi confert ſubiecto relato aliquod eſſe: at non confert illi eſſe abſolutum, fieret enim inde eſſe formam abſolutã: cõferet igitur aliquod eſſe relatum: at omne eſſe relatum eſt ad aliud, vt docet Ariſt. id eſt, ad terminum: ergo relatio in communi conſtituens hanc categ. habebit terminum. *4. Argum.* *Præterea.* Omnis relatio eſt habitudo inter duo extrema: ſed vbi eſt habitudo duorum etiam debet eſſe & relatum & terminus illius, ſcil. correlatum: ergo in relatione quæ eſt genus ſupremum huius categ. erunt etiam relatum & correlatum, & ita non erit in ipſa vnicum genus ſupremum, ſed duo. *5. Argum.* *Item.* Relatio numerica habet vnitatem à termino numerico, ſpecifica à termino ſpecifico, & generica à termino generico: at relatio quæ eſt genus ſupremum eſt relatio generica: ergo habebit terminum à quo ſumat vnitatẽ genericam. *6. Argum.* *Tandem.* Relatio paternitatis habet terminum, relatio etiam dominii illo non caret, ac denique idem eſt de omnibus aliis: omnis igitur relatio habebit terminum, non igitur eſt quod ab hac generali regula excipi debeat relatio quæ conſtituit genus ſupremum huius categ.

Propter hæc & alia huius generis argu. multi recentiores (iique grauiſſime viri) docuerunt in hac categ. eſſe duo genera ſuprema conſtituenda relatum nimirum, & correlatum, genuſq; ſupremum in ſe referri ad huiuſmodi correlatum, vt pater ad filium, & magiſter ad diſcipulum. *1. Opin. Scot.* Hanc opin. ante eos docuerat Scotus *qu. 25. in Prædica. Ariſt.* Communior tamen opinio eſt tantum eſſe vnicum genus ſupremum, illudq; *2. Opin. commun.* non habere aliquod correlatum, vel terminum in quem feratur, ſed referri tantum in ſuis inferioribus, & ſingularibus. Hanc aperte docuit D. Auguſt. *in ſuis categ. c. 11. B. Alb. Mag. 5 Metaph. tract. 3. cap. 7. Iandu. in eodem 5. lib. quæſt. 25. Venetus in 1 par. huius categor. fere in fine in ſolut. 3. & Scotus re (vt puto) melius inſpecta, in 1. diſt. 21. qu. vnica* multique alii, quos hoc loco miſſos facio.

Obſeru. notand. Hanc igitur ſententiam (quam veriorem arbitramur) vt explicemus, animaduertimus cum acutiſſimo Caiet. io comment. huius loci, *& 1. p. q. 40. art. 4.* & cum communi ſchola, relationem ſumi poſſe, aut io actu ſignato, aut in actu exercito, quod alii dicunt, aut vt conceptam, aut vt exercitam. Quæ diuiſio oon eſt ita iotelligeoda, quaſi ſint hæ duæ formæ relatiuæ inter ſe diſtinctæ, & ſeparatæ, ſed iotelligi debet de forma & illius munere, vel vſu: relatio enim io actu ſignato, aut coocepta, ſignificat formam, eadem vero in actu exercito, munus denotat referendi vnum ad alterum. Rurſus relatio actu ſignato denotat formam in actu primo, & in habitudine actuali ad ſubiectum, relatio vero in actu exercito, denotat eandem formam in actu ſecundo, & in habitudine actuali ad terminum. Tandem relatio in actu ſignato, efficit extremum relatiuum non relatum. i. quod poteſt referri, & non quod actu referatur, io actu vero exercito efficit illud relatum, & oon tantum relatiuum, quia acto refert illud ad termin.

1. Concluſio. Hoc animaduerſo. Sit prima concluſio. Genus ſupremum huius categoriæ non habet terminum in quem referatur. Vbi animaduertendum eſt, nomine generis ſupremi intelligendam eſſe relatiooem, quæ ſuo ambitu contioet omnes relationes, nam hæc eſt ratio generis ſupremi ſcilic. omnia continere. *1. Argum.* Confirmatur his arg. Relatio quæ eſt genus ſupremum continet omnes relationes, ſed quæ continet omnes relationes, non habet terminum in quem referatur: ergo genus ſupremum huius categ. non habebit terminum, in quem feratur. Propoſitio eſt aperta, confirmatur aſſumtio. Relatio quæ ha-

bet ter-

bet terminum in quem feratur, non continet illum, quia vnum oppoſitum non poteſt alterum continere: atqui relatum, & ipſius terminus opponuntur relatiue: ergo à contrario relatio illa, quæ continet omnes relationes, nullum habe-
2. Argum. bit terminum in quem feratur. *Deinde* Eodem modo ſeſe habet relatio in communi, vt ſe habet ſimilitudo in communi: at ſimilitudo in communi ambiens omnia ſimilia, nullum habet terminum, vt eſt ex ſe apertum: iam igitur neq; relatio in communi quæ conſtituit genus ſupremum categ habebit terminum.

2. Concluſ. 2. *Concl.* In hac categoria non ſunt conſtituenda duo genera ſuprema, ſed vnicum dumtaxat. *Confirma*tur imprimis ex ſuperiori concluſio-
1. Argum. ne. Si in hac categ eſſent conſtituenda duo genera ſuprema ex eo eſſet, quia cum hæc categ ſit categ. relatorum, & omne relatū habeat terminum, debent etiam in hac categor. duo termini conſtitui ſupremi, qui inter ſe referantur: atqui probatum eſt in ſuperiori concluſione non omnem relationem habere terminum in quem referatur: non ergo conſtituenda erunt in hac
2. Argum. categ. duo genera ſuprema. *Deinde* Si in hac categ. eſſent duo genera ſuprema, ſequeretur dari vndecim categ entium rei: ſed hoc repugnat Ariſt. decem tantum conſtituenti, ergo non erunt conſtituenda in hac categor. duo genera ſuprema. Confirmatur propoſit. Duo genera ſuprema duas conſtituunt categorias, ob hanc enim cauſam vocantur ſuprema, quia ſunt capita aliquarum categ ergo ſi in categ. relationis dantur duo genera ſuprema, dabuntur duæ categoriæ, & cum præter eas ſint aliæ nouem erunt vnde-
Solutio. cim categor. entium rei. Quod ſi dicas non omnia genera ſuprema conſtituere diuerſas categ. ſed illa tantum quæ habent diuerſum modum prædicandi de prima ſubſtantia, & quia ſola hæc duo genera ſuprema relatorum habent eundem modum prædicandi de illa, ob hanc cauſam non conſtituent diuerſas categ. Contra
Replic. ſic ago. Diuerſa genera ſuprema differunt eſſentia, & diuerſo modo prædicandi de prima ſubſtantia, quemadmodum quantitas, & qualitas differunt eſſentia, & diuerſo modo prædicandi de illa, ergo ſi in categ relationis dantur duo genera ſuprema, non poterunt illa obtinere eandem eſſentiam, & eundem modum prædicandi de prima ſubſtantia: ſi itaq; dantur in hac categ. duo genera ſuprema, non vna illa erit, ſed duæ potius, & ita non erunt ipſæ decem tantum ſed
3. Argum. vndecim. *Vltimo.* Illa nequeunt vocari genera ſuprema, quę habent ſupra ſe naturam aliquam ſynonymam: at ſi darentur in categor. relationis duo correlata, haberent illa ſupra ſe naturam aliquam ſynonymam: ergo nequeunt dari duo genera ſuprema in hac categ relatorum. Confirmatur aſſumtio. Si darentur duo correlata in hac categor. haberent illa ſupra ſe communem naturam relationis competentem ex æquo vtrique: ergo haberent communem naturam aliquam ſynonymam.

3. *Concluſ.* Genus ſupremum huius categor. eſt relatio in actu ſignato, vel concepta, & non relatio in actu exercito. Hæc ex ſuperioribus apertiſſime colligitur. Relatio in actu exercito habet terminum in quem feratur, idem enim eſt in actu exercito quod habere munus referendi vnum ad alterum: ſed genus ſupremum huius categ non habet terminum in quem feratur, vt dixi: non igitur erit relatio in actu exercito: quod ſi non fuerit, neceſſario erit relatio in actu ſignato, tantum enim poteſt relatio his duobus modis ſumi, aut in actu exercito, aut in actu ſignato. *3. Concluſ.*

Ex his colligimus primo relationem, quæ eſt genus ſupremum, in ſe non exercere actum referēdi ad aliud, ſed in ſuis inferioribus, vt in paternitate v. g. vel filiatione, quemadmodum ſimilitudo in communi non exercet actum referendi ad aliud in ſe, ſed in ſuis ſingularibus. Colligimus 2. relationem, vt eſt prius natura ſuis inferioribus, & ſingularibus non exercere actum referendi, ac prius natura eſſe, habere eſſe in ſingularibus quam habere huiuſmodi actum. Etenim cum actus referendi tantum illi conueniat ratione ſuorum ſingularium, prius natura erit habere eſſe in ſingularibus, quam quod huiuſmodi actum valeat exercere. *Nonnulla conſectaria.*

Satisfaciamus iam argum. quæ in initio propoſuimus. Ad primum reſp ex eo Ariſt inſcripſiſſe hanc categor. in numero plurali, quia in actu exercito debet exerceri inter multa, non autem quod exiſtimaret ille, relationem conceptam quæ conſtituit genus ſupremum huius categ. habere terminum in quem feratur. Alii reſpondent Ariſtot. vſum fuiſſe numero plurali pro numero ſingulari. Ad 2. dicimus in relatis duplicem eſſe terminum vnum actu, & alterum poteſtate. Relatio in actu ſignato habet terminum poteſtate, hæc autem poteſtas non reducitur in actum, neq; exercetur in relatione communi quæ conſtituit genus ſupremum huius categoriæ, ſed reuocatur ad actum, & exercetur in relationibus inferioribus, nam relatio numerica & ſpecifica, actu habent terminum: & ita relatio in actu exercito tantum competit relationibus inferioribus, quæ habent *Ad 1. arg.* *Ad 2.*

actum

Digitized by Google

Ad 3. actum referendi vnum ad aliud. Ad 3. aimus relationem non conferre ſubiecto denominato aliquod eſſe abſolutum, ſed eſſe relatum, verum non omne eſſe relatum refertur ad terminum, nam eſſe relatum in actu ſignato non refertur ad terminum, ſed tantummodo eſſe relatum in actu exercito: & ita cum relatio in communi ſit relatio in actu ſignato nullum habebit terminum. *Ad 4.* Ad 4. aſſerimus non omnem relationem ſignificare habitudinem actu duorum extremorum, ſed ſolam relationem exercitam: at relatio ſignata qualis eſt genus ſupremum huius categoriæ non ſignificat habitudinem actu vnius extremi ad alterum: ſed formam quandam ſubiecto inhærentem, quæ nata eſt referre vnum extremum ad alterum. *Ad 5.* Ad 5. reſpon. negando conſequentiam, quia quamuis aliæ relationes particulares obtineant vnitatem à ſuis terminis, hęc nihilominus generica relatio, cum nullum habeat terminum, non habebit vnitatem ab illo, ſed à ſubiecto, à quo omnia accidentia petunt vnitatem. *Ad 6.* Ad 6. reſp. relationem omnem in particulari cum in illa exerceatur actus referendi ad aliud habere terminum: relationem vero quæ eſt genus ſupremum huius categoriæ, cum in ipſa non exerceatur actus referendi ad aliud, carere illo: quemadmodum & ſimilitudo in communi eodem eſt deſtituta, cum in ea non exerceatur actus aſſimilandi, vel diſſimile aliquid reddendi, ſed in particularibus duntaxat ſimilitudinibus.

QVÆSTIO VI.

An omnia relata ſint in hac categoria comprehenſa.

[R]atio du[b]ita. HÆc quæſtio propter relata ſecundum dici, & propter nonnullas alias relationes quæ fundantur in natura & eſſentia rei, proponitur hoc loco à nobis. Etenim cum Ariſt. docuerit ſcientiam, & ſenſum in hac categor. contineri, comprehendiq; ſub illa diffinitione priori à veteribus propoſita, ſintque hæc relata ſecundum dici, videtur iudicio Ariſt. id genus relatorum in hac categoria eſſe contentum.

[1.] Opin. Sunt igitur in hac quæſt. explicanda diuerſæ interpretum ſententiæ. prima eſt multorum aſſerentium omnia relata tam ſecundum eſſe, quam ſecundum dici eſſe in hac categ comprehenſa. Hanc ſequitur Paulus Venetus in comment. qui duplex facit ſignificatum nominis relati, vnum pręcipuum, & alterum minus præcipuum, vt in ſcienti. ſignificatum pręcipuum eſt eſſe habitum, & qualitatem, minus vero præcipuum eſt denotare habitudinem ad rem ſcitam, inquitq; ratione ſignificati magis præcipui eſſe in aliis categ. comprehenſa, vt ſcientia in categ. qualitatis: ratione vero minus præcipui eſſe in hac categ. relatorum. Hanc probabilem putat Toletus eidemque Ammo. Simplic. & B. Alber. Mag. adhærere videntur.

2. Opinio eſt M. Soti *quæſt. 1. huius categoriæ, Thomæ à Mercado in hoc eodem loco, Canteri, Iauelli 5. Metaphyſ. quæſt. 21.* conſtituentium relata ſecundum dici non eſſe in hac categoria comprehenſa, ſed illa ſolum quæ ſunt ſecundum eſſe. *2. Opin.*

Præterea de relationibus quæ fundantur immediate in ſubſtantia opinantur multi eſſe relationes prædicamentales, collocarique in categoria Relatorum, vt Soc. *5. Metaph. q. 31. Ferrar. 4. contr. gen. cap. 14. Iauell. 5 Metaphyſ. qu. 22. ad 2. Caiet. 1. p. qu. 28. artic. 1. ad 2. & Cumel in hoc eodem loco q. 6. concluſ. 4.* At Petrus Niger *in 2. p. clypei qu. 40.* multique cum eo arbitrantur non contineri illas in categ relatorum, ſed in categ. ſubſtantiæ. *3. Opin.*

His igitur opinionibus propoſitis, animaduertimus primo ex D. Th. *1. p. q. 13. art. 7. ad 1. & qu. 7. de potent. art. 10. ad 11.* quædam eſſe relata ſecundum dici, quæ diuiſio non eſt ſic intelligenda (vt inquit D. Thom.) quaſi relata ſecundum eſſe ſint relata rei, & ſecundum dici, relata rationis. Sed diſtinguuntur 1. illa ex parte nominis, quia relatum ſecundũ eſſe, eſt illud quod eſt primo, & per ſe impoſitum ad ſignificandum habitudinem ad aliud, vt ſunt hæc nomina pater, & magiſter, nam pater eſt impoſitum ad ſignificandum primo & per ſe habitudinem ad filium, & magiſter ad ſignifican. habitudinẽ ad diſcipulum: relatum vero ſecundum dici eſt illud, quod primo, & per ſe eſt impoſitum ad ſignificandam naturam aliquam abſolutam, ſecundario vero habitudinem ad aliud, vt eſt hoc nomen ſcientia quod primo ſignificat habitum menti inhærentem, & ſecundario habitudinem ad obiectum ſcibile. *1. Obſeru.* *1. Diſcrimen inter relat. ſecun. eſſe, & ſecun. dici.* Diſtinguuntur 2. ex parte formæ ſignificatæ, quia forma nomine relato ſecundum eſſe ſignificata, nullam aliam naturam habet quam ad aliud referri, vt paternitas nullam habet aliam naturam quam referri ad filium: forma vero nomine relati ſecundũ dici ſignificata, non habet talem naturam ſed eſſe ad ſe, cui annectitur referri ad aliud, vt ſcientia non habet naturam ad aliud, ſed ad ſe, annectitur tamen illi relatio quædam & habitudo ad obiectum ſcibile. Legendi ſunt de hoc diſcrimine D. Thom. *vt ſupra Caieta. & Louanien. in hoc cap. & tabula* D. Tho. *verbo relatio circa finem.* Illud etiam eſt obſeruandum ex relationi- *2. Diſcrimen* *2. Obſeru.*

bus ſe-

bus ſecundum eſſe quaſdam eſſe prædicamentales, vel categoriæ, & alias tranſcendentes, de quarum diſcriminibus legendus eſt Caieta.c.7. de ente, & eſſentia, nobis ſufficit duo diſcrimina attuliſſe, primum ex parte termini in quem feruntur, quia termini in quos feruntur relationes prædicamentales, habent locum termini, & non cauſæ, termini vero in quos feruntur tranſcen. habent locum cauſæ, vel materialis vel efficientis, vel finalis, vel formalis, vt ſunt relationes inhærentiæ accidentis ad ſubſtantiam, potentiarum ad ſua obiecta, & ſic de aliis. Secundo differunt ex parte fundamenti, quia tranſcendentes fundantur in intimis rerum attrib. amoto quocunque extrinſeco, & non eſſentiali prædicato, quia conſequuntur naturam entis quod (vt ſignificat eſſentiam) eſt de intima ratione rerum omnium: prædicamentales vero innituntur tanquam fundamento alicui accidenti abſoluto, nimirum quantitati, qualitati, actioni, vel paſſioni, vt auctor eſt Ariſt. 5. Metaph. ca. 15. Vnde de intrinſeca ratione harum relationum eſt, vt innitantur immediate accidentibus abſolutis, quod ſi non habuerunt huiuſmodi fundamentum, nulla ratione poterunt relationes prędicamentales nuncupari. Illud etiam ſciendum erit in hac quæſt. non eſſe nobis ſermonem de relationibus infinitis, neque de relationibus rationis, quas iam ſupra qu. 4. diximus non contineri ſub genere ſupremo huius categor. ſed de aliis finitis, & rei.

3. Obſeru.

1. Concluſio.

His animaduerſis ſit prima concluſio. Relationes quæ fundantur immediate in ſubſtantia, non ſunt prædicamentales, neq; in hac catego. contentæ. Hanc cum Nigro aduerſus Ferrar. Caiet. & alios recenſitos profitemur, & vt apertius multo progrediamur, ſumamus exemplum de relatione identitatis ſpecificæ, quæ fundatur immediate in ſubſtantia Petri, & Antonini, & in relatione differentiæ ſpecificæ, quæ fundantur immediate in ſubſtantia hominis, & leonis, has inquam relationes non eſſe prædicamentales his argumentis confirmo. *Primo.* Illæ relationes quæ conueniunt rei amotis ab ea omnibus extrinſecis, & non eſſentialibus, non ſunt prędicamentales, quia prędicamentales ſunt accidentia, ac proinde ſunt extrinſece & non de eſſentiali ratione ipſius rei: ſed hæ relationes identitatis, & diuerſitatis, quæ fundantur immediate in ſubſtantia, conueniunt illi amotis ab ipſa omnibus extrinſecis, & non eſſentialibus: nam ſi per intellectum amoueamus in prima eius operatione omnia extrinſeca, & non eſſentialia, ſolis attributis eſſentialibus remanentibus, adhuc Petrus, & Antonius ſunt ſimiles formaliter, & relatiue, homoq; & leo diſſimiles, nam Petrus, & Antonius habent conformes, & eaſdem naturas in attributis eſſentialibus: homo vero ac leo diſſimiles, & differentes in eiſdem, ergo hæ relationes identitatis, & diuerſitatis ſpecificæ non erunt prædicamentales.

1. Argum.

Solutio.

Quod ſi quis dicat. Abſtractis omnibus extrinſecis, & non eſſentialibus ab his ſubiectis, fore illa ſimilia, & diſſimilia fundamentaliter, & non formaliter, aut relatiue, contra ita ago.

Refuta.

In Petro, & Antonino datur ſubiectum, datur fundamentum, datur terminus relationis formalis ſimilitudinis, & conuenientæ ſpecificæ his omnibus amotis: ſubiectum enim eſt ipſe Petrus, fundamentum eſt illius natura, terminus autem eſt natura quæ in Antonio reperitur: ſed in qualibet relatione poſito ſubiecto (vel extremo) fundamento, & termino, debet illa neceſſario formaliter poni, nam ad hæc tria cōſequitur naturali quadam, & ſimplici reſultantia: ergo Petrus, & Antoninus erunt ſimiles, formaliter, & relatiue, & non tantum fundamentaliter.

2. Argum.

2. Relatio prædicamentalis, vt inhæreat ſubiecto, eget aliquo fundamento, eſt enim tam exiguæ, & minimæ entitatis, vt per ſe ipſam illi inhærere nulla ratione queat: ergo nulla relatio prædicamentalis immediate fundabitur in ſubſtantia, nam ſi immediate fundaretur immediate quoq; inhæreret. Et confirmatur arg. Non eſt maior ratio ob quam quædam relationes inhæreant ſubſtantiæ medio fundamento, & aliæ non inhæreant: ſed relationes æqualitatis, & ſimilitudinis in qualitate inhærent ſubſtantiæ medio aliquo fundamento, ergo & omnes prædicamentales medio eodem inhærebunt. Quare ſi quæ fuerint quæ non inhærent (vt ſunt hæ relationes quæ immediate fundantur in ſubſtantia) non erunt illæ prædicamentales.

Percontatum.

Reſpon.

Si quis tamen roget in qua ergo categ hæ relationes continebuntur. Reſp. erit illas contineri in categoria ſubſtantiæ, quemadmodum & aliæ tranſcendentes continentur in categoria attributorum, in quibus fundantur, quare quemadmodum relatio identitatis ſpecificæ inter duas albedines, & diſſimilitudinis inter albedinem, & nigredinem continentur in categoria qualitatis, pari ratione relatio identitatis ſpecificæ inter Petrum & Antoninum, & diuerſitatis inter hominem & leonem continebuntur in categoria ſubſtantiæ.

Obiect.

Quod ſiquis obiiciat nobis aduerſus hæc auctoritatem D. Th. *q.* 8 *de poten. artic. 2. ad 1. 4. contr. gent. cap. 14. 1. ſent. diſt.* 20 *artic. 1 & diſt. 21. qu. 1. art. 2.* docentis in creaturis eſſe relationis diſtingui ab eſſe ſubſtantiæ, ac proinde hæ relationes identitatis non

Digitized by Google

Solutio. erunt ſubſtantiales. Reſp. D. Tho. non eſſe locutum de relationibus quæ fundantur immediate in ſubſtantia, ſed de illis quæ fundantur in aliquo accidente abſoluto, vt in quantitate, vel qualitate, quorum certe eſſe cum ſit accidentarium, vt eſſe ſuorum fundamentorum reipſa differet ab eſſe ſubſtantiali.

2. Concluſ. 2. *Concluſ.* Relationes tranſcendentes non continentur in hac categoria relatorum, ſed ſeſe illę per omnia rerum genera & categorias diffundent. Hæc apertior multo eſt quam ſuperior, & ab omnibus pari conſenſione recepta, *Confirm. concluſ.* ſuaderique poteſt breuiter in hunc modum. Relationes huius generis conſequũtur entitatem, & attributa eſſentialia cuiuſque rei: ſed entitas & eſſentia nullius categoriæ finibus circunſcribuntur, ſed ſeſe per omnia rerum genera diffunduni, ergo hæ relationes per omnes quoque categor. diuagabuntur. Vnde relationes identitatis, ſimilitudinis, diuerſitatis, & diſſimilitudinis in natura generica, ſpecifica, aut indiuiduali, non erunt in certa categ. comprehenſæ, ſed ſeſe per omnes diffundent, ac in ea collocabuntur, in qua naturæ ſimiles, aut diſſimiles continentur.

3. Concluſio. 3. *Concl.* Relationes ſecundum dici (vt nominibus Relatorum ſecundum dici explicantur) non continentur in hac categ. Hæc eſt aduerſus Venetum, & cum M. Soto Mercado, & aliis, *1. Argum.* confirmaturq; in hunc modum. 1. Vnaquæq; res continetur ſecundum eſſentiam in ea categor. in qua iuxta ſuum præcipuum, & formale ſignificatum eſt contenta: ſed ſignificatum præcipuum ac formale harum relationum eſt natura quædam abſoluta, vt ſignificatum præcipuum ac formale ſcientię, eſt eſſe habitum, & qualitatem: ergo hæc relata non continebuntur in *2. Argum.* categor. relatorum. 2. Quia partes ſubſtantiæ vt teſtatur Ariſt. in fine huius categ. non continentur in categor. relatorum, at illæ ſunt relata ſecundum dici, nam id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, manus enim non eſt ſui ſed alterius manus, iam igitur relata ſecundum dici non *3. Argum.* continebuntur in hac categoria. Addimus (ex vltimas categ. denotare relationem ſecundum dici, quæ tamen non continentur in hac catego. ſed ſuas proprias, & peculiares conſtituunt cate- *Obſeru.* gor. Diximus autem vt nominibus relatorum ſecundum dici explicantur, nam ſi ſumptæ fuerint, vt exprimuntur alio nomine relatiuo, hæc relata in præſenti categor. collocabuntur. Illuſtremus rem hanc exemplo manus, quæ poteſt his duobus nominibus exprimi, nomine nimirum manus, & nomine partis: Si indicetur nomine manus, ſignificat in præcipua ſignificatione rem abſolutam, nimirum ſubſtantiam ipſam manus, denotando habitudinem quaſi per accidens, & ſecundario ad aliud, ſcilic ad animal: nam manus non eſt ſui ſed alterius manus: at ſi eadem indicetur nomine partis, exprimet in præcipua ſignificatione habitudinem ad aliud, imo nullam aliam naturam habebit quam ad aliud referri, nam totum eſſe partis eſt referri ad totum. Et hac ratione pars erit natura relata ſecundum eſſe. Vnde manus primo modo continebitur in categ. ſubſtantiæ: ſecundo vero, vt ſcilicet nomine partis ſignificatur, erit in hac categ. comprehenſa.

4. *Concluſ.* Solæ illæ relationes quæ fundantur in aliquo accidente abſoluto, continentur in hac categor. Confirmari poteſt imprimis ex Ariſt. qui 5. *lib. Metaphyſ. cap.* 15. agens de hac categ. ſolum in illa collocat relationes quæ fundantur in quantitate, qualitate, actione, & paſſione. *Deinde* quia omnis relatio fundatur vel in ſubſtantia, vel in aliquo accidente, probatum autem eſt in 1. concluſ. relationes quæ fundantur in ſubſtantia non eſſe prædicamentales, ſupereſt igitur confirmatum ſolas illas eſſe prædicamentales quæ fundantur in aliquo accidente abſoluto. *4. Concluſ.*

Rogabis tamẽ an in accidente relato poſſint hæc relationes fundari, vt an in paternitate, & filiatione v. g. poſſit aliqua relatio prędicamentalis fundari. Reſp in hac dubitatione eſſe diuerſa Philoſophorum placita, nam Sonc. 5 *Metaphyſ. quaſt.* 29. *ad* 1. negat fieri hoc poſſe. Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *qu.* 10. illud libenter admittit. Caiet. vero 1. *p. q.* 42. *art.* 1. *ad* 4. inquit poſſe in illa fundari, addit tamen non diſtingui hanc relationem, quæ fundatur à ſuo fundamento, vt oppoſitio quæ eſt inter paternitatem & filiationem, (quæ certe eſt relatio realis) fundatur in his relationibus, nec tamen ab illis reipſa differt. Mea tamen ſententia eſt, relationes prædicamentales non poſſe in aliis vllo modo fundari. *Primo* quia ſi fundarentur progrederemur in infinitũ, etenim ſi ſuper vnam prædicamentalem fundatur alia, & ſuper ſecundam alia tertia, ſupra tertiam quoq; poterit alia quarta fundari, & ſic in infinitum. 2. Quia D. Tho. 5. *Metaph. lectio* 17. profitetur relationem non poſſe fundari ſuper aliquam ex 6. vltimis categor. hauddubie non propter aliam cauſam, niſi quia illæ denotant aliquam relationem, nam de illis agens ſic habet. *Alia vero genera magis conſequuntur relationem quam poſſint relationem cauſare, nã quando conſiſtit in aliquali relatione ad tempus &c.* Legendus eſt Ferrar. 4. *cõtra gent. c.* 14. Alias vero tranſcendentes dimus fundari poſſe in rela- *Percunta. optima.* *Noſtra Opinio.* *1. Argum.* *2. Argum.*

tionibus

tionibus prædicamentalibus, habent ſiquidem relationes prædicamentales attributa in quibus conueniant, & in quibus differant, in quibus poſſunt fundari relationes identitatis, ſimilitudinis, diuerſitatis, & diſſimilitudinis. Vnde relatio oppoſitionis quæ fundatur in paternitate, & filiatione, non erit prædicamentalis, ſed tranſcendens: nam fundatur in diſſimilitudine, & diuerſitate naturæ, quæ inter paternitatem, & filiationem intercedit: quare quemadmodum binarius non eſt vnus vnitate quantitatis, ſed tranſcendenti, ita duæ relationes non ſunt ſimiles, aut diſſimiles, relatione prædicamentali, ſed tranſcendenti.

Ad ratio. dubitan. Supereſt ſatisfaciamus argumento quod in initio propoſuimus, cui Simplicius, & B. Alber. Mag. reſp. ſcientiam, & ſenſum poſſe ſumi aut in ordine ad ſubiectum, aut in habitudine ad obiectum. 1 Modo ſunt qualitates, nam ſcientia eſt habitus diſponens ſubiectum ad recte, & facile intelligendum, ſenſus vero eſt facultas quædam inſita à natura ad opus aliquod moliendum. In ordine tamen ad obiecta ſunt relata, & ab Ariſt. in hac categor. comprehenſa. Verum quia ex eorum opinione ſequi videtur relata ſecundum dici contineri in hac categ. quod pugnat cum his quæ nos docuimus, rectius multo reſp. cum Ammonio Ariſt. ad labefactandam hanc diffinitionem à veteribus propoſitam collocaſſe ſcientiam, & ſenſum in hac categor. etenim ſi illa diffinitio eſſet optima, etiam ſcientia, & ſenſus eſſent relata, quia id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, quod cum ſit falſum, propoſita diffinitio non erit accommodata. Ex qua collectione tacite reprehendit Ariſt. propoſitam diffinitio. tantum abeſt, vt ex illius ſententia inferamus ſcientiam, & ſenſum eſſe relata, vt contrarium potius colligere debeamus: qua eadem ratione intelligi debet in categor. qualitatis aſſerens ſcientiam eſſe relationem, hoc enim intelligi debet, non abſolute, nec iuxta propriam opinionem, ſed iuxta propoſitam à veteribus diffinitionem.

QVÆSTIO VII.

An prima proprietas recte fuerit tradita ab Ariſt.

NOn eſſe recte traditam primam proprietatem (nimirum relatis aliquid eſſe contrarium) confirmare poſſumus ex eodem Ariſt. *in categ. ſuperiori de quantitate*, vbi inquit magno, & paruo nihil eſſe contrarium, cum ſint relata. *1. Obſeru.* In explicationem tamen huius proprietatis animaduertimus primo. Relata duobus modis ſumi poſſe, aut ratione ſui, & habitudinis quã denotant ad ſuos terminos, aut ratione fundamenti cui innituntur, vt ſimilitudo ſumi poteſt, aut ratione ſui, aut ratione albedinis cui innititur. Illud etiam adnotandum eſt eſſe quatuor genera contrariorum propoſita ab Ariſt. *in Poſtcateg. cap. de priori*, nimirum contraria ſeu aduerſa, vt albedo, & nigredo: priuantia vt cæcum, & videns: relata vt pater & filius: & contradicentia vt homo, & non homo. *2. Obſeru.*

His animaduerſis ſit 1. concluſio. Relata ratione ſui contrariantur relatiue. Hæc ab omnibus eſt conceſſa, & confirmatur, quia inter ſpecies contrarietatis numerat Ariſt. ipſa relata. Vnde pater opponetur filio, & diſcipulus magiſtro, & ſic de aliis, quæ certe contrarietas omnibus relatis, tam ſecundum eſſe quam ſecundum dici, adaptatur. *1. Concluſio*

2. *Concluſ.* Relatis ſecundum eſſe, nihil eſt contrarium ratione ſui, vel formaliter (ea ſubintellige contrarietate, de qua loquutus eſt Ariſt. quæ ſignificat oppoſitionem duorum extremorum, quæ eidem ſubiecto viciſſim ineſſe poſſunt, à quo mutuo ſe expellunt niſi alterum inſit a natura (Hanc D. Thom. *opuſc. 48 cap. de relatis. Caiet. M. Soto, Toletus, Canterus, Louanienſes*, omneſque alii cum eis hoc profitentur, confirmariq; poteſt, quia pater & filius reſpectu eiuſdem non poſſunt ſucceſſiue eidem ſubiecto ineſſe, neque ab eodem ſubiecto ſe mutuo expellere, idemque iudicium eſt de aliis omnibus relatis. *2. Concluſ.*

3. *Concluſ.* Relatis ſecundum dici competit ratione ſui, vel formaliter contrariari contrarietate ſupradicta. Confirmatur ex exemplis propoſitis ab Ariſtot. adducit enim exempla de virtute, & vitio: de ſcientia & ignorantia, quæ formaliter & ratione ſui inter ſe contrariantur: nam virtus contrariatur vitio, & ſcientia ignorantiæ. Et certe cum hæc relata ſint proprie & in rigore qualitates, vt iam in ſuperioribus oſtendimus, nihil mirum ſi ipſis ratione ſui aliquid vera contrarietate opponitur. *3. Concluſ.*

4. *Concluſ.* Relatis etiam ſecundum eſſe ratione ſui fundamenti eſt aliquid vera contrarietate contrarium. *Ita Ammo. Simpl. Boet. B. Albert. Magn. Caiet. tandemque omnes in huius loci commentar.* Confirmatur, quia ſæpe fundamenta relationum ſecundum eſſe ſunt contraria vera, & legitima contrarietate, ſicut fundamenta ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, ſunt enim illa candor, & ator. Hæc tamen contrarietas non poteſt omnibus relatis conuenire, his namque non conuenier, quæ in quantitate fundantur, vt æquali, & inæquali, ſimplo, & duplo, ac ſic de aliis quia fundamentum harum rela- *4. Concluſio*

tionum, quod eſt quantitas nullum habet contrarium. Quare non attribuetur relatis, vt proprietas cum neque omni, neque ſoli conueniat, ſed vt accidens quoddam commune quibuſdam ſolum relatis conueniens. Concludendumque erit cum acutiſſimo Caietano hæc relata quibus eſt aliquid contrarium nihil habere ſibi oppoſitum formaliter, bene tamen aliquid materialiter.

Ad argu. Ad argu. igitur reſpon. magnum, & paruum fundari in quantitate, cui nihil eſt contrarium, ac proinde neque materialiter eſſe inter ſe contraria, quia hæc contrarietas illis ſolis relatis poteſt conuenire, quorum fundamenta inter ſe ſunt contraria.

QVÆSTIO VIII.

Sitne ſecunda proprietas recte ab Ariſt. tradita.

Argum. OFfert ſe aduerſus hanc proprietatem huiuſmodi arg. Vel relata recipiunt magis, & minus, ratione ſui, vel ratione ſui fundamenti, ſi ratione ſui, non eſt maior ratio quare quædam relata recipiant illud, alia vero nequaquam ſint eiuſdem ſuſceptiua: quod ſi id euenit ratione fundamenti, iam igitur non adaptatur hæc proprietas his relatis æquali nimirum, & inæquali, quę non ſuſcipiunt magis, & minus, quoniam quantitas quæ eſt fundamentum ipſorum nequit illud recipere. Minus itaque accommodate conſtitutum erit ab Ariſtot. æquale & inæquale recipere magis, & minus.

Opinio commun. In hac quæſtione cõmunis opinio eſt *Porphy. Ammo. Simpl. Boetii, B. Alb. Mag. Caieta. M. Soto & omnium recentiorum* hanc proprietatem non conuenire relatis ratione ſui, ſed ratione ſui fundamenti, vnde illa relata quorum fundamenta recipiunt magis, & minus, & ipſa quoq; recipient magis, & minus: & illa quorum fundamenta magis, & minus recipere non poſſunt, etiam nec ipſa magis & minus ſuſcipere poterunt.

Obſerua. Vt tamen hanc litem dirimamus animaduertimus fundamenta relationum poſſe ſubire mutationem aliquam, aut ſecundum magis, & minus, aut ſecundum maius & minus, vel paruius (his enim vocibus Dialect. vtuntur.) Illa fundamenta ſubeunt mutationem ſecundum magis, & minus, quę habent verum contrarium cum quo permiſceri queant: etenim ex maiori vel minori permixtione vnius contrarii cum altero, augmentum, & decrementum qualitatum ortum habent, ſicut ex Ariſt. 5. Phyſ. cap. 2. haud obſcure licebit colligere. Illa vero mutantur ſecundum maius, & paruius, quæ apta ſunt contrahi aut dilatari, quæue aliquam poſſunt latitudinem obtinere, qua ratione quantitas ſubiacet mutationi, cum poſſit illa contrahi aut dilatari, fieriq; nunc maior, & poſtmodum minor.

1. Concluſ. Hoc animaduerſo ſit prima concluſio. Nullum relatum ſecundum eſſe, ratione ſui, & formaliter, ſuſcipit magis, & minus. Hæc eſt D. Th. 12. qu. 82. *art. 4. Videnda eſt tabula illius V. Relatio numero 62.* Confirmaturque quia relationi rationi ſui, & formaliter nihil contrariatur, vt conſtat ex ſuperiori quæſt. igitur neq; ſuſcipiet illa magis, & minus. Confirmatur conſequen. quia magis, & minus in accidentibus, ex maiori, vel minori permixtione vnius accidentis contrarii, cum alio oppoſito ortum habet, *vt 5. Phyſ. cap. 2.* docebat Ariſt.

2. Concluſ. 2. *Concluſ.* Non omnia relata recipiunt magis, & minus ratione fundamenti. Hæc manifeſte ſatis ſuaderi poteſt in duplo, triplo, & aliis huiuſmodi relationibus, etenim horum fundamentum inuariabiliter, vnoque ſemper, ac eodem modo ſeſe habet, nam duplum illud dicitur quod bis adæquat rem aliquam, & triplum quod ter eandem comprehendit, quod profecto eodem modo ſeſe habet ſemper: at quod ſemper eodem modo ac inuariabiliter ſeſe habet, nulla ratione poterit magis, & minus, imo neq; maius, & minus ſuſcipere. Eſtque hac ratione intelligendus Ariſt. inquiens non omnibus relatis hanc proprietatem conuenire, nimirum ratione fundamenti, dubium enim non eſt quin omnibus ratione ſui adaptetur.

3. Concluſio. 3. *Concl.* Multa ſunt relata quæ recipiant magis, & minus ratione fundamenti. Confirmatur in ſimilitudine & diſſimilitudine, nam quædam ſunt aliis ſimiliora, & alia ſunt eiſdem diſſimiliora, quod certe nõ aliunde quam à fundamentis ortum habet: etenim quia fundamenta (candor nimirum, & ator) ſuſcipiunt magis, & minus, & hæ relationes ſuſcipiunt quoq; magis, &

Obiect. minus. Sed contra eſt argum. Æqualitas, & inæqualitas (quæ ſunt relata) recipiunt magis, & minus, vt in hoc loco docet Ariſt. & non ratione fundamenti, illud enim eſt quantitas, quæ non recipit magis, & minus, non igitur relata cum ſuſcipiunt magis, & minus, illud ratione fundamenti ſuſcipient. Huic tamen Ammonius, multique cum eo reſpondent, falſum eſſe æqualitatem, & inæqualitatem, recipere magis, & minus: & ad Ariſt. hoc docentem reſpondent, ipſum non ex propria opinione, ſed ſeſe ad captum vulgi, & modum loquendi illius accommodantẽ, hoc docuiſſe: vulgares enim homines non ſolum illa quæ nihil inter ſe, verum & quæ parum diſtant, vocant æqualia. Verius tamen cum Caietano dicimus hæc etiã ratione funda-

ment

menti recipere magis & minus, non quod fundamentum recipiat magis & minus: ſed quod recipiat maius & paruius, ſat enim eſt ad hoc, vt relatio recipiat magis & minus, quod fundamentum recipiat maius & paruius, neque neceſſe eſt, vt recipiat magis & minus: quare cum quantitas recipiat maius & paruius, æqualitas & inæqualitas magis ac minus recipient, nam illa erunt magis æqualia, quorum quantitates minus ſe ſuperabunt, & illa inæqualia, in quibus vna quantitas alteram vincet & ſuperabit. Itaque ex relatis quædam recipient magis & minus ratione fundamenti, quia illud recipit magis & minus, cuiuſmodi ſunt illa quæ fundantur in qualitate, & alia, quia fundamentum eorum ſuſcipit maius & minus, vt ſunt alia, quæ fundantur in quantitate. Ad argumentum igitur ex his, quæ diximus, conſtat, quid ſatisfacere debeamus.

QVÆSTIO IX.

Sitne tertia proprietas optime aſſignata.

VLterius progrediamur in explicandis proprietatibus relatorum, examinemusque, num tertia proprietas ſit recte aſſignata, necne? Ea autem erat, relata inter ſe dici ad conuertentiam, quam relatis non conuenire, con-
1. Argum. firmo primo. quia homo & riſibilitas non ſunt relata, quæ tamen duo inter ſe conuertuntur, & reciprocantur, nam ſi homo eſt, & riſibilitas quoque eſt, & ſi hæc fuerit, & homo quoque
2. Argum. eſſe debet. 2. Quia album & albedo non ſunt relata, quæ tamen inter ſe reciprocantur, nam ſi albedo eſt, album eſt, & ſi album fuerit, & al-
3. argum. bedo proculdubio erit. *Tertio* confirmatur, conuenire non ſolis relatis ſecundum eſſe, ſed etiam & relatis ſecundum dici ex ipſomet Ariſtotele, qui adducit exemplum de ſcientia & ſcibili, quæ ſunt relata ſecundum dici.

.Opinio. Propter hæc, & alia huius generis argumenta diſceptatio eſt, num hæc proprietas ſolis & omnibus relatis conueniat, necne? M. Sotus *q.1.* & Veracruce *q.1.* exiſtimant, non ſolis relatis, verum & denominatiuis etiam omnibus conuenire, quæ quidem inter ſe conuerti, & reciprocari, conſtat de albedine & albo, quæ ita ſunt inter ſe affecta, vt ſi vnum fuerit, debeat &
.Opinio. aliud eſſe. Contra tamen ſentiunt Caietan. Louan. Cante Villalpand. *in comment.* & Toletus *q.2 ad* 3. aſſerentes, ſolis relatis, & non omnibus, ſed illis tantum, quæ ſunt ſecundum eſſe conuenire.

Obſer. Hanc igitur ſententiam vt explicemus, ſciendum eſt ex B. Alberto Magno, & Caietano, hæc tria, conuerſionem, conuertibilitatem, & conuertentiam, eſſe inter ſe diſtincta, & ſeparata. Conuerſio eſt proprietas quædam propoſitionum, quæ nihil aliud eſt, quam mutatio quædam ſubiecti in attributum, & attributi in ſubiectum intra propoſitionem. Conuertibilitas vero proprietas quædam eſt terum ſimplicium, quæ nihil eſt aliud, quam mutua quædam duarum vocum rerumque ſignificatarum per eas reciprocatio, qua ratione homo & riſibilitas conuertuntur, nam ſi homo eſt, riſibilitas eſt, & ſi riſibilitas fuerit, & homo quoque debet eſſe. Conuertentia denique, ſeu, quod idem eſt, dici ad conuertentiam, nihil aliud eſt, quam ita exprimi vnum extremum per habitudinem ad aliud, vt illud etiam econtra per habitudinem ad ipſum exprimatur, qua ratione pater dicitur ad conuertentiam de filio: nam ita exprimitur per habitudinem ad filium, vt filius per eandem habitudinem ad ipſum exprimatur.

Vt tamen aliqua ad conuertentiam dicantur, nonnulla requiruntur ex Villalpando, Cantero, & aliis. Obſer. alia. *Primum*, quod ſint extrema paria & æqualia inter ſe, quod colligitur ex Ariſt. qui inquit, alam non referri ad auem, neque cum illa conuerti, eo quod alterum extremum, ſcilicet habere alas, latius patet, quam auis, nam ſcarabei habent alas, qui tamen non ſunt aues. *Secundo* requiritur, vt vnum denotet habitudinem ad alterum: etenim quamuis aliqua extrema ſint paria & æqualia, ſi tamen non dicant mutuam habitudinem inter ſe, non dicentur ad conuertentiam, & ob huius defectum homo & riſibile, quamuis ſint extrema paria & æqualia, non dicentur ad conuertentiam, quia non denotant inter ſe aliquam habitudinem. *Tertio* requiritur, vt, quæ ad conuertentiam dicuntur, ita ſe habeant, vt vnum non ſit cauſa alterius, & hinc fit, vt album & albedo non dicantur ad conuertentiam, quia albedo eſt cauſa albi. *Quarto* requiritur, vt vnum ſine altero nec diffiniri, nec intelligi poſſit, ſed vt deſtructo vno, neceſſario & alterum deſtrui debeat. Hæ igitur quatuor conditiones ſunt omnino & abſolute neceſſariæ ad id, vt aliqua dicantur ad conuertentiam, ita vt ſi aliqua illarum defuerit, nequaquam illa ad conuertentiam dici vllo modo queant.

Iam ſit prima concluſio. Reciprocari & conuerti ſimpliciter & abſolute, non eſt proprietas relatorum. 1. Concl. Confirmatur, quia multa inter ſe conuertuntur (vt ſubiectum & proprietates, & alia) quæ non ſunt relata: dantur etiam in propoſitionibus, & in vocibus ſimplicibus

mutuæ reciprocationes (vt obſeruauimus) in quibus nulla relatio reperitur.

1. Concl. 2 *Concluſio.* Dici ad conuertentiam, ſolis relatis poteſt conuenire, vnde proprietas erit relatorum hoc modo dici. Confirmatur imprimis auctoritate Ariſt. qui ita dici attribuit relatis, tanquam proprium: tum etiam, quia dici ad conuertentiam denotat habitudinem vnius ad alterum, ita vt ex vi illius alterum quoque ad ipſum referatur, at hoc ſolis relatis poteſt conuenire.

3. Concl. 3 *Concluſio.* Hæc proprietas tantum conuenit relatis ſecundum eſſe. Hanc Archytas olim (vt teſtatur Simplicius) profeſſus fuerat, quã ipſe Simplicius, & alii in ſecunda opinione recenſiti profitentur. Confirmaturque *primo*, quia in relatis ſecundum dici vnum illorum non ita refertur ad alterum, vt alterum viciſſim ad prius referatur, vt ſcientia non ita refertur ad ſcibile, vt ipſum ſcibile ad ſcientiam quoque referatur, nam ſcibile non eſt relatum, quia referatur ad aliud, ſed quia terminat alterius relationem ad ſe, vt auctor eſt Ariſt. *5. Metaphyſ. cap. 15.* at vero dici ad conuertentiam, eſt ita referri ad alterum, vt alterum etiam ad ipſum referatur. *Secundo*, quia illa non dicuntur ad conuertentiam, quæ poſſunt abinuicem ſeparari, & quorum vnum eſt cauſa alterius, vt obſeruauimus: ſed in relatis ſecundum dici vnum poteſt ab altero ſeparari, vt ſcibile à ſcientia, vnumque eſt alterius cauſa, nam ſcibile, v. g. cauſa eſt ſcientiæ, & ſenſile cauſa ſenſus, ergo relata ſecundum dici non dicentur ad conuertentiam, ſed illa ſola duntaxat, quæ ſunt relata ſecundum eſſe. Quod ſi quis obiiciat nobis auctoritatem Ariſt. proponentis exempla de relatis ſecundũ dici, vt de ſcientia & ſenſu, reſpond. erit Ariſtot. non ex propria opinione, ſed ex veterum ſententia hoc docuiſſe, nam iuxta primam diffinitionem à veteribus propoſitam, ſequitur, hæc eſſe relata, vt ſæpe docuimus, ac proinde ſequitur, etiam illa dici ad conuertentiam. Itaque concludendum erit, conuerſionem & conuertibilitatem aliis à relatis conuenire: dici vero ad conuertentiam ſolis relatis ſecundum eſſe.

1. Argum. 2. Argum.

Ad argum. ex his facilis eſt ſolutio. *Ad primum* dicimus, hominem & riſibilitatem conuerti inter ſe, non tamen dici ad conuertentiam, quia dici ad conuertentiam eſt referri in aliquem, tanquam in terminum; at homo non ita refertur ad riſibile, nec è conuerſo. *Ad ſecundum* eodem modo dicimus, album & albedinem inter ſe reciprocari, non tamen dici ad conuertentiam, quia neutrum in alterum refertur, tanquam in terminum. *Ad tertium* ſatisfecimus in quæſtione.

Ad 1. arg. Ad 2. Ad 3.

QVÆSTIO X.

An relata ſint ſimul natura.

Eſt etiam proprium relatis, eſſe ſimul natura, vt Ariſt. docebat in cap. quam proprietatem nunc examinare inſtituimus, conueniatne omnibus & ſolis relatis, necne? Quam non conuenire omnibus & ſolis relatis, confirm. primo, non conuenire omnibus, tum de cauſa & effectu, quæ ſunt vere relata, cum tamen cauſa ſit prior natura ſuo effectu; Tum etiam de relatione prioris & poſterioris, quæ ſunt veræ relationes, ex quibus relatio prioris eſt prior relatione poſterioris. Et tandem de relatis tertii generis, quæ ſunt vere relata, & non ſunt ſimul natura, nam ſcibile eſt prius natura ſcientia, & ſenſibile ſenſu, vt Ariſtoteles docet, & multis verbis confirmat in hoc cap. Deinde non conuenire ſolis confirmari poterit, de differentiis diuidentibus aliquod genus, & de ſpeciebus ab eis conſtitutis, quæ ſunt ſimul natura ex Ariſt. in poſtcategor. cap. de ſimul, & non ſunt relata.

1. argum. 2. argum. 3. argum. 4. argum.

In hac quæſtione de relationibus primi & ſecundi generis nulla eſt diſceptatio, omnia ſiquidem illa cum ſint mutua, & ad inuicem conuertantur, ſunt ſimul natura, hæcque eſt communis omnium Philoſophorum ſententia atque opinio, de qua legendus eſt Scotus, *quæſt. 27. prædicament.* Tota igitur controuerſia eſt de relatis tertii generis, quæ nimirum fundantur in menſura & menſurabili, num ſcilicet illa ſint ſimul natura, necne? Ratio autem, quæ huic dubitationi præbuit occaſionem, eſt Ariſt. qui in hac categoria, poſtquam docuit, hanc proprietatem relatis conuenire, excepit ſcientiam & ſcibile, ſenſum, & rem, quæ ſentitur, quæ cum ſint relata tertii generis, videtur hæc proprietas huius generis relatis nullo modo conuenire. Vt igitur dubitationem hanc diſſoluamus, annotandum eſt cum Caietano acutiſſimo, extrema huius relationis poſſe ſumi aut debite, aut indebite: ſumuntur debite, quando vtrumque ſumitur eodem modo, vt quando vtrumque ſumitur actu, aut vtrumque poteſtate: ſumuntur autem indebite, quando diuerſo modo vſurpantur, vt quando vnum eorum ſumitur actu, & alterum poteſtate. Sumamus exemplum in ſcientia, & re, quæ ſcitur, hæc extrema ſumuntur debite, quando vtrumque ſumitur actu, vt quando ſumimus ſcientiam in actu, & rem, quæ ſcitur, in actu: ſumuntur vero indebite, quando ſcibile

Obſeruat. ex Caiet.

Digitized by Google

biſe ſumitur actu, & ſcientia poteſtate, vel e conuerſo. Quo animaduerſo, litem hanc his aſſertionibus diffinimus.

1. Concluſio. *Sit prima.* Si hæc relata indebite ſumantur, non ſunt ſimul natura. Hanc aperte docet Ariſtot. in eo, inquiens ſcibile & ſcientiam, ſenſum, & ſenſile, quæ ſunt relata huius generis, non eſſe ſimul natura, qui profecto intelligi debet de his relatis indebite ſumptis, nam ſi illa debite ſumantur, quam ſit hoc falſum, in concluſione ſequenti oſtendemus. Confirmarique poteſt ex eo, quod illa ſunt priora natura, a quibus ad alia non valet ſtatus conſequẽdi: at a ſcibili ad ſcientiã, a ſenſili ad ſenſum, non valet huiuſmodi ſtatus: non enim valet, ſenſile eſt, ergo ſenſus eſt; neque, ſcibile eſt, ergo ſcientia eſt, quia quadratura circuli eſt ſcibilis, de qua tamen nulla extat ſcientia ab aliquo hactenus recte excogitata. Deſeruiunt etiam ad hanc concluſionem ſuadendam alia argumenta ab Ariſt. in hac categoria propoſita.

2. Concl. *2. Concluſio.* Si hæc relata debite ſumantur vtrumque in actu, aut vtrumque in potentia, ſunt ſimul natura. Profitentur hanc Caietan. M. Sotus q. 1. Veracruce q. 1. Toletus, imo D. Thom. & D. Auguſt. in eadem extiterunt opinione, nam D. Thom. 1. *p. q.* 13. *artic.* 7. *ad* 6. explicans, qua ratione ſcibile & ſcientia ſunt ſimul natura, ita habet: *Scibile ſecundum modum ſuæ ſignificationis præexiſtit ſcientiæ, ſed ſi accipiatur ſcibile ſecundum actum, tunc eſt ſimul cum ſcientia ſecundum actum.* Et D. Auguſtin. *in ſuis categoriis, cap.* 11. in hæc verba loquitur: *Simul namque vt ſcibile eſſe cœpit, habuit ſcientiam ſui, ſed nondum operatione monſtrata eſt, non ergo tunc eſſe cœpit ſcientia eius, quando cœpit operari, ſed cum ipſo ſcibili orta eſt, & operatio poſtea eſt conſecuta.* *Tom. 1.* Confirmaturque in hunc modum. *Confirmatur concluſio.* Omnia relata mutua ſunt ſimul natura, ſed hæc relata ita ſumpta ſunt mutua, ergo erunt ſimul natura. Propoſitio eſt aperta, confirmatur aſſumptio. Illa ſunt relata mutua, quę dicũtur ad conuerſentiã, ſed hæc relata ita ſumpta dicũtur ad conuerſentiã, nam recte ſequitur, eſt ſcibile poteſtate, ergo eſt de eo ſcientia poteſtate, & eſt ſcibile in actu, ergo eſt de eo ſcientia in actu, & econuerſo eſt ſcientia poteſtate, ergo eſt ſcibile poteſtate, & eſt ſcientia in actu, ergo eſt ſcibile in actu. Iam igitur hæc relata dicentur ad conuerſentiam.

Obiect. Quod ſi quis obiiciat: Omnis cauſa eſt prior natura ſuo effectu, ſed ſcibile poteſtate eſt cauſa ſcientiæ poteſtate, & ſcibile in actu eſt cauſa ſcientiæ in actu, ergo ſcibile poteſtate erit prius natura ſcientia poteſtate, & ſcibile in actu ſcientia in actu, ac proinde non erunt hæc ita ſumpta ſimul natura. *Solutio.* *Reſp.* ſcibile poſſe ſumi, aut vt res quædam eſt, quæ nata eſt de ſe veram in intellectu generare opinionem, aut vt denotat habitudinem ad ſcientiam, aliquãdo quidem ſecundum actum, & aliquando ſecundum poteſtatem. Primo modo ſcibile cauſa eſt ſcientiæ, & eſt prius ipſa, altero vero modo non eſt illius cauſa, & eſt ſimul natura cum ea: at quando nos ſtatuimus, ſcibile & ſcientiam eſſe ſimul natura, agimus de his extremis iuxta habitudines & relationes, quas denotant, & non vt res quædam ſunt.

3. Concl. *3. Concluſio.* Eſſe ſimul natura, non conuenit ſolis relatis, ſed differentiis diuidentibus aliquod genus, & ſpeciebus ab huiuſmodi differentiis formatis, & multis etiam aliis rebus; de quibus in poſtcategoriis, cap. de iis, quæ ſimul eſſe dicuntur, explicabimus. Hanc aperte teſtatur Ariſt. in eo cap. ita dicens: *Atque etiam ea, quæ ex eodem genere quaſi ex altera parte diuidendo reſpondent, ſimul natura eſſe dicuntur.* In quibus verbis perſpicue ſatis docet, differentias, quæ diuidunt aliquod genus, eſſe ſimul natura. Quamobrem hæc erit proprietas ſecundo modo competens omni relato debite ſumpto, non tamen ſoli, cum aliis relatis nata ſit conuenire.

Sequitur vt argumenta, quæ propoſuimus, diluamus. *Ad 1. argum.* *Ad primum:* Iam ſatisfecimus in ſolutione obiectionis aduerſus ſecundam aſſertionem. *Ad 2.* *Ad ſecundum* reſpond. prius materialiter eſſe prius poſteriori, at relationem prioris eſſe priore relatione poſterioris, hoc eſt, quod diffitemur: quemadmodum pater materialiter (pro homine & ſubiecto, quod a paternitate pater nuncupatur) prior eſt filio, cæterum relatio paternitatis non eſt prior relatione filiationis. *Ad 3.* *Ad tertium* reſpond. ſcibile & ſcientiam, ſenſile & ſenſum, non eſſe ſimul natura, ſi indebite ſumantur, vnum ſcilicet ſecundum actum, & alterum ſecundum poteſtatem, eſſe tamen ſimul, ſi debite ſumpta fuerint. Ariſtot. autem inquiens, hæc extrema non eſſe ſimul natura, intelligi debet, ſi indebite ſumpta fuerint, vt expoſuimus. *Ad 4.* *Ad quartum*, ex vltima concluſione conſtat, quid ſatisfacere debeamus, admittimus enim libentiſſime, hanc proprietatem differentiis diuiden. aliquod genus, & ſpeciebus ab eis formatis conuenire.

SECTIO SECVNDA DE RELATIS, IN qua de fundamentis illorum diſputatur.

ARGVMENTVM.

De relatione, eiuſque natura & proprietatibus egimus in ſectione ſuperiori, conſequens eſt, vt de iis, quibus illæ innituntur tanquam fundamentis, & quorum ope in ſubiecto fulciuntur, in hac ſecunda ſectione diſputemus: tum & de aliis, quæ relationibus in habitudine ad ſua fundamenta nata ſunt conuenire.

SECT. II. QVÆST. I.

Sintne tria tantum fundamenta Relatorum.

IN ſuperiori ſectione abſoluimus ea, quæ ad naturam & proprietates relationis ſpectant, ſequitur, vt de fundamentis illius in hac ſecunda diſputemus, inprimiſq; denturne tria fundamenta relationis, quæ ab Ariſt. *5. Metaphyſ. cap. 5.* tradita fuere. Et quidem non eſſe hæc fundamenta recte tradita, his argumentis poſſumus demonſtrare.

1. Argum.

Primum eſt. Vel relatio differt re ipſa à ſuo fundamento, vel non differt, ſi non differt, ergo non conſtituet illa certam categoriam, ſed ſeſe per varias categorias (quemadmodum & fundamenta) diffundet, quod cum ſit falſum, ſequitur, non eſſe aliqua fundamenta relationibus aſſignanda: ſi vero ab eodem diſtinguatur, tanta erit diſtinctio inter relationes ipſas, quanta eſt inter earum fundamenta, quare cum fundamenta ſint genere & categoria diſtincta, vt quantitas genere differt à qualitate, & hæc ab actione & paſſione, ita etiam & relationes, quæ his fundamentis innituntur, differunt genere ſupremo categoriæ, atque ita ſimilitudo genere categoriæ differt ab æqualitate, quod cum ſit abſurdum, ſequitur, non eſſe aliqua fundamenta relationibus aſſignanda.

2. argum.

2. Tertius modus relatorum eſt ſecundum menſuram & menſurabile, ſed primus modus eſt etiam ſecundum mẽſuram & menſurabile, vt omnibus eſt notiſſimum, cum ſit hic modus ſecundum numerum & vnitatem, quibus maxime conuenire rationem menſuræ (præcipue vero vnitati) auctor eſt Ariſt. *10. lib. Metaphyſ. cap.* 2 ergo tertius modus non differet à primo, ac proinde non ſunt hi modi recte aſſignati ab Ariſtot.

3. argum.

3. Relatio cauſæ ad effectum eſt relatio ſecundi ordinis, ſed relatio ſcibilis ad ſcientiam eſt relatio cauſæ ad effectum) etenim ſcibile eſt cauſa ſcientiæ) ergo relatio ſcibilis ad ſcientiam erit ſecundi ordinis, atque ita non diſtinguentur duo hi ordines.

De fundamentis relationum diſputat Ariſt. *5. lib. Metaphyſ. cap* 15. & illius interpretes, Diuus Thom. B. Albertus Magnus, vterque Alexander, Aphrodiſeus, & Alenſis, Auerroes, Sueſſanus, Aſcainus, & Fonſeca. Legendi ſunt etiam Iauellus *in eodem lib. q.* 21. Flandrenſis *q.* 16. *art.* 11. Scotus *q* 12. *&* 13. Antonius Andr. *a quaſt.* 12. *vſque ad quaſt.* 16. quorum vim & naturam, veſtigiis horum grauiſſiorum virorum inhærentes, his aſſertionibus explicamus.

Prima eſt. Si loquamur de fundamentis remotis, quatuor ſunt fundamenta relationis, ſubſtantia, quantitas, qualitas, vis agendi & patiendi. Confirmatur. In ſubſtantia fundatur relatio eiuſdem & diuerſi, nam illa ſunt eadem vel diuerſa, quorum eſt eadem vel diuerſa ſubſtantia: in quantitate fundatur relatio æqualitatis, vel inæqualitatis: nam illa ſunt æqualia vel inæqualia, quæ habent eandem vel diſtinctam quantitatem: in qualitate fundatur relatio ſimilitudinis & diſſimilitudinis: illa enim ſunt ſimilia, quorum eſt eadem qualitas, in vi agendi & patiendi, fundatur relatio paternitatis & filiationis, dominii & ſeruitutis, & aliæ huiuſmodi: nam in patre eſt vis generandi, & in filio vis patiendi, & vt generetur, ergo quatuor erunt fundamenta remota relationis. Animaduertendum eſt tamen hoc loco, nomine ſubſtantiæ vel qualitatis non eſſe intelligẽdam tantum veram ſubſtantiam, ſed etiam omne habens modum ſubſtantiæ, & nomine quantitatis eadem ratione, & ſic de aliis. 1. Conclufio.

2. *Concluſio.* Fundamenta proxima, vel mo- 2. Concl.

di fun-

Digitized by Google

di fundandi relationis, tantum ſunt tria, numerus & vnitas in quantitate, actio & paſſio, & menſura ac menſurabile. Inprimis numerus eſt fundamentum proximum relationis, quæ reperitur in quantitate, vt in relatione dupli & ſimpli, & tripli ad eius tertiam partem, & quadrupli ad quartam eius partem, fundamentum immediatum eſt numerus, ſecundum rationem exceſſus & defectus: nam omnes proportiones numerorum ſunt quædam relationes fundatæ in numero ſecundum rationem iam dictam, vt triplum fundatur in numero ea ratione, qua excedit alterum numerum in tertia eius parte. Dictum eſt etiam, vnitatem eſſe fundamentum proximum, vbi nomine vnitatis non ſolum intelligimus vnitatem quantitatiuam, ſed præcipue intellectam eſſe volumus vnitatem tranſcendentem: nam hæc vnitas tranſcendens in ſubſtantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate ſimile: & oppoſitum vnitatis in ſubſtantia facit diuerſum (oppoſitum autem eſt multitudo) in quantitate inæquale, in qualitate diſſimile. *Secundum* fundamentum proximum eſt actio & paſſio, vt fundamentum proximum paternitatis eſt actio generandi, filiationis vero paſſio, vt generetur. Docet tamen Ariſtoteles, relata huius generis diſtingui poſſe iuxta tres temporis differentias, in relata, quæ fundantur in actione præterita, præſenti, & futura, præterita, vt paternitas & filiatio, quæ fundãtur in actione generandi, quæ euanuit: præſenti, vt calefaciens actu, & calefactum, quæ fundatur in actione actu calefaciendi: futura, vt illud, quod poteſt calefacere, & quod poteſt calefieri, nam fundamentum horum relatorum eſt actio futura calefaciendi. *Tertium* fundamentum eſt menſura & menſurabile. Vbi annotat D. Thomas, nomine menſuræ non intelligi hoc loco menſuram catego quantit. ſed menſuram entitatis eſſe, & veritatis rei: huc referuntur ſcientia & ſcibile, ſenſus & ſenſibile: nam ſcibile eſt menſura ſcientiæ, talis enim eſt ſcientia, quale eſt ſcibile, & ſenſibile eſt menſura ſenſus, nam talis eſt ſenſus, quale eſt ſenſibile. Ex hoc triplici fundamento proximo colligunt omnes Philoſophi, tritam illam diuiſionem relatorum, in relata primi, ſecundi & tertii generis, vel ordinis. Relata primi generis ſunt illa, quæ fundantur in numero & vnitate: ſecundi ſunt illa, quæ fundantur in actione & paſſione, & tertii illa, quæ fundantur in menſura & menſurabili.

3. Concl. 3. *Concluſio.* Tantum ſunt tres modi relatorum iam dicti, neque his plures, neque pauciores poſſunt reperiri. Confirmatur his duobus argumentis. 1. *eſt.* Tot ſunt modi relatorum, quot ſunt modi, quibus vna res refertur ad alteram, ſed tribus modis poteſt vna res referri ad alteram, ergo tres erunt modi relatorum. Confirmatur aſſumptio. Vna res poteſt referri ad alteram, vel ſecundum eſſentiam & veritatem, vel ſecundum actionem & paſſionem, vel ſecundum aliquam menſuram extrinſecam quantitatis: ſi referatur ſecundum eſſe & veritatem, eſt tertius modus relatorum: ſi ſecũdum actionem & paſſionem, eſt ſecundus modus: ſi ſecundum aliquam menſuram extrinſecam quantitatis, eſt primus modus, ergo tres tãtum erunt modi relatorum. 2. *eſt.* Tot ſunt modi relatorum, quot ſunt fundamenta eorum: ſed tria tantum ſunt fundamenta relatorum proxima & immediata, ſcilicet numerus & vnitas, &c. ergo tria tantum erunt genera relatorum. Dubitabit tamen aliquis, qua ratione hi tres modi relatorum inter ſe diſtinguantur. Reſpõdemus inprimis diſtingui ratione mutuæ dependentiæ, & non mutuæ dependentiæ: nam relata primi & ſecundi ordinis mutuo inter ſe dependent, primi ordi. vt relatio ſimpli ad duplum, quia quemadmodum ſimplum depẽdet à duplo, ita quoq; duplum dependet à ſimplo: ſecundi vero ordinis, vt pater & filius: nam quemadmodũ pater dependet à filio, ita quoq; filius dependet à patre: at vero in relatis tertii ordinis non eſt mutua dependentia, nam ſcientia dependet à ſcibili, tanquam menſuratum à menſura, at vero ſcibile non dependet à ſcientia, vnde Ariſt. 5. *lib. Metaph. c. 15.* inquit, ſcibile eſſe relatum, non quia referatur ad ſcientiam, ſed quia ſcientia refertur ad illud. Diſtinguuntur præterea hi tres modi ratione fundamenti, quia primus modus fundatur in re præciſe categorię quantitatis, nempe in numero, vel vnitate, ſecundi vero ordinis fundatur in re præciſe categoriæ actionis vel paſſionis, at vero relata tertii ordinis fundantur in omnibus categoriis: nam in omnibus illis datur menſura & menſurabile, quælibet enim res cuiuſcunque categoriæ poteſt apprehendi ab intellectu, & menſurare illum ſecundum aliquem habitum ſcientiæ.

Supereſt, vt argumentis, quæ in initio propoſuimus, occurramus. *Ad primum* reſpondemus, parum referre, relationes diſtingui, aut non diſtingui a ſuis fundam. nam non eſt neceſſe, ſiue diſtinguantur, ſiue non diſtinguãtur, vt ſit tanta diſtinctio inter relationes, quanta eſt inter fundamenta: quemadmodum homo & leo diſtinguuntur per particeps & expers ra- *Ad 1. arg.*

 tionis,

tionis, neque tamen eſt neceſſe, vt tantum differant homo & leo, quantum differunt particeps & expers rationis: nam hæ duæ differentiæ ſunt primo diuerſæ, & differunt ſe totis, at vero homo & leo non differunt ſe totis, neque ſunt primo diuerſi. Pari etiam ratione, quamuis fundamenta relationis conſtituant diuerſas categorias non tamen eſt neceſſe, vt hi modi relatorum conſtituantur in diuerſis categoriis. *Ad 2.* reſpondemus ex D. Tho *in commentariis ill. us loci, ex 5. lib. Metaphyſ.* duplicem eſſe menſuram, vnam ſecundum quantitatem, & alteram ſecundum veritatem, qua media rem ita apprehendimus eſſe, ſicuti eſt. Menſura primo modo continetur in primo modo relatorū, menſura vero ſecundo modo cōſtituit tertiū modū, & quia duæ hæ menſuræ ſunt inter ſe diſtinctæ, propterea duo hi modi ſunt quoque inter ſe diſtincti. *Ad 3.* reſpondemus, rem, quæ ſcitur, & quæ ſentitur, poſſe duobus modis ſumi, primo, vt producunt ſpeciem in ſenſu, vel in intellectu. ſecundo modo, vt ſunt termini ſcientiæ & ſenſus, eo quod ita res vere apprehenduntur, vt ſunt à parte rei. Si primo modo ſumantur, relatio rei, quæ ſcitur, vel ſentitur, eſt relatio ſecundi ordinis, quia eſt cauſæ ad effectum: ſi vero altero modo vſurpentur, ſunt relata tertii ordinis, quia quod ſcitur & ſentitur, vt terminat actionem ſentiendi, & intelligendi, ſunt quædam menſuræ: nam tunc temporis vero iudicio rem ipſam per ſenſum, aut per intellectum apprehendimus, quando illam cognoſcimus, ſicuti eſt à parte rei. Quod ſi quis roget, num ſcientia ſit menſura rei, quæ ſcitur, an è conuerſo res, quæ ſcitur, ſit menſura ſcientiæ, necne? Alexander exiſtimat, ſcientiam eſſe menſuram, quia per illam cognoſcimus rem, quæ ſcitur: at vero Diuus Thomas cenſet rem, quæ ſcitur, eſſe menſuram, vtraque tamen opinio eſt vera, nam & per ſcientiam cognoſcimus ſcibile, & talis eſt ſcientia quale eſt ſcibile, & ita vnum eſt alterius menſura, quod dictum ſit de ſcientia ſpeculatiua, nam in practica (vt in artibus) ſcientia eſt menſura rerum, nam tales ſunt res, quales prius repræſentantur in idea exiſtente in mente artificis. Supereſt tamen quædam difficultas, antequam hinc abeamus, diſſoluenda. Idē, & diuerſum, non ſolum in categoria ſubſtantiæ, verum etiam & in aliis, præterea ſimile & diſſimile, non in ſola categoria qualitatis: adhæc æquale & inæquale in pleriſq; aliis à quantitate reperiuntur, non ergo recte cum Ariſtot. diximus, vnum in ſubſtantia facere idem, in quantitate æquale, & in qualitate ſimile. Reſpondemus, Ariſtotelem nomine ſubſtantiæ non ſolum veram ſubſtantiam, ſed quidquid habere poteſt modum illius intellexiſſe, & ſic de quantitate & qualitate. Vnde vnum in ſubſtantia, vel in habente modum ſubſtantiæ facit idem in quantitate, vel habente modum illius, æquale & inæquale in qualitate, vel in eo, quod affici poteſt illius modo ſimile: & quia habere modum ſubſtantiæ, quantitatis, vel qualitatis, ſeſe per varia rerum genera diffundit: propterea idem, ſimile, & æquale, in variis generibus reperientur. Legenda ſunt, quæ de hac re diximus *lib. 5 Tranſcendent. cap. vlt.*

Ad 2.

Ad 3.

Vid. Scot. lib. 5 meta. ph. q. 13.

Dubita.

QVÆSTIO II.

An relatio re ipſa diſtinguatur a ſuo fundamento.

NOn eſt leuis diſceptatio inter Dialecticos & Metaphyſicos, de diſtinctione relationis à ſuo fundamento, num ſcilicet inter hæc duo diſtinctio aliqua realis, vel ſola rationis intercedat, necne? Et quidem non diſtingui re ipſa relationem à fundamento, ſed ſola ratione, hæc argumenta aperte ſat s demonſtrare videntur.

1. Nulla entitas, quæ re ipſa differt ab alia entitate, poteſt ſubiecto abſque illius mutatione aduenire, ſed relatio (auctoribus Ariſtot. 5. *Metaph cap. 2.* D. Thom. *in comment illius loci, lect 3*) aduenit ſubiecto abſque eius mutatione, ergo relatio non differt re ipſa à ſuo fundamento. 1. argum.

2. Illa, quæ inter ſe re ipſa diſtinguuntur, poſſunt per diuinam Dei potentiam ab inuicem ſeparari, ſed relatio (v. g. ſimilitudinis) non poteſt ſeparari à ſuo fundamento. ſcilicet ab albedine, etenim ſi ſepararetur, ſequeretur, aliquid eſſe ſimile, & non eſſe ſimile: ſimile, quia adhuc in illis corporibus remaneret albedo, ad quam neceſſario ſequitur ſimilitudo, & non eſſe ſimile, quia ſeparata ſimilitudine, quæ eſt relatio, non poſſunt aliqua dici ſimilia, ergo relatio non differt re ipſa à ſuo fundamento. 2. argum.

3 Si relatio ſimilitudinis re ipſa diſtingueretur ab albedine, ſequeretur, in Petro albo ſingulis diebus ſingulas entitates, imo & innumeras oriri: nam ſingulis diebus fit ſimilis innumeris hominibus, & animalibus, quæ oriuntur alba, at hoc dicere eſt abſurdum: nam quis credet in aliquo homine ſingulis diebus tot entitates de nouo oriri? Non igitur relatio differet re ipſa à ſuo fundamento 3 argum.

Præterea. Si relatio ab illo diſtingueretur, efficeret haud dubie compoſitionem cum ſubiecto: 4. argum.

iecto: nam omne accidens ab alio diſtinctum ſubiecto inhærens, efficit cum illo compoſitionem accidentariam: at relatio nullam poteſt cum ſubiecto efficere compoſitionem, Petrus etenim poſtquam eſt pater, non eſt magis compoſitus, quam antequam eſſet, vt teſtatur D. Thom. *q. 7. de poten. art.* 8. ergo relatio non differet re ipſa à ſuo fundamento.

5. argum. *Ad hæc* Si relatio diſtingueretur ab eodem, ſequeretur, vt progrederemur in infinitum, quod certe admitti nullo modo debet, quod vero ſequatur, ita confirmo. Diſtinctio, qua diſtinguitur relatio à ſuo fundamento, eſt vera relatio: vel itaque hæc diſtinguitur à fundamento re ipſa, vel non diſtinguitur, ſi non diſtinguitur, aſſequimur inſtitutum: ſi vero diſtinguitur, ergo cum hæc ſecunda diſtinctio ſit relatio, quærendum erit de illa, an diſtinguatur à fundamento, necne? quod ſi non diſtinguitur, iam ergo erit relatio, quæ non diſtinguitur a fundamento, ſi vero diſtinguitur, ergo progrediendum erit in infinitum

6. argum. *Iam.* Quæ habent eaſdem differentias eſſentiales, non differunt re ipſa, ſed relatio & fundamentum habent eaſdem differentias eſſentiales, dictum enim eſt a nobis in ſuperiori q. relata iuxta rationem fundamenti eſſe diuidenda in relata primi, 2. & 3. ordinis, ergo, &c.

7 argum. *Iterum.* Qualitas eſt fundamentum alicuius relationis, ſed illa non differt re ipſa a relatione. ergo aliqua relatio non differt re ipſa a ſuo fundamento, ac proinde neque nulla. cum nō ſit maior ratio vnius, quam aliarum. Propoſitio eſt perſpicua. confirmatur aſſumptio, ex Ariſt. *lib. 7. Phyſ. cap.* 3. ita argumentante: Ad relationem non eſt per ſe motus, ſed habitus (qui eſt prima ſpecies qualitatis) non diſtinguitur re ipſa a relatione, ergo ad primam ſpeciem qualitatis non erit per ſe motus, ex qua argumentatione aperte conſtat (indicio Ariſt.) relationem non diſtingui re ipſa a qualitate

Vlt. argum. Ad extremum confirmatur auctoritate Diui Tho. qui variis in locis apertiſſime docet, relationem non diſtingui re ipſa a ſuo fundamēto, *5. Phyſ. cap 2. lect. 3. & 5. Metaphyſ. cap. 15. & opuſc 48. cap. 3 de relatis*, & in aliis locis citatis a Ferrarien. in loco infra proponendo. Ex his igitur colligere profecto licebit, relationem non re, ſed ſola ratione a ſuo fundamento differre.

1. Opinio. In hac quæſtione ancipiti, & apud ſuperiores Philoſophos multis clamoribus agitata, ſunt variæ, inter ſeque multum diſcrepantes ſententiæ. Prima eſt, quæ tuetur relationem, non re, ſed ſola ratione a ſuo fundamento differre, eſſeque ipſam & fundamentum rem vnam & eandem, vt ſimilitudinem (verbi gratia.) & albedinem. Sequuntur hanc Herueus 1. *ſentent. diſtinct 30. quaſt.* 1. Gregor. *in eodem lib diſtinct. 28. quaſt.* 2. Soncinas *5. Metaphyſ. q* 28. Iauellus *in eodem lib quaſt.* 22. M. Sotus *in quaſtione 2. huius categoria*, Barthol. Torres 1 *part. quaſt. 28. artic* 2. & Cumel *in commentar. eiuſdem loci, quaſt.* 6. & alii multi Philoſophi ex recentioribus. Secunda opinio eſt huic ex diametro oppoſita, omnem nimirum relationem a ſuo fundamēto eſſe re ipſa diſtinctam, quam amplexi ſunt illuſtres Philoſophi, Capreolus *in 1. diſtinct. 30. quaſt.* 1. Deça *ibidem, notabili* 2. Caietanus 1. *p. quaſt. 28. art.* 2. M Bannes *ibid. quaſt* 1 Ferrarienſis 4. *contra gentes, cap.* 14. Aquarius *5. Metaphyſ quaſt.* 19 Sueſanus *in eodem lib & quaſt.* quam vt veriorem multi grauiſſimi viri ex his, quorum opera nondum in lucem prodierunt profitentur. *2. Opinio.* Tertia opinio eſt inter duas extremas media Scoti *in 3. diſt. 1. q.* 1. & Scotiſt. diſtinguentium relationes in duo genera, nimirum in intrinſecus & extrinſe. aduenientes, ex relation. ſiquidem quædam ſunt, quarum fundamenta nullo modo poſſunt eſſe ſine ipſis relationibus, vt eſt relatio creaturæ ad creatorem, creatura enim ſine huiuſmodi habitudine cohærere nullo modo poteſt, aliæ vero ſunt, quarum fundamēta poſſunt eſſe ſine relationibus, vt ſunt ſimilitudo, & æqualitas: nam cādor, qui eſt fundamētū ſimilitudinis, & quātitas æqualitatis, abſque his relationibus exiſtere recte poſſunt. *3 Opinio.* Relationes prioris generis vocantur ab eis intrinſecus, poſterioris vero extrinſecus aduenientes. Conſtituunt itaque in relationibus intrinſecus aduenientibus, illas non diſtingui re ipſa a ſuis fundamentis, atque ita relatio creaturæ non differt re ipſa ab illa, in aliis vero extrinſecus aduenientibus, relationes re ipſa diſtingui a ſuis fundamentis. Ratio autem vtriuſque eſt vna & eadem: nam iuxta Scotiſtas ex ſeparatione vnius rei ab altera colligitur diſtinctio rei inter illa extrema, ex inſeparabilitate vero indiſtinctio vel identitas realis, quare cum in relationibus intrinſecus aduenientibus fundamentum non poſſit a relatione ſeparari, illa duo erunt vnum & idem: at cum in aliis extrinſecus aduenientibus fundamentum poſſit a relationibus ſeparari, illa duo re ipſa inter ſe diſtinguentur.

His igitur opinionibus recenſitis, vt quæſtionem hanc commodius diffinire valeamus, breuiter erunt nonnulla præfanda. 1. In relationibus duplex eſt fundamentum, proximum *1 Obſeruat.*

Digitized by Google

vnum, & alterum remotum: etenim cum relatio & ſit accidens, & tale accidens, quod refertur ad terminum, fundamentum nihil ius ea ratione, qua eſt accidens erit ſubſtantia, quæ omnium accidentium eſt commune ſubiectū. Fundamentum vero eiuſdem ea ratione, qua eſt tale accidens, vel erit quantitas, vel qualitas, vel actio & paſſio, vt in ſuperiori q. dedimus explicatum. Nam cum relatio inter omnia entia minimam & exiguam obtineat entitatem, ita vt ad entia rationis fere proxime accedere videatur, egebit fundamento aliquo eiuſdem generis accidentium, cuius ope poſſit ſubſtantiæ (quæ eſt omnium commune ſubiectum) inhærere. Ex his ſubſtantia eſt fundamentum remotum, quantitas vero, qualitas, actio & paſſio, proxima fundamenta nuncupantur. Quare in hac quæſt. in qua quærimus, an relatio diſtinguatur a fundamento, de vtroque inſtituimus diſputationem, tam ſcilicet de proximo, quam de remoto.

Obſer.

Alterum, quod præfamur, eſt, diſtinctionē rei eſſe quandā entis proprietatem, nam idem & diuerſum proprietates ſunt illius, ex his, quæ cum diſiunctione dicuntur: nam omne ens alteri comparatum, vel eſt idem, vel diuerſum ab eo: atque ita cum ens ex Ariſt. & D. Thom. aliquando eſſentiam, & aliquando non eam, ſed ſolam exiſtentiam ſignificet, vt abunde ſatis *libro u Tranſcenden. cap.* 3. docuimus, ita quoq; duplex erit diſtinctio rei, vna ſecundum eſſentiam, & altera ſecundum exiſtentiam. Secundum eſſentiam illa erit, quæ intercedit inter extrema rei, quorum eſſentiæ inter ſe diſtinguūtur, qua ratione actio & paſſio, materia & forma, re ipſa diſtinguentur, quia habent naturas & eſſentias rei, & inter ſe maxime diſtinctas: Secundum exiſtentiam vero illa re ipſa diſtinguuntur, quorum exiſtentiæ ſunt reales, & inter ſe realiter diſtinctæ, qua ratione quantitas & qualitas realiter differunt, quia habent exiſtentias inter ſe realiter diſtinctas, materia vero & forma non poſſunt inter ſe hoc modo diſtingui, quia vtriuſque eſt eadem exiſtentia, a forma promanans.

Diſtinctio valia alia ſ eſſentia, alia exiſtentia.

Obſer.

Illud etiam ſciendum eſt, relationes non habere propriam aliquam & peculiarem exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia ipſius fundamēti, quod certe quam ſit verum, ita poſſumus ſuadere. Exiſtentia accidentium eſt inhærentia eorum ſecundum actum in ſubiecto, vt in antecategoriis accidentium docebamus, ſed relationes non inhærent ſubiecto alia inhærentia, quam inhærentia ſui fundamenti: nam ſi inhærerent, poſſent abſque fundamento eſſe in illo: quemadmodum quia qualitates habent propriam inhærentiam diſtinctam ab inhærentia quantitatis, poſſunt eſſe in ſubiecto abſque quantitate. De ſpiritalibus enim qualitatibus hoc non eſt dubium, de corporeis vero ſaltem per potentiam diuinam hoc fieri poſſe, eſt probabile maxime, cum tamen impoſſibile ſit omnino, relationem (etiam per potentiam diuinam) a ſuo fundamento ſeparari.

: Argum.

2. argum.

Tum etiam, quia ſi relatio inhæreret ſubiecto per inhærentiam diſtinctam ab inhærentia ſui fundamenti, ſequeretur, vt efficeret cum ſubiecto aliquam compoſitionem accidētariam diſtinctam a compoſitione ſui fundamēti, quod certe pugnat cum decretis D. Thom. *q 7. de poten. art.* 8. Et tandem quia relatio eſt tam exiguæ & minimæ entitatis, vt per ſeipſam (niſi a fundamento adiuuetur) recipere ſubiectum nullo modo queat, quare cum hic reſpectus ſecundū actum ſit exiſtentia accidentium, profecto relationes non habebūt propriam & peculiarem exiſtentiam, ab exiſtentia ſui fundamenti re ipſa diſtinctam.

3. argum.

Obiectio.

Quod ſi quis dicat, omne accidens rei inhæret ſubiecto per propriam inhærentiam, at relatio eſt accidens rei (agimus de prædicamentali, de qua ſermo eſt inſtitutus,) ergo habebit illa propriam inhærentiam in ſubiecto. Reſpondemus, propoſitionem eſſe veram in accidentibus abſolutis, eſſe tamē falſam in aliis relatis: nam quemadmodum in ſubſtantiis nō omnis exiſtit per propriam exiſtentiam, illa nimirum, quæ ab aliquo dependet, vt partes, quæ dependent a toto, exiſtunt per exiſtentiam totius, & materia prima, quæ dependet a forma, exiſtit per exiſtentiam a forma fluentem, ita quoque in accidentibus illa, quæ ab aliis dependent, non habebunt propriam exiſtētiam, ſed exiſtent per alterius exiſtentiam, ac proinde quamuis relatio dependeat a ſuo fundamento, non habebit aliquam exiſtentiam ab illius exiſtentia diſtinctam.

1. Concluſio.

Sit iam prima concluſio. Relationes, quæ immediate fundantur in ſubſtantia, vt ſunt ſimilitudinis, identitatis, vel diuerſitatis genericæ, aut ſpecificæ, non differunt re ipſa realitate ſecundum exiſtentiam a ſuis fundamentis, bene tamen realitate ſecundum eſſentiam. Primamq; partem non diſtingui realitate ſecundum exiſtentiam, confirmamus ex his, quæ *ſect. 1. quæſt. 6.* aduerſus Ferrarienſem & Soncinatem cum Petro Nigro diximus, has relationes, quæ fundantur immediate in ſubſtantia, eſſe tranſcendentes, quare cum tranſcendentia non differant re ipſa a ſubiectis, de quibus dicūtur, neq; hæ relationes re ipſa differēt ſecun-

dum.

Digitized by Google

dum exiſtentiam à ſubſtantia. Alteram partem differre realitate ſecundum eſſentiam, confirmamus *1. Argum.* 1. Quia eſſentia harum relationum eſt referri ad aliud, ſubſtantiæ vero eſt exiſtere per ſe. *2. Argum.* 2. Quia in eſſentia relationum includitur terminus in quem feruntur in obliquo, at in eſſentia ſubſtantiæ talis terminus non includitur in obliquo. *Obiect.* Quod ſi quis nobis aduerſus primam partem obiiciat auctoritatem D. Tho. 1. *ſent. diſt. 4. art. 2. ad 1* conſtituentis in creaturis relationem non poſſe eſſe de ſubſtantia rei. *Solutio.* Reſpondemus illum vel nomine ſubſtantiæ eſſentiam intellexiſſe, ac ſi vellet dicere, in creaturis relationem non eſſe de eſſentia earum, vt in diuinis relationes ſunt de eſſentia perſonarum quas conſtituunt, quod nos libenter admittimus, vt conſtat ex his quæ nunc proxime dicebamus. Vel intelligendus eſt de relationibus quæ fundantur in ſubſtantia medio aliquo accidẽte abſoluto, vt media quantitate, vel qualitate, quales ſunt relationes ſimilitudinis, vel æqualitatis, & non de aliis quæ immediate fundantur in ſubſtantia, nam illæ primę enim exiſtant per exiſtentiam ſuorum fundamentorum, quæ reipſa differt ab exiſtentia ſubſtantiæ, non poterunt in creaturis eſſe idem cum ſubſtantia.

2. Concluſ. 2 *Concl.* Relatio quæ fundatur in accidentibus, vt ſimilitudo, quæ fundatur immediate in qualitate, reipſa diſtinguitur à ſuo fundamento diſtinctione rei ſecundum eſſentiam. Confirmatur imprimis auctoritate D. Th. qui quamuis aliquando fauere videatur opinioni aliorum, cæterum ſi accurate perpendamus varias eius auctoritates, potius pro nobis quam pro illis eſſe apparet. *D. Th. fauet huic concluſio.* nam 1. *par. q. 28. art. 2.* in ſolutione 2. argumenti, docet in creaturis illud quod eſt extra ſignificatum nominis relatiui, eſſe aliam rem à relatione, vnde cum fundamentum relationis ſit extra ſignificationem nominis relatiui, vt albedo eſt extra ſignificationem ſimilitudinis, indicio D. Thom. relatio reipſa differt à fundamento, & idem teſtatur 12. *Metaphyſ. tex. 19. & 4. Contr. Gent. cap.* 14 quemadmodum ex his & ex aliis multis locis accurate colligit Ferrar. 4. *Contr. Gent. in cap. propoſito.* *1. Argum.* Præterea confirmatur eadem concluſio his argumentis, quorum primum ſit. Cauſa efficiens & effectus, reipſa differunt iudicio omnium Philoſophorum, ſed fundamentum eſt cauſa efficiens relationis, ergo reipſa differet ab ea. Confirmatur aſſumptio. Fundamentum eſt cauſa relationis, ſed non eſt cauſa vt materia, nam ſubiectum, vel materia omnium accidentium, eſt ſubſtantia, neque eſt cauſa vt forma, nam fundamentum non de eſſentia relationis, cum ſit res abſoluta: neque eſt cauſa vt finis, quia finis alicuius relati eſt terminus, & correlatum in quem fertur, ſupereſt itaque à ſufficienti diuiſione, vt fundamentum ſit cauſa efficiens relationis. Confirmatur hoc argumentum, eodem modo ſe habet fundamentum ad relationem, quo ſe habet natura ſubiecti ad proprietates fluentes ab illa: nam quemadmodum proprietates per quandam naturalem reſultantiam, & emanationem oriuntur à natura ſubiecti (vt riſibilitas oritur ab homine) ita etiam relatio poſito termino, per quandam reſultantiam, & emanationem naturalem, oritur à fundamento, ſed proprietates deſtinatæ ad aliquid agendum, diſtinguuntur reipſa à natura ſubiecti à qua fluunt, ergo relatio quoque reipſa differet à fundamento à quo fluit in genere cauſæ efficientis. *2. Argum.* 2. Magis differunt duo entia vnum relatum, & alterum abſolutum, quam duo entia abſoluta, nam minus conueniunt relatum, & abſolutum, quam duo entia abſoluta: ſed duo entia abſoluta, vt quantitas, & qualitas reipſa differunt: ergo relatio & fundamentum quod eſt ens abſolutum reipſa diſtinguentur. *3. Argum.* 3. Magis differunt albedo & ſimilitudo, quam duæ albedines, ſed duæ albedines reipſa differunt, vt albedo Petri & Franciſci, ergo albedo & ſimilitudo reipſa different, ſed ſimilitudo eſt relatio & albedo eſt fundamentum, ergo, &c. Confirm. propoſitio, ea quæ continentur in diuerſis categoriis magis differunt, quam ea quæ continentur intra eandem categoriam, ſed duæ albedines continentur in eandem categoria qualitatis, albedo & ſimilitudo continentur in diuerſis categoriis, quia ſimilitudo continetur in categoria relationis, albedo vero in categoria qualitatis, ergo, &c. *4. Argum.* 4. Quę ſunt primo diuerſa reipſa differũt: ſed relatio & qualitas, vel quãtitas (quę ſunt eius fundamenta) ſunt primo diuerſa, ſunt enim genera ſuprema, & omnia genera ſuprema reipſa differunt, ergo relatio & fundamentum reipſa different. *5. Argum.* 5. Quemadmodum ens contrahitur per hos duos modos eſſe per ſe, & eſſe in alio ad ſua inferiora: ita etiam accidens contrahitur per hos duos modos, eſſe in alio, & referri ad aliud ad ſua inferiora, ſed ens per ſe, & ens in alio, reipſa differunt, ergo quoque in accidentibus eſſe in alio, & referri ad aliud reipſa diſtinguentur: ſed fundamenta relationis (cum ſint entia abſoluta) ſunt in aliquo tanquam in ſubiecto, & relatio refertur ad aliud, ergo. Relatio & fundamentum reipſa diſtinguentur.

3. Concluſio. 3. *Concl.* Relatio & fundamentum non differunt reipſa diſtinctione rei ſecundum exiſtentiam. Confirmatur. Illa quorum eſt eadem exiſten-

Digitized by Google

ſtentia, non differunt reipſa ſecundum exiſtentiam, ſed fundamenti, & relationis, eſt vna & eadem exiſtentia, vt nonnullis argumentis oſtendimus in vltima obſeruatione huius quęſtionis, igitur relatio, & fundamentum, non differunt reipſa realitate ſecundum exiſtentiam. Vnde quemadmodum iuxta opinionem Thomiſtarum materia prima & forma reipſa diſtinguuntur ſecundum eſſentiam: eo quod alia ſit eſſentia materiæ primæ, & alia formæ, quia materia prima eſt pura potentia, forma vero, purus actus, non tamen diſtinguuntur reipſa ſecundum exiſtentiam, quia materia prima non habet exiſtentiam reipſa diſtinctam à forma, imo ex ſua natura nullam habet, ſed per eandem exiſtentiam per quam exiſtit forma, exiſtit quoque materia prima: Ita quoque conſtituendum erit de relatione & fundamento, diſtingui hæc duo reipſa ſecundum eſſentiam, eo quod alia ſit natura fundamenti, & alia relationis, non tamen diſtingui ſecundum exiſtentiam, quia vtriuſq; vna eſt, & eadem exiſtentia, relatio enim nullam aliam habet exiſtentiam præter eam quam habet eius fundamentum in ſubiecto. Et ita quidam hanc diſtinctionem quæ intercedit inter relationem & fundamentum, vocarunt diſtinctionem rei formalem, non autem diſtinctionem rei, quæ eſt inter rem, & rem, quia vt diſtinguantur realiter formaliter, ſufficit habere huiuſmodi extrema naturas reipſa diſtinctas, at vero vt diſtinguantur reipſa, tanquam res à rę, neceſſe eſt obtineant exiſtentias reipſa ſeparatas.

ınſec.

Bannes hi ſupra & ıı.

d 1. arg. Occurramus iam argumentis quæ in initio propoſuimus. Ad 1. reſpondemus duplicem eſſe mutationem, vnam Phyſicam, & naturalem, quæ fit per verum motum, & expulſionem contrariæ qualitatis, vt eſt calefactio, vel dealbatio, & alteram Metaphoricam, quæ non fit per verum motum, aut per expulſionem contrarii, ſed per ſimplicem quandam emanationem, & reſultantiam naturalem: vnde propoſitio vera eſt, de vna, vel de altera ex his duabus mutationibus. Ad auctoritatem vero Ariſt. D. Tho. docentes ad relationem non eſſe per ſe motum dicimus, intelligendos eſſe primo, & per ſe, & de motu Phyſico, non autem de Metaphorico: nam hac ratione relatio aduenit ſubiecto per mutationē, reſultat enim illa naturaliter à fundamento poſito termino in rerum natura. Vel reſpondemus Ariſtot. eſſe loquutum de mutatione rei abſoluta, non autem de relatiua. Itaq; relatio poteſt alicui aduenire ſine mutatione abſoluta, quæ primo, & per ſe terminetur ad illam, non poteſt autem aduenire ſine mutatione relatiua: nam ſubiectum quod de nouo recipit relationem, neceſſe eſt, vt mutetur relatiue. Prima ſolutio eſt Ferrar *4 cont. gent cap. citato*, ſecunda vero Durandi *in 1. diſt. 30 qu. 2.*

Ad 2. reſp. falſam eſſe propoſitionem, ſæpe ab Scoto repetitam: nam materia prima, & forma, reipſa differunt, cum tamen neq; per potentiam diuinam, materia prima poſſit ſeparari à forma. Reſpondemus deinde aſſumtionem, admiſſo relationem poſſe ſeparari à fundamento, no ſequi aliquod ex abſurdis propoſitis: nā ſi relatio ſepararetur à duobus corporibus albis, eſſent illa corpora ſimilia fundamentaliter, & non formaliter, vel relatiue, obtinerent enim albedinem quæ eſt fundamentum ſimilitudinis, & non obtinerent formam ſimilitudinis, at vero quod abſurdum eſt eſſe aliqua ſimilia fundamentaliter & non eſſe formaliter, cum hæc inter ſe non contrarientur? *Ad 2.*

Ad 3. reſpondemus falſum eſſe in homine albo innumeras entitatis relatiuas de nouo ſingulis diebus oriri, nam Petrus albus per eandem relationem ſimilitudinis refertur ad omnia alba. Vnde ortis de nouo aliquibus corporibus albis non oritur noua relatio in Petro albo, ſed relatio ſimilitudinis quæ antea extiterat extendit ſe ad omnia alba quæ deinde oriuntur. *Deinde* reſpondeo nullum eſſe incommodum concedere, poſſe in aliquo corpore albo innumeras entitates relatiuas de nouo oriri, eſſe aūt abſurdum oriri innumeras abſolutas, quia poſſunt relatiuæ multiplicatis terminis multiplicari: & ita ſi termini poſſunt multiplicari in infinitum, etiam relationes poterunt ita multiplicari. Ex his ſolutionibus prima eſt accuratior. *Ad 3.* *2. Solut.*

Ad 4. reſpondemus in relatione eſſe duo, vnum eſt eſſe in, vel inhærere ſubiecto, alterum eſt eſſe ad, vel referri ad terminum: primo modo relatio compoſitionem efficit cum ſubiecto, nam quemadmodum albedo efficit cum ſubiecto compoſitionem efficiens illud album: ita quoque relatio efficit compoſitionem cum ſubiecto illud relatiuum efficiens; ſecundo vero modo relatio nullam compoſitionem efficit cū illo, non enim ſignificat aliquid ſubiecto inhærens, ſed denotat aliquid extrinſecum ab eo habitudinem ſcilicet ad terminum, & ſic à veteribus appellabatur relatio hac ratione non intrinſecus affixa (vt primo modo ſumitur) ſed extrinſecus aſſiſtens, qua ratione eſt intelligendus D. Thom. loco citato: ipſe ſiquidem diſt. 3. art. 1. conſtituit relationem vt inhærentem in ſubiecto, efficere compoſitionem veram, & propriam cum eo, quemadmodum & reliqua alia accidētia. Hoc aūt intelligi debet, non de relatione vt *Ad 4.*

ſepara-

Digitized by Google

ſeparatur ratione à ſuo fundamento: ita enim nullam compoſitionem efficit cum ſubiecto, cum tantum hac ratione ſumatur vt ad alterum referens, & non vt inhærens, ſed intelligi debet de ea, vt eſt eadem cum fundamento, hoc enim modo efficit compoſitionē cum ſubiecto, non quidem diſtinctam à compoſitione quam efficit fundamentum, ſed eandem, quamuis alio modo ſumptam, nam non habet diuerſam inhærentiam in ſubiecto, ſed eandem, vt iam ſupra dedimus confirmatum.

Ad 5. Ad 5. reſpon. falſam eſſe propoſitionem. Ad probationem vero dicimus, relationem diſtinctionis inter relationem, & fundamentum non eſſe relationem categoriæ, ſed tranſcendentem: nam idem, & diuerſum ſecundum eſſentiam, ſunt quædam proprietates entis, at vero iam docuimus relationem tranſcendentem non diſtingui reipſa à ſuo fundamento.

Ad 6. Ad 6. reſpondemus relationes extrinſece, & materialiter, diuidi ad diuiſionem fundamentorum, non autem ſecundum eſſentiam: nam quia ſunt nobis occultæ differentiæ relationum, diuiduntur illę, per nomina cognita ſuorum fundamentorum: at vero illæ quæ habent eaſdem differentias extrinſece, & materialiter reipſa diſtinguuntur.

Ad 7. Ad 7. reſpondemus imprimis multa ab Ariſt. diſputari probabiliter in hoc lib. Reſpondeo deinde, hunc librum falſo eſſe attributum Ariſt. quemadmodum viri grauiſſimi teſtantur, *vt Eudemus, Alexander Aphrod. ac Franciſc. Patricius 4. libro diſcuſſionum peripateticarum:* & ita Themiſtius quædam capita ex hoc libro interpretatur prætermittens cap 5. ex quo petitur huiuſmodi auctoritas.

Ad vlt. Ad vlt. reſpondemus D. Tho. intelligendum eſſe de diſtinctione rei ſecundum eſſentiam, non autem ſecundum exiſtentiam. Animaduertendum eſt tamen obiter opus illud D. Tho. non eſſe illius, quemadmodum neq; alia opuſcula quæ eius nomine circumferuntur, vt annotat. *D. Anton. 3 p. hiſtor. tit. 19. paragr. vlt. & Sixtus Senenſ 4. lib. Bibliotheca ſacra in vita* D. Tho. inter quæ & hoc opus numeratur vt iam ſupra admonuimus.

QVÆSTIO III.

An relatio identitatis ſit relatio rei vel rationis.

POſt explicatam naturam fundamenti, ſequitur vt de quibuſdam rationibus, nimirum identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis, quæ ſubſtantiæ, quantitati, & qualitati innituntur, ſint ne reales, vel rationis, diſſeramus. Imprimiſque de relatione identitatis, quam eſſe realem, his argumentis demonſtramus, 1. eſt. Petrus à parte rei eſt idem ſibi ipſi, ſed hæc identitas eſt identitas numerica, ergo identitas numerica erit relatio rei cum habeat eſſe præter intellectum. *1. Argum.* 2. Diſtinctio numerica inter Dominicum & Franciſcum eſt relatio rei, ergo identitas numerica in Dominico erit quoque relatio rei. Antecedens patet, conſequentia probatur. Contrariorum eadem eſt ratio, ſed diſtinctio numerica, & identitas ſunt contraria, ergo cum diſtinctio numerica ſit relatio rei, identitas numerica erit relatio rei. *2. Argum.* 3 Quod eſt album, eſt albedine album quæ eſt ens rei, ergo quidquid erit idem, erit idem identitate quæ ſit relatio rei, & ita identitas numerica erit relatio rei.

Obſeru. Vt hanc quæſtionem diſſoluamus, animaduertendum eſt duplicem eſſe identitatem, vnam numericam, qua dicimus Iacobum eſſe idem ſibi ipſi, & alteram ſpecificam, vel genericam, quæ duplex eſt, vna vnius tantum extremi, vt eſt relatio identitatis Petri cum animali, quæ vocatur generica, & cum homine quæ dicitur ſpecifica: altera vero eſt duorum, vel plurium extremorum, generica quidem, vt eſt relatio identitatis inter hominem, & equum ratione naturæ animalis, ſpecifica vero, vt eſt relatio identitatis naturæ humanæ, inter Petrum & Franciſcum. His animaduerſis ſit prima concluſio.

1. Concluſ. Relatio identitatis numericæ, non eſt relatio rei, ſed rationis, vt eſt relatio in Petro eiuſdem ad ſe ipſum. Confirmatur, in omni relatione rei debent extrema eſſe reipſa diſtincta, ſed idem non eſt extremum, à ſe ipſo reipſa diſtinctum, ergo relatio identitatis numericæ non erit relatio rei.

2. Concluſ. 1. *Concl.* Relatio identitatis genericæ, vel ſpecificæ, vnius extremi, vt eſt relatio identitatis, inter Petrum, & animal, vel inter Petrum, & hominem, eſt relatio rationis Confirmatur eodem modo quo ſuperior: nam hæc extrema non differunt inter ſe, & ita non erit relatio rei.

3. Concluſio. 3. *Concluſ.* Relatio identitatis ſpecificæ, vel genericæ, inter plura extrema reipſa diſtincta, vt eſt relatio identitatis ſpecificæ, iuxta naturā humanam, inter Petrum, & Paulum, & generice, in natura animalis, inter hominem, & equum, eſt vera relatio rei. Confirmatur contrariis argumentis quibus confirmatæ fuerunt ſuperiores concluſiones. quia extrema, fundamenta, & termini, quæ requiruntur ad relationem realem, ſunt realia, & realiter diſtincta.

Ad 1. arg. Iam argumenta quæ in initio propoſuimus

reſpon-

Ad 1. arg. reſpondeamus. Ad 1. reſpondemus, duplicem eſſe identitatem numericam, vnam fundamentalem, & alteram formalem, vnde Petrus eſt idem ſibi ipſi fundamentaliter, propter vnam naturam numero, quæ eſt fundamentum identitatis numericæ, non tamen eſt idem ſibi ipſi formaliter, per relationem identitatis, niſi per intellectum apprehendentem Petrum vt duo extrema relationis. **Ad 2.** Ad 2. reſpondemus negantes conſequentiam, & ad confirmationem dicimus, eſſe diſparem rationem de diſtinctione numerica, & de identitate, eo quod extrema diſtinctionis numericæ ſunt reipſa diſtincta, & ita diſtinctio numerica, erit relatio rei, at vero extrema identitatis numericæ, non ſunt diſtincta à parte rei, ac proinde identitas numerica non erit relatio rei. **Ad 3.** Ad 3. reſpondemus negantes conſequentiam, nam albedo eſt accidens abſolutum, accidentia autem abſoluta non poſſunt eſſe entia rationis: at vero identitas eſt relatio aliquando rei, & aliquando rationis, vt expoſuimus in ſuperioribus. Conſulendus eſt Soncinas 5. *Metaph. qu.* 35.

QVÆSTIO IV.

An æqualitas & ſimilitudo ſint relationes rationis.

Eſt etiam controuerſia de relationibus æqualitatis, & ſimilitudinis, ſint ne illę reales, vel rationis: nam non eſſe reales, his argumentis haud parui ponderis poſſumus ſuadere. **Argum.** *Primum eſt.* Illa eſt relatio rationis cuius fundamentum eſt ens rationis: at fundamentum ſimilitudinis & æqualitatis eſt ens rationis vnitas nimirum ſpecifica in quanti. vel qualita. quæ eſt ens rationis, cum tantum habeat eſſe per intellect. vt docuimus in diſputatione de vniuerſis: ergo, &c. **Argum.** 2. Eadem eſt ratio de ſimilit. & æqualit. quæ eſt de identitate: ſed identitas eſt relatio rationis, vt docuimus: iam ergo ſimilitudo & æqualitas erunt relationes rationis, & non relationes rei. **Argum.** 3. Si relatio ſimilitudinis, & æqualitatis, eſſent relationes rei, vel fundarentur in vnitate numerica, vel ſpecifica, vt eſt apertum: atqui in neutra vnitate fundantur, ergo, &c. Confirmatur imprimis non fundari in vnitate numerica, quia tunc temporis duo extrema æqualia eſſent effecta eadem quantitate numerica, quod tamen eſt falſum: neque poſſunt fundari in vnitate ſpecifica, nam duæ lineæ quarum vna ſit maior, & altera minor, ſunt eiuſdem ſpeciei, & vnitatis ſpecificæ, quæ tamen non ſunt æquales, & duæ albedines quarum vna ſit decem graduum, & alia quindecim, ſunt eiuſdem ſpeciei, & vnitatis, quæ tamen non ſunt ſimiles, vel diſſimiles, cum habeant gradus diuerſos, ergo &c. 4. Si relatio ſimilitudinis eſſet relatio rei, cum aliquod album ſit ſimile infinitis **4. Argum.** alijs albis, infinita entia rei eſſent ac reperirentur in illo: hoc autem videtur maximum abſurdum: iam ergo relatio ſimilitudinis erit relatio rationis.

Capreolus 1 *ſent. diſt.* 31. *q.* 1. *in argumentis aduerſus tertiam aſſertionem* refert Aureolum, & **1. Opin.** Durandum, & alios exiſtimaſſe ſimilitudinem, & æqualitatem, eſſe formaliter & ſecundum eſſentiã relationes rationis. Cæterum idem Capr. Sonc. 5. *Metaph. q.* 34. *Niger* 2 *p. clypei q.* 41. & alii cenſent ſimilitudinem, & æqualitatem eſſe in creaturis relationem rei, quam opinionem tanquam veriorem hac aſſertione explicamus Æqualitas & ſimilitudo ſunt relationes reales. Hãc confirmamus *primo.* Similitudini, & ęqualitati conueniunt omnes proprietates relationis realis, quia extrema & fundamenta ſunt reipſa diſtincta, ſunt præterea extrema eiuſdem ordinis, ergo erunt relationes rei. 2. Similitudo, & æqualitas, conueniunt rebus præter intellectum, ſed illæ relationes, quę conueniunt rebus præter intellectum, ſunt relationes rei, ergo ſimilitudo, & æqualitas erunt relationes rei. 3. proprietates entis rei ſunt entia rei, ſed ſimilitudo, & æqualitas, ſunt proprietates entis rei: nam ſimilitudo eſt proprietas qualitatis, æqualitas vero quantitatis, ergo erunt relationes rei. Dictum eſt autem ſimilitudinem, & qualitatem in creaturis eſſe relationes rei, nam in diuinis (iuxta opinionem D. Thom.) æqualitas, & ſimilitudo, non ſunt relationes rei ſed rationis, quia fundamentum harum relationum (quod eſt natura diuina) non eſt reipſa diſtinctum in extremis relatis, ſed eſt vnum, & idem numero in illis omnibus.

Satisfaciamus iam argumentis quæ in initio **1. Argum.** propoſuimus. Ad 1 reſpondemus falſam eſſe aſſumtionem, nam vnitas quæ eſt fundamentum ſimilitudinis, & æqualitatis, non eſt vnitas formalis, & poſitiua, ſed materialis, & negatiua: at vero hæc vnitas negatiua non eſt ens rationis, ſed rei. Aod 2. reſpondemus falſam eſſe propo- **Ad 2.** ſitionem, ſi intelligatur de identitate numerica: nam in relatione ſimilitudinis, vel æqualitatis, extrema relata reipſa differunt: at vero in relatione identitatis non differunt reipſa. Si vero loquamur de identitate ſpecifica, vel generica, falſa eſt illa: nam hæc identitas eſt relatio rei, vt diximus in eadem quæſtione. Ad 3. reſpondemus cum Capreolo, fundamentum harum relationum eſſe vnitatem ſpecificam, vt in

æqua-

Digitized by Google

æqualitate fundamentum eſt vnitas ſpecifica quantitatis. Verum animaduertendum eſt quantitatem poſſe ſumi aut in ratione diuiſionis, aut in ratione commenſurationis, primo modo vnitas quantitatis non eſt fundamentum æqualitatis, ſed ſecundo modo, quemadmodum profitetur D. Th. 1 *ſent. d. 19 q. 1. art. 1.* Vnde quamuis duæ lineæ vna maior, & altera minor, ſint eiuſdem ſpeciei, ſumpta quantitate in ratione diuiſionis, quia quemadmodum vna illarum eſt longitudo ſine latitudine, ita quoq. & altera, non tamen ſunt illa eiuſdem vnitatis ſpecificæ ſumpta quantitate in ratione menſuræ: nam aliam rationem menſuræ habet linea minor, vt decem palmorum, & aliam minor, vt quinque. & ita duæ hæ lineæ ſunt inæquales. At vero ſumptis duabus lineis eiuſdem rationis in ratione menſuræ, vt duabus quinque palmorum in vnitate ſpecifica earum, fundatur relatio æqualitatis.

Ad 4. Ad 4. reſpondemus, in albo tantum eſſe vnicam relationem per quam refertur ad omnia alba: vnde non ſunt in illo infinitæ entitates, vt ſequenti ſectione oſtendemus. Num autem in ſubſtantia poſſit fundari aliqua relatio, iam ſupra diſſeruimus ſect. 1. qu. 6.

QVÆSTIO V.

An relatio a fundamento obtineat realitatem.

NOmine realitatis in hac quæſt. intelligimus habere eſſe præter omnẽ operationẽ intellectus. Et quidẽ non obtinere his argumẽtis poſſumus demonſtrare.

1. Argum. *Primũ.* Relationi ex ſua eſſentia, & natura, competit eſſe realem, ergo non aliunde, neque à fundamento realitas poterit illi conuenire. Antecedens in hunc modum confirmatur, nam conſequentia ſatis eſt aperta Relatio omnis quæ continetur in hac categoria ſecundum eſſentiam, cõtinetur ſub ente diuiſo in decem categorias, ſed ens diuiſum in decem categorias eſt ens reale, ergo relatio ex ſua natura erit ens reale.

2. Argum. 2. Entitas relationis eſt referri ad aliud, ergo ex habitudine ad terminum ſuam realitatem obtinebit.

3. Argum. 3. Relatio de qua hic agimus eſt ex ſua natura aliquod prædicamentum, vel categoria, ergo vel erit ſubſtantia, vel accidens: ſed tam ſubſtantia quam accidentia ſunt ex ſua natura entia realia, ergo relatio ex ſua natura habebit realitatem.

4. Argum. *Præterea.* Relatio ſumit ſuum eſſe ſpecificum à termino: ſed eſſe ſpecificum eſt eſſe reale, ergo à termino habebit realitatem, & non à fundamento.

1. Concluſio. In explicationem tamen ſit prima concluſio. Relatio ex ſua propria ratione & natura, nullam indicat realitatem (loquimur de relatione, vt eſt natura quædam analoga ad realem. & rationis, & vt tantum denotat eſſe ad, vel referri ad terminum) Hanc profitetur D. Thom *1. p. q. 28. art. 1. & 2. & in 1. diſt. 20. art. 1. & 26. q. 2. art. 1. & diſt. 30. art. 1. & q. 8. de potent. art. 5. conſulenda eſt tabula Ver. Relatio num. 4. Idem ſentiunt Ferrar. 4. contr. gent. cap. 14. & Soncin. 5. Metaph qu. 26.*

1. Argum. Et confirmatur *primo*, quia ſi hæc relatio ex ſua natura haberet realitatem, & relatio rationis haberet etiam illam, nam vtraque ſub hac relatione comprehenditur, quod certe quam ſit falſum, non eſt cur à nobis hoc loco debeat demonſtrari.

Confirm. Confirmaturque argumentum. Relatio nullum eſſe reale ponit iuxta illud quod habet commune cum relatione rationis: ſed relatio rationis nullam denotat realitatem, ergo relatio hac ratione ſumpta nullam denotabit realitatem.

2. Argum. *Deinde* ſi relatio ita ſumpta haberet aliquam realitatem, vel illa eſſet ens per ſe, vel in alio: at neque poteſt eſſe ens per ſe, quia non eſt ſubſtantia, neq; in alio, quia modus hic proprius eſt rerum abſolutarum, ergo relatio ex ſua natura nullam denotabit realitatem.

2. Concluſ. 2. *Concluſ.* Relatio non habet à termino ſuam realitatem. hæc eſt D. Thom. *quodl 12. art. 1. in corpore*,

1. Argum. confirmaturque 1. quia aliquando terminus relationis realis, eſt ens rationis, vt in Dialectica, terminus relationis ſcientiæ ad ſcibile, eſt ens rationis: hoc enim eſt illius obiectum, non igitur à termino realitatem obtinebit.

2. Argum. 2. Vtor argu. Iauelli *5. Metaph. qu. 22.* Si relatio ſuam realitatem à termino obtineret, ſequeretur vt hanc realitatem antequam eſſet terminus non haberet, vnde fieret vt poſito termino, per aduentum relationis ſubiectum mutaretur: nam per aduentũ alicuius realitatis, debet neceſſario ſubiectum mutari, hoc autem aduerſatur & Ariſt. & D. Th. 5 *Phyſ. c. 2.* docentibus, ſubiectum per ortum relationis nullo modo mutari, non igitur à termino habebit realitatem.

3. Concluſio. 3. *Concl* Relatio ſuam relationẽ haurit à fundamento. Profitentur hanc D. Tho. *in 1. diſt 26. qu. 2. art. 1. aliiſque in locis quæ legi poterunt in tabula v. Relatio 34. Durand. in 1. diſt 30. quæſt. 2. Sonc. 5. Metaphyſ quæſt. 26.* & multi alii, quam in hunc modum veram eſſe demonſtramus, *primoque.* Quia hanc realitatem non haurit à ſubiecto, illud enim eſt relationi extrinſecum, neq; à termino propter rationes in ſuperioribus aſſignatas, hauriet itaq; illam à fundamento.

2. Argum. *Iam.* Si ab his relationibus ſecludas terminum, &

Digitized by Google

ſubiectum, ſemper manet eadem realitas relationis: quemadmodú ſi præſcindamus omnia alia ſolo termino remanente ſemper remanebit forma & eſſentia relationis, habebit itaq; à fundamento ſuam realitatem. Vnde cum in relatione duo repetiantur, & realitas, & eſſentia, à termino vel (vt verius loquamur) ex habitudine ad illum, eſſentiam: ex fundamento vero, realitatem obtinebit. *Obſeru.* Sciendum eſt tamen plura requiri ad realitatem quam fundamentum, etenim requiruntur extrema realia, ſubiecta realia, & alia de quibus diximus in ſect. 1. q. 2. huius categor. Verum hæc omnia requiruntur tanquam conditiones ſine quibus non: at à ſolo fundamento tanquam à legitima cauſa ſuam realitatem conſequetur.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta quæ in initio propoſuimus. Ad 1. reſp. relationem ex ſua natura habere eſſe relatum, quod autem ſit realis, non habere ex ſua ratione, ſed ex fundamento: nam eſſe reale non attinet ad naturam, ſed ad modum illius, nam natura in eo ſita eſt vt ad aliud referatur: quod autem ſit realis, modus quidam eſt huius naturæ, relationem rei à relatione rationis ſeparans, & diſtinguens. Ad 2. reſp. negando conſequentiam, nam alia eſt entitas, & eſſentia, & aliud realitas relationis, entitas quidem ex habitudine ad terminum peti debet, realitas vero, quæ modus eſt huius entitatis, nō à termino ſed à fundamento hauritur. *Ad 2. arg.* Ad 3. reſp. eſſe categor. in communi non denotare aliquam realitatem: nam in entibus rationis datur categ. in quibus nulla datur realitas. *Ad 3. arg.* Vnde realitas modus quidam erit categor. quo inter ſe categ entis rei, ab aliis entis rationis diſtinguentur. Ad 4. & vlt. reſp. eſſe ſpecificum non eſſe ens reale abſolute, & ſimpliciter loquendo, ſed in ſola natura reali, quæ ſi fuerit relata aliunde quam à termino à quo ſortitur naturam habebit eſſe reale, nimirum à fundamento. *Ad 4. arg.*

SECTIO III. DE RELATIS, IN QVA de eorum terminis diſputatur.

Vltimo de terminis in quos omnia relata feruntur erit in hac tertia ſectione ſuſcipienda diſputatio, ſicque fiet vt illa abſoluta finem etiam toti huic de relatis diſputationi imponamus.

SECTIO I. QVÆSTIO I.

An vnum relatum ſit diffiniendum per alterum.

1. Argum. HÆc argumenta videntur parti neganti fauere *Primu.* Illa diffinitio eſſentialis eſt vitioſa, quę traditur per extrinſeca, ſed vnum relatum eſt alteri extrinſecum: ergo diffinitio relati quæ traditur per ſuum terminum, nō erit eſſentialis. *2. Argum.* *Deinde.* Vitium eſt in diffiniendo circulum committere: ſed ſi vnum relatum diffiniatur per alterum committetur circulus diffiniendo, vt eſt apertum: ergo non poterit vnum relatum per alterum diffiniri. Præterea non poteſt idem eſſe prius, & poſterius, notius, & ignotius: ſed ſi vnum relatum per alterū diffiniretur, idem eſſet prius, & poſterius, notius & ignotius, ergo non poteſt vnum relatum diffiniri per alterum. Confirmatur aſſumtio. Illud per quod aliquid diffinitur, eſt prius, & notius, re diffinita: ſi ergo vnum relatum v. g. filius per patrem diffinitur, ergo pater erit notior, & prior filio: & rurſus ſi pater per filium diffinitur, filius prior, & notior erit ipſo patre, & ita idem erit prius, & poſterius, notius & ignotius. *3. Argum.* *Adhac.* Loco diffiniri licet collocare diffinitionem iuxta vnanimem Dialecticorum omnium conſenſum: at ſi vnum relatum diffiniretur per alterum, id efficere non liceret, ſæpiſſime namq; committeretur nugatio, quæ vitioſam reddit quamlibet diffinitionem: vnum igitur relatum non diffinitur per alterum.

1. Opin. Nonnulli de hac quæſt. tale ferunt iudicium vt exiſtiment, vnum relatum non eſſe diffiniendum per alterū diffinitione quid res ſit: eſſe vero per alterum diffiniendum diffinitione quid nominis, ſeu quæ explicat nominis ſignificationē, & etymologiam. Vnde dicunt hanc diffinitionem, pater eſt filii pater, non eſſe quidditatiuam, ſed explicantem dumtaxat quid hoc nomen pater ſibi velit. *2. Opin.* Alii vero conſtituunt relatum non per ſuum correlatum debere diffiniri, ſed per ſuum ſubiectum, & fundamentum, ſicuti patrem (vt in eodem exemplo perſiſtamus) non eſſe diffiniendum per filium modo nuper expoſito, ſed per hominem potius, qui eſt ſubie-

ctum

ctum paternitatis, & per vim ac facultatem generandi ad hunc modum, pater eſt homo pollens vi generandi. 3. *Opin.* Deniq; veteres Philoſophi vno ore profitentur, relatum vnum per alterum correlatum videlicet, ac terminum ſuum, eſſe diffiniendum. *Ita docent Porphyr. Seuer. Boet. B. Alb. Magn. Caiet. in cap. de ſpecie, & Sonc. 5 lib. Metaph qu 33. Flandern qu. 16. art. 20. Sueſſa. qu. 16. Scotus qu. 28 Prædicamento.*

1. *Concluſio.* In explicationem vero poſtremæ huius ac rationi magis conſonæ ſententiæ ſit prima concluſio. Omne relatum debet per ſuum correlatũ diffiniri, vt pater per filium, dominus per ſeruum, & ſic de aliis. Confirmatur his arg. aduerſus authores duarum priorum opinionum. 1. *Argum.* *Primum* petitum eſt ex authoritate Ariſt. & Porph. Ariſt namq; *6. lib Topico cap 3.* expreſſe profitetur omne relatum diffiniri debere per ſuũ correlatum, vt ſimplum inquit diffiniendum eſt per duplum, & duplum per ſimplum. Porph etiam in cap. de ſpecie docuerat hanc eſſe vim, & naturam relatorum, vt vnum illorum per alterum debeat diffiniri. 2. *Argum.* 2. Vnum quodque eſt eo modo diffiniendum, quo à nobis cognoſcitur: at vnum relatum cognoſcitur à nobis per alterum relatum, quemadmodum docuit Ariſt. in hac categor. tradens quintam proprietatem, hanc inquiens eſſe vim relatorum, vt qui probe vnum nouerit debeat etiam & alterum probe nouiſſe, iam igitur vnum relatum per alterum 3. *Argum.* diffiniendum erit. 3. Vnum quodque debet ea ratione diffiniri, qua habet eſſentiam, & naturam; quia diffinitio explicat rei eſſentiam, & naturam: ſed omne relatum habet naturam dependentem à ſuo termino, quemadmodum pater habet naturam dependentem à filio, & dominus à ſeruo: ergo omne relatum debet diffiniri per ſuum correlatum. Adnotat tamen Caietanus ex B. Alberto Mag dicendum potius eſſe, vnum relatum diffiniri ad aliud, nimirum ad ſuum terminum, quam diffiniri per aliud, ſeu per ſuum correlatũ, quia dictio illa per ſemper denotat habitudinem cauſæ ad effectum, at vnum relatum non exiſtit cauſa alterius: at vero illa alia dictio ad nullius generis cauſæ habitudinem exprimit, ſed habitudinem ſolum vnius extremi ad alterum. Vnde cum vnum relatum diffiniatur per habitudinem ad alterum, dicendum potius erit omne relatum diffiniri ad ſuum terminum, quam per terminum ipſum diffiniri. Vnde effectum eſt, vt à Veteribus Latinis (rem hanc accurate ſatis perpendentibus) fuerit hæc categ. inſcripta (ad aliquid) eo quod nullam aliam particulam intelligebant rectius & accuratius vim & naturam relationis exprimere, quam per propoſitam particulam ad, quæ denotat vt diximus ſolam habitudinem vnius ad alterum.

2. *Conc.* Quamuis vnum relatum diffiniatur per alterum, non tamen illud per quod diffinitur, eſt de eſſentia relati diffiniti, vt quamuis diffiniatur pater per filium, non tamen eſt filius de eſſentia patris, neque pater de eſſentia filii, ſed eſt terminus relati quidpiam extrinſecum naturæ & eſſentiæ ſui correlati. 2. *Concluſ.* Confirmatur his argumentis. *Primum* eſt. Illud quod eſt de eſſentia 1. *Argum.* alicuius prædicatur de illo in recto, & formaliter, quemadmodum animal particeps rationis, prædicatur in recto & formaliter de homine, de cuius eſſentia & natura eſt, ſed vnum relatum non dicitur de altero ſuo correlato, vel in recto, vel formaliter, neque enim dicimus in recto patrem (v.g.) eſſe filium, neque præterea aimus, dominum eſſe ſeruum formaliter: ergo vnum relatum non erit de eſſentia alterius. 2. Quid- 2. *Argum.* quid eſt de eſſentia alicuius, aut eſt genus, aut differentia, ſi totum Metaphyſicum illud extiterit, aut materia & forma, ſi fuerit totum Phyſicum, & naturale: ſed vnum relatum non eſt differentia, vel genus, neque materia vel forma reſpectu alterius ſui correlati: ergo vnum relatum non erit de eſſentia alterius. *Vltimum.* Illud 3. *Argum.* quod eſt de eſſentia alicuius, non differt reipſa ab eo: ſed vnum relatum differt reipſa ab alio vt pater v.g. à filio: non ergo vnum relatum erit de eſſentia alterius.

3. *Conc.* Quamuis vnum relatum non ſit de 3. *Concluſio.* eſſentia alterius, eſt tamen de notione eſſentiali illius, i. e. nõ poteſt vnum relatum ſine altero intelligi, quamuis non ſit de eſſentia illius. Hæc concluſio eſt aperta, quam tamen ita confirmo. Illud eſt de notione eſſentiali alicuius, ſine quo res neque eſſe neque intelligi poteſt, quia notio cognitionem intellectus ſignificat, ſed nõ poteſt vnum relatum eſſe vel intelligi abſque altero, quemadmodum pater neq; poteſt eſſe neq; intelligi ſine filio: ergo vnum relatum erit de notione eſſentiali alterius. Vnde quemadmodum ſubſtantia eſt de notione, vel conceptu eſſentiali accidentis, quia accidentia nequeunt ſine habitudine ad illam intelligi, ita & vnum relatum eſt de notione, vel conceptu eſſentiali alterius: quia vnum ſine altero vel habitudine ad illud, intelligi nulla ratione poteſt.

Ad 1. arg. Ad argumenta igitur. Ad 1. diſtinguimus propoſitionem, nam vel res diffinita eſt abſoluta, vel relata, ſi fuerit abſoluta, & à nullo dependens, vera eſt propoſitio, & concedenda, ſi vero res diffinita fuerit relata, eſt neganda, nam accidentia includunt ſubſtantiam in eſſentiali

diffinitione quæ eſt extrinſeca, & alterius naturæ ab ipſis. Et ita quamuis terminus relationis ſit extrinſecus poterit relatum ſecundum eſſentiam diffiniri per terminum. *Ad 2.* Ad 2 dicimus cum Porphyr. in cap de ſpecie, in rebus abſolutis vitium eſſe diffinitionem tradere per circulum, quemadmodum etiam docet Ariſt. 1. lib. de Demonſtrat. cap. 3. non tamen eſſe vitium in rebus relatis, quin potius eſt omnino neceſſarium huiuſmodi circulum committere. *Ad 3.* Ad 3. reſpondent quidam non recte ſequi idem eſſe prius & poſterius, notius & ignotius: nam in relatis partes diffinientes non ſunt priores, & notiores re diffinita, ſed ſunt ſimul natura, & cognitione cum illa, quemadmodum in hac categ. expreſſis verbis profitetur Ariſt. *Solutio.* Reſp. nihilominus terminum relationis per quem diffinitur relatum poſſe ſumi duobus modis primo ſub ratione termini, & actus, ſecundo vero modo, ea ratione qua refertur ad ſuum correlatum: quemadmodum filius ſumi poteſt, vel ea ratione qua terminat relationem paternitatis, vel ea ratione qua refertur ad patrem. Si ſumatur filius ſub ratione termini, prior eſt, & notior patre, eo quod terminus cum ſit actus, & relatum quod diffinitur per illum ſit poteſtate, debet eſſe prior, & notior, quia actu eſt prior, & notior poteſtate, vt profitetur Ariſt 9 lib. Metaphyſic. Si vero ſumatur filius ea ratione qua refertur ad patrem eſt poſterior, & ignotior patre, eſtq; è contra pater prior, & notior ipſo filio, propter eandem rationem, quia eſt illius terminus, & actus. Idem igitur eodem modo ſumptum non eſt prius, & poſterius, notius & ignotius, alio tamen & alio modo conſideratum nihil prohibet eſſe poſſe prius, & poſterius, notius, & ignotius. *Ad 4.* Ad 4. negamus propoſitionem in relatis, quamuis enim in rebus abſolutis liceat loco diffiniti collocare diffinitionem, in rebus tamen relatis id licitum non eſt. Conſulendus eſt de hac ſolutione Caietanus.

CAPVT II.

An vnum relatum terminet alterius relationem ſub ratione abſoluta, nec ne.

DVo genera argu. offerunt ſe nobis in prima parte huius qu. proponenda primi generis argumenta conſirmant relatum terminare relationem ſub ratione abſoluta. ſecundi vero demonſtrant, eadem relata (ſaltem tertii generis) terminare ipſam relationem ſub ratione relatiua. Vt igitur à primi generis argumentis auſpicemur. *Argum. 1. generis.* Primum Ariſt. 5 Metaph. cap. 15. docet quædam eſſe relata (cuiuſmodi ſunt relata tertii ordinis) quæ ex eo dicuntur relata quia terminant relationem aliorum, non aūt quia referantur ad alia: igitur ex Ariſt. terminus relationis erit aliquid abſolutum. 2. Partes diffinientes *2. Argum.* ſunt priores re diffinita: ſed ſi terminus relationis eſſet aliquid relatum, partes diffinientes non eſſent priores re diffinita: ergo terminus relationis non erit natura relata ſed abſoluta. Confirmatur aſſumtio. Vnum relatum diffinitur per alterum, vt pater per filium: ſed vnum relatum non eſt prius altero: ergo ſi terminus relationis (qui eſt pars diffiniens) eſt quippiam relatum, partes diffinitionis non erunt priores re diffinita. 3. Actus & potentia ſunt relata: ſed actus *3. Argum.* terminat relationem potentiæ ſub ratione abſoluta: ergo etiam & terminus terminabit relationem ſub ratione abſoluta. Confirma. Actus eſt prior poteſtate vt profitetur Ariſtot. 9. *Metaphyſ. c. 10.* ſed ſi terminaret relationem ſub ratione relatiua non eſſet prior, quia vnum relatum non eſt prius alio, iam ergo &c. *Iam* argumenta alterius generis in hunc alium modum ſe habent. *Primum* Relata diffiniuntur quorum *1. Argum. 2.* tota vis eſt referri ad aliud: ſed interpretes per particulam (ad aliud) intelligunt correlatum, quod certe idem pollet, atq; alterum extremum relatum: ergo etiam in relatis tertii ordinis terminus erit res relatiua. *Deinde.* Si Deus termi- *2. Argum.* naret relationem creaturæ, ſub ratione abſoluta, ſequeretur ipſum à nullo intellectu creato, vel angelico, vel humano, poſſe perfecte cognoſci: ſed hoc eſt abſurdum: ergo relata ſaltem ea, quæ ſunt tertii generis, terminabūt relationem ſub ratione relatiua, & non abſoluta. Confirmatur propoſitio. Nequit vnum relatum perfecte cognoſci, quin alterum qui eſt eius terminus perfecte cognoſcatur: ſed Deus abſolute ſumtus nequit perfecte ab vlla creatura cognoſci: ſi ergo Deus ſub ratione abſoluta terminaret relationem creaturæ, non poſſet à creatura perfecte cognoſci. *Vltimo* Deus non terminat re- *3. Argum.* lationem creaturæ niſi vt eſt creator, nec ſcibile relationem ſcientiæ niſi vt ſcibile: ſtat eſſe ſcibile, & eſſe creatorem, ſunt quædam relationes relatiuæ erit igitur (ſaltem in relatis tertii ordinis) id quod terminat aliquid relatiuum.

1. Opin. Circa hanc quæſt. eſt prima opinio Scoti 2. *lib. ſent. diſt. 30. qu. 1.* exiſtimantis cuiuſlibet relationis terminum terminare non ſub ratione relatiua ſed abſoluta relationem alterius extremi ad ſe. *2. Opin.* 2 Opinio eſt huic è diametro oppoſita nonnullorum conſtituentium in omnibus relatis tam ſcilic. primi, quam ſecundi, vel tertii generis, eſſe terminum ipſum quidpiam relatum, & non abſolutum. Hinc ſequuntur

Caiet. M. Medina, & M. Bannes 1. p. q. 13. art. 7. quam etiam tenet Capreolus 1. *lib. ſent. diſt. 30. q. 1.* De relatis quidem primi & ſecundi ordinis res eſt ſatis aperta, de aliis vero tertii ordinis putat Caiet. extremum, quod eſt ordinis ſuperioris, terminare relationem realem alterius inferioris, per aliquam relationem realem, quę ſit realis, non per propriam realitatem, ſed per realitatē relationis alterius extremi, vt Deum terminare relationem creaturarum, per relationem creatoris, quæ eſt realis, non quidem propria realitate, ſed realitate relationis creaturæ. Eandem opinionem ſequutus eſt poſt eos Fonſeca *5. Metaphyſ. cap. 15. q. 4. ſect. 4.* quamuis illam diuerſa ratione explicet, ac explicarit Caiet. Arbitratur ſiquidem, in relatis tertii generis extremum ſuperioris ordinis terminare relationem inferioris, per aliquam relationem rationis, quæ ipſum extremum denominet, vt in eodem exemplo, Deus terminat relationem creaturæ per relationem rationis, quæ ipſum Deum denominat creatorem.

3 Opinio. Ferrarienſis vero *2. lib. contra gent. cap.* 11. tertiam aliam, multoque veriorem ſequitur opinionem, nimirum in relatis primi & ſecundi ordinis, vnum relatum terminare relationem alterius ſub ratione relatiua: in relatis vero tertii ordinis ſub ratione abſoluta & non relatiua terminare extremum ordinis ſuperioris relationem alterius inferioris ad ſe, quam amplectitur Suarez. 5. *libro Metaph. q. 14.* & permulti ex recentioribus. Hanc igitur tanquam veriorem, vt explicet Ferrari. breuiter nonnulla prius proponenda opinatur.

1. Obſer. *Primum*, relata quædam eſſe, quæ fundantur in numero & vnitate, alia in actione & paſſione, quæ relata primi & ſecundi ordinis nuncupantur, & alia demum, quæ fundantur in menſura & menſurabili, quæ quidem relata tertii ordinis appellantur.

2. Obſer. *Deinde* animaduertere oportet, terminum relationis poſſe ſumi duobus modis, primo abſolute, & ſecundum ſe: deinde ea ratione, qua concipitur ab intellectu ſub ratione terminantis, & diffinientis relationem alterius extremi.

1. aſſertum. Ferrar. His adnotatis, inquit ille, primo in relatis primi & ſecundi ordinis, terminum relationis non terminare ſub ratione abſoluta, ſed ſub ratione relatiua.

2. aſſertum. Ait præterea in relatis tertii ordinis, terminum relationis terminare illam ſub ratione abſoluta, vt menſura terminat relationem menſurati ea ratione, qua ſumitur abſolute, & ſecundum ſe.

3. aſſertum. Aſſerit denique, quod quamuis in his relatis tertii ordinis terminus ipſe terminet ſub ratione abſoluta, nequit tamen concipi ab intellectu obtinere rationem termini, niſi prout concipitur ſub eſſe relato, & ſub oppoſita relatione, nam licet menſura terminet relationem menſurati abſolute ſumpta, nequaquam tamē valemus intelligere, menſuram eſſe terminum menſurati, niſi prout intelligimus illam ſub oppoſita relatione ad menſuratum. Adeo autē opinio iſta nobis arridet, vt operæ pretium ducamus eam his ſubiectis aſſertionibus explicare.

1. Concl. Prima ſit aduerſus Scotum. In relatis primi & ſecundi ordinis terminus non terminat ſub ratione abſoluta, ſed ſub relata. Confirmatur his argum.

1. argum. *Primo*, ex Ariſt. in hac categor. docente, extremum relationis ſerui non eſſe hominem, ſed dominum, redditq; rationem, quia homo eſt quippiam abſolutum, dominus autem eſt quippiam relatum, cum ergo dominus & ſeruus ſint relata ſecundi ordinis, terminus in his relatis non terminabit ſub ratione abſoluta, ſed ſub relata.

2. argum. *Deinde*. Relata primi & ſecundi ordinis ſunt ſimul natura: at ſi in his terminus ſub ratione abſoluta, & non relata terminaret, non eſſent ſimul natura: ergo in his relatis vnum extremum non terminabit alterum ſub ratione abſoluta. Confirmatur aſſumptio: Sumamus, v. g. relationem patris & filii, ſi pater, quatenus eſt quidam homo (qua ratione eſt res abſoluta) terminaret relationem filiationis, cum pater (vt quidam homo eſt) ſit prior natura filio, imo & tempore, pater & filius non eſſent ſimul natura, imo neq; cætera huius eiuſdem generis.

3. argum. *Præterea*. In relatis huius generis eſt eadem ratio fundandi in vtroque extremo: at vbi eſt eadem ratio fundandi, vel referendi, debet vnum extremum terminari ad aliud, vt relatum eſt, quia vt terminat habet rationem fundandi relationem oppoſitā: ergo in relatis primi & ſecundi ordinis extremū terminabit ſub ratione relationis.

2. Concluſio. 2. *Concluſio*. In relatis tertii ordinis ex parte menſuræ eſt relatio rationis ad menſuratum. Quam aſſertionem cōſtituimus aduerſus Caiet. in loco ſuperiori, conſtituentem, menſuram referri ad menſuratum relatione rei; non per aliquam relationem ſibi inhærentem, ſed per relationem rei ipſius menſurabilis. Vnde (inquit) relatio menſurabilis eſt, quæ refert menſurabile ad menſuram, & qua refertur menſura ad menſurabile.

1. argum. *Confirmamus* tamen noſtrā ſententiam aduerſus Caietanum inprimis authoritate D. Thomæ, qui 2. *lib. contr. gent. c. 13.* conſtituit, nullam rem poſſe referri ad alteram per relationem in alio exiſtentem: ergo menſura non refertur ad menſuratum relatione reali, per relationem menſurati.

2. argum. *Secundo*. Si menſura referretur realiter ad menſuratum

per relationem menſurati, ſequeretur, eandem rem ratione ſui eſſe terminum, & relationem: hoc autem fieri nequit, ergo menſura non refertur ad menſuratum per relationem menſurati. Confirmatur propoſitio. Secundum Caietanum in relatis tertii ordinis, cuiuſmodi ſunt menſura & menſuratum, terminus terminat ſub ratione relatiua: ſed relatio menſuræ ad menſurabile eſt eadem atq; ea, per quam refertur menſuratum ad menſuram: ergo vna & eadem relatio referretur, ac ſeipſam etiam

.argum. terminaret. *Tandem* confirmamus, in relatis tertii ordinis ex parte menſuræ eſſe relationem rationis, ad hunc modum: Inter extrema relationis, quæ ita ſunt inter ſe affecta, vt vnum non dependeat ab altero, ex parte illius extremi, quod non depender, eſt relatio rationis: at in relatione menſuræ & menſurati, menſuratũ dependet à menſura, menſura vero non dependet à menſurato: ergo in hac relatione ex parte menſuræ erit relatio rationis: & hanc ſententiam expreſſis verbis profitetur Diuus

.argum. Thomas 1. *p. q.13. art.*7. conſtituens, relationem menſuræ ad menſurabile, & rei, quæ ſentitur ad ſenſum, eſſe relationem rationis.

.Concl. *3. Concluſio* aduerſus Caietanum, & alios. In relatis tertii ordinis, cuiuſmodi ſunt menſura & menſurabile, alterum extremum (nempe menſura) terminat relationem menſurabilis ſub ratione abſoluta, & non ſub ratione re-

.argum. latiua. Confirmatur his argumentis. *Primum*, Quod aperte colligitur ex ſuperiori aſſertione: Ante omnem operationem intellectus, menſura terminat relationem menſurabilis, vt Deus terminat relationem creaturæ: ſed nequit illa terminare ſub ratione relatiua: ergo terminabit ſub ratione abſoluta. Confirmatur aſſumptio. Relatio menſuræ ad menſuratum eſt relatio rationis, vt ex ſuperiori aſſertione conſtat: ſed relatio rationis non eſt ante operationem intellectus, vt docuimus prima ſectione huius categoriæ, ergo menſura non refertur ad menſurabile ante operationem intellectus, & ita cum terminet relationem alterius extremi ante operationem intellectus, non terminabit ſub ratione relatiua, ſed ſub ratione

.argum. abſoluta. *Secundum.* Ariſtoteles 5. *lib Metaph. cap.15.* conſtituit, menſuram eſſe quippiam relatum, non quia refertur ad menſurabile, ſed quia terminat relationem menſurabilis ad ſe: ergo menſura non terminat relationem menſurabilis ſub ratione relatiua, ſed ſub ratione abſoluta, nam ſi terminaret relationem ſub ratione relatiua, referretur ad menſurabile,

argum. quod negat Ariſtot. *Tertium.* Ante omnem operationem intellectus Deus terminat relationem ſeruitutis creaturæ: ſed non terminat illam ſub ratione relatiua, ergo in relatis tertii ordinis vnum relatum non erit alterius extremi correlati terminus ſub ratione relatiua. Confirmatur aſſumptio ex D Thom. *q.7. de potentia, art.10 ad 4. argum.* qui conſtituit, in dominio tria reperiri, poteſtatem coercendi ſubditos, relationem dominii, & terminare relationem ſeruitutis. Ex his tribus duo, inquit, primum ſcilicet, & vltimum, conueniunt Deo, ex eo namque dicitur Deus Dominus, quia poteſt coercere creaturas, & quia terminat relationem ſeruitutis creaturæ: non autem competit Deo tertium: nam non ex eo Deus dicitur Dominus, quia ad creaturas referatur: iam igitur ex ſententia D. Tho. Deus non terminat relationem creaturæ ſub ratione relatiua, ſed ſub ratione abſoluta.

Vltima concluſio. Quamuis in relatis tertii Vlt. concl. ordinis menſura terminet relationem ſub ratione abſoluta, non poſſumus tamen intelligere, illam habere rationem termini, quin intelligamus eam ſub ratione relatiua, oppoſitæ nimirum relationis. Ita docet D. Thom. 2. *contra gent cap.11. & 1 lib. ſent. diſt.30. q.1. art.3.* Quæ Confirm. poteſt ad hunc modum confirmari: Eſſe ter- 1. argum. minum, eſt eſſe alicuius terminum: at omnis natura, quæ concipitur ab intellectu, vt eſt ad aliud, vel vt eſt alicuius, concipitur ſub ratione relatiua: ergo terminus harum relationum, vt talis intelligitur, debet concipi ſub oppoſita relatione. *Præterea.* In relatis tertii ordinis men- 2. argum. ſura ea ratione eſt terminus, qua metitur menſurabile: ſed nequit intelligi, vt metiatur menſurabilis, niſi intelligatur ab intellectu menſurante ſub oppoſita relatione rationis ad rem, quæ menſuratur: ergo terminus relationis debet concipi ab intellectu, ſub ratione relatiua. Vnde quamuis paries (v.g.) à parte rei terminet actionem videndi, nequit tamen concipi ab intellectu ſub ratione termini, niſi concipiatur ſub relatione rationis ad facultatem videndi.

Argumenta reſtant demum diſſoluenda. *Ad primum* primi ordinis reſpon. illud confirmare Ad 1. arg. noſtram opinionem, qui aſſerimus, in relatis tertii ordinis terminum eſſe naturam aliquam abſolutam. *Ad* 2. concedimus propoſitionem, Ad 2. in rebus abſolutis, negamus vero eam in relatiuis, nam in his pars diffinitionis non eſt prior re diffinita, ſed ſimul cum illa. *Ad* 3 reſpond. Ad 3. inprimis, actum illum, & potentiam, non eſſe vere relata, & categor. de quibus nunc loquimur, ſed eſſe relata tranſcendentia: diſtinguun-

tur

tur enim per omnes categorias, in omnibus enim illis datur proprius actus, & propria potentia. Reſpond. ſecundo, actum poſſe ſumi vel ſecundum ſuam entitatem & naturam, vel ea ratione, qua terminat relationem potentiæ, primo modo actus prior eſt poteſtate, non autem ſecundo, quo quidem ſimul natura eſt cum ea. *Ad primum* ſecundi ordinis reſpond. per particulam illam (*ad aliud*) intelligi debere terminum relationis abſtrahendo a correlato, vel abſoluto, nam huiuſmodi terminus in relatis primi & ſecundi ordinis eſt correlatum, ſecus vero eſt in relatis tertii ordinis, eſt quippe ille natura abſoluta, concepta tamē per intellectum ſub relatione oppoſita. *Ad quintum* negamus propoſitionem, ad cuius confirmationem dicimus, terminum relationis poſſe ſumi duobus modis, in ſe nimirum, & abſolute, vel vt ab intellectu concipitur ſub ratione terminātis. Ad perfectam igitur cognitionem alicuius relati non eſt neceſſe nouiſſe terminum in ſe & abſolute, ſat enim eſt, nouiſſe illum ſub ratione diffinientis, & terminantis: ad cognitionem itaque exactam creaturæ non neceſſario cognoſcendus eſt Deus, vt in ſe eſt, & abſolute, ſed ſat eſt cognoſcere illum ſub ratione terminantis relationem creaturæ, quo modo accurate poteſt cognoſci ab intellectu creato. *Ad ſextum* dicimus, eſſe creatorem, & ſcibile poſſe ſumi dupliciter, aut relatiue (vt aiunt) aut terminatiue. Deus ergo, vt eſt creator terminatiue, terminat ipſam relationem creaturæ, ante omnem intellectum, non autem vt eſt creator relatiue, idemque de ſcibili ſentiendum eſt: at eſſe creatorem, vel eſſe ſcibile terminatiue, non eſt terminum harum relationum (ſcientiæ nimirum & creaturæ) eſſe aliquid relatum.

Ad 1. 2. gene. *Ad 5.* *Ad 6.*

QVÆSTIO III.

Quænam ſint relata eiuſdem ordinis.

1. Opinio. IN hac quæſtione explicanda quidam exiſtimant, illa eſſe vocanda relata eiuſdem ordinis, quæ continentur in hac categor. Verum opinio illa hoc modo confutatur: *Reiicitur.* Quia perſonæ diuinæ ſunt relata eiuſdem ordinis, quæ tamen in nulla categoria continentur. *2. Opinio.* Alii proinde cenſent, illa eſſe relata eiuſdem ordinis, quorum fundamenta continentur in eadem categoria. *Reiicitur.* Cæterum neque hæc opinio conſtare poteſt, eo quod in humanis pater & filius ſunt relata eiuſdem ordinis, quorum tamen fundamenta in eadem categoria minime ſunt contenta, paternitatis enim fundamentum eſt actio generandi in patre, & filiationis in filio eſt eius paſſio: at actio & paſſio in eadem categoria non comprehenduntur, imo conſtituunt duo genera ſuprema. *3. Opinio.* Non deſunt præterea, qui doceant, relata iſta eſſe eiuſdem ordinis, quæ in vtroque extremo denotant aliquam perfectionem. *Reiicitur.* Quorum etiam opinionem in hunc modum reiicimus: Inter percutiens & percuſſum eſt relatio eiuſdem ordinis, at eſſe percuſſum, nullam perfectionem denotat, ſed imperfectionem. Præterea. Inter ſuadentem ad peccandum, & eum, qui ſuadetur, eſt relatio eiuſdem ordinis, cum tamen eſſe ſuaſum nullam exprimat perfectionem, ſed defectum liberi arbitrii. *4. Opinio.* Sunt denique & alii, qui cōſtituunt, illa eſſe relata eiuſdem ordinis, quæ à ſe inuicem mutuo dependent, cuiuſmodi ſunt pater & filius, dominus & ſeruus: diuerſi vero, inter quos non intercedat mutua depēdentia. *Reiicitur.* Nihilominus tamen neque hæc opinio conſtare vllo modo videtur, hi enim authores vel loquuntur de dependentia ſecundum fundamenta, vel de dependentia ſecundum ipſam relationem: ſi agant de priori dependentia, ita argumentor: Inter duo ſimilia affecta candore, intercedit relatio eiuſdē ordinis: at vnius fundamentum non dependet ab alterius fundamento, nam albedo vnius albi non dependet ab albedine alterius albi. Quod ſi dependentia ſecundum relationem loquantur, hoc item alio pacto inſurgo: Inter creatorem & creaturam eſt mutua dependentia, cum tamen creator & creatura non ſint relata eiuſdem ordinis. Dictum autem eſt, creatorem depēdere à creatura, non ſecundum rem, ſed ſecundum intellectum eo quod relatio creatoris ad creaturam eſt relatio rationis.

Expli. Medi. de hac quaſt. His itaq; opinionibus propoſitis, explicandum reſtat iuxta rei veritatem, quænam vocētur relata eiuſdē ordinis. Hanc rem explicabat M. Medina 1. *p. q.* 13. *art.* 7. his tribus aſſertionibus. *1. aſſert.* *Prima* eſt huiuſmodi: In relatis tertii generis non dantur relata eiuſdem ordinis, eo quod non ſit mutua dependentia inter extrema, nam menſura ſecundum rem non dependet à menſurato. *2. aſſert.* *Secunda.* In relatis primi generis illa dicuntur relata eiuſdem ordinis, quæ habent fundamentum eiuſdem categoriæ, vt ſunt ſimilia, & æqualia, quæ fundantur in vnitate; nam fundamentum duorum ſimilium (vt albedo) continetur in categoria qualitatis ſub tertia eius ſpecie. *3. aſſert.* *Tertia.* In relatis ſecundi generis illa dicuntur eſſe eiuſdem ordinis, quæ fundantur in vera actione & paſſione phyſica, cuiuſmodi eſt relatio ignis calefacientis, ad

aquam,

Digitized by Google

aquam, quæ calefit, eſt enim calefactio vera actio phyſica tranſmutans materiam, in qua eſt. Ex quibus aſſertionibus colligimus nonnulla, ex prima inter menſuram & menſurabile non eſſe relationem eiuſdem ordinis, quia ſunt relata tertii generis: ex ſecunda vero inter cauſam homonymam & effectum, non eſſe relationem eiuſdem ordinis, eo quod fundamentum vtriuſque non ſit eiuſdem ſpeciei & rationis: ſicut inter Deum & hominem ſimilitudo, non eſt relatio eiuſdem ordinis, quia natura diuina & humana, quæ ſunt fundamenta huius ſimilitudinis, non ſunt eiuſdem categoriæ aut ſpeciei: ex tertia demum colligitur, inter facultatem videndi, & parietem viſum, non eſſe relationem eiuſdem ordinis, quia relatio viſi fundatur in actione videndi, quæ non eſt actio phyſica, & tranſmutatiua, ſed metaphorica, vel metaphyſica. Hanc opinionem M Medinæ non tenemus, cum ſit doctiſſimi viri, nihilominus rem hanc (ni fallimur) multo breuius & accuratius explicamus in hunc modum.

Relata eiuſdem ordinis ſunt illa, quorum extrema ſunt eiuſdem generis & naturæ, & *Expli. 1. par.* mutuo inter ſe dependent. Dicimus inprimis, illa vocari relata eiuſdem ordinis, quorum extrema ſunt eiuſdem naturæ, ad hunc ſenſum, ſi vnum eorum fuerit infinitum, alterum quoque debet eſſe infinitum. & ita in diuinis pater & filius ſunt relata eiuſdem ordinis, quia quemadmodum pater eſt infinitus, ita quoque filius eſt infinitus: Et ſi vnum extremum fuerit ens rationis, alterum quoque debet eſſe ens rationis: vnde inter genus & ſpeciem datur relatio eiuſdem ordinis, eo quod quemadmodum genus eſt ens rationis, ita quoque ſpecies eſt ens rationis: *Præterea*, ſi vnum illorum fuerit finitum, alterum quoque debet eſſe finitum. Tandem ſi vnum fuerit ens rei, alterum quoque debet eſſe ens rei: vnde pater & filius ſunt relata eiuſdem ordinis, quia quemadmodum pater eſt ens rei, & finitum, ita quoque filius eſt ens rei, & finitum. *.parti.* Dicimus præterea, inter illa extrema, quæ ſunt eiuſdem ordinis, debere intercedere mutuam dependentiam ſecundum rem, vnde pater & filius, dominus & ſeruus ſunt relata eiuſdem ordinis, quia inter ipſos eſt mutua dependentia: at vero inter Deum & creaturam non eſt relatio eiuſdem ordinis, tum primo, quia non ſunt eiuſdem naturæ, quia Deus eſt ens infinitum, creatura vero eſt ens finitum. Tum ſecundo, quia Deus non dependet à creatura ſecundum rem, neque etiam relatio iuxta menſuram & menſurabile eſt eiuſdem ordinis, quia menſura ſecundum rem non dependet à menſurabili.

QVÆSTIO IV.

An multiplicatis terminis multiplicetur relatio.

PArs aiens his argum. ſuadetur. *Primum.* Pater per quamlibet generationem comparat ſibi aliquam entitatem: ſed nullam aliam poteſt comparare præter paternitatem: ergo in eodem patre, qui genuit multos filios, erunt multæ paternitates. *1. Argum.* 2. Paternitas fundatur in actione generandi: ergo cum in patre habente multos filios, dentur multæ actiones generandi, dabuntur quoque multæ paternitates. *2. argum.* *Præterea.* In patre habente multos filios, ſi vnus eorum pereat, perit habitudo paternitatis ad illum, remanente paternitate ad alios filios: ergo ſignum id eſt, quod erant in illo plures paternitates ad alios filios. *3. argum.* Probatur conſequentia, quia corrupta paternitate ad filium, qui interiit, adhuc ſupereſt paternitas ad alios filios. *Ad hæc* Talis eſt vis relatorum, vt vno amoto vel corrupto, alterum debeat etiam corrumpi: ſed pater quilibet & filius ſunt relata: *4. argum.* ergo amoto quolibet filio (ſi in patre vnica tantum eſt paternitas) peribit etiam pater: at hoc dicere eſt abſurdum: igitur aſſerendum erit, multiplicatis terminis, multiplicari etiam ipſam relationem.

1. Opinio. Scotus *3 ſentent. diſt. 8 q. 1.* & Scotiſtæ exiſtimant relationes eſſe multiplicandas ad multiplicationem terminorum, vnde tot, inquit ille, erunt paternitates in aliquo patre, quot ſunt illius filii. *2. Opinio.* Contrariam tamen ſententiam tenuit D. Thom. *in eadem diſt 8. ex ſenten. q. 1. art. 2. 3. p. q 35 art. 5.* Capreolus *1 ſenten. diſt 31. q 1* Caietanus & Medi. *in commen 3 p. loco citato ex D. Tho.* Hanc autem vt rationi magis conſonam, hoc modo explicamus.

1. Concluſio. 1. *Concluſio.* Relationes, quarum termini ſpecie differunt, debent multiplicari ad multiplicationem terminorum, vt in aliquo homine albo ſunt conſtituendæ duæ relationes, vna ſimilitudinis ad alterum album, & altera diſſimilitudinis ad æthiopem atrum, eo quod termini harum relationum, qui ſunt æthiops & candidum, ſpecie differunt. Confirmatur. Relationes petunt vnitatem & diſtinctionem ſpecificam à terminis, vt oſtendemus deinde: ergo multiplicatis terminis ſpecie diuerſis, debent etiam & multiplicari relationes eiuſdem generis. *Obſer.* Animaduertendum eſt tamen, hanc aſſertionem eſſe intelligendam de his relationibus, quæ habent diuerſum modū fundandi,

vt ſunt

vt ſunt ſimilitudo & diſſimilitudo: nam diſſimilitudo fundatur in numero, vel multitudine, ſimilitudo vero in vnitate. Vnde hæ ſunt relationes multiplicatæ ad multiplicationem terminorum, nam ſi modus fundandi non fuerit diuerſus, ſed vnus & idem, ad multiplicationẽ terminorum etiam ſpecie differentium, non multiplicantur relationes, quemadmodum in vno filio eſt vnica filiatio ad patrẽ & matrem, quamuis ſint extrema ſpecie diuerſa, eo quod in filio tantum eſt vnicus modus fundandi, qui eſt generatio paſſiua, reſpectu patris & matris, & ita tantum eſt vnica filiatio.

2. Concl. 2. *Concluſio.* Relationes eiuſdem ſpeciei numero diuerſæ non multiplicantur in eodem ſubiecto multiplicatis terminis, vt in eodem patre non ſunt multæ paternitates ad plures filios, quos genuit, ſed vnica duntaxat paternitate ad omnes illos refertur. Confirmatur in-

1. Argum. primis. Nequeunt in aliquo ſubiecto eſſe plura accidentia eiuſdem ſpeciei numero diſtincta: nam in Petro nõ eſt vna albedo, per quam eſt in capite albus, & alia, per quam in toto corpore, ſed per eandem albedinem eſt in capite albus, in manibus, & in toto reliquo corpore, vnde non poterunt in eodem ſubiecto eſſe multa accidentia numero diuerſa eiuſdem ſpeciei: at omnes paternitates ſunt eiuſdem ſpeciei, ſoloque numero differentes: ergo non poterunt multiplicari in eodem patre ad multi-

2. Argum. plicationem filiorum. Deinde, vbi eſt forma multiplicata, debet multiplicari paronymum: ergo ſi in eodem patre ſunt multæ paternitates, debent etiam paronyma multiplicari: vnde cum paronymum paternitatis ſit pater, erunt in eodem homine multi patres: ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Reliqua, quæ hic poterant addi, in quæſt. ſequenti proponentur.

Ad 1. argum. Ad argum. *Ad primum* dicimus, falſam eſſe aſſumptionem: nam pater per priorem generationem, qua genuit primum filium, comparauit ſibi paternitatem, per alias vero ſequentes nullam, ſed iam comparatam per priorem, auget, maiorem reddit, ad pluresque terminos

Ad 2. extendit. *Ad 2.* negamus conſequentiam, ad probationem dicimus, relationes ſpecificas multiplicari ad multiplicationem fundamentorum, numericas tamen ad multiplicationem ſubiectorum, in quibus ſunt, & ita in eodem homine numero quamuis multiplicentur actiones generandi, non erit multiplex pa-

Ad 3. ternitas. *Ad 3.* reſpon. paternitatem ſecundum rem eſſe vnam ad omnes filios, ſecundum rationem tamen eſſe multiplicem, quia terminatur ad multos, vt docuit D. Thom. 3. *ſent. diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 4. vnde quando perit vnus filius, non perit paternitas, ſed habitudo rationis, quæ erat paternitatis ad illum, tanquam ad terminum. Vel (vt alii dicunt) non perit paternitas, ſed minuitur, vel contrahitur ad pau-

ciores terminos. *Ad* 4. reſpon. duplicem eſſe terminum, adæquatum vnum, alterum inadæquatum, ſicut in paternitate, filius eſt terminus adæquatus, at vero hic filius eſt inadæquatus: Vnde corrupto vno relato, ſi quis ſit terminus adæquatus, & neceſſarius, corrumpitur quoque alterum relatum: ſi vero fuerit inadæquatus, haudquaquam corrumpitur, & ita cum quilibet filius ſit terminus inadæquatus, corrupto vno, vel altero, non peribit pater, ſed in eo caſu duntaxat periret, in quo omnes etiam illi perirent. *Ad 4.*

QVÆSTIO V.

An vnum relatum per eandem relationem poſſit ad plures terminos referri.

ET quidem non poſſe, confirmatur inprimis ex D. Tho. 1. *p. q.* 3 2. *art.* 2. aſſerente, diuerſos terminos, & ſpecie differentes, non poſſe vnam & eandem relationem terminare. *Se-* *1. Argum.*

cundo. Ariſt. 5. *Metaphyſ. cap.* 15. inquit, non poſſe aliquod relatum bis referri: at ſi per eandem relationem referretur in plures terminos, idem relatum bis referretur, ſemel in vnum terminum, & iterum in alium: ergo non poterit aliquod relatum per eandem relationem ad plures terminos referri. *2. Argum.*

De hac quæſt. Scotus *in* 3. *diſt.* 8. *q.* 1. (agens, num in filio vnica tantum, vel duæ potius filiationes reperiantur, vna ad patrem, & alia ad matrem) inquit, in illo duas eſſe filiationes, & non vnicam. *Prima,* quia in patre eſt diuerſa ratio terminandi relationem filiationis, quam in matre, pater enim terminat velut principium actiuum, mater vero, tanquam paſſiuum. *Se-* *Prima opinio.* *1. argum.*

cundo, quia vno ex his extremis (vtpote patre vel matre perempto) adhuc ſupereſt in filio relatio filiationis ad extremum, quod remanet, nam ſi, v g. mater pereat, adhuc eſt in filio relatio filiationis ad patrem, quæ certe nullo modo remaneret, ſi tantum eſſet in illo vnica filiatio ad vtrumque extremum, etenim cum deſtructo termino, etiam & relatio deſtrui debeat, ſi tantum eſſet in filio vnica filiatio, deſtructo patre vel matre, illico illa in filio euaneſceret. *2. argum.*

At contra ſentit idem D. Tho. 3. *p. q.* 35 *art.* 5. inquiens, poſſe idem relatum per eandem relationẽ referri ad terminos ſpecie diuerſos, pro- *2. parti.*

Digitized by Google

fertq; exemplum de filio, qui vna filiatione fertur in patrem & matrem, tanquam in terminos ſpecie diuerſos. Idem ſentiunt illius interpretes. Caietanus, Bannes, Torres, Cumel, & alii, 1.p.q.32.art.2.& 3.p.q.35.art.5. M. Medina cum aliis, in illius comment.

Obſer. Animaduertendum igitur eſt, hanc quæſt. in qua quærimus, an idem relatum referri poſſit per eandem relationem ad diuerſos terminos intelligi poſſe, aut de terminis ſolo numero differentibus, aut de terminis, qui ſpecie diſtinguuntur. Obſer. 2 animaduer. eſt, terminos ſpecie differentes poſſe ſumi, aut vt ſunt partiales, & inadæquate terminantes aliquam relationem: aut vt ſunt totales, adæquate ſcilicet relationem aliquam abſoluentes. Nam quemadmodum in cauſis quædam ſunt totales, & aliæ partiales, ita in terminis relationum philoſophandum erit, quoſdam eſſe totales, & alios partiales.

1. Concluſio. His animaduerſis, ſit *prima concluſio*. Idem relatum per eandem relationem referri poteſt in plures terminos numero differentes. Confirmatur, quia idem pater per eandem paternitatem refertur ad plures filios, & idem album per eandem ſimilitudinem ad plura alba, iuxta opinionem, quam in ſuperiori q. ex D.Tho. propoſuimus.

2. Concluſio. *2. Concluſio.* Idem relatum per eandem relationem referri poteſt ad plures terminos ſpecie diuerſos, in adæquatos, & partiales. Confirmatur, quia idem filius per eandem relationẽ filiationis refertur in patrem, & in matrem, tanquam in terminos partiales & inadæquatos relationis filiationis. Et quidem in filio tantum eſſe vnicam relationem, per quam referatur ad patrem, & ad matrem, conſtat *primo*: 1. Argum. Quia pater & mater concurrunt ad generationem filii, tanquam vnum totale, & adæquatum principium: ergo filius vnica tantum filiatione referetur ad illos. Confirmatur conſequentia, quia quando duæ cauſæ partiales concurrunt ad eundem effectum producendum, effectus vnica tantum relatione refertur ad illas, vt ſi ad aliquam ſtatuam cõficiendam duo artifices concurrant, certe non referetur illa vna relatione ad vnum artificem, & alia ad alterum, ſed vnica duntaxat relatione ad illos duos referetur: cum igitur pater & mater concurrant tanquam vna cauſa totalis ad generationem filii, vnica tantum relatione, & non duabus, filius referetur ad illos. 2. Argum. *Iam*. Si in filio eſſent duæ filiationes, vel illæ eſſent ſpecie, vel numero diuerſæ: numero ſolo diſtingui non poſſunt, quia accidentia habent vnitatem ex ſubiecto, ac proinde, quæ ſunt in eodem ſubiecto, nequeunt ſolo numero differre: nec ſpecie, quia in his, quæ ſpecie differunt, fundamẽtum proximum debet quoque ſpecie differre, at in filio vnicum duntaxat eſt fundamentum relationis filiationis, nimirum generatio paſſiua: non igitur erunt in illo plures filiationes. *Et tandem*, quia ſi in filio eſſent duæ filiationes, 3. argum. vere, & proprie, eſſet duplex filius, quemadmodum ſi in aliquo homine eſſent duæ albedines, eſſet vere & proprie duplex album, quod certe nullus vnquam admittet.

3. Concl. *3. Concluſio.* Non poteſt aliquod relatum per vnam & eandem relationem referri ad terminos ſpecie differentes totales & adæquatos. Hanc confirmant duo illa argu. quæ in principio propoſuimus, ex authoritate D.Thom. & Ariſt. Confirmari que poteſt, quia relationes à terminis, in quos feruntur, naturam & eſſentiam deſumunt: ſi igitur termini ſpecie differunt, & relationes, quæ in illos feruntur, ſpecie quoque different, neque poterit vna relatio ad illos, qui ſpecie differunt, terminati.

Ad 1. argum. Ad argumenta igitur ex his conſtat, quid reſpondere debeamus. Ad alia vero duo, quæ referẽtes opinionem Scoti in illius patrocinium propoſuimus, reſpon. ad primum, has rationes terminandi eſſe inadæquatas, & non totales, neque adæquatas, nam ex ratione principii actiui & paſſiui adæquate coaleſcit ratio vna terminandi in patre & in matre, relationem filiationis. Ad 2. *Ad 2.* reſpon. negando ſequi incommodum, quod inferebatur, etenim quamuis in terminis totalibus & adæquatis, verum ſit pereunte termino relationem perire, hoc tamen in terminis inadæquatis non eſt verum, quemadmodum pereunte actu perire quoque debet potentia, ſi fuerit actus adæquatus, non tamen ſi fuerit inadæquatus, vt conſpicimus in materia prima, quæ (cum ſit pura potentia) non perit pereunte vna forma, quæ eſt actus illius inadæquatus.

QVÆSTIO VI.

A quo relatio obtineat vnitatem.

HAnc diſputat Soncinas 5. *Metaphyſ. q.32.* quæ de vnitate numerica, ſpecifica, & generica eſt explicanda. *Sit igitur prima concluſio.* Quælibet relatio ex ſubiecto, cui inhæret, 1. Concl. & ex fundamento ſortitur vnitatem numericam. Hanc profitetur D. Thom. *in 3 diſt.8. q.1. art.5.* quæ confirmatur, primoque ſumere vnitatem à ſubiecto. 1. argum. Commune eſt omnibus accidentibus rei à ſubiecto deſumere vnitatem,

Digitized by Google

nam iuxta Ariſtot. *5. Metaphyſ. cap. 6.* illa dicuntur eſſe vnum numero, quorum materia (id eſt, ſubiectum) eſt vnum numero: ergo cum relatio prædicamentalis, de qua hic agimus, ſit accidens rei, à ſubiecto deſumet vnitatē. Confir. deinde,

2. argum.

eandem etiam à fundamento haurire. Vnitas eſt proprietas entis, ergo ab eadem cauſa aliquid habebit vnitatem, a quo habet entitatem: ſed relatio habet ſuam entitatem: ergo ab eodem habebit vnitatem.

Opin. Scoti.

Scotus tamen *in 3. diſt. 8. q. 1.* arbitratur, hanc vnitatem a termino eſſe petendam, vnde illa erit iuxta ipſum vna numero relatio, cuius terminus eſt vnus numero, & illa multiplex, cuius terminus eſt multiplex numero: cuius opinio poteſt hoc argumento demōſtrari:

Argum.

Relatio prius natura reſpicit terminum, quam fundamentum, & ſubiectum, ſed in illo priori eſt vna numero: ergo vnitas numerica a termino, & non a ſubiecto, vel fundamento petetur.

Solutio.

Cui reſpon. falſam eſſe propoſitionem, quia tam intima eſt relationi, habitudo ad fundamētum, & ſubiectum, quam ad terminum, nam cum illa & ſit accidens, & tale accidens (quod vtrumq; eſt de intima & eſſentiali ratione ipſius) vt eſt accidens, reſpiciet ſubiectum, vt autem eſt tale accidens, quod refertur ad aliud, reſpiciet fundamentum & terminum. Ordine tamen prius enim fundamentum, quam terminum intuebitur, nam prius eſt in effectu, ab aliquo fluere, quam ad aliud terminari, at relatio a fundamento fluit, & terminatur in terminum, in quem fertur.

2. Concl.

2. *Concluſio.* Vnitas generica generis ſupremi huius categoriæ peti debet ex peculiari quodam modo afficiendi ſubſtantiam, nimirum ex eo, quod eſt ipſam referre in aliquem terminum.

Confirm.

Confirmatur: Quia omnes catego. hauriunt entitatem & naturam ex diuerſo modo afficiendi ſubſtantiam, vt quantitas ex eo, quod afficit eam, tanquam menſura, & qualitas, tanquam affectio, vt diximus in antecategoriis, ſed a quo aliquid habet entitatem, habet etiam & vnitatem: ergo ex hoc modo afficiendi ſubſtantiam, qui eſt ipſam referre ad terminū, ſortietur hæc categ. vnitatē genericam.

3. Concl.

3. *Concluſio.* Vnitas ſpecifica relationis ex vnitate termini eſt colligenda. Itaque illa erit vna ſpecie relatio, cuius eſt vnus terminus ſecundum ſpeciem. Confirmatur, quia relatio eſt quædam via ad terminū præ ſe ferens quandam motus ſimilitudinem: ſed vnitas ſpecifica motus, eſt ex vnitate ſpecifica termini haurienda: ergo vnitas ſpecifica relationis quoque ex vnitate ſpecifica termini erit poſtulanda. Vnde omnes paternitates ſunt eædem ſecundum ſpeciem, quia omnes filiationes, in quas feruntur, ſunt etiam eædem ſecundum ſpeciem. Animaduertendum eſt tamen, non eſſe hoc ita intelligendum, quaſi terminus ſit de intrinſeca ratione vnitatis relationis, hoc enim dici nullo modo poteſt, cum ſit ille quid extrinſecum relationi: ſed quia habitudo ad ipſum eſt, quæ confert vnitatem, quemadmodum & eſſentiam ſpecificam relationibus.

4. Concl.

4. *Concluſio.* Hæc eadem vnitas ſpecifica non a ſolo termino, verum etiam & a fundamentis peti debet. Vnde illæ relationes erunt eædem ſecundum ſpeciem, quarum fundamenta erūt eadem ſecundum ſpeciem, & illa diuerſa, quarum fundamenta erunt quoque diuerſa, atque ita omnes paternitates ſunt eædem ſecundum ſpeciem, quia omnes actiones generandi, quæ ſunt fundamenta proxima, ſunt eædem ſecundum ſpeciem. Præterea ſimilitudo & diſſimilitudo ſpecie different, quia fundamenta proxima harum relationum ſpecie differunt: nam fundamentum ſimilitudinis eſt vnitas ſpecifica duarum qualitatum: diſſimilitudinis vero eſt multitudo ſpecifica qualitatum, at vnitas & multitudo in qualitatibus ſpecie diuerſis, ſpecie differunt.

Obiectio.

Contra tamen dicet aliquis: Albedo eſt fundamentum proximum relationis ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, nam per eandem albedinem cygnus eſt ſimilis niui candidæ, & diſſimilis æthiopi nigro: ſed albedo eſt vna ſecundum ſpeciem, & non multiplex: ergo relatio non habet vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam a fundamentis.

Solut.

Reſp. negando propoſitio. Quia albedo fundamentum eſt remotum, & non proximum, hoc enim in ſimilitudine eſt vnitas ſpecifica, in diſſimilitudine vero multitudo: quæ duo ſpecie differunt, vt iam in quæſt. monuimus.

QVÆSTIO VII.

An entis ad non ens poſſit eſſe relatio rei.

IAm ſupra *q. 2. ſect. 1.* hanc tetigimus controuerſiam, quam eandem paulo altius repetentes, libuit in hoc loco diffuſius explicare. Et certe inter hæc extrema interuenire relationē rei, his argumentis poſſumus demonſtrare.

1. argum.

Primum. Oppoſitio rei, eſt relatio rei: at inter ens & non ens datur oppoſitio rei: ergo inter ens & non ens dabitur relatio rei. Maior nota eſt, minorem ita confirmamus: Inter contradictoria datur vera & legitima oppoſitio rei: ſed inter ens & non ens datur oppoſitio cōtradictoria, vt inter hominē, & nō hominē, prout

anthor eſt Ariſtot. *in poſtcategor. cap. de contrariis.* ergo inter ens & non ens dabitur vera & legitima oppoſitio rei. 2. Menſurabilis ad menſuram (vt ſcientiæ ad ſcibile, & intellectus ad rem intellectam) dantur relationes rei, ex Ariſt. 5. *Metaphyſ. cap.* 15. ſed intellectus aliquando intelligit non ens (chimeram, v.g.) & ſcientia aliquando refertur ad ens rationis, vt eſt Dialectica, quod ens non eſt à parte rei, ergo inter ens & non ens poteſt relatio rei interuenire. 3. Relationes primi ordinis, quæ fundantur in vnitate, ſunt relationes rei: at illarum extrema feruntur ad non entia: ergo inter ens & non ens poterit eſſe relatio rei. Confirmatur aſſumptio. Terminus, in quem fertur extremum huius relationis, eſt alterum extremum, vt eſt vnum vnitate ſpecifica cum illo, vt exempli cauſa, extremum ſimilitudinis inter duo candida, eſt alterum extremum candidum, ea ratione, qua eſt vnum ſecundum ſpeciem cum priori candido: ſed huiuſmodi vnitas eſt non ens, nam eſt ſpecifica, quæ tantum habet eſſe per intellectum, ac proinde erit non ens à parte rei, iam ergo, &c. Et confirmatur, quia hæc vnitas eſt priuatio diuiſionis ſpecificæ: at priuatio eſt non ens, ſecundum Ariſt. 4. *Metaphyſ. cap.* 2. *Iam*, Ariſt. 5. *Metaph. c.* 15. inquit, relata ſecundi ordinis eſſe diſtribuenda ſecundũ tres temporis differentias, præteriti, præſentis, & futuri, vt inter calefaciens & calefactum præteritum, præſens & futurum, intercedit relatio realis ſecundi generis: ex quo ita argumentor: Inter calefaciens & calefactum, datur relatio realis: ſed calefactum præteritum non eſt: ergo entis ad non ens poteſt eſſe relatio realis. *Vltimo.* Inter effectum & cauſam datur relatio realis ex parte effectus, ſed aliquando cauſa non eſt, vt relatio effectus ad finem (v.g. actionis voluntatis ad opes, & ingentes theſauros, qui non ſunt) ergo inter ens & non ens poterit intercedere relatio rei.

His & aliis argumentis commoueri potuit Gregor. Arimi *in* 1 *diſt.* 28. *q.* 3 *art.* 1. vt opinaretur, inter ens & non ens intercedere veram & legitimam relationem realem. At contra ſententiunt grauiſſimi viri, D. Tho. 1. *p. q.* 13. *art.* 7. *ad* 4. *in* 1. *diſt.* 30 *q.* 1. *art.* 1. *& in multis aliis locis*, Capreolus *in eod.* 1 *diſt.* 30 *q.* 1. *art.* 2. Ferrari 2. *contra gentes, cap.* 11. Soncinas 5. *Metaphyſ. q.* 27. Caietanus *in hac categoria relatorum, fere in fine*, Niger 2. *parte clypei, q.* 36. & omnes recentiores Thomiſtæ. Imo neque Scotus *in* 1. *diſt.* 31 ab hac ſententia abhorrere videtur.

Vt igitur noſtram etiam ſententiam de hac re proponamus, ſciendum eſt, non ens ſumi poſſe vel in quadam late patente ſignificatione, vt idem ſignificat, quod nihil, vel quod idẽ eſt, vt ſignificat illud, quod neque eſt, neque eſſe poteſt, neque habet in re fundamentum, vt ſit, vt ſunt chimeræ, monſtra animi, figmenta, & alia, quæ præter liberam effingentis voluntatem, nullum habent in re fundamentum: vel in alia contractiori, in qua ſumitur pro illo, quod non eſt actu, quamuis extiterit, vel futurum ſit aliquando. In qua ſignificatione dicimus roſam præteritam, & quæ futura eſt, eſſe non ens. Illud etiam ſcire oportet, hoc intereſſe inter non ens primi & ſecundi generis, quia illud primum neque immiſit, neque immittit ſpeciem aliquam intellectilem in intellectum patibilem, neque natum eſt immittere, vt poſſit illum excitare ad veritatem aliquam de ſeipſo intelligendam, neq; terminat ratione ſui veram aliquam animi conceptionem, mons enim aureus nunquam immiſit, nec immittet ſpeciem aliquam intellectilem, cuius ope intellectus poſſit vera aliqua comprehenſione in ipſum ferri. Cæterum non ens ſecundi generis immiſit aliquando ſpeciem, quæ valeat intellectum ad veritatem aliquam de ſe capiendam excitare, vt roſa, quæ euanuit, immiſit ſpeciem intellectilem, quæ nata eſt ipſum ad ſe intelligendam mouere, & roſa, quæ futura eſt, nata eſt hanc ſpeciem immittere. Reuocanda eſt etiam ad memoriam diſtinctio illa in ſuperioribus ſæpe repetita, relationis in tranſcendentem, & categorialem, vel prædicamentalem.

His igitur animaduerſis, ſit prima concluſio: Inter ens & non ens primi generis datur relatio tranſcendens. Hanc argumento, quod primo loco propoſuimus, ſuadere poſſumus: Quia inter ens & non ens datur diſtinctio realis, vt inter hominem & chimeram, at diſtinctio realis, relatio eſt realis, ex numero illarum, quæ ſunt tranſcendentes.

2. *Concluſio.* Inter ens & non ens eiuſdem generis, non poteſt relatio vlla prædicamentalis interuenire. Hanc his argumentis demonſtramus, primoque: Inter relata rei hanc legem obſeruandam præcepit Ariſtoteles, vt vno poſito, & alterum ponatur, & amoto vno, & alterum quoq; illico amoueatur: ſed hæc lex inter ens & non ens huius generis obſeruari nequaquam poteſt: nam, poſito ente, non ponitur non ens, neq; illo amoto, non ens amouetur, vt poſito homine, non ponitur chimera, nec illo amoto, ipſa amouetur: ergo inter ens & non ens non poterit relatio aliqua realis interuenire. *Secundo.* Relatio non ſolum à fundamento, verum etiam & a termino dependet,

Marginalia (left): *argum.* — *argum.* — *argum.* — *argum.* — *Opinio.* — *Opinio.* — *Obſer.*

Marginalia (right): 2. *Obſer.* — 3. *Obſer.* — 1. *Concluſio.* — 2. *Concl.* — 1. *Argum.* — 2. *argum.*

Digitized by Google

uam ſi non dependeret, non poſſet vlla ratione per ipſum diffiniri: ſed fieri nulla ratione poteſt, vt ens à non ente dependeat: ergo non ens, non poterit eſſe terminus realis ipſius entis, ac proinde, neq; inter hæc extrema poterit hæc relatio realis interuenire. *3. Argum.* *Iam.* Non minus requirit relatio realis terminum realem, quam relatio rationis terminum rationis: ſed omnis relatio rationis habet terminum rationis, vt terminus generis eſt ſpecies, & ſubiecti eſt attributum, quæ ſunt entia rationis, ergo terminus relationis realis erit quoq; ens reale: ſed non ens, non eſt ens reale: ergo entis ad non ens relatio realis dari nulla ratione poterit. Legendæ ſunt aliæ rationes apud Soncinatem, & Nigrum vbi ſupra.

3. Concluſ. 3. *Concl.* Inter ens, & non ens ſecundi generis, illud nimirum quod fuit, vel erit aliquando, vel cuius in intellectu remanent ſpecies intellectiles, vel natum eſt eas immittere, intercedit vera, & legitima relatio realis. Itaque inter ſcientiam de roſa quæ euanuit, & ipſa roſam cuius ſunt ſpecies in intellectu, dabitur vera relatio realis: & inter actionem voluntatis, & finem apprehenſum per propriam, vel eiuſdem generis ſpeciem, dabitur vera relatio realis. Hæc certe (ni fallor) à nemine rem probe perpendenti poteſt diffiteri. *1. Argum.* 1. Quia inter ſcientiam, & huiuſmodi non ens, nimirum roſam quæ euanuit, datur relatio menſurabilis ad menſuram: nam ſcientia de roſa, vere menſuratur à roſa præterita, talis ſi quidem eſt, qualis fuit roſa. at relatio menſurabilis ad menſuram, eſt relatio realis. *2. Argum.* 2. Quia non minus terminat hoc genus non entis relationem realem, quam ſi eſſet ens reale, imo experimur eodem modo terminare relationem ſcientiæ quando eſt, & quando iam euanuit: ſi igitur ita terminat, poterit ſcientia vera relatione reali ad hoc genus non entis terminari. Et confirmatur, quia hoc genus non entis exequitur per ſuam ſimilitudinem in mente retentam munera entis rei, nam excitat intellectum, inflectit voluntatem, & ſic de aliis, & enim ſpecies roſæ excitat mentem, & ſpecies finis (vt aut apprehenſi) inflectit voluntatem ad illum proſequendum: ergo poterit terminare relationem realem, cum non ſit maior huius, quam aliorum munerum entis rei.

Ad 1. arg. Æquum eſt iam vt arg. in initio propoſitis ſatisfaciamus. Ad primum iam ſatisfecimus in 1. concl. *Ad 2.* Ad 2. reſp. inter intellectum intelligentē chimeram, & ipſam chimeram nullam relationē realem interuenire: neq; enim verum eſt, inter omnem intellectionem, & rem intellectā relationem menſurabilis ad menſuram interuenire, cum hoc tātum ſit verum inter intellectionem, & rem intellectam, quæ per propriam vel eiuſdē generis ſpeciem poteſt intellectum mouere. At chimera neque propriam, neq; eiuſdem generis ſpeciem habet. Inter Dialecticam autem, & ens rationis, dabitur vera relatio rei ex parte Dialecticæ, menſurabilis ad menſuram, quia ens rationis per ſpeciem impreſſam entis rei, ita excitat intellectum, ac ſi eſſet ens rei. Et certe ita obtinet concluſio. quæ de illo poſſunt ſciri, & proprietates quæ de eodem poſſunt demonſtrari, ac ſi eſſet ens rei. Ad 3. reſp. vnitatem illam quæ *Ad 3.* eſt fundamentum proximum ſimilitudinis horum extremo. non eſſe vnitatem rationis, ſed rei, nam eſt vnitas negatiua, vel conformitas attributo eſſentia. inter illa extrema, quę eſt à parte rei. Et quamuis admitteremus eſſe vnitatem rationis, non colligitur inſtitutum, quia ens rationis, non eſt non ens, cum habeat in re fundamentum. Ad confirma. reſp. priuationem non eſſe non ens, ſed ens rationis: neque Ariſt. vnquam docuit illam eſſe ſimpliciter non ens, ſed eſſe in habitudine ad ens rei, non ens, quia ſi conferatur cum illo, eſt tam exiguæ entitatis, vt non entis potius, quam entis, nomen poſſit ſibi promereri. Ad 4. reſp. inter calefaciens, & cale- *Ad 4.* factum præteritum, dari relationem rei, ſi referantur ad tempus in quo extiterunt, neq; aliud docere voluit Ariſt. quando inquit inter agens, & patiens præteritum, dari relationem ſecundi generis, quam referendo vtrunque ad tempus in quo vel agebant actu, vel patiebantur. Et idem intelligendum erit de relatione agentis ad pati- *Ad vlt.* ens temporis futuri, eſſe nimirum realem, referendo illa ad tēpus in quo actu erunt. *In vltimo argum. diſſoluendo* digladiantur maxime nonnulli Philoſophi, verum ex his quæ diximus perfacilis eſt ſatis ſolutio, iam enim in vltima concluſ. docuimus relationem hanc effectus ad finem, eſſe realem, cum per ſpeciem propriam, aut eiuſdem generis inflectat voluntatem ad ſe proſequendum, ac ſi eſſet præſens, actuque exiſtens in rerum natura.

QVÆSTIO VIII.

An relatio dicat aliquam perfectionem necne?

NOn eſt animus de relatio. diuinis, & infinitis aliquid agere, hoc enim Theologis 1. p. q. 28. art 2. diſcutiendum prætermittimus, & de qua re in illo loco interpretantes D. Th. noſtram ſententiam propoſuimus: neq; enim illorū ſententiam probare vlla ratione poſſum, qui res Theologicas in Dialectica pertractare non verētur, quemadmodum neq; aliorum, qui has quęſtiones quæ aditum præbent, viamque ſternunt ad diſputationes Theologicas capeſcendas, fa-

Digitized by Google

ſtidioſe nimis reprehendunt: ſed ita has quæſtio. pertractandas eſſe docuimus, vt omnibus artificibus & diſputationibus ſuus locus concedatur. De hac tamen re alio loco diffuſius, ſuperiori aura fœliciter nobis arridente. Vt igitur quæſtio. propoſitam explicemus, non indicare relationes aliquam perfectionem, hoc modo poſſumus ſuadere. *Primo*, relatio denotat habitudinem ad aliud, nimirum ad terminum, & non ad ſubiectum, vt conſtat ex diffinitione relatorum ab Ariſt. propoſita: ſed perfectio exprimitur vt inhærens ſubiecto quod perficitur, nam perfectio (iuxta commune, & protritum dictum) debet eſſe in perfectibili, iam ergo relatio non ſignificabit aliquam perfectionem. *Iam.* Entia Mathematica neque ſunt bona, neque perfecta, quia non ſumuntur vna cum ſubiecto, ſed vt ſeparata ab illo, vt auctor eſt Ariſtot. 3. lib. Metaphyſ. cap. 2. ergo eum relatio non ſumatur vt inhærens ſubiecto, ſed vt reſpiciens terminum, neque bona erit neque perfecta.

Argum. *Argum.*

In hac quæſtione ſunt tres opiniones. Prima eſt Gabr. *in 1. diſt. 7. qu. 3. Barthol. Torres 1. p. qu. 28. art. 2. diſput. 3. in 2. p.* in qua ferunt extitiſſe M Cano, relationes iuxta propriam rationem denotare aliquam perfectionem. *Secunda eſt* Caiet. in eodem loco *1. p. q. 28. art. 2.* qui exiſtimat illas in propria ratione abſtrahere à perfectione, & imperfectione, ſignificareque in relationibus rei aliquam perfectionem, in aliis vero rationis nullam. *Tertia eſt* Capt. *in 1. diſt. 7. q. 1. ad 3. contra. 1. concluſ.* & multorum aliorum, illam in propria ratione nullam denotare perfectionem.

Opin. Opin. Opin.

Sciendum eſt igitur relationem ſumi poſſe in communi, vt præciſe deuotat eſſe ad, & in alia contractiori ſignificatione, vt denotat eſſe ad, contractum per eſſe reale, id eſt per eſſe quod conſequitur rem, ex natura ſui fundamenti. *Iterum* animaduertendum erit duplicem eſſe perfectionem alicuius formæ, vnam per modum actus primi, & alteram per modum actus ſecundi, perfectio prioris generis, nihil aliud eſt quam formas conferre aliquod eſſe ſubiectis: perfectio vero alterius generis per modum actus ſecundi, eſt, vt ab illa promanent aliquæ operationes, tunc enim forma eſt perfecta in actu ſecundo, quando aliquid agit, & molitur.

Obſeru. Obſeru.

His ſic obſeruatis, ſit prima concluſio. Relatio in communi vt tantum denotat eſſe ad, vel præciſam habitudinem ad terminum, nullã denotat perfectionem. 1. Quia relatio ita ſumpta non ſumitur vt inhærens ſubiecto, ſed vt terminum reſpiciens: at perfectio ſignificari debet, vt ſubiecto quod perficitur inhærens. 2. Quia relatio hac ratione ſumpta, amplectitur relationem rationis: at nullum ens rationis eſt bonum, vel perfectum, vt oſtendimus *lib. 5. Tranſcen. cap. 2.* quare hac ratione non poterit eſſe perfecta.

Concluſ. Argum. 1. Argum.

2. *Concluſ.* Relatio in alia anguſtiori ſignificatione ſumpta, vt denotat ad reale, perfectionem deuotat in actu primo. *Confirmatur.* Quia relatio hoc modo eſt bona, nam bonum eſt proprietas entis rei, vt in eodem 1. lib. Tranſcen. docebamus: ergo erit perfecta, nam bonum, & perfectum idem ſunt. *Deinde* omnis forma inhærens ſubiecto eſt perfectio illius, uam eſt actus, eius, at actus perfectionem aliquam præ ſe ferre videtur: ſed relatio rei eſt forma quædam inhærens ſubiecto: ergo erit perfectio illius.

2. Concluſ. 1. Argum. 2. Argum.

3. *Concluſ.* Hæc eadem relatio non ſignificat perfectionem per modum actus ſecundi. *Confirmatur* quia forma ea ratione eſt perfectio per modum actus ſecundi, qua eſt principium agendi, & operandi: ſed relatio non eſt principium alicuius actionis, nam ad illam neque eſt per ſe motus, neque ipſa eſt principium alicuius motus, ex Ariſt. *5 Metaph. cap. 2.* ergo relatio hoc genus perfectionis non indicabit. *Iam.* Forma quæ indicat hanc perfectionem eſt potentia quædam agendi, eſſe enim principium actionis eſt poſſe aliquid agere: at relatio non eſt potentia agendi, omnis etenim huiuſmodi potentia ſub limitibus qualitatis comprehenditur, ſub quibus relatio comprehendi nequaquam poteſt. Itaque relationes paternitatis, & filiationis, aliæque huius generis, in communi ratione, vt tantum denotant eſſe ad, nullam perfectionem imo neque imperfectionem ſignificabunt, & vt denotant eſſe ad reale, ſignificabunt perfectionem in actu primo, quia ſunt actus ſubiectorum quibus inhærent, non tamen in actu ſecundo, quia non ſunt principia agendi, & operandi.

3. Concluſ. 1. Argum. 2. Argum.

Ad argu. ex his facilis eſt ſolutio. Ad 1. enim dicimus illud tantum concludere de relatione vt præciſe denotat eſſe ad, hac namque ratione, non denotat habitudinem ad ſubiectum quod perficitur, ſed ad terminum: nihil tamen concludere de relatione reali, quia hæc non tantum ad terminum, verum etiam & ad ſubiectum denotat habitudinem. Ad 2. dicimus admittendam eſſe conſequentiam (quidquid ſit de antecedente de quo abunde egimus. *5. lib. Tranſcen. cap. 3.* ſi agamus de relatione vt tantum denotat eſſe ad, hanc enim nos libenter admittimus, non denotare vllam perfectionem;

Ad 1. arg. Ad 2.

negan-

neganda eſt tamen ſi agamus de relatione vt denotat eſſe ad reale, & ratio diſcriminis eſt, quia rationes huius generis, denotant habitudinem ad ſubiect. ac proinde ſignific. aliquam perfectionem: at res Mathematicæ (vt Mathematic. conſiderantur) non denotant habitu. ad ſubiectum ob quam cauſam nullam perfectionem indicabunt.

Multi parum ingenuorum adoleſcentum vtilitati conſulentes, de relationibus diuinis multa hoc loco proponunt. ex ipſis fontibus Theologorum petita: quorum ſane inſtitutum vituperatione maxima dignum eſſe iudico, nam quid obſecro rudes adhuc adoleſcentes, & rerum Theologicarum omnino ignari, de his rebus quæ ſuperiorem poſtulant (quam Dialecticam) cognitionem, mente poterunt apprehendere? Illa igitur conſulto prætermittimus, ne in aliorum vitium merito incidamus. Poterit qui voluerit ea apud Theologos 1. p. q. 13. conſulere. Hactenus igitur de relatis, illorumque natura, & proprietatibus.

DE QVALITATE ET QVALI

CAPVT IV.

ARGVMENTVM CAPITIS.

IN hoc cap. quatuor præſtat Ariſt. in quæ poterit totum caput diuidi. In prima parte qualitatis diffinitionem, & quatuor eius ſpecies proponit, in ſecunda diſputat de quali, in tertia tres illius proprietates nobis tradit: & tandem in vltima quandam dubitationem diſſoluit.

QValitatem autem voco, ex qua quales nominamur. Qualitatis aũt genera ſunt plura. B. Vnum, habitus & affectio. Sed habitus hoc differt ab affectione, quod habitus longinquior eſt, & permanentior, quales ſunt ſcientia, atq; virtutes. Scientia enim in eis eſt, quæ permanent, diuturnaq; ſunt, etiam ſi ſcientia aliquis ſit mediocriter inſtructus: niſi vi morbi aut alicuius eiuſdem generis permagna inciderit mutatio. Eadẽ eſt ratio virtutis. Vt iuſtitia, vt temperantia, & cætera eiuſdẽ generis, non facile euelli mutariq; poſſunt. At vero affectiones facile cõmutari, celeriterq; euelli poſſunt & diſtrahi: vt calor, vt frigus, vt morbus, vt bona valetudo, omniaq; quæ ſunt generis eiuſdem. Nã & his homo quodammodo afficitur, & celeriter ex calore in frigus cõmutatur & ex bona valetudine in morbũ. Quod idem in cæteris talibus contingit, niſi aliqua eorum longinquitate temporis in natura habitũ ſic transferantur, vt vehementer tolli non poſſint, aut ægre ejici: quæ tũ habitus appellari licet. Illud autem perſpicuum eſt, ea demum in habitibus conſeri ſolere, quæ diuturniora ſunt, quæque permanentiora. Nam qui in ſcientiarum cognitione non ita valde ſunt confirmati, ſed facile adhuc dimoueri queunt, in iis habitum eſſe non ſolemus dicere, quanquam quodammodo affecti ſunt ſcientia, aut deterius aut melius. Hoc igitur inter habitum & affectionẽ intereſt, quod hæc facile deſiſtere poteſt, ille diuturnior eſt difficiliterq; diuellitur. Habitus vero etiam affectiones ſunt: affectiones autem non neceſſe eſt viciſſim eſſe habitus. Nam ij in quibus habitus inſunt iis etiam afficiuntur. At qui affecti ſunt, ij non continuo habitibus ſunt præditi. C. Alterum genus qualitatis eſt, ex quo aliquos ad pugilatum aptos, & ad curſum: alios ad bonam valetudinem & ad morbos proclines eſſe dicimus, & omnino ea omnia quæ a vi & facultate naturali, aut imbecillitate appellantur. Non enim ex eo hæc dicuntur, quod affecti ſint quodam certo genere, ſed quia vim quandam aut imbecillitatem eis natura tribuit, qua apti ſunt ad facile aliquid faciendum, nihilve patiendum. Vt curſorios dicimus, & pugilares, non ex eo quod affecti ſunt quodammodo ſed quod naturalem habent facultatem ad aliquid facile faciendum. Valentes etiam appellantur quod vim habeant naturalẽ, vt non facile, nec leui de cauſa de ſtatu ſuæ valetudinis dimoueantur. Inbecilli aũt, quod tam infirma ſunt valetudine, vt ſtatim quauis ex cauſa cõmoueantur. Similis eſt ratio durorum & mollium. Durum enim dicitur ex eo, quod in eo vis inſit quædam innata impediens, quominus facile ſecari queat. Molle autem, quod ad hoc ipſum imbecillitatem habeat. D. Tertium qualitatis genus cõſtituunt patibiles qualitates ac perturbationes, affectuſve: in quo genere ſunt dulcedo, amaror, acerbitas, quæq; ſunt eiuſdem generis: itemq; calor, frigus, candor, ater: Has au-

tem eſſe

tem eſſe qualitates hinc perſpici poteſt, quod ea in quibus inſunt qualia ex eis nominãtur. Vt mel, quia dulcedine perfuſum eſt, dulce appellatur: & candidum corpus, quod candore ſit praditum. Quod idem in cateris contingit. E. Sed patibiles qualitates vocantur, nõ quod ea qua eas receperunt aliquid perpeſſa ſint, neq; enim mel ex eo dulce dicitur, quod aliquid paſſum ſit nec quicquam tale. Itemq; calor & frigus qualitates vocantur patibiles, non ob eam cauſam quod ea in quibus inſunt, paſſa ſint aliquid: ſed patibiles qualitates ex eo dicũtur, quod in ſenſibus omnes ha qualitates, quas modo nominaui, paſſionem quandam efficiant. Nam & dulcedo quandam permotionem affert guſtatui, & calor tactui, & catera eiuſdem generis. At vero candor & nigror aliiq; colores non eodẽ modo, quo ea qua diximus, patibiles qualitates dicuntur, ſed quod a perturbationibus motionibusq; nata ſint. Nam commutationes multas colorum ex perturbationibus oriri, hinc intelligi poteſt, quod quando quis pudore afficitur, ruber fit, & qui metuit, pallidus, itemq; cateris eiuſdem generis. Quo circa ſi cui natura aliquem talem euentum aut permotionem tribuerit, veriſimile eſt eum ſimili fore colore. Qua enim, cum pudore aliquis affectus eſt, in corpore naſcitur affectio, eadem a natura inſtitutione exiſtere poteſt, vt natura etiam ſimilis color oriatur. F. Quotquot ergo huius generis accidentia ortum habent, & originem, a perturbationibus qua vix tolli poſſunt, ac permanent, patibiles qualitates nominantur. Siue enim a prima conſtitutione natura pallor, aut ator, extitit, qualitas dicitur (quales enim ex eis appellamur) ſiue longo morbo, aut ardore eadem comparata ſunt qualitates, nec facile corrigi poſſunt, aut per omne tempus atatis valent, qualitates etiam ha patibiles nominantur, ſiquidem ex iis quales appellamur. Qua autẽ ab iis qua facile euelli poſſunt oriuntur, permotiones ac perturbationes dicuntur, qualitates non item, quandoquidem non ex iis homines quales nominantur. Neq; enim qui erubuit, ob id ipſum quod pudore affectus eſt, ruber vocatur: nec qui metu expalluit pallidus: ſed potius nõ nihil perturbatus fuiſſe dicitur. Ita perturbationes ſunt hac quidẽ omnia, qualitates non ſunt. Similiter in animo & patibiles qualitates dicuntur & perturbationes. Qua enim ſimul ac orti ſumus, ex motionibus qua difficulter euelli poſſunt, oriuntur, ea etiam qualitates nominantur: vt mentis a ſua ſede amotio, vt ira, & catera eiuſdem generis. Nam quales ex iis nominamur, vt amentes, vt iracundi. Itemq; omnes mentis ex ſuo ſtatu depulſiones, qua non natura, ſed aliis quibuſdam caſibus hominibus eueniunt, ſi vix euelli poſſunt in qualitatum numero hac enim habentur, quippe cum ex iis quales nominemur. At qua conſtant ex iis qua facile ac cito diſſipari poſſunt, vocantur perturbationes, vt ſi quis ira cõmotus, fiat iracundior. Neq; enim iracundus appellatur ex eo quod in hac perturbatione iracundior exiſtat ſed potius quod aliquid acceperit, & quaſi paſſus ſit, dicimus. Perturbationes igitur ha, nõ qualitates vocantur. G. Quartum qualitatis genus eſt figura. & ea qua in quoq; eſt forma. itemq; rectitudo, & obliquitas & ſi quid aliud his ſimile eſt. Nam ex his aliquid quale dicitur. Nam & triangulum & quadratum & rectum. & obliquum eſſe, quale quiddã nominatur. Atq; etiam ex forma quale aliquid nominatur. H. Rara autem & craſſa, aſpera & leuia quale quiddam illa quidem videntur ſignificare, ſed aliena ſunt ab ea qua qualitatis propria eſt affectione. Sitũ enim potius verba talia declarant, Craſſum enim quid dicitur quod eius partes inter ſe prope cohareant. Rarum autem id cuius partes inter ſe diſiunctæ ſunt. Leuia, quod partes quodammodo in rectum ſita ſint. Aſpera, quod partes alia emineant, alia ſuperentur. Alia etiam fortaſſe ſunt genera qualitatis, ſed hac ſunt fere qua maxime in omnium ore verſantur. Ac qualitates quidem ha ſunt, quas diximus. I. Qualia autem ſunt ea qua ab eis ſunt cognominata, aut quoquo alio modo deducta: pleraq; enim ac fere omnia ab iis nomina duxerunt, vt a candore candidus, a Grammatica Grammaticus, a iuſtitia iuſtus, itemq; catera eiuſdem generis. Sunt autem quadam, qua, quoniam nomina nulla impoſita ſunt qualitati, nomina ſua ab ea non trahant, velut curſorius & pugilaris qui ex vi innata nominatur, nomen non traxit ab vlla qualitate. Neq; enim impoſita ſunt facultatibus nomina ex quibus quales hi appellantur, perinde atq; ſcientiis, a quibus hi pugiles aut palaſtrici nominantur propter affectionem. Pugilatus enim & palaſtra ea artes appellantur, a quibus quales ij nominis coniugatione appellantur. Interdum impoſitum nomen eſt qualitati, cum interim id quod quale ex ea dicitur nomen non mutuatur ab ea, vt a virtute virtute praditus. Virtute enim praditus dicitur aliquis, quod virtutem habeat; nec eſt ſimplex a virtute cognominatum. Idq; in paucis contingit. Sunt igitur qualia ea, qua nomina ſua ab iis qualitatibus, de quibus differui, ſumpſerunt, aut alio quodammodo ab iis orta ſunt. K. Eſt autem qualitatibus inter ipſas aduerſorum repugnantia, vt iuſtitia iniuſtitia aduerſa eſt, & candor atrori, itemque catera eiuſdem generis. Eadem eſt corũ ratio qua ex iis qualia nominantur: velut iuſta iniuſtis contraria ſunt, & nigra candidis. Nec hoc in omnibus contingit. Rubris enim aut fuſco coloribuſve talibus, nihil aduerſum eſt, cum ſint qualia. Illud etiam intelligendum eſt, ſi vnum aduerſorum in qualibus eſt, alterum etiam in iis fore: quod ſingulatim cateras categorias intuenti perſpicere licet: velut, ſi iniuſtitia contraria ſit

iuſtitia

iuſtitia, iuſtitia autem ſit qualitas, qualitas iniuſtitia ſit neceſſe eſt. Nulla enim categoria præter qualitatem iniuſtitiæ conuenit, & accommodatur: vt nec quantitas, nec ad aliquid, nec vbi, nec omnino cæterarũ vlla. Similis eſt ratio cæterorum omnium quæ in qualitate contraria ſunt. L. *Recipiunt & intenſionem & remiſſionem qualia. Nã & album aliud alio albius dicitur, & aliud alio magis minuſve iuſtum. Atque etiam incrementum ipſa ad ſe comparata recipiunt: quod enim album eſt, fieri poteſt albius. Sed in pleriſque id fit, nõ in qualibus omnibus. Nam iuſtitiane alia, alia magis minuſve iuſtitia dicatur, quæſtio eſt. Quod idẽ in cæteris affectionibus contingit. Nonnullis enim hæc in dubium veniunt. Iuſtitiam enim iuſtitia minorem maioremve, aut ſanitate ſanitatem dici non putant oportere. Alium quidem alio & ſaniorem dicunt, & iuſtiorem, quod idem fit in grammatica cæteriſque affectionibus omnibus. Sed ea quæ ex ipſis nominantur, ſine vlla controuerſia magis & minus ſibi adiungũt. Nam & alio alius peritior grammaticus eſt, & ſanior, & iuſtior. At vero triangulus, & quadratum illud magis & minus non admittunt, neque vlla alia figura. Ea enim in quæ trianguli orbiſque definitio valet, omnia æque trianguli orbeſque ſunt. Eorum aũt quæ trianguli orbiſque nõ recipiunt definitionẽ, nihil aliud alio magis dicetur. Nam nihilo magis quadratum quam altera parte longius, eſt circulus, quippe cum in neutrum valeat circuli definitio. Omnino autem, niſi vtraque rationem eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterum altero magis minuſve dicatur. Non igitur in omnibus qualibus illud magis minuſve dicitur. At eorum quidem quæ adhuc cõmemorata ſunt, nihil eſt qualitatis proprium.* M. *Similia autem aut diſſimilia aliqua ex ſolis qualitatibus dicuntur: præſertim cum nihil ſimile aut diſſimile dicatur alia re vlla, niſi ex qua illud quale appelletur. Eſt igitur qualitatis propriũ, ab ea aliquid ſimile aut diſſimile nominari.* N. *Sed nihil eſt quod verear, ne quis nos dicat cũ de qualitate diſputaremus, multa enumeraſſe eorum quæ in iis eſſe dixerim quæ cum aliquo conferantur. Etenim habitus & affectiones ad ea retulimus, quæ cũ aliquo cõferuntur. Nam in omnibus fere qualitatibus, genera ipſa ex iis ſunt, quæ cum aliquo conferuntur, cum res ſingulæ nulla in iis reperiantur. Nam & ſcientia quæ genus eſt, quicquid ipſa eſt, alterius eſſe dicitur (alicuius enim ſcientia vocatur) at ſingulæ nulla quicquid ipſa ſunt, ad aliud referunt. Vt grammatica nõ dicitur alicuius grammatica, nec muſica alicuius muſica: niſi forte hæc ipſa per genus, in iis ſunt quæ cum aliquo conferuntur. Velut Grammatica alicuius rei ſcientia dicitur, non alicuius rei grammatica: & muſica alicuius ſcientia, non alicuius muſica. Non ſunt igitur ſcientiæ ſingulæ in iis quæ cum aliquo conferuntur. Quales autem ex ſingulis ſcientiis nominamur, quoniam eæ ſunt quæ in nobis inſunt: ſcientes enim ex eo dicimur, quod quibuſdam ex ſingulis ſcientiis præditi ſumus. Quare ſingulæ ſcientiæ etiam qualitates erunt ex quibus quales appellamur, nec in iis ſunt quæ cum aliquo conferuntur. Iam vero ſi idem ſit & in qualitatibus & in iis quæ cum aliquo conferuntur, non alienum eſt id ipſum in vtroque genere collocare.*

COMMENTARIA.

MEtho. ſequens diffin. hanc categ. ab illius diffin. auſpicatur, illico qualitatis diffinitionem ſub his verbis proponens.

1. Pars capit. Quid ſit quali.

A *Qualitatem autem voco &c.* In prima parte huius cap. Ariſt. diffinit qualitatem ita dicens. *Qualitas eſt ex qua quales nominamur.* Quemadmodum candor, & ſapientia, ſunt qualitates, nam à candore candidi & à ſapientia ſapientes vocamur. Hac diffinitione explicata, Ariſt. progreditur ad exponendas ſingulas ſpecies qualitatis, quas omnes duobus nominibus circumſcribit.

1. Species quali.

B *Vnus habitus. &c.* Prima ſpecies qualitatis eſt habitus, & affectio. Verum antequam de his ſpeciebus agamus, erunt breuiter variæ vtriuſque ſignificationes proponendæ. Habitus igitur (qui deriuatur à verbo habere) tria ſignificat, quemadmodum & ipſum verbum; nam primo ſignificat rem aliquã poſſidere, qua ratione dicimur habere ſeruum, id eſt, poſſidere ſeruum. 2. Significat relationem ſignificatam per modũ actionis, & paſſionis, inter rem quæ habet, & inter rem quæ habetur, quæ ſignificatio conſtituit propriam categoriam habere. 3. Significat aliquo modo rem eſſe affectam, & ita communi modo loquendi interrogamus aliquem vti habes? id eſt, quomodo es affectus, valeſne? an ægrotas? in qua poſtrema ſignificatione conſtituitur habitus prima ſpecies qualitatis in hoc loco. *3. Signific.*

Diſpoſitio præterea vt colligimus ex Ariſtot. 5. *Metaph. c. 19.* tria etiam ſignificat, nam primo ſignificat ordinem partium in loco, quæ ſignificatio reuocanda eſt ad categ. ſitum eſſe. 2 Denotat ordinem partium alicuius formæ leuiter, & imperfecte acquiſitæ, quam vocat Ariſt. diſpoſitionem ſecundum facultatem, vt ordo partium in calore leuiter in aqua comparato, vocatur diſpoſitio. 3. Significat ordinem partium ſecundum formam perfecte comparatam in ſubiecto, vt ordo partium caloris perfecte comparati in aqua, vocatur diſpoſitio. Cum ergo ſint hæ tres ſignificationes affectio, vel diſpoſitio tan-

4. Signific. diſpoſitio.

Digitized by Google

tantum conſtituit hanc ſpeciem in ſecunda ſignificatione: nam in prima reuocatur ad categoriam ſitum eſſe, & in tertia non differt ab habitu. His in medium productis de habitus,& diſpoſitionis ſignificationibus regrediamur ad Ariſt. qui hoc aſſignat diſcrimen inter habitum, & affectionem. Habitus inquit eo ſeparatur ab affectione, quia eſt qualitas diuturna, & difficile mobilis à ſubiecto, vt ſunt omnes ſcientiæ, artes, & virtutes, nam ſi quis ſemel conſequutus fuerit faſtigium alicuius artis, non poterit niſi eum difficultate magna illam amittere, vel interueniete vi alicuius morbi, vel obliuione longi temporis intercedente. At vero affectio non eſt qualitas diuturna, ſed facile remouetur à ſubiecto, quemadmodum calor, & frigus, morbus, & valetudo, nam calor ab exteriori principio proueniens non diu perſeuerat in corpore, ſed ſtatim remouetur ab eo. Ex quo diſcrimine colligere poterimus vtriuſq; diffinitionem, nam habitus definitur. Qualitas diutna difficile mobilis à ſubiecto. Affectio vero. Qualitas non diuturna, ac facile mobilis à ſubiecto. Adhibet tamen Ariſt. hanc particulam omnem habitum eſſe affectionem, non tamen omnem affectionem eſſe habitum, quæ verba ſunt ita interpretada. Affectio duo ſignificat, nam ſignificat primo omne accidens, nam accidentia omnia afficiunt aliquo modo ſubiectum: ſecundo ſignificat quandam qualitatem, quæ facile poteſt à ſubiecto remoueri. Vnde quando Ariſt. docuit omnem habitum eſſe affectionem, loquutus eſt de affectione in prima ſignificatione: at vero quando deinde docet affectionem non eſſe habitum, ſumpſit affectionem in ſecunda ſignificatione. Sub hac ſpecie continentur omnes artes, ſcientiæ, ſpecies intellectiles, vitia & virtutes, tam noſtris actionibus comparatæ, quam etiam nobis à Deo Opt. Max. infuſæ, vt ſunt fides, ſpes, charitas.

Discr. inter habitus & aff.

C *Alterum genus qualitatis eſt, &c.* Secunda ſpecies qualitatis eſt naturalis vis, & imbecillitas, vel (vt alii dicunt) potentia, vel impotentia, naturalis. Naturalis vis diffinitur facultas quædam a natura tributa ad aliquid agendum, vel ad reſiſtendum alicui: ad agendum vt eſt facultas in quibuſdam hominibus ad pugnam, ad reſiſtendum vero alicui, vt eſt in quibuſdam hominibus robur corporis ad reſiſtendum omnibus ægritudinibus, & in ferro duritas, etiamque in lapide. Imbecillitas quoque naturalis diffinitur ineptitudo naturalis vel ad aliquid agendum, vel ad reſiſtendum alicui: ad agendum vt in quibuſdam hominibus eſt ineptitudo ad luctam, & pugnam, & ad alia huiuſmodi: ad reſiſtendum vero, vt eſt in aliis qui ſtatim ſuccumbunt omnibus ægritudinibus, & in mollibus ad reſiſtendum corrumpenti, nam res molles ſtatim illi cedunt. Sub hac ſpecie continentur omnes virtutes lapidum, plantarum, & metallorum, omnes proprietates, ſicut in homine aptitudo ad ridendum, in equo ad hinniendum, & in cane ad latrandum: omnes potentiæ & facultates animæ, tam vegetantis, cuiuſmodi ſunt facultates generandi, nutriendi, & accreſcendi: quam ſentientis, vt facultas appetendi, ſecundum locum mouendi, & ſentiendi, ſicut omnes ſenſus tam externi quam interni: quam etiam intelligentis, vt ſunt memoria, intellectus, & voluntas.

Species quali.

D *Tertium qualitatis genus, &c.* Tertia ſpecies qualitatis eſt patibilis qualitas & perturbatio. Patibilis qualitas hoc modo diffinitur. *Qualitas difficile mobilis a ſubiecto, & afficiens ſenſum.* Vt rubor qui eſt quibuſdam hominibus à natura tributus, eſt patibilis qualitas, remouetur enim difficile à ſubiecto, & afficit viſum. Perturbatio vero diffinitur *qualitas facile mobilis a ſubiecto, & afficiens ſenſum*, ſicuti rubor contractus ex verecundia dicitur perturbatio, eo quod euaneſcit ſtatim à ſubiecto, atque afficit viſum. Confirmat Ariſt. patibilẽ qualitatem eſſe qualitatẽ hoc arg. Qualitas eſt à qua quales nominamur: ſed à patibili qualitate nominamur quales, vt à rubore naturali rubei & mel à dulcedine dulce, & corpus à candore candidum nuncupatur, ergo patibilis qualitas, qualitas erit. Sub hac ſpecie continentur omnes qualitates primę, calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, & omnia genera ſaporum, & colorum.

3. Species quali.

E *Sed patibiles qualitates, &c.* Animaduertit tamen Ariſt. duobus modis vocari poſſe aliquas patibiles qualitates. Primo modo ex eo quod tantum afficiant ſenſum, non tamen ſubiectũ, cuiuſmodi ſunt primæ qualitates, calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, nam hæ non mutant vllo modo ſubiectum in quo ſunt, quemadmodum in melle dulcedo eius non mutat mel ſed facultatem guſtandi. Aliæ vero dicuntur patibiles qualitates eo quod oriantur ex aliqua perturbatione, vel affectione ſubiecti, & non tantum quia afficiunt ſenſum, vt ſunt colores, nam hi nõ ſunt in ſubiecto niſi per aliquam tranſmutationem illius. Quod ita confirmamus. Color rubeus & pallidus in homine verecundo, vel timente non ſunt in illo niſi per aliquam tranſmutationẽ: ergo & alii colores non erunt in ſuis ſubiectis niſi per aliquam tranſmutationem.

F *Quotquot ergo &c.* Conſtituit deinde Ariſt. duo diſcrimina interuenientia inter patibilem quali-

1 Diſcr. inter patibilem

qualitatem, & perturbationem.

qualitatem, & perturbationem. 1. Patibilis qualitas eſt diuturna in ſubiecto, & difficile remouetur ab eo, at vero perturbatio non eſt diuturna ſed facile mobilis à ſubiecto. Hanc rem explicat Ariſt. exemplis propoſitis in accidentibus tam corporis, quam animi, nam ſi quis inquit habeat ruborem inſitũ à natura, qui difficile remouetur & eſt diuturnus in ſubiecto, dicimus illum eſſe affectum patibili qualitate: ſi vero contrahat ruborem ex verecundia dicimus illum eſſe affectum perturbatione, eo quod rubor ille non ſit in eo diuturnus ſed ſtatim ab illo euaneſcat. Idipſum rurſus explicat in perturbationibus animi, nam ſi quis ex natura ſua proclinis ad iracundiam ſtatim iraſcatur, huiuſmodi iracundiam dicimus patibilem qualitatem, in his namque hominibus eſt diuturna, & difficile mobilis: at vero iracundiam in homine miti, qui aliquando iraſcitur ex iuſta cauſa, vocamus perturbationem, nam illa neq; eſt diuturna, neque cum difficultate mobilis, imo ſtatim euaneſcens à ſubiecto.

2. Diſcrimen

2. Differunt patibilis qualitas, & perturbatio ex eo, quia à patibili qualitate vocamur ſimpliciter, & abſolute quales, nequaquam tamen à perturbatione ſimpliciter quales denominamur, ſicut in eiuſdem exemplis, à rubore à natura inſito, vel ab iracundia naturali vocantur homines rubei, vel iracundi: cæterum à rubore contracto ex pudore, & ab iracundia in homine miti non vocantur homines ſimpliciter, & abſolute rubei, vel iracundi.

4. Species quali.

G *Quartum qualitatis genus, &c.* Quarta ſpecies qualitatis erit figura, & forma, vt quadratura, rectitudo & obliquitas alicuius anguli, & alia id genus. Confirmat autem Ariſt. hoc atq. figuram eſſe ſpeciem qualitatis. Qualitas eſt à qua quales nominamur: ſed. à figura res nominantur figuratæ, vt à quadrato quadratæ: ergo figura erit ſpecies qualitatis. Quid autem nomine figuræ, & formæ intelligat Ariſt. & an duæ hæ ſpecies differant in quæſtionibus ſequentibus explicabimus.

H *Rara autem & craſſa.* Quærit tamen Ariſt. an rarum, & denſum, aſperum & lene contineantur ſub aliqua ſpecie qualitatis, ex his quatuor aſſignatis, videntur enim contineri debere ſub tertia ſpecie patibili ſcilicet qualitate, cum moueant hæc vtraq; ipſum ſenſum. Docet nihilominus Ariſt. hæc in categ qualitatis comprehendenda non eſſe, imo contenta eſſe in categ. ſitum eſſe. Hoc vero confirmat Ariſt. ex eorum diffinitionibus, diffinitur namq; denſum cuius partes inter ſe minus diſtant: rarum autem cuius partes inter ſe magis diſtant: lene præterea diffinitur cuius partes ſunt æquales, aſperum tamen quod habet partes inæquales, & ex quibus quædam magis eminent quam aliæ: at habere partes magis, aut minus diſtantes, æquales, vel inæquales in loco, continetur in categ. ſitum eſſe: ergo & hæc vtraque continebuntur in illa. & non in categ. qualitatis. Quod intelligendum eſt ſecundum ordinem partium in loco, nõ autem vt afficiunt ſenſum, hac enim ratione in iſta proculdubio categor. qualitatis ſunt contenta, vt ipſemet Ariſt 2. *lib. de Ortu cap.* 2. ingenue profitetur. Ex his concludit Ariſt. fortaſſis eſſe plures ſpecies quã ſint ſix aſſignatæ, has nihilominus eſſe tantum propoſitas eo quod verſentur maxime in ore omniũ Philoſopho. Ex quibus verbis anſam ſumunt interpretes dubitandi, dentur ne plures ſpecies qualitatis necne? quam dubitationem etiam & nos inferius exagitabimus.

I *Qualia autem ſunt ea.* Exorditur Ariſt. 2. partem huius cap. proponens diffinitionẽ qualis, quæ eſt huiuſmodi. Quale eſt quod à qualitate denominatur quale, vt grammaticus, cãdidus, & iuſtus, nam grammaticus denominatur à grammatica, quæ eſt qualitas, & eodẽ modo iuſtus à iuſtitia, & candidus à candore. Adnotat tamen quædam eſſe qualia quæ quidem deriuantur ab aliqua qualitate, non tamen ab ea denominantur, vel quia nondum eſt impoſitum nomẽ illi qualitati à qua deriuantur, ſicut pugil, & curſor: nam pugil deriuatur à facultate luctandi à qua tamen non denominatur, quia non eſt illi hactenus aliquod nomen impoſitũ, ſed potius denominatur pugil ab arte luctandi, quia pugil ille dicitur qui tenet artem palæſtrẽ: vel ideo illud contingit, quia forma à qua deriuatur quale, nequit obtinere paronymum quod denominetur ab ea, quemadmodum ſtudioſus deriuatur à virtute, & eſt quale virtutis, non tamen denominatur ab ea, ſed à probitate, vel ſtudioſitate, eo quod virtus caret paronymo. *2. Pars capit.*

K *Eſt autem qualitatis, &c.* Proponit Ariſt. tres proprietates huius categ. *Prima eſt.* Qualitati aliquid eſt contrarium, nã iuſtitiæ aduerſatur iniuſtitia, & candori contrariatur atror, quæ proprietas nõ ſolum competit qualitati, verum etiam quali, nam iuſtum contrariatur iniuſto, & candidum aduerſatur atro. Animaduertit tamen Ariſt. hanc proprietatem non conuenire omnibus qualitatibus, etenim qualitatibus mediis vt ſunt medii colores, viridis nimirum, cæruleus, & alii id genus, nihil contrariatur, nam medio compoſito ex extremis contrariis neutrum ex extremis poteſt aduerſari. Adnotat præterea Ariſt hanc legem eſſe obſeruandam in contrariis, vt ſi vnum eorum fuerit contentum *3. Pars capit.*

Digitized by Google

mul, & quali: errant nihilominus maxime, quia inſcriptio propoſita eſt valde accommodata, & ita legunt Ammon. Boet. B. Albert. Magnus. imo & D Auguſt. *in ſuis categor.* Cum enim tituli capitum explicent, quid contineatur in cap. & in hac categ. non de quali ſolum, ſed & de qualitate etiam diſputarit Ariſt. merito præſens iſtud caput inſcribi debuit de qualitate & quali. *Interrog. 1. cauſa.* Quod ſi quis inquirat, ob quam cauſam tra titulum Ariſt. propoſuerit. Reſpõdendum erit primo cum Porphy. *in interrogat.* quia hoc nomen, quale, aliquando ſubiectum affectum qualitate, & aliquando ipſam qualitatem apud veteres ſignificabat: vt album aliquando pro corpore affecto albedine, & interdum pro eadem albedine vſurpabatur: vt igitur vtramque huius vocis ſignificationem amplecteretur, titulum propoſuit de qualitate & quali, quaſi diceret, parum referre, ſiue de quali, ſiue de qualitate titulum propoſuerimus. Se- *2. cauſa.* *cundo* dicimus cum Ammonio, hoc ideo effectum eſſe, quia qualitas, cum ſit occultior quali, debuit per illud nobis nota fieri, ac proinde nõ de ſola qualitate, ſed de quali, ſimul titulum propoſuit, vt intelligeremus, non de ſola forma, verum etiam & de paronymo eſſe diſputandum, vt ex illo ad formam ipſam, & qualitatem latentem intelligendam manu duci poſſemus. *Tertio* reſp cum Seuerino Boet. cum hoc nomen, quale, aliquando pro ſubiecto, & aliquando pro ipſa qualitate ſumatur, ne fortaſſis poſſit aliquis falli, putans, hic agi de quali ratione ſubiecti, ob hanc cauſam vtrumque coniunxit, nimirum qualitatem cum quali, vt ita intelligere poſſemus, in hoc loco agi de quali, non ratione ſui, & ſubiecti, ſed ratione qualitatis & formæ, quam ſignificat. Legendi ſunt M. Soto, Mercado, Villalpand. Tolet. & alii. Nõnulla alia, quæ obſeruare poteramus, in quæſtionib. diſcutienda prætermittimus.

DISPVTATIO DE QVALITATE, vnica Sectione comprehenſa.

ARGVMENTVM.

Libuit totam hanc diſputationem vnica ſectione comprehendere, in qua de natura, proprietatibus, ſpeciebus, & formis, & de his, quæ in illa continentur, diſputabimus. Verum quia illud, quod primo ſeſe offert in qualibet diſputatione explicandum, eſt rei, de qua eſt ſuſcepta diſputatio, eſſentia & natura, ab ea quæſtione, quæ qualitatis naturam exprimit, auſpicabimur: vnde ſit quæſtio prima.

SECT. VNICÆ IN CATEG. QVALITATIS. QVÆST. I.

Sitne qualitas recte ab Ariſtotele diffinita.

QValitatem hiſce verbis in principio capitis diffinierat Ariſtot. *Qualitatem autem voco, ex qua quales nominamur.* Quam certe *1. argum.* eſſe vitioſam, his argumentis oſtendimus. 1. Vitium eſt, in diffiniendo committere circulum: ſed in hac eadem categoria diffinit Ariſt. quale per qualitatem, inquiens, quale illud eſſe, quod à qualitate tale dicitur, ergo non debuit committendo circulum qualitatem per quale diffi- *2. argum.* nire. 2. Lex eſt optimæ diffinitionis, vt per ea, quæ ſunt priora & notiora, tradatur: at quale nec prius, nec notius eſt qualitate, ergo non debuit qualitas per quale diffiniri. Confirmatur minor: Effectus neque eſt notior, neque prior ſua cauſa, imo eſt illa ignotior, atque poſterior: ſed quale eſt effectus qualitatis: ergo neque erit notior, neque prior qualitate. *Iam.* Si hæc diffinitio optima eſſet, etiam licitum eſ- *3. argum.* ſet, quantitatem & relationem eodem modo diffinire, vt quantitatem, à qua quanti dicimur, & relationem, à qua relati nominamur: neque enim eſt maior ratio, ob quam liceat qualitatem ita, & non quantitatem vel relationem diffinire: at neque Ariſtoteles, neque alius vnquam hæc accidentia in hunc modum diffinijt: ergo neque licitum fuit ita qualitatem diffinire. *Iterum.* *4. argum.* A virtute non dicimur quales, neque enim ab illa virtuoſi nominamur: præterea neque à perturbatione dicimur quales, non enim à rubore contracto ex verecundia, rubei nominamur, vt in hoc cap. docet Ariſtot. at virtus & perturbatio ipſa, veræ ac

legitimæ ſunt qualitates: ergo non erit optima propoſita qualitatis diffinitio.

Concluſio. Explicatur concl. Sit, tamen in explicationem prima concluſio. Hæc diffinitio qualitatis ab Ariſtotele propoſita eſt optima. Hanc auctoritate Ariſtotelis, & communi conſenſu omnium Dialecticorum eſſe optimam, poſſumus confirmare, omnes ſiquidem illam & laudant, & admittunt. In qua diffinitione adnotant Beatus Albertus Magnus, Caietanus, & alii, in illo verbo, *dicimur*, latere myſterium, intelligi ſiquidem debet de nobis hominibus, & non de ſubſtantiis ſpiritualibus, neque de aliis corporeis præter hominem. Etenim cum ex qualitatibus quædam ſint corporeæ, & aliæ ſpiritales, in ſubſtantiis corporeis tantum poſſunt eſſe qualitates corporeæ, in ſpiritualibus vero tantum reperiri queunt qualitates ſpiritales: at in homine, qui ex corpore & ſpiritu conſtatur, vtræque qualitates reperiuntur: nam in corpore afficitur calore, frigore, aliisque qualitatibus corporeis, in ſpiritu vero, ſcientiis, artibus, ſpeciebus intellectilibus, & aliis huius generis ſpiritualibus. Itaque qualitas eſt, a qua nos homines, quales, iuxta vtramque qualitatem corpoream & ſpiritalem nominamur.

2. Concl. 2. *Concluſio.* Hæc diffinitio non eſt eſſentialis, ſeu deſcriptiua. Ita Porphyr. *in interrogatio.* Ammonius, Simplicius, Boetius, Beatus Albertus Magnus, Caietanus, & fere omnes recentiores in commentariis profitentur. *Confirmatur 1 pars.* Inprimisque, non eſſe eſſentialem, confirmamus, quia diffinitum huius diffinitionis eſt genus ſupremum categoriæ: at genera ſuprema nequeunt diffinitione eſſentiali diffiniri. *Secunda vero primo confirm.* *Deinde*, eſſe deſcriptiuam, oſtendimus primo, quia hæc diffinitio traditur per effectum formalem qualitatis: nam vt optime adnotat Caietanus, particula illa, *a qua, vel ſecundum quam, &c.* denotat habitudinem cauſæ formalis, idemque pollet, ac ſi diceremus, qualitas eſt, à qua in genere cauſæ formalis, quales dicimur: at diffinitio, quæ traditur per effectum formalem, vel quemlibet alium, deſcriptiua ab omnibus appellatur. *Confirm. ſecundo.* *Secundo.* Quia illa diffinitio, quæ traditur per ea, quæ ſunt priora, & nobis notiora, ignotiora tamen, & poſteriora natura, eſt deſcriptiua: ſed hæc diffinitio eſt huiuſmodi, traditur enim per quale, quod eſt nobis notius, & prius qualitate, primo, quia eſt magis compoſitum: at compoſitiora ſunt ſenſibus magis familiaria, nobiſque notiora: tum ſecundo, quia notior eſt nobis Grammaticus, quam Grammatica, & ſapiens, quam ſapientia: erit igitur hæc diffinitio deſcriptiua. Itaque quemadmodum diffinitio naturæ ab Ariſtotele propoſita 2. *Phyſicor. cap* 1. per principium & cauſam motus & quietis, tradita eſt per effectum, nimirum per motum & quietem, ob quam rationem non eſt eſſentialis, ſed deſcriptiua: ita & hæc altera qualitatis tradita per eius effectum formalem, non erit eſſentialis, ſed deſcriptiua.

Ad argum. æquum eſt iam reſpon. *Ad primum* dicimus, in diffinitionibus eſſentialibus (præſertim rerum abſolutarum) vitium eſſe, circulum committere: at in diffinitionibus accidentariis & deſcriptiuis, hoc nulli vitio verti debet, maxime vero cum non eodem modo fuerit vtraque diffinitio propoſita, nam hæc qualitatis, tradita eſt per ea, quæ ſunt priora & notiora nobis, vtpote per effectum formalem: altera vero, qualis tradita eſt per ea, quæ ſunt priora, & notiora natura, nimirum per qualitatē, q̄ hoc modo eſt prior & notior ipſo quali. *Ad 1. arg.*

Ad 2 dicimus, duobus modis eſſe aliqua notiora, & priora, natura ſcilicet, & nobis: igitur cum duplex ſit diffinitio, vna eſſentialis, & alia accidentaria eſſentialis, tradi debet per ea, quæ ſunt priora, & notiora natura, accidentaria vero econtra, per ea, quæ ſunt priora & notiora nobis. Vnde cum hæc ſit diffinitio accidentaria, tradita fuit per ea, quæ ſunt priora & notiora nobis, per quale nimirum, quod certe multo notius eſt & familiarius qualitate. *Ad 2.*

Ad 3. inprimis reſpon. licitum quoque eſſe, quantitatem & relationem per ſuos effectus formales eo modo, quo & qualitas ipſa fuit diffinita, diffinire. Et ita in categoria quantitatis in Scholiis cum Louanienſibus, fuit à nobis in hunc modum quantitas diffinita, *A qua quanti nominamur*, & eodem modo relationē poſſumus diffinire, *A qua dicimur relati.* Vel dicere poſſumus, in qualitate nullum alium effectum eſſe, quam reddere ſubſtantiam qualem, ac proinde per huiuſmodi effectum fuit illa diffinita: at in quantitate præcipuus effectus eſt reddere ſubſtantiam diuiſibilem, & in relatione referre ipſam ad ſuum terminum. Et ob hanc cauſam non fuit quantitas diffinita, à qua quanti dicimur, & relatio, à qua relati nominamur, ſed fuit quantitas 5. *Metaphyſ. cap* 13. per diuiſionem diffinita: *Qua diuidi poteſt in ea, quæ inſunt, quorum vnumquodque, vel vtrumque natum eſt, hoc aliquid eſſe*: & relata in ſuperiori categ. diffinita fuerūt: *Quorū tota vis & natura in eo poſita eſt, vt ad aliud referātur.* *Ad 3.*

Ad 4 dicimus, etiam à virtute nos quales dici, etenim quamuis non dicamur virtuoſi, dicimur tamen virtutis amatores, vel ſtudioſi. Et *Ad 4.*

quam-

quamuis à patibili qualitate non dicamur ſimpliciter & abſolute quales, dicimur tamē ſecū-dum quid. Neq; Ariſt. docuit, nos nō dici quales a perturbatione, ſed non dici ſimpliciter & abſolute, vel collatione facta cum patibili qualitate. Si enim perturbationem cum illa conferamus, nomē qualitatis omnino amittere ipſa videtur. Cæterum de hac re tertiam ſpeciē qualitatis explicantes, iterum erit ſermo diffuſior repetendus.

QVÆSTIO II.

Sintne tantum quatuor ſpecies qualitatis.

1. argum. PRimū conſ. eſſe plures ex Ariſt. qui in hac categ docet, fortaſſis eſſe multo plures ſpecies qualitatis, quā ſint hæ aſſignatæ: iam ergo *2. argum.* cōſtat illas eſſe multo plures. *Deinde* Ariſt. ipſe 5. *Metaph. c.* 14. agens de qualitate, prætermiſit naturalē vim & imbecillitatē: ergo non erunt hæ duæ ſpecies qualitatis, cum ab Ariſtot. in eo loco prætermittantur, in quo de rebus diſputat *3. argum.* accurate. *Rurſus*. Pulchritudo cōſtituitur, quarta ſpecies qualitatis contenta ſunt forma & figura: atqui ſecundum Ariſt. 7. *Phyſ. c.* 3. pulchritudo cōtinetur ſub prima ſpecie qualitatis, nimirum ſub habitu: ergo pauciores erunt ſpecie qualitatis, quam aſſignatæ. Addo figuram cum omnibus aliis ſpeciebus confundi, quæ ſi tenacius inhæreat, eſt habitus, ſi facile labatur diſpoſitio, ſi fuerit ad aliquid diuidendū apta, potētia, & ſi fuerit inepta, impotētia dicetur: erūt *4. argum.* igitur pauciores ſpecies qualit. *Iam*. Caliditas frigidi, & aliæ qualitates ſunt habitus quidam, nam ſunt diſpoſitiones quædā ipſius naturæ, ſunt etiam potētiæ naturales, nam ſunt principia agendi, & tandem ſunt patibiles qualitates, nam afficiūt ſenſum & ſubiectū: confundētur igitur hæ ſpecies qualitatis inter ſeſe, & ita erūt pauciores, quam fuerint propoſitæ ab Ariſt.

His igitur, & aliis id genus arg. numerus hic quaternarius ſpecierū qualitatis propoſitus ab Ariſt. euerti poterit, atq; ita in hac re explicāda diuerſæ ſunt inter ſe Philoſophorum ſententię. *Prima opinio.* *Prima* eſt Simplicii, Boetii, & quorundā aliorū, eſſe plures ſpecies qualitatis, quā ſint hæ aſſignatę, idq; propter verba Ariſt. in 1. arg. propoſita, in quibus haud obſcure illud indicare videtur. Quod ſi Ariſt. tantum fecerit quatuor in hoc cap. hæc eſt cauſa, quia ſcilic. rudi & craſſa Minerua, de qualitate in hoc loco diſputauit, multa prætermittēs, quæ merito poterāt in hoc *2. Opinio.* loco de qualitate recēſeri. Contrariā tamē opinionē, nimirum nec plures eſſe, nec pauciores, ſequuntur grauiſſimi viri, Porphyr. *in interrog.* Ammo. *in commen.* D. Tho. 1. 2. *q.* 49. *ar.* 2. B. Albert. Mag. *in hac categ. c.* 9. & omnes recētiores horum veſtigia imitati, quam ſententiam tanquā veriſſimā his aſſertionib. explicamus. *Prima ſit*: Tantū ſunt hæ ſpecies qualit. recēſitę ab Ariſt. *1. Concl.* Hæc certe nota fiet, ſi rationes ppoſuerimus, q̄ colligāt hūc numerū ſpecierū illius, nā ſi illæ traditæ fuerint luce clarius, ſuperrerit explicatū, neq; eſſe plures, neq; pauciores his 4. ſpeciebus. Simplicius igitur ita hūc numerum colligit: Omnis qualitas cōpetit rei vel a natura, vel ab extrinſeco: ſi ab extrinſeco, eſt prima ſpecies qualitatis, habitus nimirū & affectio: ſi vero conueniat a natura, vel conuenit illi ſecū-dū poteſtatē, & eſt ſecūda ſpecies, naturalis nimirū vis & imbecillitas: vel conuenit illi ſecundum actū, etiā intimū, & eſt tertia ſpecies, patibilis nēpe qualitas, & pturbatio, vt calor & frigus, nā hæ etiā in intimis partib. rei continētur: vel deniq; adaptatur illi penes actū externū, & eſt quarta ſpecies qualitatis, forma vtpote, & figura. Hæc nihilominus Simplicii ratio eſt vitioſa in duobus. *Primo* in eo, quod cōſtituit habitum & affectionem, prouenire ab extrinſeco, quod tamē eſt falſum, quia morbus & optima valetudo continētur ſub habitu & affectione, quæ duo proueniunt a principio extrinſeco, a primis ſcil. qualitatibus nobis inhærētibus. *Deinde* in eo, quod conſtituit, formā & figurā eſſe qualitates a natura tributas, quod etiam eſt abſurdiſſimum, nam formæ rerum arte factarum continentur ſub quarta ſpecie qualitatis, quæ tamen non ſunt a principio intrinſeco, & a natura, ſed ab arte. Huiuſmodi ergo Simplicii ratione prætermiſſa, ea nobis elegās videtur, quā D. Tho. in loco ſuperiori proponit, qua in hūc modum huiuſmodi ſpecierū qualitatis numerū colligit accurate. Qualitas eſt modus quidā & determinatio ſubſtantiæ, vnde & differētias vocamus qualitates, quia ſunt quidam modi determinātes genera ad ſpecies: iam ergo quot modis continget determinari ſubiecta per qualitatem, totidem erūt ſpecies qualitatis: at quatuor modis cōtinget ſubiecta determinari per qualitatem: ergo quatuor erunt ſpecies qualitatis. Confirm. aſſumptio. Subſtantia vel poteſt determinari ſecundum naturā, vt recte vel male ſeſe habeat: vel ſecūdum actionem & paſſionem: vel ſecundum quantitatem. Si determinetur ſecūdum natura, eſt prima ſpecies, nimirum habitus & affectio: ſi ſecundum actionē & paſſionem, aut determinatur ſecundum potē-tiam agēdi & patiēdi, & eſt ſecūda ſpecies qualitatis, ſcilicet naturalis vis & imbecillitas: aut ſecundum eandem actionem & paſſionem, & eſt tertia ſpecies qualitatis, patibilis qualitas & perturbatio, nam quædam qualitates dicun-

tur

tur patibiles per paſſionem ſubiecti, & aliæ per actionem, quæ afficit ſenſum, vt diximus cum Ariſtot. in categor. Tandem ſi eſt determinatio ſubſtantiæ ſecundum quantitatem, eſt quarta ſpecies, ſcilicet forma & figura, nam figura determinat ſubſtantiam ad aliquam diffinitam quantitatem. Quatuor igitur modis qualitas determinabit ſubſtātiam, & ita quatuor erunt illius ſpecies, & non plures, neq; pauciores.

.Concl. 2. *Concluſio.* Qualitatis diuiſio in has quatuor formas, eſt vniuoci in vniuocata, & generis in ſpecies. Simplicius, & quidam ex veteribus (vt teſtatur B. Albertus Magnus *cap.* 3 *huius categ.*) opinabantur, hanc diuiſionem non eſſe generis in ſpecies, ſed in modos quoſdam accidentarios, ac proinde non eſſe exactam abſolute diuiſionem, ſed (vt ita loquar) modalem, in modos ſcilicet accidentarios, vnde erit veluti diuiſio ſubiecti in accidentia. Quæ opinio non diſplicet Scoto *q.* 1. *huius categor. & in* 4. *diſt* 6 *q.* 10. aduerſus quos hanc cum Porphyrio, Ammonio, B. Alberto, & communi ſententia proponimus cōcluſionem: Quam con-

Argum. firmamus primo ex Ariſt. in hac categoria proponente has ſpecies ſub nomine generis haud dubie intermedii, inquit enim. primum, ſecundum, tertium, & quartum qualitatis genus eſt, &c. ſed genera intermedia ſub alio ſuperiori genere, quod in ipſa diuidatur, ſunt comprehenſa: ergo diuiſio qualitatis in has formas erit

argum. generis in ſpecies. *Iam.* Si eſſet diuiſio accidentaria in illos modos, quos alii faciebant, fieret, qualitatem ſecundum eſſentiam non dici de his formis, ſed accidentaria quadam ratione, quod certe nullus (quantum opinor) admit-

argum. tet. *Præterea.* Qualitas eſt genus ſupremum alicuius categoriæ, debet igitur ſub ipſa aliqua ſeries generum & formarum comprehendi, eſt ſiquidem categoria ſeries generum, formarum, & indiuiduorum: at præter ſeriem harum quatuor formarum ſub qualitate nulla alia collocari poſſe videtur, quod ſi aliqua collocari poteſt, aſſignent nobis aduerſarii, quænam ſit illa, quæ hucuſque Ariſtotelem & alios Philoſophos latuerit: erit ergo qualitas verum genus ad has formas, ac per conſequens hæc diuiſio qualitatis in ipſas erit generis in ſpecies. Legendi ſunt Villalpandus *in hac categ.* & Fonſeca 5. *Metaphyſ. cap.* 14. *q.* 1. *ſect.* 2.

.Concl. 3 *Concluſio.* Hæ ſpecies qualitatis non ſunt ſpecies infimæ, ſed intermediæ. Confirmatur. In prima ſpecie qualitatis continentur artes & ſcientiæ, virtutes & vitia, at omnia hæc ſpecie differunt: in ſecunda præterea continentur naturales facultates, inter quas multæ differunt ſpecie, ſicut intellectus ſpecie differt à voluntate: in tertia etiam ſunt contentæ patibiles qualitates, calor, v.g. & frigus, quæ ſpecie differunt: in quarta denique ſedem obtinent, triangulum, quadrangulum, ac aliæ figuræ, quas certum eſt ſpecie diuerſas eſſe inter ſe: iam ergo hæ quatuor ſpecies non erunt infimæ, ſed intermediæ.

4. *Concluſio.* Optimo ordine fuerunt hæ ſpecies ab Ariſt numeratæ. Paulus Venetus putat, *4. Concl.* Ariſt. in his ſpeciebus tradendis non obſeruaſſe ordinem naturæ: ſed vel ordinem noſtræ cognitionis, illa prius proponens, quæ ſunt nobis notiora, habitum ſcilicet, qui eſt nobis notior, quam potentia naturalis, vel ordinem dignitatis & excellentiæ, quia idem habitus nobilior multo, & excellentior eſt potentia, & impotentia naturali, nam eſt veluti quædam forma & actus potentiæ, tanquam ſubiecto inhærens. Contra tamen arbitramur, naturæ ordine habitum priorem eſſe potentia naturali, & *Noſtra huic contra.* hanc patibili qualitate, & patibilem qualitatem forma, vel figura. Quod in hunc modum oſtendimus, quia habitus eſt diſpoſitio quæ- *Confirm. 1. pars.* dam ſubiecti in ordine ad naturam, vt pulchritudo & ſanitas, potentia vero naturalis eſt diſpoſitio ſubiecti in ordine ad aliquid agendum: at prius natura eſt ſubiectum eſſe diſpoſitum in ordine ad naturam, quam in ordine ad actionem: quare habitus prior natura erit potentia naturali. *Deinde* potentiam naturalem *Secunda.* eſſe priorem patibili qualitate, oſtendere poſſumus ex ortu vtriuſque, quia potentia naturalis ortum habet cum ſubiecto: at patibilis qualitas orto iam illo, ex alteratione quadam ſæpe oritur in ipſo. *Secundo*, quia principium agendi prius eſt actione, vel paſſione, quæ ab illo promanat: at potentia eſt principium agendi, patibilis autem qualitas eſt ſemper cum aliqua paſſione coniuncta: quare illa erit poſterior naturali potentia. *Tandem* formam vel fi- *Vltima.* guram vltimum ſibi locum vendicare, ex eo colligi poterit, quia reliquæ ſpecies vel ad naturam, vel ad id, quod ipſam conſequitur, ſpectant: at forma itidem & figura ſoli quantitati, quæ extrinſeca eſt, à ratione ſubiecti poteſt ineſſe. Aliam rationem tradit Ammon. quam poterit, qui voluerit, apud eum conſulere.

Occurramus iam argum. quæ in initio propoſuimus. *Ad primum* reſp. cum Ammonio, *Ad 1. argum.* Ariſt. non protuliſſe illa verba, quaſi vellet docere, plures eſſe ſpecies qualitatis his, quas propoſuerat, ſed vt excitaret torpentia Philoſophorum ingenia ad inueſtigandum, ſintne aliæ præter has quatuor recenſitas. *Ad 2.* reſpond. *Ad 2.*

Ariſt.

Ariſt. has ſpecies prætermiſiſſe in Metaph. quia in eodem 5. lib iam paulo antea egerat tam de potentia actiua, quæ eſt naturalis quædam vis, quam de paſſiua, quæ ſub imbecillitate naturali continetur. *Ad 3.* *Ad tertium* dicimus, pulchritudinem diuerſo modo conſideratam contineri ſub prima & quarta ſpecie qualitatis, etenim vt denotat diſpoſitionem ſubiecti in ordine ad naturam, ſub prima ſpecie continetur: vt tamen ſignificat decentem aptitudinem & compoſitionem membrorum, cum venuſtate aliqua, ſub quarta ſpecie comprehendetur, neq; enim eſt abſurdum, eandem rem diuerſo modo ſumptam, ſub diuerſis ſpeciebus euſdem categoriæ contineri. Ad confirmationem eodem modo reſpon figuram his variis modis vſurpatam, poſſe ſub diuerſis ſpeciebus eiuſdem categoriæ collocari. *Ad 4.* *Ad quartum*, eodem modo ſatisfacimus, calorem, frigiditatem, & alias patibiles qualitates, vt afficiunt ſubiectũ, contineri ſub patibili qualitate: vt autem ſunt principia calefaciendi, vel frigefaciendi, ſub naturali potentia comprehendi. Verum de hoc argumento in diſputatione, quam de tertia ſpecie qualitatis proponemus, erit iterum diffuſior oratio repetenda.

QVÆSTIO III.

An habitus & affectio ſint ſpecies qualitatis.

AGamus iam de ſingulis ſpeciebus qualitatis, ab habitu & diſpoſitione auſpicantes. Inprimisq; inueſtigandum ſeſe offert, ſintne habitus & affectio ſpecies qualitatis, necne? nam non eſſe illius, ſed relationis ſpecies, hæc argumenta demonſtrant. *1. argum.* *Primum*. Illud, à quo non poteſt remoueri eſſe ad aliud, ſecundum eſſentiam eſt relatum: atqui non poteſt (à ſcientia nimirum) remoueri eſſe ad aliud, ſcilicet ad ſcibile, ergo habitus ſecundũ eſſentiam continebitur ſub relatione. *2. argum.* *Deinde*. Ariſt. in hac categoria conſtituit ſcientiam in communi contineri in categoria relationis, igitur & habitus erit etiam in illa contentus. *3. argum.* *Iterum*. Ariſt. 7. *Phyſ. cap.* 3. ita argumentatur: Ad relationem non eſt per ſe motus, ſed habitus & affectio ſunt relationes, ergo ad habitum & affectionem nõ erit per ſe motus: iam igitur habitus, iuxta Ariſt. ſententiam continebitur in categ. relationis. *4. argum.* *Demum*. Ariſt. *in categ. relator.* poſt traditam primam diffinitionem proponit exemplum de habitu & diſpoſitione, hęc enim id, quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur: igitur habitus & affectio non qualitatis, ſed relationis ſpecies erunt conſtituendæ.

Heruęus acerrimi vir ingenii, *quodlib.* 3. *q.* 7. refert, quoſdam in ea opinione extitiſſe, vt arbitrarentur, habitum ſecundum eſſentiam eſſe relationem. *1. Opinio.* Niger vero 2. *part. clypei*, *q.* 44. inquit, Scotum *in* 1. *diſt.* 17 hanc ſententiam amplexum fuiſſe. Contrariam tamen ſententiam hi grauiſſimi viri tuentur, imo omnes, quotquot ſunt, Græci, Arabes, & Latini, cuius explicationem à diffinitionibus habitus auſpicandam cenſuimus. *2. Opinio.* Habitus ergo diffinitur inprimis iuxta Ariſt. 7. *Phyſ. cap.* 3. *Diſpoſitio perfecti ad optimum*. Id eſt, perfecti ſubiecti ad optimam eius operationem. *1. Definitio.* Complectitur autem hæc diffinitio ſolos virtutum habitus: ſi tamen illi addatur hæc particula vel ad vitioſam operationem, complectetur & habitus vitiorum. Diffinitur deinde iuxta ea, quæ traduntur ab eodem Ariſt. 5. *Metaphyſ. cap.* 20. *Affectio rei ſecundum naturam, vel ad aliud*, id eſt, ad operationem. *2. Diffin.* Huiuſmodi autem diffinitio comprehẽdit ſuo ambitu duo habituum genera, & eos nimirum qui diſponunt rem ſecundum naturam ad id, vt recte illa vel vitioſe ſeſe habeat: & eos etiam, qui ſunt principia aliquarum actionum, cuiuſmodi ſunt artes & ſcientiæ. *Tertia diffinitio* habitus petitur ex *lib.* 2. *Eth cap.* 1. & 6. *Habitus eſt, quo bene vel male operamur*. *3. Defin.* Quæ quidem diffinitio ſolos habitus operatiuos, ſiue rectos, ſiue vitioſos ſub ſe continet. *Quarta diffinitio* traditur à D Auguſt. *in lib. de bono coniugali, cap.* 21. & ab Auerroe 3 *de anima*: *Habitus eſt, quo quis vtitur, cum voluerit*. *4. Diffin.* Quæ certe diffinitio nihil amplius continet, præterquam habitus operatiuos, his enim vtimur, quando nobis libet, nequaquam vero habitus deſtinatos ad eſſendum, cuiuſmodi ſunt pulchritudo, & optima valetudo, hi namque habitus non ordinantur ad operandum, nec nobis ſunt vſui pro libito. Addit etiam Gabriel ſuam diffinitionem, *lib* 3. *ſent. diſt.* 33. *q* 1. ea vero eſt: *Habitus eſt qualitas genita ex pluribus actionibus, inclinans ad eaſdem actiones exercendas*. *5. Diffin.* Quæ profecto omnibus habitibus haudquaquam adaptatur. Inprimisq; habitibus, qui ad eſſendum tantum deſtinantur, minime competit, nam id genus habitus ſunt, v. g. pulchritudo, & valetudo, quę tamen vtraque ad aliquid operandum non inclinant. Neq; habitibus præterea operatiuis naturalibus attribui poteſt, cuiuſmodi eſt habitus primorum principiorum, nam hic habitus nequaquam variis actionibus ſolet comparari. Poſſumus tamen magis accommodate ad inſtitutum Ariſt. illum ſic diffinire: *Habitus eſt qualitas diuturna, & ex ſua natura difficile mo-* *Optima diffin.*

bilis a ſubiecto ad naturam, vel ad operationem aliquam deſtinata. In qua diffinitione *qualitas*, quæ eſt verum illius genus, habet locum generis. 2. *Diuturna, & difficile mobilis a ſubiecto*, proponit nobis diſcrimen inter habitum & affectionem intercedens, nam affectio qualitas eſt facile labilis, & inconſtans in ſubiecto, at habitus diu inhæret, difficileque ab eo diuelli poteſt. Tertia particula, *Ex ſua natura*, indicat, non omnem qualitatem difficile mobilem eſſe habitum, ſed illam, quæ ex ſe, ſuapteq; natura habet principia, quorum ope diu ſubiecto inhærere queat, nam ſunt nonnullæ qualitates, quæ ex aliquo accidente ſunt diuturnę, vt morbus inueteratus, quæ non ſunt habitus, ſed diſpoſitiones. Vltima particula proponit nobis duas ſpecies, in quas habitus eſt diſtributus Ex habitibus ſiquidem quidam ſunt deſtinati ad naturam, & non ad operandum, vt ſanitas, pulchritudo, optimaque corporis conſtitutio: alii vero ad aliquid agendum, tanquã in finem referuntur, vt ſcientiæ, virtutes, & tandem artes omnes.

Alia diffinitio multo accuratior.

Conclusio. Sit iam his animaduerſis concluſio Habitus & affectio non ſunt ſecundum eſſentiam relationes, ſed qualitates in hac categor. contentæ. Hæc eſt aduerſus Scotum (ſi tamen ille in propoſita extitit opinione, ego enim, vt ingenue fatear, nunquam eam apud ipſum legi, ſolumque illi à Petro Nigro tributam vidi in loco citato) cuius expoſita opinio, ſiue illius, ſiue alterius extiterit, verus ſaltem eſt, cum ab Herueo explodatur in quodlibeto citato; ex quo argumenta, quæ ſequuntur, hauſimus.

1. argum. *Primum est.* Ariſtot *in hac categor.* conſtituit habitum & affectionem eſſe primam ſpeciem qualitatis: ſignum igitur eſt, vtrumq; illorum eſſe qualitatem.

2. argum. *Deinde.* Quando ex variis actionibus ſæpe repetitis generamus in nobis habitum temperantiæ, huiuſmodi actiones feruntur in habitum, veluti in terminum: igitur vel feruntur in rem aliquam abſolutam, vel in rem aliquam relatam: at non eſt dicendum ferri in rem relatam: iam ergo feretur in rem abſolutam & ita habitus res abſoluta erit. Confirma aſſumptio. Ad relationem neque eſt motus, neq; actio: ergo hæ actiones viuendi temperate, non terminabuntur ad aliquod relatum. Conſequentia ſatis videtur manifeſta, antecedens autem eſt Ariſt. 5 *Phyſ. cap.* 2.

3. argum. *Præterea.* Nulla relatio eſt principium operationis, vt omnes Philoſophi vno ore profitentur: at plerique habitus ſunt operatiui, ſicut virtutes & vitia: habitus igitur non erit relatio.

4. argum. *Tandem.* Relatio ex ſua natura non exprimit perfectionem aliquam, vel bonitatem, quia non ſignificat aliquid, vt inhærens ſubiecto, quod ſolum cenſetur perfectio: at multi habitus exiſtunt perfectiones potentiarum, vtpote quibus illæ maxime illuſtrantur, ſicut ſcientiæ ſunt perfectiones intellectus, & virtutes morales voluntatis: non igitur habitus erit relatio, nec ſub illa continebitur.

Ad argum. Ad argumenta igitur. *Ad primum* diſtinguimus propoſitionem, duobus namque modis contingit, nõ poſſe à re aliqua ſeparari eſſe ad aliud, primo modo fundamentaliter, ſecundo vero modo formaliter: ſi igitur propoſitio intelligatur fundamentaliter, illam negamus, etenim nequit remoueri ab albedine eſſe illam relatam fundamentaliter, cum tamen ſit illa quidpiam abſolutum, & non relatum, & in qualitatis, non vero relationis categoria contenta: quod ſi eadem propoſitio intelligatur formaliter, eam admittimus: at ſcientia non eſt ad aliud formaliter, ſed fundamentaliter duntaxat, ſecundum eſſentiam enim qualitas eſt mentis, cui deinde aduenit eſſe relatam formaliter ad ſcibile.

Ad 2. *Ad ſecundum* reſp. ſcientiam penes ſignificationem ſuam per accidens, ac minus præcipuã, contineri in catego. relationis, quo ad ſignificatum tamen eiuſdem magis præcipuum, & ipſi eſſentialem in categoria qualitatis habere locum.

Ad 3. *Ad tertium* dicimus, aliquando ita euenire, vt nomina aliquarum rerum tribuantur etiam ſimilitudinibus earum, ſicut animal depictum propter ſimilitudinem, quam habet cum animali viuo, appellatur interdum animal. Cum igitur habitus obtineat ſimilitudinem aliquã cum relationibus: nam quemadmodum motus non terminatur primo & per ſe ad relationem, ſed ad illius fundamentum, ita neque terminatur ad habitum, ſed ad alias qualitates, quæ ſunt veluti fundamẽta habituum, vt motus, v. g. ad valetudinem, non terminatur primo & per ſe ad ipſam, ſed ad calorem, & alias primas qualitates, ex quarum debita proportione ſanitas ortum habet, vt teſtatur D. Tho. 1a *q.* 52. *ad* 3. propter hanc ſimilitudinem habitus ab Ariſt. relatio nuncupatur.

Ad ult. *Ad vltimum*, iam cum Ammonio in ſuperiori categoria ſatisfecimus. Ariſt. non ex propria opinione, ſed ad euertendam diffinitionem primam à veteribus traditam, hoc exemplo vſum fuiſſe, nam cum habitus id, quod eſt alterius eſſe dicatur, ſi hæc diffinitio optima eſſet, fieret haud dubie, habitum eſſe relationem, quod cum ſit falſum, non erit prior illa diffi-

Digitized by Google

nitio à veteribus tradita, recte & accurate pro-
poſita.

QVÆSTIO IV.

An habitus & affectio ſpecie diffe-rant, necne?

SEquitur difficilis quæſtio, num habitus &
affectio ſpecie differant, necne? Et quidem
illa non eſſe ſpecie diuerſa, hæc confirmant ar-
1. Argum. gumenta. *Primum eſt.* Ariſtot. in hac categoria
inquit, primam ſpeciem qualitatis conſtituere
habitum & affectionem, ergo iudicio Ariſtot.
habitus & affectio non differunt ſpecie. *Secun-*
2. Argum. *dum.* Ariſt. in hoc cap. ait, omnem habitum eſſe
affectionem, igitur habitus & affectio non e-
3. Argum. runt ſpecies diuerſæ. *Tertium.* Affectio tranſit
in naturam habitus, vt morbus inueteratus fit
habitus, quemadmodum docet Ariſt. in cate-
goria, ergo cum vna ſpecies non poſſit tranſire
in naturam alterius, habitus & affectio erunt
4. argum. vnum & idem ſpecie. *Iterum.* Quæ differunt
differentiis accidentariis, non differunt ſpecie:
at habitus & affectio ſunt huiuſmodi, nam fa-
cile & difficile mobile, per quæ diſtinguuntur,
ſunt quædam accidentia ipſorum, ergo habi-
tus & affectio non differunt ſpecie. *Rurſus.*
5. argum. Quæ diſtinguuntur tanquam perfectum &
imperfectum, non diſtinguuntur ſpecie: at ha-
bitus & affectio ſunt huiuſmodi, affectio enim
eſt qualitas imperfecta, habitus vero qualitas
perfecta, ergo habitus & affectio non diſtin-
6. argum. guentur ſpecie. *Ad hæc.* Scientia in tyrone eſt
affectio, & in artifice conſummato eſt habitus,
vt de Dialect. fieri poteſt manifeſtum: ſed Dia-
lectica, ſicut & quælibet alia ſcientia in tyrone
& in homine conſummato, eſt eiuſdem ſpe-
ciei: iam igitur habitus & affectio erunt eiuſdē
7. argum. ſpeciei. *Præterea.* Nigredo corui differt à nigre-
dine parietis, per facile & difficile moueri ex
ſua natura à ſubiecto, in coruo namque eſt dif-
ficile mobilis, in pariete vero facile ab ea ſepa-
rabilis: at nigredo parietis & corui non diſtin-
guuntur ſpecie, igitur nec habitus & affectio
8. argum. different inter ſe ſpecie. *Tandem.* Quando ali-
quod attributum competit alicui ſecundum
naturam, contrarium illius eidem nulla ratio-
ne poteſt conuenire, quemadmodū quia parti-
ceps rationis competit homini ex ſua natura,
nequit vllo modo eidem conuenire expers ra-
tionis, quod eſt participis rationis contrarium:
at interdum experimur habitus remoueri a
ſubiecto, ergo non conueniet illis ex ſua natu-
ra difficile a ſubiecto ſeparari.

Opinio. In hac quæſtione explicanda eſt *prima opi-*
nio Græcorum, Porphyrii, Simplicii, Ammo-
nii, & quorundam Latinorum, vt D. Seuerini,
Boet. & D. Albert. Magni, *in comment. huius ca-*
tegor. conſtituentium, habitum & affectionem
eſſe eiuſdem ſpeciei atomæ & indiuiduæ, ſo-
lumque differre inter ſe tanquam perfectum
& imperfectum intra eandem ſpeciē. Quem-
admodum enim vir & puer differunt in ea ſē
ſpecie humana, quia puer eſt homo imperfe-
ctus, vir autem perfectus & conſummatus:
ita quoq; affectio eſt qualitas quædā imperfe-
cta, habitus vero perfecta intra eandē ſpeciem.

Secunda opinio eſt D. Th. 1. 2. *q. 49. art. 2. ad 3.* *2. Opinio.*
Caietani, M. Soto, Franciſci a Toleto, M. Iuſti-
niani *in ſuis Inſtitutionib. cap. de qualitate*, aſ-
ſerentium, habitum & affectionem eſſe quali-
tates ſpecie atoma diuerſas, contentas proxi-
me ſub aliquo genere qualitatis intermedio.
Hanc autem opinionem etiam & nos libenter
amplectimur.

Animaduertimus igitur in illius explicatio- *1. Obſer.*
nem, quædam eſſe facile vel difficile mobilia a
ſubiecto ex ſua natura, alia vero ex accidente,
vel ex conditione ſubiecti, in quo huiuſmodi
qualitates reperiuntur. Opinio, v. g. ex ſua na-
tura, & ex propriis principiis, facile mobilis eſt
a ſubiecto, cum progrediatur per argumenta
probabilia, quæ non conuincunt intellectum
ad ſui aſſenſum, obindeque facile eam remo-
ueri contingit a ſubiecto: euenit nihilominus
interdum ex conditione ſubiecti, & per acci-
dens, vt hæc eadem non ſine maxima difficul-
tate a ſubiecto diuellatur, vt vſu & experimen-
to comprobatur in hominibus proteruis, ni-
miſque ſuæ ſententiæ ac iudicio addictis, a
quibus valde mirum eſt, ſiquando opinio ſe-
mel concepta, etiam vel maxima argum. vi &
efficacia deponatur. E contra tamen ſeſe offert
de ſcientia iudicandum, quæ quidem ex ſe, &
ſuapte natura, & ex propriis principiis, difficile
remoueri poteſt a ſubiecto, vtpote cum pro-
grediatur ex principiis certis ac euidentibus,
quæ intellectum cogunt ad concluſionum aſ-
ſenſum. Nihil tamen prohibet euenire ali-
quando per accidens, ac ex ratione ſubiecti, ſi-
ue ob vim alicuius maximi morbi, ſiue ob ni-
miam obliuionem, vt ipſamet ſcientia facili-
me a ſubiecto ſeparetur. Inter habitum igitur *Diſcrimen inter habit. & affectionem.*
& affectionem hoc diſcrimen intercedit, quia
habitus eſt qualitas, quæ ex ſua natura, & ex
propriis principiis difficile remoueri apta eſt a
ſubiecto, quamuis alioqui per accidens nimi-
rum, vel ex conditione ſubiecti facile illam
contingat remoueri: ſecus vero eſt de affectio-
ne, q̄ quidē eſt qualitas ex ſua natura, propri-
iſq; ac innatis principiis facile a ſubiecto ſepa-

tabilis licet alioqui ex accidenti, nempe ex nimia tenacitate ſubiecti, in quo illa reperitur, eandem difficile ſeparabilem reddi contingat.

1. Obſer. Animaduert. eſt deinde, dari habitum, qui eſt ſecundum rem ac eſſentiam, & ſecundum modum habitus, & habitum, qui certe ſolum ſecundum modum habitus eſt, nullatenus vero ſecundum rem. Habitus primi generis dicitur qualitas illa, quæ ſuapte natura eſt difficile ſeparabilis à ſubiecto, ac in eodem diuturna, cuiuſmodi eſt ſcientia in homine, qui ipſi diutius addictus extitit, illa quippe quia ſcientia eſt, difficile mobilis eſt ab ipſo ſubiecto, & quia diuturnitate temporis ab eo acquiſita eſt diu in eo perſeuerat. Secundi autem generis habitus, exiſtimatur qualitas illa, quæ diuturna eſt in ſubiecto, nec ab eo ſine difficultate remouetur, id tamen nõ ex ſua natura, ſed ex aliquo duntaxat prouenit accidente, ſiue ex cõditione ſubiecti, in quo illa reperitur. Id genus habitus cenſetur morbus in homine valetudinario, nec enim morbus hic nomẽ habitus aliter quam ſecundũ modũ promeretur, ſi enim diu perſeuerat in illo, & non ſine maxima difficultate ab eo remouetur, id non ex natura ipſius morbi prouenit, qui quidem natus eſt ſtatim à ſubiecto euaneſcere, ſed ex accidẽti, nimirum ex principiis indiuiduantibus, vel ex natura viciata huiuſmodi hominis.

Conueniunt inter habit. & affect. Pari etiam ratione licet de affectione philoſophari, quædam enim affectio & ſecundum rem, & ſecundum modum eſt affectio, alia vero ſecundum modum tantum affectio indicatur, & non ſecundum rem. Morbus, exempli cauſa, qui ſtatim expellitur a ſubiecto, eſt affectio ſecundum eſſentiam & modum, at ſcientia in tyrone eſt affectio ſecundum modũ tantum, eo quod ſtatim euaneſcat, non ex ſua natura, ſed ex conditione illius, quia eſt parũ exercitatus in ipſa. Habitus itaque ſecundum eſſentiam & modum, & affectio ſecundum eſſentiam & modum ſpecie differunt; habitus autem ſecundum modum tantum, & affectio etiam ſolum ſecundum modum, non diſtinguuntur ſpecie, cum idem eſſe poſſit habitus ſecundum eſſentiam, & affectio ſecundũ modum, vt ſcientia tyronis, & econtra, idem etiam affectio ſecundum eſſentiam, & habitus ſecundum modum exiſtat, qualis eſt morbus inueteratus. Hæc procul dubio eſt opinio Diui Tho. & quidem veriſſima, quam his argum. ſuadetur. *1. argum.* 1. Quæ differunt per facile & difficile ex ſua natura, differunt ſpecie: atqui habitus & affectio differunt per facile & difficile mobile ex ſua natura a ſubiecto: ergo habitus & affectio ſpecie diſtinguentur. Confirmatur aſſumptio. Idem ſecundum naturam nulla ratione poteſt eſſe facile, & non facile mobile; quia ſunt termini contradicentes: igitur quæ differunt penes hoc, quod eſt facile & difficile moueri a ſubiecto, ſpecie diſtinguentur. 2. Facile & difficile mobile oriuntur ex diuerſis principiis eſſentialibus: ſed quæ oriuntur ex diuerſis principiis eſſentialibus, ſpecie differunt: ergo facile & difficile mobile ſpecie ab inuicem diſtinguentur. *2. argum.* 3. Si habitus & affectio tantum differrent, ſicuti perfectum & imperfectum, ſequeretur, ſcientiam imperfectam, quæ eſt in tyrone, eſſe affectionem, & conſummatã eſſe habitum, quemadmodum etiam aduerſarii profitentur: atqui hoc contrariatur Ariſt. in principio huius categoriæ, conſtituenti, ſcientiam etiam mediocrem, & non conſummatam, eſſe habitum: iam igitur ſpecie different, & non ſicut perfectum, & imperfectum. *3. argum.* 4. Vel eſſe facile aut difficile mobile, ſunt accidentia communia habitus & affectionis, vel proprietates, vel denique differentiæ eſſentiales: at non ſunt accidentia communia, quia ſine accidentibus communibus res intelligi poteſt, nequit vero habitus vllo modo intelligi, niſi intelligatur ſimul eſſe qualitas difficile mobilis, nec affectio etiam, niſi cognoſcatur eſſe qualitas facile mobilis: erunt ergo vel proprietates, vel differentiæ eſſentiales. *4. argum.* Quodcunque autem ex his duobus concedatur, ſequitur, habitum & affectionem ſpecie differre. Confirmatur. Inprimis ſi ſunt differentiæ eſſentiales, cum ea, quæ differunt differentiis eſſentialibus, ſpecie differant, habitus & affectio ſpecie different. Deinde ſi fuerint proprietates: cum proprietates contrariæ differant ſpecie, & naturæ etiam, ex quibus illæ oriuntur, different ſpecie, & ita cum eſſe difficile mobile oriatur ab habitu, & eſſe facile mobile proficiſcatur ab affectione, habitus profecto & affectio ſpecie etiam inter ſe diſtinguentur.

Iam ad argumenta. *Ad primum* reſp. Ariſt. intelligendum eſſe de ſpecie ſubalterna, non de infima, nam habitus & affectio conſtituunt vnam ſpeciem ſubalternam, & innominatam contentam immediate ſub qualitate, quamuis inter ſe ſpecie differant. *Ad 1. argum.* *Ad ſecundum* dicimus, Ariſtot. non ſumpſiſſe hoc loco affectionem proprie, vt ſignificat qualitatẽ facile mobilem, ſed communi quadam ratione, vt ſignificat naturam accidentis. *Ad 2.* *Ad tertium* negamus antecedens, ſi loquamur de habitu ſecundum rem & modum, nam Ariſtoteles intelligendus eſt de habitu ſecundum modum tantũ, hic autẽ non *Ad 3.*

diſtin-

Ad 4. diſtinguitur ab affectione, ſed eſt eiuſdem ſpe-
ciei cum illa vt diximus. Ad 4. negamus aſſum-
ptionem, quamuis enim facile, & difficile mobi-
le in communi, cenſeantur differentiæ acci-
dentariæ, nihilominus tamen facile & difficile
mobile ex ſua natura, differentiæ ſunt eſſentia-
les, ſicque habitus & affectio inter ſe ſeparantur
Ad 5. ac ſecernuntur. Ad 5. concedimus propoſitio-
nem de his quæ continentur inter eandem ſpe-
ciem, puer enim, & vir, qui ſub humana ſpecie
continentur non diſtinguuntur ſpecie, licet ſe-
cundum eſſe perfectum & imperfectum diſtin-
guantur: at eandem negamus de his quæ ſub di-
uerſis ſpe. ſunt contenta, nam in omni genere v-
na ſpecies eſt perfecta, & altera imperfecta: ſicut
in animali homo eſt perfectum animal, formi-
ca vero imperfectũ, quæ tamen ſpecie differunt,
habitus itaq; & affectio licet differant penes per-
fectum & imperfectum, hoc tamen non eſt in
eadem ſpecie, ſed in eodem tantum genere. Ad
Ad 6. 6. negamus propoſitionem; ſcientia namque in
tyrone eſt verus habitus. Quod ſi dicas Ariſto.
docere in hac categ. ſcientiam mediocrem qua-
lis eſt ea quæ reperitur in tyrone, eſſe affectio-
nem, reſpondeo eſſe illum intelligendũ de affe-
ctione ſecundum modum, hæc autem non di-
ſtinguitur ſpecie ab habitu. Itaq; ſcientia tyro-
nis ſecundum rem & ſecundum eſſentiam ha-
bitus eſt, ſecundum modum autem affectio. Ad
Ad 7. 7. negamus aſſumtionem, nigredo enim corui,
& nigredo parietis ſpecie diſtinguuntur, id ve-
ro facile fiet intellectu ſi animaduertimus has
nigredines ſumi poſſe vel vt ad facultatem vi-
dendi referuntur, quam quidem afficiunt, vel vt
à ſuis principiis oriuntur. Dubium enim nemi-
ni eſſe debet, quod quamuis hæ vtræque nigre-
dines primo modo non differant ſpecie, quia
pari ratione ambæ congregant viſum, ſecundo
tamen modo ſpecie diſtinguuntur, ab aliis nam-
que principiis ſiue eſſentialibus & ſpecificis ſi-
ue indiuiduantibus ortum habet nigredo in
coruo, ab aliis vero eadem nigredo in pariete.
Quemadmodum facultas videndi in homine,
& in equo; vt referuntur ad colorem, tanquam
ad obiectum formale, nequaquam ſpecie di-
ſtinguuntur, vt autem à diuerſis principiis eſ-
ſentialibus & ſpecificis fluunt diuerſarum ſunt
Ad 8. ſpecierum. Ad 8. reſp. imprimis negando pro-
poſitionem, aquæ enim ex ſua natura compe-
tit eſſe frigidam, graui etiam ex ſe competit fer-
ri deorſum, cum tamen & aquæ nonnunquam
competat calefieri, & graui in ſublime aſcende-
re: Reſpon. deinde contrarium attributum ei
quod eſt difficile remoueri à ſubiecto ex pro-
pria vi, & natura, non eſſe hoc quod eſt remo-
ueri abſolute à ſubiecto, ſed facile remoueri
ab eo, & hoc ex meritis propriæ naturæ ac eſ-
ſentiæ qualitatis mobilis: hoc autem habitui
cõuenire nullo modo poteſt, quantumuis enim
habitus euaneſcat interdum ab ipſo ſubiecto,
nequaquam tamen ex ſe, & ſuapte natura ab eo
euaneſcit, ſed hoc fit ex accidenti, nimirum vel
propter vehementem vim alicuius morbi, vel
propter diuturnam obliuionem. Animaduerſi- *Obſeru.*
one tamẽ dignum eſt, habitum, & affectionem,
& ſpecies eſſe, & non infimas ſed interiectas ſpe-
cies, vt iam ſupra aliqua tenus innuere viſi ſu-
mus. Quod ſi aliquando vocatæ ſunt à nobis
ſpecies atomæ, hoc ſolum dictum eſt à nobis ex
eo, quia aduerſus eos, qui habitum & affectum
vnus & eiuſdem ſpeciei aſſerunt eſſe, pluſquam
ſatis nobis eſt demonſtraſſe eſſe diuerſæ ſpeciei,
nec opus habuimus etiam præter hoc confir-
mare eſſe eiuſdem ſpeciei interiectę, & non ato-
mæ & indiuiduæ.

QVÆSTIO V.

An ſecunda ſpecies qualitatis a prima diſtin-guantur necne?

RAtiones, quibus ad hoc inquirendum com- *1. Ratio*
mouemur, ſic ſe habẽt. Prima eſt. Potentia
abſq; habitu poteſt operationes ſuas exercere:
non igitur ad eas edendas aliquo habitu egebit,
& ita non eſt quod præter potentiam habitus
conſtitui debeant. 2. Optima valetudo, & mor- *2.*
bus ſunt contenta ſub prima ſpecie qualitatis,
quemadmo. docet Ariſt. in hac categ. at optima
valetudo nullius operationis proximum extat
principium, ſed remotum dumtaxat, illa enim
primo & per ſe potentiam tantummodo diſpo-
nit, hęc vero ipſa per ſe ſi recte affecta ſit eſt prin-
cipium operationis: minus ergo accommodate
dicimus habitum eſſe principium operationis,
potentiam autem remotum. 3. Intellectus eſt *3.*
habitus, eſt namque qualitas difficile ab anima
intelligente mobilis, eademq; ad operationes
ſuas edendas præcipueq; ad intelligendum præ-
parans, ac diſponens: at idem contentus eſt in
ſecunda ſpecie qualitatis, cum ſit naturalis po-
tentia: non igitur prima ſpecies qualitatis à ſe-
cunda diſtincta eſt, atq; diuerſa. *Præterea.* Quod *4.*
eſt prius priori loco eſt pertractandum: at natu-
ralis potentia eſt prior habitu, cum pleriq; ha-
bitus in ea tanquam in ſubiecto reperiantur:
debuit igitur Ariſt. non habitum, ſed potentiam
naturalem primam qualitatis ſpeciem conſtitu-
ere, eiuſq; diſputationem tractationi de habitu
præponere. *Tandem.* Secunda ſpecies qualitatis, *5.*
ea conſtituitur qualitas quæ principium eſt o-
perationis: at habitus (vt inferius demonſtrabi-

Digitized by Google

mus) principium etiam eſt operandi: prima ergo & ſecunda ſpecies qualitatis nullo modo erunt cenſendæ diſtinctæ.

Opin. Hanc quæſt. diuerſi variis modis explicatam reliquerunt. Quidam affirmarunt ſecundũ ſpeciem qualitatis eſſe principium operandi à natura inditum, primam vero eſſe etiam principium operandi, acquiſitum tamẽ: vnde penes hoc duæ hæ ſpecies ab inuicem diſtinguentur, quia vnius eſſe eſt naturale, alterius vero eſt principium acquiſitũ. Hæc nihilominus opinio ita reiicienda eſt: nobis videtur. Habitus primorum principiorum eſt verus habitus, vt Ariſt. 6. *Ethic. c.3.* eſt teſtatus: ſed huiuſmodi habitus non eſt principium actionibus noſtris comparatum, quin potius a natura hominum intellectibus inſitum, ergo iam habitus non erit principium operandi laboribus ac ſtudio aſſiduo comparatum.

2. Opin. Alii è quorum numero eſt M. Sotus. quæſt. vnica huius categoriæ conſtituunt huiuſmodi diſcrimen inter primam & ſecundam ſpeciem qualitatis, qu a ſecunda eſt principium operandi abſolute abſtrahendo à recta, vel vitioſa operatione: at vero habitus eſt principium operationis non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum modum, vt ſcilicet recte illa vel vitioſe fiat, quemadmodum innuere videtur Ariſt. 2. *Ethic. c. 5. & 6.* Ita dicens. *Per potentiam naturalem aliquid agere poſſumus per habitum vero recte vel vitioſe agere.* Sed neq; hæc opinio nobis placet.

Reiicit. Primo. Imprimis quia habitus ſuper naturales, vt fidei, ſpei, & charitatis, non ſunt tributi ad recte operandum, ſed ad ſimpliciter operandum quemadmodum fides non eſt tributa ad melius credendum, ſed ad ſimpliciter credendum. *Secundo.* *Deinde* ſpecies intellectiles iuxta opinionem fere omnium Philoſophorum, præſertimque D. Thom. & Thomiſtarum ſunt veri habitus intellectus, quæ tamen non ſunt conceſſæ ad rectius, ſed ad ſimpliciter intelligendum. *Tertio.* *Præterea.* Habitus primorum principiorum eſt verus habitus, qui tamen nõ eſt tributus ad rectius intelligendum prima principia, ſed ad eadem ſimpliciter & abſolute intelligenda. Iam igitur conſtare poterit ex his, non differre habitum, qui eſt prima ſpecies a naturali vi, quæ conſtituitur ſecunda ſpecies, quia ſecunda ſpecies eſt principium ſimpliciter operandi, habitus vero eſt principium recte, vel vitioſe operandi.

Diſcr. iuxta nam opinionem. His igitur aliiſque huiuſmodi opinionibus prætermiſſis, hoc diſcrimen offert ſe nobis inter primam & ſecundam ſpeciem qualitatis aſſignandum, quia nimirum ſecunda ſpecies, quæ eſt naturalis vis eſt principium primum & remotum operandi, at habitus eſt principium proximum & immediatum operationis. Vt ad engendam v.g. domum deſeruit tanquam principium primum intellectus artificis: tanquam proximum autem, & immediatum, ars illius intellectui inhærens, nã poſita arte poteſt artifex proxime & immediate operari. Itaq; habitus & potentia naturalis hoc tantum diſtinguentur, quia ille eſt principium proximum, hæc vero remotum operationis principium.

Obſeru. Intelligi vero hoc debet de habitibus qui ſunt facultates & potentiæ quædã operandi, quales ſunt hi qui inhærent immediate facultatibus naturalibus, vt ſcientia, & virtutes, non aũt de his, qui non ſunt potentiæ, & facultates operandi, ſed qualitates diſponentes rem in ordine ad naturam, vt ſunt morbus, & valetudo. Sed quia non remanet hinc diſcuſſum ſatis an habitus ſit principium attingens proxime operationem necne, hanc vnicam ſubiiciendam eſſe putauimus concluſionem.

Vnica concl. Habitus ſunt principia operationis attingentia ipſam, vel opus confectum per eam. Hanc ſtatuimus præcipue contra Scotum 1. *lib. ſent. diſt. 17. qu. 2.* & Durandum in 3. *diſt. 29. qu. 1.* alioſque nonnullos conſtituentes habitus tantummodo eſſe collocandos in potentiis, ad amouendas difficultates, eaſdemque reddendas aptas, & accommodatas ad operandum, non autem in eiſdem debere conſtitui ad aliquid agendum. habitus enim, inquiunt ipſi, nihil operantur. Nihilominus concluſionem propoſitã fere omnes Theologi profi entur cum D. Tho. 12 *qu. 49. art. 3.* quam quidem & nos his argumentis nitimur ſuadere. *Primum.* Prudentia, & ars ſecundum Ariſt. 6. *Ethic. cap. 3.* ſunt habitus intellectus: atqui habitus hi operantur aliquid, vt ex eorum definitionibus aperte poterit conſtare. prudentia enim diffinitur recta ratio agibilium, ars vero recta ratio factibilium: habitus ergo aliquam operationem edunt. *1. Argum.*

Deinde. Potentia eſt principium operationis, auctore Ariſt. 9. *Metaph. c. 1.* at eodem teſte in ca. 2. eiuſdem libri, artes, & ſcientiæ, vt medicina (quæ ſunt quidam habitus intellectus) ſunt quædam potentiæ actiuæ rationales, ergo habitus erunt principia operationis. *2. Argum.*

Præterea. Ariſt. 5. *lib. Metaph. c. 2. & 2. Phyſ. c. 3.* ait Policletum eſſe cauſam ſtatuæ per accidens, ſtatuarium vero eſſe cauſam per ſe eiuſdem, aſſignatq; rationẽ, quia Policletus non exprimit artem ſtatuarii, ſtatuarius vero illam exprimit ac declarat: ergo ars quæ eſt habitus erit verum principium operandi. *3. Argum.*

Tandem. Experimur homines ſine artibus, & habitibus ineptos eſſe omnino ad exequenda *4. Argum.*

opera

opera alicuius artis, è contra vero intuemur eoſdem cum primum aliquam conſequuntur artem, aptos, ac idoneos reperiri ad illius opera conficienda: non tantum igitur reddent habitus potentiam aliquam ad operandum idoneam, ac diſpoſitam, verum etiam, & ipſi erunt principia elicitiua operationum.

Ad 1 rationē Iam rationibus in principio propoſitis eſt ſatisfaciendum Ad primam aimus poſſe quidem naturalem vim aliquas edere actiones imperfecte abſque habitu, nullas tamen perfecte ipſo deſtitutam. Ad producendam itaq; perfecte aliquam actionem, neceſſaria ſunt duo principia, proximum vnum, altero vero remotum, è quibus vtriſque proximum, & immediatum, habitus ipſe eſt, remotum, vero naturalis ipſa potentia. *Ad 2.* Ad 2. reſpon habitus in duplici eſſe differentia, quidam enim ſunt deſtinati ex ſua natura ad aliquid operandum, ſicut virtutes, & artes, cæteraque id genus, alii ſunt ad eſſendum tantum tributi, per ſe quidem, & primo, cuiuſmodi ſunt morbus, & optima valetudo, quamuis hi iidem poſſint ſecundario alicuius operationis principia exiſtere. Inter quos vtroſq; hoc intereſt quia habitus primi generis, abſolute donantur nomine potentiæ, cum ex natura ſua alicuius operationis exiſtant principia: habitus vero ſecundi generis minime potentiæ nomine ornantur, cum ex ſe meritiſq; propriæ naturæ, ad operandum minime deſtinentur, ſed tantum ad eſſendum. Cum igitur ſint hæ duæ habituum ſpecies, naturales potentiæ differunt penes hoc, quod eſt eſſe principium remotum, ac primum, & non proximum, ab habitibus qui ſunt deſtinati ad operandum, quia hi ſoli ſunt potentiæ, & nullo modo ab aliis qui ad operandum minime inclinant, qui potentiæ nomen haud certe promerentur, de quibus ſolis poteſt dumtaxat controuerſa oriri: at morbus & optima valetudo habitus ſunt primo, & per ſe non ad operandum, ſed ad eſſendum deſtinati. *Ad 3.* Ad 3. negamus propoſitionem quia intellectus non eſt principium immediatum intelligendi, quin potius habitus ſcientiæ vel ſpecies intellectiles, quare non habitus, ſed facultas & vis naturalis cenſendus erit. *Ad 4.* Ad 4. negamus aſſumtionem, quamuis enim plerique habitus, cuiuſmodi exiſtunt illi qui ſunt in potentiis tanquam in ſubiecto, ſint poſteriores illis generatione, eiſdem tamen priores exiſtunt, excellentia, & dignitate Multique præterea dantur habitus etiam generatione priores qualibet potentia, cuiuſmodi exiſtimantur illi qui diſponunt naturam in ordine ad eſſendum, quemadmodum enim natura prior eſt potentia ipſa, ita etiam habitus diſponentes naturam præcedere oportet potentias ipſas. Vnde Ariſt. iure optimo noluit naturalem vim conſtituere primam ſpeciem qualitatis, ſed potius habitum; verum de hac re iam ſupra diſſeruimus. *Ad vlt.* Ad aliud vero vlt. argu. quo etiam nitebamur probare habitum à naturali potentia non diſtingui ex propoſita aſſertione eiuſq; confirmationibus ſatis ſuperq; ſupereſt noſtro iudicio ſatisfactum.

Dubium. Quod ſi aliquis denuo roget num naturalis vis, & imbecillitas ſpecie diſtinguantur necne? Reſpondendum erit ſpecie illas diſtingui, eo quod naturalis vis attinet ad potentiam actiuam, & imbecillitas ad paſſiuam: at potentia actiua, & paſſiua ſpecie differunt, non atoma ſed intermedia.

QVÆSTIO VI.

An patibilis qualitas & perturbatio ſint diſtinctæ ſpecies qualitatis.

1. Argum. PRimoque has non eſſe ſpecies diſtinctas ab habitu, & affectione, confirmatur, quia calor, & frigus, quæ ſunt qualitates ſub habitu & affectione comprehenſæ, ab Ariſt. inter patibiles qualitates numerantur. *2. Argum.* *Secundo.* Patibili qualitati, & perturbatione (vel vt alii dicunt) paſſioni, conueniunt diffinitiones habitus, & affectionis: ergo non differunt ab habitu, & affectione. Conſequentia nota eſt, quia cui competit diffinitio etiam & diffinitum debet conuenire: antecedens confirmatur Patibilis qualitas eſt qualitas ex ſua natura difficile mobilis à ſubiecto perturbatio vero eſt qualitas facile mobilis, vt calor in igne difficile ab eo amouetur, in aqua vero facile labitur: ſed hæ ſunt diffinitiones habitus, & affectionis: ergo diffinitiones primæ ſpeciei qualitatis, conueniunt patibili qualitati & perturbationi.

1. Argum. *Deinde* perturbationem ſeu paſſionem, non eſſe ſpeciem qualitatis, confirmatur primo teſtimonio Ariſt. qui ſæpe reperit in hac categor. perturbationem non eſſe qualitatem, nam cum de rubore; & pallore ageret, qui ex verecundia vel metu contrahuntur, hæc verba ſubiungit. *Ita perturbationes ſunt quidem hæc omnia, qualitates non ſunt.* Et infra his verbis concludit hanc tertiam ſpeciem qualitatis. *Perturbationes igitur hæ non qualitates vocantur.* *2. Argum.* *Deinde* à qualitate quales nominamur vt Ariſt. in primis verbis capitis proponit, ſed à perturbatione non dicimur quales, vt à rubore ex verecundia in ore perfuſo, ex eodem Ariſt. in hac categ. ergo perturbatio non erit ſpecies qualitatis.

1. Argum Iam patibilem qualitatem & perturbationem

ſpec. c

ſpecie diſtingui, aliis duobus argumentis ita oſtendimus. Primum. Quia Ariſt eodem modo loquitur in hac ſpecie, ſicuti in præcedentibus, illam in duo membra diſtribuendo: ſed aliæ ſpecies diuiduntur, earum quælibet in duo membra ſpecie atoma, & indiuidua diſtincta. nam habitus & affectio ſpecie differunt, tum etiam naturalis potentia, & impotentia, vt in ſuperioribus quæſtionibus docuimus, ergo patibilis qualitas, & perturbatio ſpecie quoque different.

2. Argum. 2. Habitus & affectio ex eo differunt ſpecie, quia diſtinguuntur per facile, & difficile mobile ex ſua natura, ſed patibilis qualitas, & perturbatio diſtinguuntur quoque per facile, & difficile mobile ex ſua natura, ergo hæ duæ etiam erunt ſpecies inter ſe omnino diſtinctæ.

In hac quæſtione tria inueſtigamus. Primum, an patibilis qualitas ſit ſpecies qualitatis: ſecundum, an idem iudicium ſit de perturbatione: & *Obſeru.* vltimum, an ſint ſpecies inter ſe diſtinctæ, atque diuerſæ. Verum vt hanc rem commode intelligere poſſimus, obſeruandum erit ex Caietano duplicem eſſe qualitatẽ vnam ſecundum rem, & modum, & aliam ſecundum rem, non tamen ſecundum modum. Qualitas primi generis eſt illa quæ & in ſe eſt qualitas, & à qua ſubiectum quale nuncupatur. Qualitas vero alterius generis illa dicitur, quæ quamuis in ſe ſit qualitas, ſubiectis tamen quæ afficit qualitatis nomen non communicat. Eadem diſtinctione vſi fuimus agentes de habitu & affectione nimirum quendam eſſe habitum ſecundum rem, & modum, & alium ſecundum rem, non tamen ſecundum modum: idemq; eſt de affectione. Hoc animaduerſo quæſtionem propoſitam his aſſertionibus diffinimus Sit prima.

1. Concluſio. Patibilis qualitas vera eſt, & legitima ſpecies qualitatis. Hanc cum Ariſt. in hoc cap. omnes quotquot ſunt Philoſophi profitentur, confirmarique illa poteſt, quia à qualitate quales nuncupamur: at à patibili qualitate etiam quales nominamur, nam à candore dicimur candidi, & à calore calidi, ergo erit patibilis qualitas vera ac legitima ſpecies qualita.

2. Concluſ. 2. *Concl.* Perturbatio eſt etiã vera & legitima ſpecies qualitatis. Hanc aduerſus Ammon. propter argumenta ſecundo loco effecta, cum Simplicio, *Porphyr. B. Albert. Magn.* D. Th. 12. q. 49. *art. 2. Caiet. Soto, Villalpando, & denique cum communi Schola profitemur*, confirmamuſq; ex Ariſt. qui tertiam ſpeciem qualitatis conſtituit eſſe patibilem qualitatem & perturbationem ſic enim habet. *Tertium qualitatis genus conſiciunt patibiles qualitates ac perturbationem.* Nam. A. perturbatione quales dicimur, vt à pallore pallidi, & à rubore rubei, & tandem ab omni perturbatione perturbati nominamur, erit igitur perturbatio vera qualitas.

3. Concluſio. 3. *Concl.* Perturbatio non eſt qualitas ſecundũ modum. Hanc profitetur acutiſſimus Caiet. quæ certe abſque vllis ambagibus eſt aperta ſententia. Ariſt. etenim quamuis à perturbatione dicamur quales, non tamen ſimpliciter, & abſolute tales dicimur, ſed ſecundum quid, vt inquit Ariſt. quemadmodum quamuis à pallore ex metu aliquo in ore contracto pallidi dicamur, non tamen ſimpliciter, & abſolute, ſed ſecundum quid: at qualitas ſecundum modum illa dicitur, quæ ſimpliciter & abſolute denominat ſubiectum quale, ergo perturbatio non erit qualitas ſecundum modum.

4. Concluſio. 4. *Concl.* Patibilis qualitas, & perturbatio non differunt ſpecie. Canterus contrariam ſententiam eſt amplexus propter argumentum vltimo loco effectum, aduerſus quem hanc ſtatuimus aſſertionem cum M. Soto, Caieta. Villalpando, & aliis. *1. Argum.* Confirmatur vero 1. Color v. g. pallidus ex timore contractus, & qui in ſubiecto diu inhæret, vt eſt ille quem in nonnullis herbis conſpicimus, tantum differunt ſicuti perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem: ſed quæ hoc modo differunt ſunt eiuſdem ſpeciei, vt vir, & puer, qui tantum differunt iuxta perfectum, & imperfectum in ſpecie humana, ergo patibilis qualitas & perturbatio erunt vnius, ac eiuſdem ſpeciei. *2. Argum.* 2. Duæ differentiæ nulla ratione poſſunt diuidere naturas ſpecie diuerſas, ſed facile & difficile mobile ex ſua natura diuidunt habitum, & affectionem, ergo nõ poterunt diuidere patibilem qualitatem, & perturbationem, quod ſi non diuidunt, per has igitur differentias non diſtinguentur ſpecie patibilis qualitas, & perturbatio, vt aduerſarii profitentur.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta quæ in initio propoſuimus. Ad 1 dicimus vnam & eandem rem diuerſo modo ſumptam ſub variis ſpeciebus contineri: ac proinde calorem, & frigiditatem diuerſa ratione, & ſub habitu & affectione, & ſub patibili qualitate contineri profitemur. Etenim vt eſt diſpoſitio ſubiecti in ordine ad naturam, vel vt eſt conſona, aut diſſona naturæ, caliditas ſub habitu & affectione continebitur; eadem tamen vt afficit ſenſum infra limites patibilis qualitatis comprehendetur. Sulutio ex D. Thom. *12. qu.* citata collecta.

Ad 2. Ad 2. reſpon. negando minorem propoſitionem: nam habitus non eſt quælibet qualitas difficile mobilis à ſubiecto, & affectio facile

mobili

mobilis, ſed habitus eſt qualitas ex ſua natura difficile mobilis, affectio vero ex ſua natura facile mobilis, at patibilis qualitas non habet ex ſua natura vt ſit difficile mobilis, neq; perturbatio ex ſua natura obtinet, vt facile à ſubiecto remoueatur, ſed ex aliquo accidente, vt ex natura conditioneque ſubiecti hoc ſibi vendicant, quæ certe differentia cum ſit accidentaria non conſtituet naturas ſpecie diuerſas.

Ad 1. argum. Ad argu. Quæ ſecundo loco propoſuimus. Ad 1. dicimus, Ariſt. non ſimpliciter, & abſolute, ſed collatione facta cum patibili qualitate, ab ſpeciebus qualitatis reieciſſe perturbationem: etenim ſi perturbatio cum patibili qualitate conferatur, vix, ac ne vix quidem, qualitatis nomine inſigniri poſſe videtur.

Ad 2. Ad 2. dicimus, ex his quæ cum Caietano diximus, illud tantum colligere qualitatem nõ eſſe perturbationem ſecundum modum, ac proinde ab ea nos non poſſe quales nominari. Vel dicimus à perturbatione nos quidem dici quales, non tamen ſimpliciter, & abſolute, ſed ſecundum quid, nam à pallore ex metu contracto pallidi dicimur, non quidem ſimpliciter ſed ex parte, & ſecundum quid; at Ariſt. quando inquit a perturbatione nos non dici quales, intelligi debet ſimpliciter, & abſolute & non ſecundum quid.

Ad 1. arg. Ad extremum ad argumenta vltimo loco propoſita. Ad 1. dicimus ex eo ipſum propoſuiſſe hãc ſpeciem duobus nominibus, ipſamque in duo membra diſtribuiſſe, quia patibilis qualitas, & perturbatio modo eſſendi differunt, quamuis ſint vna eademque natura. Quod autem alias ſpecies ſub duobus membris propoſuerit, quæ ſpecie differant, cauſſa eſt, quia differunt illa differentiis eſſentialib. verum hæc duo hiſce differẽtiis diſtingui nulla ratione poſſunt.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Falſam eſſe patibilem qualitatem, & perturbationem diſtingui per facile, & difficile mobile ex ſua natura, ſed ex vi, & natura ſubiecti cui inhærent. Quæ certe differentia cum ſit accidentaria, & non eſſentialis non poterit has duas qualitates, inter ſe natura & eſſentia ſeparare.

QVÆSTIO VII.

An hæc tertia ſpecies qualitatis à prima diſtinguatur.

EX his quæ hactenus enarrata fuerunt. cõſtare equidem poterat patibilem qualitatem, & perturbationem natura, & ſpecie ab habitu, & affectione maxime diſiungi. Verũ, quia in hac re vrget illud argum. caliditatem, & frigiditatem, quæ inter patibiles qualitates recenſentur. ſub habitu etiam cõtineri, quod certe præ ſe ferre videtur has duas ſpecies nulla ratione eſſe inter ſe diſtinctas, erit hæc diſputatio repetenda quamuis breuiter, & ſuccincte. In qua re aliorum refutatis opinionibus noſtram ſententiam proponemus. *Argum.*

1. Opinio Eſt igitur prima opinio quorundam Philoſoph. vt teſtatur D. Tho. 12. q. 50 *art. 1. ad 3.* qui putant tantum diſtingui has ſpecies iuxta fieri, & factum eſſe, vna etenim ac eadem qualitas vt eſt in fieri patibilis qualitas, vel perturbatio nuncupatur, eadem tamen vt eſt in facto eſſe dicitur habitus, vel affectio. Sit exemplum in calore, qui vt eſt in fieri dicitur patibilis qualitas, vt tamẽ eſt in facto eſſe habitus nuncupatur.

Confut. Cæterum hæc ſententia conſtare non poteſt, quia calor in fieri nondum eſt calor, ſed calefactio, vel eſt via quædam ad calorem; in facto vero eſſe dicitur calor; ſed Ariſt. calorem inquit in hac ſpecie contineri, & non calefactionem, ergo calor in hac ſpecie continebitur, ac proinde non calefactio, quæ eſt via ad calorem in illa erit comprehenſa.

2. Opin. 2. eſt Porphyr. referente D. Thom. ex Simplicio has qualitates eſſe eiuſdem ſpeciei diſtingui tamen iuxta eſſe perfectum & imperfectum, quia patibilis qualitas & perturbatio ſunt qualitates quædam imperfectæ, non enim poſſunt qualitates ſibi ſimiles generare, at habitus & affectio ſunt qualitates perfectæ, & quæ poſſunt ſibi ſimiles qualitates producere.

Confut. Verum hæc ſententia falſa eſt, quia differentiæ eſſentiales habitus & affectionis, quæ ſunt facile, & difficile mobile ex ſua natura, non poſſunt eſſe differentiæ eſſentiales patibilis qualitatis, & perturbationis, cum cõueniant ipſis ex conditione, & proprietate ſubiecti, quare non erunt vnius atque eiuſdẽ ſpeciei, ſed diuerſarum.

3. Opinio Iamblicus vt profitetur Simplicius, docet primam, & tertiam ſpeciem eo diſtingui, quia prima tantum ſignificat qualitates acquiſitas noſtriſque laboribus comparatas; at tertia ſpecies denotat qualitates, a natura cõceſſas, & non eas, quæ noſtris actionibus acquiruntur.

Confut. Verum neque hæc opinio ſcopum attingit quia in prima ſpecie qualitatis continentur multi habitus a natura inſiti, vt habitus pri-

Digitized by Google

morum principiorum tam contemplatiui, quam operatiui, qui tamen ſunt nobis à natura conceſſi. Iam calor, & frigus, ſub habitu & affectione comprehenduntur ab Ariſt. quæ tamen non ſunt noſtris actionibus acquiſita, ſed à natura conceſſa.

pin. D. Th.

His igitur reiectis opinionibus verum diſcrimen, quod inter has duas ſpecies intercedit, proponitur a D. Tho. Simplic. & aliis. Eſt autē illud, quod habitus diſponit rem in habitudine ad eſſendum vel operandum, vt optima valetudo diſponit ſubiectum, vt illud diu in rerum natura perſiſtere poſſit. at vero patibilis qualitas & perturbatio ſunt quædā ſubiecti diſpoſitiones, ſenſum ipſum vel ſubſtantiam afficientes: quare diſtinguentur hæ ſpecies iuxta illud, quod eſt diſponere naturā ad eſſendum, & afficere ſenſum vel eundem lædere. Vnde calor vt diſponit ſubiectum ad naturam, erit habitus, vt autē afficit ſenſum tactus, patibilis qualitas nuncupabitur. Ex his facile diſſolui poteſt ratio dubitandi, quā in initio propoſuimus. dicimus enim calorē, & frigus, ſi diuerſa ratione ſumantur, nihil prohibere quo minus poſſint in diuerſis ſpeciebus contineri. vt ex iis, quæ *in q. ſup.* diximus, vnuſquiſq; colligere poterit apertiſſime.

lutio ra- nis propoſ.

QVÆST. VIII.

An forma & figura ſpecie differant.

ET quidem non diſtingui ſpecie nullus, quantum puto diffitebitur. Qua tamen ratione inter ſe diſtinguantur dubium eſt, & quidem non leue apud interpretes.

.Opinio.

Ammonius docet figuram eſſe effigiem exteriorem, quæ in rebus inanimatis cernitur, vt in lapidibus, & elementis, formam vero eſſe eandem effigiem in rebus animatis, vt in plantis, pecoribus & hominibus.

2. Opinio.

Iamblicus vt refert Simplicius putat nomine figuræ intelligendas eſſe figuras mathematicas vt triangulum vel quadratum, formę vero nomine eaſdem in rebus naturalibus, vel ab arte confectis, ea ratione qua qualitatibus ſenſilibus afficiuntur. Vnde tantum differunt forma & figurā iuxta eſſe coniunctum vel abſtractum a qualitatibus ſenſilibus, nam figura, vt conſideratur a Mathematico eſt a qualitatibus ſenſilibus abſtracta, forma vero eſt cum eiſdem coniuncta, & implicata.

3. Opin.

Sequuntur hanc M. Sotus, & alii B. Albert. M. *cap. 8. huius categor.* opinatur formam & figuram eſſe rem vnam & eandem ſolis diuerſis habitudinibus diſtinctam. Adnotat enim ille formam, & figuram, ſolum denotare in ali quo toto debitam partium proportionem, & commenſurationem. quæ ſane proportio, ſi ad formā à qua fluit referatur dicetur forma: ſi vero ad extrinſecas qualitates, vel ad terminum quantitatis referatur figura nuncupabitur. Vnde in homine exterior illa partium cōmenſuratio, vt fluit ab anima rationis participe dicetur forma, vt tamen terminatur ad terminos quantitatis, qui infra certos limites ipſius quantitatem circumſcribunt, dicetur figura.

4. Verior, forte opinio.

Eſt tamen vltima & fortaſſis multo verior quorundam recentiorum ſententia. Ariſt. nomine formæ, & figuræ rem vnam & eandem intellexiſſe; verum cum figura aliquando ſignificet dignitatem, aliquādo ſtylum orationis, & aliquādo ornatum & pulchritudinem, inquit Ariſto. iuxta illorum opinionem, hanc quartam ſpeciem qualitatis conſtituere formam & figuram quaſi aperte diceret, cum figura tot habeat ſignificationes, nō debemus putare in qualibet earum conſtituere hanc quartam ſpeciem qualitatis, ſed in ea ſolum in qua decorem, ornatum, & pulchritudinem ſignificat. Quæ certe ſpecies, & forma merito dici poteſt, cum ab ea homines formoſi & decori nuncupentur.

QVÆST. IX.

An pondus ſit qualitas, necne?

POſtquam egimus de ſpeciebus qualitatis, ſequitur vt de nonnullis, de quibus eſt cōtrouerſum ſintne qualitates, necne diſſeramus, vt de pondere, raritate, & denſitate, & aliis huius generis, explicandumque inprimis id erit de pondere, ſitne illud qualitas, vel quantitas potius, & quidem non eſſe qualitatem, ſed quantitatem hæc argumen. demonſtrant.

1. eſt. Ariſt. 5 *Metaphyſ. cap.* 13 conſtituit graue, & leue, eſſe proprietates quantitatis: ſed graue, & leue, ſpectant ad ratio. ponderis, ergo pondus erit quantitas. 1. Arg.

2. Æquale, & inæquale ſunt proprietates quantitatis; ſed a pondere vocantur res ęquales, vel inæquales, quemadmodum duo corpora eiuſdem libræ vocantur ac denominantur ab eiuſdem libræ pōdere æqualia, at duo alia quorum vnum ſit vnius libræ integræ, & alterum non ſit vnius libræ, ſed tantum dimidiæ dicuntur inæqualia, pondus igitur erit vera quantitas. 2. Arg.

3. Eſſe menſuram eſt proprietas quantitatis, ſed pondus eſt menſura corporum grauiū, & leuium; ergo pondus erit quantitas. 3. Arg.

4. Exceſſus

4. Arg. 4. Exceſſus & defectus conueniunt quantitati, ſed à pondere res afficiuntur exceſſu, & defectu vt eſt apertum, ergo pondus erit quantitas.

Duplex opin. Nonnulli ex veteribus è quorum numero ferunt extitiſſe Architam Tarentinum, exiſtimarunt pondus in catego. quantitatis contineri. Cæterum alii grauiores Philoſophi, vt D Aug. 10 *lib. confeſſ.* D. Tho. & Alex Aphrodiſ *in comm in cap.* 13 *&* 14. 5 *lib. Metaph.* exiſtimant pondus contineri in categor. qualitatis ſub naturali vi, quia pondus eſt quædam facultas, vt ferantur corpora ſurſum, vel deorſum. Quam opinionem tanquam omnino veram his argum. confirmamus.

1. argum. Primum petitum eſt ex Ariſt. 5. *lib. Metaph. c.* 14. vbi recenſet graue, & leue inter ſpecies qualitatis, vnde cum graue, & leue pertineant ad rationem ponderis, pondus continebitur in categoria qualitatis

2. argum. 2. Ariſt. recenſens ſpecies quantitatis, tam in Dialectica, quam in Metaphyſica nullam fecit mentionem ponderis: ergo vel aſſerendum erit ipſum extitiſſe diminutum in proponendis ſpeciebus quantitatis, vel fatendũ erit pondus non eſſe quantitatem, ſed qualitatem.

3. Argum. 3. Si pondus eſſet quantitas, vel eſſet cõiuncta, vel deiuncta: at neutra eſſe poteſt, ergo pondus non erit quantitas. Inprimis non eſt quantitas coniuncta, nam decem vnciæ ſpectant ad rationem ponderis, quæ tamen non continentur ſub quantitate coniuncta ſed ſub numero denario. Deinde neque eſt quantitas deiuncta, quia partes huius quantitatis non copulantur termino communi, neque ſunt in eodem toto: at vero partes põderis, vt lapidis vnius libræ copulantur inter ſe termino communi, ergo pondus non erit quantitas deiuncta.

Ad 1. argum. Ad argumenta; Ad primum dicimus, inprimis cum Alex. graue, & leue poſſe ſumi, vel vt ſignificant propenſionem naturalem ad locum ſuperiorem vel inferiorem, vel vt ſignificant exceſſum & defectum: nam quædam ſunt aliis grauiora, & alia leuiora. Primo modo graue, & leue ſunt qualitates cõtentæ ſub ſecunda ſpecie; ſecundo vero modo dici poſſunt qualitates, non ſecundum molem & magnitudinem, ſed ſecundum virtutem, nam exceſſus hic, & defectus, tantum eſt in facultatibus & potentiis naturalibus. Reſpon. deinde cum D. Tho. *in comm illius loci* Ariſt. non fuiſſe locutum ex propria opi ſed Pythagoreorum, qui conſtituebant omnia corpora componi ex extremitatibus, vnde illa corpora vocabãt grauiora, quæ componebantur ex pluribus ſuperficiebus, & illa leuiora, quę ex paucioribus conſtabant.

Ad 2. dicimus, duplicem eſſe æqualitatem, vnam ſecundum magnitudinem, & aliam ſecundum intenſionem, & virtutem. Prima æqualitas ortum habet à qualitate. ſecũda vero diffunditur per omnes categ. nam duæ albedines quarum vtraq. ſit quatuor graduũ ſunt æquales, & non à qualitate, eodemq; modo à pondere duo corpora dicuntur æqualia, non quidem ſecundum magnitudinem, quia aliquando corpora æqualia vnius libræ ferri, ſunt inęqualia ſecundum magnitudinem, ſed vocantur res æquales, aut inęquales à pondere ſecundum virtutem, & intenſionem. *Ad 2.*

Ad 3. dicimus, duplicem eſſe menſuram, vnam virtutis, & intenſionis, & alteram molis. Eſſe menſuram primo modo, nõ eſt proprietas quãtitatis, quia in quolibet genere datur vna menſura perfectionis. quemadmodum Ariſt. docet 10 *lib. Metaph.* eſſe vero menſuram ſecũdum magnitudinem, eſt quantitatis proprietas, at pondus non eſt menſura molis, ſed virtutis & intenſionis, & ita non erit quantitas. *Ad 3.*

Ad 4. reſp. exceſſum, & defectum ſecundum magnitudinem, prouenire à quãtitate, exceſſum tamen, & defectum ſecundum virtutem, & intenſionem, non prouenire ab illa: exceſſus autem & defectus prouenientes à põdere, non ſunt ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum virtutem. *Ad 4.*

QVÆSTIO X.

An rarum & denſum, aſperum, & lene in hac categoria contineantur.

HAnc dubitationem attingit Ariſt in cõtextu, nec tamen eam plene diſſoluere viſus fuit, ob quam cauſſam merito dubitare poſſumus, ſintne hæ qualitates, vel ſub limitibus alterius categ. comprehenſæ. Etenim idẽ Ariſt 4 *Phyſ c.* 9. *&* 2 *de ortu* inter ſpecies qualitatis numerat hæc quatuor, quæ propoſuimus. At contra *in hoc* 2. *cap.* docere videtur referens hæc ad categ. ſitum eſſe. *Ratio dub.*

Eſt igitur opinio diui Auguſt. *in ſuis catego. cap. de qualita.* has eſſe veras & legitimas qualitates, ſub limitibus huius categor. comprehenſas. *1. Opinio.*

Verum Seuer. Boet. B. Alb. Gilbert. Porreta. Auerroes M. Soto, Caiet. & alii multi arbitrãtur, & *in hac categ.* & in categ ſitũ eſſe comprehendi. Ceterum vt hanc q. explicemus, auſpi- *2. Opin.*

Digitized by Google

cabimur a definitionibus horum accidentiū, ita enim facilius multo ſintne in hac, vel in alia categ. poterimus iudicare. Rarum illud putat eſſe D. Auguſt. quod eſt poroſum, cuius ſc. partes ita inter ſe ſunt ſeparatæ, vt inter eas corpus alterius generis poſſit admitti, cuius generis ſunt pumices & ſpongiæ: Dēſum vero inquit eſſe illud, cuius partes ita ſunt compreſſæ, vt nequeāt corpus alterius generis intra ſe admittere, vt ferrum, plumbū, &c. Poſſumus tamen nos ita illa diffinire. Rarum eſt cuius partes inter ſe longius diſtant, vel quod ſub maiore quantitate minorem habet portionem materiæ; denſum vero eſt, cuius partes inter ſe minus diſtant, vel quod ſub minori quantitate maiorem cōtinet materiæ molem, vt in cera poſſumus has duas diffinitiones apertiſſime explicare, etenim illa tunc temporis rareſit, & dilatatur, quando ſub maiori, & extenſiori quantitate, minorem continet materiæ molem, parteſque illius inter ſe longius diſtant; at tunc condenſata dicetur, quando ita comprimentur partes illius, vt in minori quantitate maiorem contineat portionem materiæ, vel quando partes illius, ita compreſſæ minus inter ſe diſtabunt. Aſperum illud dicitur cuius partes ſunt inter ſe inæquales, & cuius quædam eminent, aliæ vero deprimuntur: lene vero illud eſt cuius partes ſunt inter ſe ita æquales, vt nulla emineat, nullaque deprimatur. Verum de his omnibus in noſtro primo libro de elementis vberius multo, ſuperiori anno nobis fœliciter arridente.

1. concluſ. His igitur ſic ſtatutis ſit prima concluſio. Rarum & denſum, aſperum & lene, ſi iuxta ſitum partium, maiorem ſcilicet diſtantiam, vel minorem vnius ab altera, aut iuxta eminentiorem, vel depreſſiorem locum conſiderentur, non ſunt qualitates, ſed continentur in categoria ſitum eſſe. Hæc ſatis eſt nota cum huiuſmodi differentiæ partium in loco, in categoria ſitum eſſe tantum poſſint cōprehendi. Et hoc præ ſe ferre videntur verba Ariſtotelis in hoc capite, quando inquit: Hęc quę recenſuimus videri magis partium quandam poſitionem, quam qualitatem ſignificare.

2. concl. 2. concluſ. Si aſperum, & lene ſumantur ea ratione qua afficiunt ſenſum, illumque diuerſo modo commutant (nam aſperum auſteritatem generat, lene vero dulcedinem, experimur enim fructus immaturos, aſperiores eſſe guſtui, & ob hanc cauſſam auſteritatem in eo generate, econtra vero mel, & lac eſſe corpora lenia, ac proinde eidē guſtui dulcedinē quandam ingerere) ſi inquam hac ratione vſurpentur, huiuſmodi accidentia in hac categoria qualitatis ſub patibili qualitate comprehendentur. Confirmatur. Patibilis qualitas eſt, quæ afficit, vel cōmutat aliquo modo ſenſum: at hæc accidentia ita ſumpta ſunt huiuſmodi, ergo erunt patibiles qualitates.

3. concluſ. 3. concluſ. Eadem accidentia, vt diuerſam efficiunt figuram, (nam aliam figuram conſpicimus in leni, & aliam in aſpero, ex his enim quædam eſt magis curua, & alia magis recta) erunt qualitates ſub quarta ſpecie collocatæ. Confirmatur. Quia hac ratione exprimunt figuram aliquam, quæ quantitati certos limites perſcribat, at quarta ſpecies forma eſt & figura.

Conciliatur ſibi ipſi Ariſt. Ex his facile conciliare poterimus Ariſtot. qui ſibi prima facie in locis ſuperioribus aduerſari videtur: etenim quando in phyſicis docuit rarum, & denſum eſſe qualitates, locutus eſt de his ea ratione qua afficiunt ſenſum, ac quando in hac categoria hæc eadem ad ſitum eſſe reuocat, intelligi debet de eiſdem, ea ratione qua habent partes eminentiores, vel depreſſiores, aut propinquius, vel longius diſtantes.

QVÆSTIO XI.

De his quæ in ſingulis ſpeciebus qualitatis collocantur.

Legendi ſunt de hac re M. Soto quæſt. vnica Villa'p. Tolet. vera cruce & alii in comment huius categoriæ, quam certe quæſtionem dilucide explicatam proponemus, ſi iuxta methodum diuiſionis in explicandis ſingulis ſpeciebus progrediamur.

1. Diuiſ. habituum. Et vt à prima ſpecie, habitu nimirum, initium ducamus, habitus prima diuiſione ſic erunt diuidendi, vt quidam ſint animæ, alii vero corporis. Huius illi ſunt, qui præcipue ſunt in corpore, & ad aliquam operationem corpoream deſtinantur, ex quibus quidam ſunt in toto illo, vt ægritudo, & optima valetudo, alii vero in aliqua parte vt habitus pulſandi in manibus, & pſallendi in pedibus.

Habitus acqui. & infu. Iam: Habitus animæ quidam ſunt acquiſiti quos ſcilic. proprio Marte, & labore nobis comparamus, vt ſunt virtutes omnes, quas ex aſſiduis operibus in nobis generamus: alii vero ſunt infuſi, vt illi qui benigna manu à Deo Opt. Max. ſunt nobis conceſſi, cuius generis ſunt gratia, fides, ſpes, charitas, & reliqua Spiritus ſancti dona, & charismata.

Præterea

Acquiſit. intell. & moral. Præterea ex acquiſitis quidam ſunt intelle-
ctiua, qui ſunt in intellectu tanquam in ſub
iecto, exiſtuntq; illi quinque ab Ariſt. enume-
rati 6. *Eth. c.3.* Intelligentia, Sapientia Scien-
tia, Ars, & Prudentia, ex quibus tres priores
ſunt ſpeculatiui, duo vero poſteriores practi-
ci, qui in varias ſpecies & formas ſunt diſtri-
buti, de quibus abunde iſtis egimus *quæſt. 2.
ſect. 1 prœmial.* Morales vero ſunt, qui ornant
voluntatem, & appetitum, vt ſunt Iuſtitia,
Prudentia. Temperantia & Fortitudo, & mul-
ti alii, qui ſub iſtis tanquam generibus conti-
nentur.

De his, quæ in ſecunda ſpecie continentur.

EAndem methodum obſeruantes per diui-
ſionem, quæ in hac ſpecie continentur,
1 Diuiſ. Vis natural. colligemus. Vis igitur (vel potentia naturalis)
quædam eſt corporis, & alia animæ, corporis
quædam eſt agens, vt eſt vis arboribus, plan-
tis, & multis lapidibus ad aliquid agendum à
natura conceſſa, & alia eſt patiens, vt molli
cies, durities, optima corporis conſtitutio, &
alia huius generis, quæ difficile cedunt cor-
2. rumpenti. Ad hæc, animæ quædam eſt animæ
vegetantis, alia ſentientis, & alia intelligẽtis.
Vegetantis duplex, præcipua vna, & alia mini-
ſtra. Præcipua eſt triplex, nutriendi, accreſcen-
di, & generandi: miniſtræ vero facultates qua-
tuor ſunt ab omnibus Philoſophis & Medicis
collocatæ, attrahendi, retinendi, concoquen-
di, & expellendi. Iam, Sentiendi facultates
quædã ſunt interiores, & aliæ exteriores. Ex
teriores ſunt quinque viſus, auditus, olfactus,
guſtus, & tactus. Interiores ſunt ſenſus cõmu-
nis, vis imaginandi, vel phantaſia, cogitatiua,
4. & memoria. Deinde potentia appetitiua in
eiſdem animalibus eſt duplex, quædam con
cupiſcibilis, & alia iraſcibilis, ex quibus tan-
quam ex duobus fontibus amor, odium, &
5. multæ aliæ paſſiones deriuãtur. Rurſus in eiſ-
dem perfectis animalib. eſt facultas loci moti-
ua, quæ iuxta diuerſa inſtrumenta diuiſa eſt in
facultatem volandi, natandi, & progrediendi.
Intelligentis vero animæ ſunt tres aliæ facul
tates, intellectus, memoria, & voluntas, ſiue
Quæ reuoc. ad hanc ſpeciem. appetitus intelligens. Reuocãtur ad hanc ſpe-
ciem omnia genera inſtrumentorũ, gladius,
enſis, dolabra, cithara, lyra &c. Omnium ge-
nerum & ſpecierũ proprietates, vt riſibilitas,
rugibilitas, & hinnibilitas, omneſq; propẽſio-
nes, & procliuitates ad aliquid agendũ, qualis
eſt in igne, vt petat loca ſupera, & in terra, vt
in locum inferiorem feratur.

Quæ in tertia ſpecie ſint contenta.

SVb hac ſpecie inprimis colores omnes, qui
ex conſtitutione corporis naturali orian-
tur, continentur deinde qualitates, quæ tan-
gi poſſunt, tam primæ; vt calor, frigus, humi-
ditas, & ſiccitas, quam ſecundæ, vt ſunt illæ,
quæ ex his, tanquam ex fontibus oriuntur, vt
rarum & denſum, aſperũ & lene, molle & du-
rum, & aliæ huius generis qualitates. Iam
omnes animi perturbationes, vel (vt cum aliis
dicamus) paſſiones, ſiue à natura inſint, vt eſt
mentis quædam alienatio, & in nonnullis fu-
ror motuſque animi ad iracundiam concita-
tus, ſiue fortuito & caſu eueniant, dum ta-
men diu in ſubiecto perſiſtant. Et vt vnico
verbo finiam, qualitates omnes, quæ vel ex
paſſione ſubiecti oriuntur, vel eam in ſubie-
cto efficiunt, ſub hac ſpecie continentur. De *Dubium de lumin.*
lumine tamen controuerſum eſt, ſub qua ſpe-
cie collocetur, nam quidam ſub habitu, & alii
ſub patibili qualitate illud collocãt: verius ta-
men poſſumus aſſerere illud ſub prima, ſecun-
da, & tertia ſpecie contineri, quamuis alia di-
uerſaque multum ratione, nam vt eſt diſpo-
ſitio aſtrorum in habitudine ad eorum natu-
ram, vt nimirum eſt qualitas quædam natu-
ræ accommodata, ſub habitu continebitur:
vt autem eſt principium, cuius ope aſtra in-
fluunt in hæc inferiora (nam lumine, & mo
tu agunt in illa) in ſecunda ſpecie collocabi-
tur, eſt enim ita, potentia quædam naturalis,
& inſtrumentum coniunctum, cum ipſo me-
dio varias nobis qualitates, influxuſque cœ-
leſtes nobis aſtra impertiuntur. Vt vero afficit
ſenſum, interdum ſiquidem lædit ipſum, vt
ſi oculorum aciem in ſolem ipſum conuerta-
mus, ſub tertia ſpecie, nimirum patibili qua-
litate, collocabitur: ſub illa etenim illæ qua-
litates comprehenduntur, vt ſæpe ſupra di-
ximus, quæ ſenſum commutare, aut lædere
quoquo modo poſſunt. Præterea, De ſono *Dubium de ſono.*
eſt etiam difficultas, ſub qua ex his ſpeciebus
contineatur. Dicimus tamen ad perturbatio-
nem poſſe reuocari. ortum enim habet ex paſ-
ſione, nimirum ex ictu duorum corporum ſo-
lidorum, neque diu inhæret, ſed ſtatim labi-
tur & euaneſcit.

Quæ ſint in quarta ſpecie comprehenſa.

COntinentur in hac ſpecie omnia genera
figurarum: Ex figuris etenim quædam *1. diuiſ. figur.*
numeris, & quædam quantitati cõiunctæ ap-
plicãtur. In numeris enim datur triangulum,
quadratum, quadrangulum, & ſic de omnibus

Digitized by Google

aliis figuris: in quantitate vero cõiuncta dantur hæ eæ lẽ figuræ, & omnes aliæ, quæ à Geometra cõtemplantur. Iam, ea figuris quædam ſunt planæ, & aliæ ſolidæ. Planæ ſunt illæ, quæ in aliqua ſuperficie delineantur, vt ſunt triangulum, & quadrangulum, quæ in tabula aliqua, vel papyro deſcribuntur: ſolidæ vero illæ dicuntur, quæ in corporibus ipſis conſpiciuntur, vt ſunt columnæ, pyramides, globi, & huius generis multæ aliæ: collocantur etiam ſub hac eadem ſpecie nonnullæ aliæ figuræ mathematicę imperfectę, vt rectum, & inflexum, par, impar, concauum & conuexum, & huius generis nonnullæ aliæ. Et tandem omnes figuræ tam naturales, quam beneficio artis effectæ, quæ in quantitate reperiuntur, & in ſuperficie, quæ exterius apparet, conſpiciuntur, ad hanc eandem ſpeciem reuocantur.

uiſ.uin,d.

QVÆSTIO XII

Num recte ſint proprietates qualitatis ab Ariſtotele aſſignatæ, an non?

AD extremum ſequitur, vt nonnulla de proprietatibus qualitatis ab Ariſt. traditis in hoc loco proponamus. Prima igitur proprietas erat, qualitati aliquid eſſe cõtrarium nam candor atrori, & frigus calori vere contrariantur. Verum hæc proprietas (ſi de vera & legitima contrarietate agamus, quæ ſc. intercedit inter ſpecies, quæ ſub eodem genere proximo contentæ inter ſe maxime diſtant, viciſſimq; ſubiecto inſunt, à quo mutuo ſe expellunt, niſi alterum inſit à natura, vt ex inſtituto in Poſtcategor. capit. de contrariis, oſtendemus) non competit omni qualitati, bene tamen ſoli: non quidem omni, quia figuræ ratione ſui nihil eſt cõtrarium, neq; enim triangulum quadrato, aut quadratum circulo aduerſatur: optime tamen ſoli, quia nullæ aliæ formæ à qualitate poſſunt eidem ſubiecto ineſſe, à quo mutuo ſe expellãt, niſi alterum inſitum fuerit à natur. Eſt tamẽ difficultas, conueniat ne hæc proprietas qualitatib. intermediis, vt colori cæruleo, viridi & rubeo, nam eſſe ipſis aliquid contrarium, eſt expreſſa Ariſt. ſententia 5. *Phyſ. cap.* 1. vbi inquit, non ſolum extrema, verũ etiam media extremis eſſe contraria, & 2. *Eth. c.* 8. *ac lib.* 1. *magn. mor. c.* 9. docet extrema vitioſa & inter ſe, & cum virtute, quæ eſt in medio, eſſe contraria: at contra ſentit in hoc capite, inquiens, hanc proprietatem tantum extremis, & non qualitatibus intermediis conuenire. Huic tamen difficultati reſp. duobus modis, poſſe aliqua inter ſeſe contrariari, vno modo ratione ſui, & altero ratione

n.1. pro- m non 4. mo.

m cõuen. lita. me-

uſt huic o.

alterius. Sit exemplum in igne & calore: ignis ratione alterius (nimirum caloris) contrariatur aquæ: at calor ratione ſui contrariatur frigiditati. Itaq; qualitates intermediæ contrariantur aliis extremis, non ratione ſui, ſed ratione alterius extremæ qualitatis, vt ſcilicet induunt rationem ipſius. Ex quibus facillimè erit conciliare loca Ariſt. allata, quæ inter ſe quodammodo pugnare videntur, nam diximus Ariſt. docuiſſe in lib. Ethicor. qualitates medias contrariari qualitatibus extremis non ratione ſui, ſed ratione alicuius extremi: at quando in hac categoria docet, non conuenire hoc qualitatibus intermediis, intelligi debet de ipſis ratione ſui, & non ratione alterius qualitatis extremæ.

2. Proprietas eſt qualitas, recipit magis & minus, quam recte conuenire qualitati ex ſuperiori poſſumus ita ſuadere. Magis & minus, in qualitatib. prouenit ex permiatione vnius cum altera, illud enim eſt albius, v.g. quod eſt nigro impermixtius, vt auctor eſt Ariſt. 5. *Phyſ. cap.* 2. quare cum contrarietas conueniat qualitati, & recipere magis & minus debet eidem conuenire. Hæc tamen proprietas non conuenit omni qualitati, quia vnus circulus non eſt magis circulus, quam alius, neque vnum quadratum, quam ſit aliud ſed tantum conueniet ſoli illi qualitati, cui aliquid natum eſt cõtrariari. Eſt tamẽ difficultas, num hæc proprietas quali vel qualitati conueniat, multi enim ex veteribus (vt teſtatur Porphyr.) ſicuti Plato, & alii in ea extiterunt opinione, vt arbitrarentur qualitati, & nõ quali, formæ abſtractæ, non autem concreto conuenire. Ariſt. tamen contrariũ verius eſſe putat, illam quali, & concreto conuenire, non autem qualitati, & formæ. Vt tamen hanc litem definiamus, ſciendum erit, multum intereſſe, loqui de re ipſa abſolute ſumpta, & à parte rei, vel de eadem, vt nomine concreto, vel abſtracto ſignificatur. Vnde profitemur, inprimis hanc proprietatem à parte rei qualitati conuenire, illa etenim eſt, quæ ſuſcipit incrementa, intenſionemq; ac remiſſionẽ: & profecto, ſi eſſentia accidentis eſt ineſſe ſubiecto, intenſioq; & remiſſio per maiorem radicationem qualitatis in ſubiecto fiat, qualitas ipſa erit, quæ ſecundum ſuam eſſentiam recipiet magis & minus, vt ſæpe animaduertit D. Thom. Profitemus ſecundo, nõ eandem qualitatem in abſtracto, & veluti auulſam à ſubiecto, ſed vt applicatam & inhærentẽ illi recipere magis & minus. Huius rei egregiam ſane aſſignat rationem Caiet. acutiſſimus, quia qualitas in abſtracto ſigni-

Explic. 2. proprietas.

Difficultas.

Diſſoluitur difficultas.

fica:a

ficata, ſignificatur per modum ſubſtantiæ, & per ſe cohærentis, eſt autem ita proprium ſubſtantiæ, non recipere magis & minus, vt non ſolũ quæ vera fuerit ſubſtantia, ſed quidquid obtinet modum illius, nulla ratione queat magis vel minus ſuſcipere. Cæterum hæc ſat fuerit aliquo modo attigiſſe, nam longior oratio ad libros de ortu, & interitu, in quibus de intenſione & remiſſione formarum agitur, eſt referenda.

Vlt. proprietas. Vltima proprietas eſt, vt à qualitate res ſimiles, vel diſſimiles efficiãtur. Intellig. q; debet de ſimili, & diſſimili fundamẽtaliter: nam ſi formaliter ſumpta fuerint, relationes ſunt, non qualitates. Quæ proprietas & omni, & ſoli quãtitati competit, ac proinde erit maxime proprie affectio illius, nam quemadmodum idem, & diuerſum a ſubſtantia: æquale & inæquale à qualitate deriuantur: ita ſimile & diſſimile à qualitate promanabunt. Quod intellig. debet non de vera tantum qualitate, verum etiam de omni habente modum illius, nam inter duas paternitates eſt ſimilitudo naturarum, & iure paternitatem & filiationem diſſimilitudo, quæ non ſunt veræ qualitates, ſed relationes, quamuis in hac re modo qualitatis affici videantur. Atque hæc de qualitate dicta fuerunt ſatis, nam quæ de habitibus, & de intenſione ac remiſſione qualitatum, & de nonnullis aliis quidam in hoc loco proponunt, cum ſint extra inſtitutum Dialecticorum, & ad ſuperiores artifices, nimirum Philoſophum naturalem & Metaphyſicum pertineant, conſulto hoc loco prætermittimus.

CAPVT V.

De Actione & Paſſione.

Argvmentvm Cap.

IN hoc capite, in prima illius parte duas tradit proprietates actionis & paſſionis, in ſecunda vero de quatuor vltimis categoriis diſſerit tantum, exemplis quibuſdam earum naturam nobis proponens.

ATque etiam agere patique & aduerſorum repugnantiam recipiunt, & magis ac minus. Calefacere enim & refrigerare ſunt inter ſe contraria, & caleſcere & frigere, & gaudere ac dolere. Reperitur igitur in his aduerſorum repugnantia. Item magis & minus. Nam & calfacere magis ac minus licet, & minus caleſcere & magis, & maiorem minoremque percipere dolorem. Illa igitur agere & pati magis minuſq; accipiunt. Atq; de his quidem hactenus. In iis quæ cum aliquo conferuntur, ſitum eſſe, à ſitu nomen habere diximus. B. *De cæteris categoriis, quæ ſunt, quando, vbi, & habere, quoniam aperta ſunt, & non obſcura, nihil aliud trado, niſi id, quod initio dixi. Habere, talem habere ſignificationem. Vt ſit velut veſtitum eſſe. & armatum eſſe: & Vbi, vt in Lyceo, in foro, cæteraq; omnia, quæ de iis dicta ſunt. Ac de generibus quidem, quæ nobis propoſuimus, ſatis multa dicta ſunt.*

Commentaria.

SVmma breuitate in his categor. vltimis explicãdis vtitur Ariſt. nam tribus ſe e verbis ab illarum explicatione ſe expedit, initium ducens ab actione & paſſione, in quibus duabus explicandis, prætermiſſis definitionibus, duas tantum proponit proprietates.

2. Proprietat. action. A. *Atque etiam agere, &c.* Prima eſt, actioni & paſſioni aliquid eſt contrarium, nam calefacere contrariatur frigefacere, & calefieri frigefieri aduerſatur. 2. Actio & paſſio recipiunt magis & minus, nam ignis maior magis calefacit, quam minor, & vna aqua magis calefit, quam alia.

B. *De cæteris categoriis, &c.* In ſecunda parte cap. explicat Ariſt. quibuſdam exemplis quatuor alias categor. quæ ſunt, vbi, quando, ſitum eſſe, & habere. *4. Categ. exemplis proponit.* De ſitum eſſe, iam inquit, ſupra in categ. de relatis ſermonẽ habuimus. Habere, inquit, eſt eſſe veſtitum vel eſſe armatum: vbi, vt eſſe in foro vel Lyceo, quando, vero eſſe in tempore, vt eſſe in anno menſe vel die. Atque ita finem, inquit, impoſuimus decem generibus ſupremis, quæ in initio huius operis explicare polliciti fueramus.

Scholia in cap. 5. categ. de actione & paſſione.

A 1. Ob quam etiam Ariſtotel. tam breui ſermone harũ poſtremarũ categoriarum *1. Obſeru.*

naturam

Digitized by Google

DISPVTATIO DE SEX VLTImis Categoriis vnica Sectione comprehenſis.

ARGVMENTVM.

VT vltimam manum huic categoriarum diſputationi imponamus, de ſex vltimis categoriis, de quibus tribus verbis egit Ariſtoteles, erit ſuſcipienda diſputatio, in qua paulo diffuſius, quam præſtiterit Ariſtoteles, vim, naturam, & proprietates earum explicabimus: exordiemur autem ab hac generali quæſtione, in qua quærimus:

SECTIONIS VNICÆ

QVÆSTIO I.

An ſex vltimæ categoriæ ſignificent rem abſolutam?

ANtequam de ſingulis categotiis agamus, operæ pretium erit, ne ſæpe eadem repetere cogamur, ab hac generali quæſtione totam hanc de ſex vltimis categoriis diſputationem præfari, inquirereque, ſintne relationes formaliter, vel naturæ quædam abſolutæ, & extrinſecæ denominationes. Et certe non ſignificare extrinſecas quaſdam denominationes. Confirmatur

1. *Arg.* Inprimis: Si hæ ſex vltimæ categoriæ tantum differrent à primis, quia denominãt ſubiectum extrinſece, fieret vbi, & locum nullo modo diſtingui, locus enim denominat rem locatam extrinſeca denominatione, nam in eo ſeparatur à ſuperficie, quia ſuperficies denominat ſubiectum denominatione intrinſeca, locus vero extrinſeca: ſed hoc omnino falſum eſt, nam locus in categoria quantitatis continetur, vbi vero in propria categoria: ergo hæ ſex categoriæ poſtremæ non eo ſolum ab aliis prioribus diſtinguentur, quia denominant ſubiectum extrinſece.

2. *Arg.* Deinde; Illud denominat ſubiectum intrinſece, quod inhæret ſubiecto denominato: ſed paſſio inhæret ſubiecto denominato, vt calefactio inhæret aquæ, ergo paſſio denominabit ſubiectum intrinſece, & ita non erit ab aliis per hoc diſtincta, quia denominet ſubiectum ipſum extrinſece, & cum ipſa ſit vna ex ſex vltimis categoriis, ſicut ipſam confirmamus denominare ſubiectum intrinſece, etiam & alias aſſerere poterimus denominare ſubiectum intrinſece.

3. *Arg.* Præterea; Eſſe in hoc loco, & eſſe hoc vel alio modo in loco non differunt, ſed vbi eſt eſſe in loco, at ſitum eſſe eſt hoc vel alio modo eſſe in loco, vt eſſe pronum, vel ſupinum, eſſe curuum vel erectum: ergo hæ duæ categoriæ, vbi & ſitum eſſe, non diſtinguentur.

Vltimo: D. Thom. 5. *lib. Metaph. c.* 15. *lect.* 17. constituit expreſſis verbis, has vltimas categorias ſignificare relationem, verum igitur erit, has vltimas categorias ab aliis primis ſecerni, quia ſignificant relationem. 4. *Arg.*

In hac quæſtione eſt prima opinio Scoti *in* 3. *ſenten. quæſt.* 1. *in* 4. *diſtinct.* 13 *q* 1. *& quodlib.* 11. diſtinguentis relationes in extrinſecus aduenientes, & intrinſecus inhærentes, extrinſecus aduenientes vocat illas, in quibus poſito termino, & fundamento, nondum ſequitur relatio, vt in actione & paſſione, poſita cauſa agẽte igne, v.g. calefaciente, & aqua, quæ poteſt calefieri, nõ ſequitur ſtatim actio calefaciendi, neque relatio calefacientis ad rem, quæ calefacit: relationes vero intrinſecus aduenientes vocat illas, in quibus poſito fundamẽto & termino ſtatim ſequitur relatio, qualis eſt relatio ſimilitudinis, nam poſita albedine in Petro, & Ioanne albo in rerum natura, ſtatim ſequitur in vtroque relatio ſimilitudinis. Hac diſtinctione conſtituta, inquit Scotus, has categorias poſteriores non eſſe res abſolutas, ſed eſſe quaſdam relationes extrinſecus aduenientes, & non intrinſecus, quia in illis poſito termino & fundamento, non ſequitur ſtatim relatio, vt in exemplo propoſito, poſito agente & patiente; non ſequitur ſtatim relatio agentis ad paſſum. 1. *Opin.*

Cæterum hæc opinio falſa eſt, quam his duobus arg. confutamus. Primum Illæ ſunt relationes intrinſecus aduenientes, ſecundum eum, in quibus poſito fundamento, & termi- *Reiicitur prima.*

Digitized by Google

no, ſtatim ſequitur relatio, ſed poſito homine, & tempore, ſtatim conſequitur hominem eſſe in tempore: & poſito eodem & loco, ſtatim fit hominem eſſe in loco. ergo cum eſſe in loco ſit categ. vbi, & eſſe in tempore categor. quando, hæ relationes tantum erunt intrinſecus aduenientes, & non extrinſecus.

Deinde; Relationes intrinſecus aduenientes, vel extrinſecus, non differunt genere: ſed hæ vltimæ categ. differunt genere à categ. relationis: ergo vltimæ categor. non per hoc diſtinctæ cenſebuntur à categoria relationis, quia ſint ipſæ relationes extrinſecus aduenientes: quæ autem in categoria relationis ſunt comprehenſæ, tantum ſint intrinſecus aduenientes. Aſſumptio eſt aperta, confirmatur propoſitio. Relationes tam intrinſecus aduenientes, quam extrinſecus, ad eum modum diſtinguuntur, quo accidens ſeparabile & inſeparabile, nam relatio intrinſecus adueniens remanente fundamento & termino nequit ſeparari à ſubiecto: relatio vero extrinſecus adueniens, etiam (eodem Scoto teste) poſito adhuc termino, & fundamento, ſeparatur à ſubiecto, quia poteſt nondum eſſe in eo: ſed accidens ſeparabile, & inſeparabile, nō diſtinguuntur ſpecie, ſicut albedo ſeparabilis, & inſeparabilis, ergo relationes extrinſecus & intrinſecus aduenientes neque genere, neque ſpecie vllo modo different.

2. Opinio eſt Capreol. *in 2. ſent. diſt. 6. q. 1.* in arg. ſecundo loco effectis aduerſus ſecundam aſſertionē, præſertimq; in ſolutione 1. conſtituentis has ſex vltimas categor. neque ſignificare rem abſolutam, neque aggregatum quippiam ex abſoluto & relato, ſed relationes præciſas, & puras. Quam eandem opinionem, vt teſtatur Sueſanus *5. lib. Metaph. q. vlt.* ſequutus fuit Burlæus, & nonnulli alii.

Verum neque hanc opinionem laudamus, ſed illam reiicimus his argumentis. 1. Relatio per ſe & præciſe ſumpta continetur in categoria relationis: ſed hæ vltimæ categoriæ non continentur in categ. relationis, cum ſint categoriæ ab ea diſtinctæ: ergo hæ ſex vltimæ categoriæ non ſignificabunt puram relationem. Aſſumptio eſt aperta, confirmatur propoſitio. Præciſæ & puræ relationes ſunt illæ, quarum tota vis & natura eſt ad aliud: ſed illæ relationes quarum tota vis eſt aliud, continentur in categoria relationis, quia hæc eſt definitio illius categoriæ propoſita ab Ariſt. ergo relationes puræ continebuntur in categoria relationis.

Deinde; Nulla relatio, niſi fuerit tranſcendens, poteſt fundari in alia relatione, alioquin ſi vna relatio haberet aliam pro fundamento eſſet progrediendum in infinitum: ſed relatio paternitatis fundatur proxime, & immediate in actione generandi, filiationis vero in potentia, vel paſſione, vt generetur: ergo actio & paſſio non erunt meræ relationes. Vnde cum ſint illæ duæ categoriæ ex ſex vltimis iam non omnes ſaltim categoriæ ſignificabant relationes. Ad hæc; Actio & paſſio ſecundum eſſentiam non differunt à motu, vt auctor eſt Ariſt. *3. lib. Phyſicor. cap. 3.* ſed motus non eſt relatio, ſed res abſoluta: ergo ſaltim actio & paſſio ex ſex vltimis categoriis non ſignificabunt relationem.

3. Opinio eſt quorundam (quos refert Herueus *quodlibet. 1. quæſt. 9.* in qua ferunt extitiſſe Ægidium Romanum) conſtituentium, has vltimas categorias ſignificare quidpiam aggregatū ex qualitate & relatione continentiæ. *3. Opin.* Reiicimus tamen etiam & hanc opinionem hoc pacto: Aggregatum ex ente abſoluto, & relatio, eſt ens per accidens: nam eſt aggregatum ex rebus diuerſarum categoriarum, quia abſoluta & relata continentur in diuerſis categoriis: at hæ poſtremæ categoriæ ſunt entia per ſe: ergo non ſignificabunt aggregatum ex abſoluto & relato. *Reiicit.*

His propoſitis ſimul, ac reiectis opinionibus, quarta opinio eaque veriſſima eſt, has vltimas categ. ex ſignificato præcipuo, & eſſentiali ſignificare rem abſolutam, minus tamen præcipue, & ex ſignificato quaſi per accidens, denotare aliquam relationem, vnde poterunt vocari relata ſecundum dici. Hanc opinionem ſequuti ſunt Herueus *quodlib. citato.* Soncin. *5. lib. Metaph. q. 39. 40. & 41.* Iauell. *eod. lib. quæſt. vlt.* M. Soto *in explicat. harum categoriar.* & plerique alii. *4. Opin.*

Eam vero vt intelligamus, annotandum eſt triplicem eſſe denominationem, intrinſecam vnam, aliam omnino extrinſecam, aliam vero partim intrinſecam, & partim extrinſecam. Intrinſeca eſt, quando attribut. eſt in ſubiecto, ſiue ſecundum eſſentiam, vt eſt hæc, homo eſt animal; ſiue ſecundum inhæſionem, vt eſt hæc altera, homo eſt candidus. Omnino extrinſeca eſt, quando attribut. non eſt in ſubiecto denominato, qua ratione agens denominatur ab actione, quæ non eſt in agente, ſed in paſſo. Partim intrinſeca, & partim extrinſeca eſt, quando attributum ineſt ſubiecto, dependet tamen aliud ab alio extrinſeco, quemadmodum homo denominatur pater à paternitate, quæ eſt in eo, dependet tamen *Obſeru.*

ab

ab extrinſeco, ſcilicet à filio. Eſt igitur opinio horum grauiſſimorum Philoſophorum, vltimas categorias ſolum differre à tribus prioribus, quia quantitas & qualitas tantum denominãt ſubiectum denominatione intrinſeca, relatio vero denominatione partim intrinſeca, partim extrinſeca: at omnes ſex vltimæ categoriæ denominant ſubiectum denominatione extrinſeca, quemadmodum denominãtur res locatæ à loco, qui non eſt in corpore locato, ſed in locante & agens denominatur ab actione, quæ non eſt in ipſo, ſed in paſſo. Vnde colligit Heruæus, has ſex vltimas categorias non differre à primis, niſi ſecundam ſolam denominationem, quia eadem res vt denominat intrinſece, eſt quantitas, vel qualitas, at vt denominat extrinſece, eſt vbi, vel quando. Quemadmodum ſuperficies corporis ambientis, vt denominat corpus ambiens, vocatur extremitas: vt vero denominat extrinſece corpus, quod eſt in loco, dicitur vbi. Verum addendum erit, non ſolum diſtingui has vltimas categorias per extrinſecam denominationem à prioribus categoriis, ſed quia præter hanc extrinſecam denominationem connotant quandam habitudinem, ſecundario per ipſaſmet ſignificatam, nam ex denominatione extrinſeca ſequitur in denominante, & denominato, quædam relatio, per quam hæ categoriæ vltimæ ſeparantur à prioribus. Nam ſi per extrinſecam denominationem tantum ſeparatentur hæ categoriæ à quantitate, & qualitate, ſequeretur locum non eſſe in categoria quantitatis, ſed in categoria vbi, nam locus eo differt à ſuperficie, quia ſuperficies denominat ſubiectum intrinſece, locus vero extrinſece.

Simil. etiam explicat. iſta opinio. Ex quibus omnibus concludimus, quod quemadmodum album & albedo ex eo diſtinguuntur, quia albedo ſolam qualitatem ſignificat, album vero in recto, & formaliter ſignificat ipſam albedinem, extrinſece tamen connotat ſubiectum: ita etiam quantitas, & qualitas præciſe ſignificant rem abſolutam, relatio rem relatam: vltimæ vero categoriæ ex ſignificato præcipuo ſignificant rem abſolutam, connotant tamẽ extrinſece præter hoc habitudinem quandam inter naturas denominatas. Quæ ſententia ſatis noſtro iudicio ſupereſt confirmata ex his, quæ in confutationibus aliarum opinionũ fuere propoſita, ſingulaſque categorias explicantes, vberius multo illam explicabimus.

Ad 1. arg. Iam ad argumenta: Ad 1. dicimus, locum, & vbi, non diſtingui ſecundum rem, neque ſecundum denominationem extrinſecam, ſed quia locus vt locus tantum denotat ſuperficiem continentem. Vbi vero præter hanc ſuperficiem continentem & extrinſecam etiam denominationem, connotat relationẽ quandam, & habitudinem locati ad locum, & loci ad locatum, quæ quidem licet non ſignificetur per categoriam Vbi primo & præcipue, ſignificatur tamen minus præcipue, & connotati.e. quemadmodum etiam, licet corpus non ſignificetur primo, & per ſe, ac præcipue per album, connotatur tamen ſecundario, ac minus præcipue per id ipſum ſignificatur.

Ad 2. 1. Solut. Ad 2. reſpond. paſſionem vt calefactionem eo differre à calore, qui eſt qualitas, quia calor ſignificat abſolute accidens ſine habitudine aliqua ad principium, à quo emanat, aut ad ſubiectum, in quo recipitur: ſecus autem eſt de calefactione, quæ ſignificat eundem calorem, cum habitudine tamen & ad principium, à quo oritur, & ad ſubiectum, in quo recipitur. Vnde quamuis calor denominet rem intrinſeca denominatione, calefactio tamen non denominabit, quia ex ſecundario ſignificato connotat habitudinem ad principium, à quo fluit, tanquam ad quippiam extrinſecum, ac proinde denominabit patiens denominatione extrinſeca, & non intrinſeca.

2. Alia quorund. ſolut. Nonnulli aiunt, paſſionem denominare rem aliquam intrinſece, quia iuxta illos hoc proprium eſt huius categoriæ inter omnes ſex poſteriores, differt tamẽ (inquiunt illi) à qualitate, vt calefactio à calore, penes fieri, & factum eſſe, quia calefactio ſignificat calorem in fieri, at vero calor, qui eſt qualitas, ſignificat calorem in facto eſſe.

Ad 3. Ad 3. negamus propoſitionem, nam remanente eodem numero loco, & eadem etiam re numero, quæ eſt in illo contenta, poteſt locatum hoc vel alio modo eſſe in loco, vt eſſe pronum, vel ſupinum, eſſe curuum vel erectum. Cum autem categoriæ diſtinguantur per modos afficiendi ſubſtantiam diuerſos, & hi modi afficiendi ſubſtantiam diſtinguantur ab inuicem, ſitum eſſe, & vbi, diuerſæ proculdubio erunt categoriæ.

Ad 4. Ad 4. reſpond. D. Thom. intelligendum eſſe de relatione ſecundum dici, non autem de relatione ſecundum eſſe, nam id ipſum profitetur ille non paucis in locis collectis à Iauello in eadem quæſtione, has nimirum categorias ex præcipuo ſignificato denotare rem abſolutam.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

An actiones immanentes contineantur in categoria actionis?

NVlla ratione ipſas in aliqua alia, præterquam in hac categoria eſſe cõtentas, ita poſſumus ſuadere. 1. Ariſt. 10. *lib. Ethicor. c. 2.* inquit, actiones virtutis non eſſe qualitates: ſed actiones virtutis ſunt actiones immanentes: ergo huius generis actiones in hac categoria erunt comprehenſæ. 2. Membra eiuſdem diuiſionis certum eſt, in eodem genere contineri debere: at actio tranſiens (quæ eſt alterum membrum eius diuiſionis, qua actio in communi in ipſam actionẽ tranſeuntem, & immanentem diſtribuitur) continetur in hac categoria, ergo & immanens erit in hac eadem comprehenſa. *Arg.* *Arg.*

Cum actiones omnes vel ſint animæ, vel corporis, animæ, vt intelligere velle, corporis, vt verberare, calefacere: & hæ quædam immanentes, vt eæ, quæ in eodem ſubiecto, à quo fluunt, continentur, vel tranſeuntes, vt illæ, quæ non ſunt in ſubiecto, à quo dimanant, cuiuſmodi eſt calefacere, quærimus ex his actionum generibus, quænam in hac categoria collocentur, num ſolæ tranſeuntes, vel vtræque potius tranſeuntes, ſimul & immanentes. Quidam, è quorum numero ferunt extitiſſe Flandrenſem, exiſtimant omnes actiones eſſe in hac categoria comprehenſas. Alii vero, vt Caietan. 1 *p. q. 25. art. 1. & 79. art 2.* & Soncin. *9. Metaph. q. 21.* arbitrantur, ſolas actiones tranſeuntes contineri in hac categoria, quorum opinio nobis magis placet, & ita ſit prima concluſio.

Actiones immanentes non continentur in hac categoria, cõfirmatur duobus argumentis. Primum: Actiones, quæ continentur in hac categoria, ſunt veri motus, nam actio definitur per motum: ſed actiones immanentes nõ ſunt veri motus, nam motus eſt ſucceſſiuus & ſit in tempore, actiones autem immanentes, ſicut viſio & intellectio, ſiunt in inſtãti: ergo actiones immanentes non continebuntur in hac categor. Præterea: Illæ actiones continentur in hac categ. quæ inferũt paſſionem, nam hæc categoria inſcribitur de actione & paſſione: at actiones immanentes nullam inferunt paſſionem, quemadmodum viſio in pariete nullam infert paſſionem, ergo huiuſmodi actiones non continebuntur in hac categoria.

2. concluſ. Actiones immanentes continentur in categoria qualitatis. Hæc aſſertio apertiſſima eſt, nam cum ſit probatum, non contineri illas in categoria actionis, nõ videtur, in qua categoria poſſint contineri, niſi in categ. qualitatis. Eſt tamen controuerſia, ſub qua ſpecie qualitatis contineantur huiuſmodi actiones, quidam enim, vt Soncin. in quæſtione propoſita in ſolut. vltimi argum. exiſtimant contineri in prima ſpecie qualitatis, ſub habitu & affectione, nam in illa non continentur tantum qualitates permanentes, & diuturnæ, verum etiam illæ, quæ ſtatim pereunt, dum tamen diſponant ſubiectum (vt ſunt actiones immanentes) ad comparandos habitus, vel affectiones. Mihi tamen ſemper placuit illorum opinio, qui conſtituunt huiuſmodi actiones reuocandas eſſe ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſcilicet ad potentiam naturalem, ex eo, quod facultates immanẽtes ſunt termini facultatum naturalium, vt actio videndi eſt terminus facultatis videndi, & actio intelligẽdi eſt terminus intellectus. Vnde cum iuxta ea, quę ſunt à nobis annotata in antecategoriis, termini contineri debeant in categ. in qua continentur res, quarum ſunt termini, continebuntur hæ actiones immanentes in ſecunda ſpecie qualitatis. *Vera opinio.*

3. concluſ. Actiones tranſeuntes continentur in hac categor. Confirmatur: Actiones vel ſunt immanentes, vel tranſeuntes, ſi immanentes, non continentur in hac categoria, ſupereſt itaque, vt contineantur in illa aliæ tranſeuntes. Animaduertendum eſt tamen, actiones tranſeuntes poſſe ſumi, vel pro fluxu formæ, vel pro forma fluente, vt calefactio ſumi poteſt vel pro motu ad calorem, vel pro calore, qui per huiuſmodi motum acquiritur. Si ſumantur actiones pro fluxu formæ, continentur in hac categ. ſi vero ſumantur pro forma fluente, minime ſunt in ea collocandæ, ſed in categor. ſui termini. *3. concluſ.*

Ad argum. ad 1. aimus Ariſtot. eo loco non negare actiones virtutis eſſe qualitates, ſed eſſe qualitates fixas, & permanentes. Argumentatur enim eo loco aduerſus quoſdam aſſerẽtes, omne bonum eſſe fixum, & permanens, aduerſus quos ſic inſurgit: Actiones virtutis ſunt qualitates optimæ: ſed hæ non ſunt permanentes, ergo, &c. *Ad 1. arg.*

Ad 2. dicimus, in vera diuiſione membra diuidentia contineri ſub eadem categoria: at vero diuiſio actionis in tranſeuntem, & permanentem non eſt vera diuiſio, nam eſt diuiſio vocis homonymæ, quia actio homonyme dicitur de immanente, & tranſeunte, non enim actio immanens vere & proprie dici po- *Ad 2.*

teſt

teſt actio, cum nullam inferat paſſionem, vocatur tamen operatio quemadmodum docet D.Thom.1.*Ethicor.cap.*1.

QVÆSTIO III.

An actio tranſiens ſit in agente, vel potius in patiente.

AGunt etiam Dialectici hoc loco de actione, num illa ſit in agente, vel potius in patiente, quæ quæſt. licet philoſophica ſit, magis quam Dialectica, vt tamen tempori morem geramus, libuit hoc loco eam diſputare Et quidem eſſe in agente iſta conuincere videntur argumenta.

1.argum. 1. Omnis forma denominans debet eſſe in ſubiecto denominato: ſed actio denominat agens, ergo erit in agente.

2. Argum. Deinde: In eodem ſubiecto in quo eſt effectus formalis alicuius formæ, debet etiam & forma illa eſſe, quemadmodum etiam in eodem ſubiecto in quo eſt diſgregare viſum, eſt albedo; ſed agere quod eſt effectus formalis actionis eſt in agente: ergo & ipſa actio erit in agente.

3. argum. Præterea: Illud in quo eſt actio denominatur agens: ſed patiens non denominatur agens; ergo actio non erit in patiente.

4. Arg. Adhæc: Cuius eſt potentia eiuſdem eſt actio, vt auctor eſt Ariſt. *in lib. de ſomno & vigil.* ſed potentia agendi eſt in agente, ergo actio etiam erit in agente.

5. argu. Rurſus: Perfectio eſt in ſubiecto, quod perficitur, ſed actio eſt perfectio agentis: ergo erit in agente.

6. argum. Porro ſi actio eſſet in patiente fieret, vt idẽ accidens numero eſſet in diuerſis ſubiectis: hoc autẽ eſt impoſſibile, ergo actio non erit in patiente. Confirmatur propoſitio Sit ignis calefaciens duo ligna per vnam, & eandem actionem calefaciendi, quia ab vno igne numero ſimul & actu tantum prodit vna actio numero; ſi ergo hæc actio calefaciendi non eſt in igne ſed in lignis, quæ calefiunt, cum illa ligna ſint diuerſa ſubiecta, eadem actio numero erit in diuerſis ſubiectis.

7. argum. Iam: In eodem ſubiecto in quo eſt relatio eſt etiam fundamentum illius, quemadmodũ vbi eſt ſimilitudo eſt albedo, ſed relatio agẽtis ad patiens eſt in agente, & illius fundamentum eſt actio: ergo actio erit in ipſo agente.

8. argum. Tandem: Vtor auctoritatibus D. Thom. qui profitetur ſæpiſſime actionem tranſeuntem eſſe in agente, vt conſtare poteſt ex 1.*ſent. diſt.*4.*q.*1. *art.*1.*q.*8 *de potent.art.*2. & 2.*ſent.diſt.* 4.*q.*1.*art.*4.*ad* 1.

Duo ſunt genera actionum inter alia, quæ iam in ſuperiore quæſtione indicauimus, vnum actionum immanentium, aliud tranſeuntium; immanentes ſunt illæ, quæ in eodẽ ſubiecto à quo fluunt continentur, ſicut videre, intelligere, tranſeuntes vero dicuntur, quę ſunt in alio, vt ſcindere, vrere, calefacere. Ex his duobus actionum generibus, certum eſt apud omnes Philoſophos actionem immanentem eſſe in agente tanquam in ſubiecto, quia hæc actio non eſt perfectio paſſi, ſed agentis, & ita non erit in patiente ſed in agente, quod etiam profitetur Ariſt. 9. *Metaphyſ.c.* 9. eſt tamen maxima controuerſia de actione tranſeunte, in quo illa ſit tanquam in ſubiecto, num in agente, vel potius in patiente.

Eſt enim opinio multorum Philoſophorum, qui conſtituunt actionem tranſeuntem eſſe in agente, quam ſententiam ipſi explicãt in hũc modum. *1. Opin.* Actio ſumi poteſt tribus modis, primo pro motu fluente ab agente, ſecũdo pro relatione agentis ad patiens; & tertio pro actu quo mediante reuocatur agens de potentia ad actum, qui actus extat fundamẽtum relationis, quæ eſt agentis ad patiens. Dicunt ergo actionem non eſſe motum fluẽtem ab agente, eo quod hic motus non eſt actio, ſed paſſio, neque relationem præterea, quia actio non continetur in categ. relationis, ſed illum actum, qui reuocat agens de potentia ad actum agendi, & cum hic actus ſit in agente, & non in patiente, ob hanc cauſam dicunt actionem eſſe in agente. Hãc opinionem ſequuntur Caietan. 1.*p.quaſt.*25.*art.*1. Petrus Bergomenſis *in tabula aurea dubita* 35. Aquari. 9. *Metaph.quaſt.vlt.concluſ.Vlt.* Scotus 4. *ſentent. diſtinct.*13 *quaſt.*1. Antonius Andreas 9. *Metaph.quaſt.*4. & omnes etiam Scotiſtæ hanc opinionem amplectuntur Bart. Torres vir ſane eruditus in *comm.*1.*p.q.*27.*dub.*4.*p.*2. ac plerique alii.

Secunda opinio huic contraria eſt aliorum Philoſophorum, qui profitentur actionem *2. Opinio* tranſeuntem eſſe in patiente, & nullo modo in agente, quam opinionem tenent Herueus *quodlib.*4.*quaſt.*4. Soncin. 9. *Metaphyſ.quaſt.*20. Iauell. *in eod.lib.quaſt.*6. M. Sotus *quaſt.* 1. *libr.*3. *Phyſ.* Tolet. *in eod.lib.quaſt.*2. Pereyra *lib.*15.*c.* 7. & multi alii, quam etiam & nos tanquam veriorem libenter ſequimur.

Animaduertimus autem in illius explicationem actionem, & paſſionem ſecundum eſ- *Obſeru.* ſentiam, & in recto, motum tantum ſignifi-

care, ſunt namque actio, & paſſio vnus, & idē numero motus, in obliquo vero, & tanquam extrinſecum aliquod connotatum. actionem ſignificare relationem agētis ad paſſum, paſſionem vero relationem patientis ad agens. Hoc vero ita eſſe conſtare poterit ex vtriuſq; diff. Diffinitur enim actio motus fluens ab agente: paſſio vero motus receptus in patiente, in quibus diffinitionibus motus continetur in recto, agens vero & patiens in obliquo collocantur. Neq; eſt cur nos præter hæc duo in actione & paſſione fingamus actum aliquem, qui ſit in agente ratio agendi, cum in agente ratio agendi ſufficiens ſit ipſa potentia agendi, quæ eſt forma ſubſtantialis, vel accidentaria, actus autem, quicunque ille ſit, eo ipſo quod eſt effectus agentis ratio agendi eſſe nullo modo poterit. Hoc animaduerſo in *explic. quæſt.* has ſubiicimus aſſertiones, quarum prima ſit.

1. concluſ. Actio iuxta illud quod denotat in obliquo eſt in agente tanquam in ſubiecto, id eſt, relatio agentis ad paſſum, quam ſignificat actio in obliquo, non eſt in patiente, ſed in agente. Confirmatur hoc duplici medio.

argum. Primum: Relatio in eo eſt tanquam in ſubiecto, quod refertur: ſed agens eſt illud quod per hanc relationem refertur ad patiens, ergo erit hæc relatio in agente velut in ſubiecto.

2. Arg. Deinde: Hæc relatio non eſt in patiente, ergo erit in agente. Confirmatur antecedens (conſequentia enim eſt aperta.) Oppoſitæ relationes non ſunt in eodē ſubiecto, ſed relationes agentis, & patientis, ſunt oppoſitę, ergo non erit relatio agentis in patiente, tanquam in ſubiecto.

2. concl. 2. concl. Actio ſecundum eſſentiam, & iuxta id quod denotat in recto non eſt in agente, ſed in patiente. In hunc modum hæc concluſio ſuadetur.

Argum. 1. Auctoritate Ariſt. & D. Thom. Ariſt. in primis *c. 3. lib. 3. Phyſ.* inquirens an ſit idem actus agentis, & patientis, ait eſſe vnum, & eūdem, agentis tanquam principii a quo, patiētis vero tanquam ſubiecti in quo reperitur; ergo cum actio ſit actus agentis, non erit in agente, ſed in patiente tanquam in ſubiecto, & *2. de anima cap. 4. vel textu 139. & 40.* bis inquit actionem & paſſionem non eſſe in agēte, ſed in patiente, quemadmodum actio ſentiendi non eſt in obiecto mouente facultatē, ſed eſt in ipſamet facultate quæ patitur huiuſmodi motionem, & *9. Metaphyſ. c. 9.* diſputans hanc q. inquit actionem immanentem eſſe in agente, transeuntem vero eſſe in patiente, ſicut actio ædificandi quæ eſt tranſiens, non eſt in ædificatore, ſed in domo quæ ædificatur. Conſtat igitur teſtimoniis Ariſt. actionem eſſe in patiente. Præterea idem profitetur Diuus Tho. vt conſtare poteſt, ex *3. de anima lect. 3. ex 3. Phyſic. lect. 4. ex libr. 11. Metaphy. lectio. 9.* & ex aliis pleriſque locis propoſitis a Ferrar. *2. contra Gen. cap. 1.* quæ omnia longum eſſet recenſere.

2 Motus eſt in mobili tanquam in ſubiecto, vt docet Ariſt. *in prin. c. 3. lib. 3. Phyſ.* & in ſecunda diffin. motus in qua diffinitur motus actus mobilis vt mobile eſt, ſed actio ſecundū eſſentiā eſt motus, vt aperte profitetur Ariſt. *2. Phyſ. c. 3.* & conſtat ex eius definitione; ergo actio erit in patiente. 2. argum.

3 Illud ſubiectū mouetur in quo eſt motus, ergo cum actio ſit motus; ſi illa eſſent in agente, per eandem actionem agens ipſum moueretur, per quam agit, atque ita ignis quando mouet aquam ad calorem, ſeipſum moueret ad calorem; hoc autem quam ſit abſurdum nemo eſt, qui non probe intueatur, ergo actio non eſt in agente, tanquam in ſubiecto. 3. argum.

Vltimo: Si actio tranſiens eſſet in agente, tanquam in ſubiecto, ſequeretur nullum eſſe diſcrimen inter ipſam, & actionem immanētem ratione ſubiecti. nam actio immanens etiam eſt in agente, tanquam in ſubiecto; at hoc repugnat Ariſt. conſtituenti diſcrimen inter actionem tranſeuntem, & immanentem ratione ſubiecti, ergo actio non erit in agēte. 4. argum.

Superſunt denique arg. diſſoluenda. Ad 1. aimus duplicem eſſe formam vnam denominātem intrinſece, aliam vero extrinſece. Forma igitur illa, quæ denominat intrinſece ſubiectum, eſt in eo, tanquam in ſubiecto, quemadmodum albedo, quæ denominat parietem intrinſece album, eſt in pariete tanquam in ſubiecto, illa vero, quæ denominat ſubiectū aliquod extrinſece minime in ſubiecto denominato continetur, quemadmodum locus denominat rem locatam extrinſece, qui quidem nō eſt in illa, ſed in corpore locante. Huiuſque generis eſt actio, quæ denominat agēs extrinſeca denominatione, cum tamen nō ſit in agente, ſed in patiente. Ad 1. arg.

Ad 2. diſtinguimus duplicem effectum vnū ſecundum eſſe, & denominationem, quemadmodum album eſt effectus albedinis, & alterum ſecundum denominationem, nō tamen ſecundum eſſe, quemadmodum veſtitum eſſe eſt effectus veſtiū, & eſſe locatū loci. Quam- Ad 2.

Digitized by Google

nis igitur in ſubiecto in quo eſt effectus, ſecũdum eſſentiam, & denominationem, reperiri etiam debeat & forma denominans, non tamen eſt neceſſe, vt in eodem ſubiecto in quo eſt aliquis effectus ſecundum ſolam denominationem, in eodem etiam contenta ſit forma denominans, in locato enim v. g eſt effectus loci ſecundum ſolam denominationem, cum tamen locus qui eſt forma denominans, minime in ipſo locato inueniatur, ſed in aere ambiente. Et hoc idem iudicium ferendum ſe offert de actione, licet enim agere, quod eſt effectus agentis ſecundum ſolam denominationem ſit in agente, non proinde neceſſum eſt, actionem quæ eſt forma denominans in ipſo reperiri.

Ad 3. Ad tertium dicimus, illud in quo eſt actio ſub ratione actionis denominari agens, in quo tamen eſt ſub ratione paſſionis, illud non debere denominari agens; & ita quãuis actio ſit in patiente, non tamen dicimus patiens agere, quia non eſt in eo ſub ratione actionis, ſed ſub ratione paſſionis, non enim eſt in patiente vt fluit ab agente hæc enim eſt propria ratio actionis vt actio eſt, ſed vt recipitur in patiente, quæ eſt peculiaris ratio paſſionis.

Ad 4. Ad 4. dicimus actionem poſſe eſſe alicuius vel tanquam principii, vel tanquam ſubiecti illius; cuius ergo eſt potentia eſt etiam actio tanquam principii à quo fluit, quia actio fluit à ſubiecto habente potentiam agendi, illius vero cuius eſt potentia nõ eſt actio tanquam ſubiecti, ita vt in ſubiecto in quo eſt potentia debeat etiam eſſe actio.

Ad 5. Ad 5. reſpond. actionem immanentem eſſe perfectionem agentis, tranſeuntem vero de qua loquimur non eſſe perfectionem agentis ſed patientis, vt docet Ariſt. 9 *Metaph.* c 9. Vel dicimus actionem non eſſe perfectionem agentis, quæ conſtituta eſt in formis agentis ſiue eſſentialibus, ſiue accidentariis, ſed eſſe ſignum perfectionis agentis, quia illud quod agit ſignum eſt debere eſſe perfectum.

Ad 6. Ad 6. reſp. hunc actionem ſumi poſſe, vel vt fluit ab igne, vel vt recipitur in lignis: primo modo eſt illa vno numero, quia fluit ab vno igne numero: ſecundo autem modo non eſt vna numero ſed multiplex, quia ligna, quæ ſunt ſubiecta, ſunt multa numero. Vnde quãuis actio ſit in paſſo non inde ſequitur, idem accidens numero eſſe in diuerſis ſubiectis.

Ad 7. Ad 7. reſpond. Fundamentum relationis in agente non eſſe actionem, ſed vim & facultatem agẽdi actio enim tantum eſt modus quidam, ſiue conditio ſine qua non, facultas vero ſiue vis agendi in agente ſicut & ipſa relatio reperitur. Ad auctoritates D. Tho. dicimus ipſum nomine actionis intellexiſſe principium agendi, quod eſt in agente, interdum enim cauſſæ ornantur nominibus ſuorum effectuum. Ad 8.

QVÆSTIO IV.

De natura & proprietatibus quando.

DE ordine quem hæ categoriæ obſeruant inter ſe non fuit leuis apud veteres Philoſophos, Architam Tarentinum, Iamblicũ, Plotinum, & alios (vt teſtatur Simplicius) diſceptatio. Verum cum hæc res ſit leuis non eſt cur in illa explicanda immoremur. Sequemur autem ordinem ab Ariſt. propoſitum, vt prius de quando, ſecundo de vbi, tertio de ſitum eſſe, & quarto de habere diſputemus. De quibus præter Gilbertum Porretanum quem iam diximus, de his longa ſatis & diffuſa oratione diſſeruiſſe, & quem multi ex Latinis commentariis erudiciſſimis illuſtrarunt, legi poterunt Simplic. *in ſuis poſtremis categ.* D. Th. *opuſc.* 48. *tract.* 5. B. Albert. M *in pecul. de hac re diſput in fin. categ.* M. Soto, Veractuce, Venetus, Toletus, & alii *in huius loci commentariis.*

A Quando igitur vt exordiamur ſciẽdum erit, tempus ſecundum eſſentiam eſſe numerum motus primi cœli, ſecundũ partem priorem, & ſecundum partem poſteriorem, vt 4. *Phyſ.* ab Ariſtotele definitur, ſecundum proprietatem vero eſſe menſuram motus, vel rei quæ in motu habet naturam, & exiſtentiam conſtitutam, quæ certe menſura actiue ſumpta in eodem tempore, tanquam in ſubiecto reperitur, quemadmodum & omnes aliæ proprietates in ſuis ſubiectis quæque exiſtunt. Cæterum ab hac menſura res quæ in motu, & ſucceſſione habet naturam (vt v. g. lectio) quæ abſoluitur vnius horæ ſpatio, a tempore vnius horæ dicitur menſa extrinſeca quadam denominatione, nam eſt menſa per menſuram, quæ non inhæret lectioni, ſed tempori, ac proinde extrinſeca denominatione dicetur menſa, cum hanc appellationem habeat à menſura non ſibi, ſed alteri ſubiecto inhærente. 1. Obſeru.

Sciendum erit etiam aliud eſſe loqui de eſſe rem aliquam mẽſuratam ſimpliciter & abſolute a tempore, & eſſe menſuratam ab hoc, vel illo tẽpore, nimirũ ab hac hora, hoc die, hoc menſe, & hoc anno. Tempus itaq; mẽſuram rei ſucceſſiuæ abſolute denotat, at quan- 2. obſeruatio.

do deno-

do denotat rem eſſe meritam, hoc vel illo tẽpore, vt hac die vel illa hora; & ita dicimus quando fuerunt geſta Romanorum, vel Hiſpanorum præclara facinora, non de tempore abſolute quęrentes, ſed de determinata menſura, & diffinito tempore vt de die, anno vel menſe, in quo illa geſta fuerunt interrogantes.

Obſeru. Adhæc præfanda erit diffinitio huius categor. à Gilberto propoſita, qui in hunc modum diffinit quando. Quando eſt illud, quod ex adiacentia temporis relinquitur, vt eſt hodie, eſſe heri, &c. Itaque quemadmodum homo dicitur veſtitus a veſte, ita etiam quando eſſe dicetur ab hac die, illa hora, & altero anno. Vnde illud nec erit tempus, quod in categoria quantitatis collocatur, nec relatio inter tempus, & rem quæ illi ſubeſt, ſed eſſe in tempore, vel a tempore rem extrinſeca denominatione, eſſe hac, vel illa hora, aut die menſuratam.

concluſio. His in hunc modum ſtatutis, ſit prima cõcluſio. Quando non differt reipſa à tempore. Hanc aduerſus nonnullos contrarium aſſerentes confirmamus.

1. argum. 1. Quia Ariſt. 1. *Ethicor. cap.* 6. quando vocat tempus, & vbi locum quod ſi reipſa differret, dici nequaquam poſſet.

2. argum. 2. Quia eędem ſunt ſpecies vtriuſque, nam ſpecies temporis ſunt Præſens, Præteritum, & Futurum, quæ eadem ſunt ſpecies Quando, vt Gilbertus *cap.* 4. agens de quandŏ, & omnes dialectici cum eo profitentur; at quorum ſunt eædem ſpecies, & illa quoque erunt reipſa eadem inter ſe.

2. concl. 2. concluſ. Quando ratione differt a tempore. Confirmatur inprimis, quia categor. diuerſæ ſaltim ratione ratiocinata debent diſtingui; at ex Ariſt. quando, & tempus, diuerſas conficiunt categ. quare Quando, & tempus ratione ratiocinata, diſtinguentur.

2. Argum. Præterea: Tempus tantum denotat menſuram rei ſucceſſiuæ, ſimpliciter, & abſolute, at Quando denotat extrinſecam quandam denominationem, qua res ſucceſſiuæ, & in motu conſtitutæ, ab huiuſmodi menſura appellantur mẽſuratæ. Hæ autem rationes ſunt certe inter ſe ſeparatæ, multumque diuerſæ, quemadmodum in loco ambire & menſurare locatum, illudque eſſe extrinſeca denominatione locatum à loco, rationes ſunt inter ſe multum diuerſæ.

3. argum. Iam: tempus tantum ſignificat eſſe menſuram abſolute rerum, quæ in ſucceſſione habent eſſe; at quãdo ſignificat eſſe menſuram, non ſimpliciter, & abſolute, ſed hanc, vel illam determinatam, vt eſſe menſuram huius deambulationis, illius lectionis, & alterius concionis. Vnde quando rogamus quando fuerit lectio, vel concio, reſpond. per certam, & diffinitam menſuram durationis illius, nimirum hodie, vel heri, hora nona, & decima. Quæ profecto menſurandi rationes, quamuis non re ratione tamen non parum inter ſe diſtinguuntur, ergo, &c.

3. concluſ. Hæc categoria quando tantum poteſt rebus illis accommodari quarum eſſe eſt in motu, & ſucceſſione quadam conſtitutum. Hæc aperte eſt ab Ariſtot. conſcripta 4. *Phyſic cap.* 12. Quia ea tantum ſub hac categor. continentur quæ a tempore aliquid pati poſſunt; at ſola illa quorum eſſe eſt in ſucceſſione, & motu conſtitutum, aliquid a tempore pati poſſunt. Vnde docebat diuus Thom. *in eod. lib. lect.* 20. has ſex vlt. categ. ſolis rebus corruptibilibus, illis nimirum, quæ oriri poſſunt, & interire, poſſe accommodari. Ex quibus colligere licebit intelligentias, & ſubſtantias ſempiternas, quarum eſſe eſt ab omni motu & ſucceſſione liberum, non ſubeſſe huic categ. quia illæ neque oriuntur, neque intereunt, neque ſeneſcunt, aut vllo modo veteraſcunt. Quod intelligi debet ſecundum ſe, nam ſi ratione noſtræ craſſæ & imperfectę cognitionis agamus, iuxta quam res illas ſuperat, more harum inferiorum intelligimus, etiam huic categ. ſubiacebunt, quemadmodum tempori etiam ſubiacent, nam reſpectu noſtri, longior eſt duratio ſubſtantiarum ſeparatarum hoc tempore, quam extiterit mille annis ante actis, cum tamen ſecũdum ſe illæ neque longitudini, neque breuitati temporis, ſed æquo quod a tempore multum diſtant metiantur. Hæc tamen ſat fuerit attigiſſe, ne Dialecticos limites tranſgrediamur, de quibus 4. *Phyſ.* agentes de tempore vberius diſputabimus. *3. concl.*

In hac categ. genera intermedia diuidi debent iuxta diuiſionem temporis, in quando præteritum, præſens, & futurum, nam interrogantibus nobis, quando aliqua extiterint, vel ſint futura, aliquando reſpond. per quando præteritum, vt fuiſſe annis ſuperioribus, aliquando per præſens, vt eſſe hodie, & aliquãdo per futurum, vt craſtina die rem eſſe, aut anno ſequenti futuram. Species vero infimæ, quę ſub his generibus continentur, varię ſunt diuerſiſq; appellationibus inſignitæ, vt eſſe in illo anno, eſſe in hac die, & eſſe in altera hebdomata, & ſic de aliis. *Quæ ſint genera huius categ.*

Proprie-

Digitized by Google

Proprietas huius categ. *1. Proprietas.* Proprietates tandem tres ſunt. 1. Quando nihil eſt cõtrarium ratione ſui, heri enim ratione ſui non contrariatur hodie, neq; cras aduerſatur anno ſuperiori, quamuis ratione eorum quæ huic catego. ſubiacent, poſſit aliquid illi eſſe contrarium, quia heri Ioannes fuit lætus, qui idem hodie triſtitia eſt affectus.

2. Proprietas. 2. Quando non recipit magis, neque minus, nam quemadmodum tempus, neque magis recipit neque minus, ita neque quando quod ab illo deriuatur, neque magis recipiet, neque minus.

3. Proprietas. 3. Proprium eſt huius categ. vt ſolum denominet corpora corruptioni, & mutationi obnoxia, nam hæc proprie dicuntur eſſe, vel fuiſſe, vel futura eſſe in tempore, quæ ſane proprietas ex his, quæ in vltima concluſione propoſuimus ſatis ſuperq; ſupereſt explicata.

QVÆSTIO V.

Quid ſit vbi & an differat à loco, & qua ſit illius natura, & proprietates.

HÆc quæſtio maiorem continet, quam ſuperior, in qua de diſtinctione loci ab vbi interrogamus, difficultatem. Et quidem hæc duo inter ſe eſſe diſtincta, confirm. 1. Vbi *1. Argum.* nihil eſt aliud, quam forma per motum ad locum acquiſita, ſed locus non eſt forma per motum ad locum acquiſita, ergo locus reipſa diſtinguetur ab vbi. Maior propoſitio eſt perſpicua, minorem vero ita confirmamus. Motus, & terminus motus ſunt vnum & idem; ſed locus non eſt motus ad locum, ergo locus nõ erit forma per locum ad motum comparata.

2. Arg. 2. Ex eodem fundamento ita ago. Locus eſt, non exiſtente motu ad locum, ergo motus non eſt locus. Cõſequentia eſt perſpicua, antecedens confirmatur, quia ſi de nouo produceretur corpus aliquod ponderoſum illudq; ad locum inferiorem moueretur, certe antequam huiuſmodi corpus moueretur multo antea erat iam locus inferior, quare poterit eſſe locus nullo adhuc exiſtente motu ad illum, ſed vbi non poteſt eſſe niſi adſit motus ad locum: ergo vbi, & locus, reipſa diſtinguentur.

3. Arg. Præterea: Si vbi eſſet eadem res cum loco, quemadmodum locus eſt in categ. quantitatis, ita & vbi in eadem contineretur, atque ita non conſtitueret diuerſam catego. diſtinctam à quantitate; hoc autem & eſt falſum, & aduerſatur Ariſt. diſtinguenti has categ. inter ſe: ergo vbi, & locus non erunt vnum atq; idem.

1. Opinio. De hac quæſt eſt prima opin. Capreo. 1. *diſt.* 6. *q.* 2. qui putat vbi, & locum reipſa differre, nam vbi inquit non eſt locus, neque res locata, ſed relatio quædam tranſcendens inter locum, & rem locatam interueniens, qua locus refertur ad locatum, & locatum viciſſim ad locum.

2. Opinio. Secunda eſt Herueι *quodlib.* 1. *q.* Soncin. 5. *Metaph q.* 40. & multorum Neotericorum arbitrantium vbi non differre reipſa à loco, ſed ſola ratione, quorum ſane opinio veriſſima eſt, atque ita vt illam explicemus, ab illius definitione a Gilberto propoſita auſpicabimur, qui in hunc modum vbi diffinit: *Circumſcriptio corporu ex circumſcriptione loci proueniens.* Vel vt apertius multo dicamus: *Vbi nihil eſt aliud, quam extrinſeca quædam denominatio à loco promanans, qua res in hoc vel illo loco eſſe dicũtur.* Quã vt recte intelligere poſſimus ſciendũ *Obſeruatio* erit, aliud eſſe extremitatem intimam corporis ambientis continere ſimpliciter, & abſolute rem locatam, & aliud continere illam in habitudine ad talem longitudinem, vel latitudinem cœlorum, aut ad punctum verticale vel ad polos mundi, nam ex locatis quædam magis diſtant ſecundum longitudinem, vt illa quæ a meridiano Fortunatarum verſus ortum magis protenduntur, & alia magis diſtãt ſecundum latitudinem, vt quæ ab æquatore verſus polum magis recedunt. Cum igitur his duobus modis poſſit locus rem locatam continere, ſimpliciter & abſolute, & in habitudine ad talem longitudinem, vel latitudinem, vt abſolute continet rem locatam dicetur locus, vt autem continet cum habitudine ad ea quæ diximus, vbi merito appellabitur.

Sit igitur aſſertio, vbi, & locus, ſecundum rem non differunt, ſed ſunt vnum, & idem. *1. concluſ.* Hanc vt confirmet Soncinas aduerſus Capreolum, & alios ſtatuit tanquam fundamentum firmiſſimum, id quod mouetur per motum ad locum nullam rem aliam, quam locum comparare. Ita enim profitetur D. Tho. 1. *part. quæſt.* 110. *art.* 3. qui ita habet: *Mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolum eſt in potentia ad aliquid extrinſecum ſcilicet ad locum,* quibus verbis haud obſcure innuit, mobile præter locum nullum alium terminum ſibi comparare, nam tantum comparat illud ad quod eſt in potentia: at ex D. Tho. tantum eſt in potentia ad locum. Iam: Si per motum ad locum acquireretur in mobili aliqua entitas, aut illa eſſet abſoluta, aut relata, non abſolu-

ta:na n quid illa poſſit eſſe. vix, ac ne vix quidem poteſt declarari, neq; relata, quia ad relationem non eſt per ſe motus, vt teſtatur Ariſt. 5. *Phyſ. c. 2.* ergo per motum ad locum nulla entitas comparabitur. Hoc igitur tanquam firmo iacto fundamento hanc aſſertionem ita confirmamus. Mobile per motum ad locum nihil aliud quam locum ſibi comparat, ſed per motum ad locum comparat vbi, ergo vbi re ipſa non differet a loco.

oncl. 2. concluſ. Vbi ratione ratiocinata differt a loco. Hæc certe apertiſſima eſt, ſuadetque poteſt primo, quia inter categorias diuerſas, vt minimum diſtinctio rationis ratiocinatæ debet interuenire, quæ ſufficit, vt categoriæ ſint inter ſe diſtinctæ: ſed locus continetur in categ. quantitatis, vbi vero peculiarem conſtituit categoriam a quantitate diſtinctam, ergo vbi, & locus, ratione ratiocinata diſtinguentur.

gum. Iam: Locus tantum denotat ſimplicem, & abſolutam menſuram rei locatæ, vel continere rem locatam, vbi vero ſignificat extrinſecam quandam denominationem, qua ex adiacentia loci ad locum, res dicitur locata; at continere tantum, vel ita continere, vt ex eo nea tia res extrinſeca denominatione dicatur eſſe locata, ratione ſunt non parum diuerſæ.

rgum. Præterea: Simpliciter continere, & continere cum habitudine ad hanc, vel illam longitudinem, vel latitudinem cœlorum, ſunt ratione diuerſæ; at locus eſt ſuperficies intima ſimpliciter continens locatum, vbi vero eſt eadem, vt continens cum tali habitudine, quare locus, & vbi ratione ratiocinata diſtinguentur.

concl. 3. concluſ. Duplex eſt vbi, circumſcriptiuũ vnum & alterum definitiuum. Nam cum vbi ex loco oriatur, imo ſit eadem res cum illo, quemadmodum duplex eſt locus, circumſcriptiuus, & diffinitiuus, duplex etiam erit vbi, circumſcriptiuum & definitiuũ. Circumſcriptiuum erit, rem contineri ab aliqua ſuperficie in habitudine ad talem diſtantiam nimirum lõgitudinem, vel latitudinem; definitum vero erit ita eſſe in tali loco determinate cum habitudine ad talem diſtantiam, vt ſimul in alio loco eadem res eſſe nullo modo poſſit. Atque ita quando rogamus de re aliqua, vbinam ſit illa: Reſpond. (ſi fuerit ſubſtantia corporea) illam eſſe intra ambitum huius ſuperficiei, cum habitudine ad talem diſtantiam: vel ſi ſpiritalis fuerit, dicimus illam eſſe in hoc loco & cum tali diſtantia, vt in alio eſſe ſimul nulla ratione queat.

4. concluſ. Sub hac categor. non ſola corpora, verum etiam & ſubſtantiæ ſpiritales finitæ continentur. Confirmatur, quia quæcũque ſunt in loco, cõtinentur etiam in hac categoria, at in loco non tantum ſubſtantiæ corporeæ, verum etiam & ſpiritales finitæ (vt Angeli) continentur. Vnde quidam duplex efficiunt vbi, ſimplex vnum, & compoſitum alterum, ſimplex eſt vbi ſubſtantiarum ſeparatarum, quia non habet res quæ in illo continentur partes iuxta partes loci extenſas; compoſitũ vero eſt vbi ſubſtantiæ corporeæ, quæ iuxta partes extenſas loci, habet etiam ſuarum partium extenſionem. Cæterum cum in ſuperiori concluſ. dictum fuerit duplex eſſe vbi vnum circumſcriptiuum, & alterum definitiuum, ſubſtantiæ ſpiritales erunt in vbi definitiuo, etenim quando ſunt in aliquo loco, ita ſunt ibi, vt in alio ſimul totali, & adæquato, exiſtere nulla ratione queant. Subſtantiæ vero corporeæ erunt in vbi circumſcriptiuo, nam cum ſint affectæ quantitate, circumſcribentur a quantitate loci, à qua extrinſece in habitudine ad talem diſtantiam, locatæ nuncupabuntur. *4. concl.*

Diximus autem ſubſtantias ſpiritales finitas in hac categoria comprehendi, quia ſubſtãtia ſpiritalis infinita, vt eſt Deus Opt. Max. non cõtinetur limitibus alicuius categoriæ. Vnde neque erit in loco circumſcriptiue, neque diffinitiue, ſed (vt ita dicam) repletiue, quia immenſitate ſuæ naturæ, & orbes cœleſtes, & terram ipſam replet, nam *cœlum & terram* (inquit) *ego impleo*. De qua re legendus eſt D. Thom. cum reliquis Theologis 1. *part. quæſt.* 8. *Obſeru.*

Proprietates quæ vbi conſequuntur ſunt duæ. Prima vbi nihil eſt contrarium, neque enim eſſe in Gymnaſio, vel Lycæo, contrariatur ei quod eſt eſſe in foro, vel in templo. *1. Proprietas.*

Quod ſi quis dicat: Locus ſuperior contrariatur inferiori, ergo & vbi ſuperius contrariabitur inferiori. *Obiectio.*

Reſpon. 1. locum ſuperiorẽ ratione ſui non contrariari loco inferiori, ſed ratione qualitatum, quia in loco ſuperiori ſunt quædam qualitates ad tuenda quædam corpora, & in inferiori aliæ contrariæ ad conſeruanda alia corpora continentur, vt tradunt Philoſophi 4 *Phyſ.* de loco diſputantes. *Solutio.*

Secunda proprietas eſt, vbi neq; recipit magis neque minus, neque enim vna res magis dicitur locata in habitudine ad talem diſtantiam ab vna quam ab altera ſuperficie. Species illius cum ex ſpeciebus loci oriantur, non *2. Proprietas*

erit diffi-

Digitized by Google

erit difficile intelligere. Erunt igitur impri mis illius ſpecies vbi circumſcriptiuum & diffini tiuum. Circumſcriptiuum varias ſub ſe formas complectetur, nam quoddam erit ſuperum, aliud inferum aliud dextrum, & aliud ſiniſtrum, aliud ante, & aliud retro, nam in has formas eſt etiam locus diſtributus.

Ad 1. argum. Occurramus iam arg. quæ in initio propo ſuimus. Ad 1. negamus aſſumptionem, ad cuius confirmationem dicimus motum ad locum, & locum eſſe rem vnam, & candem, quæ vt eſt in fieri vel adquiri dicitur motus, vt autem habet eſſe firum, & permanens, vel poſtquam eſt comparata dicitur locus.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Negando conſequentiam, quia fundamentum etiam eſt nulla exiſtente relatione, cum tamen non differat rei ſi ab illo. Pari etiam ratione quamuis locus poſſit eſſe ſine motu ad locum, nō tamen rectè col ligetur eſſe ipſa diſtinctum à motu. Vnde res hæc quando habebit eſſe fixum, & permanens locus dicetur, quando vero ſucceſſiue paulatimque comparabitur erit motus. Solutiones ſunt hauſtæ ex Soncinate, quæ apud ipſum legi poterunt.

Ad vlt. Ad vltimum reſp. negando propoſitionem, quia ad diſtinctionem categoriæ ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ, & non eſt neceſſaria diſtinctio realis inter rem, & rem: at quamuis locus, & vbi, ſint idem re, differunt tamen ratione ratiocinata, vt docuimus, & proinde in diuerſis categoriis collocabuntur.

QVÆST. VI.

De natura ſitum eſſe ipſiuſque proprieta tibus.

Situm eſſe (quam categ. alii poſitionem vocant) denotat ordinem partium totius in aliquo loco, qui ordo trib. modis ſumi poteſt.

Varia ſitum eſſe ſignifica tiones. 1. Pro relatione quadam, & habitudine partium inter ſe, iuxta quam quædam eſt prior, alia poſterior, vna antecedit, & alia ſub ſequitur, qua ratione ſi vſurpetur ſitum eſſe in categ. relatorū collocabitur, vt in illa categ. iam docuerat Ariſt. nam habitudo prioris, ad poſterius, relatio quædam eſt, ac proinde in categ relatorum continebitur.

2. Sumitur pro ordine partium in aliquo toto, ita vt in illo certum ordinem partes retineant, vt in homine, v. g. caput eſt in loco inferiori, & pectus in medio, hic inquam ordo partium in toto in categ. quantitatis cōtinetur, nam eſt extenſio partium, & diuiſio in aliquo toto, in qua ſitam eſſe naturam quantitatis, iam ſupra in illa categoria docuimus

Sumitur 3. pro ordine partium totius in aliquo loco, ita vt in illo partes ordinē quen dam retineant, nam quædam ſunt in loco ſu pero, aliæ in infero, aliæ ad dextram, aliæ ad ſiniſtram, & hic ordo partium in loco eſt, qui conſtituit hanc categ. ſitum eſſe.

Diffinitur igitur a Gilberto in hunc modum: *Quædam partium poſitio, & generationis ordinatio, ſecundum quam dicuntur ſtantia, vel ſedentia, vel aſpera, vel lenia, vel quomodolibet aliter diſpoſita*, quam diffinitionem vt probe intelligamus, ſciendum erit, duplicem eſſe partium diſpoſitionem, naturalem vnam, & alteram accidentalem, vel liberam, naturalis eſt, quam natura ipſa conceſſit animantibus, iuxta quam partes hominis, ita ſunt inter ſe à natura cōſtitutæ, vt caput in locum ſuperum feratur, pedes deorſum pendant, vna manus ad ſiniſtram, & alia ad dextram progrediatur. Accidentalis vero vel libera eſt quam humana voluntas pro inſita libertate præfigit, vt ſtare, ſedere, cubare, eſſe pronum, ſupinum, &c. Cum igitur dentur hæ duæ differentiæ poſitionis, inter partes (in diffinitione propo ſita) prima pars denotat poſitionem liberam, vel accidentalem partium in loco, altera vero *& generationis ordinatio* exprimit eandem partium in loco poſitionem naturalem. *Diffin. ſit.*

Obſeruatio Sciendum eſt tamen hanc partium reſpe ctu loci diſpoſitionem, non eſſe ita annexam corporibus, quæ ſunt in loco, vt non poſſit ab eis ſeparari, nam in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento partes corporis Chriſti Domini non habent ordinem aliquem reſpectu loci, non enim vna pars eſt in vna parte hoſtiæ, & alia in alia parte, ſed totum corpus eſt in ſingulis partibus illius, & totum in tota illa, eſt enim in ſacramento, non quidē modo quan titatiuo, vel extenſo, ſed modo ſubſtantiali, & indiuiſibili, vt omnes Theologi fa tentur.

Quæ ſpecie & proprieta tes. Species huius categ. ex diuerſis differentiis poſitionis partium in loco ſunt petendæ, vnde eſſe pronum, eſſe ſupinū, ſedere, ſtare, cubare, & alia huius generis, erunt quaſi ſpecies huius categ quæ ex his variis modis eſſendi & differentiis depromi debent. Sunt autem duæ proprietates huius categoriæ.

1. Situm eſſe aliquid eſt contrarium, nam eſſe pronum contrariatur ei, quod eſt eſſe ſupremum, & eſſe ad dextram, ei quod eſt eſſe ad ſiniſtram.

2. Situm eſſe recipit magis, & minus, nam

 e, his

Digitized by Google

ex his qui ſunt erecti, quidam ſunt magis, quã alii, & ex his qui iacent curui, quidam curuiotas, quam alii iacent.

QVÆSTIO VII.

De natura habitus & eius proprietatibus.

Variæ ſunt huius vocis ſignificationes de quibus Ariſt. 4. *Phyſic.* 5. *Metaphy.* & *poſtcateg* diſſeruit, quibus in ſuum locum coniectis habitus vno modo ſumitur pro qualitate ex ſua natura difficile mobili a ſubiecto, qua ratione conſtituit primum genus qualitatis, ſignificat etiam habitudinem, & relationem rei omnino extrinſecæ, ad illud cuius dicitur eſſe, qua ratione dicimus nos habere amicũ, & dignitatem aliquam eſſe habitam à nobis. In quibus locutionibus habere ſignificat habitudinem ad amicum, vel ad dignitatem omnino extrinſecam ab habente, quæ duæ ſignificationes alienæ ſunt à noſtro inſtituto. Vnde tertio ſignificat formam, vel rem certo modo circa corpus ſeſe habentem, qua ratione dicimus eſſe veſtitum, eſſe calceiatum, vel eſſe togatum, in qua ſignificatione conſtituit hanc categ. diffinitur que à Gilberto in hunc modum: *Habitus eſt corporum, & eorum qua circa corpus ſunt adiacentia*, id eſt, eſt forma vel res ex cuius adiacentia circa corpus res veſtitæ, vel calciatæ, vel quippiam huiuſmodi, nominantur. Vnde habere veſtem, neque erit homo veſtitus, neque ipſa veſtis abſolute, ſed veſtis, quæ adiacet homini, vt ab ea homo extrinſeca denominatione veſtitus nuncupatur. Sunt autem tria neceſſaria ad cõſtitutionem huius categ.

Tria neceſſaria ad hãc categoriam.

1. Vt quod habet, & quod hahabetur ſit præditum corpore, vnde in ſubſtantiis ſpiritalibus non reperitur aliquid huius categoriæ.

2. Vt habens, & quod habetur ſubiecto, & ſuppoſito differant, quemadmodum homo, qui habet veſtes differt ſubiecto ab illis. Verum non dicimus hoc modo habendi huius categor. entia naturalia habere qualitatem, quia qualitas & ens naturale non differunt ſubiecto, ſed alio modo multum diuerſo de quo agemus in Poſtcateg.

3. Vt id quod habet circumſcribatur ab eo quod habetur, quemadmodum homo indutus veſtibus circumſcribitur ab illis, hoc autem aliquando fit in toto corpore, vt quã do homo eſt rogatus, nam tota circumſcribit totum corpus, & aliquando fit in aliqua eius parte, vt quando aliquis eſt chirotecatus, ocreatus, calceatus, nam chirotecæ tantum circumſcribunt manus, ocreæ crura, & calcei pedes.

TERTIA PARS HVIVS OPERIS DE POSTCATEGORIIS.

CAPVT I.

De Contrariis.

ARGVMENTVM CAP.

TRia præſtat præcipue Ariſt. in hoc cap. in 1. parte proponit ſpecies contrariorum, illarumque naturam patefacit, in 2. comparat contraria inter ſe, & tandem in vltima quædam theoremata tradit.

NVnc de contrariis, quot modis opponi ſoleant, differamus. Contrariorum autem genera ſunt quatuor. Vnum eorum, quæ cum aliquo conferuntur: alterum eorum, quæ diuerſa dicuntur: tertium eorum, quæ priuantia: quartum eorum, quorum alterum ait quid, alterum negat. Hæc autem omnia, vt exemplis rem adumbremus ſic contraria ſunt in iis, quæ cum aliquo conferuntur, vt duplum, ſimplum: in iis, quæ aduerſa dixi, vt bonum, malum: priuantia, vt cæcitas & aſpectus: aientia & negantia, vt ſedet, non ſedet. Ac ea quidem contraria, quæ cum aliquo conferuntur, quidquid ipſa ſunt, contrarii eſſe dicuntur, aut quoquo modo aliter ad id affecta ſunt. Vt duplũ ſimpli, quidquid ipſum eſt, alterius eſſe dicitur. Eſt enim alicuius duplum. Scientia etiam, & res, quæ ſub ſcientiam cadit, vt ea, quæ cum aliquo conferuntur, inter ſe opponuntur, quippe cum & ſcientia tota ſit in eo, vt ſit rei, quæ ſub ſcientiam cadit, ſcientia, & res, quæ ſubiecta eſt ſcientiæ, ad ſcientiam tota referatur. Res enim, quæ ſcientia comprehenditur, alicui ſcientiæ ſubiecta eſt. Quæ igitur vt relata opponuntur, quidquid ipſa ſunt, ita referuntur ad ſua oppoſita, vt eorum eſſe dicantur, vt quoquo alio pacto inter ſe affecta ſunt. At vero quæ vt aduerſa, contraria ſunt, neutiquam inter ſe ita affecta ſunt, vt vim naturamq́ ſuam inter ſe referant, ſed tamen inter ſe ſunt contraria. Non enim bonum, mali bonum appellatur, ſed contrarium. Differunt igitur hæc inter ſe cõtrariorum genera. B. Quæ autem aduerſa ſunt einſmodi, vt neceſſe ſit alterum ineſſe in iis, in quibus natura inſunt, aut de quibus dicuntur, inter ea nulla media interiecta ſunt. Quorum vero non eſt neceſſe ineſſe alterum, in medio eorum aliquid eſt collocatum. Vt morbus & ſanitas in corpore animalis natura exiſtunt, & alterum neceſſe eſt, vel morbum vel ſanitatem animantis corpori conuenire. Impar etiam & par in numero dicitur, alterutrumq; neceſſe eſt in numero reperiri: nec inter ægrotationem & valetudinem, par & impar quicquam medium interiectum eſt. Quorum non eſt neceſſe alterutrum ineſſe, in medio eorũ aliquid collocatum eſt. Veluti candor, & ater in corpore natura naſcuntur, & tamen non neceſſario alterutrum ineſt in corpore, cum præſertim non omne corpus album ſit, aut nigrum. Item malum & bonum & in homine, & in aliis pleriſque illa quidem dicuntur; ſed tamen alterutrum nõ eſt neceſſe in iis inueniri, de quibus dicuntur. Non enim vel mala ſunt vel proba omnia. Itaque his interiectum eſt aliquid, vt inter album colorem & nigrum fuſcus & pallidus, & cæteri colores, & inter malum & bonum, quod neque malum eſt, neque bonum. Ac nonnullis quidem mediis rebus impoſita ſunt nomina: vt fuſcus & pallidus inter album & nigrum medii ſunt colores, & cæteri eiuſdem generis. In aliis nõ eſt facile id, quod medium eſt, nomine vno appellare & exprimere: definitur autem vtriuſque extremi negatione, veluti quod nec bonum eſt nec malum, quod nec iuſtum eſt, nec iniuſtum. C. Priuantia autem in eodem aliquo reperiuntur, vt in oculo cæcitas & aſpectus. Atque vt rem in paucis conferam, in quo natura debet ac ſolet eſſe habitus, in eodem vtrumque dicitur exiſtere. Priuari vero tum denique dicitur aliquid eorum, quæ apta ſunt ad percipiendum habitum; cum in quo debet ineſſe, aut quando debet haberi, nequaquam ineſt. Edentulum enim appellamus, non quod dentibus caret, & cæcum; non quod caret oculis: ſed quod non habet ea tum, cum natura ineſſe debent. Sunt enim quædam, quæ à primo ortu oculis careant, & dentibus, quæ tamen

nec cæca nec edentula dicuntur D. Priuari autem re, & habere rem, non idem eſt quod priuatio, & habitus: quoniam habitus eſt aſpectus, priuatio cæcitas: nec habere oculos eſt ipſe aſpectus, nec cæcum eſſe, ipſa cæcitas. Nam priuatio quædam cæcitas eſt: at cæcum eſſe, eſt priuatū eſſe non priuatio. Deinde ſi idem eſſet cæcitas, quod cæcum eſſe, profecto de eodem Vtrumque diceretur: nunc cæcus homo dicitur, cæcitas homo non dicitur. Videntur autem inter ſe opponi, priuari re & habere rem, eodem modo, quo priuatio, & habitus. Eadem eſt enim ratio oppoſitionis. Vt enim cæcitas aſpectui opponitur: ſic cæcum eſſe etiam & aſpectum habere inter ſe opponuntur. E. Ne id quidem, quod ſub affirmationem & negationem cadit, idem eſt, quod affirmatio & negatio Nam & affirmans eſt oratio, affirmatio & negatio oratio negans: at quod ſub affirmationem & negationem cadit res eſt, non oratio. Hæc autem inter ſe opponi, vt aſſertio & negatio, dicuntur. quoniam in iis eadem ratio repugnantiæ valet. Nam vt aſſertio & negatio inter contraria ſunt, veluti ſedet & non ſedet: ſic res, quæ Vtraque eorum continentur, Vt ſedere aliquem, & non ſedere, contrario opponuntur nomine. F. Priuantia Vero non opponi inter ſe, vt relata, hinc intelligi poteſt, quod Vis eorum non ex mutua comparatione intelligitur & pendet. Non enim aſpectus, cæcitatis aſpectus dicitur, neque vllo alio modo ad eam affectus eſt. Similiter nec cæcitas quidem aſpectus cæcitas appellatur: Verum viſus priuatio cæcitas dicitur, Viſus cæcitas non dicitur. Præterea quæ cum aliquo conferuntur, reciprocantur omnia. Itaque ſi in iis cæcitas eſſet, quæ cum aliquo conferuntur, certe illud etiam reciprocaretur, quo cum comparatur. At ei viciſſim non reſpondet. Neque enim aſpectus cæcitatis aſpectus nominatur. G. Atque etiam ne more quidem eorum contrariorum, quæ aduerſa dixi, inter ſe contraria eſſe priuantia, hinc perſpicitur. Nam contrariorum eorum, inter quæ non eſt medium, alterutrum neceſſe eſt ſemper ineſſe iis, quibus natura conueniunt, aut de quibus dicuntur. Inter ea enim nihil medium interiectum eſſe poſuimus, quorum alterutrum in eo reperiretur neceſſario, quod Vim ad id accipiendum haberet, Veluti inter morbum & bonam Valetudinem, inter parem numerum & imparem. Inter quæ autem medium eſt, nunquam neceſſe eſt alterutrum in Vlla re inueniri. Neque enim neceſſario album eſt, aut nigrum, neque calidum aut frigidum id omne, quod vim habet hæc recipiendi: quippe cum nihil prohibeat aliquid eorum, quæ inter hæc ipſa media ſunt interiecta, conuenire. Iam Vero inter ea etiam medium aliquid eſt, quorum alterutrum in eo non reperitur neceſſario, quod id recipere poteſt, niſi quibus natura alterum tributum ſit: vt ignis natura calidus eſt & nix alba. In his enim definite alterum ineſſe neceſſe eſt, non alterutrum, vtrumuis occurrat. Neque enim fieri poteſt, Vt ignis frigidus ſit, aut nix atra. Ergo non neceſſe eſt alterum eorum in omni re ineſſe quæ Vim habet ad recipiendum, ſed in ea ſola, cui alterum innatum eſt, & inſitum, atque ei alterum definite conuenit, non alterutrum. At vero in priuantibus neutrum vere dicitur. Neque enim ſemper neceſſe eſt in eo, quod recipere illa poteſt, ineſſe alterum. Cui enim nondum natura conuenit aſpectus, id neque cæcum eſſe, neque Videre dicitur. Ita nunquam hæc in iis eſſe poſſunt aduerſis, inter quæ non eſt medium. Nec in iis quidem, quibus medium interiectum eſt. Neceſſe eſt enim aliquando in omni re, quæ Vim habeat ad ea recipienda, ineſſe alterum, quoniam quod tempus à natura conſtitutum eſt ad deſpiciendum, in eo animal vel cæcum eſt, vel deſpicit: atque eorum non præfinite alterum dicitur, ſed alterutrum, neque enim neceſſe cæcum eſſe, aut vero ſenſum habere Videndi, ſed alterutrum. At vero eorum contrariorum, inter quæ medium eſt. nunquam alterum in omnibus, quæ recipere poſſunt, ſed quibuſdam ſolum, idque præfinite alterum, non alterutrum ineſt neceſſario. Quare perſpicuum eſt, neutro modo priuantia inter ſe contraria eſſe, quo contraria ſunt inter ſe ea, quæ aduerſa nominauimus. Poſtremo aduerſorum permanente re ſubiecta fieri poteſt viciſſim inter ipſa commutatio, niſi cui alterum natura ſit tributum, vt igni calidum eſſe. Nam & Valentes in morbum incidere poſſunt, & alba nigra fieri, & frigere quæ caleſcunt: ex bono etiam improbus, & Viciſſim ex malo probus effici poteſt. Prauus enim ſi ad meliorem vſum rationemque ex mala deducatur, iam habeat ad virtutem progreſſionis aliquantum. Cum autem ſemel, Vel parum in virtute proceſſerit, profecto perfectam virtutem tandem conſequi poterit, aut certe magnam in virtute faciet progreſſionem. Semper enim aptiores animos habet ad virtutem, quamuis parum initio in ea proceſſerit, Vt veriſimile ſit eum maiorem progreſſum eſſe facturum. Atque ſi id ſemper fiat, tandem certe aliquando, niſi tempus impediat, perfecte contrarium habitum conſequetur. At priuantibus nulla Viciſſim inter ſe fieri mutatio poteſt. Etſi enim ex habitu in priuationem ſit commutatio, tamen regreſſus ex priuatione in habitum fieri nullo modo poteſt. Neque enim qui oculis ſemel captus eſt, Vnquam poſtea iterum deſpexit: nec caluus comam recepit, nec edentulus dentes. H. Aſſertio autem & negatio non eſſe inter ſe contraria Vllo generum, quæ commemorauimus, ex hoc intelligi poteſt, quod in his ſolis neceſſe eſt Verum Vnum eſſe, falſum alterum. Nam nec aduerſorum neceſſe eſt ſemper alterum verum eſſe, alterum falſum, nec eorum, quæ cum aliquo conferuntur, nec priuantium. Vt bona Valetudo & ægrotatio aduerſa ſunt, neutrumque nec verum eſt, neque falſum. Itemque duplum & ſimplum in iis ſunt

contrariis, quæ cum aliquo conferuntur, nec alterum verum eſt, aut falſum. Ne priuantia quidem, vt aſpectus & cæcitas. Omninoque nihil quod in coniunctione non dicitur, verum eſſe, aut falſum vllo modo poteſt. At quæ enumerata ſunt, ſimplicia, non coniuncta ſunt omnia. Sed in iis certe aduerſis, quæ coniuncta ſunt, id potiſſimum videtur contingere. Nam valere Socratem, & Socratem ægrotare, aduerſa ſunt. Attamen ne in iis quidem neceſſe eſt ſemper horum alterum verum eſſe, falſum alterum. Etenim ſi in vita maneat Socrates, alterum verum, alterum erit falſum. Sin ex vita exceſſerit, vtrumque falſum. Si enim Socrates nullus ſit omnino, nec ægrotare eum verum eſt nec valere. In priuantibus, ſi omnino nullus ſit, neutrum verum eſt: ſin in vita ſit, non ſemper alterum verum, alterum falſum eſt. Cum enim deſpicere Socratem, & cæcum eſſe Socratem; priuantia ſint, tamen non neceſſe eſt alterum verum eſſe, vel falſum. Nam quo tempore nondum ei natura conuenit aſpectus, ambo falſa ſunt: quo autem tempore in vita non manet Socrates, vtrumque etiam falſum eſt, & deſpicere eum, & cæcum eſſe. At aientium & negantium, ſiue Socrates in vita ſit, ſiue nullus ſit omnino, ſemper alterum falſum, alterum verum eſt futurum. Nam ægrotare Socratem, & non ægrotare, ſi is in vita maneat, perſpicuum eſt alterum verum eſſe, alterum falſum. Itemque ſi diſceſſerit è vita. Nam ægrum eſſe eum, cum nullus ſit omnino, falſum eſt: non ægrum eſſe verum. Quare aientium & negantium proprium illud eſt, eorum alterum verum eſſe ſemper, falſumque alterum. I. Bono autem malum aduerſatur neceſſario, idque ex inductione rerum ſingularum intelligi poteſt, vt bonæ valetudini morbus aduerſatur, iuſtitiæ iniuſtitia, fortitudini ignauia, & cætera eiuſdem generis. Malo vero alias bonum, alias malum contrarium eſt. Nam paruum & nimium, quæ ſunt in malis, inter ſe ſunt contraria, ſimiliterq; mediocritas, quæ vtrique contrario nomine opponitur, in bonis eſt. Atque id quidem in paucis perſpici licet, in compluribus ſemper malo bonum aduerſatur. K. Deinde aduerſorum, ſi alterum ſit in rerum natura, non eſt neceſſe eſſe alterum, quandoquidem ſi omnes valentes ſint, bona valetudo erit, morbus non erit. Itemque ſi albi omnes ſint, candor erit, ator non item. Iam ſi Socratem valere, & Socratem ægrum eſſe, contraria ſunt, non poſſunt autem ſimul ambo eidem ineſſe, certe ſi alterum ſit, ſtare alterum nullo modo neceſſe eſt. Nam ſi Socratem valere verum ſit, non erit verum ægrotare Socratem. L. Atque etiam illud perſpicuum eſt, in eodem autem ſpecie aut genere, exiſtere ſolere contraria ea, quæ aduerſa diximus. Vt bona valetudo, & morbus in corpore animantium, candor & ator omnino in corpore, iuſtitia & iniuſtitia in animo hominis ſita ſunt. M. Poſtremo, omnia contraria, quæ diximus aduerſa, vel in eodem genere, vel in contrariis generibus ſunt, vel ipſa genera ſunt neceſſario. Nam & candor ac ator in eodem genere, quia eorum genus calor eſt, ſunt, & iuſtitia & iniuſtitia in generibus contrariis, illius enim virtus genus eſt, huius vitium: & bonum & malum non ſunt vllius generis, ſed ipſa ſunt genera aliquorum.

COMMENTARIA.

A. *Nunc de contrariis, &c.* In hac tertia, & vltima huius operis categor. parte agit Ariſt. de his, quorum effecta eſt mentio in categor. vnde & communi nomine inſcribitur illa de Poſtcategoriis. Auſpicatur vero eam à contrariis, quorum licet ab Ariſt. nulla ſit tradita definitio, hæc tamen à nobis tradi poterit. Contraria ſunt duo aliqua extrema ita inter ſe pugnantia, vt neutrum cum alio eodem modo pugnet, quemadmodum albedo, & nigredo ita inter ſe pugnant; vt neque albedo, neque nigredo eodem modo queant cum re alia pugnare. Diuidit vero contraria Ariſt. in quatuor ſpecies, ſcilicet in relata, aduerſa, priuantia, & contradicentia. Quænam autem ſint relata, iam docuimus in ſuperioribus, ea nimirum, quorum tota vis eſt, referri ad aliud, cuiuſmodi ſunt ſimplum, & duplum. Aduerſa (quæ communi nomine dicuntur contraria) definiuntur, extrema quædam ad inuicem inter ſe pugnantia, quæ ſub eodem genere poſita, inter ſe maxime diſtant, & viciſſim ſubiecto inſunt, à quo ſe mutuo expellũt, niſi alterum inditum fuerit à natura, cuiuſmodi ſunt albedo & nigredo, calor & frigus, quæ ex eo, inquit Ariſt. ſeparantur à relatis, quia in illis totum eſſe vnius, eſt referri ad aliud, vt totum eſſe ſimpli, eſt referri ad duplum: at vero in contrariis totum eſſe vnius non eſt referri ad aliud, nam eſſe boni, non eſt referri ad malum, ſed contrariari malo.

B. *Quæ autem aduerſa, &c.* Proponit Ariſtot. duas diuiſiones aduerſorũ. Prima eſt: Aduerſa vel contraria quædam habent medium, & alia ſunt ſine illo, illa ſunt ſine medio, in quibus neceſſe eſt vnum ex aduerſis ineſſe ſubiecto, vt ſunt par, & impar, in numero, nam neceſſe eſt omnem numerum eſſe parem, vel imparem, & ſanum, & ægrum in animali, quod exemplum tanquam Philoſophus propoſuit Ariſt. vt annotat Simplicius, nam iuxta Medicos inter ſanũ, & ægrum datur aliquod medium.

dium. Illa ſunt contraria cum medio, in quibus non eſt neceſſe, alterum vel vtrumque extremorum eſſe in ſubiecto, vt ſunt albedo, & nigredo, calor & frigus, nam tepidum eſt medium, in quo neque calor, neque frigus reperitur, & purpureum etiam eſt medium, quod neque eſt album, neque nigrum. Secunda diuiſio eſt, Ex contrariis, quæ habent medium, quædam ſunt, quæ habent medium nominatum, & alia, quæ habent ipſum innominatũ, v.gr. calor & frigus ſunt contraria, habentia medium nominatum, tepidum nimirum, bonum vero & malum ſunt contraria medio nominato deſtituta, licet illud per negationem vtriuſque extremi ita nonnunquam circumloquamur, medium inter bonum & malum illud dicentes, quod neque eſt bonum, neque malum. Vocatur autem huiuſmodi medium à Seuer. Boetio, & ab aliis Latinis Philoſophis indifferens.

C. *Priuantia autem, &c.* Priuantia definiuntur habitus & priuatio, quæ nata ſunt fieri circa idem ſubiectum, tempore à natura conſtituto abſque regreſſu, vt ſunt cæcitas, & viſus, lux, & tenebræ, nam hæc nata ſunt fieri circa idem ſubiectum, ſcil. circa animal, vel aerem, tempore à natura conſtituto, nam ſi non aduenerit, adhuc tempus conſtitutum non habere formam, non erit priuatio, vt catulum non habere viſum ante nonum diem, non eſt priuatio, præterea abſque regreſſu, nam à cæcitate ad viſum, per naturam nullus poteſt fieri regreſſus.

D. *Priuari autem, &c.* Confirmat deinde Ariſt. priuationem, & eſſe priuatum, non eſſe vnum & idem, his arg. Primum: Paronymum & forma non ſunt vnum & idem: ſed priuatio & eſſe priuatum ſunt paronymum, & forma, ergo nõ erunt vnum & idem. Secundum: Alicui competit priuatum eſſe, de quo non prædicatur priuatio, nam de homine prædicatur eſſe priuatum, vt eſſe cæcum, de quo tamen non dicitur priuatio, non enim dicimus hominem eſſe cæcitatem. Nihilominus tamen, inquit Ariſt. quamuis priuari, & eſſe priuatũ, non ſint vnum & idem, opponũtur tamen eodem modo, ſcil. priuatiue, nam quemadmodum cæcitas opponitur priuatiue viſui, ita cæcus opponitur etiam priuatiue videnti.

E. *Ne id quidem, &c.* Contradicentia quamuis non ſint hoc loco definita ab Ariſt. ita tamen poterunt definiri: Affirmatio, & negatio, eiuſdem de eodem, vt ſunt ſedere, & non ſedere, currere & nõ currere. Animadu. tamen Ariſt. hæc contradicentia maxime diſtingui à rebus affirmatis, vel negatis, quemadmodum priuatio diſtinguitur ab eſſe priuato, veruntamen eodem, inquit, genere oppoſitionis opponuntur res, quæ affirmantur, & negantur, quo affirmatio & negatio inter ſe contrariantur, quemadmodum in his propoſitionibus, Petrus ſedet, Petrus non ſedet, quia duæ hæ orationes opponuntur cõtradictorie, ita quoque res ſignificatæ, quæ ſunt Petrus ſedens, & Petrus non ſedens, opponũtur cõtradictorie.

2. pars cap.

F. *Priuantia vero, &c.* In hac 2. par. cap. comparat Ariſt. contraria inter ſeſe, atq; inprimis priuantia cum relatis, tradens duo diſcrimina inter illa interuenĩẽtia. Primum eſt: Tota natura vnius relati eſt referri ad alterum, nõ autem tota natura vnius extremi priuati eſt ad aliud referri: nam non eſt de natura cæcitatis referri ad viſum, aut de natura viſus ad cæcitatem referri. Secundum; In relatis hæc lex ſeruatur, vt ſe mutuo cõſequantur, at vero in his, quæ opponũtur priuatiue, nõ obſeruatur hæc lex, nam poſita cæcitate in homine non eſt neceſſe, vt ſtatim conſequatur in eo viſus.

G. *Atque etiam ne mors quidem, &c.* Comparat deinde priuantia cum aduerſis, conſtituitque tria diſcrimina inter illa. Primum eſt: In aduerſis, quæ non habent medium, alterum illorum neceſſe eſt eſſe in ſubiecto, quod tamen non eſt opus in priuantibus, nam non eſt opus, quod ante nonũ diem catulus ſit videns, vel cæcus. Differunt ſecundo, quia in aduerſis, quæ habent medium, non eſt neceſſum, vt alterum illorum tempore etiam à natura definito ſit in ſubiecto, ſicut neceſſum non eſt, vt in aliquo corpore ſit albedo, vel nigredo, cum in eodem eſſe poſſint alii medii colores: in priuãtibus autem neceſſario debet alterum in ſubiecto tempore à natura definito reperiri. Tertio differunt, quia ab vno aduerſo ad alterum, datur motus, vt à calido ad frigidum, & è conuerſo, at vero à priuatione ad habitum non datur motus, neque regreſſus vllus, ſaltim per naturam, vt à cæcitate ad viſum, vel à morte ad vitam.

H. *Aientia autem & negantia, &c.* Comparat tandem Ariſt. contradicentia cum aliis contrariis, dicens, in contradicentibus verum, & falſum, in aliis vero contrariis neque verum, neq; falſum ineſſe, cuius ratio eſt, quia in contradicentibus poteſt fieri oppoſitio ſecundum aliquam enuntiationem, vt quando dicimus, Petrus ſedet, Petrus non ſedet, in aliis vero contrariis fit oppoſitio penes voces ſimplices, & quia veritas & falſitas reperitur in enuntiationibus, & non in vocibus ſimplicibus, pro-

prerea

Digitized by Google

præterea in contradicentibus reperitur veritas, & falſitas, & non in aliis contrariis. Quod ſi in quibuſdam reperiantur veritas, vel falſitas: differunt tamen maxime à contradicentibus, quia in aliis re non exiſtente, neutram partem dicimus eſſe veram, quemadmodum mortuo Socrate, duæ hæ enuntiationes, Socrates ægrotat, Socrates valet, quæ ſunt aduerſæ, ſunt ambæ falſæ, & hæ etiam priuatiuæ, Socrates videt, Socrates eſt cæcus, ac tandem hæ relatiuæ, Socrates eſt pater, Socrates eſt filius: at vero in contradicentibus, ſiue res exiſtat, ſiue nõ exiſtat, vna debet eſſe vera, & altera falſa, nam Socrate mortuo, ex his duabus contradicentibus, Socrates ægrotat, Socrates non ægrotat, negans eſt vera, & affirmans eſt falſa.

.pars cap. L. *Bono autem malum aduerſatur, &c.* In 3. & poſtrema parte cap. Ariſt. proponit quatuor theoremata, quibus maxime exprimitur vis contrariorum, quæ dicuntur aduerſa. Primum *.Theorem.* eſt: Bono tantum contrariatur malum, malo vero & bonũ & malum contrariantur, quemadmodum iuſtitiæ, quę bona eſt, tantum contrariatur iniuſtitia, at vero paucitati contrariatur nimietas, quæ eſt mala, & mediocritas, quæ eſt bona.

. Theorem. K. *Deinde aduerſorum, &c.* Si vnum contrarium extiterit in rerum natura, non eſt neceſſe, & alterũ etiam eſſe, quemadmodum morbus, & optima valetudo ſunt contraria, non tamen eſt neceſſe, vt exiſtente optima valetudine ſit morbus quoque in rerum natura, nam ſi ex hypotheſi omnia animalia recte valeant, erit optima valetudo in rerum natura, non tamen erit morbus, quod theorema intelligendum eſt ſecundum poteſtatem logicam, vel per non repugnantiam, quia non repugnat vnum contrarium exiſtere, abſque eo, quod aliud etiam exiſtat, non autem de poteſtate naturali, ita enim falſum illud eſt, & ipſimet Ariſtoteli aduerſatur 2. *de cœlo. c. 3.* conſtituenti eſſe neceſſarium iuxta naturam, vt exiſtente vno contrario, alterum quoq; in rerum natura debeat exiſtere.

|. Theorem. L. *Atque etiam illud, &c.* Tertium: Omnia contraria vendicant ſibi certum aliquod ac determinatum ſubiectum, cui inhæreant, quemadmodum iuſtitia tantum eſt in homine, morbus etiam & valetudo tantum reperiuntur in animali, candor autem & ator in corpore.

4. Theorem. M. *Poſtremo omnia contraria, &c.* Quartum theorema: Omnia contraria continentur aut ſub eodem genere, aut ſub diuerſis, aut tandem conſtituunt diuerſa genera: albedo, v. gr. & nigredo continentur ſub eodem genere: ſub diuerſis iuſtitia & iniuſtitia, nam iuſtitia continetur ſub virtute, & iniuſtitia ſub vitio: tandemque bonum & malum conſtituunt duo genera ſuprema, vnum bonorum, & alterum malorum. Vbi nomine boni intelligẽdum eſt perfectum, nomine vero mali imperfectum, quæ duo diffundunt ſe per omnes categorias, & omnia rerum genera, nam in omnibus illis vna ſpecies eſt perfecta, & altera imperfecta, quemadmodum in his commentariis annotat Simplicius.

Scholia in caput de Contrariis.

A 1 Andronicus Rhodius (vt teſtatur Simplicius) & nonnulli alii ex veteribus exiſtimarunt, hanc tractationem Poſtcategor. non ab Ariſtotele, ſed ab aliquo Peripatetico poſteriore adiectam fuiſſe. Verum hi errant *1 Obſeru. Opinio Andronici.* inprimis, quia omnes Peripat. Porph. Simpl. *Confut. 1.* Ammon. Boet. B. Alb. Mag & denique omnes recentiores illam tanquam verum, & legitimum fœtum, tribuunt Ariſt. hanc autem regulam in principio huius operis obſeruãdam tradidimus ad veros, & non adulterinos Ariſtotelis libros dignoſcendos, vt ſcilicet illos tanquam legitimos habeamus, qui & Philoſophorum conſenſu, & maiorum traditione, tanquam ab Ariſt. editi habentur. Secundo, *Confut. 2.* quia niſi hæc tractatio adiecta fuiſſet ab Ariſt. mancum profecto, & imperfectum remanſiſſet opus iſtud categor. ab illo editum: multorum enim mentio effecta fuit in categor. quorum explicatio cum ibi commode tradi non potuerit, neceſſe erat, vt tractatio aliqua adderetur, in qua lucè clarius hæc omnia explicata remanerent. Legendus eſt Franc. Patrie. *lib. 3. diſcuſſ. Peripat.*

A 2. Cur autem Poſtcategoriæ in hoc opere vltimum ſibi vendicent locum, cauſa eſt *2. Obſeru.* (inquit Simplicius) quia vulgo erant notæ, & cum deſiderarent longam tractationem, ne vel ſermonis ſeries interturbaretur, eſſetque diſputatio antecategor. & categor. nimis prolixa, in hunc locum tanquam commodiorem fuit reiecta.

A 3. Verum merito poterit quis dubitare, *3. Obſer.* ob quam cauſam in Poſtcategor. à contrariis exordium duxerit Ariſtot. Nos huius rei duas poſſumus aſſignare rationes: prima; quia frequentius in categoriis meminerat contrariorum. Secunda, quia in libris ſequentibus erat de eiſdem diffuſius pertractaturus, ac proinde voluit de ipſis pluribus verbis, & in ingreſſu poſtcategor. diſputare, imitatus in hac re Ar-

Digitized by Google

chitam Pythagoricū, qui (vt teſtatur Simpl.) de contrariis eorumq; natura volumen quoddam ingens tradiderat.

A 4. Cum contrarietas quædam in vocibus ſimplicibus, & alia in coniunctis cernatur, vt homo, non homo, opponuntur in ſimplicibus: at homo eſt albus, & homo non eſt albus, opponuntur in compoſitis, in hoc cap. de contrarietate, quæ in ſimplicibus reperitur, potiſſime diſputat Ariſt. nam de compoſitis in ſequentibus libris de Interpret. copioſo ſatis ſermone diſputauit. Illud etiam non erit obliuioni tradendum, ne poſſit perturbatio aliqua ſuboriri, contraria à quibuſdam hoc eodem nomine ornari, ab aliis vero dici aduerſa. Vnde quæ à nobis aduerſa in commentariis nuncupantur, communi nomine ab aliis contrariorum nomine inſigniuntur.

M. Inquit, bonum & malum eſſe duo quædam genera ſuprema, multas ſuo ambitu formas complectentia, quæ verba obſcura ſunt, ac proinde variis modis oppoſita ab interpretibus, vt Simplicius hoc loco, & D. Thomas *quæſt.* 1. de malo profitentur. Duæ interpretationes (aliis prætermiſſis) nobis videntur accommodatæ. Prima Simplicii, quam in commentariis propoſuimus, nomine boni intellexiſſe Ariſtotel. perfectum, & nomine mali imperfectum, & quia hæc duo ſe diffundunt per omnia rerum genera, quia in quolibet genere vna ſpecies eſt perfectior, & altera minus perfecta, propterea hæc duo, duo genera ſuprema conficient. Altera eſt Iamblici, Ariſtotelem loquutum eſſe iuxta opinionem Pythagoreorum, qui conſtituebant duo genera ſuprema, ſub quibus omnia complectebantur, vnum bonorum, & alterum malorum. Sub bono continentur Vnum, mas, finitum, dextrum, quieſcens, rectum, lux, impar, quadratum, mens, æquale: ſub malo vero includebant multitudinem, fœminam, infinitū, ſiniſtrum, quod mouetur, curuum, tenebræ, par: altera parte longius, opinionem, inæquale. Conſulendus eſt Caietanus.

CAPVT II.

De modis, quibus aliqua ſunt priora.

Argvmentvm Cap.

POſt explicatam naturam contrariorum docet, quot modis aliqua dicantur priora, quia de his etiam effecta fuit mentio in categoriis.

PRius aliud alio quadrifariam dicitur. A. *Primum genus eſt, & maxime proprium, tempore, ex quo aliud alio vetuſtius & antiquius appellatur. Antiquius enim ac vetuſtius quid dicitur ex eo, quod tempore antecedit.* B. *Alterum, à quo non retro commeat conſecutio, quæ ex vno alterum eſſe concluditur, quo in genere vnum duobus prius eſt. Nam ſi duo ſint, continuo ſequitur vnum eſſe. Vnum autem ſi ſit, non ne eſſe eſt duo eſſe. Ita non viciſſim retro commeat, conſequens eſſe ſi vnum ſit, vt duo ſint. Prius igitur huius generis dicitur, à quo non commeat retro viciſſim conſequentia, qua ex vno alterum eſſe colligitur.* C. *Tertio, quodam ordine prius appellatur: id quod in ſcientiis & orationibus videre licet. Nam in ſcientiis, quæ demonſtrationes adhibent, aliquid prius ordine & poſterius continetur: initia enim & elementa priora ſunt ordine iis, quæ deſcribuntur, & in Grammatica elementa priora ſunt ſyllabis. Eadem eſt ratio orationum. Exordium enim prius eſt ordine narratione. Extra ea etiam, quæ enumerata ſunt, genera, quod melius eſt, & præſtantius, id prius natura videtur.* D. *Quos etiam ſolent plerique, qui ſunt clariores, quique ſibi ſunt chariores, apud ſe priores eſſe dicere: quod genus fere alieniſſimum omnium habetur. Atque hi ſunt fere priorum modi, qui feruntur. Videtur autem eſſe præter ea aliud eius genus.* E. *Eorum enim quæ viciſſim retro commeant, cum ex vno alterum eſſe concluditur, quod cauſa eſt, quomodocunque cur ſit alterum, id recte prius natura ordine dicitur. Eſſe autem eius generis quædam, hinc intelligi poteſt, quod eſſe hominem, & vera de eo oratio ſi reciprocantur, vt ſi homo ſit, vera ſit oratio, eſſe hominem. & ſi eſſe hominem vera ſit oratio ſit homo. Vera autem oratio minime cauſa eſt, cur res ſit, reſque potius cauſa eſt quodammodo, cur vera ſit oratio. Nam quia res ſit, aut non ſit, idcirco vel vera, vel falſa oratio dicitur. Quinque ergo modis alterum altero prius habetur.*

Commen-

Digitized by Google

C O M M E N T A R I A.

EXplicat iam modos, quibus aliqua dicuntur priora, ſunt autem quinque, nimirum tempore, natura, ordine, dignitate, & reciprocatione.

A. *Primum genus eſt, &c.* Illa ſunt priora tempore, quæ ſunt aliis antiquiora, quemadmodum pater eſt prior tempore filio, quia eſt eo antiquior, & geſta Troianorum ſunt priora rebus Romanorum, & vnico verbo, quæ vel ortu, vel duratione alia antecedunt, hoc modo dicentur priora.

B. *Alterum à quo, &c.* Illa ſunt priora natura, à quibus nõ valet ſtatus conſequentiæ, qua ratione animal eſt prius natura homine, quia ab animali ad hominem non eſt recta conſequentia, neque enim recte ſequitur, animal eſt, ergo homo eſt, qua ratione vniuerſaliora ſunt priora natura minus vniuerſis, quia ab ipſis ad alia non valet ſtatus conſequendi.

C. *Tertio quodam ordine, &c.* Illa ſunt priora ordine, quæ in compoſitione tenent primum locum, quemadmodum in ſyllogiſmo propoſitio eſt prior ordine aſſumptione, & aſſumptio concluſione, & in oratione exordium eſt prius narratione, narratio confirmatione, & confirmatio epilogo.

D. *Quin etiam ſolent, &c.* Illa dicuntur priora dignitate, quæ in repub. tenent primum locum & clariorem, quemadmodum rex eſt prior dignitate in republ. conſules in ciuitate, & prætor in oppido.

E. *Eorum etiam, &c.* Tandem illa vocantur priora reciprocatione, quæ inter ſe conuertuntur, ita tamen, vt vnum ſit cauſa alterius, ſicuti hæc oratio, Socrates ſedet, reciprocatur cum Socrate ſedente, nam ſi Socrates ſedet, verum eſt dicere Socratem ſedere, & eo ſedente, vera eſt hæc oratio, nam ex eo, quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera vel falſa, attamen quamuis hæc inter ſe conuertantur, prius tamen eſt Socratem ſedere, quam quod hæc oratio vera ſit, Socrates ſedet. Nonnulla, quæ hoc loco ſe potarant offerre, in quæſtion. proponentur.

C A P V T III.

De modis, quibus aliqua ſunt ſimul.

A R G V M E N T V M C A P.

QVæ ſimul ſunt, opponuntur iis, quæ ſunt priora, optime igitur poſt explicatam naturam priorum, quæ ſint ſimul, explicat Ariſtoteles.

A. *Simul autem ſunt ea ſimpliciter & maxime proprie, quorum ortus in eodem tempore eſt. Neutrum enim horum nec prius nec poſterius eſſe poteſt. Hæc autem ſimul in tempore dicuntur.* B. *Natura vero ſimul ſunt ea, quæ reciprocantur, illa quidem in argumentatione, quaſi vnum ſi ſit, alterum eſſe concluditur, ſed neutiquam alterum cauſa eſt alteri vt ſit: quod in duplo & ſimplo cernere licet, quæ ſic reciprocantur, vt ſi duplum ſit, etiam ſimplum ſit: & ſi ſimplum ſit, ſit duplum, & neutrum cauſam alteri vt ſit afferat.* C. *Atque etiam ea, quæ ex eodem genere quaſi ex altera parte diuidendo reſpondent, ſimul natura eſſe dicuntur. Ea autem ex altera parte, cum diuiduntur inter ſe, reſpondent, quæ ex eadem ſunt diuiſione: vt volucre, terrenum, & aquatile, in quæ animal diuiditur. Atque horum neutrum altero prius eſt, ſed ſimul natura ſunt. Hæc vero rurſum in ſpecies ſecari poſſunt, nempe volucre, gradiens, & aquatile. Sunt igitur illa etiam ſimul natura, quæ cum ſint ex eodem genere, eadem diuiſione continentur. Genera autem formis antiquiora ſunt ſemper. Neque enim viciſſim retro commeant, cum eſſe vnum ſi ſit alterum conficitur: vt ſi ſit aquatile, ſit animans, at ſi ſit animans, non ſit neceſſario aquatile. Sunt igitur ſimul natura, & quæ reciprocantur, cum neutrum cauſa ſit ſtatus alteri, & quæ inter ſe ex eodem genere diuiduntur. Sed ea ſimpliciter ſimul ſunt, quorum ortus eodem eſt tempore.*

C O M M E N T A R I A.

CVm eſſe ſimul opponatur ei, quod eſt eſſe prius, egeritque Ariſt. in ſuperiori cap. de modis prioris, in hoc cap. diſputat de his, quæ ſimul eſſe dicuntur.

A. *Simul autem ſunt, &c* Duobus modis aliqua dicuntur eſſe ſimul tẽpore & natura, tempore illa ſunt ſimul, quorum ortus fit in eodem tempore, qua ratione dicimus, duos ge-

Digitized by Google

mellos eſſe ſimul, & duas lectiones, quæ vna & eadem hora abſoluuntur, ſimul tempore eſſe dicimus.

B. *Natura vero, &c.* Simul vero natura dicuntur duobus modis. Primum, quorum eſt mutua exiſtendi conſequentia, & vnum non eſt cauſa alterius, vt ſunt omnia relata, duplum, verbi gratia, & ſimplum, pater & filius, nam ſi duplum eſt, & ſimplum quoque debet eſſe, & ſi fuerit ſimplum, duplum quoque erit, nec tamen vnum alterius cauſa eſſe poterit.

C. *Atque etiam ex eodem, &c.* Secundo illa dicuntur ſimul natura, quæ ſimul diuidunt aliquod genus, qua ratione ſunt omnes ſpecies ſub eodem genere proximo contentæ ſimul natura, vt ſunt in genere animalis, terreſtre, volucre, & aquatile, nam in has ſpecies eſt animal (quod ad ipſa eſt genus) diſtributum. Quod intelligi debet de ſpeciebus cum genere collatis, nam ſi inter ſeſe illæ conferantur, bene poterit vna eſſe prior altera, vt in numeris, & figuris intuemur, in quibus binarius eſt prior ternario, & ternarius quaternario, qui ſi eum numero, quem diuidunt, conferantur, ſimul natura eſſe dicentur.

CAPVT IV.

De generibus motus.

ARGVMENTVM CAP.

SEx proponit ſpecies motus, duaſq; diſſoluit dubitationes, & tandem explicat, quænam motui contrarientur: vnde in has 3. partes poterit cap. diſtribui.

MOtus autem ſex ſunt genera, vt ortus, vt interitus, vt accretio & imminutio, variatio, quæ vulgo alteratio, & loci mutatio. A. Ac cæteras quidem motiones inter ſe differre, hinc perſpici poteſt, quod ortus non eſt interitus, nec incrementum imminutio, nec loci commutatio. Eadem eſt ratio cæterarum. In variatione autem hoc dubium eſt, ſitne neceſſe id, quod variatur, ex aliqua reliquorum motionũ mutari. Quod non ita eſt. Accidere enim poteſt, vt omnibus affectibus, aut certe permultis variemur, cum interim nulla cæterarum motionum in huius veniat ſocietatem. Neq; enim aut creſcere, aut imminui neceſſe eſt id, quod affectibus variatur. Similis eſt ratio cæterarum. Ita neceſſe eſt diuerſam eſſe à cæteris motionibus variationem alterationemve. Etenim ſi eadem eſſent, profecto quod variatur omne vel augeri oportet, vel diminui, vel aliquem alium motũ conſequi, at non eſt neceſſe. B. Similiterq; id, quod creſcit, aut alio motu agitatum eſt, variaretur neceſſario. Atqui ſunt quædam, quæ cum creſcant, eadem tamen nulla conſequitur qualitatum mutatio. Velut quadratum circumiecto gnomone, creſcit illud quidem, ſed tamen nihil variatur. Quod idem in cæteris fit eiuſdem generis. Quare differunt inter ſe motiones. C. Motioni autem omnino ac ſimpliciter quies contraria eſt ſingulisq; ſingula. Nam & ortui contrarius eſt interitus, & acceſſioni abceſſio, & loci commutationi, in loco quies. Maxime autem hic videtur contraria eſſe, in contrarium locum mutatio: vt ei, quæ deorſum fit, mutationi; ea quæ ſurſum fit, & quæ deorſum ei, quæ ſurſum. At vero reliquæ motionũ non eſt facile explicare, quodnam ſit contrarium. Videtur enim contrarium illius nullum eſſe, niſi quis etiam in hac quietem, quæ ad qualitatem pertineat, aut mutationem in contrariam qualitatem contrario nomine opponat: ſicut in loci mutatione, quietem in loco, aut in contrarium locum mutationem. Eſt enim variatio nihil aliud, niſi in qualitate mutatio. Ita contraria eſt qualitatis mutationi quies quæ in qualitate ſpectatur, vel certe in contrariam qualitatem mutatio, vt album fieri, & nigrum fieri, contraria ſunt: quippe cum res variatur, quoties in contrarias qualitates fit mutatio.

COMMENTARIA.

1. *Pars cap.* SEx genera motus proponuntur ab Ariſt. ortus & interitus, accretio & decretio, commutatio, & loci mutatio, quorum definitiones hoc loco prætermittit Ariſt. quia rudi & craſſa Minerua de ipſis hic diſputat, diſputaturus accurate de eiſdem in lib. Phyſicor.

A. *Ac cæteras, &c.* Proponit duas dubitationes in hac ſecunda parte. Prima eſt: An commutatio (vel alteratio) differat ab aliis ſpeciebus motus: nam ortum differre ab interitu, & accretionem à decretione, loci commutationem ab his omnibus, certũ eſt, & exploratum. 2. *Pars cap.*

De

oluitur .dub.

De commutatione autem, hoc eſt dubium, cui reſpondet Ariſtoteles ipſam differre ab aliis motus generibus, nam fieri poteſt vt re immota ſecundum alia genera motus remanente mutetur ipſa ſecundum commutationem, etenim abſque eo quod animal oriatur vel intereat, accreſcat vel decreſcat, vel loco mutetur poteſt calefieri, vel frigefieri, vel aliquam qualitatum ſubire mutationem.

. Dubitatio ſſoluitur.

B *Similiterque, &c.* Secunda dubitatio eſt, an accretio differat a commutatione Cui reſpondet differre ab illa, quia poteſt aliquid accreſcere, & fieri maius abſque vlla commutatione, vt quadratum poteſt fieri maius addito Gnomone, & extrinſeco latere, abſque vlla commutatione, ortu, vel interitu, vel loci mutatione. Vnde non tantum differet accretio a commutatione, verum etiam & ab aliis generibus motus.

pars cap.

C *Motioni autem, &c.* Explicat Ariſtoteles in hac tertia parte, quænam motui contrarientur, inquitque motui duo contrariari, & motum contrarium, & quietem, quod certe in motu ad locum eſt apertiſſimum, nam motui, verbi gratia, lapidis in locum inferiorem, aduerſatur motus ignis in locum ſuperiorem & quies, quæ eſt illius priuatio, in aliis vero motibus (quamuis hoc aſſignare ſit difficile) etiam cuilibet hæc eadem contrariantur, vt calefactioni, quæ eſt motus ad qualitatem, & frigefactio, & quies in calore aduerſantur, & accretioni decretio, quæ eſt motus contrarius, & quies in maiori quantitate etiam opponuntur.

SCHOLIA IN CAP. IV.

De generibus motus.

1 obſeruatio.

A Primo: Non debet putare aliquis ex eo has ſpecies motus propoſitas eſſe ſic nũcupatas, quia motus ſit verum genus illarum, nam non eſſe ex eo poterit primo conſtare, quia non continetur in certa categoriam & in quantitate, & in qualitate, & in vbi ille reperitur, at natura quælibet generica in certa, ac definita categ. continetur. Secundo: Quia motus diffinitur per actum, & poteſtatem, ſic enim ab Ariſtot. diffinitur, 3. *Phyſic. cap.* 2. nimirum: *Actus entis in potentia, vt eſt in potentia.* At actus & potentia (cum ſint naturæ tranſcendentes) non prædicantur ſynonyme, ſed analogice, quare neque motus prædicabitur ſynonyme, ac proinde non erit natura generica. Tertio, quia natura generica ex æquo competit omnibus ſuis inferioribus; at vero motus prius dicitur de motu ad locum, quam de aliis, & inter motus ad locum, de circulari, quam de recto, vt 8. *Phyſic.* abunde ſatis demonſtrat Ariſtoteles. Vocat igitur has ſpecies (vt interpretatur Boeti.) vel genera intermedia motus, vtens nomine ſpeciei in communiori ſignificatione, vt ſignificat quamlibet naturam, ſub alia ſecundum eſſentiam comprehenſam, ſiue analoga fuerit, ſiue ſynonyma. Vnde motus natura erit analoga, cum prius de vno motu, quam de alio dicatur, vt in Philoſophia (Deo fauente) oſtendemus.

A 2. Illud etiam ſciendum erit, motum in has ſpecies diuiſum, non eſſe verum motum, & vt diſtinguitur à mutatione, vt ſcilicet ſignificat viam quandam ſucceſſiuam, vnius ad alterum, ſed vt ambit mutationem omnem, amplectitur enim ortum, & interitum, quæ non ſunt veri motus, vt Ariſtoteles docet, & confirmat 5. *Phyſico.* ſed inſtantaneæ quædam, & ſubitæ mutationes. Itaque idem eſt diuidere motum in has ſpecies, quod mutationem ipſam in illas diſtribuere, vt Iamblicus, & Simplicius, in hoc loco obſeruarunt. 2. obſeruatio

B 3. Explicandum eſt breuiter quid ſit quadratum, & quid Guomon, quo exemplo vtitur Ariſtot. vt explicet fieri accretionem abſque alteratione. Quadratum eſt, figura quædam quatuor lineis rectis circumſcripta, quę omnes ſi fuerint æquales huiuſmodi figura quadratum dicetur, ſi vero inæquales extiterint, quadrangulum, vel quadratum altera parte longius nuncupabitur. Guomon vero eſt latus extrinſecum quadrati, vel vt dicunt illius ſupplementum, nam ſi diametrum quadrati (quod eſt linea ab angulo ad angulum quadrati ducta ipſum in duas portiones æquales diſtribuens) extra latera quadrati paululum protrahatur, poterit ad latus quadrati ſupplementum quoddam vel latus extrinſecum depingi, quod communi nomine à Mathematicis Gnomon nũcupatur. Quod certe qua ratione fiat, poſſet vnuſquiſque facile conſpicere, ſi nobis copia harum figurarum in typographia conceſſa fuiſſet, verum facile eſt ex Euclide, Boetio, Theodoſio, Theone, & ex aliis Mathematicis huius rei aliquod exemplum depromere. Igitur quadratum addito Gnomone non mutat figuram, ſed ſemper remanet idem quadratum, quamuis maius, quam antea erat, ac proinde abſque vlla commutatione, 3. Obſeru.

ne, vel

ne, vel alteratione poteſt in ipſo fieri accretio.

obſeruat. B 2. Quando hiſce verbis docet Ariſt. accretionem poſſe eſſe ſine alteratione, vel commutatione, non eſt intelligendus de vera accretione, quæ ſcilicet fit per intus ſuſceptionem, à priore facultate attrahendi effectam, hac etenim ratione accretio nequit eſſe ſine commutatione, vt Ariſt. 1. *de ortu cap* 5. docet. Vnde Galen. *in lib. natural. facultat.* inquit accretionem, & decretionem eſſe motus compoſitos, ex alteratione, & loci mutatione; nam ad accretionem inter alia neceſſaria eſt concoctio, & aſſimilatio partis, quę ſine alteratione fieri nequaquã poſſunt. Sed locutus eſt de accretione in communi quadam ſignificatione, vt ſignificat quamlibet quantitatem maiorem de nouo additam, etiam ab extrinſeco prouenientem, vt conſtat in exemplo de accretione quadrati, quæ certe non eſt accretio phyſica, & vera, ſed impropria cum fiat per additionem Gnomonis ab extrinſeco prouenientem. Quidam hoc loco agunt num dentur pauciores ſpecies motus, quam ſint hæc enumeratæ ab Ariſtot. verum non eſt hic locus quæſtionem agitandi, cum ſit hæc res philoſophica. Non me latet Valleſium, & alios nõ nullos accretionem ab ſpeciebus motus procul reiicere. Verum ſitne hæc opinio à veritate aliena 5. *Phyſicor.* & 1. *de ortu* oſtendemus.

C Quamuis motui hæc duo contrarientur non tamen vna, & eadem, ſed diuerſa ratione contrariantur, nam motus contrarium opponitur contrarie, quies vero priuatiue. Verũ cum duplex ſit quies vna in termino a quo, & alia in termino ad quem, quies quæ contrariatur motui, non eſt illa, quæ in termino ad quem, cum hæc ſit illius perfectio, ſed altera, quæ eſt in termino à quo, vt quies quæ contrariatur motui lapidis ad locum inferiorem, non eſt illa qua in centro tranſacto motu lapidis quieſcit, ſed altera, qua quieſcebat in loco ſupero ante quam moueretur.

CAPVT VLTIMVM, De generibus habendi.

ARGVMENTVM.

VNica parte totum caput abſoluit, varias in medium eius, quod eſt habere, ſignificationes proponens.

A *HAbendi etiam genera ſunt per multa. Aut enim habere vt habitum & affectionem dicimur, aut aliam aliquam qualitatem. Scientiam enim quandam & virtutem habere dicimur. Velut quantitatem, vt qui certa eſt magnitudine, dicitur magnitudinem habere trium quatuorue cubitorum. Velut ea quæ corpus veſtiunt, vt veſtem aut tunicam habere dicitur quiſpiam. Vel in parte, vt in digito anulum. Vel tanquam partem vt manum vel pedem. Et tanquam in vaſe, vt modius habet & continet triticum, vel vinum amphora. Nam & amphora vinum, & modius triticum habere dicitur. Hæc vero omnia, quia vt vas quoddam illa continent, illa ipſa habere dicuntur. Habere etiam aliquid vt poſſeſſionem dicimus, veluti domum & agrum. Atq; etiam vir mulierem habere, & virum mulier dicitur. Quæ ſignificatio verbi habendi vna ex omnibus alieniſſima eſt. Neq; enim illud habere vxorem ſignificat aliud niſi eam matrimonio eſſe cum viro coniunctam. Sunt alii quoq; fortaſſe habendi modi, ſed nos omnes fere expoſuimus, qui crebris vſurpantur ſermonibus.*

COMMENTARIA.

IN hoc vlt. cap. varias eius, quod eſt habere, nobis proponit Ariſt. ſignificationes, quas octo recenſet.

A *Habendi etiam genera, &c* Prima eſt, quia ſignificat habere habitum, & affectionem, vt habere ſcientiam, & virtutem.

Secunda eſt habere quantitatem, vt duorum, trium, vel quatuor cubitorum magnitudinem.

Tertia eſt habere aliquid circa ſe, ſiue adiacens corpori, vt habere veſtes, vel arma.

Quarta eſt habere aliquid in parte, vt anulum in digito, vel aurem in auricula.

5. eſt habere partem, vt manum, vel pedem.

6 eſt ha-

6. Eſt habere aliquid in vaſe, vt modius habet, & continet triticum & amphora vinũ.

7. Eſt habere id eſt, poſſidere aliquid, vt poſſidere domos, agros, ſeruos, & pecunias.

8. Eſt habere mulierem, & habere virum, quæ certe vltima ſignificatio, eſt præ cæteris omnibus alijs recenſitis, à modis habendi alieniſſima, nam hoc genus habendi, nihil aliud eſt niſi eſſe virum cum fœmina matrimonio coniunctum, vel fœminam cum eodem, eiſdem matrimonii legibus perpetuo copulatam. Hi igitur ſunt modi, quibus aliquid dicimur habere, fortaſſis autem plures ſese poterant offerre, de quibus 4. *Phyſ. & 5. Metaphyſ.* erit iterum oratio repetenda. Hactenus igitur de contextu, & litera Ariſt.

SECTIO VNICA
In Poſtcategorias Ariſtotelis.

ARGVMENTVM.

Sequitur tandem, vt vltimam manum diſputationi Categoriarum, & Poſtcategoriarum imponamus, vt nonnullis quæſtionibus ea quæ ab Ariſtot. propoſita fuerunt, ſintne vera necne, examinemus. Maxime vero, ea quæ ad contrarietatem ſpectant, erunt diligenter expendenda, cum ſit hæc tractatio apprime vtilis, & ad omnes ſcientias aſſequendas non parum neceſſaria, de qua Metaph. cum Ariſt. lib. 10. *diffuſa ſatis oratione diſſeruerunt.*

SECT. VNICÆ, QVÆST. I.

Sintne vera, quæ ab Ariſt. tradita fuerunt de contrariis.

QVæ ab Ariſt. de contrariis tradita fuerũt egregia quidem ſunt, & quæ nevnquam obliuioni tradantur digniſſima. Verum, quia illa nonnullis difficultatibus ſunt inuoluta, erunt illæ hoc loco proponendæ.

1. argum. Primoque non recte eſſe diuiſam oppoſitionem in has quatuor ſpecies confirma. Omnis diuiſio debet fieri per membra oppoſita vt omnes Dialectici vno ore profitentur, ſed hæc non fit per membra oppoſita, ergo non erit optima diuiſio. Confir. minor propoſitio. Quidquid alteri opponitur aliqua oppoſitione opponitur, ergo ſi mẽbra huius oppoſitionis opponerentur, haud dubie aliqua oppoſitione opponerentur, atque ita oppoſitionis eſſet oppoſitio, progrederemurque in infinitum, quod certe admitti nullo modo debet.

2. Argum. 2. In optima diuiſione nõ debet vnum ex membris diuidentibus ſub alio comprehendi, vt perſcribunt leges diuiſionis ab omnibus Dialecticis propoſitæ, ſed in hac diuiſione vnum membrum includitur ſub altero, etenim oppoſitio cõtradictoria includitur in omnibus alijs oppoſitionibus, vt 10. *lib. Metaph* paſſim docet Ariſt. ergo non erit hæc optima diuiſio oppoſitionis.

3. argum. 3. Aduerſus id quod docet de contrariis immediatis, dari nimirum aliqua contraria immediata, in hunc modum arg. Si darentur huius generis cõtraria, illa non differrent ab his, q̃ contradictorie opponuntur; at hoc dici nulla ratione poteſt, ergo falſum erit dari aliqua contraria immediata. Cõfirmatur propoſitio, quia eſt proprium oppoſitionis contradictoriæ, vt in illa nullum detur medium, & ita diffinitur ab Ariſt. 1. *de demonſt. cap. 2.* oppoſitio cuius non eſt medium ſecundum ſe, ergo ſi darentur aliqua contraria immediata non diſtinguerentur illa ab his, quæ contradictorie opponuntur.

Præterea: Duæ categ. vt quantitas & qualitas magis diſtant, quam candor & ator, quæ contrarie opponuntur: non ergo contrarietas eſt maxima diſtantia, vt inquit Ariſtotel. Tum etiam calidum, & frigidum opponuntur contrarie: at non maxime diſtant, magis enim diſtant calidiſſimum, & frigidiſſimum, quam calidum, & frigidum. Adde candorem, & medium aliquem colorem, opponi contrarie ex Ariſt. 5. *Phyſ. c.* 1 at inter candorem, & quemlibet alium medium colorem, vt viridem, vel cæruleum, non eſt maxima aliqua diſtantia, nõ igitur recte dictum fuit contraria illa eſſe, quæ inter ſe maxime diſtant. *4 Arg.*

Deinde: Malũ eſt priuatio boni, vt tenebræ *5. argu.*

ſunt

Digitized by Google

ſunt priuatio luminis, & cæcitas viſus: ergo non fuit recte ab Ariſt. conſtitutum bonum, & malum opponi contrarie, cum opponantur priuatiue.

6. argum. Vltimo: Idem Ariſt. 2. *de cælo cap.* 4. profitetur, quod ſi vnum oppoſitum fuerit in rerum natura, & alterum quoque in eadem etiam rerum natura eſſe debet, non igitur recte conſtituit hanc eſſe legem cōtrariorum, vt nimirum vno poſitiuo, alterum ſtatim auferatur.

Diſſoluūtur argumenta. Hæc tamen argumenta remorari nos nequaquam debent, quominus veriſſimam ſententiam Ariſtot. *in hoc cap.* propoſitam amplectamur. Atque ita ſigillatim erunt obiectiones traditæ diſſoluendæ.

Ad 1. arg. Ad 1. igitur reſp. Negando minorem propoſitionem, & ad confirmationem dicimus, has formas oppoſitionis quę ſunt veluti quędam illius ſpecies, opponi quoque inter ſe nō quidem oppoſitione alicuius generis ex his quatuor quæ eſt propria, & abſoluta oppoſitio, ſed oppoſitio impropria, ea quæ ſpecies alicuius generis inter ſe opponuntur, quæ ſignificat diſtantiam aliquorum extremorum, vt differentiarum, quæ ſimul eidem ſpeciei in eſſe nequaquam poſſunt. Neque hinc fit dari progreſſum in infinitum, quia in oppoſitione harum ſpecierum, deueniendum erit ad oppoſitionem differentiarum, ibique ſiſtendum erit, neq; vltra erit progrediendum.

Ad 2. Ad 2. argum. diſtinguemus maiorem propoſitionem, nam poteſt illa intelligi identice vel formaliter: ſi idētice fuerit intellecta, falſum eſt non poſſe vnum membrum diuiſionis ſub alio contineri: ſi vero formaliter intelligatur vera eſt, & admittenda. Res hæc exemplo ſatis familiari fieri poteſt manifeſta. Bonum, verbi gratia, diuiſum eſt ab omnibus *D.Th. 1.p.q. art.6.* Philoſophis, in honeſtum, vtile, & delectabile, in qua profecto diuiſione membra diuidētia identice, ita ſunt inter ſe affecta, vt vnum ſub alio contineatur, nam eadem res eſt bonum honeſtum, vtile, & delectabile, nimirū idem ſtudium literarum, quod in ſe maximam continet honeſtatem, in animoque eximiam quandam dulcedinem mentiſque generat oblectationem, & ſi ad quæſtum relatū fuerit, non parum poterit nobis ad ditandum adiumentum conferre: verum quamuis identice ſint hæc membra vnum, atque idem, ratione tamen differunt, alia ſiquidem eſt ratio boni honeſti, alia vtilis, & alia delectabilis. Eadem igitur ratione in hac diuiſione oppoſitionis in quatuor iſta membra, vnum ex illis ſub alio poterit identice contineri, vt oppoſitio contradictoria ſub oppoſitione cōtraria, vel priuatiua, nam eadem res, & contrarie & contradictorie opponi poterit, vt albedo, v. g. & cōtrarie opponitur nigredini, & contradictorie cum in ſe negationem nigredinis includat: formaliter tamen non continebitur oppoſitio contradictoria ſub aliqua ex aliis oppoſitionibus, alia etenim eſt ratio illius, & alia aliarum oppoſitionum, nam ratio illius eſt eſſe affirmationem, & negationem eiuſdem de eodem, ratio vero oppoſitionis contrariæ, eſt extrema, quæ ita opponuntur, ita ſub eodem genere comprehendi ſub quo maxime diſtant, vt ſubiecto vieiſſim inſint, a quo mutuo ſe expellunt, niſi alterum inſit a natura. Oppoſita priuatiue ſunt habitus, & priuatio, quæ nata ſunt fieri circa idem ſubiectum, cum aptitudine recipiendi vtrumque, tempore a natura præfinito. Ratio tandem oppoſitionis relatiuæ, in eo eſt conſtituta, vt extrema ex aduerſo ſe intueantur.

Ad 3. reſpond. eſſe latum diſcrimen inter contradictoria, & contraria immediata, quia quamuis contraria immediata ratione ſui nō habent medium vllum, at ratione ſui generis, non repugnat ipſis illud habere, quia contrarietati in communi (quæ eſt genus in termedium contrarietatis immediatæ) non repugnat medium aliquod habere, at extrema cōtradictoria, neque ratione ſui, neque ratione ſui generis (quod eſt affirmatio, & negatio) poſſunt medium aliquod habere. Vel dicere poſſumus duplex eſſe medium, vnum participationis, & alterum inhæſionis: tepidum (v. g.) eſt medium participationis caloris, & frigiditatis; aqua vero eſt medium inhæſionis, quia eſt ſubiectum cui caliditas, & frigiditas inhærent. Itaque eo differunt contraria immediata, ab oppoſitis contradictorie, neque datur medium participationis, neque inhæſionis: in aliis vero quæ contrarietate immediate opponuntur, quamuis non detur medium participationis, datur tamen medium inhæſionis. Etenim quamuis inter ſanum, & ægrum (quæ iuxta Ariſtot. ſunt contraria immediata) non datur medium participationis, quod ſcilicet vtriuſque extremi naturam obtineat, datur tamen medium inhæſionis animal ſcil. cui aliquando eſſe ſanum, & aliquando ægrum eſſe contingit. Legendus eſt Scot. *q. 39. ad prædicam.*

Ad 3.

1. Solutio.

2. Solut.

Ad 4. Ad 4. dicimus Ariſtot. cum inquit contrarietatem eſſe maximam diſtantiam, intelligendum eſſe cum his tribus limitationibus, vt ſit intra limites eiuſdem generis, ſecun-

dum

dum eſſentiam, & non ſecundũ aliquem modum. & ratione ſui; ac non propter alterius participationem Vnde ad primam confirm. dicimus, verum eſſe inter quãtitatem, & qualitatem eſſe maiorem diſtantiam, quam inter duo contraria, verum illa non continetur in ſta limites alienius generis, nam quantitati, & qualitati nullum genus poteſt eſſe commune.

Ad 1. confir.

Ad 2. Ad 2. dicimus cal d ſſimum & frigidiſſ. non magis diſtare inter ſe ſecundum eſſentiam, quam calidum, & frigidum, ſed tantum ſecũdum modum, vel iuxta illius gradus intenſiores; atque diximus hanc maximam contrarietatem non eſſe intelligendam ſecundum modum, vel gradus, ſed ſecundum eſſentiam extremorum contrariorum.

Ad 3. Ad 3. dicimus media non maxime diſtare ab extremis, quamuis eum quolibet illorum contrarie opponantur, verum enim illa non opponantur ratione ſui, ſed ratione alterius extremi, ob hanc cauſſam quamuis non maxime diſtent nihil aduerſus placitum Ariſt colligi poterit, cum ille tantum docuerit extrema, quæ contrarie opponuntur; ſi ratione ſui opponãtur, ſub eodem genere maxime diſtare. Legendus eſt Iauell. 10. *Metaph. q. 12.*

Ad 4. Ad 4. pretermiſſis variis ſolutionibus ſatiſfacimus dicentes, bonum & malum poſſe ſumi abſolute & in communi, vel in moribus primo modo bonum, & malum, opponũtur priuatiue, nihil n. aliud ipſum malum eſt, quam quædã priuatio boni: at ſecũdo modo opponũtur contrarie quemadmodũ iuſtitia, & iniuſtitia, quæ ſunt bonum, & malũ morale, opponuntur contrarie, nam iniuſtitia non tantum ſignificat priuationem iuſtitiæ, ſed qualitatem quandam contrariam illi, & hoc ſecundo modo intelligendus eſt Ariſt. docens bonum & malum eſſe oppoſita contraria.

Ad ult. Ad vlt. reſp. Negando conſeq. etenim hæc quæ *in hoc cap.* docet Ariſt. non pugnant cum his, quæ docebat 2. *de cælo*, nam in hoc loco non docet; quod ſi vnum contrarium fuerit debeat illico aliud petire ſimpliciter, & abſolute, ſed debere perire ab illo ſubiecto, in quo alterum introducitur, at vero *in lib. de cælo* nõ agebat de vno aliquo ſubiecto, ſed de ipſa rerum natura, docebatque, quod ſi vnũ ex contrariis fuerit in rerum natura, & aliud quoq; eſſe debet, quia natura ex æquo ſeſe habet ad vtrumque contrarium producendum, ac proinde ſi vnum producit, debet etiam & alterũ producere. Quod intelligendum eſt iuxta facultatem naturalem (vt in illo loco loquebatur Ariſt. qui ob hoc inſtitutum docebat, quod ſi vnum contrarium fuerit in rerum natura debere etiam & aliud in eadem eſſe, vt oſtenderet ex eo, quod eſt ignis, debere quoque eſſe terram, quia hæc duo elementa, inter ſe ratione qualitatum ſecundarum, nimirũ grauitatis, & leuitatis pugnant maximeque contrariantur.) Nam ſi de facultate ſupernaturali agamus, non eſt neceſſe veſi vnum ex contrariis fuerit, & alterum quoq; debeat eſſe *vt in commen.* admonuimus. Legendus eſt Caiet. *in hoc cap.*

QVÆSTIO II.

In quo ſit ratio oppoſitionis relatiuæ conſtituta.

Offert ſe tamen peculiaris difficultas circa oppoſitionem relatiuam, in quo nimirum ſit illa conſtituta. Seuerinus Boetius putat in eo ſitam eſſe, vt non poſſint extrema relationis eidem reſpectu eiuſdem conuenire impoſſibile ſi quidem eſt, aliquem reſpectu eiuſdem ſimul eſſe patrem, & filium, vel duplum, & dimidium. Vnde iuxta illum, illud quod inquit Ariſt. relatiue oppoſita eſſe illa, quæ id quod ſunt aliorum eſſe dicuntur, vel quoquo modo alia cum aliis conferuntur, nõ explicat oppoſitionem relatiuam, ſed potius quandam regulam, ad cognoſcenda quænam ſint relatiue oppoſita, etenim ſi aliqua extrema ita fuerint affecta, vt id quod ſunt aliorũ eſſe dicantur, vel quoquo modo alia cum aliis conferantur, illa (tanquam nota quadã) cognoſcemus, eſſe relata. *1. Opinio.*

Alii vero è quorũ numero eſt acutiſſimus Caiet. opinantur hanc oppoſitionem eſſe in eo conſtitutam, vt illa ad inuicem referantur, vel in contrapoſitione quadam, qua ſe illa contra inſpiciunt, ac intuentur. Vnde oppoſitio inter patrem & filium, in eo conſiſtet, vt pater contra inſpiciat filium, & filius quoque econtrà patrem intueatur. *2. Opinio.*

Quam opinionem tanquam veriorem vt explicemus, animaduertimus, ea quæ opponuntur relatiue, poſſe duobus modis ſumi; primo iuxta propriam naturam, & eſſentiam; ſecundo vt participant aliquo modo oppoſitionem contradictoriam, eſt enim hæc oppoſitio in omnibus aliis oppoſitionibus inclaſa, *vt in ſeqq. quæſt.* oſtendemus. *Obſeruatio.*

Hoc igitur animaduerſo ſit prima concluſio. Si ſumantur relatiue oppoſita, vt in ipſis eſt incluſa, & participata oppoſitio contradictoria, in eo erit illa conſtituta, vt vnum ex extremis ſub eadem ratione alterum exclu- *1. concluſio.*

dat ab eodem ſubiecto, vt in exemplo paternitatis, & filiationis, rem hanc poſſumus explicare, quæ certe cum ſint oppoſita relatiue, in eo opponentur, quia paternitas excludit filiationem, & hæc paternitatem (ſub eadem ratione) ab eodem ſubiecto. Confirm quia idem iudicium ferendum eſt de oppoſitione relatiua hac ratione ſumpta quod ferimus de oppoſitione contradictoria; at in oppoſitione contradictoria, extrema ſe mutuo excludunt ab eodem ſubiecto, nam ſunt affirmatio eiuſdem de e. dem, quæ certe eidē ſimul conuenire nullo modo poſſunt: quare & oppoſitio relatiua hac ratione ſumpta, in hac expulſione vnius extremi ab altero, in eodem ſubiecto erit conſtituta. Quod ſi hac ratione intelligit Boetius ſuam opinionem explicatam vera erit illius ſententia, ſin minus qua ſic falſa, ex ſeq. concluſ. conſtabit, quam antequā proponamus diſſoluenda erit quædam obiectio, aduerſus hanc priorem concluſionem, quæ ſic ſe haber.

Obiectio. D. Tho *q. 7. de potent. art* 8. inquit affirmationem, & negationem non includi in oppoſitione relatiua, ergo cum cōtradictio ſit oppoſitio ſecundum affirmationem, & negationem, non recte conſtituimus oppoſitionem cōtradictoriam eſſe in relatiua incluſam.

Solutio. Reſpond. ex Ferra. 4. *gent. cap.* 14. in oppoſitione contradictoria vel quod idem eſt (in affirmatione, & negatione) poſſe attendi, vel expulſionem vnius extremi ab altero in eodē ſubiecto, nam affirmatio expellit negationem, vel imperfectionem vnius extremi, quæ ſemper in aliquo extremo huius oppoſitionis reperitur. ſemper etenim negatio eſt imperfecta, & affirmatio perfecta. Igitur quando inquit D. Tho. affirmationem, & negationem non includi in oppoſitione relatiua: intelligi debet ſecundo modo, non primo; ſecundo quidem, quia in extremis, quæ opponuntur relatiue, non ſe habet vnum ſicut perfectum & aliud tanquam imperfectum: nam relatio vt denotat habitudinem ad extremum, nullā ſignificat perfectionem, nō vero primo, quia hac ratione vnum extremum relatum, excludit aliud (ſub eadem ratione) ab eodem ſubiecto.

2. concl. 2. concluſ. Si agamus de oppoſitione relatiua iuxta propriam rationem, vt differt ratione ab oppoſitione contradictoria, & primo ratio & natura illius in hoc erit conſtituta, vt ſe contra extrema intueantur, vel vt cum aliis dicimus vel relata contraponatur, quemadmodum ratio conſtitutiua patris erit conſtituta in eo, quod eſt paternitatem contra intueri filiationem, & hanc ex aduerſo reſpicere paternitatem.

Hæc aſſertio ni fallor (quam cum Caietano profitemur) eſt inprimis Ariſtot. expreſſa ſententia, qui cum oppoſitionem relatiuam explicaret, inquit, illa ex hoc genere oppoſita: *Quæ id quod ſunt alterum eſſe dicuntur, vel quoquo modo alia cum aliis conferuntur.* Hoc autem quid aliud eſt, quam oppoſitionem relatiuam in quadam contra oppoſitione extremorum eſſe conſtitutam? Neque eſt cur cum Boetio dicamus Ariſt. in his verbis: non explicuiſſe propriam rationem huius oppoſitionis, ſed adhibuiſſe legem qua dignoſcere valeamus quæ ſint extrema relata, hoc enim alienum eſt à mente Ariſt. cum ipſemet teſtetur hanc eſſe oppoſitionem relatiuam, nam ita habet: *At ea quidem contraria, quæ cum aliquo conferuntur, quidquid ipſa ſunt contraria eſſe dicuntur. &c.* 1. argum.

2. Ratio propria huius oppoſitionis illa erit, quæ illi primo conuenit; at ſe expellere extrema relata ab eodem ſubiecto nō primo conuenit huic oppoſitioni, etenim ex eo paternitas, & filiatio, reſpectu eiuſdem, nō poſſunt eidem conuenire, quia ſe ex aduerſo intuentur, vnde prius erit ſe ita intueri, quam ſe ab eodem ſubiecto expellere; non igitur oppoſitio relatiua erit in hac expulſione conſtituta. 2. Argum.

3 concluſ. Oppoſita relatiue nonnullis diſcriminib. ab aliis generibus oppoſitorum ſeparantur. Hæc diſcrimina erudite tradit D. Tho. *q. 7. de potent. art.* 8 *ad* 4. 3. argum.

Primum eſt, quia in alijs oppoſitis ex eo quod vnum ſit in rerum natura, non ſequitur & aliud etiam eſſe, imo ex poſitione vnius, ſequitur euerſio alterius, vt in contradictorie oppoſitis ex poſitione affirmationis ſequitur euerſio negationis, in contrariis, ex poſitione candoris, ſequitur euerſio atroris in eodē ſubiecto: & in oppoſitis priuatiue, ex poſitione formæ (vt luminis) ſequitur euerſio priuationis, tenebrarum nimirum. Cæterum in oppoſitis relatiue, ex poſitione vnius extremi, ſequitur poſitio, non autem euerſio alterius; nam ſi pater eſt & filius quoque debet eſſe: dicuntur enim ad conuertentiam omnia relata, vt in categ. ipſorum, iam ſupra cum Ariſt. docuimus. 1. Diſcrimen.

Alterum diſcrimen eſt: In reliquis oppoſitorum generibus, alterum ex extremis habet locum perfecti & alterum locum imperfecti, vt in oppoſitis contradictorie, affirmatio eſt 2. Diſcrimen

perfecta,

perfecta, negatio imperfecta: in oppoſitis eõtrarie, vt ſunt albedo, & nigredo, caliditas, & frigiditas, caliditas, & albedo, habent locum perfecti, nigredo vero, & frigiditas, locum imperfecti: & tandem in oppoſitis priuatiue, habitus rationem perfectam ſibi vendicat, eõtra vero priuatio, inter imperfectas naturas comprehenditur. Cæterum in oppoſitis relatiue, neutrum extremorum eſt altero perfectius, quia neutrum denotat perfectionem, vel imperfectionem, nam eſſe ad, vel referri ad aliud in communi, abſt ahit ab eſſe perfecto, & imperfecto. Etenim quamuis relatio rei, vt inhæret ſubiecto, ſignificet perfectionem, vt tamen denotat habitudinem ad terminum, non denotat illam: at extrema relationis non opponuntur relatiue, iuxta relationem, vt denotat inhærentiam in ſubiecto, ſed vt denotat habitudinem ad terminum. Legenda ſunt, quæ de hac re expoſita dedimus in categoria relatorum *ſectio. ſlt. q. vlt.* & quæ de oppoſitione relatiua à D. Tho. in *co leb illo opuſc. 37. de contrar.* tradita fuere.

QVÆSTIO III.

An oppoſitio ſit genus ad quatuor genera contrariorum.

PRæter has quas in ſuperiorib. quæſt. propoſuimus offerunt ſe nobis nonnullæ dubitationes haud certe indignæ, quæ circa ea quæ ab Ariſt. de contrariis tradita ſunt exigi tentur, ac primum ſit ne oppoſitio genus ad quatuor contrariorum genera, necne?

1 *argum.* Et quidem, ita eſſe hoc argumento fieri manifeſtum. Oppoſitio eodem nomine & eadem diffinitione prædicatur de his quatuor generibus: ergo ſynonyme de illis dicetur, & ex conſequenti vt genus, quia nequit dici de eis vt ſpecies. Conſequentia eſt aperta, confirmatur antecedens. Inprimis nomen oppoſitionis omnibus eſt commune, deinde ratio, quæ eſt non poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto, eſt etiam communis: ergo prædicatur eodem nomine, & eadem ratione.

1. *Opin.* De hac quæſt. eſt 1. opinio Simplicij in præfatiuncula quadam Poſtcateg in fine oppoſitionem eſſe verum genus adhæc quatuor genera contrariorum, in qua opinione docet extitiſſe etiam Porphytium eandem Louanienſ hoc loco, & Sueſan. 10. *Metaphyſ. quæſt* 6. amplectuntur.

2. Opinio eſt M. Soto *in cap. de contrariis* exiſtimantis oppoſitionem prædicari ſynonyme de oppoſitione priuatiua, aduerſa, & contradicente, de his vero tribus & de oppoſitione relatiua non prædicari ſynonyme ſed homonyme, quia inquit oppoſitio relatiua homonyme vocatur oppoſitio.

3. Opinio eſt B. Alber M. *in tract. Poſtcateg. c. 2.* & Caiet. *in comment. in c. de contra* & Diuus Tho *opuſc.* 37. omniumque fere recentiorum conſt ituentium oppoſitionem neque de tribus, neque de quatuor generibus oppoſitorum poſſe prædicari ſynonyme, ſed analogice, quam opinionem arbitramur eſſe veriorem. Vnde in illius explicationem ſit prima concluſio.

Tantum ſunt quatuor genera contrariorũ propoſita ab Ariſt ſcil. cõtraria, relata aduerſa, priuantia & contradicentia. Confirm. duobus argumentis. 1. *concl.*

Primum petitum eſt ex Ammonio: Omnis oppoſitio aut eſt ſecũdum orationes in quibus reperitur affirmatio, vel negatio, aut ſecundum res, quæ ſunt a parte rei: ſi eſt oppoſitio ſecundum orationem, eſt oppoſitio contradictoria, quæ fit ſecundum affirmationem, & negationem, vt eſt hæc oppoſitio Petrus ſedet, Petrus non ſedet: ſi vero ſit oppoſitio ſecundum rem, aut inter illas res eſt mutua habitudo, & hæc eſt oppoſitio relatiua, at non eſt huiuſmodi mutua habitudo, ſed eſt oppoſitio inter extrema, quæ ſe mutuo expellunt ab eodem ſubiecto, quod ſi ſe expellant cum aliquo regreſſu, eſt oppoſitio aduerſa vel contraria, vt eſt inter calidum & frigidum, nam inter hæc extrema eſt mutua tranſmutatio, & regreſſus ab vno ad alterum: ſi vero ſe expellant ſine regreſſu eſt oppoſitio priuatiua, quia ab habitu ad priuationem, vel à priuatione potius ad habitum, nõ datur regreſſus. Erunt itaque quatuor genera contrariorum, neque iis plura, neque pauciora. 1 *Arg.*

2. Petitum eſt ex Alber M. & Caietano. Omnis oppoſitio, vel eſt inter duo entia, vel inter ens & non ens, ſi fuerit inter duo entia aut illa ſe expellunt ab eodem ſubiecto, vel non ſe expellunt, ſi ſe expellant, erunt aduerſa, vt calor, & frigus, quæ ſe expellunt ab eodem corpore, quod ſi ſe non expellant, erunt relata, nam vnum extremum relationis, vt paternitas, non expellit aliud, vt filiationem ab eodem ſubiecto, eo quod idem reſpectu diuerſorũ poſſit eſſe pater & filius: ſi vero fuerit oppoſitio inter ens & non ens, aut huiuſmodi non ens eſt, non ens ſimpliciter & abſolute, & hæc eſt oppoſitio contradictoria, quę eſt inter affirmationẽ, & negationem, ex quibus 2. *Arg.*

affirmatio eſt ens, negatio vero non ens, attamen illa non eſt ſimpliciter non ens, ſed eſt non ens ſecundum quid, & hæc eſt oppoſitio priuatiua, quia priuatio non eſt non ens ſimpliciter, vt eſt nihil, ſed eſt non ens ſecundum quid, & eſt ens tantum habens eſſe per intellectum. Erunt itaque quatuor genera contrariorum propoſita ab Ariſtot. Legenda eſt alia ratio apud Scotum *quaſtio.* 38. *Prædicam. e ...rum.*

concluſ. 2. concl. Oppoſitio non dicitur de his quatuor formis homonyme. Cõfirmatur aduerſus Zimaram in ſua tabula contrarium opinantem, quia in homonymis ſolum nomen eſt commune; at oppoſita præter nomen, habent etiam & rationem communem.

concluſ. 3. Oppoſitio non prædicatur ſynonyme de his quatuor generibus. Confirmatur. Illa quę prædicantur per prius & poſterius, & ſecundum magis & minus non prædicantur & ſynonyme: ſed oppoſitio prędicatur de his quatuor oppoſitionis generibus ſecundum prius & poſterius, & ſecundum magis & minus, nã prius & maxime prædicatur de oppoſitione contradictoria, deinde de priuatiua, tertio de aduerſa, & vltimo de relatiua, vt oſtendemus *quaſt. ſeq.* abunde ex Ariſt. 10. *Metaph. c.* 7. ergo oppoſitio non prædicatur ſynonyme de his quatuor generibus.

concluſ. 4. concluſ. Oppoſitio non eſt genus ad hæc quatuor genera contrariorum. Confirmatur aduerſus Simplicium. Omne genus prædicatur ſynonyme de ſuis ſpeciebus, ſed probatũ eſt in ſuperiori aſſertione oppoſitionem non prædicari ſynonyme de quatuor generib. oppoſitionum, ergo oppoſitio non erit verum genus ad illa.

concl. 5. concluſ. Oppoſitio dicetur analogice de his quatuor formis. Confir. quia cum neque dicitur homonyme, neque ſynonyme dicetur profecto analogice; idque analogia attributionis, quia prius dicitur de contradictoria, ſecundo de priuatiua, tertio de contraria, & quarto de relata.

1. arg. Ad argumentum igitur propoſitum reſp. falſum eſſe antecedens, & ad probationem dicimus, nomen, & rationem oppoſitionis non eſſe ex ęquo participatam à ſuis inferioribus, cum prius conueniat oppoſitioni contradictoriæ quam aliis, & ita non prædicabitur ſynonyme.

QVÆSTIO IV.

Sitne oppoſitio contradictoria omnium maxima.

Conferamus iam oppoſitionis formas inter ſeſe, examinemuſque quænam ex ipſis ſit maior, & quænam minor dicatur: nam contradictoriam non eſſe maiorem, ſed minorem, hæc argumenta ſuadere videntur.

1. Illa oppoſitio eſt minima, quę reperitur inter res quæ minus differunt: ſed oppoſitio contradictoria reperitur inter ea quæ minus differunt, nam diſtinctio numerica eſt omnium minima (qualis eſt ea, quæ intercedit inter Petrum & Antonium) in qua reperitur oppoſitio cõtradictoria, nam de qualibet retenera eſt affirmatio & negatio, ergo oppoſitio contradictoria erit omnium minima. *1. argum.*

2. Oppoſitio priuatiua, vel quælibet alia includit oppoſitionem cõtradictoriam, nam hæc, vt diximus, includitur in omni genere oppoſitionis, & addit aliquid ſupra illam, ſcilicet propriam rationem oppoſitionis priuatiuæ, ſed omne illud quod includit aliquid ſupra ipſum, eſt eo maius, ergo propoſitio priuatiua erit maior oppoſitione contradictoria. *2. argum.*

3. Ex minori diſtinctione non poſſumus colligere maiorem, quemadmodũ ex diſtinctione numerica non poſſumus colligere aliqua diſtingui ſpecie, quia diſtinctio numerica eſt minor quam ſpecifica; ſed ex diſtinctione priuatiua, aut alia, colligere poſſumus oppoſitionem ſecundum affirmationem, & negationem, ergo oppoſitio contradictoria nõ erit omnium maxima. *3. argum.*

Hanc quam examinandam tradimus quæſtionem iuxta ea quæ tradita fuere ab Ariſt. 10. *Metaph c.* 7 à D. Tho *opuſc.* 37. & à Soncin. 10. *Metaphyſ. q.* 8 a Iouell. etiam *eod. lib quaſt.* 11. his ſubiectis aſſertionibus diffinimus, ſit prima. *Breue quaſt.*

Oppoſitio contradictoria eſt omnium oppoſitionum prima. Confirmatur, Illud eſt primum in vnoquoque genere, quod eſt cauſſa cur cætera ſint talia, ſed oppoſitio contradictoria eſt cauſſa, cur cæteræ oppoſitiones ſint tales, ergo oppoſitio contradictoria erit omnium prima. Confirmatur aſſumptio. Propoſitio enim ipſius eſt Ariſt. 2. *Metaphyſ. cap.* 1. Cætera ex eo ſunt oppoſita, quia non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quemadmodũ albedo, & nigredo, ex eo contrariantur, quia neutra illarum poteſt ſimul in ſubiecto, in quo altera continetur reperiri; atqui hoc nõ aliunde prouenit, quam ex eo, quod vnum illorum includit negationem alterius, ex eo enim albedo, & nigredo, nequeunt eidem ſubiecto ſimul inhęrere, quia albedo includit ne- *1. concluſ.*

garionem

Digitized by Google

gat oſtem nigredinis, & econtra nigredo albedinis, ergo cum oppoſitio ſecundum affirmationem & negationem ſit contradictoria, oppoſitio contradictoria exiſtet proculdubio cauſa, cur cætera opponantur.

2. concluſ. 2. concluſ. Oppoſitio contradictoria in ratione oppoſitionis eſt omnium maxima, confirmatur.

1. Arg. In quauis oppoſitione illa eſt cenſenda maxima, in qua extrema minus conueniunt, quia ex maiori conuenientia colligitur minor differentia: ſed in oppoſitione contradictoria extrema minus conueniunt, quam in aliis generibus oppoſitionum, ergo oppoſitio contradictoria erit omnium maxima. Confir. aſſumpt. Tribus modis aliqua extrema poſſunt conuenire, aut genere, aut ſubiecto, aut effectu ab vtroque promanante, ſed alia contraria aut in ſolo genere categor. conueniunt, vt relata, aut in ſolo ſubiecto, vt oppoſita priuatiua, nam hæc nata ſunt fieri circa idē ſubiectum: aut conueniunt effectu ab vtroq; extremo producto, vt ſunt aduerſa vel contraria, qualia ſunt album & nigrum, quæ conueniunt in coloribus mediis, & calidum ac frigidum, quę in tepido vniuntur, & ſi fuerint contraria immediata, conueniunt in eodem ſubiecto, & genere, vt ſanum & ægrum, oppoſitio autem contradictoria verſatur inter extrema, quæ neq; genere conueniunt, quia cum ex eis vnum ſit ens, & alterum non ens (affirmatio enim eſt ens, negatio vero non ens) enti vero, & non enti nullum genus detur cōmune, neq; illa genus aliquod commune habebunt. Subiecto præterea diſtinguuntur: nam non ens in nullo reperitur ſubiecto, cum tamen ens alicui tanquam ſubiecto natum ſit ineſſe, & denique communi effectu deſtituta ſunt, ex ente enim, & non ente nihil coaleſcere vllo modo poteſt, ergo in oppoſitione contradictoria extrema minus conueniunt.

2. Arg. Confirmatur præterea eadem aſſertio: Inter ens & non ens eſt maxima oppoſitio, nam ab his duobus extremis oriuntur omnia alia oppoſitionum genera, ſed oppoſitio contradictoria verſatur inter ens & nō ens, ergo oppoſitio contradictoria erit omnium maxima.

Ad 1. argum. Diluenda ſunt tandem arg. Ad 1. reſpond. ea, quæ differunt numero ſumi poſſe, vel vtes quædā ſunt, vt ſc. in ſe ſumuntur, vel vt vnum illorum includit alterius negationem; & ita quamuis, quæ primo modo differunt numero, minime ſecernantur ab inuicem, quæ tamen ſecundo modo differunt, numero maxime diſtinguentur, quia diſtinctio inter affirmationem & negationem omnium maxima exiſtit, quando autem aſſeruimus, oppoſitionem contradictoriam eſſe omniū maximam, loquuti ſumus non de oppoſitione ratione rerum, quę opponuntur, ſed ratione affirmationis & negationis, quę eſt oppoſitio formaliter.

Ad 2. Ad 2. aimus, has oppoſitiones ſumi poſſe præciſe, vt vna diſtinguitur ab altera, vel vt vna aliam includit: ſecundo modo oppoſitio priuatiua, vel quælibet alia erit multo maior oppoſitione contradictoria, propter rationem aſſignatā. primo tamen modo oppoſitio contradictoria omnium extat maxima, qua ratione loquimur de oppoſitione, quando genera oppoſitorum inter ſe comparamus.

Ad 3. Ad 3. negamus propoſitionem: nam differentiæ vltimæ magis differunt, quam ſpecies ex eis conſtitutæ, illæ enim primo ex ſe ipſis differunt, cum tamen non ſit idem de ſpeciebus: at ex diſtinctione ſpecifica diſtinctionem ſecundum differentias colligere cōſueuimus, nam recte inferimus, Petrus, & hic leo differunt ſpecie animalis, ergo differunt ſecundum particeps & expers rationis.

Ad q. Quod ſi quis quærat poſt oppoſit. contradictoriam, quænam ſit omnium maxima. Reſpondemus, maximam oppoſitionem eſſe priuatiuam, deinde ſuccedere aduerſam, & vltimo loco contineri relatiuam, quod cōfirmare licebit auctoritate Ariſt. 10. *lib. Metaph. c. 7.* vbi recenſens hæc oppoſitionum genera, primo loco conſtituit oppoſitionem contradictoriam, in ſecundo priuatiuam, in tertio aduerſam, & in quarto relatiuam. Legendus eſt D. Thom. *opuſc. 37.*

QVÆSTIO V.

An qualitates contrariæ poſſint eſſe in gradibus remiſſis in eodem ſubiecto?

ET quidem non poſſe reperiri, cōfirmatur in hunc modum. *1.* Primo: Si duæ qualitates contrariæ remiſſæ eſſent in eodem ſubiecto, ſequeretur duas contradicentes eſſe ſimul veras: atqui hoc repugnat decretis omnium Dialecticorum, ergo neq; contrariæ qualitates in gradibus remiſſis poterunt eſſe in eodem ſubiecto. Confir. propoſit. Sint albedo, & nigredo in gradibus remiſſis in eodem ſubiecto, tunc idem ſubiectum erit album & nigrum. Hoc ſtatuto ita argumentor: Nigrum eſt illud, quod non eſt album: atqui ex alia parte erat album, ergo ſubiectum erit album, & non erit album. Cum ergo hæ duę ſint contradicentes, erunt ſimul verę de eodē ſubiecto.

2. 2. Effectus formalis non poteſt ſeparari à forma per facultatem naturalem: ſed eſſe al-

bum eſt effectus formalis albedinis: ergo etiam albedo remiſſa conferet eſſe album. Idem argumentum fieri poterit de nigredine remiſſa, vnde fieret, vt idem ſubiectum eſſet album & non eſſet album, quod certe eſſe nulla ratione poteſt.

3. Arg. 3 A qualitate res vocantur quales, ſed albedo remiſſa eſt qualitas, ergo ab albedine remiſſa vocabitur ſubiectum quale, & album, & idem de nigredine remiſſa, atque ita fieret, vt idem eſſet album & nigrum.

4. Arg. 4. arg. Albedo & nigredo ex eo ſunt incompoſſibiles in eodem ſubiecto, quia iuxta propriam naturam ſunt contrariæ, etiam ſumeodo albedinem, & nigredinem intenſiue: ſed non minus ſunt ad inuicem contrariæ albedo & nigredo remiſſæ: ergo neque hæ qualitates in gradibus remiſſis poterunt in eodem ſubiecto ſimul reperiri.

Obſer. Nomine gradus intenſi in hoc loco eum gradum intelligimus, qui eſt vltra medietatem: nomine vero gradus remiſſi eum, qui eſt citra medietatem, vt ſi tota latitudo caloris ſit decem graduum, calor intenſus erit calor, qui eſt plurium graduum, quam quinque, quia hi gradus ſunt extra medietatem ſuæ latitudinis: calor vero vt duo, vel vt tres, vſque ad quinque calor remiſſus cenſendus erit, eſt enim citra medietatem ſuæ latitudinis. Certum igitur eſt, non poſſe cõtrarias qualitates ſimul eſſe in eodem ſubiecto in gradibus intenſis, vnde controuerſia propoſita tantum erit exagitanda penes gradus remiſſos, nam ſcilicet duæ qualitates contrariæ in gradibus remiſſis, vt calor, & frigus, penes gradus caloris, & frigiditatis, vt duo, vel vt tres, poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Pertractabitur autem illa à nobis hoc loco breuiter, ac ſuccincte, quia cum philoſophica ſit, diffuſius à nobis in lib. de ortu poſtmodum (ſuperis bene fauentibus) in lucem emittendis explicabitur. Gregorius

1. Opin. Arimineniis 1. *lib. ſent. diſt.* 17. q. 3. art. 2. & Soncin. 10. *Metaph.* q. 22. exiſtimarunt, qualitates contrarias neq; in gradibus intenſis, neque in remiſſis ſimul in eodem ſubiecto reperiri vllo modo poſſe, ex qualitatibus tamen contrariis conſtituunt fieri mediam qualitatem, in qua extrema non continentur actu, ſed ſola virtute, vt ex calore & frigore, fieri tepidum, quod eſt media qualitas, in quo non continetur actu caliditas, nec frigiditas, ſed ſola virtute. Secunda opinio eſt Capr. 1. *ſent.*

2. Opin. *diſt.* 17. q. 2. *in argum.* ſ*cotiſtæ contra* 2. *concl.* Iaurl. 10. *Meta.* q. 13. & aliorum conſtituentium qualitates contrarias in gradu remiſſo poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Quam opinionem tanquam veriorem confirmamus his argg.

1. Arg. 1. Qualitates elemẽtorum ſunt contrariæ, vt calor & frigus, humiditas & ſiccitas; ſed qualitates elementorum iudicio Philoſophorum ſunt in mixto in gradibus remiſſis, ergo iam contrariæ qualitates eſſe poterunt in eodem ſubiecto in gradibus remiſſis.

2. Arg. 2. Quando ignis incipit agere in aquã, adhuc aqua retinet frigiditatem, eſt etiam affecta calore ſibi tributo ab igne, ſed calor & frig° ſunt qualitates contrariæ: ergo contraria in gradibus remiſſis poſſunt eſſe in eodem ſubiecto.

3. Arg. 3. Omnis qualitas habens contrariũ remittitur ex permixtione ſui contrarii, vt autor eſt Ariſt. 5. *Phyſ.* c 2. igitur in eodem ſubiecto eſſe poterunt contrariæ qualitates remiſſæ.

Ad 1. arg. Ad argumenta in principio propoſita. Ad primum dicimus, ſubiectum habens vtraſque qualitates remiſſas, non denominari album, & nigrum, quia forma non denominat ſubiectum, niſi ſecundum qualitates intenſas, & ita non ſequitur idem eſſe album, & non album ſimul.

Interrog. Sed rogabit aliquis, qua ratione igitur, & quo nomine exprimetur tale ſubiectum habens vtraſque qualitates remiſſas?

Reſpond. Reſpond. aut vna earum ſuperat alteram in aliquo gradu, aut vtraque eſt æqualis alteri in gradibus. Si primo modo loquamur, reſpond. ſubiectum ſumere denominationem à qualitate vincente alteram, vt ſi albedo ſit quinque graduum, & nigredo trium, ſubiectũ album denominabitur: ſi vero ſecundum conſtituamus, ſubiectum ſubibit denominationem illius qualitatis mediæ compoſitæ, ex vtraque qualitate, in quantum reperiuntur in ea contrariæ qualitates in eſſe remiſſo, vt calor & frigus conſtituunt tepidum in æqualibus gradibus, & ita ſubiectum affectum iis qualitatibus in gradu remiſſo vocabitur tepidum.

Ad 2. Ad 2. negamus aſſumptionem, nam conferre eſſe album non eſt effectus albedinis abſolute ſumptæ, ſed eſt effectus eius in gradu intenſo. Vnde ab albedine remiſſa non dicetur ſubiectum album.

Ad 3. Ad 3. reſpond. propoſitionem eſſe veram de qualitate ſecundum rem & modum, at vero albedo remiſſa non habet modum qualitatis, quæ nata eſt denominare ſubiectum, ſed ea tantum, quæ eſt intenſa: nam etiam perturbatio eſt vera qualitas, quæ tamen non denominat ſubiectum, quoniam non eſt qualitas ſecundum rem, & modum.

Ad 4. Ad 4. dicimus, falſam eſſe propoſitionem, nam non ex eo tantum albedo & nigredo in

gradi

gradibus intenſis nequeunt in eodem ſubiecto reperiri, quia ſunt contrariæ qualitates, ſed ex eo, quia ſunt contrariæ in ſummo.

Interrog. Sed longius progredietur aliquis, ac percontabitur, quænam ſit ratio, ob quam qualitates in ſummo nequeant ſimul in eodem ſubiecto reperiri, qualitates nihilominus contrariæ in gradibus remiſſis, eo ipſo, quia remiſſæ ſunt, in eodem ſubiecto ſimul reperiri optime poſſint, cum non minus ſibi inuicem qualitates in ſummo, quæ æquales ſunt, aduerſentur, quam qualitates remiſſæ, quæ æquales etiam ſunt, inter ſe opponantur. Capreol. ait rationem eſſe, quia qualitas in ſummo actuat totam potentiam ſubiecti, ita vt non relinquat in eo potentiam vllam ad contrariam qualitatem: at vero qualitas in remiſſo non actuat eandem totam ſubiecti potentiã, quin potius adhuc relinquit in ipſo potentiam ad contrariam qualitatem in remiſſo recipiendam. *Reſpon.*

Obſer. Animaduerſione tamen dignum eſt, non ſolum qualitates contrarias extremas, cuius generis ſunt albedo, & nigredo, verum etiam medias, quales cenſentur color purpureus, & viridis, & cæteri id genus, non poſſe in gradibus intenſis ſimul in eodem ſubiecto reperiri, quantumuis optime poſſint in gradibus remiſſis.

QVÆSTIO VI.

An à priuatione ad habitum detur regreſſus?

1. Arg. PArtem alentem his duobus argumentis poſſumus confirmare. Primum: Tenebræ ſunt priuatio luminis, ſicut & ignorantia ſcientiæ: atqui à tenebris ad lumẽ, & ab ignorantia ad ſcientiam eſt regreſſus per naturam, ergo dabitur regreſſus à priuatione ad habitum etiam ſecundum naturam.

2. Arg. Deinde bonum & malum opponuntur priuatiue, ſed à bono ad malũ poteſt eſſe regreſſus, nam qui improbus eſt, effici poſtmodum poteſt probus: à priuatione igitur ad habitum regreſſus erit etiam iuxta vires naturæ.

1. Obſer. In huius quæſtionis explicationem eſt, quod primo annotemus, per regreſſum hoc loco nihil aliud intelligi debere, quam mutuam tranſmutationem ſubiecti ſecundũ formam & priuationem, ita vt ſubiectum, quod nunc eſt, ſub forma eſſe, poſſit paulo poſt ſub priuatione, & quod ſub illa ſemel extitit, formæ iterum ſubiciatur. *2. Obſeru.* Animadu. oportet præterea, priuationem eſſe duplicem, propriam vnam, & alteram impropriam. Propria eſt negatio formæ in ſubiecto apto nato, impropria vero priuatio cenſetur quælibet forma, quæ in aliquo genere imperfecta eſt, nam iuxta Ariſt. 10 *Metaph.* variis in locis in quouis genere forma perfecta habet locum habitus, imperfecta vero priuationis quemadmodum in genere colorum albedo, quæ eſt color perfectus, obtinet locum formæ, at nigredo, quæ eſt color imperfectus, locum ſibi vendicat priuationis. Opus eſt tandem animaduertere, duplicem eſſe priuationem, quædam enim priuat actum, & potentiam ſimul in ſubiecto ad recipiẽdam formam, ſicuti mors priuat actum vitæ, ac ſimul poteſtatem etiam viuendi, ac cæcitas eodem modo, & actum videndi aufert, & ſimul etiam videndi facultatem adimit: dantur autem & aliæ, quæ quidem actum ſolum priuãt, non vero poteſtatem ſubiecti ad recipiendam formam aliquam, id genus ſunt tenebræ, quæ certe actum ipſius luminis priuant in ipſo aere, non tamen potestatem idem lumen obtinendi vllo modo auferunt. His animaduerſis, quæſt. hanc iuxta D. Thom. 8. *Metaph. lect.* 4. & 10 *lect.* 6. Caiet. *in hoc loco.* Scot. q. 41. *prædicam.* Soncin. 10 *Metaph. q.* 19. & alios his ſubiectis aſſertionibus definimus. *3. Obſeru.*

1 concl. A priuatione impropria ad ipſum habitum, & ab ipſo habitu ad priuationem, procul dubio datur regreſſus ſecundum naturam. Confirmatur hæc aſſertio. A calore ad frigus, & ab albedine ad nigredinem datur regreſſus iuxta naturam: ſed nigredo eſt priuatio impropria albedinis, ergo iam à priuatione ad habitum, & ab habitu ad priuationem (impropriam tamen) dabitur regreſſus per naturam. *1. concluſ.*

2. concl. A priuatione proprie dicta, quæ priuat actum & poteſtatẽ, ad ipſum habitum non datur vllo modo regreſſus per naturam. Confirmatur. A morte ad vitam, à cæcitate ad viſum non datur per naturam regreſſus: at mors eſt priuatio, non actum tantum, ſed & vim etiam ac facultatem viuendi tollens, eodemq; modo cæcitas eſt priuatio, non actum videndi ſolum, ſed & videndi adhuc, & poteſtatem auferens. ergo à priuatione ad habitum nullus dari poterit vllo modo regreſſus. De qua priuatione intelligendus eſt Ariſt. in hoc cap. conſtituens à priuatione ad habitum non eſſe regreſſum. Additum autem eſt à nobis, per naturam, quoniam ſupernaturaliter à priuatione ad habitum dubium eſſe non debet, quin regreſſus detur, per vim enim ac facultatem diuinam, & à morte ad vitam, & à cæcitate ad viſum datur regreſſus. *2. concluſ.*

3. concluſ. A priuatione, quæ tantummodo aufert actum, non tamen poteſtatẽ ad habitum, *3. concluſ.*

bitum,

bitum, vel formam ipſam, etiam viribus natu-ræ, datur regreſſus. Confirmatur. A tenebris ad lumen, & ab ignorãtia ad ſcientiam datur, vt videmus, regreſſus, ſolius naturæ viribus mediis: ſed tenebræ ſolum actum luminis in ipſo aere priuant, non vero poteſtatem, igno rantia præterea ſolum actum ſciendi priuat, & nullo modo vim ac facultatem ad habitum ipſum, & formam obtinendam; dabitur igi-tur ab iſtiuſmodi priuatione ad habitum & formam regreſſus per naturam. Ex his aſſer-tionibus facilimum erit vnumquodque argu-mentum in principio propoſitum, & ſi quæ a-lia præter illa ſe offerant diſſoluere, quibus tamen ita ſigillatim ſatisfaciamus.

Ad 1. igitur reſpond. has priuationes tan-tum priuare actum, & non poteſtatem. Ad 2. eodem modo dicimus, malum tantum priua-re bonum ſecundum actum, non tamen ſe-cundum poteſtatem, nam qui eſt improbus, non eſt actu ſtudioſus, non tamen amiſit po-teſtatem, vt probus eſſe poſſit

Abſoluimus igitur totam hanc ſubtilem & perdifficilem categoriarum diſputationem, in qua cum multa propoſita à nobis fuerint, multaque opiniones reiecta, & multa alia grauiſſimorum virorum laudata, nequaquam lapſus aliqui deeſſe poterunt, nam in multiloquio (vt dicebat Sapiens) non deerit peccatum. Illorum nobis veniam concedent benigni Lectores, cum ex imbecillitate intellectus nati illi fuerint: ſi qua tamen in eadem vtilia, & ad Philoſophiæ ſtudia promouenda accommodate dicta fuerint, non nobis, ſed Deo Opt. Maxim. à quo, quidquid eſt vtile, & accommodatum (tanquam à perenni fonte) promanat, gratiæ omnes referantur, qui beatiſſimæ Virginis Mariæ matris eius, & B. Thomæ Aquinatis Mecœnatis noſtri, pluſquam tutelari patrocinio, vt illa ſcriberemus, benigna manu conceſſit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVS DEO.

Google